

COMMENTARIA
IN
SCRIPTURAM SACRAM
R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,
SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,
ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

JOS. MAX. PERONNE

CANON. HONOR. ET PAROCH. DECANUS DIOCESES SUSSIONENSIS, OLIM SCRIPTURÆ SACRAE PROFESSOR



EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSE RANT

TOMUS DECIMUS TERTIUS

COMPLECTENS EXPOSITIONEM LITTERALEM ET MORALEM

IN DANIELEM, OSEE, JOELEM, AMOS



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXIV

COMMENTARIUS

IN

DANIELEM PROPHETAM.

PROOEMIUM.

Daniel, nobilis propheta, partim vaticinatur de successione quatuor monarchiarum mundi, scilicet Babyloniorum, Persarum, Græcorum et Romanorum : item de septuaginta hebdomadibus, de Christo, de resurrectione, de excidio urbis et orbis, de Antichristo, de judicio. Unde Daniel apte

Dei. Daniel idem est quod iudicium regna, hoc opere describit. Partim historiam sui temporis contextit : sribit enim gesta ab anno 3

Joakim, regis Juda, usque ad 3 annum Cyri : quo etiam tempore floruit Jeremias et Ezechiel. Eodem tempore Romanis imperabat Ancus Martius, et Tarquinius Priscus ; Medis Astyages et Cyaxares, Babylonis Nabuchodonosor, Persis Cyrus,

Daniel coævus juit Jermæ, Astyagi, Cyro, et Phalaridi. Lydis Crœsus, Siculis Phalaris. Eodem tempore floruerunt septem Græcæ sapientes ; et nobiles tres poetæ, scilicet Stesichorus, Alcæus et Sappho poëtria : tunc etiam cœptum est colli Dodonæum oraculum. Denique tunc tria regna, Assyriorum, Judæorum et Chaldæorum, tresque eorum metropoles, scilicet Ninive, Jerusalem et Babylon, eversæ sunt. Ita Pererius. Vide dicta Præfat. in Ezechiel. Quæst. II, in fine.

Quæstio prima, quis Daniel ? Respondeo primo : Daniel ortus est ex tribu Juda, puta ex stirpe regum Juda, ut patet cap. I, 3. Patria illi fuit Bethoron superior, inquiunt Dorotheus et Epiphanius, quæ est in sorte Ephraim juxta Emmaus, distatque novem milliaribus ab Hierosolyma.

Secundo, Daniel puer captus est cum Joakim rege anno 3 regni ejusdem, qui fuit annus 1 regni Nabuchodonosoris, atque ab eodem ductus est in Babylonem. Pererius censet eum tunc fuisse decem annorum, Maldonatus viginti : idque verius est, et satis colligitur ex cap. I, 3 et seq. Unde sequitur natum esse Danielem sub annum 15 regni Josiæ regis Juda, qui fuit annus mundi 3320, ante Christum annus 630.

Tertio, Daniel cœpit prophetare juvenis : juvenis enim judicium senum peregit, in quo eos convicit, et Susannam pudicam a morte liberavit, ut

patebit cap. XIII, 45. Quod enim aliqui putant duos fuisse Danieles, unum de tribu Levi, qui Susannam liberavit cap. XIII, et draconem occidit, Belumque evertit cap. XIV; alium de tribu Juda, qui reliqua hujus libri gesserit et scripserit, falsum est, uti ostendam cap. XIV, 30.

Quarto, interpretatus est Daniel somnium regis Nabuchodonosoris, tam primum cap. II, quam secundum cap. IV, annum agens 55. Visionem, cap. VII, habuit anno ætatis 63. Visionem vero, cap. VIII, vidi annum agens 65. Scripturam manus in pariete scribentis, annum natus 96, explanavit. Anno 97, qui primus fuit Darii regis Medorum, tempus Messiæ adventus et mortis, 70 illis hebdomadis cap. IX comprehensum, divinitus ei patefactum est. Visiones quæ memorantur in capitibus, X et XI contigerunt anno 3 Cyri, id est anno Danielis 101.

Quinto, computat Pererius Danielem mortuum esse anno ætatis 138. Natus est enim juxta ipsum anno Josiæ 25, qui deinde adhuc regnavit sex annis, scilicet usque ad annum 31. Post Josiam regnavit Joachaz tribus mensibus ; post Joachaz, Joakim 11 annis ; post Joakim, Joachin tribus mensibus ; post Joachin, Sedecias 11 annis ; post quem secuta est captivitas Babylonica 70 annorum usque ad Cyrum : post captivitatem regnavit Cyrus 30 annis ; post Cyrum Cambyses 8 annis ; post Cambyses Magi uno anno ; post Magos Darius Hystaspis, cuius 1 anno (si credimus Isidoro, lib. De Vita et obitu Prophet.) mortuus est Daniel in Babylone. Jam adde annos hos omnes, invenies 138 ; tot ergo vixit Daniel. Ita Pererius. Verum hæc enormis est ætas hominis, et illo sæculo inaudita. Unde alii censem Danielem non excessisse annum centesimum. Ipsi enim putant captivitatem Babyloniam 70 annorum inchoandam esse non a captivitate Sedeciae, sed a captivitate Joachin, uti ostendi Jerem. XXIX, 10 ; et ita hic demendi sunt anni undecim regni Sedeciae : illi enim in annis 70 captivitatis involvuntur. Rursum iidem putant Cyrum post captivitatem non regnasse 30, sed tantum tribus annis ; ita ut eversa Babylone jam

Visiones singulæ qua ætate Daniell, contigerint.

Pererius putat Daniel vixisse annis 138.

factus monarcha, tantum 3 annis regnarit. Unde et Daniel tantum primi et tertii anni Cyri meminit, scilicet ab eversa Babylone : hanc enim sub finem vitæ evertit, uti docent historici. Demendi ergo sunt ex annis Cyri anni 27, quibus durante captivitate Babylonica regnavit. Jam adde 27 et 11, habebis 38, quos deme ex annis 138 (tot enim Pererius Danieli consignat), remanebunt anni 100 vitæ Danielis. Adde sacram Scripturam post 3 annum Cyri non meminisse Danielis; ex Scriptura ergo tantum elicere possumus Danielem vixisse 91 annos; tot enim sunt a 25 Josiae ad 3 Cyri. An, et quantum ulterius vixerit Daniel, non liquet, nisi quod Isidorus eum vixisse dicat ad initium regni Hystaspis; quod si verum est, sequitur Daniel ad centesimum annum pertigisse. Hæc juxta Pererium, qui censem Daniel decennem fuisse, cum ductus fuit in Babylonem : verum verius est eum tum fuisse 20 circiter annorum : unde 10 anni vitæ ejus addendi sunt; ita ut natus sit anno Josiae, non 25, sed 15. Id patebit Daniel. XIII, 45. Quare si Daniel mortuus est anno 5 Cyri, mortuus est anno ætatis centesimo primo : sin anno 1 Darii Hystaspis, mortuus est anno ætatis centesimo undecimo. Hinc patet errare Chronicum Alexandrinum, sive Fastos Siculos, dum mortem Danielis consignant anno 4 Cyri, aiuntque eum 50 annis tantum prophetasse.

Quæstio secunda, qualis fuit Daniel? Respondeo *primo*, fuit chronologus illius aëvi certissimus et celeberrimus. **Secundo**, fuit vir omnium hominum illius saeculi sapientissimus, et in omni scientia, etiam Chaldæorum aliorumque Gentilium, versatissimus : adeo ut, cum tantum 38 esset annorum, Nabuchodonosor et reges omnes ejus sapientiam, quasi oraculum, suspicerent; ita ut rex Tyri, qui se sapientissimum reputabat, Danieli tamen se comparare non auderet. Hoc enim est quod irridens per sarcasnum ei objicit Ezechiel, cap. xxviii, 3 : « Ecce sapientior es tu Daniele, omne secretum non est absconditum a te, » uti ibi ostendi. Porro hanc sapientiam meruit Daniel sua abstinentia, ut patet cap. I, 17.

Tertio, fuit Propheta, et somniorum omnium divinorum (id est a Deo immissorum) interpres. **Quarto**, fuit princeps et rector totius imperii et monachiae Babylonicae, ut patet cap. II, 48. Plinius, lib. VII, cap. xxvii, Catonem tribus dotibus præcelluisse asserit, quod fuerit « optimus orator, optimus imperator, optimus senator : » at pluribus præcelluit Daniel.

Quinto, fuit cælebs, et illibatam virginitatem ad mortem usque servavit, uti omnes consentiunt : imo Damascenus, libro IV *De Fide*, cap. xxv, ait propter tantam castitatem tam Danielem a leonum sævitia, quam tres pueros ab igne Babylonio fuisse inviolabiles.

Dices : *Ezech. xiv, 14 et 16*, dicitur : « Si fuerint tres viri isti in medio ejus (Jerusalem) Noe, Daniel, et Job; ipsi justitia sua liberabunt animas suas, etc.,

nec filios, nec filias : » ergo Daniel habuit filios : ergo non fuit cælebs. Respondeo, *primo*, hanc propositionem esse conditionalem; ait enim : Si Daniel, Noe et Job haberent filios, et pro eis orarent, Deus tamen non exaudiret eos, essetque inexorable. Respondeo, *secundo*, rō filios et filias respective referendum esse ad Job et ad Noe, qui habuerunt proles, non ad Danielem, qui nullas habuit; ut sit syllepsis, qualis est apud Matthæum et Marcum, quando aiunt discipulos effuso unguento murmurasse, cum Joannes solum Judam murmurasse testetur : et apud Matthæum, quando ait latrones in cruce Christum blasphemasse, cum Lucas unum tantum blasphemasse dicat.

Hinc sexto, patet sanctitas Danielis, eo quod a Deo apud Ezechielem comparetur cum Noe et Job qui fuerunt sanctissimi. Tres ergo in orbe quasi soles justitiae extiterunt, Noe, Job et Daniel. Ubi nota : Cum hoc dixit Deus, Daniel vivebat, eratque tantum 34 annorum, ut dixi *Ezech. XIV*.

Septimo, Daniel non tantum suæ, sed et aliorum salutis et perfectionis fuit amantissimus : inde enim vocatur « vir desideriorum, » cap. IX, 23; inde orans pro populo, ei redditum e captivitate Babylonica tum a Deo, tum a Cyro impetravit. Permansit enim Daniel in principatu et præfectura usque ad Cyrus, qui 4 anno suæ monachiae Juðæos e captivitate dimisit. Inde denique tempus Christi redemptoris, ejusque nativitatis et passionis abbreviari petiit et impetravit, cap. IX, 24.

Octavo, fuit martyr : ob pietatem enim et invocationem Dei Hebræorum, missus fuit in lacum leonum, idque bis : esto Dei ope inde evaserit illæsus. Sic enim et S. Joannes a Patribus vocatur martyr, eo quod in dolium ferventis olei sit immisus : esto inde illæsus, Dei gratia, exierit. Quin et in vetusto illo codice Basilii Porphyrogeniti imperatoris imaginibus et litteris aureis exarato, qui exstat in bibliotheca Vaticana, Daniel cum tribus pueris sub Attalo capite plexus depingitur, et subjecta scriptura historice enarratur. Cujus rei fides sit penes ipsum : nam nullus veterum Patrum vel historicorum, quod sciām, hoc memoriae prodidit.

Denique Daniel vixit et mortuus est in Babylonie; noluit enim redire in Juðæam cum Esdra et aliis, quibus redditum a Cyro impetraverat; tum ut Juðæorum salutem et negotia apud Cyrus promoveret; tum ut Juðæorum, qui in Babylonie plurimi remanebant, director et protector esset, inquit Theodoreus in cap. X. De multis et miris prodigiis, quæ Daniel ante mortem prædictis Babylonis, stupenda habent Dorotheus in *Synopsi*, et Epiphanius in *Vita Danielis*, quorum fides sit penes ipsos. Sepultus est Daniel in quadam caverna Babylonis regio honore. Relatus est ab Ecclesia in catalogum Sanctorum, ejusque dies natalis in Martyrologio notatur 21 juli. Addit Dorotheus : « Edit et aliis regibus Persarum multa portenta, quæ scripta non sunt : mortuus est in Chaldæa, et in

Sexto,
fuit vir
sanctis-
simus.

Septimo,
fuit vir
mire ze-
losus.

Octavo.
fuit mar-
tyr.

Mortuus
et sepul-
lus est
in Baby-
lone.

sepulcro regio solus cum honore sepultus. »

Narrat Josephus, lib. X *Antiquitatum*, Danielem apud Ecbatana Mediæ turrim eximiam ædificasse, ut in ea sepelirentur reges Medorum, Persarum et Parthorum, ejusque turris custodiam uni de sacerdotibus Judæorum credi et committi. « *Ædificavit, inquit Josephus lib. X, sub finem, apud Ecbatana Mediæ turrim, opus pulcherrimum et singulari admiratione dignum, quod in hodiernum usque diem durat, et spectantibus recentissimæ structuræ videtur, perinde ac si ea ipsa die qua spectatur, esset absolutum: tantam novitatis speciem, et tam integrum pulchritudinem habet, nihil omnino a longo tempore læsam, præter aliorum ædificiorum consuetudinem. Mos autem durat usque in præsens tempus, ut in ea turri sepeliantur reges Medorum, Persarum et Parthorum, ejusque custodia sacerdoti Judaici generis hodie concreditur.* » Ante Danielem enim regum Persarum sepultura erat Persepoli, teste Strabone, lib. XV, et Diodoro Siculo, lib. XVII. Cyrus vero sepultus fuit in Pasargide castello in loculo aureo, ait Arianus, lib. VI, cum hac inscriptione, ait Onesicritus: Ἐνθαδ' ἔγω κατέμει Kύρος βασιλεὺς βασιλέων.

Quæstio tertia, quæ sit Danielis auctoritas, obscuritas et præstantia? Dico primo: Semper hic liber apud Hebræos et Catholicos habitus est canonicus, demptis quatuor particularis, scilicet oratione Azariæ, hymno trium puerorum, historia Susannæ, item Belis ac draconis: de quibus suo tempore dubitavere Origenes, Eusebius, Apollinaris, qui historias has vocant fabulas, eo quod in Hebræo non exstent, teste S. Hieronymo in Prologo: jam tamen certum est hæc omnia esse canonica, ut patet tum ex Concilio Tridentino, sess. IV, tum ex S. Augustino, Athanasio, Cypriano, Chrysostomo, Gregorio et passim aliis Patribus, qui ea sæpe citant, perinde ac alias canonicas Scripturas: olim etiam ea in Hebræo exstitisse patet ex versione Septuaginta, Aquilæ et Theodotionis. Unde enim ipsi ea in Græcum, nisi ex Hebræo textu, qui tunc exstabat, transtulerint? Perperam ergo Lyranus et Dionysius Carthusianus dixerunt has historias esse veras, at non canonicas sacræ Scripturæ; sed illis hoc condonandum est, quia fuerunt ante Concilium Tridentinum (1).

(1) Ea est prophetiarum Danielis natura, ut facile intelligatur eas a rationalistis Interpretibus omni modo fuisse impugnatas. Et revera, nullibi futura etiam remotissima, tam clare et aperte prænuntiata sunt, ita ut rerum gestarum narrationem potius quam prædictionem legere te credas.

Porro omnibus patet hujus libri momentum et pretium ad nihilum mox redigenda esse, si, ut pro certo affirmant fere omnes recentiorum temporum rationalistæ Interpretes, post Antiochi Epiphanis mortem litteris consignatum esse, et falso Danielis nomine inscriptum fuisse verum sit. Igitur, eo majoris est momenti authenticitatem Danielis vindicare, quod a plerisque Germanicis criticis expresse negatur. Li sunt, ut primarios tantum in-

Nota ex S. Hieronymo, Ecclesia ante S. Hieronymum in Bibliis usa est versione Septuaginta, excepto Daniele: ibi enim usa est versione non Sep-

digitemus, Eichornius, Bertholdtus, Bleekius, De Wette, Gesenius, Kirms, Lengerke et ipse Rosenmuller; de quibus hoc notandum sæpe alterum alterius argumenta evertere, licet totus eorum argumentationis scopus sit, Danielis authenticitatem negare. Præcipui qui pro tuenda hujus libri auctoritate steterunt et scripserunt, sunt J. D. Michaelis, qui tamen aliqua capita historicæ rejecienda censem, Luderwald et Stæudlin, Jahn, Dereser (ii duo catholici), et præsertim Hengstenberg in opere ex professo, cui titulus: *Die Authentie des Daniel*, et Hævernick in *Commentario in Danielem*.

Hæ duæ quæstiones nobis breviter solvendæ sunt, ut de Danielis authenticitate nulli dubium supersit. PRIMO, Danielis liber sitne unius auctoris, an ex plurim scriptis sit compositus? SECUNDO, iste liber sitne scriptus ab eo qui ejus auctor fertur? Hic, tantum de parte protocanonicali libri Danielis duodecim priora capita complectente accipienda notamus quæ sequuntur. In annotationibus ad historias Belis et Suzannæ, horum fragmentorum auctoritatem vindicare conabimur.

Quæstio prima. Liber Danielis cum partim hebraico, partim chaldaico sermone sit conscriptus, singulæque illius partes arco vinculo non cohærere, nonnulla etiam sibi invicem repugnare videantur (veluti quod 1, 21, Daniel ad annum usque Cyri primum vixisse; 1, 1 vero, tertio illius regis anno Danieli visum esse objectum legitur). Eichornius et Bertholdtus in hanc delati sunt sententiam, esse librum ex variis variorum scriptis compositum. Atque Eichornius quidem, hoc quod Danielis nomen gerit volumen ex duorum potissimum auctorum monumentis conflatum judicat, quorum alter rerum vicissitudines ab inclinante ad finem regno Chaldaico usque ad mortem Antiochi Epiphanis per modum vaticiniorum a Daniele editorum exposuerit; alter quæ de Danielis ejusque sociorum satis ex narratiunculis in ore vulgi propagatis consignata reperisset in variis scriptis minoribus, collegerit et tanquam isagogem historicam capitibus sex prioribus comprehensam præmisericit fictis illis vaticiniis. Bertholdtus vero tot esse statuit libri auctores, quot sint ejus singulæ partes, *noven* videlicet; ætate diversas esse omnes, locoque, quo prodierint nonnullas.

Verum enimvero, inquit Rosenmuller cum Gesenio, De Wette, Bleek et Kirms, quicumque sine præjudicata opinione librum hunc legendum aggreditur, per totum illum unius modi suique similem orationis sonum, stylum, elocutionem deprehendet. Secundo, quæ Danieli accidisse et ab eo facta narrantur sibi invicem ita sunt similia, ut ab uno eodemque auctore ea conficta esse appearat. Somnia quæ Magi explicare nequeunt, Daniel interpretatur, cap. II, 4; portentosam in pariete scripturam, v, 5 et seq., quam Magi nequeunt legere, legit et explicat Daniel. Oblato prodigioso viso, aut apparente sibi angelo, Daniel animo perturbatur et tremore correptus pronus in terram concidit, VII, 15-18; VIII, 17, 18, 27; X, 4, 9, 15, 16, 17; sed ab angelo tactus reficitur et erigitur, VIII, 18; X, 10, 16, 18, 19. Explicatorum somniorum et visorum Daniel amplissima fert præmia, splendidi dissimisque cumulatur muneribus, II, 48, 49; V, 29; VI, 29. Socii quoque Danielis igneo fornace illæsi egressi ad majores dignitates et honores evehuntur, III, 30. Præcipias et semper easdem partes per totum librum sustinent angeli, III, 25, 28; VI, 23; VII, 16; VIII, 13, 14, 16 et seqq.; IX, 21 et seqq.; XII, 5 et seqq. Tertio, unum eumdemque libri auctorem arguit porro illud, quod singulæ libri partes ita inter se cohærent, ut posteriores sæpe respiquant ad priores, atque ex iis lucem accipient. Ita quod

tuaginta, sed Theodotionis hæretici ebionitæ. Post S. Hieronymum vero usa est Ecclesia ejusdem Hieronymi versione ex Hebreo : quæ autem in He-

cap. iii, 12, Chaldae Nabuchodonosori dicunt, esse Judæos quosdam ab ipso nonnullis regni sui provinciis præfectos, eo respicit, quod ii, 49, Sidrach Misach, et Abdenago legimus Danielis rogatu a rege provinciarum quarumdam gubernatores constitutos esse, cap. v, 2. Balthasar rex narratur afferri jussisse vasa quæ Nabuchodonosor ejus pater ex Hierosolymitano templo adduxerat, quod ipsum i, 2, commemoratum est, etc., etc. Idem dicendum est de visionibus quæ optime inter se concordant. Cf. cap. viii, 1, cum cap. vii; cap. ix, 21, cum viii, 16 et seqq.; cap. x, 12, cum ix, 23. *Quarto*, ut vere jam observavit Marshamus (*Canon chronic.* pag. 610, edit. Lips.), prophetica libri pars, sive posteriora sex capita, quatuor illius visiones continent, quibus res quidem una eademque, sed diversis modis indicatur. Idem angelus sæpius appetet, et rem eamdem iterum iterumque denuntiat. Idem pene est visionum omnium subjectum, quæ mutuam invicem lucem sibi afferunt. Quæ prius breviter, deinceps clarius et particularius explicantur.

QUESTIO SECUNDA. Danielem esse auctorem libri qui ejus nomine fertur, probatur ex una parte, *traditione populi Iudaici* testimonio Josephi confirmata, licet illud testimonium in dubium revocare nitantur Rationalistæ; a B. de Sainte-Croix et ab Hengstenberg cæterum confutati; *insertione hujus libri in Iudeorum canonem*, qui quidem, ut ab omnibus scitur, sub Esdra institutus est; *testimonio Jesu Christi et apostolorum*, qui vaticinia in hoc libro condita sub nomine Danielis in medium attulerunt; *Ecclesiae catholicæ auctoritate*, quæ ut canonicum et divinitus inspiratum Danielis librum semper habuit. Aliunde idem evincunt congruentia hujus libri cum indeole auctoris et tempore ad quod refertur, et quod nihil in eo reperiatur quod non conveniat tum Danieli, nato Hebreo, in Babylonica aula educato, lingua Chaldaica atque Magorum disciplina scientiaque, præsertim somnia interpretandi arte imbuto; tum munis quibus ipse functus est; tum notitiis quas facile haurire potuit de regum Babylonis historia, de consuetudinibus, moribus apud illos usurpati; tum denique linguae qua usus est, et figuris symbolicis quæ tunc obtinebant, nec non chronologicis indiciis hoc tempore usu receptis. Quæ omnia fusius explicata in Hengstenberg *Die Authent. des Daniel*, et in opere a D. Glaire edito, *Introduction historique et critique à l'Ecriture sainte*, partim ad suum quemque locum indicabimus.

Objiciunt qui authenticitatem Danielis negant, et quos veluti resumit Rosenmuller. *Primo*, Judæi non adnumerant Danielem inter prophetas, sed inter hagiographos, cum tamen scripta prophetarum Daniele seriorum, Aggæi, Zachariæ, Malachiæ, corpori librorum propheticorum inserta sint. Quod non fecissent, si Daniel hunc librum scripsisset, cum maximus prophetarum esset. *Secundo*, Auctor Ecclesiastici, qui prophetas omnes quorum scripta hodienum exstant, enumeret, et laudibus ornet, solum Danielem silentio transit. Quis vero credit, liber tam admirandis et perspicuis vaticiniis plenus, si cognitus fuisset Siracidi, illius auctorem inter insignes gentis suæ viros tacitum ab eo prætermissum esse. *Tertio*, quod Jesus, vel potius Matthæus, inquiunt, ex recepta tunc æqualium suorum sententia locutus, librum hunc a Daniele scriptum perhibeat, *Math. xxiv, 5*, et *Marc. XIII, 14*, in quæstione critica haud magis momenti habet, quam quod Judas apostolus, in *Epistola*, vers. 14, vaticinium de extremo judicio ex libro quodam antiquo, qui Henochi fertur, desumptum, huic patriarchæ tribuit. Quis vero librum illum ex ævo antediluviano superstitem

bræo Daniele non reperit Hieronymus, ea trans-tulit ex Græco Theodotionis.

Dico secundo: Daniel cæteris prophetis antecellit Obscuri-

mansiisse credit? *Quarto*, legentibus nobis quæ Danieli sociisque accidisse quæque ab eo dicta et facta narrantur, multa sese nobis offerunt plane inaudita, et non modo mirabilia, sed prodigiorum similia, quæ nullum Deo dignum finem habent, qualia sunt, cap. ii, somnium Nabuchodonosoris, fornax ardens, cap. iii, voces portentosæ inter epulas parieti adpictæ, cap. v; Daniel in foveam leonum conjectus et per miraculum servatus, etc. *Quinto*, quæ posteriore libri parte continentur prophetæ, hoc potissimum sibi privum et summopere admirandum habent, quod cum in antiquorum prophetarum vaticiniis futura generalius plerumque et obscurius significantur, in hisce Danielis quæ pluribus post Danielem sæculis eventura essent tam clare, aperte et sigillatim describuntur, ut librum aliquem historicum te legere crederes. *Sexto*, quæ non ultra Antiochi Epiphanius tempora procedunt, claræ sunt et historiae maxime convenientes; dum illæ quæ ultra illum terminum futura prædicantur, indeterminatæ sunt et aliqua obscuritate perfusæ. *Septimo*, his accedit quod quæ in hoc libro traduntur temporum notationes et regum nomina passim adversantur iis quæ ex aliis gravis auctoritatis scriptorum monumentis cognita habemus. *Octavo*, lingua Hebraica et Chaldaica tantopere variat, ut diversi auctores inde colligantur. *Nono*, tandem Daniel, inquiunt, non sibi tribuissest encoria quæ cap. i, 20; iv, 15; v, 3; vi, 11; ix, 23; x, 11, leguntur.

Summatim ad unamquamque difficultatem generalem responsionem subjiciemus, quæ cuique suo loco felicius solventur, paulisper differendo.

Ad primam: non semper hunc locum in canone Iudeorum obtinuit liber Danielis. In versione Septuaginta inter prophetas post Ezechiem collocatur, sicut in canonibus Iudeorum qui apud Josephum, Melitonem Sardicensem, S. Epiphanium et Origenem leguntur. Judæi sæculo quarto duntaxat, Danielem inter hagiographos collocarunt, majorum suorum neglecta doctrina, ut Christianis arma eriperent, quibus expugnabantur. Frivole enim prætendebant Prophetam in aula versari non debere, prout Daniel in aula versatus fuerat, et veri prophetæ (hebraice נָבִי, *nabi*) munia non adimplesse, etc., etc.

Ad secundam: Auctor Ecclesiastici non sibi animo propositus omnes viros illustres suæ gentis laudare; tunc enim nullum omnino prætermisisset. Porro non solum Esdram, Mardochæum, sed ipsum Isaiam omittit. Illos igitur tantummodo laudibus extollere voluit, vel prophetas qui de captivitate Babylonica vaticinati fuerant, vel illos illustres viros qui inter Hebræos vitam degerant. Cæterum, si paululum urgeretur istud argumentum, ex silentio auctoris Ecclesiastici sequeretur nullum fuisse virum tempore captivitatis, qui nomine Danielis vocatur; quod a nemine admitti potest.

Ad tertiam: non solent Evangelistæ suasmet inventiones vel cogitationes divinis Magistri verbis inserere; aliunde contra omnes sanioris critics regulas concluderetur, istas voces, a *Daniele propheta*. non esse authenticas, eo quod in Evangelio S. Lucæ non leguntur. Denique accommodationis sistema, juxta quod Jesus ex recepta coætanorum sententia locutus fuisset, plane rejiciendum est, cum aliquis gravissimus error inde sequeretur, quod hic tum maxime eveniret, scilicet ipsummet Christum impostori, veri Dei prophetæ dignitatem vindicasse, faisa vaticinia post eventum conficta in medium attulisse ut prophetiam vere divinam, et quæ sine intelligentiæ dono comprehendendi nequirit. Aliter ratiocinandum de loco S. Judæ, qui non librum citat, sed prope-

*tas Da- obscuritate et præstantia. Obscuritas, primo, patet
nielis un- ex varietate tum chronologiae, tum historiæ tam
de? antiquæ, et in ejus cum historicis gentilibus (qui
sæpe ab his diversa, imo contraria narrant) con-
ciliatione. Unde S. Hieronymus ad intelligentiam
Danielis ait necessariam esse omnium historiarum,
tam Latinorum, quam Græcorum et Chaldæorum
cognitionem. Secundo, ex eo quod in Daniele cre-
bra sit hysterologia, et præposterus ordo. Tertio,
quod Deus studio voluerit scripturam Danielis esse
obscuram : ait enim cap. XII, 4 : « Tu autem, Da-
niel, clade sermones, et signa librum. »*

tiam Enoch, quæ decursu temporum in hunc apocryphum
librum inseri potuit.

Ad quartam : admissa semel miraculorum possibilitate, et existentia ex certis testimoniis stabilita, nec non eorum fine Deo digna, prorsus evanescit ista difficultas, cum prodigiorum quæ in libro Danielis referuntur veracitas certo demonstretur, et eo spectant tum ut Judæos in fide veri Dei confirmant, hos ab idolatria ad quam tempore captivitatis proni erant, avertendo, tum ut nepotum animum corroborarent in persecutionibus Antiochi Epiphanis, tum ut Daniel maximam auctoritatem, sui populi gratia, apud reges Babylonis et præsertim apud Cyrum, sibimet ipsi conciliaret.

Ad quintam : quod aliqua Danielis vaticinia clariora sunt multis prophetiis aliorum prophetarum, repetendum est tum ab ingenio Danielis rebus magnis et politicis asueto, quo visiones de sorte regnorum accurate perspexit, tum ex eo quod eventuum prædictorum historias accuras et minutatim enarratas habemus, tum ex eo quod soluta oratione ista vaticinia scripta sunt, tum ex fine ipsius prophetiæ, qui semper populi Dei necessitatibus accommodari debebat. Atqui tunc temporis, ministerium propheticum jamjam ad finem vergebatur, et Judæi, tum ad crudelem Antiochi Epiphanis persecutionem, tum ad proximum Messiæ adventum, per clariores prædictiones præparandi erant. Cæterum Danielis vaticinia tam clara non esse, sat liquet e varia ratione doctorum illa expli- candi.

Ad sextam : falsum id est; prophetæ enim de nascituro Messia multis circumstantiis vestitæ sunt. Idem dicendum est de visione quarti imperii quæ ante Antiochum Epiphanem adimpta non fuit, sicut falso prætendunt adversarii, utpote quæ imperium Romanum, ut infra demonstrabitur, præfigurat.

Ad septimam respondebimus, ubi quæque hujus difficultatis partes in decursu libri cap. I, 1, cap. VI, 1 occur- rent.

Ad octavam : hæc assertio, ut bene notat Janssens, est a veritate alienissima ; nam lingua capitum hebraicorum ubique est eadem, uti et lingua chaldaica capitum chaldaice scriptorum. Si etiam aliqua linguae diversitas occurreret, illa provenire posset a diversitate circumstan- tiarum ætatis, etc., in qua Daniel scripsit. Unicum totius libri Danielis auctorem esse, sat liquet, quod ubique ea- dem est scribendi ratio, et quod res posterius relatae ad res præcedentes collimant.

Ad nonam : si hoc argumentum valeret, inquit idem auctor, multis auctoribus profanis sua opera abjudicanda essent, in quibus refertur quid alii de illis senserint et dixerint. Daniel locis citatis simpliciter narrat qualis visus fuerit Nabuchodonosori ; quid iste rex, regina, Darius Medus, etc., de illo senserint, et quomodo angelus illum appellaverit : hæc vero tam arcta colligata sunt rebus aliis, quas resenset, ut illa omittere nequierit. Cf. *Ezechiel*. cap. XIV, 14, 18, 20, et cap. XXVIII, 3.

Dico tertio : Præstantia hujus libri patet primo, Liber hic ex præstantia auctoris, de qua jam dixi. Secundo, pri- materiæ præstantia, quæ primo, historica est; narrat enim gesta 80 annorum, scilicet ab anno 3 Joakim usque ad 3 Cyri : gesta, inquam, Chaldæorum, Medorum et Persarum. Unde S. Hieronymus, epist. 103 ad *Paulinum*, Danielem vocat omnium temporum conscient, et totius mundi polyhistorem. Daniel ergo historiam librorum Regum, quæ desinit in captivitate Babylonica, prosequitur, et continuat per totum tempus captivitatis usque ad ejus solutionem. Secundo, prophætica est : prædicit enim futura in monachi singulis, ac præsertim in regibus Syriæ, Seleucis et Antiochis, eorumque ever- siones et successiones; item prædicit ortum, necem (cujus annum solus Daniel definivit, et 70 hebdomadibus determinavit), et regnum Christi : rursum Hierosolymæ et Judæorum desolationem; de- niique resurrectionem universalem omnium. Ter- tio, dogmatica est, itemque moralis; pulcherrima enim documenta et exempla virtutum suggerit, ut castitatis in Susanna, fidei et constantie in tri- bus pueris, abstinentie et devotionis in Daniele, humiliatis in Nabuchodonosore transformato in bestiam, temperantie in Balsasare ob ebrietatem occiso. Denique judiciorum et providentie Dei clara hic passim eluent testimonia. Hac de causa Hebræi Danielem non inter Prophetas, uti Latini et Græci, sed inter hagiographa referunt.

Nota : Scriptus est hic liber initio, scilicet a cap. II, 4, usque ad finem cap. VII, chaldaice : recen- set enim Chaldæorum gesta et dicta. Deinceps scriptus est hebraice, idque ab ipso Daniele, ut patet cap. VIII, 1, et cap. IX, 2, et cap. X, 2, et Matth. XXIV, 15. Perperam ergo id negavit non tantum Porphyrius apud S. Hieronymum hic, et Anabap- tistæ nunc : sed et S. Isidorus, eo argumento, quod Daniel subinde de se loquatur in tertia persona. Verum hoc argumentum frivolum est : nam Hebræis id est familiare, ut patet *Isaiæ* I, 1; *Jerem.* I, 1, et alibi.

Quæres quarto, quis est scopus hujus libri, et quænam ejus partitio? Respondeo : Scopus est regnum Christi describere, quod cap. VII facere incipit. Nam et historiæ regum Babylonis, Medorum et Persarum, quæ primis sex capitibus proponuntur, et reliqua, quæ cap. VII et VIII et XI, de quatuor regnorum vicissitudine dicuntur, eo per- pertinent, ut omnia alia regna peritura, solum Christi regnum perpetuum fore intelligamus.

Hinc patet libri partitio. Tres enim sunt ejus Tres ejus partes : prima sex primis capitibus continetur, qui- bus res gestæ Danielis, et trium puerorum ejus so- ciorum, enarrantur. Secunda sex alia capita com- prehendit, quibus de regno Christi et Antichristi agitur, de uno regno Dei, et multis regnis mundi, aliis in alia transferendis. Tertia est duabus extre- mis capitibus, ubi Susannæ et Belis historia tradi- tur. Ita Maldonatus.

Porro alias Danielis de Babylonis et mundi ex-

primo, histori-
cus est.
Secundo, prophæti-
cus.

Tertio, dogmati-
cus.

Partim chaldaice, par-
tim he-
braice
scriptus
est.

Quesatio
quarta,
quælibet
divisio?

Tres ejus
partes.

cidio prophetias recenset Epiphanius in *Vita Danielis*, et ex eo Dorotheus in *Synopsi*. Audi Epiphanius : « Ille Propheta (Daniel) in celsis montibus Babylonis monstrum annuntiavit, dicens : Ubi cernetis montem ex parte Boreæ fumo denigratum, pro foribus Babylonis terminus imminebit. Quando vero ipsum flagrantem igne videbitis, aderit totius orbis finis. Sed, cum ad meridiem mons aquas propellet, remeabit populus in patrum solum, et condetur Jerusalem late, campoque patentiore, sicut factum est per Jesum Pontificem, et per Salathiel. Quod si denique mons iste sanguine cruentus manat, stragem portendit ipsius Beliar in toto orbe. » Beliar videtur esse Antichristus. Verum horum fides sit penes ipsum.

Allegorice Daniel, uti et cæteri prophetæ, fuit typus et imago Christi. Nam, *primo*, Daniel, abduc-tus in Babylonem factusque servus, antitype re-præsentavit Christum, qui e cœlo in mundum hunc confusione plenum, per incarnationem descendit, formam servi accipiens.

Secundo, abstinens Daniel figuravit Christum abstinenter, pauperum cibo et modo viventem ac jejunantem per 40 dies.

Tertio, Daniel propheta, somniorum interpres et mortalium sapientissimus, fuit idea Christi, qui est princeps Prophetarum et Sapientia Patris, tum increata qua Deus, tum creata qua homo, qui ar-cana quæ hausit in sinu Patris nobis enarravit, et eructavit abscondita a constitutione mundi.

Quarto, lapis abscissus de monte conterens sta-tuam quadriformem, quam vidi Daniel, cap. II, est Christus de Virgine natus, et virtute Spiritus Sancti quasi abscissus, qui contrivit quatuor regna idololatrarum, suumque regnum cœleste gratiæ et gloriæ induxit, et toto orbe propagavit. Rursum Daniel a rege præfectus toti Babylonie figurat Christum, qui a Patre qua homo præpositus est toti mundo. Unde ipse dicit, *Matth. xxviii* : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; » ideo-que in femore scriptum habet : « Rex regum et Dominus dominantium, » *Apocal. xix*, 16.

Quinto, Angelus similis filio hominis, qui tres pueros in fornace Babylonica illæsos servavit, *Daniel. III*, figura fuit Christi, qui nos ab igne ge-hennæ, æque ac concupiscentiæ liberat.

Sexto, Daniel cap. IV, interpretans somnium arboris succisæ, quod scilicet superbus Nabu-chodonosor regno privandus, et ad bestias relegandus esset, significat Christum, qui superbos humiliat, et humiles exaltat, quique superbos imperatores Romanos, et reges toto orbe domi-nantes suæ fidei et cruci cervices submittere compulit.

Septimo, Daniel cap. V, per *mane, tekel, phares*, intentans impio Balsasari vitæ et regni excidium, allegorice est Christus impiis intentans mortem, judicium et infernum.

Octavo, Daniel cap. VI, quia adorabat Deum, ab æmulis satrapis accusatus, et missus in lacum

leonum, significat Christum, qui ob Dei Patris obedientiam et cultum, a Judæis invidis et sæ-vientibus instar leonum ad crucem et mortem adactus, in lacum sepulcri quoad corpus, et in lacum inferni quoad animam descendit. Sed si-cut Daniel e lacu eductus, et vitæ quasi restitu-tus est : ita et Christus tertio die a morte, sepulcro et inferno gloriosus resurrexit.

Nono, Daniel cap. VII, vidi antiquum dierum, id est Deum Patrem, in solio majestatis sedentem, filio hominis, id est Christo venienti in nubibus cœli, dare regnum et judicium, ut proterat An-tichristum cum suis asseclis; utque omnes populi, tribus et linguæ ipsi serviant, ac potestas ejus sit potestas æterna quæ non auferetur : regnum autem, et potestas et magnitudo regni, quæ est sub-ter omne cœlum, detur populo (christiano) sanctorum Altissimi, cujus regnum sempiternum est.

Decimo, Daniel cap. VIII, vidi hircum, id est **Decimo**, Alexandrum, Antiochum et Antichristum contra arietem, id est contra Darium, et contra Chris-tum Christique fideles, tam Judæos quam Chris-tianos, mites et mansuetos, cornutantem, eosque ad necem persequentem.

Undecimo, Daniel, cap. IX, audit annum adven-tus Christi, scilicet quod 70 hebdomades abbre-viatæ sunt usque ad Christum ducem, ut finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et ad-ducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Et post hebdomades 62, occidetur Christus : et non erit populus ejus, qui eum negaturus est. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : et in medio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium ; et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit deso-latio.

Duodecimo, Daniel, vir desideriorum, portendit **Duodeci-mo**, Christum desideratum a cunctis gentibus; proinde fuit desiderium collum æternorum, quique im-menso zelo sitiit et procuravit omnium hominum salutem.

Decimo tertio, Angelus vestitus lineis, accinctus **Decimo tertio**. auro obrizo, cuius facies quasi fulgoris, oculi ut lampas ardens, etc., quem vidi Daniel cap. X, repræsentat Christum, ut patet *Apoc. I*, 13. Vide ea quæ utrobique dixi. Rursum Christus est, qui ibidem Michaelem, Gabrielem aliasque angelos Ecclesiæ suæ præfecit, ac fidelium curam et tu-telam eis committit.

Decimo quarto, bella inter reges Aquilonis et **Decimo quarto**. Austri, quæ vidi Daniel cap. XI, notant bella in-fidelium contra fideles, et Antichristi contra Chri-stum : bellant enim fideles, non occidendo, sed moriendo fortiter pro Deo et Christo. Unde ait vers. 31, quod ad breve tempus auferetur ab An-tichristo juge sacrificium, et dabatur abominatio in desolationem. Et docti in populo docebunt plurimos, et ruent in gladio et in flamma, et in captivitate et in ruina dierum, ut conflentur, et

eligantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum, scilicet usque ad tres annos cum dimidio: quibus exactis, Christus Antichristum cum suis asseclis profligabit in Apadno, et nemo auxiliabit ei.

Decimo
quinto.

Decimo quinto, Daniel cap. XII, vaticinatur quod per Christum omnes de his qui in pulvere terræ dormiunt evigilabunt, alii ad vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Decimo
sexto.

Decimo sexto, Daniel cap. XIII, judicans damnansque senes, ac Susannam a calunia absolvens, typum gerit Christi judicis, qui in die judicii justos cœlo, injustos gehennæ adjudicabit.

Decimo
septimo.

Decimo septimo, Daniel cap. XIV, destruens Bel et draconem occidens, typus est Christi, qui idola in toto mundo confregit, et diabolo vires ademit, eumque enervavit, et quasi occidit.

Danielis
assecla
Daniel
Stylita.

Tropologice, Daniel repræsentat continentes; sapientes, præpositos, Religiosos, Prophetas, contemplativos; hi enim ejus asseclæ sunt, posteri et quasi filii. Quocirca Danielis, tam in abstinentia, sanctitate, miraculis et spiritu propheticō, quam in nomine et gloria, successor et hæres fuit Daniel Stylita, qui Simeoni Magno Stylitæ quasi suppar successit. Natus est enim juxta Tigrim in Mesopotomia, non longe a Babylone in qua vitam egit et prophetavit, traductus eo ex Judæa, Daniel hic noster propheta: cumque quinquennis necdum haberet nomen, vir quidam divinus dixit, illi a Deo imponendum esse nomen. Jussus ergo ipse ita puer, ex libris qui multi erant super altare, unum afferre; Dei ductu attulit prophetam Danielis, indeque pariter Daniel nominatus est: ac deinde instar Elisæi, qui pallium Eliæ adeptus, cum eo pariter et duplicum Eliæ spiritum hæreditavit, dum a Simeone Stylita paulo ante mortem ejus cucullum, per Sergium discipulum ad Leonem imperatorem missum, sed ab illo non acceptum, accepisset eodem die, quo Simeon mortuus est; factus est spiritus ejus, et virtutis in miraculorum editione hæres: ac columnam concendit, jugiter in ea quasi in cruce stans, uti fecerat Simeon, idque fecit ex Dei vocatione, quam per somnium (uti Daniel hic per somnia prophetavit) intellexit. In extasi enim vidit excelsam columnam nubis, et in capite columnæ stantem Simeonem Stylitem, sibique dicentem: Huc ad me ascende, Daniel. Cumque ille tam alte concendere se posse diffideret, a duobus adolescentibus fulgidis sublatus, eo ascendit: quem Simeon amplexus, et in cœlum tollens, clamavit: Esto fortis, Daniel, te strenuum ac robustum præbe, et sta pulchre et generose. Hac visione roboratus concendit columnam anno Christi 460, ibique incendium urbis Constantinopolitanæ, quod contigit anno Christi 465, prædictum, illudque suis precibus restinxit.

Porro regibus, æque ac Daniel, ob prophetiam et miracula erat formidabilis: nam Leonem imperatorem a periculo mortis in equi ruina, dum se visitaret, liberavit: serpentem horridum enecavit et disrupt, æque ac Daniel draconem cap. XIV, Zenoni imperatori prædictum fore, ut instar Nabuchodonosoris ex imperio expelleretur, et in exsilio aleretur, præque cibi inopia herbis vesceretur, ac postea ab iis qui ipsum oderant revocaretur, et ad imperium reverteretur, in eoque vitæ finem acciperet. Quæ omnia ita ut prædictum evenerunt. Basiliscum imperatorem hæreticum ad pedes suos procumbentem, sed fictile, increpavit, vocans eum novum Diocletianum, eumque imperio privandum prædictum. Obiit octogenarius, cum stetisset in columna viginti novem annos, anno Domini 489, coram multis, e cœlo visitantibus eum, Sanctis et Angelis. Cyrus præfectus, cuius uxorem et filiam a dæmone liberarat, hoc columnæ ejus epigramma insculpsit: « Hic stat vir, qui ventos quibus undique impetratur, non timet: ambrosiae autem utitur alimento, et sitis est expers humanæ. Altis vero radicibus fundavit ædificium, columna dupli. Est enim radix Simeon, Filium prædicans matris corruptionis expertis. » Simeonis meminit, quia ejus imitator, et quasi discipulus et successor fuit Daniel. Uterque ergo orbis fuit miraculum et portentum. Quocirca Danielis Stylitæ sanctitate et miraculis, Lazorum rex ab idolatria ad christianismum est conversus, uti docet Baronius anno Christi 522. Fuit enim ipse plane instar nostri Danielis thaumaturgus, potensque tam opere, quam oratione et sermone. Quapropter super loculum ejus, dum sepeliretur, tres crucis per stellas efformatae, cum dies esset et sol luceret clarissimus; insuper et columbæ candidissimæ apparuerunt. Rursum, illi quoque impositæ fuerunt reliquiae trium puerorum, qui erant Babylone; cum sic jussisset Sanctus, ne tam illius reliquias, quam eos qui erant ei impositi adorarent accedentes: fugiebat enim omnem humanam gloriam. Hæc et plura habet ejus Vita 11 decembris (1).

(1) Præcipui interpretes Danielis sunt, inter catholicos, S. Hippolytus, S. Ephrem, S. Hieronymus, Theodoreus, et ex recentioribus, præter Cornelium, Gaspardus Sanctius, Pererius, Hector Pintus, Celada, Jacobus Veldius, Dereserus, etc.; ex acatholicis, omnes quos ut authenticitatis sive impugnatores sive propugnatores supra indicavimus, quibus addere licet Christ. Bened. Michaelis *Annotationes philologico-exegeticas in Danielem*; Hermanni Venema *Dissertationes ad vaticinia Danielis emblematica*, etc.; Augusti Varenii *Collegium canonicum quatuor novissimorum veteris Testamenti prophetarum, Danielis, Aggæi, Zachariæ, Malachia*, etc. Non sine fructu adhuc legendi erunt Rabbinorum Commentaria, v. g. Saadiæ Hag-Gaon, Salomonis Jarchi, Aben-Ezra, Isaac Abarbenel, David Jachia, Samuelis filii Judæ, Valerii, ex quibus maximi momenti testimonia ad Messiam spectantia haurire est, et qui omnes authenticitatem Danielis in dubium revocare nunquam tentaverunt.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Daniel puer cum tribus sociis in Babylonem abductus, ibi educatur et eruditur ut regi adstet. Secundo, vers. 8, abstinet regio cibo et potu. Inde, vers. 15, corporis formam, sapientiam et prophetiam a Deo nanciscitur. Denique, vers. 18, regibus adstat usque ad Cyrum (1).

1. Anno tertio regni Joakim regis Juda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Jerusalem, et obsedit eam : 2. et tradidit Dominus in manu ejus Joakim regem Juda, et partem vasorum domus Dei : et asportavit ea in terram Sennaar in domum Dei sui , et vasa intulit in domum thesauri dei sui. 3. Et ait rex Asphenez præposito eunuchorum, ut introduceret de filiis Israel, et de semine regio et tyrannorum, 4. pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, et eruditos omni sapientia , cautos scientia , et doctos disciplina , et qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras, et linguam Chaldæorum. 5. Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, et de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis. 6. Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda , Daniel, Ananias, Misael et Azarias. 7. Et imposuit eis præpositus ennuchorum nomina : Danieli, Baltassar; Ananiæ, Sidrach; Misaeli, Misach; et Azariæ, Abdenago. 8. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus ejus : et rogavit ennuchorum præpositum ne contaminaretur. 9. Dedit autem Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum. 10. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem : Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum et potum: quasi viderit vultus vestros macilentes præ cæteris adolescentibus coævis vestris, condemnabis caput meum regi. 11. Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaelem et Azariam : 12. Tenta nos, obsecro, servos tuos diebus decem , et dentur nobis legumina ad vescendum, et aqua ad bibendum : 13. et contemplare vultus nostros, et vultus puerorum qui vescuntur cibo regio : et sicut videris, facies cum servis tuis. 14. Qui, audit sermone hujuscemodi, tentavit eos diebus decem. 15. Post dies autem decem , apparuerunt vultus eorum meliores et corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. 16. Porro Malasar tollebat cibaria, et vinum potus eorum : dabatque eis legumina. 17. Pueris autem his dedit Deus scientiam et disciplinam in omni libro et sapientia : Danieli autem intelligentiam omnium visionum et somniorum. 18. Completis itaque diebus, post quos dixerat rex ut introducerentur : introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor. 19. Cumque eis locutus fuisse rex, non sunt inventi tales de universis, ut Daniel, Ananias, Misael, et Azarias : et steterunt in conspectu regis. 20. Et omne verbum sapientiae et intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, invenit in eis decuplum , super cunctos ariolos et magos, qui erant in universo regno ejus. 21. Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.

Vers. 1.

1. ANNO TERTIO REGNI JOAKIM. — Dices : *Jerem. xxv, 1* et sequentibus, dicitur id factum anno 4 Joakim, ergo non tertio. Respondeo 1 annum regni Nabuchodonosoris inchoatum fuisse anno 3 Joa-

kim, et finitum anno 4 Joakim. Unde ea quæ gesit Nabuchodonosor anno 1 regni sui, dicuntur gesta esse nunc anno 3 nunc anno 4 Joakim : cœpit enim expeditionem contra Judæos parare anno 3, eamque perfecit anno 4. Nota : Nabuchodonosor ter cepit et vastavit Jerusalem, scilicet primo hoc anno 3 Joakim, cum eum cepit, tuncque pariter captus et abductus est Daniel; sed cum Joa-

(1) Pars historica hujus libri continet historiam Danielis sub rege Nabuchodonosore, i-iv; sub Balthasare, v; sub Dario Medo, vi.

kim Nabuchodonosori se subderet, eique tributum promitteret, ipse eum regno restituit, acceptis obsidibus, scilicet Daniele et aliis e semine regio. Ita Historia Scholastica, cap. **xxxix** in lib. IV *Reg.* Verum cum post 8 annos Joakim tributum abnueret et rebellaret, venit secundo Nabuchodonosor anno 11 regni Joakim, eumque dolo cepit, occidit, et extra urbem insepultum avibus et feris devorandum projici jussit. Hæc est enim sepultura asini, quam ei comminatus fuerat Jeremias cap. **xxii**, 19. Tuncque Nabuchodonosor pro Joakim, regem creavit filium ejus Joachin, sive Jechoniam; sed cum is pariter post tres menses vellet jugum excutere, eum cepit, et abduxit, ejusque loco substituit patrum ejus Sedeciam, qui cum 11 annos regnasset, rebellavit. Unde tunc tertio rediit Nabuchodonosor, anno regni sui 18, et urbem cepit, templum succedit, Sedeciam excæcavit omnesque Judæos abduxit, et totum Judæorum regnum evertit.

Aliter respondet R. Saadias, Lyranus, Dionysius Carthusianus et Maldonatus, scilicet annum hunc 3 computandum esse ab anno 8 Joakim, esseque 11, et ultimum annum regni ejusdem: Joakim enim octo primis annis fuit tributarius Nabuchodonosori, ideoque non tam rex fuit quam vasallus: anno vero 8 rebellavit, et se absolutum regem constituit; inde ergo annos ejus hic numerat Daniel. Favet, quod Ezechiel et Jeremias nusquam captivitatis alicujus sub Joakim, sed tantum sub Joachin sive Jechonia meminerint, indeque suas prophetias numerent et consignent: imo, Jeremias, cap. **lvi**, 28, primos captivos e Judæa in Babylonem traductos asserit anno 7 Nabuchodonosoris, qui coincidit cum anno 11 et ultimo Joakim. Ergo Nabuchodonosor nullos abduxit anno primo regni sui, qui fuit 3 vel 4 Joakim, cum ei ipse esset tributarius. Hæc sententia videtur probabilis; tamen communiter Eusebius et alii veteres primam captivitatem consignant anno 1 Nabuchodonosoris, qui fuit 3 Joakim; hoc enim simpliciter verba Danielis hic significant: unde tunc aliqua videtur fuisse captivitas, sed paucorum, scilicet, quod Daniel et pauci alii tunc fuerint abducti.

Vers. 2. 2. IN TERRAM SENNAAR, — in Babyloniam. Vide dicta Genes. **xi**, 2.

Vers. 3. 3. ET AIT REX ASPHENEZ PRÆPOSITO EUNUCHORUM. — Hinc Josephus, Origenes, hom. 4 super *Ezech.*, Zonaras, tom. I *Annalium*, et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.*, putant Danielem et tres ejus so-

An Da-
niel fue-
rit eunu-
chos? cios fuisse castratos, et factos eunuchos. Hoc enim comminatus erat Deus Ezechiae, *Isaiæ xxxix*, 7: « De filiis tuis, inquit, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. » Prisci enim reges gentiles principum filios adsciscabant sibi administratos, eosque intimos; utque suarum uxorum et concubinarum integritati prospicerent, ne quid circa eas molirentur, illos castrabant, ut etiamnum faciunt reges

Sinarum, Turcarum et aliorum infidelium. Quocirca illorum præfectus vocabatur præfectus eunuchorum. Eunuchi ergo erant regibus familiares, et principes non tantum gynæcei, sed et aulæ, ac præsides provinciarum, ducesque exercituum apud Gentiles; quin et apud Constantium, Justinianum (cujus exercitus dux fuit Narses eunuchus tot victoriis celebris) aliosque nonnullos christianos imperatores. Quapropter tunc esse eunuchum non erat probrum, sed honor et decus, gradusque ad primas aulæ dignitates. Tales itaque videntur fuisse Daniel et tres ejus socii: unde de eorum uxoribus et filiis nihil uspiam legimus. Atque hæc fuit origo plenæ eorum castitatis, tam corporis quam animi, ob quam in fornace Babylonia ab igne manserunt illæsi, uti dicam cap. **iii**. Hac etiam de causa Daniel, licet fuerit grandævus, passim tamen in vetustissimis imaginibus, qualis est illa Vaticani, quam initio libri expressi, pingitur imberbis quasi juvenis: tales enim sunt eunuchi. Hanc picturæ ejus causam assignat vetustus Græcus anonymous auctor libri qui inscribitur: *Christianorum liber, expositio Octateuchi*, qui exstat in Bibliotheca Vaticana citaturque a Photio in *Bibliotheca*, qui asserit eum scriptum sub Justino imperatore.

Porro ex hac eunuchorum in aulis frequentia et potentia factum est postmodum, ut quilibet aulici vocarentur eunuchi. Atque ita Lyranus, Maldonatus et alii putant Danielem hic inter eunuchos, id est aulicos, collocari; non autem vere fuisse eunuchum, id est castratum. Idem asserunt S. Epiphanius et Dorotheus in *Vita Danielis*, qui et addunt eum non fuisse eunuchum, sed talem existimat ob virginalem verecundiam et castioniam: unde non mirum eum pingi imberbem quasi eunuchum. Hæc sententia verior videtur, et Daniele propheta dignior; eunuchi enim apud Judæos erant infames, et arcebantur Ecclesia, idque ex decreto Dei, *Deuter. xxiii*, 1. Quocirca Scriptura nusquam Danielem vocat eunuchum, nec eum gynæco præfuisse, sed tantum regie educatum fuisse ad hoc ut regi assisteret, asseverat. Idipsum quoque magis commendat castitatem Danielis, ulti que non coacta fuerit, et violenta, sed voluntaria plane, et ex electione libera.

DE SEMINE REGIO. — Hinc patet Danielem et tres pueros ex Davide, Salomone aliisque regibus Juda esse progaños. Josephus asserit Danielem fuisse ex cognitione Sedeciae. Perperam ergo Dionysius Carthusianus asserit Danielem ex paterno genere fuisse tribus Levi, ex materno tribus Juda: Scriptura enim paternum genus consignare solet, non maternum. Cum ergo hic Danielis genus referat ad reges Juda, sequitur hoc ejus genus paternum fuisse.

ET TYRANNORUM. — Tyranni hic et alibi vocantur principes: hi enim non a tyrannide, sed a fortitudine et potentia olim vocabantur tyranni. Nam, ut ait Trogus Pompeius apud Justinum, ini-

Tyranni
vocaban-
tur prin-
cipes a
fortitu-
dine.

tio *Historiæ*, primitus quæque civitas et gens, rerum publicarum imperium penes reges habebat, quos ad hujusmodi fastigium majestatis non ambitionis popularis, sed spectata inter bonos moderatione provehebat; qui et tyranni ob fortitudinem dicebantur: unde Virgilius, VII *Eneid.*:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyrannis.

Et Horatius, lib. III, *ode xvii*: « Late tyrannus, » id est late dominans, latum habens regnum. At postea « tyranni nomen, crescente malitia, cum superbe reges regnare coepissent, ad illos tantum translatum est, qui non jure et æquis legibus, sed vi, et quadam animi libidine dominabantur, » ait Cicero, lib. IV *De Finib.* Id ita patet ex Hebræo, vel potius Chaldæo פָּרְתָּמִים parthemim, quod principes, praefectos, provinciales significat. R. Joseph, et ex eis Pagninus et alii censem eos parthemim a Chaldæis vocatos esse a פָּרָת perat, id est Euphrate, quasi Perathæos, id est Euphratæos, hoc est qui præerant locis et provinciis Euphrati adjacentibus, quomodo nos vocamus Comites Palatinos Rheni. Quocirca Theodotion in sua versione græca retinuit nomen Hebræum Parthemim, vertens Phorthommin. Audi S. Hieronymum: « Pro φορθομμῖν, quod Theodotion posuit, Septuaginta et Aquila Electos transtulerunt, Symmachus Parthos, pro verbo nomen gentis intelligens: quod nos juxta editionem Hebræorum quæ κατ' ἀκριβειαν legitur (sic alibi scribit solitam fuisse appellari ab Hebræis secundam Aquilæ editionem), in Tyrannos vertimus. » Hallucinatur Theodoretus dum πορθοῦν putat esse ταρθένους, id est virgines.

Vers. 4. Pueri eruditæ, qui? Respondeo primo.

4. PUEROS, etc., ERUDITOS OMNI SAPIENTIA. — Pro eruditos hebraice est מַשְׁכִּילִים maskilim, quod H. Pintus vertit, erudibiles: erant enim adhuc pueri, ideoque imperiti, sed sapientiae capaces. Sic et Vatablus. Erant, inquit, hi pueri perspicacis et sagacis ingenii. Sic et Noster Pineda, *De Rebus Salomon.* lib. III, cap. XIII, ubi dupliciter hunc locum explicat: primo, per antepositionem: *Et eruditos omni sapientia, etc., ut docerent eos litteras, et linguam Chaldaeorum,* hoc est, inquit, ut docerent eos litteras Chaldaeorum, ut sic evaderent eruditæ omni sapientia. Secundo, q. d. Requirebat rex in hisce pueris præviam sagacitatem et perspicacitatem ingenii; tum etiam facundiæ, et scientiarum rationalium eruditionem, ut sic aptiores essent ad suprema aliarum rerum sublimium et arcanarum studia, propria Chaldæis. Chaldæi enim ab astrolægia et sapientia olim erant celebres.

Secundo. Secundo, « eruditos, » id est facundos et scite loquentes, ac de qualibet materia apposite discurrentes: hæc enim fere est sapientia aulicorum.

Tertio et optimæ. Tertio et magis genuine, idem Pintus, Maldonatus et alii censem hos pueros in omnibus disciplinis fuisse excultos et eruditos. Hoc enim propriæ significat Hebræum maskilim, et Græcum συνίεντας, et Latinum « eruditos omni sapientia, cautos scientia, et doctos disciplina. » Aliud enim est

doctus, aliud docilis: aliud est eruditus, aliud erudibilis. Nec id mirum: erant enim hi regii juvenes excellenti ingenio, ac simul studiosissimi. Hinc patet hosce pueros non fuisse pusiones, uti Danielem vocant Epiphanius et Isidorus, neque Danielem trium, ut vult vir doctus; aut decem, ut vult Pererius; sed facile viginti annorum fuisse, ut docet Maldonatus. Unde Septuaginta eos vocant νεανίσκους, id est juvenes. Quis enim unquam vidit pueros triennes aut decennes, eruditos omni sapientia, scientia et disciplina?

CAUTOS SCIENTIA. — Pintus per sapientiam intellegit philosophiam rationalem, id est grammaticam, rhetorica, dialecticam: per scientiam accipit physicam, metaphysicam, mathematicam: per disciplinam accipit ethicam, politicam, œconomiam. Verum melius per sapientiam, cognitionem rerum sublimium et divinarum (sic enim sacra Scriptura, S. Augustinus et passim Doctores accipere solent nomen sapientiae) accipias; per scientiam, cognitionem rerum naturalium; per disciplinam, prudentiam. Unde ex Hebreo clare vertunt Septuaginta, συνίεντας ἐν πάσῃ σοφίᾳ, καὶ γνῶσοντας γνῶσιν, καὶ διανοουμένους φρόνσιν, hoc est, intelligentes sapientiam, scientes scientiam, cognoscentes prudentiam. Pro cautos enim hebraice est יְיָ יוֹדֵעַ, id est scientes. Cauti ergo idem est quod solertes et sagaces in scrutandis abditis naturæ secretis et rerum causis, quales sunt physici et philosophi. Porro disciplina in Proverbiis et libris sapientialibus, qui continent ethicam sacram, passim significat prudentiam rerum agendarum, quæ proprie hebraice vocatur בִּנָה bina, quod Noster vers. 20 et alibi subinde vertit, intellectus. Fuerunt ergo hi pueri, id est adolescentes, theologi, philosophi et politici. Noster Pineda, lib. III *De Rebus Salom.* cap. XIV, τὸ cautos scientia, pro cauta et captiosa dialectica positum putat, de qua Seneca, epist. 82: « Verba, inquit, mihi captiosa componis, et interrogatiunculas nectis: subula leonem excipis. »

Discant hic nostri aulici a rege gentili, hisce omnibus disciplinis se expolire. Vera enim nobilitas non in genere, non in famulis, non in torquibus, non in pompa, sed in eruditione et virtute consistit, hæcque sunt monilia et decora nobilium.

Vera nobilitas est virtus et eruditio.

Hinc Philippus Macedo, pater Alexandri Magni, Exempla et gnomæ. eum Aristoteli erudiendum tradidit, eique in haec verba scripsit: « Gratias ago diis, non quia natus est mihi filius, sed quia temporibus vitæ tuæ natus est. Spero enim fore, ut a te edoctus dignus existat et nobis, et tanto regno. »

Plutarchi discipulus fuit Trajanus, indeque tantus imperator evasit, ut posteris imperatoribus in exemplum cum Augusto sit propositus, quibus illud acclamari solet: Sit Augusto felicior, Trajano melior.

Scipio Panætium philosophum ita audiebat, ut eum etiam secum ad castra duceret.

Augustus Cæsar Athenodoro magistro usus est:

suosque ex filia nepotes tam litterariis quam belli-
cis studiis excoli curavit, filias vero lanificio cæ-
terisque muliebribus artibus erudiri jussit. Idem
fecit Carolus Magnus.

Plato dicebat beatum fore orbem, si aut reges
sapere, aut sapientes regere didicerint : testis est
Aristoteles lib. II *Rhetor*. Hinc olim apud Aegyp-
tios nullus rex nisi sacerdos; nullus sacerdos nisi
philosophus eligebatur.

Neque vero scientia principum tantum, sed et
quorumlibet est decus. Aristoteles censuit paren-
tes, qui liberos erudiendos curant, longe magis
honorabiles esse iis qui solum dignunt: hos enim
vivendi, illos etiam bene beateque vivendi auc-
tores esse.

Aristippus naufragio in Rhodum ejectus, et ab
incolis ob geometriam liberaliter habitus, suis
renuntiari jussit : Liberis vestris tales opes talia-
que viatica parate, quæ ipsos etiam naufragium
passos enatando sequantur.

S. Augustinus in *Confess.* laudat suos parentes,
quod se supra vires rei familiaris Carthagine in
studiis aluerint : Mater enim mea, inquit, mulier
prudentissima doctrinas ipsas ad cognoscendam
sustinendamque fidem catholicam magno adju-
mento fore existimabat.

Crates Thebanus dicebat : Si liceret, in altissi-
mam urbis partem ascenderem, ac clamarem :
Quorsum ruitis, homines, qui totum studium in
opibus corrogandis ponitis : filiorum vero vescio-
rum, quibus illas relinquitis, erudiendorum cu-
ram non suscipitis ?

Apuleius de Deo Socratis : Si, inquit, laudas ali-
quem, quia generosus est, parentes ejus laudas :
si laudas aliquem, quia dives est, hoc fortunæ
debetur : si quia validus, ægritudine fatigabitur :
si quia velox, in senio id abibit : si quia formo-
sus, exspecta modicum, et non erit; sed si laudas,
quia bonis moribus et artibus instructus est, tunc
ipsum virum laudas : quia hoc bonum nec a pa-
tre hæreditarium, nec a casu pendulum, nec ætate
mutabile, nec cum corpore caducum est.

Vers. 7. 7. ET IMPOSUIT EIS PRÆPOSITUS EUNUCHORUM NO-
MINA — Chaldaica; tum quia Chaldæi nolebant
eos in terra sua nomina retinere Judeorum; sed
quasi jam effectos Babylonis cives et aulicos re-
gis, volebant eos Babylonia habere nomina, in-
quit S. Hieronymus, tum ut Hebræi pueri cum
Chaldaico nomine Chaldaicum animum et mores
induerent. Sic et Pharao Josephum vocavit Aegy-
ptio nomine *saphanat phane*, id est salvatorem
mundi, Genes. cap. XLI, 45. Sic et Romani nomen
mutabant externo quem urbe donabant. Sic Deus
Saræ et Abrahæ, atque Christus Cephæ nomen
mutavit, vocans eum Petrum. Unde et Cardinales
facti Pontifices nomen mutant. Tradit Platina
primum Pontificem qui nomen mutavit, fuisse
Sergium II eo quod prius ejus nomen inde-
corum esset, vocareturque *Os porci*. Verius cen-
set Baronius Pontificem primum, qui nomen

mutavit, fuisse Sergium III, qui prius Petrus di-
cebatur : idque ad reverentiam primi Pontificis,
scilicet S. Petri : unde post eum nullus Pontifex
vocatus est Petrus. Ita Gentiles adulti in baptismo
gentilitium nomen deponunt, et christianum as-
sumunt, puta sancti alicujus, quem invocent et
imitentur.

Qua de causa Daniel Stylita nostri Danielis no-
men accepit, uti dixi in Procœmio : et quinque
illi martyres Aegyptii sub Diocletiano, quorum
agon et triumphus celebrantur in Vita S. Pamphi-
lli martyris, quæ exstat apud Eusebium libro VIII
historiæ, cap. XXI, qui a gentilismo conversi ad
christianismum, abdicatis prioribus gentilitiis no-
minibus, nostrorum Prophetarum nomina as-
sumperunt, vocative sunt Isaias, Jeremias, Sa-
muel, Elias, Daniel; ac simul cœlestem eorum
mentem, vitam et mortem induerunt. Quocirca
Cæsareæ capti professique se christianos, rogati
quænam eorum esset patria, respondit primus
pro omnibus : « Jerusalem cœlestis : » illam in-
telligenſ de qua dixit Paulus Galat. IV, 26 : « Quæ
sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater
nostra. » Et : « Accessistis ad Sion montem et ci-
vitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem. » In-
stante præside Firmiliano : Quæ et ubinam est illa
civitas ? respondit : « Ea christianorum est patria :
nulli enim alii præter ipsos ejus sunt participes.
Sita est autem ad Orientem, et ad ipsam lucem et
solem. » Cumque præses aliam vocem ab eo ex-
torquere non posset tormentis acerrimis, utpote
quæ martyr fortiter sustinebat quasi nihil sentiens,
imo quasi carnis expers et incorporeus; eum cum
sociis securi percussum, in cœlestem illam Jeru-
salem laureatum ad Danielem cæterosque pro-
phetas transmisit. Horum diem natalem recolit
Ecclesia 16 februarii. Ita, ut alios faceam, nostri
Danielis nomen accepit B. Daniel Ordinis S. Fran-
cisci, minister provinciæ Calabriæ, vir miræ sancti-
tatis, imo martyr, qui cum sex Fratribus sui Or-
dinis, ad Saracenos Septam profectus Evangelii
et martyrii causa, ab eis comprehensus ad mor-
tem damnatus, fratres suos ad martyrium exhor-
tans, aiebat : « Gaudeamus omnes in Domino
diem festum celebrantes. Adsunt enim angeli;
coeli janua nobis patet : et hoc ipso die pariter
accipiemus martyrii coronam in cœlesti paradiso. »
Et ad judicem conversus instar nostri Danielis :
« O inveterate ! ait, dierum malorum, convertere
a Mahomete ad Christum. » Quocirca cum sociis
capite plexus, gloriosum obiit martyrium anno
Domini 1221, die 8 octobris, quinquennio ante-
quam e vita decederet S. Franciscus, quem cum
sociis canonizavit Leo X, anno Christi 1519. Ita
habet ejus Vita.

DANIELI BALTASSAR. A filio Nabuchodonosoris
Balsasar, Daniel dictus videtur Baltassar, quasi
dicas, Baal vel Beli occultus thesaurus, puta Beli
sapiencia. Ita Maldonatus. Ubi nota : Daniel non
omnino idem nomen habuit quod filius regis :

Daniel
dicitur
Baltas-
sar : u-
do?

hic enim dictus est *Balsasar*, ut patet ex Chaldaeo et Latinis Plantinianis (quare mirum est Septuaginta et Romana Latina eum vocare *Baltassar*); Daniel vero dictus est *Baltassar*, vel, ut chaldaice est, *Beltetasar*, addita littera *tet*; de qua re plura cap. iv, 5. Syriaca versio habet, *Biltsciossor*, id est idolum Bil sive Bel.

ANANIAS SIDRACH. — Hebraice *Ananias*, idem est quod nubes, vel protectio Domini; *Misael*, quis postulans, vel quis postulatus, vel abstulit Deus; *Azarias*, adjutor Deus. Chaldaice *Sidrach*, idem est quod mamilla tenera, vel deprædatio delicata, vel missus tuus; *Misach*, prolongans vel attrahens, vel aquas vallans et sepiens; *Abdenago*, servus claritatis, vel servus anxius. Magis apposite et genuine Scholia Syriaca, quæ Romæ exstant in Bibliotheca Vaticana et Medicea, hæc nomina ex lingua Syrochaldaica sic explicant: *Sidrach*, id est missilis, quia huc illuc ad negotia mittebatur. *Misach*, id est mensor terræ, vel agri. *Abdenago*, id est servus qui ingreditur et egreditur coram rege, id est cubicularius et intimus regi. Aut, ut alii explicant, præpositus modo coquendi, vel ciborum præcipuorum regis. Unde quis colligat hæc tria officia in aula regis eis data vel destinata, ac inter eos distributa, atque ex eo officio cuique nomen inditum fuisse.

Vers. 8. **8. PROPOSUIT (cavere) NE POLLUERETUR DE MENSA REGIS.** — Tum quia rex ethnicus carnem porcinam, et alia lege Mosis vetita comedebat, quæ Daniel et Judæos polluissent; tum quia deliciæ regiæ, et copia ciborum et vinorum, ad intemperantiam et gulam ac venerem alliciunt, per eamque mentem et corpus polluunt; tum quia Judæi religiosores mensas Gentilium vitabant; tum denique, quod sæpe cibi hi regii Belo, et aliis ejus idolis jam ante erant oblati, aut eorum nomine benedicti: quod Judæi exsecrabantur. Blasphemat ergo hic Calvinus, dum ridet Danielis abstinentiam, ejusque metum pollutionis, quasi puerilem, illamque ejus superstitioni et zelo indiscreto ascribit.

Vers. 10. **10. CONDEMNABITIS CAPUT MEUM REGI.** — Vestra petitio, abstinentia et macies occasio erit, ut rex meum caput petat, condemnnet et amputet, eo quod contra ejus jussum vos abstinere et macrescere permiserim. Unde Scholiastes Græcus τὸ condementis explicat per *condemnari faciatis*.

Vers. 12. **12. DENTUR NOBIS LEGUMINA AD VESCENDUM, ET AQUA AD BIBENDUM.** — Duas ob causas legumina et aquam petunt. *Primo*, ne Malasar impensas in novis cibis coemendis faciendas prætendere possit. *Secundo*, ob religionem jejunii, quo veteres sancti carne et vino abstinebant, atque leguminibus et oleo utebantur, ut patet cap. x, 3. Daniel hic suam in Deum fiduciam ostendit: sciebat enim naturaliter fieri non posse, ut ex leguminibus et aqua æque ac ex carnibus et vino pinguescerent.

Vers. 14. **14. TENTAVIT.** — Scholiastes, ἐδοκίμασεν, id est probavit. Sic et vers. 12, pro tenta vertit, δοκίμασον,

id est proba. Tentatio enim hæc fuit probatio, sive experimentum.

15. APPARUERUNT VULTUS EORUM MELIORES ET COR- PULENTIORES. — Hebraice בִּירָא' berie, id est pinguiores; Septuaginta, ἰχυροὶ ταῦ; σπεξῖν, id est fortis carnibus. Quare, quod Epiphanius in *Vita Danielis*, ait, eum aspectu fuisse aridissimum, ac nativo squalore obsitum, sed gratiæ pulchritudine per quam speciosum, hoc de ætate ejus grandiori accipi debet, cum ipse jejuniis et laboribus nimiis succum corporis exhausit, ut patet *Daniel*. ix, 3, et cap. x, 3. Hæc sanitas, pinguedo et decor non tam naturalis, quam supernaturalis fuit, tum quia legumina et aqua saniores quidem facere poterant, sed non pinguiores; tum quia fuit hoc præmium abstinentiæ, cuius, uti et castitatis, merito divinitus sapientiam tantam sunt adepti, uti ejusdem merito Judith cap. x, 4, formositatem, et Samson fortitudinem est adeptus, *Judic.* xiii, 5. Naturaliter tamen hoc quoque juvit abstinentia. Unde nota, sanitatem et longævitatem non tam ciborum copia; quam temperantia procurari. Ille enim fovet et nutrit humidum radicale, æque ac calorem naturalem, quem intemperantia obruit et suffocat: præsertim, si accedat primo, moderatum exercitium. Hinc « Cyrus nunquam prandebat, nisi sudasset, » ait Xenophon. Idem faciunt nonnulli Indorum reguli, qui proinde ita vegeti et integri ad multam æstatem perdurant, ut cum sunt 70 annorum, tantum videantur esse 30. Secundo, animi tranquillitas et curarum vacuitas. Tertio, mentis lætitia et hilaritas. Audi Scholam Salernitanam:

Si tibi defuerint medici, medici tibi siant
Mens hilaris, requies (*somnus*) facilis, moderata diæta.

Vide Lessium in erudito, æque ac pio, hac de re libello.

Nota secundo: Temperantia et abstinentia plurimum prodest. Primo, sanitati: consumit enim noxios humores, spiritusque vitales purificat et exacuit. Secundo, castitati et virtuti: subtrahit enim nimium sanguinem, succum et spiritus, qui venerem, iram aliasque passiones fovent et suscitant. Tertio, sapientiae. De quo plura vers. 17.

17. PUERIS AUTEM HIS DEDIT DEUS SCIENTIAM, ET DISCIPLINAM IN OMNI LIBRO. — Symmachus vertit: *Dedit eis Deus artem grammaticam*: melius Theodotion: *Dedit eis Deus prudentiam in omni re grammatica*, sive *in omni litteratura*, ut scilicet litteras et libros (hi enim hebraice vocantur סֵפֶר sepher, et Græce γράμματα), non tantum Hebræos, sed et Chaldaeos, et quosvis alios legere, intelligere et explicare possent.

Nota: Sobrietas naturaliter confert ad scientiam, tum quia sanitatem tuetur, et vitam prolongat; tum quia caput facit serenum, spiritusque animales facit liberos ac puros, aptosque ad speculum et meditandum; tum quia anima (quæ una est in homine, eademque simul est vegeta-

Sobrietas est longæ-
va, cur?

Vers. 17.

Sobrietas est mater sapientiae
ob tres causas.
Prima.
Secunda.
Tertia.

tiva, sensitiva et rationalis) limitatae est virtutis et activitatis, ideoque quo minus occupatur cibo, cibique concoctione, digestione et egestione, eo magis intendere potest et solet studio et contemplationi, in eamque totam vim suam exerere. Hinc Salomon, *Eccles. II, 3* : « Cogitavi, inquit, in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam; » et Isaias cap. *xxviii* : « Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. »

Exemplum fidelium. Primum. Ita homines ante diluvium carne et vino abstinentes, herbisque et fructibus victitantes, fuerunt longævi et sapientes; vixerunt enim ad 900 annos.

Secundum. Ita Nazaræi et Rechabitæ, a sapientia, æque ac abstinentia, commendantur.

Tertium. Ita Moses et Elias jejunio 40 dierum sapientiam et visionem Dei meruerunt.

Quartum. Ita Judith, Esther, Machabæi sapientiam illam et fortitudinem, qua Holofernem, Aman et Antiochum prostraverunt, jejunio adepti sunt.

Quintum. Ita Joannes Baptista abstinentia quasi Angelus evasit.

Sextum. Ita Paulus primus eremita, Antonius, Hilarion, et tot anachoretarum ac monachorum examina, vitam, quasi angeli quidam terrestres, in abstinentia, contemplatione et sapientia longævam duxerunt, vixeruntque centum et amplius annos.

Septimum. Ita cœnobitæ olim, teste S. Hieronymo, perpetuo jejunabant, aquam bibentes, et solum panem cum leguminibus et oleribus manducantes.

Octavum. Egregie S. Augustinus, lib. X *Confess. cap. xxxi*: « Hoc, ait, me docuisti, Domine, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. »

Nonum. S. Ambrosius Marcellinæ sorori; et sociabus ejus virginibus hanc legem figit, lib. III *De Virgin.* : « Potus (sit) ex fonte, fletus in prece, somnus in codice. »

Decimum. S. Bernardus, in serm. 66 *in Cant.* : « Abstineo, ait, a vino, quia in vino luxuria est: aut si infirmus sum, modico utor, juxta consilium Pauli. Abstineo a carnibus, ne, dum nimis nutriunt carnem, simul et carnis nutrient vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre, stare ad orandum tædeat; et ne impropere etiam mihi Propheta, quia panem meum comedelerim in saturitate; sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distensione ventris usque ad titillationem pertingat libidinis. »

Idem ad Robertum nepotem: « Prudenter sobrieque conversanti satis ad omne condimentum sal cum fame. »

Idem in *Formula honest. vitæ* : « Sicut ad cruncem, sic accedas ad cibum; id est, nunquam voluptate, sed necessitate pascaris; et fames, non sapor, provocet appetitum. »

Idem *De Modo bene vivendi*, cap. *xxiv* : « Non

nutrias carnem tuam vermis; ita manduca, ut semper esurias. »

S. Catharina Senensis ad alimentum quasi ad tormentum accedebat, ac vocata ad mensam dicebat: « Eamus et sumamus de peccatrice vindictam; » cum ingenti enim dolore cibum sumebat, quem mox cogebatur rejicere.

Duodecimum. S. Carolus Borromæus dicebat, non tantum fugiendas esse delicias et voluptates, sed et persequendas et enecandas quasi capitales animæ hostes. Quocirca ipse miræ fuit abstinentiæ, ut tandem solo pane et aqua viveret. Sensim enim a parvis ad magna condescendo pervenit; docebatque hac ratione facile ad summa cujusvis virtutis pertingi, nimirum practicando hæc duo principia: *primum*, ut a parvis incipiendo, eaque sensim augendo semper proficias et crescas; *secundum*, ut in eo non languescas, sed constanter refineas quod semel obtinuisti, et in eo pergas. Ita ipse, *primo* carne, *deinde* ovis, *postea* lacte abstinenſ, tandem solo pane et aqua contentus fuit. Idem fecit in aliis virtutibus.

Denique Sanctus ille apud Socratem, lib. IV *Histor. cap. xviii* : « Aridior, inquit, tenuiorque victus ratio, eaque semper æquabiliter observata, modo cum charitate jungatur, christianos brevi ad portum ἀπαθεῖς, id est vacuitatis ab omnibus animi perturbationibus, perducet. » Addit S. Hieronymus scribens contra Jovinianum ob jejunii consortium Mosen et Eliam apparuisse cum Christo in monte transfigurato, et ob jejunium tres pueros in fornace Babylonia mansisse illæsos, et Danieli fuisse revelata mysteria, eumque in lacu leonum mansisse intactum.

Audi et Gentiles ac Judeos. Tradit Xenophon, Exempla Gentiliū. Primum. antiquos Persas ad panem nihil nisi nasturtium adhibere solitos: hinc apud eos turpe habitum spuere, tanquam crapulæ nota. Mucus siquidem et saliva repletionis indices sunt et signa: repletio enim est, quæ distillationes parit, ait Hippocrates lib. III *De Diæta*. Quocirca Persæ sputi materiam exercitio, et abstinenti frugalique vita consumi volebant. Hinc et Plato, lib. III *De Republica* docet tempore Homeri catharrum non fuisse cognitum, sed primo ætate sua innotuisse, cum non semel, ut olim, sed bis in die comedere, imo comessari cœperunt homines. Porro tunc Persæ ita frugales sapientia et virtute bellica floruere, orbisque imperium tenuerunt per ducentos annos, scilicet a Cyro ad Darium, qui per delicias et vina imperium cum vita perdidit. Exstat apud Xenophontem, lib. I *aurea Cyri sententia*. Cum enim Astyages rex Medorum, Cyro nepoti ex filia Mandane, lautum regiumque epulum instruens, diceret: « Nonne hæc cena melior tibi videtur Persica? » respondit Cyrus: « Nequam, ave, sed est multo simplicior et directior via apud nos ad cibi satietatem, quam apud vos. Nam ad hanc deducit nos panis et caro. At vos eodem quidem, quo nos, tenditis; per multas

Secundum. vero ambages sursum deorsum vagantes, vix pervenitis eo, quo nos dudum perrexeramus. » Chærederemus Stoicus tradit, et ex eo Pererius, priscos Ægyptios sacerdotes carne, vino, ovis et lacte semper abstinuisse : idque ut purius, intenius et acrius divinis rebus vacarent, ardoremque libidinis restinguerent : atque hi Ægypti fuerunt sapientes et astrologi.

Tertium. Esseni vino et carne sibi interdicebant, totique orationi et studio sacrarum Litterarum vacabant, de quibus mira narrant Josephus, Philo et Plinius : quinimo Porphyrius, in lib. *De Abstinentia ab esu animalium*, asserit plerosque ex eis di-vino afflatos spiritu vates exstitisse.

Quartum. Eubulus refert, apud Persas tria fuisse Magorum genera, quorum primum (qui maxime sapientes et eloquentes existimabantur) præter farinam et olera nihil esitabat.

Quintum. Bardesanes Babylonius tradit Indorum gymnosopistas solis arborum pomis, oriza et farina vivere.

Sextum. Euripides in *Creta Jovis vates carne et coctis omnibus abstinuit.*

Septimum. Socrates virtutis studiosos hortabatur, ut abstinentiam colerent, et delicias veluti Sirenes respuerent. Idem rogatus qua re ab aliis hominibus differret, ait : « Alii vivunt ut edant; ego vero edo ut vivam. » Ejusdem est hæc sententia apud Xenophontem, lib. I *De Dictis et factis Socratis* : « Videris, o Antiphon ! felicitatem deliciis et divitiis metiri; ego autem nullis quidem rebus indigere, divinum; minimis vero, illorum esse duco, qui quam proximi superis sint : et divina quidem optima omnibus; qui vero diis approxinquant, proximos optimo existere. »

Octavum. Isæus Assyrius, teste Philostrato, interrogatus quænam essent epulæ suavissimæ, respondit : « Ista curare desii. »

Nonum. Xenocrates tria tantum præcepta in templo Eleusinæ mansisse dixit, scilicet, *primo*, venerandos esse deos; *secundo*, honorandos esse parentes; *tertio*, abstinentum esse a carnibus. Huic similis est ternarius Plutarchi, lib. *De Ratione victus* : Tria; ait, sunt saluberrima: *primo*, vesci contra saturitatem; *secundo*, non refugere laborem; *tertio*, naturæ semen conservare: puta sobrietas, exercitium, et castitas. Aureum hoc est tuendæ sanitatis dogma.

Decimum. Plinius ait, « vinum esse cicutam hominis; » et Seneca ait, « ebrietatem esse voluntariam insaniam. »

Undecimum. Epicurus, licet voluptatis patronus, asserit ad jucunde et suaviter vivendum, tenuitatem victus conferre plurimum; et in epistolis suis testatur se aqua tantum et pane vesci solitum.

Duodecimum. Seneca, *epist. 109*, scribit se animalibus et esu carnium abstinere, ob rationes et exemplum Sextii et Pythagoræ. Rationes Sextii erant, *prima*, « quod homini satis alimentorum sit citra sanguinem; et crudelitatis consuetudo fiat, ubi in voluptatem ad-

ducitur laceratio. » *Secunda*, « quod contrahenda sit materia luxuriæ. » *Tertia*, « quod valetudini contraria sint alimenta varia, et nostris aliena corporibus. » *Quarta*, « quod carnes sint alimenta leonum et vulturum. » *Quinta* Pythagoræ erat, quod censeret animas hominum in alia et alia corpora, etiam animalium, transmigrare. « Itaque hominibus parricidii metum fecit, cum possint in parentis animam inscii incurrere, et ferro mortuæ violare, in quo cognatus aliquis spiritus hospitaretur. » Unde Pythagoras de suæ animæ transmigratione ita censuit :

Æthalides fueram qui prisco tempore primum;
Trojano bello postea Panthoides;
Mox Hermotimus; post Pyrrhus; denique magnus
Pythagoras, Samii gloria magna soli.

Pythagoram secutus Empedocles ita de se canit :

Olim namque fui cespesque, puerque, puellaque,
Et volucris cœli, atque alti maris incola piscis.

De abstinentia Pythagoræ, Antisthenis, Diogenis, Apollonii Tyanæi mira habent Laertius, Plutarchus et Philostratus. Plura vide apud S. Hieronymum, lib. II *Contra Jovinian.*, et Plutarchum in duabus orationibus *de Esu carnium*.

DANIELI AUTEM (dedit Deus) INTELLIGENTIAM OMNIUM VISIONUM. — Hinc patet hanc sapientiam Danielis et sociorum ejus, potius supernaturalem quam naturalem fuisse; tum quia Deus dicitur illis eam indidisse quasi speciale præmium temperantiæ; tum quia eis indita fuit scientia in omni libro, id est omni scientia, ut hic dicitur; adeoque cap. II, 30, in Daniele dicitur fuisse sapientia major, quam in ullo mortalium, eamque triennali non tam studio, quam abstinentia, pietate et oratione adeptus est, ut colligitur ex vers. 5; tum quia Danieli a Deo indita fuit prophetia et scientia interpretandi somnia: hæc autem supernaturalis est, neque est habitus permanens, sed illuminatio actu a Deo, certis temporibus quibus Daniel prophetabat, vel somnia explicabat, ei immissa.

Nota : Hoc præmium congruum est; decet enim, teste S. Gregorio, lib. XXX *Moral. xviii*, ut qui carnalia respuant, sapient spiritualia, utque qui jejunant ventre, pascantur in mente. Vis ergo delectationes haurire mentales et cœlestes, despice terrenas et brutales, sentiesque illud S. Bernardi esse verissimum: « Gustato spiritu, desipit omnis caro. » Sic vatem gentilem quasi omniscium et pammantium celebrat gentilis propheta, sed superslitiose :

Trojugena interpres divum, qui numina Phœbi
Qui tripodas, Clari lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, et præpetis omina pennæ.

ET SOMNIORUM, — a Deo immissorum, de somniis et divinatione vide dicta *Genes. xl* et *xli*, et *Pererium hic.*

Danielis sapientia fuit supernaturalis.

Vers. 20. **20. SUPER CUNCTOS ARIOLOS ET MAGOS.** — Quinam hi fuerint dicam cap. II, 2.

Vers. 21. **21. FUIT AUTEM DANIEL USQUE AD ANNUM PRIMUM CYRI REGIS,** — q. d. Fuit Daniel in magna apud omnes reges Babylonis gloria et auctoritate; vixit in aula regis, Nabuchodonosori ejusque posteris, ac Balsasari, charus et familiaris; idque constanter et semper, donec Balsasar a Cyro et regno et vita spoliatus est. « Daniel, inquit S. Hieronymus, usque ad primum annum Cyri, qui Chaldaeorum destruxit imperium, potens fuit in Chaldaea: postea vero a Dario in Medos translatus est. » Ita et Theodoretus. Perperam ergo Calvinus sic exponit: « fuit, » id est prophetavit, Daniel usque ad primum annum Cyri; nam et 3 anno Cyri prophetavit, ut patet cap. x, 1.

Secundo, τὸ usque ad annum primum Cyri, aliud hic latens innuit: nimirum, praedixerat Isaías cap. XLIV, 28, et cap. XLV, 1, Judæos per Cyrum e Babylone liberandos: significat ergo hic Daniel se tempus illud ab Isaia praedictum vidisse, non quod plus non vixerit, sed quod eo usque vixerit, ut toto captivitatis tempore Judæos et auctoritate juvaret, et vaticiniis consolaretur. Ita Maldonatus (1).

(1) Diutius Danielem vitam produxisse, patet inde quod infra cap. x, tertio Cyri anno ei visionem obtigisse legimus. Hic igitur annus hic sumitur ut singulariter celebris per solutionem Babylonicae captivitatis. Alii ut eundem annum ac tertium Cyri, cap. x, 1, accipiunt, eo scilicet sensu, quod Cyrus et Darius Medus junctis copiis una Babylonem expugnarunt, simulque regnarunt, donec tertio elabente anno, Cyrus, mortuo Dario, solus rex evasit.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Nabuchodonosor in somnio statuam portendentem quatuor imperia mundi, quae a lapide de monte absisso, id est a Christo, contrita est. Somnium hoc solus enarrare et explicare potuit Daniel, vers. 19. Unde a rege et Chaldaeis honoratur, totique Babylonie præficitur, vers. 46.

1. In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus ejus, et somnium ejus fugit ab eo. 2. Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, et magi, et malefici, et Chaldae, ut indicarent regi somnia sua: qui cum venissent, steterunt coram rege. 3. Et dixit ad eos rex: Vidi somnium; et mente confusus ignoro quid viderim. 4. Responderuntque Chaldae regi syriace: Rex in sempiternum vive: dic somnium servis tuis, et interpretationem ejus indicabimus. 5. Et respondens rex, ait Chaldaeis: Sermo recessit a me: nisi indicaveritis mihi somnium, et conjecturam ejus, peribitis vos, et domus vestrae publicabuntur. 6. Si autem somnium, et conjecturam ejus narraveritis, præmia, et dona, et honorem multum accipietis a me: somnium igitur, et interpretationem ejus indicate mihi. 7. Responderunt secundo, atque dixerunt: Rex somnium dicat servis suis, et interpretationem illius indicabimus. 8. Respondit rex, et ait: Certe novi quod tempus redimitis, scientes quod recesserit a me sermo. 9. Si ergo somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, et deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod interpretationem quoque ejus veram loquamini. 10. Respondentes ergo Chaldae coram rege, dixerunt: Non est homo super terram qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus et potens verbum hujuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, et mago, et Chaldeo. 11. Sermo enim, quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis: exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio. 12. Quo auditio, rex in furore et in ira magna præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis. 13. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel et socii ejus, ut perirent. 14. Tunc Daniel requisivit de lege atque sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis. 15. Et interrogavit eum, qui a rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli, 16. Daniel ingressus rogavit regem, ut tem-

pus daret sibi ad solutionem indicandam regi. 17. Et ingressus est domum suam, Ananiæque et Misaeli et Azariæ sociis suis indicavit negotium : 18. ut quærerent misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto, et non perirent Daniel et socii ejus cum cæteris sapientibus Babylonis. 19. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est: et benedixit Daniel Deum cœli; 20. et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum a sæculo et usque in sæculum; quia sapientia et fortitudo ejus sunt. 21. Et ipse mutat tempora, et ætates : transfert regna, atque constituit : dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam : 22. Ipse revelat profunda, et abscondita , et novit in tenebris constituta : et lux cum eo est. 23. Tibi, Deus patrum nostrorum, confiteor, teque laudo : quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi : et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. 24. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est : Sapientes Babylonis ne perdas : introduc me in conspectu regis, et solutionem regi narrabo. 25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, et dixit ei : Inveni hominem de filiis transmigrationis Juda, qui solutionem regi annuntiet. 26. Respondit rex, et dixit Danieli, cuius nomen erat Baltassar : Putasne vere potes mihi indicare somnium, quod vidi, et interpretationem ejus ? 27. Et respondens Daniel coram rege, ait : Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, et aruspices nequeunt indicare regi. 28. Sed est Deus in cœlo revelans mysteria, qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. Somnium tuum et visiones capitis tui in cubili tuo hujuscemodi sunt : 29. Tu, rex, cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc : et qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. 30. Mihi quoque non in sapientia , quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est : sed ut interpretatio regi manifesta fieret, et cogitationes mentis tuæ scires. 31. Tu, rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis : statua illa magna , et statura sublimis stabat contra te , et intuitus ejus erat terribilis. 32. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento ; porro venter et femora ex ære ; 33. tibiæ autem ferreae, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. 34. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus : et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos. 35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ , quæ raptæ sunt vento ; nullusque locus inventus est eis : lapis autem , qui percusserat statuam , factus est mons magnus, et implevit universam terram ; 36. hoc est somnium : Interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. 37. Tu rex regum es : et Deus cœli regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi : 38. et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestiæ agri : volucres quoque cœli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit : tu es ergo caput aureum. 39. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum : et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. 40. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. 41. Porro quia vidisti pedum, et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream : regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto. 42. Et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles : ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum. 43. Quod autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. 44. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem, et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. 45. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam , et ferrum, et æs, et argentum, et aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea, et verum

est somnium, et fidelis interpretatio ejus. 46. Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam et Danielem adoravit : et hostias, et incensum præcepit ut sacrificarent ei. 47. Loquens ergo rex, ait Danieli : Vere Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum, et revelans mysteria : quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. 48. Tunc rex Danielem in sublime extulit, et munera multa et magna dedit ei : et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, et præfectum magistratum super cunctos sapientes Babylonis. 49. Daniel autem postulavit a rege : et constituit super opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, et Abdenago : ipse autem Daniel erat in foribus regis.

Vers. 1.

1. ANNO SECUNDO. — Dices, cap. I, vers. 1, 4 et 5, dicitur quod anno tertio Joakim, qui fuit primus Nabuchodonosoris, Daniel fuerit puer, indeque tribus annis, scilicet usque ad 4 annum Nabuchodonosoris, fuerit eruditus in litteris Chaldaeorum; quomodo ergo hic dicitur, quod Daniel anno 2 Nabuchodonosoris prophetarit, eique somnium explicari? Respondeo hunc annum 2 Nabuchodonosoris non esse 2 regni ejus, sed monarchiæ, qui regni ejus fuit 37; transmigrationis vero Joachin fuit 29, Danielis autem fuit 57. Nam Daniel anno 1 Nabuchodonosoris, quo ductus est in Babylonem, erat 20 annorum, uti dixi in *Proœmio*. Somnium ergo hoc regis, uti et illud cap. IV, interpretatus est Daniel anno ætatis suæ 57, qui fuit ante Christum annus 573.

Nota : Nabuchodonosor anno regni sui, non 27, ut vult Pererius, sed 35, qui fuit transmigrationis Joachin 27, vastavit Ægyptum, aliasque vicinas gentes, tumque factus est monarcha. Id ita esse patet : nam eo ipso anno prophetavit Ezechiel, cap. XXIX, 17, et cap. XXX, 3, quod a Chaldaeis mox vastanda esset Ægyptus : hic ergo annus 2 Nabuchodonosoris est secundus a vastata Ægypto, uti diserte asserit Josephus, lib. X *Antiq. XI*, ac consequenter est secundus a monarchia ejus. Ita S. Hieronymus, Pererius, Maldonatus et alii.

Nota : Hæc est chronologia gestorum Nabuchodonosoris : Nabuchodonosor anno primo regni sui venit Hierosolymam, indeque captum et vincitum Joakim, cum Daniele et aliis duxit Babylonem : sed mox Joakim promittentem tributum et subjectionem, in regnum remisit.

Anno 8 regni, regem Joakim rebellantem cepit et occidit, eique substituit filium Joachin quem post tres menses amovit, timeus ne Joachin patrem Joakim imitaretur, ejusque necem ulcisceretur, pro eoque regem creavit Sedeciam.

Anno 13 regni sui, Jerusalem evertit, templum succedit omnesque Judæos abduxit.

Anno 23, vastavit Cœlesyriam, Ammonitas et Moabitas. Ita Josephus.

Anno eodem, cœpit obsidere Tyrum, eamque obsedit per 13 annos, quibus exactis, eam expugnavit anno regni sui 35, uti ostendi *Ezech. xxix, 17*.

Anno eodem 35, expugnavit Ægyptum, et factus est monarcha.

Anno regni 37, qui fuit secundus monarchiæ ejus, vidit somnium hujus cap. et somnium arbo-

ris successæ cap. IV, portendens suam e regno ejecitionem, et transformationem in bestiam.

Anno regni 38, regno ejectus est, et mutatus in bestiam, atque per septem annos ut bestia inter bestias vixit.

Anno 45, sibi et regno est restitutus, ac paulo post mortuus.

Quoad nomen, nota : Nomen prolixum et terrificum Nabuchodonosor, ut et pleraque alia Chaldaeorum, compositum est ex tribus, scilicet Nabo, qui fuit Deus Chaldaeorum, Chad et Netzar. Sic Nabopolassar componitur ex Nabo, Phul et Assar. Rursum, nunc vocatur Nabuchodonosor, nunc Nabuchodretsar, nunc Nabuchodletsar: quia Chaldaei sæpe litteras quæ vocantur liquidæ, inter se commutant, ut pro Letsar, dicunt, Retsar et Netzar. Sic Nabonitum aliquando vocant Labonitum. Sic pro Belial Graeci dicunt Beliar. Ita Scaliger, lib. *De Emend. temp.*

VIDIT NABUCHODONOSOR SOMNIUM. — Somnium hoc fuisse divinum, et a Deo immissum ad res futuras regi repræsentandas, patuit tum ex instinctu divino, qui hoc suggerebat regi, eumque urgebat ad somnii hujus declarationem investigandam, tum ex assertione Danielis somnium hoc explicantis. Apte imperia mundi per somnium hic regi repræsentantur : quia quid sunt regna, omnesque res et spes mortalium, nisi somnia vigilantium? ait ex Platone Philo. Hinc et Theodoreus notat hanc statuam non in se, sed per imaginem (unde Septuaginta pro statua vertunt, *imago*) et phantasma regi esse ostensam, ut Deus doceret superbum regem, quanta sit humani supercilii vanitas, quamque variabiles sint res humanæ, et regnum regno succedat, cum Dei regnum sit constans et perenne. *Imago*, ait Theodoreus, figura rei est, non ipsa res : ostensæ ergo sunt Nabuchodonosori monarchiæ in somniis : quia nihil amplius sunt, quam phantasmata ludicra, nihil rei habentia, præter fictitiam pompam : unde et *imago* hæc speciem habet giganteam, et prorsus chimæricam. Quocirca Philo, lib. *Quod Deus sit immutabilis*, hominem vocat « somniorum ludum : » talia sunt et regna, imo magis. Nam, ut ait S. Basilius, a veritate ad figuram magnus est delapsus : hic autem monarchiæ sub hac hominis imagine decidunt et delabuntur ab homine ejusque vanitate : vaniores ergo sunt quam ipse homo ; sunt enim instar hominis non realis, sed phantastici, et in

Spes
mortali-
lum
sunt
sonnia
vigilan-
tium.

somnio repræsentati gigantis, ejusque ex variis rerum figuris quasi centonibus, conflati et consuti, ut ait Tertullianus.

Denique sicut metalla visa in hac statua hominis, in terræ visceribus a Deo vi solis efformantur: ita regna omnia terrena sunt, sed a Deo efformata, disposita et ordinata, ut ait Apostolus, *Rom. XIII, 1.* Deus ergo quasi auriga frenat et regit reges et regna. Mystice in hoc somnium regis scripsit pium et eruditum tractatum *De eruditione interioris hominis*, Richardus Victorinus.

2. UT CONVOCARENTUR ARIOLI, ET MAGI, ET MALEFICI, ET CHALDAEI. — Arias Montanus et alii varie

Vers. 2.
Arioli
qui?
Magi.
Malefici.
Chaldaei.

hæc distinguunt. Verum S. Hieronymus: « Arioli, inquit, dicuntur qui verbis rem peragunt, » aut ex characteribus (hoc enim innuit hebreum חֶרְטָמִים chartummim, a radice חֶרְתַּן charat; unde græcum χαράττω et χαρακτήρ) divinant, et, ut Septuaginta vertunt, sunt ἐπασθόι, id est *incantatores*. « Magi sunt, qui philosophantur, » radix enim הַגָּה haga, significat *meditari* et *speculari*. « Malefici sunt, qui sanguine utuntur et victimis, et sæpe continent corpora mortuorum. » Malefici ergo ex extis et cadaveribus futura divinant, et manes animasque mortuorum invocant. Rursum, malefici hebreice vocantur מְכַשֵּׁפִים mecassephim, i. e. *præstigiatores* qui *incantationibus* et *præstigiis* suis oculos hominum perstringunt, ut eis videantur rem unam in aliam mutare, quales fuerunt magi Pharaonis in Exodo. Ita R. Abraham Maldonatus et alii. « Chaldaei erant astrologi et genethliaci, quos vulgus mathematicos vocat, qui ex inspectione siderum et diei natalis futura homini prædicebant. »

Quæres: Cur cum his non fuit vocatus Daniel, cuius sapientia tum erat celeberrima? Respondeo: Quia Chaldaei sibi suisque sapientiam arrogabant, atque Danielis famæ invidebant, eique hanc gloriam somnum hoc regis interpretandi præripere volebant. Ita Pererius et Pintus. Adde, rex jam pene oblitus erat Danielis: fluxerant enim jam 34 anni a primo Danielis ad regem adventu.

Aliter respondet Maldonatus, scilicet regem existimasse Danielem quidem esse sapientissimum in omni sapientia humana, non autem in divinatione, et arte ariolandi, vel somnia exponendi: sciebat enim Judæis per Mosen vetitos fuisse magos, ariolos et divinantes per somnia, *Levit. XIX, 31*, et *Deuter. XVIII, 10* et *11*.

Nota hæc omnia facta esse consilio Dei, ut hac ratione rex agnosceret suorum sapientium et dæmonum vanitatem, atque Danielis et Dei veritatem. Hanc enim eum tandem agnovisse patet cap. III, 96 et 100. Ita S. Augustinus, tract. XI in *Joan-nem*, S. Hieronymus, Rupertus et alii.

SYRIACE, — id est chaldaice, quæ ipsorum nativa lingua erat, quæque olim dicta est Syriaca, ad distinctionem linguæ Hebrææ. Erat tamen hæc lingua diversa a moderna Syriaca, et a Syriaca illa qua conscriptum exstat Novum Testamentum, diversa, inquam, non tam verbis et vocibus, quam dia-

lecto, uti Græca Attica differt ab Æolica et Dorica.

Sed cur ait Daniel eos syriace esse locutos? Respondeo: Ne quis miraretur si eorum verba recitaret syriace, uti ab eis prolata sunt, quod facit ab hoc versu et deinceps, usque ad initium cap. VIII; quare nulla est hic paraphrasis Chaldaica, uti est in aliis Prophetis, eo quod ipse textus hic sit Chaldaicus.

4. REX, IN SEMPERNUM VIVE (1). — Hinc videtur Vers. 4.
quod Chaldaei, id est gentiles, habuerint cognitio-nem immortalitatis animæ et vitæ aeternæ. Gentili-um hac de re testimonia fuse hic recenset Hector Pintus.

5. SERMO RECESSIT A ME. — « Sermo, » id est res Vers. 5.
quam somniavi, q. d. Scio me somniasse ex gene-rali quadam somnii umbra et specie, quæ in me remansit, atque ex phantasiæ et mentis conturba-tione; sed in particulari quid somniaverim obli-tus sum, illudque a vobis mihi refricari et enar-rari volo.

Exstat pulchrum ænigma somnii, estque hoc:

Sponte mea veniens varias ostendo figuræ,
Fingo metus varios, nullo discrimine veri.
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

NISI INDICAVERITIS, etc., PERIDITIS. — Chaldaice est הַדְמִין הַעֲבֹדָן haddamin teabdun, *frusta fletis, in frusta concidemini*. Minatur illis mortem nisi vere rem indicent, tanquam seductoribus: sic enim magos et divinos, tanquam fallax et perni-ciosum hominum genus, Moses, Constantinus, Theodosius et alii imperatores morte mulctaverunt. Nota: Hoc postulatum et decretum regis a parte rei erat injustum: nec enim est homo, licet solertissimus et sapientissimus, qui somnia secreta, præsertim jam præterita, multo minus qui eo-rum significationem revelare possit. Angelis tam-en ea nota esse possunt: ipsi enim vident nos-tra phantasmata, utpote corporea. Ex parte tamen magorum et Chaldaeorum non erat injustum: quia ipsi, utpote astrologi judiciarii et genethliaci, pro-fitebantur se ex siderum inspectione, et ex magia nosse occulta, et futuros rerum eventus, etiam liberos. Non enim injustus est, qui a professore exigit idipsum quod profitetur. Ita Antonius Fern-andius, *visione XXI, cap. II* (2).

8. TEMPUS REDIMITIS, — hoc est, ut Scholiastes, Vers. 8.
prorogationem venamini.

9. QUOD INTERPRETATIONEM QUOQUE FALLACEM, Vers. 9.
etc., COMPOSUERITIS, — q. d. Nisi ipsum somnum meum enarraveritis, dicam ego etiam vos somnii

(1) Litteraliter, precamur tibi vitam longævam cum perpetua felicitate. Formula votiva, qua Orientales, im-primitis Chaldaei et Persæ, in compellandis regibus suis uti solebant, vide infra cap. III, 9; VI, 7, 22; *Nehem. II, 3; I Reg. I, 31.*

(2) Cæterum, nihil mirandum si, ut rem maximi momenti istud somnum Nabuchodonosor habeat, ejusque interpretationem vehementissime optet, cum, veluti omnes veteres, e cœlo somnia venire existimabat: ὅντες τὸν οὐρανόν. (*Iliad. A, 63.*)

Fin de l'aperçu

La suite du livre est en qualité visuelle diminuée. Le livre est toutefois complet.

Il est possible de se procurer à prix abordable une édition papier du livre en visitant le site suivant :

canadienfrancais.org

Ce PDF peut être distribué librement. Plus de détails à la dernière page.

interpretationem (quam de more scio vos daturos, ut opinionem vestræ sapientiæ tueamini) comminisci et fingere, itaque vestris fragmentis me fallere, donec tempus vel in somnio præfinitum, vel a vobis interpretatum (aut potius interpretandum: necdum enim somnium, utpote ignotum, interpretati erant; sed illud a rege sciscitantur, ut, cum audierint interpretentur) pertranseat, idque eo consilio, ut, si videatis vestra commenta, quæ nunc mente fabricatis, ex eventu redargui, illa novo commento et falla i interpretatione tueamini. Ita S. Hieronymus.

Vers. 13. 13. SAPIENTES INTERFICIEBANTUR. — Hinc colligitur aliquos imperfectos fuisse. Hanc regis sententiam, utpote generalem, præfecti eliam ad Daniellem et socios, utpote eruditos et sapientes, extenderunt, eosque ad necem quæsierunt, esto forte rex de iis non cogitaret.

Vers. 18. 18. UT QUÆRERENT MISERICORDIAM A FACIE DEI COELI SUPER SACRAMENTO ISTO. — Sacramentum vocat arcanum somni regis: idem vers. seq. vocat mysterium: misericordiam vocat somni patefactionem, tum quia eam sibi non ex meritis, sed ex Dei gratia dari petebant; tum quia ex hac Dei gratia et misericordia ipsorum vita pendebat, q. d. Orabant Deum ut sibi patefaceret mysterium somni, itaque ipsorum vitæ misereretur, eamque a certo mortis periculo, imo decreto liberaret.

Vers. 19. 19. TUNC DANIELI MYSTERIUM PER VISIONEM NOCTE REVELATUM EST. — An visio hæc Danieli vigilanti an dormienti a Deo sit objecta incertum est. Maldonatus putat Danielem somniasse, quod rex vidisset tam statuam qualem postea cum vidisse dicit, simulque quid singulæ ejus somni partes significarent, quod nobis etiam somniantibus subinde accidit. Alii idem eum somniasse dicunt, sed postea in vigilia revelatum ei esse, hæc omnia esse vera et certa, non somnia. Verum non necesse est dicere aliam visionem, vel certificationem Danieli vigilanti oblatam esse, qua certior fieret hoc somnum sibi immissum esse a Deo, esseque idem cum somnio regis. Prophetæ enim sive in somnis, sive in vigilia acciperent oracula a Deo, hoc ipso simul a Deo reddebantur certi hæc esse oracula Dei, non visiones phantasticas, nec somnia. Significationem autem harum visionum, vel symbolorum, aliquando simul, aliquando postea, præser-tim in vigilia accipiebant. Ita enim contigit Danieli, cap. vii, 16, et cap. viii, 15, et cap. x, 11, et Zachariæ, cap. iv, 5, et cap. vi, 5.

Quæres uter hic fuerit propheta, an rex somnium futurorum præsagum videns, an Daniel illud ex spiritu Dei refri-cans et explicans? Respondeo, Danielem fuisse proprie dictum prophetam, eumque perfectum, non regem, nisi inchoate et materialiter. Audi S. Augustinum, lib. XII *De Genesi ad litter.* cap. ix: « Quibus, ait, signa per alias rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erant pro-

phetæ; magisque propheta erat qui interpretabatur quod aliis vidisset, quam ipse qui vidisset: itaque magis Joseph propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ et septem boves, *Genes.* xxxi, quam Pharaon qui eas vidit in somnis. Illius enim spiritus informatus est ut videret, hujus mens illuminata est ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia: quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minus ergo propheta, qui rerum quæ significantur sola ipsa signa in spiritu, per rerum corporalium imagines videt; et magis propheta, qui solo earum intellectu præditus est: sed et maxime propheta, qui utroque præcellit, ut et videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat, sicut Danielis excellentia tentata et probata, qui regi et somnum quod viderat dixit, et quod significaret aperuit: quippe et ipsæ imagines corporales in spiritu ejus expressæ sunt, et earum intellectus revelatus in mente. » Sic et S. Gregorius, lib. XI *Moral.* XII, qui tamen in eo discrepare videtur a S. Augustino, quod in sola visione imaginum in mente, negat esse prophetiam, perfectam intellege; cum S. Augustinus eamdem vocet prophetiam, scilicet inchoatam, materialem et informem, quod non negat S. Gregorius: in re ergo consentit cum S. Augustino, licet in phrasi et modo loquendi dissentiat. Symbola ergo visa, sunt quasi materia prophetiæ; forma est eorumdem interpretatio, et per ea futurorum prænotio et prædictio: in hac enim prophetiæ ratio et natura consistit.

20. QUA SAPIENTIA (qua futura prævidet) ET FORTITUDO (qua tam suaviter quam fortiter eadem disponit, regit et mutat ad libitum) EJUS (Dei) SUNT. — Unde explicans, subdit:

21. ET IPSE MUTAT TEMPORA ET ÆSTATES: TRANSFERT REGNA ATQUE CONSTITUIT, — q. d. Deus singularis monarchiis, regnis et regibus suum tempus, vicissitudinem, terminum et translationem constituit, ut v. g. Assyriorum monarchia tot annis staret, et deinde transferretur ad Babylonios: hæc staret in Nabuchodonosore et Baltasare; inde transferretur ad Medos et Persas: hæc ad Græcos: hæc ad Romanos: hæc ad Christum.

22. IPSE REVELAT PROFUNDA, ET ABSCONDITA, ET NOVIT IN TENEBRIS CONSTITUTA. — Tria genera rerum, inquit Pererius, soli Deo per se cognoscibilia sunt: primo, « profunda, » id est supernaturalia, uti sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistie. Secundo, « abscondita, » id est arcanæ cordium cogitationes et intentiones. Tertio, « in tenebris constituta, » id est futura contingentia: hæc enim præsentiam et lucem adhuc fugiunt.

Et LUX CUM EO EST, — q. d. Deus est ipsa lux et sapientia increata et immensa, omnia cognoscens et illuminans, estque fons omnis lucis et cognitionis angelicæ et humanæ. Vide S. Dionysium, *De Divin. Nom.* cap. IV et VII.

23. SAPIENTIAM ET FORTITUDINEM DEDISTI MIHI. — Vers. 23.

Vers. 22.
Tria rerum genera a solo Deo cognoscuntur.

« Dedisti, » non realiter, sed mentaliter, hoc est, dedisti ut cognoscerem, sive declarasti. Dare enim hic significat actum mentalem, juxta *Can. XXIX, q. d.* Revelasti mihi tuam sapientiam et fortitudinem, quam ostendis in dispositione et commutatione regnorum et imperiorum, uti dictum est vers. 20. Unde explicans subdit: « Et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. »

Vers. 29. 29. COGITARE COEPISTI, etc., QUID ESSET FUTURUM POST HÆC, — quem exitum regnum tuum, puta regnum Chaldæorum, esset habiturum, an quando, et in quos foret transferendum. Nota: Daniel hic revelat regi secretas cogitationes cordis ejus, item præterita ejus somnia, quæ ipse erat oblitus.

Prophe-
tie actus
septem.
Actus enim prophetæ late sumptæ varii sunt, sci-
licet, *primo*, absentia, et quæ in locis remotis fiunt
revelare; *secundo*, cordis arcana præsentia pan-
dere; *tertio*, præterita arcana vel cogitationum vel
somniorum enarrare; *quarto*, eadem, si divina et
symbolica sint, explicare; *quinto*, futura prædi-
cere; *sesto*, Dei consilia decreta, minas et pro-
missa patefacere; *septimo*, Angelorum cogitata,
dicta et acta explicare. Hæc omnia hoc libro præ-
stat Daniel.

Vers. 30. 30. MIHI QUOQUE NON IN SAPIENTIA, — non per
sapientiam, *q. d.* Hoc somnium tuum, o rex, per
nullum habitum, vel actum scientiæ, aut sapien-
tiæ naturalis, sed per solam Dei revelationem sciri
et cognosci potest, et per eam solam ego id scio.
Dicit hoc Daniel, tum ut Deo prophetæ donum
acceptum referat, tum ut regem ad unius Dei veri
hæc revelantis cognitionem, fidem et cultum pel-
liciat.

IN SAPIENTIA QUÆ EST IN ME PLUS QUAM IN CUNCTIS
VIVENTIBUS — hoc ævo et sæculo. Non enim Daniel
sapientior fuit Adamo in paradiſo, aut Salomone :
nullo minus Christo, B. Virgine, Apostolis, etc.
Porro dixit hoc de se Daniel, non ex spiritu va-
nitatis, nec ex se, sed motus et compulsus a Spi-
ritu Sancto, cuius ipse fuit quasi os, æque ac ca-
lamus.

Moraliter hic disce non esse præter vel contra
humilitatem, agnoscere in se et confiteri dona
Dei, sed potius esse actum humilitatis et gratitudinis. Humilitas enim est veritas: ergo vere ag-
noscit dona quæ habet, sed ita ut pariter agnos-
cat se ea non habere ex se, sed a Deo, cuius est
omne datum optimum, et omnis sapientia: hæc
enim descendit a Patre lumen. Quocirca ea
agnoscens in se Sanctus, inde non superbit, sed
potius fit humilior, magisque gratias agit Deo, ac
magis se fundat in timore Dei. Nam, ut ait S. Gre-
gorius hom. 9 in *Evangel.*: « Cum augentur dona,
rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse
humilior, atque ad serviendum Deo promptior
quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem
esse conspicit in reddenda ratione. » Sic Paulus de
se ait I Cor. xv, 10: Gratia Dei sum id quod sum, et
gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundan-

tius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed
gratia Dei tecum. » Et S. Joannes sibi dat hunc
titulum: « Discipulus ille, quem diligebat Jesus. »
Et: « Hic est discipulus ille, qui testimonium per-
hibet de his, et scripsit hæc: et scimus quia ver-
rum est testimonium ejus, » Joan. cap. ult. 24.
Ecclesia enim probavit hoc ejus testimonium et
Evangelium. Sic Moses de se ait: « Erat enim Mo-
ses vir mitissimus super omnes homines qui mo-
rabantur in terra, » Numer. XII, 3. Sic S. Francis-
eus agnoscebat in se miram Dei gratiam et sanc-
titatem; sed simul agnoscebat se ex se esse maxi-
mum mundi peccatorem. Quocirca hæc ejus erat
crebra oratio: « Domine, quis tu? quis ego? tu
abyssus essentiæ, sapientiæ, sanctitatis et bono-
rum omnium; ego abyssus nihil, ignorantiæ,
concupiscentiæ, peccatorum, et malorum om-
nium. » Unde cum accepisset a Christo crucifixo
sacra stigmata, velletque ea occultare, jesus
fuit ea pandere. Nam ut ait Angelus Tobiæ cap. XII,
7: « Sacramentum regis abscondere bonum est:
opera autem Dei revelare et confiteri honorificum
est. »

31. STATURA SUBLIMIS — Chaldæus *splendor ejus* Vers. 31.
præstans; vel, ut Pagninus vertit, *gloria ejus sub-
limis*; Leo Hebraeus, *forma ejus eximia*, scilicet
propter radians aurum, argentum, æs et ferrum,
ex quibus conflata erat statua. Habebat enim ca-
put aureum, pectus argenteum, ventrem et femora
ænea, pedes ferreos et fictiles (1). Unde Arabicus
vertit: *Caput ejus aurum; pectus ejus et brachia ar-
gentum; venter, femora et crura ejus ferrum; et pe-
dum quoddam (quædam pars) ferrum, et quoddam
testa figuli*: et Syrus: *Caput ejus auri boni: pec-
tus ejus et brachia argenti: venter ejus et femora
æris: tibiae ejus ferri.* « Auri, » id est ex auro,
argento, etc. Significabat hæc statua vicissitudi-
nem quatuor imperiorum maxime florentium (quæ
vulgo monarchias vocamus, sicut regem Hispaniæ,
et imperatorem Turcarum vocamus monar-
chas ob amplitudinem regnorum: esto toti orbi
non dominantur), quorum unum alteri imme-
diate successit, prius evertendo, scilicet Chaldæo-
rum, Persarum, Græcorum et Romanorum. Præ-

Statua
quadri-
formis
est sym-
bolum
quatuor
monar-
chiarum.

(1) Varia metalla, sicut diversi colores, in antiquo sys-
temate hieroglyphico certis horizontis regionibus respon-
debant. Flavus vel aureus color, centrum vel caput signi-
ficabat; rubeus vel cupreus, Meridiem; albus vel argenteus,
Occidentem; niger vel ferreus, Aquilonem. Itaque
ista metalla quatuor imperia magna, quoad Babylonem
diverse sita, figurabant. Hodie omnes Asiaticæ re-
gionis vulgo dictæ *te Tonkin*, habent ad Orientem viride
portam; ad Meridiem, rubeam; ad Occidentem,
albam; ad Aquilonem, nigram; quod etiam explicat cur
quatuor maria Semiramidis tempore juxta geographicum
situm, Assyria ut centrum habita, vocentur: Persicus
sinus, mare viride Arabum, ad Orientem; Arabicus sinus,
parvum mare rubrum ad Meridiem; mare Medierra-
neum, album mare ad Occidentem, ut Græci et Arabes
illum usquedum vocant; Pontus Euxinus mare nigrum
ad Septentrionem. (De Paravey, *Annales de Philosophie
chrétienne*, tom. XI, pag. 216.)

terit ergo hic alia regna humilia, angusta et obscura, sicut fuit regnum Sicyoniorum, Atheniensium, Lydorum, etc.

Cur una Nota: Quatuor hæc regna comparantur uni statu, non tuæ, non quatuor: quia unum alteri successit, et ex eo quasi natum est, sicut in statua una pars alteri succedit, et inseritur. Rursum, quia respectu orbis terræ, et respectu temporis in quo fuerunt, unum quid fuerunt: quia unus est orbis, et unum continuum tempus, sed maxime respectu summi monarchæ, puta Dei, qui orbem regit; et Christi, in quem desierunt, unum quasi regnum fuerunt: unum, inquam, *primo*, continua successione; *secundo*, loco; *tertio*, fine et termino, uti jam explicui.

Cur alia regna præterit Daniel? Quæres: Cur hic aliorum regnum aequo potentium, imo potentiorum, ut Assyriorum, Medorum, Parthorum, Scytharum, Tartarorum, Chinensium, Turcarum, non meminit Daniel? Respondeo: Causa *prima* et præcipua est, quod Nabuchodonosor tantum cogitabat de suo regno, quidque post illud futurum esset, et an, sicut ipse successerat Assyriis, ita Medi, Persæ, Egyp-tii, vel aliqui alii ipsi succederent, et imperium ad aliam gentem transferrent. Hoc enim eum cogitasse patet vers. 29. Huic autem ejus cogitationi per hoc somnium, perque hanc statuam respondit Deus, scilicet illi et Babylonii successuros Persas, Persis Macedones, hisce Romanos, et hosce in Christum, qui est Rex regum, desituros. Itaque de hisce solis agit, reliqua vero regna, ut ad cogitationem Nabuchodonosoris, et ad rem propositam impertinentia, præterit et prætermittit. Porro Medi hic sub Persis intelliguntur: utrique enim everterunt imperium Babyloniorum. Rursum sub Babylonii intelli-gi possunt Assyrii: Babyloniorum enim monarchia, pars et propago quædam fuit monarchiæ Assyriorum.

Secunda. Secunda causa est, quia volebat Deus regis animum ab omni cupiditate terrenorum regnum abducere, et ad Christi regnum erigere: quod illa omnia caduca sint et mortalia; hoc sempiternum, ut docet vers. 44. Propterea de illis tantum monarchiis similitudinem proposuit, quæ recta et continua serie et successione Christi regnum erant præcessuræ, in eoque terminandæ, q. d. Frustra, o rex, superbis et gloriariis in tuo regno caduco, et instar somnii evanido; aspira ad Christum, de quo ait Gabriel: « Regni ejus non erit finis, » *Luc. I*, 33.

Tertia. Tertia, quia Daniel et Judæi hæc quatuor imperia fere tantum cognoverunt, eorumque potentiam et tyrannidem experti sunt, quando *primo*, a Babylonii, mox a Persis, deinde a Græcis, puta ab Antiochis, denique a Romanis afflicti, subacti et in captivitatem abducti fuerunt. Horum ergo tantum seriem perfexit hic Daniel, utpote quæ sola ad se, et ad historiam suæ gentis, puta Synagogæ Dei, pertinerent.

Vers. 33. 33. PEDUM QUÆDAM PARS ERAT FERREA, QUÆDAM

FICILIS. — Tibiæ hujus statuæ totæ erant ex ferro, sed pedes partim ex ferro, partim ex testa. Non quasi unus statuæ pes esset ferreus, altera mere ficitilis: aut una pedis pars esset mere ferrea, altera mere ficitilis, sed quod pedes conflati essent ex ferro non puro, sed mixto cum terra, ut explicatur vers. 43; quale est rubrica, ex qua conflatur ferrum. Idque probatur *primo*, quia diserte ait hic Daniel ferrum testæ in pedibus fuisse permixtum. *Secundo*, quia vers. 43 hæc permixtio ferri cum testa explicatur per commixtionem seminis variorum Romanorum. *Tertio*, quia si altera pars pedum tota fuisse ferrea, alia tota testea, non diversos imperii status, sed diversa imperia potius significaret: tam enim testa a ferro, quam ferrum ab ære, auro et argento distat. Ita Antonius Fernandius visione XXI. sect. vi, Maldonatus et alii. Favet et Syrus dum vertit, *pedes ejus, ex eis ferri, et ex eis ficitilis*, id est partim ferrei, partim ficitiles.

35. REDACTA QUASI IN FAVILLAM ÆSTIVÆ AREÆ. — Vers. 35. Chaldæus: Fuerunt quasi paleæ æstivarum arearum quas ventus rapit, dum scilicet segetes in areis excussæ agitantur et ventilantur, q. d. Omnia hæc quæ tam splendida et solida videbantur, instar paleæ in auras evolarunt et evanuerunt. Talia sunt regna terræ: sic transit gloria mundi.

38. TU ES CAPUT AUREUM. — Nota hic, *primo*, Vers. 38. metonymiam qua rex ponitur pro regno: « tu, » id est tuum regnum, est caput aureum. Unde sequitur: « Consurget regnum aliud. » Ita Theodoretus. *Secundo*, regnum Chaldæorum metaphorice vocatur *caput*, tum quia primum fuit et antiquissimum, ut patet *Genes. X*, 11; tum quia in eo viguit sapientia, ut patet *Isai. XLVII*, 13.

Quæres: Cur imperium Babyloniorum vocatur **Car imperium Babyloniorum vocatur caput aureum?** nam Persarum postea videtur fuisse aequo opulentum, vel opulentius. Respondet Maldonatus per aurum, argentum, æs et ferrum significari quatuor horum regnum non opes, potentiam aliasque qualitates, sed tantum seriem et ordinem temporis, q. d. Sicut inter metalla, *primum* dignitate est aurum, *secundum* argentum, *tertium* æs, *quartum* ferrum: ita inter hæc regna *primum* tempore erit Babylonium, *secundum* Persarum, *tertium* Græcorum, *quartum* Romanorum. Regnum ergo Persarum minus fuit Chaldaico, non magnitudine, non potentia, non divisiis, sed diuturnitate et antiquitate. Fuit enim *primum*, et ab ortu suo sub primo rege Nino, usque ad ejus interitum sub Baltasare, stetit annos 1500, cum Persarum imperium tantum steterit annos 230. Ita et Antonius Fernandius vis. XI, sect. iv; ubi pro eo quod Noster vertit: *Consurget regnum aliud minus te*, verti posse ait: *Consurget regnum aliud post te*, sive posterum: dici tamen minus allusione ad argentum, quod minoris est pretii quam aurum. *Minus ergo*, id est minus antiquum, et minus diuturnum, aurum enim argento est durabilius, et ipsa longinquitate temporis fit pretiosius,

ait Plinius, lib. XXXIII, cap. iii. Verum Chaldaeum יְרֵי ara non significat posteriorius, sed minus, humilius, inferius, ut vertunt Septuaginta, Noster, Vatablus et alii passim. Unde ab ara Chaldaice pavimentum vocatur עַרְעָה arit, quia in domo est infimum et imum: et terra vocatur נָעָרָה ara, quia in mundo est insima ejusque centrum.

Quocirca hic sensus, si solus sit, *primo*, frigidus est et jejunus. *Secundo*, in eo non satis apta est similitudo, nam aurum et argentum non tempore, sed pretio et dignitate sunt priora ære et ferro; imperia vero Chaldaeorum et Persarum, auro et argento significata, non dignitate, sed tempore tantum in hoc sensu priora esse dicuntur imperio Græcorum et Romanorum. *Tertio*, non tantum temporis, sed et qualitatis ac præstantiae ordinem hic spectari patet ex eo quod de quarto ferreo Romano ait Daniel vers. 40: « Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. »

Secundo, Alcazar in *Apocal.* cap. ix, vers. 5, not. 3, pag. 529, docet sæculum monarchiæ Chaldaeorum fuisse aureum, si cum sequentibus comparetur; Persarum argenteum; Græcorum æneum; Romanorum ferreum; quia sensim declinarunt, et in declive abierunt hæc imperia. Nam in *prima* Chaldaeorum monarchia, effloruit sapientiæ pretium et estimatio, ut liquet tum ex honore amplissimo, et præfectura imperii Danieli delata; tum ex sapientum Magorum frequentia; tum ex astrorum peritia et astrologia judicaria, quæ ex ea ad alias gentes dimanavit: unde et astrologi dicti sunt Chaldæi. In *secunda* Persarum, vigerunt deliciæ et corporis blandimenta. In *tertia* Græcorum, excelluerunt opes atque divitiae. In *quarta* Romanorum, dominata est ambitio, sive honoris, nominis et gloriæ cupidio. Verum sapientiæ studium æque, imo magis floruit apud Græcos et Romanos, quam apud Chaldaeos: vice versa opibus tam excelluerunt Romani et Persæ quam Græci: nec minor fuit ambitio apud Græcos Seleucidas, Alexandri posteros, quam apud Romanos.

Tertio, idem Alcazar, tract. *De Ponder. et mens.* pag. 63, censet per hanc metallorum distinctiōnem Spiritum Sanctum significare, non discri men in divitiis (hoc enim in hac visione minoris est momenti), sed in vi et robore; scilicet significari semper subsequentis monarchiæ violentiam futuram majorem: et quia res humanæ plerumque in pejus ruunt, *primam* monarchiam, si cum *secunda* comparetur, auream posse appellari, et blandiorem ac suaviorem visum iri; *secundam* autem respectu *tertiæ* argenteam; *tertiam* æream et magis humano generi adversam; *quartam* porro minus sibi cohærentem (sicut ferrum et lutum ægre miscentur), sed validiorem cæteris omnibus, et omnia regna violente admodum contritaram. Hæc sententia apposita videtur, expedita et plana; cui tamen quædam addenda sunt.

Dico ergo Babyloniorum imperium vocari aureum, vel, ut ait Jeremias cap. li, 7: « Calix aureus, » quia non tantum opulentum fuit et splendidum, sed et felicissimum, gloriosissimum, famosissimum et amplissimum. Sic enim explicat hic Daniel dicens: « Tu rex regum es: et Deus cœli regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi, etc. Tu es ergo caput aureum. » Nam brevissimo tempore subjugatis Syris, Judæis, Ammonitis, Moabitis et Ægyptiis, qui tunc erant potentissimi, atque a tempore Josiæ cum Assyriis et Babylonis de imperio et summa rerum decertarant, amplissimum evasit. Unde Jeremias omnes gentes, scilicet tunc cognitas et celebres, Nabuchodonosori fore subjectas et servituras prædicit cap. xxvii, 7, et Habacuc cap. i, 10: « Ipse, inquit, de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt, » q. d. Erunt ei risui et contemp-tui. Et Daniel cap. iv, 19: « Tu rex, ait, magnificatus es, et magnitudo tua pervenit usque ad cœlos, et potestas tua ad terminos universæ terræ. » Quocirca Isaías cap. xlvi, 7, Babylonem vocat dominam regnum, et cap. xiv, 19, gloriosam in regnis et inclytam, et a Jeremiah cap. l, 21, eadem vocatur terra dominantium, et vers. 23, malleus universæ terræ, de quo plura cap. iv, 26. Quinimo, tota fere prophetia Jeremiah et Ezechielis est de Nabuchodonosore, deque ejus in Judæos omnesque gentes dominatu, idque ex voluntate Dei. A Deo ergo ipse videtur quasi creatus monarcha. Hinc et Megasthenes, lib. IV *De Rebus Indicis*, tradit Nabuchodonosorem præter Orientis provincias, Ægyptum quoque et Africam, atque Hispaniam subjugasse, eumque asserit virtute animi, et rerum gestarum præstantia Herculem superasse: et Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, ait eum regnasse ab India usque ad Æthiopiam. Sic ergo ipse Persis fuit major et felicior: unde et Magnus cognominatus est, ac ut talis in Scriptura et historiis est celeberrimus. Quocirca hic a Daniele vocatur « rex regum: » ac, *Isai. xiv, 12*, comparatur Lucifer, qui fuit summus inter angelos: et *Ezech. x, 3*, assimilatur aquilæ grandi magnarum alarum: et *Jerem. iv, 7*, vocatur leo, et prædo gentium. Hic ergo est caput aureum: quia Cyro, Alejandro Magno (qui brevi tempore fuerunt monarchæ, et misere perierunt) et aliis, si non opibus et fortitudine, certe felicitate, fama, splendore et gloria antecelluit. Adde aureum dici comparatione tum sequentium regnum, tum potius eorum quæ illud præcesserunt, vel cum illo fuerunt. Præsens enim Nabuchodonosori et Judæis erat Babyloniorum imperium, opes, potentia et gloria, eaque majorem nec ipsi nec parentes viderant; nec posteriorum, puta Persarum, opes et gloriam visuri erant. Unde ipsis Babylonis gloria videbatur esse aurea. Quæ enim *prima* sunt in aliquo genere, ob novitatem rapiunt in sui admirationem omnium oculos; ac posteriora, licet præstantiora sint, suo nomine et fama obscurant.

Nomen enim et famam, quam semel habuerunt, retinent semper, illamque ad posteros et ad futura sæcula transmittunt. Ita hoc sæculo sunt viri in mathesi, theologia, philosophia, aliisque artibus et scientiis præstantes, qui veteres superant, et tamen veterum nomen et famam, utpote ab illis jam tanto tempore præscriptam, non obtinent : usu enim et copia res omnis vilescit. Sic ergo Babylon, quia *prima*, aurei regni nomen obtinuit, posterisque quasi exemplar gloriae mundanæ statuta est : unde et Roma vocatur Babylon, *Apoc. XVIII, 2.*

Secunda. Secundo, vocatur aurea, quia Babylonii auri erant studiosissimi, illudque a gentibus subactis exportabant et coacervabant, ut ex Judea abs-tulerant omnia vasa aurea et argentea, etiam tem-pli, eaque plurima et maximi pretii. Hucque res-picit hic Daniel utpote Judæus, significans Salo-monis thesauros, et Judæorum aurum et opes in Babylonem esse translatas.

Tertia. Tertio, quia Babyloniorum potentia et gloria, non tam armis, laboribus et fortitudine bellica, uti Persarum, Græcorum et Romanorum (qui cum gentibus fortioribus et in armis jam exercitatis di-micarunt), quam hostium in bellando inexperi-en-tia et ignavia, eaque ac opibus et luxu crevit, fuit-que hoc nomine orbi illustris, splendida et in-clyta. Unde Jeremias, cap. v, 7, de Babylonis ait: « Calix aureus Babylon in manu Domini inebrrians omnem terram : de vino ejus biberunt gentes, et ideo commotæ sunt. » Quo alludit S. Joannes, *Apoc. XIV, 8* : « Calix » enim « aureus » significat opes et luxum, ac consequenter idololatriam, quam Babylonii aliis gentibus triumphantes in-vexerunt. Quocirca hoc regnum et sæculum voca-tur aureum : quia sub eo gentes vivebant quiete et feliciter in magna pace opibus et rerum om-nium abundantia : hæc enim pacem consequi so-let. Unde regnum hoc cap. IV, 17, ipsi regi a Deo repræsentatum fuit per « arborem sublimem at-que robustam, cuius altitudo pertingit ad cœlum, et aspectus illius in omnem terram : et rami ejus pulcherrimi, et fructus ejus nimius, et esca om-nium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri et in ramis ejus commorantes aves cœli. » Vere Ovi-dius, XIV *Metamorph.* :

In via virtuti nulla est via, dixit, et auro.

Cyaxares Dices : Tempore Babyloniorum etiam dives fuit et inclytum regnum Medorum sub Cyaxare, quem **im-pe-ri-um** Herodotus Assyriis et toti Asiæ dominatum esse quan-tum, et quando. asserit. Respondet Pererius regnum Medorum hoc tempore angustum et afflictum fuisse : nam Cyaxares cœpit regnare anno 14 Nabuchodonosoris, et regnavit 40 annis ; jam primis 28 ejus annis, Scythæ invaserunt et obtinuerunt Asiam, scilicet usque ad finem pene vitæ et regni Nabuchodonosoris : ipse enim 44 annis regnavit. Cyaxares ergo tantum ultimis 12 regni sui annis, quibus super-stes fuit Nabuchodonosori, dolo interfectis fere

omnibus Scythis, imperium proferre et illustrare cœpit, ut ait Herodotus.

Ex hac Danielis visione, gentiles fabulam acce-perunt de primo sæculo aureo, secundo argenteo, tertio æneo, quarto ferreo, quam ita Ovidius, lib. I *Metamorph.* graphicè depingit :

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo Sponte sua, sine lege fidem retinunque colebat. Non galeæ, non ensis erat; sine militis usu Mollia securæ peragebant otia gentes. Ver erat æternum. Mox etiam fruges tellus inarata ferebat. Flumina jam lactis, jam flamina nectaris ibant, Flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Pergit deinde ab aurea ad argenteam :

Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso, Sub Jove mundus erat, subiitque argentea proles Auro deterior, fulvo pretiosior ære; Tum primum siccis aer fervoribus ustus : Tum primum subiere domos, domus antra fuerunt : Semina tum primum longis cerealia sulcis Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.

Mox transit ad æream et ferream :

Tertia post illam successit ahenea proles, Sævior ingenii, et ad horrida promptior arma, Non scelerata tamen ; de duro est ultima ferro. Protinus irrupit venæ pejoris in ævum Omne nefas : fugere pudor, verumque fidesque. In quorum subiere locum fraudesque dolique, Insidiæque et vis, et amor sceleratus habendi. Effodiuntur opes, irritamenta malorum. Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque. Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus. Non soer a genero, fratrum quoque gratia rara est. Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

VOLUCRES QUOQUE COELI DEDIT IN MANU TUA. — Est Vers. 38. auxesis, exaggerat enim regis sui potentiam : nam qui terræ dominatur, suo modo etiam bestiis et avibus dominatur : quia eas venari et capere po-test.

39. REGNUM ALIUD MINUS TE. — Chaldaice נָמְנָחַ arā minnach, id est inferius et humilius te, quod scilicet, te regnante, jam est inferius, sed paulo post crescat in Cyro, fietque superius, tuumque imperium in Balsasare evertet. Hoc est regnum Persarum et Medorum, quod ideo, vers. 32, desig-natur per duo brachia : quia duo quondam regna fuerunt, quæ postea copulata sunt in unum, cuius rex fuit Cyrus, qui matre Meda, et patre Persa na-tus est; atque, ut Theodoreus ait, per dexteram paternum genus, per sinistram maternum signifi-catur. Rursum, quia brachiis, id est fortitudine et labore multo, Cyrus tota vita sua regnum hoc sibi suisque Persis peperit.

Quæres : Cur vers. 32 regnum hoc comparatur argento? Respondeo : Quia argento abundavit, fuitque opulentissimum : unde præter thesauros

Cur im-perium Persa-rum

compa-
ratur ar-
gento?
Opes
Persa-
rum.
obvios et apertos, Deus promittit Cyro thesauros absconditos, *Isai. XLV*, 3. Hæ opes patent. Nam *primo*, Plinius, lib. XXXIII, cap. III, ait Cyrum ex debellata Asia extulisse « quingenta millia talentorum argenti, » id est trecentos milliones.

Secundo, eadem patent ex sumptuosissimo convivio Assueri, mariti Esther, *Esther* cap. I.

Tertio, ex innumerabili exercitu Xerxis, quo terram et maria stravit: erant enim in eo plusquam duo milliones hominum.

Quarto, quia rex Persarum in suo conclavi ad caput semper habebat triginta milliones auri, quod cervical regis dicebatur; et ad pedes octodecim milliones argenti: testis est Athenæus sub initium lib. XII.

Quinto, quia gaza Persica qua potitus est Alexander, fuit 180 millium talentorum, teste Strabone, id est centum et octo millionum.

Fuit tamen hoc Persarum imperium felicitate et gloria inferius Chaldaeorum imperio, sicut argentum inferius est et cedit auro. Hoc est enim quod diserte ait Daniel, vers. 39: « Post te consurget regnum aliud minus te. » Nabuchodonosor ergo regno et gloria superavit Cyrum et posteros. Nam ut alia taceam, Cyrus illius conditor infelicissime cæsus est a Tomyri regina Scytharum. Xerxes, in Græcia a paucis cæsus et fugatus, infamem cladem accepit, ita ut solus in scapha fugere debuerit. Darius Codomannus, miserrime ab Alexandro saepius fusus, tandem regno et vita spoliatus est.

ET REGNUM TERTIUM ALIUD AEREUM, QUOD IMPERABIT UNIVERSÆ TERRÆ. — Hoc est regnum Alexandri et Græcorum: Alexander enim pene universæ terræ nostrati dominatus est, ita ut sub eo ipsa se curvans siluerit, quasi tacite agnoscaens eum dominum. Dico nostrati: non enim Alexander adiit et devicit Chinenses, Peruanos, Mexicanos, etc. Ita S. Hieronymus et passim alii. Perperam ergo Osorius, et ex eo Prosper, lib. *De Prædict. et promiss.*, part. II, cap. xxxiii, per ventrem et femora ærea acceperunt Carthaginense imperium.

**Cur Gra-
corum
æri.** Quæres *PRIMO*: Cur vocatur æreum? Respondet S. Hieronymus, quia æs non tantum forte est et durum, sed et vocalissimum et sonantissimum. Talis fuit Alexandri et Græcorum fama et gloria, non tantum ob potentiam et bella fortiter gesta, sed etiam ob sapientiam et eloquentiam, quæ apud Græcos floruit. Æs ergo, *primo*, significat æneas tubas, galeas, loricas et arma Alexandri, puta clangorem tubarum, et armorum æneorum strepitum et fragorem, inter quæ assidue ipse versabatur, iisque quasi musica suavissima delectabatur: fuit enim ipse pugnacissimus, non nisi arma et Martem spirans. Nam veteres armis æreis pro ferreis utebantur: æris enim usus est antiquior quam ferri. Unde Hesiodus:

Sic et Homerus Achillis et Græcorum tela et arma docet fuisse ærea: quæ Combe puella in Eubæa primum invenit, indeque cognominata est Chalcis: χαλκης enim græce significat æs. Ita ex Eustathio et aliis docet Cælius Rhodiginus, lib. X *Antiq. L*, ubi et addit Comben fuisse Æsopi filiam. Hinc et Gabriel archangelus, *Daniel. x*, 6, brachia, femora et tibias habuit instar æris candentis: quia hac specie repræsentabat Machabæorum fortitudinem et armorum splendorem. Sic et Deus, in curru cherubico pugnaturus contra Judæos, induit corpus ex electro, id est aurichalco, quod est æs optimum et fulgidissimum, ut dixi *Ezech. I*, 27. *Secundo*, æs resonans significat facundiam et eloquentiam Græcorum. *Tertio*, æs sonorum significat famam et gloriam gestorum Alexandri, quæ subito toto orbe insonuit, adeoque omnes percelluit, ut certatim cuncti ei se subderent, aut cum eo fœdus inirent. Fuit ergo ipse æs sonans, et cymbalum toto orbe tinniens; unde et Lysippus eum ex ære sculpsit, ut mox dicam. De fama Curtius: « Tantus, ait, nominis ejus (Alexandri) terror universum orbem invaserat, ut cunctæ gentes velut jam destinato sibi regi adularentur. » Hinc et lib. I *Machab. I*, 3, dicitur, in conspectu ejus siluisse universam terram, ac si audisset fragorem ruentis mundi. Quocirca vere dixit de eo Tertullianus, lib. *De Pallio*, « sola ipsum fama sua fuisse minor. » De sapientia et eloquentia solæ Athenæ, quæ ab omnibus epithetum *doctæ* sortitæ sunt, locupletes sunt testes. Cicero, *Orat. pro Flacco*: « Adsunt, ait, Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur. » Plato in *Protagora* Athenas « sapientiæ prytanæum » appellat. Mirum vero est quod scribit Tertullianus, lib. *De Anima*, cap. xx: « Thebis, ait, hebetes et brutos nasci relatum est; Athenis sapiendi dicendique acutissimos, ubi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur præcoce lingua. Siquidem et Plato in *Timæo* Minervam affirmat, cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam. » Hodieerus Platonis interpres sic vertit: « Dea vobis habitationem designavit delecto loco in quo geniti esisti, temporum anni temperiem in eo conspicata quod sapientissimos viros producturus esset. »

Æris vero hujus tinnitus, id est Alexandri famam et gloriam, sigillatim audi.

Duodecim fere in Alexandro eluxerunt dotes eximiæ et elogia rara, quæ ejus nomen apud omnes gentes celebrarunt. Collegi ea ex Plutarcho in ejus *Vita*, Q. Curtio, lib. X, et Justino. **PRIMUM**, fuerunt magnitudinis ejus præsagia et portenta: nam *primo*, Olympiadi matri ejus ante noctem qua *Prima*. eum concepit, visus est Jove tonante venter suus de cœlo tangi, atque ex ictu largum succendi ignem, qui mox erumpens in flamas passim dispersas dissipabatur. *Secundo*, Philippus pater vidit in somnis uxorem obsignatam sigillo, habente

effigiem leonis, quo Aristander portendi dixit, eam concepisse infantem animosum, et leoninum. *Tertio*, visus est draco ad dormientis Olympiadis corpus exorrectus. *Quarto*, natus est Alexander eo die quo Dianae Ephesiae templum conflagravit: unde magi exclamaverunt ingentem pestem et perniciem eo die editam ad Asiæ incendium. Hægias vero Magnesius edixit: « Merito arsisse templum Diana, dum ipsa in Alexandri enixu obstericando fuit districta. » *Quinto*, Philippus pater eodem die tres faustissimos nuntios accepit, prium fusos a Parmenione Illyrios; alterum, Olympiis se equi pernitate viciisse; tertium, natum Alexandrum. Unde vates affirmarunt infantem, in cuius nativitate tergemina concurrerat victoria, fore invictum. Hæc omnia Plutarchus. *Sexto*, adit Justinus, lib. XII: « Ea die, ait, qua natus est, duæ aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris ejus sederunt, omen duplicitis imperii: Europæ Asiæque præferentes. » *Septimo*, cum contra Darium pergeret, aquila supra caput ejus volare visa, cursumque dirigere in hostes, aiunt Plutarchus et Curtius. *Octavo*, dum Tyrum obserderet, Tyriis in somnis visus est Apollo dicere se ad Alexandrum transire: neque enim sibi cordi esse quæ in urbe agerentur. *Nono*, ibidem visus est Alexandro Satyrus alludens, quem cum corripere vellet, ille se subduxit, sed tandem post longas cursitationes venit in ejus manus. Unde vates, disecto nomine *Sa tyrus*, responderunt: *Tua tyrus erit, nam εἰ græce significat tua.*

Secunda. *SECUNDUM*, fuit ejus complexio fervida, et indoles ignea. Ex hoc igneo corporis temperamento non tantum illi animus similis, sed et odoris fragantia, quam ex ore, cute, totoque corpore afflabat. Hac enim de causa in locis calidis thura, odores et aromata generantur, quod æstus solis ibi ea percoquat, ut ignescant, et igneos halitus exspirent. Hinc etiam corpus ejus septimo die a morte, nulla tabe, nullo livore corruptum, sed integrum et vivido vultu repertum est, teste Curtio.

Tertia. *TERTIUM*, fuit in Alexandro mira celeritas: cœpit enim ipse anno ætatis vigesimo, et omnia subegit anno ætatis trigesimo tertio, quo mortuus est. Hinc Apelles Alexandrum pingebat quasi fulmen, celerrime omnia pervadens et afflans.

Quarta. *QUARTUM*, fuit in eo constans felicitas. Vix enim habuit quadraginta millia militum, nec nisi septuaginta talenta in eorum stipendum, et commatum ad triginta dies; et tamen nullam gentem, hostem aut urbem adjit quam non expugnarit, ipsumque tandem Darium, qui habebat decies centena millia militum, prostravit. Unde tantam fiduciam suis militibus fecit, ut, illo praesente, nullius hostis arma nec inermes timuerint, ait Justinus. Curtius vero, lib. X, sic de eo scribit: « Fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties

illum a morte revocavit? quoties temere in pericula vectum perpetua felicitate protexit? vitæ quoque finem eundem illi, quem gloriæ statuit. Exspectavere eum fata, dum Oriente perdomito, aditoque Oceano quidquid mortalitas capiebat, impleret. » Ipse Alexander, a vate Apollinis Delphici quærens oraculum, ab eo audivit: « Invictus es, fili. »

QUINTUM, fuit in eo amplitudo imperii. Subegit *Quinta.* enim totam Asiam, Ægyptum, Syriam, Indianam, et bonam Europæ partem. Hinc Lysippus statuarius, ut amplitudinem imperii Alexandri significaret, finxit ex ære Alexandrum supina facie cœlum suspicentem, subjectis hisce versibus:

Æreus in cœlum suspectans fare quid aiat:
Jupiter, asserui terram mihi, tu assere cœlum.

Quocirca Alexander, accepto imperio, regem terrarum ac mundi appellari se jussit, ait Justinus, lib. XII. Esto revera multas gentes nec adierit, nec subjugaverit; quinimo audiens Democritum de infinitate mundorum disserentem, ingemuit quod ne unum quidem totum sibi subjugasset.

SEXTUM, fuit in eo incredibilis mentis vigor, *Sexta.* ingenii solertia, animi fortitudo ad quævis ardua, atque periculorum et mortis contemptus. « Superabat fortunam audacia, et vires virtute, nihilque censebat audentibus inexpugnabile, vel munitum esse animosis, » ait Plutarchus. « Periculosissima quæque aggrediebatur, et ubi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper ingerebat, periculaque sua esse, non militum volebat, » inquit Justinus. In Mallis Indorum bellicosissimis primus scalis in murum evasit, ubi, librato corpore, in medios hostes saltu se immisit. Cujus vibrantibus armis jubar aliquod aut spectrum se videre putantes barbari fugerunt. At ubi eum solum cum duobus armigeris conspexere, in eum irruere, eumque convulnerarunt: ipse ad murum incumbens, et in gyrum pugnans omnium impetum sustinuit, barbarumque gladium sibi intentantem confudit, donec Macedones succurrerent.

SEPTIMUM, fuit ejus temperantia. Missis ei op. *Septima.* timis ferculis et cocis, respondit: « Nihil sibi his opus esse, meliores sibi cocos donatos a paedagogo Leonida, scilicet ad prandium iter antelucanum, ad cœnam angustum prandium. Idem ille, inquit, stragulorum meorum repositorium solitus erat adire, vestiariumque inspiciens, numquid mihi ad mollitem mater, vel ad luxum addidisset, ea tollebat. » Notent hoc paedagogi principum. Quocirca otii inimicus, si non bellaret, venabatur: qua in re leonem grandem confecit; quod videns quidam exclamavit: « Macte, Alexander, ista cum leone de regno est pugna. » Videns ipse Darii jam victi ampullas, alabastros, lectos, mensas, domusque odorum et unguentorum, oculos ad suos intendens: « Hoc nimirum, ait, erat regnare? »

Octava. OCTAVUM, fuit ejus continentia. « Temperare sibi, ait Plutarchus, magis regium ducebatur quam hostes vincere : speciosissimas Darii filias et conjugem nec attigit, nec mulierem ante nuptias cognovit, excepta Barsene. » De aliis feminis pulchris joco dicebat : « Quam magni oculorum dolores sunt Persides ! » Ad æmulationem vero formæ illarum, ostentans se victorem concupiscentiae, sicut inanimatas signorum imagines transmittebat eas. Audiens quasdam a suis vitiantas, scripsit Parmenioni, ut eos tanquam belluas natas ad corruptelam hominum puniret et interficeret : « Ego enim, ait, non solum non vidi Darii uxorem, aut videre cogitavi; sed nec verba facientes de ejus decore sustinui audire. » Dicebat : « Cognosco me mortalem esse ex somno et concubitu ; quod ab eadem imbecillitate nataram incessat lassitudo et voluptas ; » quodque concubitus videatur esse parva epilepsia, ut aiebat Democritus. Sane hoc in Alexandro præaliis fuit admirandum.

Nona. NONUM, fuit magnanimitas : fuit enim ipse « supra humanam potentiam magnitudine animi præditus, » inquit Justinus. Puer, tentatus a ministris, quia pernix erat pedibus, an Olympiis certare curriculo vellet ? « Sane, ait, si habiturus sim adversarios reges. » Dolebat de Philippi patris victoriis, quasi ipse illarum laudem sibi præriperet. Bucephalum equum ferum et indomitum, qui sessorem non admittebat, insidens perdomuit; tum ei pater : « Quære, ait, fili, partibi regnum : siquidem non capit te Macedonia. » Gloriam regno et vitæ anteferebat. In summa sit oblatam sibi in galea aquam respuit : « Nam ego ait, si solus bibero, hi (milites monstrans) elongescent. » Dario pacem petenti rescripsit : « Concedo ea lege, si secundus mihi, non par haberi velis. Proinde aut deditioñem hac die, aut in crastinum aciem para. » Gaudebat se cum omnibus Darii copiis configere, veritus longam belli moram, si is exercitum divisisset.

Decima. DECIMUM, fuit justitia, æquitas et liberalitas in suos. Inter judicia dum diceret accusator, manum admovebat alteri auri, dicens, « eam integrum reo servari. » Moriens rogatus quem regni faceret hæredem, respondit : « Dignissimum. Tanta magni illius animi fuit æquitas, ut, cum Herculem filium, cum Aridæum fratrem, cum Roxanem uxorem prægnantem relinquaret; oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet hæredem : prorsus quasi nefas esset, viro forti alium quam virum fortem succedere, aut tanti regni opes aliis quam probatis relinquiri, » ait Justinus. Iturus ad bellum suis prædia distribuit. Cui Perdiccas : « Tibi, ait, rex, quid reliquum fecisti ? » Respondit ille : « Spes meas. » Tum Perdiccas : « Nos quoque qui tua auspicia sequimur, harum erimus consortes. » Uxor Darii capta cum Hephaestionem putans Alexandrum, quasi regem salutasset, et cognito errore, erubesceret,

Alexander eam animans : « Non errasti, ait, nam et hic Alexander est. » Æs alienum militum creditoribus de suo dissolvit; erat id decem millia talenta demptis 103. Parentum demortuorum stipendia filiis attribuit.

Undeclima. UNDECIMUM, fuit in eo insignis in victos clementia, et in omnes, etiam hostes, fides. Mazaeus Darii præfectus olim, et pro eo pugnans contra Alexandrum, victo Dario, ampliori ab eo præfectura auctus : « Rex, ait, olim unus erat, Darius, nunc tu multos fecisti Alexandros. » Porum Indiae regem victum et captum rogavit Alexander, « qua ratione tractari vellet ? Regaliter, » ait Porus. Adjiciente Alexandro, nihilne aliud vellet : Omnia, inquit, verbum *regaliter* complectitur. Igitur regnum ei sub satrapæ nomine restituit, et novam insuper ei regionem adjecit. Taxiles pariter in India rex timens bellum ab Alexander, cum haec ad eum diceret : « Quid bellis inter nos opus est ? si ego opibus abundantior sum, impertiar tibi libens : sin inferior, non recuso accipere abs te grato animo beneficium. » Delectatus hac oratione, eumque complexus Alexander : « An tu, ait, pugnam hac comitate evades ? Nequaquam ; quippe contendam tecum, et depugnabo beneficiis, ne me superes beneficentia. » Quare muneribus acceptis, datisque pluribus, denique mille talenta argenti ei elargitus est. Porro Darii matrem, uxorem, filias adeo benigne et magnifice habuit, ut Darius moriens ei gratias egerit, sibique de tali successore gratulatus sit. Unam ejus filiam ipse uxorem duxit, alteram Hephaestionem, intimo suo nuptui dedit. Quocirca, Alejandro mortuo, omnes ejus mortem, æque ac parentis deplorarunt, ipsaque Darii mater inedia se interemit, de quo plura cap. viii, 8.

Duodecima. DUODECIMUM, fuit ejus eruditio, et in litteratos Duodecima. amor ac favor. Præter alios Aristotelem quinquennio habuit magistrum, ad quem postea scribens : « Ego, ait, optimarum rerum scientia mallem me, quam potentia præcellere. » Aristotelem coluit non secus quam parentem, « quod hujus beneficio viveret, illius honeste viveret. » Xenocrati misit quinquaginta talenta. Iliadem Homeri semper cum pugione repositam habebat sub pulvino; adeoque inter gazam Darii inventiens scrinium pretiosissimum, illam in eo repositum. Diogenem veneratus est, de eoque dixit : « Ego nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem. » Insuper coluit Anaxarchum, Dandanum, Galanum philosophos. Ex quibus Calanus hoc imperii sui speculum ei ob oculos posuit. Conjectit in medium corium siccum et retorridum, cuius oram calcavit. Id uno loco pressum, cæteris extulit se. Idem, circulans undique, et pedibus premens in qualibet parte, evenire ostendit, donec medium pedibus occupavit : tunc enim omnes partes quieverunt. Eo symbolo significavit, media regni maxime premenda, neque pro-

cul ab iis vagandum esse Alexandro. Illustris vero fuit ejus dissertatio cum Gymnosophistis decem, quos quasi hostes bello cuperat. Proposuit hisce quæstiones obscuras, necem denuntians ei qui male respondisset : unum natum maximum dedit judicem. *Primum* interrogavit, « vivosne plures conseret an mortuos? Vivos, ait, neque enim jam esse eos qui mortui sunt; » *secundum* interrogavit : « Terra an pelagus grandiores gigneret bellugas? Terra, ait, quippe cuius portio est pelagus; » *tertium* : « Quod animal callidissimum esset? Quod hactenus, ait, homo non cognovit; » *quartum* : « Cur Sabam ad rebellionem contra me concitasti? Ut honeste, ait, viveret, aut male periret; » *quintum*: « An diem, an noctem putaret fuisse priorem? Diem, ait, uno die. » Rego mirante, adjecit implicatarum quæstionum necesse esse ut implicatae essent responsiones. *Sextum* : « Qua ratione quis maxime se charum efficiat? Si potentissimus, ait, ille, nec formidabilis sit; » *septimum*: « Quomodo ex mortali quis evadat Deus? Si quid fecerit, ait; quod denegatum sit homini; » *octavum*: « An vita, an mors esset valentior? Vita, ait, quæ tam multa tolerat mala; » *nonum*: « Quousque hominem vivere deceat? Quousque, ait, censeat satius esse vivere quam mori. » Ita tandem versus ad judicem, qui *decimus* erat, pronuntiare eum jussit sententiam. Qui cum alium aio segnus dixisset respondisse : Ergo tu, inquit, primus moriere qui ita decernis. Minime vero rex, ait ille, nisi tu mentiaris, qui primum dixisti te interfeturum illum, qui pessime respondisset. Hos ergo munieribus honoratos dimisit. Ita Plutarchus.

His adde externa, nam *primo*, fuit in eo ingens nominis terror, indeque ingens omnium erga eum reverentia, admiratio et subiectio, quæ omnes gentes, etiam remotissimas, compulit, ut ad eum legatos mitterent pacis causa. *Secundo*, barbarorum mores correxit, eosque humanos et civiles effecit. *Tertio*, Alexandriam, atque alias civitates, usque ad septuaginta condidit. *Quarto*, formavit et post se reliquit duces præstantissimos, quasi alumnos suos, scilicet Seleucum, Antigonom, Ptolemæum, Aridæum, Cassandrum, etc., atque gestorum suorum scriptores habuit plurimos gravissimos et disertissimos.

Fuit ergo Alexander quasi miraculum et portentum naturæ, videturque Deus in eo ostendere voluisse quousque se porrigeret possit natura : hæc enim in Alexandro quasi exseruit extremum potentiae suæ. Quod si hæc natura pari gratia fuisset decorata, et ab ea directa, quid non fecisset? Verum non hos elegit Dominus, sed infirma mundi, ignobilia, et ea quæ non sunt, ut fortia et gloriosa confundat, ut non gloriatur in conspectu ejus omnis caro. Nunc ergo sæpe virtus divinae gratiae in infirmitate naturæ nostræ perficitur. Altius enim per Christum elevavit nos Deus, voluitque nos uti et niti viribus gratiae ma-

gis quam naturæ, ut ductum Spiritus sequamur, non sensus, non animi, non instinctus naturalis. Quocirca videmus in christianismo infirmas et teneras virgines ac pueros per gratiam Christi fuisse fortiores Alexandro, ac superasse non tantum reges et tyrannos, sed et equuleos, gladios, ignes, leones, et quidquid in mundo erat vel specie amabile, vel acerbitate terrible.

Rursum voluit Deus Alexandrum fidelibus statuere in speculum, et cotem virtutis. Si enim Alexander solis naturæ viribus tanta præstitit, quanta nos viribus gratiae, naturam longe superant, instructos facere oportet? Si gloriae vanæ et caducæ cupidio Alexandrum ad tam heroica facinora impulit, quam ardua nos capessere et designare decet, quibus cœlestis et immortalis regni bravium, atque æternum gloriae pondus jugiter ob oculos proponitur? fuit hoc Alexandri axioma, teste Curtio, lib. VII et VIII : « Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit eniti. » Quocirca in Sogdiana regione rupem inaccessam, et a triginta armatorum millibus insessam obsidens, irrisus ab Arimaze rupis præfecto, rogatusque : « An Alexander volare possit? Faciam, ait, proxima nocte ut credas Macedones volare. » Itaque trecentos juvenes fortissimos ingentibus promissis excitatos, per prærupta saxa et invia a tergo in rupis verlicem clam concendere fecit; itaque rupem occupavit, et Arimazem cruci affixit. Quid jam arduum, quid difficile, quid impossibile censeat generosus Christi miles, cui hoc axioma a Christo proponitur : « Nihil tam alte natura constituit, quo gratia Christi non possit eniti? Confidite, nolite timere: ecce ego vobis cum sum, » etc.; cum Alexandrum christianum, Paulum inquam, intuetur et audit: « Omnia possum in eo qui me confortat; » et: « Quis nos separabit a charitate Christi? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, nec creatura alia, » etc.

Quæres *SECUNDO* : Cur regnum hoc vers. 33, *Cur re-*
comparatur ventri et femoribus? Respondeo
primo: Quia, sicut venter subjacet pectori et bra-
chiis, sic regnum Alexandri proxime successit
regno Persarum. *Secundo*, sicut venter omnem ci-
bum ad se trahit, sed eum statim per membra
dispergit et dispersit: ita Alexander plurima
regna subget, sed statim moriens eadem suis
ducibus divisit. *Tertio*, notatur in ventre insignis
Alexandri intemperantia et ebrietas, de qua Curtius, lib. V, quæ ei mortis fuit causa. Cum enim Alexander Proteæ, bibacissimo Macedoni, pocu-
lum ingens (duos capiebat congios) propinans
exhausisset, Proteas illud accepit, ac vicissim
idem Alexandro propinavit, qui rursus illud ebi-
bit, sed perferre non potuit: nam mox poculo e
manibus lapso in pulvinar reclinatus, ac morbo
correptus succubuit, decubuit, interiit, sui ho-
micina. Testis est Athenæus, lib. X, xi. *Quarto*, *Quarta*
in femoribus significatur luxuria non tam Alexan-

gnum
græco-
rum
compa-
ratur
ventri?
Causa
prima.
Secunda.

Tertia.

Alexan-
der po-
tando se
ccidit.

dri, quam successorum ejus Ptolemæorum in regno *Egypti*, qui solemne habebant sorores suas ducere in uxores. Alexander enim luxuriosus adeo non fuit, quia ebriosus : ebriosi enim sicut vino sopiunt sensus, ita et sopiunt hebetantque orexin ad venerem : rursum, semen prolificum vino diluunt et dissipant.

Vers. 40. ET REGNUM QUARTUM ERIT VELUT FERRUM. — Hoc est regnum, ait S. Hieronymus et alii passim, Romanorum, armis et fortitudine inclytum, quod vers. 33, assimilatur tibiis : quia ultimum fuit et firmissimum, idque duabus : quia imperium hoc apud plures fuit, scilicet *primo*, apud duos Consules; *secundo*, apud Duumviros; *tertio*, apud duos imperatores, unum in Oriente, alterum in Occidente; unum Constantinopoli, alterum Romæ, vel in Germania agentem. Hinc ejus insigne est aquila biceps, sive duorum capitum : inde in castris vexillifer dictus est *aquilifer*, et vulgo voce contracta *aliero*. Recte Poeta :

Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos.

Porro in ferro notatur tum bellica vis, tum duritia Romanorum in continuis laboribus, vel agrorum, vel armorum, quibus sibi invictum robur corporis et animi parabant. Audi quæ de priscorum Latinorum exercitiis canit Virgilius, lib. IX *Aeneid.*:

Durum a stirpe genus : natos ad flumina primum
Deferimus, saevoque gelu duramus et undis,

puta gelidis undis.

Venatu invigilant pueri, sylvasque fatigant :
Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum, parvoque assueta juventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versaque juvencum
Terga fatigamus hasta : nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem :
Canitiem galea premimus, semperque recentes
Convectare juvat prædas, et vivere capto.

Scipio Africanus, ut habeatur *Epitome LVII* : « Duo millia scorforum a castris rejicit : omnia deliciarum instrumenta recidit : militem omni die in opere habuit : triginta dierum frumentum, ac septenos vallos ferre coegit. » Spartanus de Pescennio scribit, eum jussisse ut in expeditione nemo vinum biberet, sed aceto omnes essent contenti. Idem pistores sequi castra vetuit, buccellato jubens omnes vivere. Quisque ergo miles et arma, et cibum saltem dimidiati mensis portabat. Insuper Romani milites erant fabri tignarii, navicularii, etc.; neque minus apte gladios et hastas, quam secures, dolabras falcesque tractabant. Testes hujus rei sunt milites Cæsariani, qui, ut ipse ait Cæsar, materiam cædebant, unde pontes, naves, machinasque urbibus oppugnandas ædificarent. Frumentum ipsi ex agris meto-

bant, et in castra deportabant. Lecti erant e stramine, unde segestria appellata vult Varro lib. IV. Ludos gladiatoriis instituebant, ut, cum in arena pugnas et ferrum et vulnera tractassent, imo exceptissent, in acie dimicantes, hostes non timebant, neque vulnera et saanguinem perhorrescerent, inquit Capitolinus in *Vita Maximi*. Plura vide apud Lipsium, *De Mœtia Rom.*, et nostrum Valtrinum *De Re militari Rom.* lib. I, cap. iii et iv.

COMMINUET ET CONTERET OMNIA HÆC, — per exercitus, quos ad continendos in obedientia populos in singulis provinciis alebant. Unde Tertullianus, lib. I *Contra Judaeos*, cap. vii : « Quid de Romanis, ait, dicam, qui de legionum suarum præsidiis imperium muniunt? » Itaque sparsas per gentes alebant continuo triginta duas legiones, ex quibus octo erant in Germania, aliæ in Hispania, Asia, Africa, etc., uti docent Cardinalis Baronius et alii. Hæ enim gentes apud quas residebant, aliasque vicinas pessumdabant et comminuebant. Has autem legiones alebant tributis, quæ provinciis indicebant; et ad ea colligenda, atque provincias in officio continendas, mittebant in eas Prætores et Proconsules. Unde et Cicero Quinto fratri in præfectura Asiana duo commendat, scilicet publicanorum curam ad exigenda tributa, et militum præsidia ad continendas provinciales. Hisce duobus Romani omnia regna contriverunt, sibique subjecerunt, ut magnifice sed vere dixit Martialis :

Terrarum dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, et nihil secundum.

Et Livius, lib. I : « Nulla, ait, unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. » Et Claudianus :

Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec spatium visus, nec corda decorum,
Nec laudem vox ulla capit; quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris :
Armorum legumque parens, quæ fundit in omnes
Imperium.

Hinc illa vulgata : « Romanos rerum dominos;
Romam mundi caput, mundi miraculum, mundi
compendium, arcem nationum ac regum, lumen
gentium. » Denique Propertius :

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.

Et Plutarchus : « Romanum imperium, ait, velut anchoram fuisse fluctuanti mundo. »

41. REGNUM DIVISUM ERIT. — Rabbini putant hic Vers. 41. significari quintum imperium, nimirum Turcarum. Sed errant : Daniel enim tantum quatuor hic consignat, et de quarto ait, quod in eo ferrum permiscebitur testæ. *Rursum* cum de eodem ait : « Regnum divisum erit, » plane significat idem regnum fore, sed in se divisum. *Tertio*, cum de

eodem ait vers. 42 : « Ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum, » clare indicat se non aliud novum imperium, sed ejusdem imperii varios status significare. Facessant ergo Judæi qui divisum Romanum imperium interpretantur in Romanos et Turcas : nec enim Turcæ sunt pars, sed hostes jurati imperii Romani. Dico ergo imperium Romanum prædici hic fore « divisum, » id est differens viribus, item dissidens et discors, ut cum plebs in senatum, Sylla in Marium, Cæsar in Pompeium, Augustus in Antonium, et alii deinceps in alios insurrexerunt : multi etiam imperium invaserunt. Unde digitæ pedum significant inæqualitatem principum, cum plures sunt, dum alii majores, id est potentiores, opprimunt minores : hi deinde potentioribus invidunt. Potissimum vero divisum fuit hoc regnum, ideoque enervatum, cum variæ gentes ab ejus obedientia se subduxerunt, sibique proprios reges crearunt, uti fecerunt Hispani, Poloni, Angli, Franci, etc. Porro hæc regna fuerunt et sunt inæqualia, alia majora, alia minora, sicuti digitæ pedum inæquales sunt, alii majores, alii minores. Rursum ex duabus tibiis oriuntur decem digitæ pedum, et in eis tota statua desinit : quia Romanum imperium in fine mundi dividetur in decem reges, quorum nullus erit rex Romanorum, sicut nullus digitus est tibia. Digitorum enim extremitas finem continet imperii deficientis et quasi exspirantis (1).

Hinc initio hoc regnum fuit ferreum et validum, deinde fistic et « contritum, » id est facile contritu, scilicet cum Romani bellis civilibus se attriverunt; et cum Gothi, Alani, Vandali illud impetierunt ita valide, ut saepius Romani ab eis pacem flagilare, imo opem contra alios imperii hostes poscere coacti fuerint. Ita S. Hieronymus. Vide Paulum Orosium, lib. VII *Histor.* cap. xxii. Atque in fine mundi a decem regibus plane revertetur.

Nota : Hæc divisio orta est « ex plantario » ferri : Vatablus verlit, *ex firmitate*, id est ex planta pedis statuæ, quæ ferrea erat. Secundo et

(1) Tres versus 41, 42, 43 referendi sunt ad divisionem posterius factam, imperii Romani in imperium Occidentale et in imperium Orientale (duo pedes), et rursum ad divisionem hujusc duplicitis imperii in tot partes quot fuere in Europa regna, a migratione populorum (decem pedum digitæ, ubi decem pro rotundo numero sumitur). Istorum imperiorum basis est ferrea, eo quod ex imperio Romano oriunda sunt, juxta Romanum jus instituta, et proxime aliquod Romanum imperium sub variis formis semper subsistat. Testa ferro permixta est. Porro testa Germaniæ populos, et singularem horum politici status naturam præfigurat, quorum inconstancia et mutabilitas nunquam aliud imperium Romanum quod toti orbi dominetur, emergere sinet. Præterea tales sunt Romanorum populorum cum Germanis permixtio et consociatio, ut nunquam ita arctissime inter se conjungantur, ut alia universalis monarchia exsurgat, licet omnes Romano-Germanici principes inter se propinquitatis vel affinitatis vinculis vinciantur. (D'Allioli.)

melius vertas, *ex plantario*, id est ex radice, *pedis ferrei*, ita Græca : μέτια enim significat radicem : et Chaldaice נִתְסֵבֶת nitsebet, plantationem significat. Unde Biblia Complutensia hic legunt, *de plantatione ferri*. Melius Romana, *de plantario ferri* : sic enim plantaria, teste Servio, vocantur ipsæ plantæ, quæ e semine ortæ, cum radicibus et terra propria transferuntur de uno loco in alium, q. d. Ex fortitudine et divitiis, quæ erant quasi ferrum, id est robur Romanorum, tanquam e radice pullulabit eorum ambitio, indeque discordia, dum nec Cæsar Pompeium superiorem, nec Pompeius Cæsarem parem patietur, et ut Alexander legatis Darii pacem et regni divisionem offerentibus, respondit : Sicut mundus non fert duos soles, sic nec duos monarcas, aut Cæsar, aut nihil. Sic ergo Romæ, ex aristocracia nata est tyrannis. Hoc est quod canit Petronius Arbiter in *Satyr.* :

Planta-
ria, quid?
Mundus
non fert
duos mo-
narchas,
uti nec
duos so-
les.

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque.

Mox imperii vires lacerasse discordiam docet :

Namque omnis regia cœli
In partes diducta ruit.
Infrenuere tubæ, ac sciso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput,

jubens factionibus discindi Romam. Ac concludit :

Factum est in terris, quidquid Discordia jussit.

Quocirca Junoni, quæ regnorum præses habebatur, malum punicum dedicaverunt veteres, quod in ejus manu Mycenis spectabatur, cum altera sceptrum gestaret. Sicut enim in malogranato, sub uno exterius cortice multa interius grana uniuntur : sic plurimos cives unitas politiæ continent, quos intus diversitas familiarium distinguit. Malogranatum ergo est symbolum unionis et concordiæ, quæ reipublicæ est basis et fulcrum, imo anima et vita. Hinc et pontifex Mosaicus in tunica ima gestabat tintinnabula mixta malogranatis, quæ unitatem Ecclesiæ significabant, teste Eu-cherio et S. Gregorio, in *Cant.* iv, quod scilicet multæ gentes conspirarent in eumdem sonum, hoc est, in eamdem fidei professionem, Deique laudem quasi tintinnabula; et in eamdem animorum unionem ac charitatem, quam notat malogranatum in mira illa, et, ut S. Hieronymus ait, in *Aggæi* ii, quasi geometrica compositione granorum in diversis mansiunculis uno cortice comprehensorum. Ita Prado in *Ezech.* xix, 10.

43. COMMISSERUNTUR QUIDEM HUMANO SEMINE. — Vers. 43. Notat Daniel democratiam, vel aristocratiam Romanorum, q. d. Romani ad sedandas discordias jungent potentium connubia, facientque eos affines et cognatos; sed hæc conjunctio et affinitas instabilis erit et infirma, uti est mixtio ferri cum testa; nam « summa potestas impatiens consortis

erit. » Hujus rei veritas patuit in connubio Pompeii cum Julia Cæsaris filia, et Marci Antonii cum Octavia sorore Octavii Augusti, atque aliis. Nam hæc connubia ambitionis foederare non potuerunt, quin in cædes et bella erumperent. Sic et hodie videamus regum connubia late regnandi aviditatem, indeque orta litigia et bella non tollere : major enim et potentior est vis ambitionis quam cognationis. Aliqui sic explicant, q. d. Imperium Romanum multas gentes, alias fortiores, alias imbecilliores continebit (semina enim pro gentium et hominum varietate posuit); sed non cohærebunt sibi, nec sociabuntur, sicut nec testæ ferrum permisceri potest, ideoque totum tandem imperium dissolvetur. Verum hæc divisio provinciarum fuit etiam tunc, cum maxime floreret imperium Romanum : nec hæc fuit causa ruentis imperii, quod in eo ferrum testæ, id est fortiores gentes infirmioribus sociarentur. Prior ergo expositio prior est.

Hæc ergo est statua una, sed quadrifida, ob quatuor regna : unde *Zachar.* cap. vi, 4, eadem quadrigis disparibus comparat.

Vide hic rursus regnum et regum vanitatem et inconstantiam : statua hæc bases, id est pedes habet testaceos : quid testa, quid luto vilius, mollius, fragilius ? Primum Babylonis imperium cœpit a Nabuchodonosore, finitum est in Balsasare, eversum a Cyro; stetit annos tantum 70. Secunda Persarum monarchia cœpit a Cyro; desiit in Dario, eversa est ab Alexandro; stetit annos ducentos.

Tertia Græcorum cœpit ab Alexandro, inde mox divisa fuit in regna Ægypti, Syriæ et Macedoniæ: stetit in Ægypto usque ad Augustum Cæsarem, qui Cleopatram cum Antonio ad spontaneam mortem adegit, regnumque Ægypti everlit; stetit, inquam, annos 288.

Quarta Romanorum, quæ cœpit a Julio Cæsare et Augusto, adhuc durat; sed quam divisa et debilitata ! Imperium tamen Romanorum et Romani senatus fuit longe antiquius, illudque labascere cœpit sub Cæsare et Augusto ob discordias et bella intestina. Unde horum discordiæ et connubia recte comparantur hic pedibus statuae mixtis ex ferro et testa. Pedes enim sunt extrema statuae, in quibus ipsa finitur et desinit: ita hoc imperium interire et desinere cœpit sub Augusto, ac per Christum tunc nascentem eversum, uti subdit Daniel.

Moraliter, speculum hoc intuemini, o filii Adæ ! ac discite, quia « omnis potentatus vita brevis. » Ubi nunc est Nabuchodonosor ille inclitus ? ubi Cyrus ? ubi Darius ? ubi Pompeius ? ubi Augustus ? vixit, valedixit, valete et plaudite. Ubi Cæsar ? ubi Antiochus ? ubi Alexander ?

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis,
Sarcophago contentus erit : mors sola fatetur
Quæcula sint hominum corpula.

Alexandrum heri totus orbis capere non potuit, hodie urna sex pedum capit : heri Alexander orbi, jam lumbrici dominantur, imo depascuntur Alexandrum. An non « in imagine (instar umbræ et umbratilis imaginis) pertransit homo, et frustra conturbatur ? Et nunc, reges, intelligite : erudimini qui judicatis terram : servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. » Alexander transiit, mortuus est, et comestus a vermibus et vos transibitis, moriemini, et a vermibus comedemini. Alexander in inferno sepultus est : cavete ne et vos ibidem sepeliamini.

Ubi jam Babylon ? ubi Ninive ? ubi Hierosolyma ? ubi Roma orbis domina, arx totius mundi, dominus fortitudinis, imperii majestas, terror universi, triumphorum gloria ? an non testacea fuit, fragilis, caduca ? Vere noster Lipsius, lib. III *De Magnitud. Romana*, cap. II : « O spes et res humanae ! quid estis ? quo itis ? huc flectite. En potens et superba illa Roma, quæ urbs æterna audiebat, quæ victura cum sæculis, quæ deorum opus et cura, tota periit, condita in ruinis suis jacet, et laboramus eruere et astruere magnitudini ejus fidem. »

Certe vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid est vita nostra ? quid regnum ? quid gloria ? vapor Quid re-
est, somnium est, folium est. Homerus, lib. VI *Iliad.*, homines comparat cum arborum foliis, quæ modo virescunt, modo arescunt; nunc pulchritudine decorantur, nunc a vento rapiuntur. Euripides hujus sæculi felicitatem asseruit tantum durare per unum diem ; Demetrius vero Phalereus per unum duntaxat temporis punctum. Quid ergo est rex ? quid monarcha ? homo est. Homo quid est ? est umbræ somnium, inquit Pindarus. Quid est homo ? « est animal quo nullum est debilius et inconstantius, » inquit Menander : nullum enim animal est quod crebrius ac velocius modo surgat, modo cadat, quam homo. Quid est homo ? « Est fortunæ lusus, inconstantæ imago, temporis spolium, corruptionis exemplum. » Quid est homo ? « Est universa vanitas, » ait Psaltes *Psalm. xxxviii*, 6; « Deum ergo time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. » Cœlum cogita, æterna cogita.

44. IN DIEBUS AUTEM REGNUM ILLORUM, — cum Vers. 44 scilicet quatuor regna jam dicta suum tempus, sua spatia regnandi habuerint, eaque evoluta fuerint usque ad ultimum, hoc est, Romanis jam regnantibus.

SUSCITABIT DEUS COELI REGNUM, QUOD IN ÆTERNUM Quintum regnum Christi spiritualiter est et æternum.

postaticæ cum Verbo, esset etiam temporalis rex orbis, imo rex regum et monarcha mundi; tamen ipse hoc regno et hac potestate regali uti noluit, sed tantum regno et potestate sua spirituali. Unde hoc spirituale ejus regnum tantum inculcat Daniel, aliique Prophetæ.

Perperam ergo hoc loco abutuntur rabbini, ut probent Messiam needum venisse. Objiciunt enim: Hic lapis dicitur contrivisse aurum, argentum, æs et ferrum statuæ, id est imperia Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum; atqui imperium Romanorum videmus needum esse contritum, sed adhuc stare; ergo lapis hic, id est Messias, qui illud conteret, needum venit. Respondeat primo Theodoretus hic, et Tertullianus lib. extremo *Contra Judæos*, Christum non nunc, sed in fine mundi, puta in die judicii, destructurum omnia regna mundi, nimirum plane et perfecte. Verum amplius aliquid vult Daniel, scilicet id eum facturum in primo suo adventu, mox a sui ortu.

Respondeo ergo Messiam contrivisse hæc omnia imperia, non quoad temporale et terrenum dominium, quod parvi est momenti; sed quoad mysticum et spirituale, quo per gentilismum et idolatriam dominabantur tam mentibus, quam corporibus hominum, eosque dæmoni, inferno et pœnis æternis mancipabant; quæ tyrannis erat acerbissima, sub qua duram servitutem serviebant omnes gentes, gementes sub ejus jugo. Hanc tyrannidem evertit Christus, hominesque hoc eorum servitutis jugo liberavit, dum eos suæ fidei subjiciens, in Dei gratiam, libertatem, et salutem æternam asseruit. Regnum ergo Christi non est caducum et terrenum, sed stabile et cœleste; regnum enim Christi est Ecclesia. Id ita esse patet,

primo, quia lapis hic quem vidit Daniel, cum esset parvulus, non poterat tantam statuæ molem ex ære, ferro, auro et argento compactam prostertere physice et corporaliter: ergo mystice et spiritualiter, ac symbolice (est enim hæc visio tota symbolica) id accipendum est, nimirum ut significet, quod Christus humilis et pauper sua humilitate, mundique contemptu dejecturus esset in mentibus fidelium per totum orbem, omnem ambitionem, pompam et fastum humanæ gloriæ et concupiscentiæ, quam ingens hæc statua, ostentatione, mole et pretio metallorum repræsentabat.

Secundo. Secundo, quia imperium Romanorum stabit ad finem mundi, scilicet usque ad Antichristum, qui illud destruet, ac mox ipse destruetur a Christo judice, qui evertens omnia regna terrena, inducit regnum beatum et gloriosum in cælis, uti docet Daniel, cap. vii, 13. Ergo frustra Judæi exspectant Messiam, qui Romanorum imperium destruat, ac pro eo regnum hic terrenum et longævum instar Salomonis inducat: stabit enim, ut ait Daniel, Romanorum regnum usque ad finem mundi. Ergo Messias suum regnum triumphans et gloriosum non habebit in hoc mundo, sed in cœlo.

Quocirca ait Daniel hic: « In diebus regnorum illorum, » q. d. Stante adhuc regno temporali Romanorum, orietur regnum spirituale Christi.

Tertio, spiritale fore regnum Messiae, non terrenum et corporale, docet diserte Daniel cap. ix, ubi definiens tempus Messiae, nimirum eum venturum post 70 hebdomades annorum, id est post 490 annos, ait de eo: « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam (non ut reducatur regnum Salomonum et Judaicum, sed) ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. » Vides, o Judæi! regnum Christi non fore in exercitibus, pompis et triumphis, sed in abolitione prævaricationis et peccati, ut pro eo inducantur sanctitas et justitia, eaque in christianis toto orbe regnet. Insuper, Daniel et Prophetæ aiunt Christi regnum fore æternum: ergo intelligunt cœlestis; nullum enim regnum in terris potest esse æternum. Hoc est quod Christus Pilato roganti an rex esset, respondit: « Regnum meum non est de hoc mundo. » Licet ergo pontifices jam habeant dominium temporale, id tamen non habent qua vicarii Christi, sed quasi accessorium ex donatione Constantini, Caroli Magni, Machiælis et aliorum piorum principum.

Quarto, quia Daniel et Prophetæ docent Messiam in hac vita adeo non fore potentem et splendidum, ut plane significant eum fore pauperem, abjectum, passurum, moriturum et crucifigendum, ut sua cruce et morte satisfaciat Deo pro peccatis nostris, eaque in suo corpore luat et expiat. Audi Danielem, cap. ix, 26: « Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est, » ut Judæi eum negarunt coram Pilato, dicentes: « Non habemus regem nisi Cæsarem. » Audi Isaiam, cap. lxx, 2: « Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti; non est species ei, neque decor, etc., vidimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. » Et vers. 7: « Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. » Et vers. 5: « Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, affritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. » Similia habet David Psal. xxi: « Foderunt manus meas et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea, » etc. Et Jeremias cap. xi, 19: « Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, et non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium. »

Quinto, quia regnum Christi non fore in carne, sed in spiritu rebusque spiritualibus docent omnes Prophetæ. Isaías, cap. xi, 2: « Requiescat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus

scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Judicabit in justitia pauperes. » Et cap. XLII, 1 : « Dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet. » Et vers. 6 : « Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium, ut aperires oculos cœcorum, » etc. Et cap. XLIX, 6 : « Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. » Et cap. LXI, 1 : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuelis misit me, ut medereremur contritis corde, etc., ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, et ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, et vocabuntur in ea fortis justitiae. » Talia passim habet Isaías. Et Jeremias cap. XXXI, 33 : « Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel, etc. Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me; quia propitiabor iniqüitatibus eorum, et peccati eorum non memorabor amplius. » Et cap. XXXIII, 15 : « In diebus illis germinare faciam David germen justitiae (Christum), et faciet judicium et justitiam in terra : et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. » Et Zacharias cap. IX, 9 : « Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinum, et super pullum filium asinæ, » etc.

Quod ergo subinde prophetæ dicunt, Christi regnum fore potens, et abundans auro, argento, vino, oleo, etc., id mystice accipiendum est. Gratiæ enim, et dona spiritualia Christi vocant metaphorice aurum, argentum, vinum et oleum; quia Judæi carnales hæc tantum bona norant et adambabant; nec spiritualia, nisi per corporalia mystice repræsentata, capiebant.

Denique ita docent S. Augustinus, tract. CXV in Joan. Tertullianus, Cyprianus et alii in libris quos contra Judæos scripsérunt, S. Bernardus, serm. 3 super Missus, et alii passim, ac interpres orthodoxi omnes.

Porro hæc eversio gentilismi, et hoc regnum spirituale Christi cœpit mox a Christo per S. Petrum, Paulum, et alios Apostolos; unde et tunc Claudius imperator multa sacrificia, multaque deorum festa abrogavit, hoc titulo, quod magni sumptus, multique dics cum damno publico in iis insumerentur: sed altiore Dei consilio dirigebatur ad abolendam sensim idolatriam, et ad viam Christo, Christique regno sternendam. Testis est Dio, lib. VI, et ex eo Baronius, tom. I Annal. Pau latim deinde crevit hoc regnum Christi, adeo ut sub Constantino totum imperium pervaserit, ipsumque imperium Romanum eousque gentilitium, cum suis imperatoribus factum sit christianum.

Nam, ut ait S. Gregorius, epist. 60: « Constantinus piissimus imperator rem publicam a perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Domino Jesu Christo se subdidit, et cum subjectis populis tota ad Deum mente convertit. » Quocirca imperatores a Pontifice confirmantur, consecrantur et coronantur. Et S. Hieronymus ad Lætam : « Deposuit, inquit, pharetras Armenius, Hunni discunt psalterium, Scythiæ frigora fervent calore fidei. Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiæ circumfert tentoria, » etc. Christus ergo nascens verius fuit Augustus, quam ipse Augustus Caesar: auxit enim suos augusta gratia, salute, omnique bono. Ita Venerabilis Beda in illud Luce cap. I : « Exiit edictum a Cæsare Augusto, » ubi docet Augustum, quasi egentem et angustum, ab hominibus exegisse censem et tributum; Christum vero quasi divitem et augustum illud ei dedisse, eumque ac multo magis fideles suos ditasse. Quocirca Christo nato Augustus noluit amplius vocari imperii dominus, imo, ut multi tradunt, Christum sibi in visione ostensum in Capitolio adoravit: inde enim locus dictus videtur Ara cœli, qui etiamnum hoc nomine a multis colitur et visitur, insigni templo, quod Religiosi S. Francisci obtinent, illustris. Ita ex Suida, Cedreno et Nicephoro Baronius in Prolegom. Annal.

45. DE MONTE ABSCESSUS EST LAPIS SINE MANIBUS. — Hoc Christi regnum comparatur lapidi duro, quia Christus est petra supra quam fundata est Ecclesia, quæ est regnum ejus æternum; et quia Christus instar Davidis percussit Goliath, id est dæmonem lapide, id est humilitate et duritie passionis et crucis suæ.

Nota: Lapis hic « abscissus est de monte, » id est de dæmons, aiebat Vigilantius, cui humana natura per peccata et vitia adhæserat; sed hanc ejus blasphemiam refutat S. Hieronymus, epist. 75. « De monte » ergo, id est de populo et Ecclesia Judaica, quæ inter gentes quasi mons eminebat, ait S. Augustinus, tract. IX in Joann. Vel potius « de monte, » id est de B. Virgine, quæ quasi mons habuit omnium virtutum et gratiarum sublimitatem. Ita idem Augustinus in concione ad catechum., et S. Hieronymus, Theodoreus, Lyranus et alii.

Nota secundo: Lapis hic « abscissus est sine manibus; » tum quia Christus, qua Deus, a Patre genitus est sine manibus creationis, ait S. Ambrosius, serm. 70. Tum potius, quia Christus, qua homo, a Spiritu Sancto formatus est in utero B. Virginis sine opera virili. Unde S. Hieronymus, epist. ad Eustochium de custodia virginit. cap. XXII, notat hic, uti et Cant. VI, manus sumi pro opercuptiali. Sic et Irenæus, lib. III, cap. XXVIII, Justinus, Dialogo contra Tryphon. Epiphanius, serm. De Laudibus virginis, S. Augustinus, tract. IX in Joannem. Theodoreus, Rupertus et passim alii hic. Porro Theodoreus, solerter notat ortum supra

Vers. 45.
Christi
regnum
compara-
tur lapi-
di, eur?

Abscis-
sus fuit
de mon-
te, id est
de B. Vir-
gine.

Sine ma-
nibus, id
est sine
opera vi-
ri.

naturam solere lapidis excisionem nominari : petra enim ex se naturaliter aliquid producere aut generare nequit. Hinc *Isaiæ* L, 1, dicitur : « Attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua præcisi estis, » quod explicat, dum subdit : « Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos. » Isaac enim et Hebrei ex sterili Sara prognati sunt supra naturam, perinde ac si de petra præcisi essent. Ita S. Hieronymus ibidem. Itaque in conceptu et nativitate lapis Christus sponte sua, nullisque intervenientibus manibus in mundum descendit, eodem modo in uterum Virginis illapsus, et ex eodem elapsus, ait Proclus Cyzicenus, homil. *De Christi nativit.* Simile dat ex Dioscoride, lib. V, cap. CXIV, et S. Epiphanio, lib. *De 12 gemmis*, Nicolaus Causinus, *Parallel. Histor.* lib. XI, cap. LIII : « Sicut, ait, sapphiri visceribus innascitur lapis sane pretiosus, et ipso qui genuit pretiosior, lucidus et splendens carbunculus : ita ex virginum gemma Maria natus est ille lapis angularis excisus de monte sine manibus, matre nobilior, et matri totius nobilitatis auctor. »

O Virgo insignis, mater pia, nobile semen,
Quam Deus implevit totius orbis ope !
In te habitans mundi lumen statione corusca,
Floruit interius per tua membra Deus.
Nunc vivax fulgor penetrans, et ad ima profundi,
Orbem alit, astra regit, tartara luce replet.

Porro Gentiles hæc ad deorum suorum superstitiones transtulisse, docet S. Justinus, *Contra Tryphon.* : « Jam, inquit, quando Mithragyrtae suum Mithram aiunt saxo progenitum, et speluncam vocant locum ubi discipulos initiant, nonne hic licet agnoscere saxum illud, quod Daniel dicit excisum sine manibus ? nimirum his quoque oracula effingere conantibus. »

COMMUNIUS TESTAM, ET FERRUM, ET AES, ET ARGENTUM, ET AURUM. — Lapis hic fuit conjectus in statuam, eamque comminuit et confregit, uti lapide solet statua dejici et confringi. Hoc symbolice significabat, quod regnum Christi spirituale everteret omnia regna mundi, omnesque gentes subderet Christo et Ecclesiæ.

Nota : Christi regnum alia omnia regna superat octo prærogativis, scilicet *primo*, duratione : quia stetit jam 1600 annos, et stabit in æternum.

Secundo, amplitudine : quia omnes mundi plaga, etiam Indos et Sinas, sibi subjicit, aut subjecit; hinc dicitur vers. 35 : « Lapis factus est mons magnus, » id est Ecclesia magna ; hæc enim est mons domus Dei, *Isaiæ* II, 1.

Tertio, vi et efficacitate, qua non solum corporibus in resurrectione, sed etiam animis mentibusque hominum intime dominatur, atque ex obduratis, superbis, obscenis, rebellibus, facit molles, humiles, castos, obsequentes.

Quarto, fructu : quia eos qui se illi subjiciunt liberat a dæmone, peccatis et inferno, facitque eos filios Dei, et heredes cœli.

Quinto, modo quo partum et acquisitum est : Quinto, quia scilicet non armis, sed paupertate, humiliitate, cruce, domandis cupiditatibus, patientia, martyriis, contemptu honorum, opum et voluptatum, atque amore rerum cœlestium, Christus monarcha, ejusque Apostoli et sequaces illud constituerunt et propagarunt.

Sexto, excellentia sanctissimarum legum, quæ omnem castimoniam, innocentiam, sanctitatem et perfectionem præscribunt. **Sexto**, sanctis legibus;

Septimo, fine : quia sibi subditos facit et creat **Septimo**, reges in cœlo. **fine**;

Octavo, quia regem habet ipsum Christum Deum **Octavo**, ac Dominum omnium. Ita Pererius. **rege Christo.**

46. TUNC REX NABUCHODONOSOR CECIDIT IN FA-
Ciem suam. — Agnovit enim ex somnio Danielem non a fingere, sed vere apteque illud interpretari. Cum enim Daniel somnum quod ipse oblitus erat ei refricavit, mox ipse ejus recordatus est, sibique dixit : Vere hoc somniavi, vere hoc fuit somnum meum. Unde ex eo prudenter collegit : Si Daniel tangit ipsum somnum, tanget et ejus significationem; neutrum enim naturaliter, sed sola Dei revelatione sciri potest. Deus ergo qui revelavit Danieli meum somnum, eidem quoque revelabit somni interpretationem. Ad hoc enim somnum ipsum ei revelavit, ut scilicet per hoc futura quæ significat, cognoscerem : alioqui enim frustra somnum ipsum revelasset.

DANIELEM ADORAVIT — adoratione, id est venerazione quæ viris magnis et sanctis exhibetur, qua Abraham adoravit filios Heth, *Genes.* XXIII, 7. Ita Vasquez et alii. **Secundo** et verius, adoravit proprie : hoc enim significat Chaldæum בְּגִד segid ; unde בֵּית סְגִיד bet sigdeta, vocatur domus orationis, id est templum in quo adoratur Deus. Id mox clarius patebit.

ET HOSTIAS, ET INCENSUM PRÆCEPIT UT SACRIFICA-
RENT EI. — Nota : Sacrificium Sanctis, imo Christi humanitati offerre non licet, sed soli Deo : sacrificium enim est protestatio numinis, et divinitatis ejus, cui offertur. Ita S. Augustinus, lib. X *Contra Faustum*, cap. XXI.

Quæres, quomodo ergo Nabuchodonosor jussit **Quomodo** Danieli offerri sacrificium ? **Respondeat primo**, **rex Da-**
sacrificari **secundo**, Hieronymus regem hoc sacrificio non tam **Deo of-**
fertur, non sanctis, cur ? **Primo**.

Secundo, idem Hieronymus respondet regem **Secundo**, hujus prophetæ magnitudine perturbatum et attonitum, id ex stupore inconsiderate jussisse.

Tertio, Gabriel Vasquez, lib. I *De Ador.* disp. 6, **Tertio**, cap. III, cui favet Cardinalis Bellarminus, respondet pro *hostias* hebraice esse מִנְחָה mincha, id est oblationes (ut vertunt Syrus et Arabicus) et munera, scilicet odorum et suffituum. Hæc enim etiam Sanctis, imo imaginibus, offerri possunt, ut definit Synodus VII, act. VII. Unde et Septua-

ginta pro mincha vertunt μάρα, id est munera, ut vertit Graecus Scholiastes, puta thus, ut explicat Theodoretus, και εὐωδίας, id est, et suaves odores. Non ergo victimas carneas, sed thus et suffitus jussit rex adoleri Danieli, uti eadem Sanctis, imo regibus adolentur. Verum haec nunquam a principibus usurpata videntur, nisi cum insanientes adversus numen divinos honores affectaverunt, uti recte observavit noster Pineda, lib. *De Rebus Salomon.* cap. XIII, § 9.

Quarto, et genui-
ne,
Quarto, verius videtur regem proprie adorasse Danielem, et jussisse veras victimas sacrificari illi, tanquam Prophetæ divino, habenti in se numen et spiritum Dei. Sic enim Gentiles suos reges, et homines sapientia aut virtute excellentes, quasi deorum filios adorabant, et sacrificiis colebant.

Audi Lycaonios, *Actor.* XIV, 10, de Paulo et Barnaba loquentes : « Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos, etc., sacerdos quoque Jovis tauros et coronas afferens, cum populis volebat sacrificare. » Quin et Plato præter unum Deum sumum posuit alios minores deos pariter adorandos : et sic adorari voluit ipse Nabuchodonosor in statua quam erexit, cap. III, 5. Sic ergo proprie rex adoravit Danielem, quasi hominem, imo deum aliquem, de cœlo lapsum : præsertim, quia ipsi met ejus sapientes ei dixerant, vers. 11, non esse hominem qui somnium hoc regi enarrare posset, « exceptis diis quorum non est cum hominibus conversatio. » Daniel autem illud regi enarravit; ergo ex eorum sententia, quasi unus e diis haberet et coli debebat. Hunc sensum exigere videtur primo, vox hostia, quæ victimas proprie dictas si-

Probator primo. Secundo. Tertio. Quarto. gnificat; secundo, vox sacrificarent, et Chaldaeus primo. Secundo. Tertio. Quarto. lenassecha, id est libarent; tertio, vox adoravit, nam Chaldaice est segid, ut dixi; quarto, vox Chaldaica ניחוחין nichochin, quæ non significat quoslibet odores et suffitus, sed sacros et religiosos, puta incensum et thymiamam. Ad verbum enim, nichochin significat placamina, scilicet sacrificia et thurificationem quibus placatur Deus : radix enim Hebraica et Chaldaica נוֹח noach, in Cal significat quiescere, et in Hiphil, sedare, placare, propitiare.

Denique licet Hebraice mincha, subinde quodlibet donum aut munus significet, tamen quando jungitur cum incenso et sacrificio, ut hic fit, non nisi victimam significat. Nec aliud voluerunt Sep-

tuaginta; ipsi enim retinuerunt Hebreæ vocem mincha, sed molliendo pro mincha posuerunt manna. Sic enim gutturalē chet solent emollire, eamque in e, vel in a convertere, ut pro pesach vertunt phase, pro Corach Core, pro Tharach Thare, etc.; manna ergo est idem quod mincha, scilicet hostia et victima. Id ita esse patet ex Baruch I, 10, ubi dicitur : « Emite holocausta, et thus, et facite manna, et afferte pro peccato ad aram Domini Dei nostri. » Ubi certum est manna esse idem quod mincha, et significare hostiam proprie dictam, puta sacrificium.

Dices : Ergo idolatriam admisit hic rex, eique consensit Daniel : tacuit enim, et permisit eam sibi impendi. Objecit hoc olim Daniel Porphyrius, cui respondet hic S. Hieronymus. Porphyrium sequitur Calvinus, dum ait Danielem aulicis moribus fuisse corruptum. Ita Aristarchus ille philolædorus. Sed apage blasphemæ, qui ex Propheta sanctissimo et sapientissimo facis Luciferum, Dei æmulum, et divini honoris cupidum.

Dico ergo Danielem nullo modo consensisse, sed omni modo instituisse et impedivisse exsecutionem mandati regii, ut restiterunt Paulus et Barnabas *Actor.* XIV. Etsi Scriptura id ipsum, ut et alia multa, hic taceat: satis tamen illud innuit eo ipso, quo mandatum hoc exsecutioni datum esse, et Chaldaeos reipsa sacrificasse Danieli, non commemorat; præsertim cum mox subdat Danielem a rege alio honore fuisse affectum, scilicet toti Babyloniae fuisse præpositum. Ita Lyranus, Dionysius Carthusianus, Maldonatus et alii.

49. SUPER OPERA — super negotia, q. d. Præf. Vers. 49. cit eos administrationi et regimini Babyloniae.

DANIEL ERAT IN FORIBUS REGIS. — Graece est, *Daniel erat in atrio regis*, id est Daniel erat in aula princeps regi proximus et intimus; ita ut nemo sine ejus auctoritate ad regem ingrederetur. Ita S. Hieronymus.

Aliter Vatablus : Daniel, inquit, in porta regis sedet, ut redderet jus, id est fuit judex. Judices enim olim sedebant in portis urbium quasi in loco publico et omnibus obvio. Sed prior sensus est verior. In Daniele ergo verum est illud Aristidis tom. III, orat. 1 *Platonica* : « Maxima quæque in paucissimos cadunt. » Et : « Maximum reipublicæ commodum in proventu virorum bonorum consistit. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Nabuchodonosor erigit statuam, in eaque adorari vult : recusant id, vers. 8, tres pueri, Sidrach, Misach et Abdenago : unde, vers. 19, jubet rex eos militi in fornacem ardente : ibi, vers. 24, orant Deum. Deus, vers. 49, mittit angelum qui eos servat illæsos : hinc, vers. 51, canunt Deo canticum, unde, vers. 91, rex celebrat hoc miraculum Dei, ejusque potentiam et in suos providentiam.

1. Nabuchodonosor rex fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, et statuit eam in campo Dura provinciæ Babylonis. 2. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, et judices, duces, et tyrannos, et præfectos, omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex. 3. Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, et judices, duces, et tyranni, et optimates, qui erant in potestatibus constituti, et universi principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex : stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor rex : 4. et præeco clamabat valenter : Vobis dicitur populis, tribubus, et linguis : 5. In hora, qua audieritis sonitum tubæ, et fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, et universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. 6. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardantis. 7. Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, et omnis generis musicorum : cadentes omnes populi, tribus, et linguæ adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex. 8. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos : 9. dixeruntque Nabuchodonosor regi : Rex, in æternum vive : 10. tu, rex, posuisti decretum, ut omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, et citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, et universi generis musicorum, prosternat se, et adoret statuam auream : 11. si quis autem non procidens adoraverit, mittatur in fornacem ignis ardantis. 12. Sunt ergo viri Judæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach et Abdenago : viri isti contempserunt, rex, decretum tuum : deos tuos non colunt, et statuam auream, quam erexisti, non adorant. 13. Tunc Nabuchodonosor in furore et in ira præcepit ut adducerentur Sidrach, Misach et Abdenago : qui confestim adducti sunt in conspectu regis. 14. Pronuntiansque Nabuchodonosor rex, ait eis : Verene, Sidrach, Misach et Abdenago, deos meos non colitis, et statuam auream, quam constitui, non adoratis? 15. Nunc ergo si estis parati, quacumque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, et psalterii, et symphoniæ, omnisque generis musicorum, prosternite vos, et adorate statuam quam feci : quod si non adoraveritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardantis : et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea? 16. Respondentes Sidrach, Misach et Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor : Non oportet nos de hac re respondere tibi. 17. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardantis, et de manibus tuis, o rex! liberare. 18. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. 19. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore : et aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach et Abdenago, et præcepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat. 20. Et viris fortissimis de exercitu suo jussit, ut ligatis pedibus Sidrach, Misach et Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardantis. 21. Et confestim viri illi vinci cum braccis suis, et tiaris, et

et calceamentis, et vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis; 22. nam jussio regis urgebat : fornax autem succensa erat nimis. Porro viros illos , qui miserant Sidrach, Misach et Abdenago, interfecit flamma ignis. 23. Viri autem hi tres, id est Sidrach , Misach et Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati. 24. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum , et benedicentes Domino. 25. Stans autem Azarias oravit sic, aperiensque os suum in medio ignis , ait : 26. Benedictus es , Domine Deus patrum nostorum, et laudabile et gloriosum nomen tuum in sæcula : 27. quia justus es in omnibus, quæ fecisti nobis, et universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ, et omnia judicia tua vera. 28. Judicia enim vera fecisti, juxta omnia quæ induxisti super nos , et super civitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem : quia in veritate, et in judicio , induxisti omnia hæc propter peccata nostra. 29. Peccavimus enim, et inique egimus recedentes a te : et delinquimus in omnibus : 30. et præcepta tua non audivimus, nec observavimus, nec fecimus sicut præceperas nobis ut bene nobis esset. 31. Omnia ergo, quæ induxisti super nos, et universa, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti : 32. et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque, et regi injusto , et pessimo ultra omnem terram. 33. Et nunc non possumus aperire os : confusio et opprobrium facti sumus servis tuis , et his qui colunt te. 34. Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum , et ne dissipes testamentum tuum : 35. neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum , et Israel sanctum tuum : 36. quibus locutus es pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, et sicut arenam, quæ est in littore maris : 37. quia, Domine, imminuti sumus plus quam omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra. 38. Et non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, 39. ut possimus invenire misericordiam tuam; sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur. 40. Sieut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium : sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi : quoniam non est confusio confidentibus in te. 41. Et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. 42. Ne confundas nos : sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ. 43. Et erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo, Domine : 44. et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala, confundantur in omni potentia tua, et robur eorum conteratur : 45. et sciant quia tu es Dominus Deus solus, et gloriosus super orbem terrarum. 46. Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naphtha, et stuppa, et pice, et malleolis; 47. et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem : 48. et erupit, et incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis. 49. Angelus autem Domini descendit cum Azaria , et sociis ejus in fornacem : et excussit flammam ignis de fornace, 50. et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. 51. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicabant Deum in fornace, dicentes : 52. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum : et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula : et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum : et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis. 53. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ : et superlaudabilis, et supergloriosus in sæcula. 54. Benedictus es in throno regni tui : et superlaudabilis, et superexaltatus in sæcula. 55. Benedictus es qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim : et laudabilis, et superexaltatus in sæcula. 56. Benedictus es in firmamento cœli : et laudabilis, et gloriosus in sæcula. 57. Benedicite , omnia opera Domini , Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 58. Benedicite, Angeli Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 59. Benedicite, cœli, Domino : laudate et superexaltate eum in

sæcula. 60. Benedicite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 61. Benedicite, omnes virtutes Domini , Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 62. Benedicite, sol et luna, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 63. Benedicite, stellæ cœli, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 64. Benedicite, omnis imber et ros, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 65. Benedicite, omnes spiritus Dei, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 66. Benedicite , ignis et æstus, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 67. Benedicite , frigus et æstus, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 68. Benedicite, rores et pruina, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 69. Benedicite, gelu et frigus, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 70. Benedicite, glacies et nives, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 71. Benedicite, noctes et dies, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 72. Benedicite, lux et tenebræ, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 73. Benedicite, fulgura et nubes, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 74. Benedicat terra Dominum : laudet et superexaltet eum in sæcula. 75. Benedicite, montes et colles, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 76. Benedicite, universa germinantia in terra, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 77. Benedicite, fontes, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 78. Benedicite , maria et flumina, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 79. Benedicite, cete , et omnia quæ moventur in aquis , Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 80. Benedicite, omnes volucres cœli , Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 81. Benedicite, omnes bestiæ et pecora, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 82. Benedicite, filii hominum, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 83. Benedicat Israel Dominum : laudet et superexaltet eum in sæcula. 84. Benedicite, sacerdotes Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 85. Benedicite, servi Domini, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 86. Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 87. Benedicite, sancti et humiles corde, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. 88. Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula. Quia eruit nos de inferno, et salvos fecit de manu mortis, et liberavit nos de medio ardantis flammæ, et de medio ignis eruit nos. 89. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus. 90. Benedicite, omnes religiosi, Domino Deo deorum : laudate et confitemini ei, quia in omnia sæcula misericordia ejus. 91. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, et surrexit propere, et ait optimatibus suis : Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes regi, dixerunt : Vere, rex. 92. Respondit, et ait : Ecce ego video quatuor viros solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est, et species quarti similis filio Dei. 93. Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardantis , et ait : Sidrach, Misach et Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini, et venite. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach et Abdenago de medio ignis. 94. Et congregati satrapæ, et magistratus, et judices, et potentes regis contemplabantur viros illos , quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, et capillus capitis eorum non esset adustus, et saraballa eorum non fuissent immutata, et odor ignis non transisset per eos. 95. Et erumpens Nabuchodonosor, ait : Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach et Abdenago, qui misit angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum : et verbum regis immutaverunt, et tradiderunt corpora sua ne servirent, et ne adorarent omnem deum , excepto Deo suo. 96. A me ergo positum est hoc decretum , ut omnis populus , tribus, et lingua , quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago, dispereat, et domus ejus vastetur: neque enim est aliud Deus qui possit ita salvare. 97. Tunc rex promovit Sidrach, Misach et Abdenago in provincia Babylonis. 98. NABUCHODONOSOR rex, omnibus populis, gentibus , et

linguis, qui habitant in universa terra, pax vobis multiplicetur. 99. Signa, et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare 100. signa ejus, quia magna sunt; et mirabilia ejus, quia fortia: et regnum ejus regnum sempiternum, et potestas ejus in generationem et generationem.

Vers. 1. **4. FECIT STATUAM AUREAM.** — Quo anno? Respondeo, paulo post somnium cap. præced., puta Statua a anno regni sui 37, qui fuit annus mundi 3379. regeerec- Id patet ex eo quod jam Sidrach, Misach et Ab- anno re- denago erant ab eo præfecti Babylonie, ut dici- gni 37. tur vers. 12; hoc autem factum est post explica- tionem somnii a Daniele factam, anno eodem 37, ut patet cap. præced. vers. 48. Quod vero ul- terius in annum regis 38, vel 39, haec rejici non possint, patet ex eo quod tunc rex ejectus regno cum bestiis habitabat, ut dicetur cap. sequenti, vers. 2.

Ubi nota inconstans et volubile superbi regis ingenium: « Velox oblivio est veritatis, inquit S. Hieronymus, ut qui dudum servum Dei quasi Deum adoraverat, nunc statuam sibi fieri jubeat, ut ipse quasi Deus in statua adoretur. »

Hinc patet statuam hanc non fuisse Belis, vel aliorum deorum Babyloniorum, sed ipsius Nabuchodonosoris. Idem confirmatur *primo*, ex versu 14, ubi ait rex: « Deos meos non colitis, et statuam auream quam constitui, non adora- tis: » ergo dii regis inter quos erat Bel, alii erant ab hac statua: haec enim nova fuit et recens, cum

Secundo. statua Belis esset antiquissima. Secundo, ex Isaiae cap. xiv, 13, ubi Isaias describens superbiam regis Babylonis, quasi alterius Luciferi, ait eum se Deum facere voluisse. « Dicebas, inquit: In cœlum condescendam, etc. similis ero Altissimo. »

Tertio, quia ob hanc superbiam Nabuchodonosor summe a Deo est humiliatus, ut qui voluerat esse deus, fieret bestia, ut patebit cap. sequenti. Ita S. Hieronymus hic, licet ipse in cap. i *Haba- euc*, contrarium doceat. Verum ibi, ut solet, non suam, sed aliorum refert sententiam. Ita et Pere- rius, Maldonatus, Pintus et Theodoreetus, qui ad- dit regem hanc statuam sibi erexisse, ex eo quod in statua quam viderat cap. ii, Daniel ei dixe- rat: « Tu es caput aureum. » Inde enim intu- muit, ut similem sibi statuam erigeret, in eaque adorari vellet. Simili modo Alexander Magnus, Augustus Cæsar, Caligula, Antiochus Epiphanes, rex Tyri, ut patet *Ezech.* xxviii, 2, et alter Nabu- chodonosor, qui misit Holofernem, *Judith* vi, 2, tanquam dii coli voluerunt, etiam dum adhuc viverent.

Verisimiliter conjicit Maldonatus hanc statuam erexisse regem suggestu Chaldaeorum, qui invidebant præfecturam Babylonis tribus Judæis, puta Sidrach, Misach et Abdenago; ideoque ut eos regi invisos facerent, et gradu dejicerent, suggestisse ei hanc statuam, quam scirent eos neutiquam adoraturos; itaque regem in eos exarsurum, ut et contigit. Simili enim modo

Medi, cap. vi, 13, Danieli tetenderunt insidias apud Darium regem. Additque Maldonatus eos in odium Danielis, ejusque statuæ cap. ii, hanc ei contrariam statuam regi suasse, ut per eam, illa quæ prædixerat Daniel de Persis Babylonem ever- suris refutarent et everterent; ideoque eam non ex quatuor metallis, sed ex puro auro fabricari jussisse, ut significarent regem, cuius hæc erat statua, non tantum esse caput aureum, ut dixerat Daniel; sed et toto corpore esse aureum, so- lumque fore perennem orbis monarcham. Ad hæc, Chaldaeos murmurasse contra regem, quod Danieli Judæo omnia crederet, ita ut videretur factus esse Judæus, uti fecerunt cap. xiv, 17. Re- gem ergo levem et mobilem, ut hoc murmur compesceret, utque suspicionem judaismi a se amoveret, atque ut Chaldaeos sibi conciliaret, hanc statuam sibi erigi jussisse, ut non Deum Ju- daeorum colere, sed ipse ut deus coli velle vide- retur.

Hæc conjectura non caret veri specie, cui favet et Theodoreetus, dum ait regem voluisse facere statuam præstantiorem ea, quam ipse viderat in somno, et magnitudine, et nobilitate materiae.

Symbolice, statua hæc est hæresis, quam hæ- retici auro, id est eloquentia et testimoniis S. Scripturæ exornant, inquit S. Hieronymus. Rursum est mundana felicitas et pompa, inquit Irenæus, lib. V, in fine: hæc enim habet aurum divitiarum, atque altitudinem honorum et potentiæ, sed fallacem et mendacem.

Denique tres hi pueri fuerunt primitæ martyrum, ac typus martyrum quos Nero flammis in circœ, aliisque tyranni iisdem vel aliis tormentis occiderunt. Neronis enim, qui primus persecutionem contra christianos movit, figura fuit Nabuchodonosor: sicut Romæ ethnicæ, et san- guine martyrum cruente figura fuit Babylon, ut patet *Apoc.* cap. xvii et xviii. Ita Rupertus in *Daniel.* cap. vii.

AUREAM. — Statua hæc cava erat, non solida, alioqui immensi fuisse pretii; erat enim sexa- ginta cubitorum (1).

(1) Hæc sunt quæ contra hujus statuæ erectionem Rossmuller, post Bertholdium, Eichornium, Bleekium, ut incredibilia objicit. Primo, quod non dicitur quem in finem hæc statua erecta fuerit, aut quemnam repræsen- taverit. Secundo, statuam sexaginta cubitos altam, et sex cubitos latam, sive crassam, justa proportione caruisse, et formæ plane monströsæ fuisse apparent. Tertio, cum aurea fuerit hæc statua, eæ construenda, si vel maxime cava fuerit, tantam vim auri insumptam fuisse oportet, quantum tota Asia vix præbere poterat. Quarto, tam pon- derosus colossus nulla humana vi erigi potuisset. Quinto, dedicationi prædictæ statuæ ex Judæis soli Ananias, Mi-

Propor- **ALTITUDINE CUBITORUM SEXAGINTA.** — Ergo facies
tio par- hujus statuæ longa erat sex cubitos, nasus duos
tium in cubitos, pectus decem cubitos, pedes decem cu-
corpore bitos, manus sex cubitos ; nam hæc est propor-
humano. tio partium in corpore et statura humana, ut fa-
cies sit ejus pars decima, nasus trigesima, pectus
sexta, pes sexta, manus decima. Ita ex Vitruvio
et Cardano Pererius. Quanquam ministri regis vel
ex ignorantia, vel ex avaritia, vel alia de causa,
non videntur in hac statua exactam proportionem
symmetriam observasse : juxta illam enim
longitudo sexaginta cubitorum exigebat decem
cubitos latitudinis : hæc enim est sexta pars lon-
gitudinis : non sex duntaxat, uti habebat statua.
Unde dices tropologice, mundum et mundanos
magis spectare celsa, quam solida; ut enim suam
pompam ostentent, alta querunt, sed justis fun-
damentis destituta, quæ proinde cito corruunt et
evanescunt.

Vers. 2. **2. AD CONGREGANDOS SATRAPAS.** — Suggesserunt
hoc regi Chaldæi, tum ut major esset dedicatio-
nis solemnitas, tum ut ad eam venire cogerentur
Sidrach, Misach et Abdenago (utpote satrapæ
regni) in quos hæc faba cudebatur. Unde et prop-
ter eosdem, penam ignis statuam adorare recu-
santibus constitui, et per præconem promulgari,
curaverunt : nam Babylonios, utpote in idola
proclives, hac pena cogere non erat opus. Ex

sael et Azarias interfuerunt. Cur alii Judæi non inter-
fuerunt? Quomodo Daniel, qui ut aulicus ei interesse
debuisset, a jussu regio exemptus fuit?

Quibus breviter respondemus: Ad *primum*, vide ipsum
Cornelium istam difficultatem solventem quoad duas
partes.

Ad *secundum*, notandum est cum doctissimo Munter,
Religion der Babylonier, seit. LIX, Babylonios in obser-
vanda justa et apta partium proportione non excelluisse.
Igitur si ista statua humanam figuram repræsentabat, ut
aliqui volunt, propter vocem hebræam כָּלֵלְךָ tselom,
imaginem, II, 31 (licet alii dicant simplicem fuisse co-
lumnam ad instar obeliscorum Ægypti erectam), cur non
dicamus vel in hoc Babylonios rudi suo et parum intel-
ligenti judicio paruisse, vel in ingenti stylobata istam
statuam collocatam fuisse, ut ab omni populo conspicie-
retur, hujusque columnæ altitudinem ipsiusque statuæ
proceritatem simul sexaginta cubitos adæquasse.

Ad *tertium*, idem Munter in opere supra citato, diserte
statuit pag. 60, veterum idola colossica non ex auro so-
lida, sed ex alia materia, ut puta argilla, ligno, confecta,
quæ deinde exterius inaurabant, vel laminis aureis co-
operiebant, ut ex ipso Daniele, cap. XIV, 6, et Jeremia,
cap. X, 3, 4, constat. Hæc igitur statua vocatur aurea, eo
quod extrinsecus aurea erat; sic etiam *Exod.* XXXIX, 37,
vocatur altare aureum, quod juxta *Exod.* I, 1-3, ex ligno
confectum, et laminis aureis cooperatum erat.

Ad *quartum*, eadem ratione hanc statuam vel columnam
erexerunt, qua alias incredibilis altitudinis columnas vel
obeliscos erigere solebant.

Ad *quintum*, ex parte respondet Cornelius ad vers. 12.
Cui responsioni adjicere libet, juxta Nabuchodonosoris
edictum, omnes officiis regiis fungentes huic dedicationi
interesse debebant, non vero alii Judæi. Quoad vero Da-
nielem, quacumque de causa absens erat, et hinc pro-
tribus amicis suis, qui in fornacem ardenter illico con-
jecti fuerunt, intercedere non valuit.

hoc tamen facto et mandato Nabuchodonosoris
derivatum videtur, quod scribit Philostratus;
lib. I de *Vita Apollonii*, cap. xix, nimirum in Ba-
bylone fuisse morem, ut satrapa portæ urbis præ-
sidens neminem in urbem ingredi permetteret,
nisi prius regis statuam adorasset. Porro satrapa
vox est Persica, quæ latine præfectum significat,
sicut satrapia præfecturam. Quare ridiculum est,
et illatio illi sæculo condonandum, quod ait
Lyranus: «Satrapa dicitur quod sat rapiat.» Præ-
fecti enim avari solent esse rapaces.

ET TYRANNOS, — ærarii præfectos, qui tributa
exigebant. Unde Vatablus, Arias et alii vertunt,
quæstores. Vere S. Hieronymus: «Principes, ait,
congregantur ad adorandam statuam, ut per prin-
cipes seducantur et gentes. Qui enim divites sunt
et potentes, dum timent carere divitiis et po-
tentia, facilius supplantantur: seductis autem ma-
gistratibus, subditi populi majorum exemplo pe-
reunt.» Quis enim e plebe statuam non adoret,
quam a suo principe adorari videt? Quam multi
hodie auream opum et honorum statuam, quasi
idolum colunt!

8. STATIMQUE. — Tò *statim* confirmat suspicio-
nenem jam dictam, scilicet hæc omnia conflata esse
a Chaldæis in odium trium puerorum, quos rex
præfecerat Babylonie; hocque ipsi refricant regi,
vers. 12, dum aiunt: «Sunt viri Judæi, quos con-
stituisti super opera regionis Babylonis, » q. d.
Judæos præfecisti Babylonie, eosque in hac re
nobis popularibus tuis prætulisti: ecce hi ipsi mi-
seri, peregrini, captivi, et Judæi, quos ita evexisti,
te spernunt, tibi ingrati et rebelles sunt.

12. SIDRACH, MISACH, ET ABDENAGO CONTEMPSERUNT. — Cæterorum Judæorum, utpote plebeiorum,
mentionem non faciunt, quia horum trium
caput et statum petebant. Danielis non memine-
runt, quia Daniel aberat, forte a rege alio ad ne-
gotia missus, ut vult Lyranus. Vel, si aderat, quasi
primus a rege, regi astabat: unde sicut rex suam
statuam non adoravit, ita nec Daniel. Porro Na-
zianzenus, orat. 47 (si tamen est ejus): «Ferun-
tur, ait, tres pueri in Babylone in fornacem con-
jecti, Ezechiae filii fuisse: » «filii, » id est nepotes:
erant enim ex semine regio, ut patet cap. I, 3;
proprie enim filii Ezechiae esse nequiverunt: nam
a morte Ezechiae usque ad hunc annum regni
Nabuchodonosoris 37 fluxerunt anni 133.

Nota: Hi tres viri erant hoc tempore circiter 57
annorum: erant enim coævi Danieli, qui hoc tem-
pore erat 57 annorum, ut dixi cap. II, 1. Non ergo
erant pueri, aut juvenes, quia præerant toti Ba-
bylonie; vulgo tamen vocantur tres pueri, quia
pueri abducti erant e Judæa in Babylonem, cap. I,
vers. 4. Sic enim et hodie multi viri vulgari lin-
gua vocantur Johanniculi, quia pueri ita vocati
fuerunt.

15. SONITUM, etc., SAMBUCA. — *Sambuca*, sive
sambyx erat genus instrumenti musici trianguli,
quod nervis longitudine et crassitudine inæquali-
V. 15.
Sambuca
quid?

Sympo-
nia quid?

bus constabat : solebat leviori carminum generi adhiberi : unde proverbium, «Sambucam aptare cothurno, » id est levia aptare gravibus.

SYMPHONIAE. — Symphonia græce est consonantia et concentus musicus : hic tamen videtur esse instrumentum musicum (uti et alia hic) quod ferro in orbem traducto agitatur, editque suavem concentum, quale est illud quod hodie cæci mendici circumagendo pulsant.

Vers. 16. 16. NON OPORTET NOS DE HAC RE RESPONDERE TIBI.

— Nota : Hi tres pueri, interrogati de sua fide et religione a rege, debebant ei respondere, suamque fidem et religionem profiteri, uti de facto hic respondent et profitentur. Aliter ergo hic non respondere accipitur. Itaque sensus est, q. d. « Non oportet, » id est non opus est, « respondere, » id est cogitare et deliberare quid respondeamus. Est metalepsis, q. d. Non est opus ad tibi respondendum de hac re, utpote facili et certa, aliaque deliberatione, quam videris, o rex! nobis offerre, dicens : « Si estis parati ; » certum enim fixumque nobis est, unum Deum coeli et terræ colere, nec statuam tuam adorare, uti sequitur : non ergo negant opus esse responso, cum continuo respondeant, sed deliberatione.

Secundo et planius, q. d. In re tam stolida, impia et indigna, quam nobis proponis, non est opus responso. Clarum enim est unum tantum esse Deum quem colimus, eumque posse nos atuis manibus liberare : quod si nolit, eum tamen solum colemus, non tua idola. Unde Septuaginta vertunt : *Non necesse habemus nos de verbo isto respondere tibi* (1).

Nota hic intrepidam libertatem, resolutionem, fortitudinem et animos horum trium puerorum, quos graphice depingit S. Chrysostomus, hom. 4 et 6 ad *Populum*.

Tertio, Vatablus et alii vertunt : *Non est nobis curæ, vel non sumus solliciti super hac re tibi respondere* : quia Deus curam gerit nostri, ille potens est nos liberare, si velit; si nolit, et hoc nobis placet : tam enim mors, quam vita nostra illi curæ est; sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.

Hic sensus non est incommodus, prior tamen est commodior. Nam Chaldaicum ΜΩΝ chasach significat esse opus, vel esse necesse, ut vertunt Sep-

(1) Prorsus inverisimilis ista responsio visa est quibusdam interpretibus ut superbiæ et arrogantiæ plena. Talem esse judicat Kirms, *Commentatio historico-critica, exhibens descriptionem et censuram recentium de Danielis libro opinionum*. Sed notandum est primo, pueros non hunc loquendi modum quem illis Kirms attribuit, usurpasse : *Ista quidem sollicitatio tua ne responso quidem digna est*. Sed simpliciter dicunt : Non necesse habemus tibi respondere, quia ipso facto declaramus, nos non posse adorare simulacrum, quod pro Deo non habemus. Secundo, similiter responderunt septem fratres Machabæi, *Machab.* vii, 2 : « Quid queris et quid vis discere a nobis? parati sumus mori, » etc. Iisdem fere verbis multa post sæcula S. Cyprianus : « In re tam sancta, nulla deliberatio. »

tuaginta, non autem, esse sollicitum : nisi dicas illud ex hoc consequi : ideo enim aiunt non esse opus responso, quia de eo non erant solliciti. Pulchre et pie S. Zeno Veronensis Episcopus et martyr sub Galieno imperatore, serm. 4 *De tribus hisce pueris* : « Tres, inquit, pueri in illo sacro certamine præ oculis Deum sibi proposuere non flamas : præmium futurum, non poenam. Sicque inter tetros undantis incendii globos triumphantes, barbarum regem, minas omnes, ipsum quoque supplicium docuerunt, ignes sanctis hominibus non esse fortiores. » Et serm. 6 : « Vindicantur de incensoribus suis, Deum vident : mors transit in vitam, metus in gloriam. Sic quis non optet ardere? » Hi ergo heroes sunt, in quos competit aurea illa Ptolemæi sententia, quæ habetur in *Præfat. Almagesti* : « Ille altior est mundo, qui non curat in cuius manu sit mundus. »

Similis fuit resolutio et responsio S. Cypriani, ad similem propositionem proconsulis : « Aut sacrificia diis, aut peribis. » Respondit enim Cyprianus : « Christianus sum, et diis sacrificare non potero; tu vero quod tibi præceptum est, fac. In re enim tam justa, nulla consultatio est. » Deinde morti adjudicatum se audiens dixit : « Gratias ago Deo omnipotenti, qui me a vinculis hujus corporis dignatur absolvere. » Ita Pontius Diaconus in ejus Vita.

Ita quoque paulo ante mortem S. Cypriani, furent a præside clibanum calcis accensum, et in ore illius prunas cum thure exhibitas, et præsidem dixisse christianis : Eligite e duobus unum, aut thura hic offerre Jovi, aut in calcem demergi. Tunc trecenti viri fide armati, se ictu rapidissimo, Christum Dei Filium confidentes, conjecerunt in ignem, et inter vapores calcis pulvereæ sunt demersi, quos sibi Christus consecravit. Testis est Pontius ibidem.

Ita Liberius Pontifex, cum Constantius Imperator mandasset ut, nisi intra biduum sententiam mutaret et ad arianos inclinaret, relegaretur, respondit : « Mihi, o Imperator! die ad deliberandum non est opus. Jam enim olim ista et delibera sunt a me, et decreta. Itaque jam ad hinc discedendum paratus sum. » Testis est Sozomenus, lib. III, cap. x.

Ista communis olim martyrum fuit sententia, cuius causam assignat Tertullianus, *Apolog.* ult. : « Cruciate, inquit, torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim innocentiae nostræ iniquitas vestra; crudelitas vestra illecebra est sectæ nostræ, plures efficiuntur quoties metimur a vobis, semen est sanguis christianorum. Omnia huic operi delicta donantur; cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur.

Idem in lib. *Ad Martyres*, christianas in carcere alloquens : « Bonum, inquit, agonem subituræ estis, in quo agonothetes, Deus vivus est : xistarches, Spiritus Sanctus; corona, æternitatis bracium; angelicæ substantiæ, politia in cœlis; glo-

ria in sœcula sœculorum; epistates vester, Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scam-
ma produxit. » Deinde allatis exemplis Gentilium, Lucretiæ, Didonis, uxoris Asdrubalis, meretricis Atheniensis, Mutii, Heracliti, Empedoclis, Reguli et puerorum Spartanorum: « Si illi, inquit, gla-
dium, ignem, crucem, bestias, tormenta contem-
pererunt sub præmio laudis humanæ, quidni mo-
dicæ sint istæ passiones ad consecutionem gloriæ
cœlestis, et divinæ mercedis? »

S. Cyprianus, lib. I *De Laude martyrii*: « Mart-
yrium, inquit, est delictorum finis, periculi ter-
minus, dux salutis, iter patientiæ, magister dom-
inus vitæ. Si justus es, et Deo credis, quid pro eo
sanguinem fundere metuis, quem pro te toties
passum esse cognoscis? In Isaia sectus, in Abel
occisus, in Isaac immolatus, in Joseph venumda-
tus, in homine crucifixus est. Martyrii inæstima-
bilis est gloria, infinita mensura, immaculata vic-
toria, triumphus immensus, velut socio Christi
cruore decoratus. »

Idem, epist. *ad Martyres*: « Steterunt, inquit,
torti torquentibus fortiores; inexpugnabilem fi-
dem superare non potuit sœviens diu plaga re-
petita, quamvis rupta compage viscerum, tor-
querentur in servis Dei jam non membra, sed
vulnera. Pretiosa est hæc mors, quæ emit im-
mortalitatem pretio sanguinis sui: quam lætus
illuc Christus fuit, quam libens in talibus servis
suis et pugnavit, et vicit! » Denique generose
dixit ille athleta: « Poenæ sunt pennæ queis su-
per astra vehor. »

Vers. 17. 17. ECCE ENIM DEUS NOSTER QUEM COLIMUS. — Al-
ludunt, inquit Maldonatus, ad verba regis, ejus-
que in Deum contumeliam contrariis verbis di-
luunt, atque Deo suum honorem asserunt. Dixer-
at rex vers. 15: « Et quis est Deus, qui vos eri-
piet de manu mea? » Respondent illi: « Ecce
Deus noster quem colimus, potest eripere nos
de camino ignis, et de manibus tuis, o rex! li-
berare. »

Vers. 18. 18. QUOD SI NOLUERIT. — Nota horum puerorum
prudentiam et resignationem: « Pulchre, inquit
S. Hieronymus, illi juvenes dixerunt: Sed, si no-
luerit, ut non impossibilitatis Dei, sed voluntatis
sit, si perierint. » Et Theodoreetus, q. d.: « Nos
pro mercede aliqua Domino nostro non servi-
mus, sed amore ejus omnibus rebus cultum ip-
sius præferimus, ipsi omnem nostram gubernationem et providentiam permittimus; quamlibet
judicii ejus sententiam, tanquam meliorem, no-
bisque utiliorem, libenter accepturi. » Nam, ut
de iisdem ait S. Cyprianus, epistola 56 *ad Thibaritanos*: « Hoc est robur virtutis et fidei,
credere et scire quod Deus a morte præsente li-
berare possit; et tamen mortem non timere, nec
cedere, ut probari fortius fides possit. » Hæc pue-
rorum resolutio, pietas, fortitudo, et resignatio
meruit et obtinuit, ut illæsi in igne permanerent.
Idem multis virginibus et martyribus novi Testa-

menti contigit. Hosce imitemur, et similia expe-
riemur.

21. TIARIS. — Tiara genus est pilei, quo Chal- Vers. 21.
dæi et Persæ utuntur. Ita S. Hieronymus.

24. ET AMBULABANT IN MEDIO FLAMMÆ LAUDANTES Vers. 24.
DEUM. — Est hysterologia. Hoc enim posterius
contigit, scilicet postquam angelum viderunt se
tutantem, et ignes abigentem; ita ut certi essent
se in igne fore illæsos. Tunc enim, solutis ab
angelo vinculis, ambularunt laudantes Deum,
dicentesque: « Benedictus es, Domine, » etc.,
vers. 52. Et forte hic versus eo pertinet, et olim
in Hebræo eo loco positus erat; in laciniis enim
hisce ex Theodotion insertis, non ubique serva-
tus est ordo, qui erat in Hebræo. Idem videre est
in laciniis additis ad librum Esther, cap. I, 11 et
seq. Unde Vatablus hæc verba omittit. Hic ergo
fuit ordo rei gestæ: primo, hi pueri colligati con-
jecti sunt in fornacem. Descendit cum eis ange-
lus tutans eos ab igne, sed ab eis necdum visus:
unde orant Deum ut se ab igne tutetur, vers. 26.
Mox angelus se eis ostendit ignem abigens:
unde, solutis vinculis, ambularunt cum eo lau-
dantes Deum, vers. 52.

25. STANS AUTEM AZARIAS. — Nota: Azarias no- Vers. 25.
mine suo et sociorum hanc orationem protulit in
medio flammarum, antequam angelus ei appar-
reret, cum adhuc incertus esset an ex flammis
eripiendus esset, nec ne. Unde ex iis eripi orat,
vers. 43, dicens: « Erue nos in mirabilibus tuis, »
idque oratione hac impetravit: unde mox, vers.
49, apparuit angelus liberans eum cum sociis.
Ita solet Deus suos initio in tentatione relinquere,
ut eum invocent, et invocatus mox succurrit.
Quocirca in Vitis Martyrum passim legimus eos,
dum cruciarentur, semper ad Deum se conver-
tisse, ac vires et fortitudinem ab eo postulasse et
impetrassesse: sciebant enim se suis viribus tam
acria et varia tormenta sustinere non posse, sed
eas a Deo petendas. Hinc nonnulli in equuleis ti-
tubantes, dum orarent, a Deo confortati sunt:
alii sibi fidentes, a Deo relictæ, ceciderunt.

Nota: Hæc oratio, et cætera usque ad vers. 91,
jam non exstant in Hebræo, sed ea ex Theodo-
tione se transtulisse fatetur S. Hieronymus.

26. BENEDICTUS ES, DOMINE. — Docet hic Azarias Vers. 26.
orationem inchoandam esse a laude Dei: lau-
dandus enim est Deus, etiam cum adversa nobis
immittit, etiam in morte et martyrio, uti hi tres
in igne laudant Deum, Deique justitiam sua su-
rumque peccata castigantem. Vide dicta I Tim. II, 1.

27. UNIVERSA OPERA TUA VERA, — id est integra Vers. 27.
sunt, æqua et perfecta. Opera et judicia Dei tri-
pliciter vera sunt, inquit Pererius. Primo, veritate
tentis: quia sunt conformia suæ regulæ, scilicet
sapientiæ Dei. Secundo, veritate justitiae: quia
per ea justus Deus punit impios, et præmiat pios.
Tertio, veritate fidei: quia respondent Dei pro-
missis et comminationibus.

28. IN VERITATE ET IN JUDICIO, — hoc est in ve-

Opera
Dei vera
sunt tri-
pliciter.

ritate judicii, sive in vero, id est justo judicio. Est hendyadis. Sensus est, q. d. Juste, o Domine! Jerusalem, Judæos et nos tradidisti Chaldaeis; quia peccavimus tibi. Nota humilitatem Sanctorum et martyrum, qui publicas clades, quin et suas in iis mortes et martyria, suis suorumque peccatis adscribunt, quia videlicet ad cumulum peccatorum, ob quem Deus tam graves clades immittit, aliquid cujusque, etiam Sancti et martyris, peccata addunt et conferunt, licet parvum id sit et exiguum. Pari modo peccatis suis stragem Antiochi, suamque in ea necem et martyrium adscribunt septem fratres Machabæi, II Machab. VII. Alioqui certum est Sanctos sæpe tantas clades suis peccatis non esse promeritos. Sic enim Job suas afflictiones non esse promeritum, ipsem totum libro contra amicos suos docet et protestatur, id que approbat Deus, c. XLII, 7. Sic David in psalmis sæpe protestatur se esse innocentem, nec meruisse tantas Saulis et hostium persecutions. Denique articulus hic: « Omnes Sanctorum afflictiones esse penas peccatorum ipsorum, » est damnatus a Gregorio XIII et Pio V. Pari modo hi pueri ignem hunc suis peccatis non erant promeriti, sed totus populus, cuius ipsi erant pars.

Vers. 32. 32. PESSIMO ULTRA OMNEM TERRAM, id est pessimo supra omnes terræ reges et tyrannos. Ita Juventius et Maximianus milites christiani, cum Julianus Apostata in foro non alios cibos vendi permetteret, quam idolis immolatos, aut eorum aqua lustrali aspersos, dixerunt: « O Deus! tradidisti nos regi iniquo, qui te deseruit supra omnes gentes terræ. » Quare graviter a Juliano excruciat, enecati sunt. Ita Theodoretus lib. III Hist. cap. XIV. Ita Deus christianos, ob peccata, tradidit Decio et Valeriano tyrannis, idque visione quadam præmonstravit. Refert eam S. Cyprianus lib. IV epist. 4: « Nec venissent, inquit, fratribus hæc mala, si in unum fraternitas fuisset animata. Nam illud ostensem est, quod sederet paterfamilias sedente sibi ad dexteram juvēne, qui juvenis anxius, et cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens mœsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset, dictum est ei qui hoc vidit: Juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari et dolere quod præcepta sua non observarentur: illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio ut a patre-familias potestatem sumeret sæviendi. »

Vers. 33. 33. CONFUSIO ET OPPROBRIUM FACTI SUMUS SERVIS TUIS, — puta Judæis, fidelibus tuis: hisce enim objectant hostes nostri et nominis tui, puta gentiles idololatræ, calamitates nostras, qui te eadem cum illis fide colimus; dicuntque: Vosne estis socii et gentiles istorum reorum qui vivi in ignem sunt conjecti? vosne Deum illum colitis, qui vestros hosce populares ita affligi et cremari permittit? qui vos non potest, aut non vult, e captivitate et tantis ærumnis liberare?

34. NE, QUÆSUMUS, TRADAS NOS — gentibus et Vers. 34. igni huic devorandos.

ET NE DISSIPES TESTAMENTUM (id est pactum) Vers. 35. TUUM: 35. PROPTER ABRAHAM DILECTUM TUUM. — Abraham dilectus, Isaac servus, Jacob sanctus, cur? Nota: Abraham vocat « dilectum » Dei: quia ab eo ex Chaldaea et idolatria electus et eductus, factus est pater Christi et credentium. Isaac vocat « servum » Dei, propter obedientiam, qua se Deo per manus patris victimam tradidit. Jacob vocat « sanctum, » primo, ob innocentiam; secundo, quia ipse se Deo obtulit, primusque ei vovit decimas; tertio, quia Spiritu Sancto plenus Azarias praedixit futura, et respexit in Christum, qui est Sanctus sanctorum, ex Jacob nasciturum.

38. ET NON EST IN TEMPORE HOC PRINCEPS, ET DUX, Vers. 38. ET PROPHETA. — Quia Daniel potius somniorum regiorum erat interpres, quam propheta populi: Ezechiel autem propheta aberat, agebatque in Chobar aliisque chaldaeæ locis, eratque is unus et captivus. Itaque « non est, » id est vix ullus est (1).

NEQUE SACRIFICIUM. — Templum enim et altare cum Jerusalem erat eversum: et licet postea Iudei novum altare erexerint, ut patet Baruch I, 1, tamen pauperrime, rarissime et tenuissime in illis urbis ruinis eo utebantur.

40. SICUT IN HOLOCAUSTO ARIETUM. — Multi codices hæc ita dispungunt, ut hic inchoent sententiam, quæ per antapodoton, hoc est similitudinis redditionem, expleatur cum subditur: « Sic fiat sacrificium nostrum. » Verum sic dicendum fuisset: « Sic holocaustum (non in holocausto) arietum, sic fiat sacrificium nostrum. » Dico ergo hæc verba esse referenda ad id quod præcedit, sicque esse ordinanda et dispungenda cum Septuaginta et Romanis: « In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, » etc., q. d. Sicut suscipis holocaustum arietum, sic suscipe animum contritum et spiritum humilem, quo nos tibi ad expianda nostra nostræque gentis peccata, per martyrium offerimus in sacrificium.

Aliter vertit et dispungit Vatablus, uimirum sic: Instar holocaustorum arietum, etc., sit coram te sacrificium nostrum.

SIC FIAT SACRIFICIUM NOSTRUM. — Martyrium suum vocant « sacrificium, » non proprio dictum, sed mysticum. Licet enim Christi martyrium in cruce fuerit sacrificium proprio dictum, idque unicum legis novæ, quod in Eucharistia quotidie repræsentamus et iteramus; eo quod ad hoc (puta ut esset sacrificium expiatorium peccatorum hominum) a Deo fuerit institutum et ordinatum, ideoque omnibus Judæorum victimis figuratum et adumbratum; tamen martyrium fidelium non est sacrificium proprio dictum: quia ad hoc non est a Deo institutum et ordinatum, sed est metapho-

(1) Non ignorare poterat Daniel, regem Jechoniam, se, Baruch et Ezechielem existere. De sola igitur Judæa intelligenda sunt ista verba, ubi revera Hebræi tum nec regem, nec prophetam, etc., habebant.

ricum et mysticum; quod tamen omnibus veterum victimis, utpote irrationalibus, est nobilius, Deoque gratius. Sensus ergo est, q. d. Instar holocaustorum arietum, et multorum agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum holocaustum, et pingue, pinguedine spiritus et devotionis, ut placeat tibi, utque hoc, sicut illa, suscipias, scilicet sacrificium hocce orationis, confessionis, penitentiae, laudis et martyrii, quod tibi in igne hoc offerimus.

Sacrificia martyrum. Pari modo martyres qui sub Diocletiano Nicode medie, ipso festo nativitatis Christi in templo cincti, cum tyrannus eis incendium intentaret, proponeretque ut, si quis ex eis sibi consulere vellat, egrederetur, et thus Jovi in ara proxima adoleret, unus pro omnibus libere respondit: « Omnes nos christiani sumus, unum eumdemque solum Deum et Regem credimus esse Christum; et ipsi, Patrique ejus, et Spiritui Sancto sacrificare, atque omnes nos una offerre parati sumus. » Vix ille haec dixerat, cum ignis succenditur, qui quasi in momento templum omne complexus, illos omnes (erant autem viginti hominum millia) quasi holocausta combussit, et in cinerem redegit, uti refert Nicephorus lib. VII *Hist. cap. vi.*

Similiter nobilis illa virago et martyr, quae sub Dunaan tyranno, in Nagran Arabie civitate, tempore Justini Imperatoris, anno Christi 522, cum duabus filiabus passa est, cum eas ense confodi videret, earumque sanguinem sibi a carnifice propinari; eum accipiens et gustans, ac in coelum suspiciens: « Tibi, inquit, Christe Domine, hoc meum offero sacrificium, et tibi martyres exhibeo virgines castas, quae egressae sunt ex utero meo, cum quibus quoque me connumerata in introduc in tuum thalamum, et, ut dicit divinus David: Ostende matrem propter filios lætantem. » Quare et ipsa martyrio laureata est. Ita ex Procopio Baronius, tom. VII, anno Christi 522, pag. 91.

Ita et S. Barlaam martyr, cum tortores dexteram ejus foco incenso immitterent, thusque ei imponerent, sperantes quod vi ignis expugnata manus illud in aram excuteret, itaque videretur ipse in ara thus idolo adolevisse; stetit corpore et manu immotus, cineris instar flammam ferens ac superans, dicensque: « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. » Testis est S. Basilius, oratione in *S. Barlaam*.

Ita et duo illi nobiles juvenes Antiocheni sub Diocletiano, de quibus Eusebius, lib. VIII *Hist. cap. xii*, cum simulacris immolare cogerentur, dixerunt: « Ducite nos ad aras. Et cum fuissent adducti, manus suas ardenti igni superponentes: Si substraxerimus, inquiunt, sacrificasse nos credite. Et quoadusque caro omnis in ignem deflueret, immobiliter perdurarunt. »

Ita S. Getlius martyr in tormentis: « Gratias, ait, ago Deo et Jesu Christo, eique me ipsum sa-

crificium mundum offero: » ejusque uxor Symphorosa, cum ei diceret Adrianus Imperator: Aut sacrificia diis, aut te cum filiis sacrificari faciam; respondit: « Unde mihi tantum boni ut merear cum filiis offerri hostia Deo? »

Ita S. Vitus puer cum sociis Modesto et Crescentia a Diocletiano (cujus filiam a dæmone liberarat) ingrato imperatore missus in fornacem ardente plumbo, resina et pice, cum diceret Diocletianus: Nunc videbo si Deus tuus possit te de manu mea liberare; Vitus, facto signo sanctæ crucis, fornacem ingressus, instar trium horum puerorum stetit ab igne illæsus, cantans cum duobus sociis hymnos et laudes Deo, atque prius inde exiit, perinde ac si in suavissimo balneo stetisset. Ita habet ejus Vita 15 junii.

Ita et S. Laurentius, quem merito tribus hisce pueris adaequat S. Augustinus, serm. 4 de eo: « Siquidem, inquit, illi in pœnarum suarum flammis ambulabant, hic et in ipso supplicii sui igne discubuit: illi vestigiis pedum concularunt incendia, iste laterum suorum diffusione extinxit, » etc. Et inferius: « Ut impleretur psalmi prophetia, quæ dicit ex persona S. Laurentii: Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum, duplice se postulat igne comburi. Nam si de solo mundi igne loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos incendiis obtulisse. Cor autem nisi flamma Christi non urit. »

UT PLACEAT TIBI. — Græce, ἔκτελέσθω ὁ πισθέν σου, id est perficiatur post te; vel, ut Complutensia, expletat post te; hoc est, ut Vatablus, ut plene et usque ad finem et mortem sequamur te. Est hebraismus. Hebræi enim dicunt לְמַלְאָא אֶחָרִיךְ limla acharecha, ut impleamus post te, hoc est, ut plene te sequamur, plene tibi obediamus, plene tibi serviamus.

44. QUI OSTENDUNT (id est exhibent) SERVIS Vers. 44.
TUIS MALA. — Sic sæpe alibi ostendere ponitur pro facere.

46. SUCCEDERE FORNACEM NAPHTHA. — Naphtha Vers. 46. est fomes et pabulum ignis, simile bitumini. Vide Plinium, lib. II, cap. cv; unde græce πυρίν dicitur a πῦρ, id est igne. Alii, inquit S. Hieronymus, ossa olivarum quæ projiciuntur cum amurca arefacta, naphtham appellari putant.

ET MALLEOLIS. — Malleoli vitium sunt sarmenta ad incendendum ignem, ait Theodoretus, aut potius, ut Nonius Marcellus, malleoli sunt manipuli spartei pice obliti et obducti, qui incensi in muros, aut in testudines hostium jaciuntur, ut eas succendant. Hinc patet non esse verum quod docent Albertus Magnus et Dionysius Carthusianus, scilicet, in medio fornacis hujus fuisse ignem tantum quoad substantiam, non quoad actionem, puta unctionem. Nam ignis hic egit in malleolos, eosque combussit.

49. ANGELUS AUTEM DOMINI DESCENDIT. — Jam ante Vers. 49. descenderat cum eis angelus, ut primum in fornacem conjecti sunt, tutans eos: alioqui enim

Malleoli quid?

mox ab igne combusti fuissent; sed a puerorum oculis se abscondit, ut illi, videntes suum in igne periculum, orarent Deum. Orarunt ergo, mox angelus se eis ostendit, visusque est ad eos descendere, ac ventum inducere, ut hic dicitur. Disce ab angelo, in persecutione et tribulatione unicum remedium esse orationem et refugium ad Deum: qui eo usi sunt, steterunt et vicerunt; qui non sunt usi, defecerunt et ceciderunt. Audi S. Cypriani (vel quisquis est auctor), tract. *De Duplici martyrio*: « Novi ego ac flevi quosdam magna animi fortitudine præditos, qui jam coronæ proximi defecerunt, et quem diu professi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in causa? Dimoverant oculos suos ab eo, qui solus robur dat infirmis; intermisserant orationem, ac cœperunt ad humana præsidia respicere. Contemplabantur suæ naturæ viriculos, considerabant ungulas, aculeos, candentes laminas, ferrum et ignem, reliquumque carnificinæ apparatum, etiam aspectu horrendum, et cruciatum atrocitatem cum suis viribus conferebant; et ideo victoriam amiserunt e manibus. Ubi quis ita cogitat: Hoc possum, illud perpeti non possum; nunquam feliciter peraget martyrium. Sed qui se totum tradit divinæ voluntati, non alio spectans quam ad illius opem, is demum firmus est et invictus. Hoc autem fieri non potest, nisi adsit vera ac vivida fides, nihil hæsitans, nihil disquirens, nec cogitans quanta sit tyranni sævitia, quanta hominis imbecillitas, sed quanta sit Domini virtus, qui certat ac vincit in membris suis. » Et paulo post: « Nec quisquam sibi displiceat, si corpore pariter et animo sentiat gravem ac diutinam molestiam: tantum fidat ei cui certat, is non patietur quemquam tentari supra id quod potest, sed faciet etiam cum tentatione proventum. » Hinc passim martyres in tormentis assidue orasse legimus. Exstat oratio ardens S. Cypriani ante martyrium, in fine operum ejus.

Nota primo: Chaldæi hos tres pueros miserunt in ignem vestitos et colligatos, ut patet vers. 23; sed funes et ligamina hæc mox solvit vel ignis fornacis, ut volunt S. Hieronymus et Chrysostomus, vel angelus cum eis in fornacem descendens: unde cum eo ibidem ambulare sunt visi, vers. 92.

Nota secundo: Hi pueri ab igne servati sunt *primo*, quia angelus excussit ignem, eumque ab eis abegit et removit ad latera fornacis, et extra fornacem: unde ibi Chaldæos tortores et incensores succedit; tres vero pueros non tetigit. *Secundo*, quia auram « quasi ventum roris, » id est, roridum, « flantem; » vel, ut Vatablus vertit, *quasi roscidum flatum susurrantem*, loco et vice ignis supernaturaliter induxit, tum ad refrigerium eorum, tum ad respirationem: nec enim aliter vim ignis suspendere poterat angelus. Unde S. Ambrosius, lib. VI in *Lucam*, cap. II: « Cantaverunt, ait, Hebræi, cum vestigia eorum

tactu flammæ rorantis humescerent, et intus extraque ardentibus omnibus, solos tamen innoxius ignis lamberet, nec adureret. » Et S. Zeno Veronensis Episcopus, serm. 8 *De tribus pueris*: « Mors, ait, refugiens mutat officium, incensores cremanuntur; incensis hymnum canentibus flamma blanditur: Deus a creatura universa benedicatur. In tribus una mens, una virtus, unus triumphus. Melioratur vita supplicio. Rex inviderat pueris, si non eos præcepisset ardere. » Et S. Augustinus, serm. 240 *De Tempore*: « In fornacem, ait, missi sunt Sancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expavescunt. Ostendunt justorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet Sanctis cum igne jocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Accipe, hostis, a suppliciis exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Fugiunt ignes justos, quos injuste damnasti. Damnant hostes, et absolvunt ignes. Chaldæi adjiciunt, et pœnae defendunt. Homines sæviunt, et supplicia venerantur, ac persequentes puniunt. » *Tertio*, Deus hujus venti actionem, *Tertio*, scilicet refrigerationem, continuavit, valide et continuo cum ea concurrendo, ac consequenter ignis vicini, si quis erat, actionem in eam partem, ubi tres pueri erant, vel hebetavit et minuit, vel omnino suspendit, concursum suum ei subtrahendo, sine quo nec ignis ardere, nec sol lucere, nec ulla creatura quidquam agere aut facere potest, et hoc innuitur vers. 94.

Simili modo Deus S. Theclam, Agnetem, alias que plurimas virgines et martyres in igne et tormentis recreavit et refrigeravit. Simile refrigerium præstítit Deus Theodoro adolescenti Antiocheno, qui propter psalmorum cantum a Juliani Apostatæ præfecto crudeliter excruciatus, cum a Rufino Ecclesiastice historiæ scriptore rogaretur, an non in illis cruciatibus maximum sensisset dolorem, respondit: « Non multum acerbitalis et tormenti mihi accidit: astitit enim mihi adolescens, et sudorem qui ex ea conflictatione oriebatur, abstersit, animum confirmavit, fecitque ut tempus quo cruciabar, voluptati potius esset, quam angori. » Unde dolebat se cruciatibus eripi, optabatque iis redi, ut rediret illa consolatio. Ita Socrates lib. III *Histor.* cap. xvi.

Ita et S. Victor martyr sub Maximiano, cum Medoliani bullienti plumbo toto corpore perfundetur, orabat dicens: « Domine Jesu Christe, propter cuius nomen hæc patior, adjuva me et libera me sicut liberasti tres pueros immaculatos de camino ignis, et confudisti tyrannum: ita et me quoque nunc libera, ut erubescat Maximianus cum satellitibus suis. » Mox affuit angelus Domini, plumbumque ita refrigeravit, ut esset instar aquæ e fonte manantis, nec ulla in parte corpus martyris adustum est. Unde martyr in Dei laudes erupit: ac tandem prædicens imperatorem Maximianum eo anno moritum, capite plexus in cœlum evolavit. Ita narrat oculatus testis

Deus
martyres
consola-
tur.

Maximianus notarius in ejus Vita 8 maii. Sic et S. Polycarpus, discipulus S. Joannis, in igne mansit illæsus, flamma instar venti eum circumdante, teste Eusebio.

Quin et S. Franciscus, cum ad avertendam oculorum distillationem et cæcitatem, ei inurendum esset ferro candente cauterium, ad illudque caro ejus tenera exhorresceret : « Mi frater, ait, ignis, esto mihi hac hora propitius. Precor magnum Dominum qui te creavit, ut tuum calorem mihi temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere. » Mirum dictu ! urente ferro, nec ignis ardorem, nec carnis dolorem sensit; quia enim caro ejus plene spiritui erat subdita, et spiritus Deo, eo ordinante, fiebat ut creatura suo creatori deserviens, ejus voluntati et imperio mirabiliter subjaceret. Quare Fratres carnificinam hanc aspicere non valentes, et fugientes increpans, ait : « Pusillanimes et modicæ fidei, quare fugistis ? nonne poterat ille temperare mihi fratris ignis ardorem, qui Babylonis pueros inter ipsas flamas servavit illæsos ? »

Mystice S. Gregorius, XXX Moral. XIII, docet abstinentes non tangi igne libidinis : « Cum, inquit, carnem restringimus, ipsis abstinentie nostræ ictibus immundos spiritus verberamus : et cum hoc quod est intra nos subjicimus, extra positis adversariis pugnas damus. Hinc est quod cum rex Babylonis succendi fornacem jubet, naphthæ, stupæ, picis et malleoli ministrari congeriem præcepit; sed tamen abstinentes pueros hoc igne minime consumit : quia antiquus hostis licet innumeræ ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni spiritus gratia insibilat, ut a carnalis concupiscentiæ æstibus illæsæ perdurent, ut et si usque ad tentationem cordis flamma ardeat, usque ad consensum tamen tentatio non exurat.

Vers. 50. 50. ET NON TETIGIT EOS OMNINO IGNIS. — Recte aliqui corpora horum puerorum comparant cum salamandra, quæ sua frigiditate et humiditate prunas (nisi nimiae sint, et nimis accensæ) restinguunt. Secundo, S. Basilius, hom. De laude jejunii, eadem comparat amianto (de quo dixi Isaïe XLV, 2), lapidi qui in igne ardet, sed ex eo integer et purior egreditur. Rursum integritatem eorum in igne tribuit (uti et Bernardus, De Modo bene vivendi cap. xxiv), virtuti jejunii, quod coluerunt tres

pueri, ut patet cap. I, 16. Damascenus etiam, lib. IV, xxv, eamdem adscribit eorumdem puritati et virginitati : et recte. Ita enim virginum multarum corpora ab igne et a corruptione diu manserunt illæsa. Majus enim miraculum est animam in tentatione libidinis, quam corpus in igne manere illæsum. Hinc dæmones S. Dominico non fundatori, sed alteri ex ejus Ordine, cum gravem mulierculæ cuiusdam tentationem superasset, acclamarunt : « Vicisti, vicisti ; quia in igne fuisti, et non arsististi. »

Vidi ego Tridenti corpus S. Simonis pueri innocentis et martyris a Judæis in parasceve occisi; et Bononiæ corpus S. Catharinæ virginis ante 150 annos defunctæ integrum prorsus et illæsum. Memorabile vero fuit exemplum S. Cunegundis, quæ cum Henrico II Imperatore in continentia vixit; cumque quadam vice maritus eam suspectam haberet, quasi famulo cuidam esset familiarior, illa ut virginitatem suam probaret, nudis plantis super candens ferrum ambulavit illæsa; quare moriens maritus, vocatis parentibus ejus : Accipite, inquit, vestram filiam; eam accepi virginem, virginem vobis reddo. Cunegundis deinde purpuram cum cilicio commutavit, habitumque Religionis in monasterio Confugiensi a se exstructo induit, ubi mira humilitatis, pietatis et virtutis dedit documenta; ac rursum ignem noctu paleas corripientem, signo crucis facto, extinxit. Demum quindecim annis religiose in monasterio transactis, cilicio in quo vixerat immortua est, ac miraculis clara ad virginum sponsum Christum Dominum evolavit in celum. Ita habet Vita ejus, quam ex vetusto et fidieli auctore edidit noster Gretserus.

Pari modo Theognia, que secreto cum marito Anastasio per 40 annos in continentia vixerat, prodita est a S. Basilio, qui jussit in sinum ejus carbones ardentes effundi, quos ipsa illæsa gestavit. Ita Amphilochius in Vita S. Basillii, quæ tamen Vita mihi æque ac Baronio, et aliis viris doctis suspecta est.

Mirabile vero est quod refert Cassianus, Collat. XV, cap. x, de abbe Paphnutio, qui, cum casu flamma ejus manum corripiens combussisset, indoluit quod flamma ei non parceret nec cederet, cui dæmones cedebant, quos ille ab obsessis expellebat; quare angelus, ei apparet, dixit : « Cur, Paphnuti, tristis es, quod nequam pacatus tibi sit ignis iste terrenus, cum adhuc resideat in membris tuis carnalium motuum nequam ad purum excocta commotio ? cuius radices donec in tuis vivunt medullis, ignem istum materialem nequaquam tibi pacificum esse permittent. Vade, apprehende virginem pulcherrimam, et si illam tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem, æstusque carnales pacificos in te senseris perdurasse, hujus quoque visibilis flammæ mitis atque innoxius, in modum illorum trium in Babylonia puerorum, te allambet attactus. »

Anno Domini 530, Toleti, sub Amalarico rege, Concilium est celebratum, cui præfuit Montanus : qui, ut loquitur D. Isidorus, post Celsum fuit Toletanæ sedis metropolitanus Episcopus vita et eruditione clarus. Is antiquissima fidelique relatione narratur ad propulsandam conjugalem conversationis infamiam, carentes prunas tamdiu tenuisse veste, dum Sacrum perageret : eoque peracto, nec pruna ignem, nec vestis inventa est amisisse decorem. Ita Joannes Vazæus in Chron. Hispan. ad annum 530.

Consimile huic scribit Leontius in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*, non longe a calce ejus Vitæ : Porphyria, inquit, prius fornicaria, cum ab Abate conversa, ei quasi in quodam salutis asylo cohabitaret, incidit in suspicionem temerarie plebi, quasi ab Abbe filium genuisset; quem nec ipsa genuerat, sed abjectum collegerat. Coram igitur centum, et eo amplius testibus Abbas in suæ ac mulieris castitatis testimonium adferri prunas jussit : evolvit autem eas in proprium vestimentum, quod nulla prorsus parte ambustum est, omnibus id admirantibus.

Insigne aliud narrat Gregorius Turonensis, *De Gloria Confessorum*, cap. LXXVI : « Simplicius, ait, perpetuam cum uxore castitatem servaverat; electus autem in Episcopum, domi virginem adhuc uxorem fovebat, ut sororem. Die igitur Natalis Domini, commotis civibus adversus virginem per inanem suspicionem, sic ad illam locuti sunt : Incredibile est mulierem viro junctam pollui non posse, sed nec vir poterit artubus mulieris junctus a coitu abstinere. His commota virgo sanctissima adit Pontificem simili castitate pollutem, arcu lamque tunc, ut fieri solet pro rigore hiemis, carbonibus plenam penes se habens, accita famula expanso que pallio, prunas ardentes suscepit, et fere horæ unius spatio tenens, sacerdoti postea sic ait : Accipe et tu mihi torem solito ignem, nequaquam tuis velaminibus nocitum : suscipiente vero Pontifice, nihil offensum est velamen ejus ab igne. Credidit tunc incredula gens, atque supra mille sacro baptimate sunt initiati.

Notat Pererius in his tribus pueris octo miracula: *primum*, quod ignis eis luxerit, sed eos non usserit: *e contrario* ignis inferni maxime urit damnatos, minime tamen eis lucet, inquit S. Basilius in *Psalm. xxviii*, et S. Gregorius, lib. IX *Moral. cap. XLIX*. *Secundum*, quod ignis hic parcens pueris, quos intra se habebat, eruperit et invaserit Chaldæos extra et remote consistentes, eosque concremarit. *Tertium*, quod ignis hic vincula juvenum dissolvit, inquit S. Hieronymus, et tamen corpora et vestes eorum non attigit. *Quartum*, quod igne poterant non tantum respirare, sed et libere loqui et Dei laudes decantare. *Quintum*, quod angelus vultu radiantissimo flamas ab eis depulit, et cum eis in fornace ambulavit. *Sextum*, quod tres pueri ibidem afflati Spiritu Sancto divinissimum hymnum (qui est Scriptura Canonica) composuerunt, et uno ore concinuerunt. *Septimum*, fuit ventus roridus, qui ignis vim restinxit et pueros refrigeravit, ac mire recreavit. *Octavum*, quod rex vidit angelum in fornace cum pueris ambularem, quem alii videre non potuerunt. Itaque in his pueris impletum est illud *Isaiae cap. XLIII*, vers. 2 : « Cum transieris per aquas, tecum ero, etc.; cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. » Audi S. Chrysostomum, homil. 4 ad *Populum* : « Ignis

murus illis factus est, et vestis flamma, et fons fornax, et ligatos capiens solutos reddidit. Mortalia exceptit corpora, et tanquam immortalibus abstinuit; non agnovit naturam, sed pietati reverentiam exhibuit; vinxit pedes tyrannus, et ignis vim pedes vinixerunt. O rem mirabilem! vincetos solvit flamma, et ipsa a vincitis vincita est, etc., ut et barbari crudelitatem discas, & elementi obedientiam. » Subdit deinde diabolum non ferro, nec gladio, sed igni eos tradi curasse, ut plane consumerentur et in cinerem verterentur; sed Deum id in gloriam vertisse, ac fecisse ut de Babyloniorum deo, puta igne, quasi ejus victores triumpharent. Hæc et plura S. Chrysostomus.

Simile miraculum de monacho quodam, Benedicto nomine, quem Gothi tempore Totilæ cum cella comburere voluerunt, sed non potuerunt, narrat S. Gregorius, III *Dialog. cap. xviii*.

Tròpologice, fornax succensa a Chaldæis significat libidinum incentiva, quæ daemones in homine excitant, ut animam urant et perdant, inquit Cassianus, lib. VI *Instit. cap. xvii*, et Origenes, in cap. VII *Levitici*, et Hesychius, lib. VI in *Leviticum*; sed casti ea superant ope angelorum. Hinc secundo, disce quam castitatis amatores et tutores sint angeli, utpote qui cum tribus pueris castis in caminum descenderunt, eosque ab igne futati sunt.

Ita S. Thomas Aquinas ob castitatem angelis charus exstilit, ab eisque cingulo castitatis succinctus est: ac deinceps omni libidinis sensu cavit. Ita habet ejus Vita.

Fertur Ammon vir pius, qui propter castitatem a conjugi spoonte sejunctus, ac deinde monasticam vitam ejus consensu amplexus erat, nunquam sese vidisse nudum, eo quod monacho vel suum ipsius corpus nudum videre inconveniens diceret; et, cum aliquando fluvius ipsi transeundus esset, ac vestem exuere detrectaret, et ad Deum orasset, ut ita sibi transire daretur, ne propositum infringeret, ab angelo fuit ad alteram fluvii ripam translatus. Ita Socrates, *Histor. Eccl. lib. IV, cap. XXIII*.

Refert Cassianus, Collat. I *De Sereno Abbe*: « Hic, inquit, pro interna cordis atque animæ castitate nocturnis diurnisque precibus, jejunis quoque ac vigiliis infatigabiliter insistens, cunctos aestus carnalis concupiscentiæ tandem per divinam gratiam in se extinxisse percepit. Deinde majori zelo castitatis succensus, præfatis usus remediis a Deo petiti, ut interioris hominis castitas in corpus redundaret Dei dono. Postremo autem veniens ad eum angelus in visione nocturna, ejusque velut aperiens uterum, quamdam ignitam carnis strumam de ejus visceribus evellens ac projiciens, suisque omnia, ut fuerant, locis intestina restituens : Ecce, inquit, incentiva carnis tue abscissa sunt, et obtinuisse te noveris hodierna die perpetuam corporis puritatem, juxta

Morale,
angeli
sunt cas-
titatis a-
matores
et tuto-
res.

Exem-
pla.

volum quod poposcisti, et ne in ipso quidem naturali motu, qui etiam in parvulis atque lactentibus excitatur, ulterius pulsabatur. »

De S. Equitio Abbatе narrat S. Gregorius : « Hunc, inquit, cum juventutis suæ tempore acri certamine carnis incentiva fatigarent, ipsæ suæ tentationis angustiæ ad orationis studium solertiorem fecerunt. Cumque hac in re ab omnipo-tenti Deo remedium continuis precibus quereret, nocte quadam, assistente angelо, eunuchari se vidit, ejusque visioni apparuit quod omnem motum ex genitalibus membris ejus abscinderet, ac si sexum non haberet in corpore. Qua virtute freatus, ex Dei omnipotentis auxilio, ut viris ante praeerat, ita cœpit postmodum etiam feminis præesse ; nec tamen discipulos admonere cessabat, ne sibi ejus exemplo in hac re facile crederent, et casuri non tentarent donum quod non accepissent. » Simile de Elia trecentarum monialium Patre narrat Palladius, in *Histor. Lausiac.* cap. xxxv. Simile audi de Belgica..

Beata virgo Ermelindis ut sola Deo vacaret, relicta domo paterna, in villam concessit : ubi, cum ejus castitati ab hero pararentur insidiæ, ea nocte qua vadens ad ecclesiam ab eo rapienda erat, meruit angelicam vocem audire se monen-tem ex nomine : « Recede, inquiens, virgo, re-cede, et virginitatem quam Deo consecrasti, in-violatam custodi. » Quæ valde perterrita, obe-diens jussioni iter cepit. Cumque Spiritu Sancto duceretur, angelus Domini ei secundo apparuit, et viam quam ceperat ne desereret, imperavit. Venies, inquit angelus, « in villam quam Mel-dricem nuncupabis : ibi namque præparavit tibi Dominus locum ad perficiendum desiderii tui votum. » Pervenit igitur venerabilis virgo in locum quem præixerat ei angelus : ibique parci-monia miræ abstinentiæ diu vivens, geminæ dilectionis implevit mandatum, inquit auctor Vitæ ejus apud Surium 29 octobris.

Illustrius est quod de S. Theophila refert S. Basilius, lib. *De Virg.*, et Baronius anno Christi 301. Quod recensui I Cor. VII, 35, in fine.

Vers. 51 et 52. TUNC HI TRES QUASI EX UNO ORE LAUDA-BANT, etc., DICENTES : BENEDICTUS ES, DOMINE, etc. — Hinc patet hymnum sequentem dictum et compositum fuisse a tribus pueris in fornace ex afflato Spiritus Sancti : unde et ab Ecclesia vocatur hymnus trium puerorum. Quod ergo scribit hic Polychronius : « Sciendum est hunc hymnum non haberi in Hebraicis aut Syriacis libris : fertur au-tem ex iis, quæ dicta sunt, a quibusdam postea compositum esse ; » prius verum est, posterius falsum (1).

(1) Paululum differimus partes deutero-canonicas Danielis libri, inter quas hymnum trium puerorum, ut vere canonicas vindicare, et cum præterea rationalistæ, ut Bertholdius, opponant incredibile esse, tum tres istos juvenes in fornace metro lusisse, atque omnes creaturas ad laudes Dei invitasse ; tum Nabuchodonosorem in hanc

Moraliter, vide hic quam verum sit illud Psalm. cxvi, 15 : « Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum. » Et illud Psalm. xcvi, 11 : « Lux orta est justo, et rectis corde lætitia, » Nam, ut ait S. Bonaventura, in *Specul. discipl.* part. I, cap. iii : « Maximum inhabitantis gratiæ signum est spiritualis lætitia : fructus enim Spiritus est gaudium, » ait Apostolus Galat. v, 22. Quocirca merito S. Bernardus, serm. 14 in *Cantic.* : « Opus meum, inquit, vix unius est horæ, et si plus, præ amore non sentio. Lætamini ergo in Domino, et exsultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde. » Dominus enim protector vester est, et ex omnibus tribulationibus liberabit vos, uti tres pueros ab igne liberavit.

52. BENEDICTUS ES, DOMINE, etc., — q. d. ut clare vertit Vatablus : *Prædicandus es, Domine Deus patrum nostrorum, celebrandus et laudandus in perpetuum; prædicandum item nomen tuum gloriosum illud et sanctum, perquam laudabile, et in ævum supra modum extollendum.*

53. SUPERLAUDABILIS ET SUPERGLORIOSUS IN SÆ-CULA. — Vatablus : *Sempiternis sæculis percelebrandus, et perquam gloriosus.* Unde vers. præcedenti : « Superlaudabilis et superexaltatus in sæcula, » aliqui addunt ὑπερένδοξος, id est supergloriosus, qui scilicet omnem laudem et gloriam, ac glo-rierificationem omnium hominum, angelorum, et creaturarum superas, et in immensum trans-cendis.

55. SEDES SUPER CHERUBIM, — sedes tum super angelos Cherubinos, qui sunt in celo; tum super effigies Cherubim, quæ sunt super arcam et propitiatorium. Vide dicta Exod. xxv, 23, eo enim alludit. Nam arca ante excidium urbis, a Jeremia ex urbe et templo fuit educta, atque loco incognito recondita, ut patet II Mach. II, 4. Unde adhuc tempore captivitatis Deus dicebatur sedere super Cherubim.

57. BENEDICITE, OMNIA OPERA DOMINI, DOMINO. — Tres pueri ob tam illustrem et miraculosam Dei in se beneficentiam, ut intimum cordis sui et ju-bilationis sensum, atque immensum affectum gratitudinis, congratulationis, reverentiæ et laudiæ divinæ, quo astuabant, testentur et ostendant, invitant hic omnes creaturas, etiam inani-mes, ad Dei laudem ; præsertim quia ipsæ hujus miraculi et beneficentiae, qua Dei potentia et pro-videntia ita celebribatur, fuerunt testes, aut etiam cooperatrices, uti angeli, ventus, ignis, etc.

Nota : Inanimes creature bene dicunt Deum Inanima laudem vers. 95 erupisse : « Benedictus Deus eorum, » etc., quod conciliari non poterat cum sua religione et honore quem sibi metipsi deserre debebat ; respondemus, primo, non tres istos pueros scripsisse hunc hymnum in fornace ardente, sed Danielem post suam liberationem ; secundo, quid mirum si Nabuchodonosor præ tanti prodigii admiratione, verba cuius adamassim tenorem non perpen-dit, protulisse dicatur, cum postea de facto decretum eorum, ipsiusque veri Dei causa ediderit, et illos in provicia Babylonis promoverit ?

landant Deum non ore, sed opere, ait S. Hieronymus. *Primo*, quia sua pulchritudine, varietate, magnitudine, situ, motu, utilitate, ministerio, perseverantia, et obedientia erga Deum, creatoris sui potentiam, sapientiam ac providentiam summa laude, gratiarum actione et veneratione dignissimam ostendunt.

Secundo, quia iisdem spectatores sui in laudem et admirationem factoris movent et excitant: itaque spectatoris lingua ad Dei laudem ipsæ quodammodo utuntur. Ita S. Hieronymus hic et Eu-

thymius, in *Psalm. cxlviii.*

Est ethopœia ad pathos; tribuitur enim hic sensus, vox et laus rebus inanimis, uti dixi *Isaiae I, 1, q. d.* Vos, o angeli, o cœli, o ignes, o venti, o bestiæ, quæ spectastis, vel spectare potuistis hocce prodigium, naturali sensu, et muta voce obstupescite Dei in nos clementiam et potentiam; congratulamini nobis, et nobiscum benedicite Deum, quia sine dubio idipsum faceretis rationali sensu, mente et voce, si ea haberetis. Nec enim nos ad gratias agendum, et benedicendum Deum sufficimus: ideoque omnes creaturas ad ejus laudem nobiscum provocamus, cuperemusque omnium angelorum, hominum et creaturæ ore, immensam Dei in nos liberalitatem celebrare. Vos ergo cœli, sidera, ignes, etc., quæ alias semper obedistis Creatori, vestraque pulchritudine et obedientia eum laudatis, nunc magis idipsum facitis. Tu enim, o ignis! laudas Deum, dum præter naturam ad nutum Dei, a nobis quasi a servis Dei, te tuamque vim retrahis. Vos, o venti! laudatis Deum, dum in medio ignis nobis quasi servis Dei, refrigerium præstatis. Vos, o cœli, o sidera! laudatis Deum, dum vestro motu et luce Deo vestro, ejusque prodigio huic cooperamini, pergit ergo, ut cœpistis, quamdiu nos in camino hoc vivimus et vigemus, atque deinceps semper, vestra specie, actione et obedientia, tum naturali, tum supernaturali Deum laudate, hominesque omnes et angelos ad Dei laudem provocate.

Hoc ergo illustre est canticum, de quo proinde Concilium Tolet. IV, *Can. xiii.*, statuit, ut publice decantetur, uti fecimus in Landibus Horarum Canoniarum. Pulchre et floride hoc canticum exponit et dilatat Pererius toto lib. IV. Porro hoc canticum incipit a summis, puta ab angelis, quos primo ad Dei laudem invitat. Inde ordine gradatim descendit ad cœlos, solem, stellas: mox ad aerem, imbre, rorem; inde ad terram, fontes, maria, pisces, volucres, bestias, pecora: ac tandem vers. 82, ad homines, Israelitas, sanctos ac humiles: denique hi tres pueri, vers. 88, seipso excitant ad hanc Dei laudem concludendam, uti eamdem inchoarunt.

59. BENEDICITE, COELI, DOMINO. — Nota: Cœli enarrant gloriam Dei, quia a Deo acceperunt, primo, naturam incorruptibilem; secundo, immensam magnitudinem; tertio, rotunditatem perfec-

tissimam et pulcherrimam; quarto, motum celerimum et perpetuum; quinto, varietatem orbium, eorumque inter se miram concordiam et coaptationem; sexto, eorumdem motus diversissimos, et tamen ordinatissimos; septimo, siderum decorum, multitudinem, efficientiam; octavo, præsides angelos, qui orbes hos regunt et rotant; nono, lucem miram et variam; decimo, generalem vim et potentiam vivificandi, producendi, moderandi, conservandi omnes res terrestres et sublunares; undecimo, quod in cœlo empyreo mirus sit ornatus et rerum varietas: ipsum enim est templum, thronus et regnum Dei, estque domicilium angelorum et hominum beatorum; ubi Deus se eis clarissime cernendum, ardentissime amandum, et jucundissime fruendum in omnem æternitatem præbet. Merito ergo de cœlis peculiariter ait Psaltes, *Psal. viii*: «Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum,» puta, qui sunt opera sapientæ, potentiae et magnificentiae tuæ. Ita Pererius.

60. BENEDICITE, AQUE OMNES, QUE SUPER COELOS Vers. 60.
SUNT, DOMINO. — Quænam hæ aquæ sint, an elementares, an cœlestes, dixi *Genes. I, 6.*

61. BENEDICITE, OMNES VIRTUTES DOMINI, DOMINO. Vers. 61.
— Per virtutes accipe *primo*, intelligentias, sive angelos cœlum moventes; unde virtutes hic inseruntur inter cœlos et solem ac stellas, quia iis omnibus præsident; *secundo*, influentias cœlorum in hæc inferiora; *tertio*, aliqui accipiunt septimum angelorum ordinem, qui dicitur Virtutes, eo quod mira in terris faciant; quasi illis hi tres pueri attribuant miram sui in igne conservacionem, quodque angelus in igne eos conservans fuerit ex ordine Virtutum; *quarto*, Pererius accipit virtutes operativas lapidum, herbarum, animalium et omnium rerum naturalium, uti est virtus in magnete ad trahendum ferrum; in herbis ad calefaciendum, siccandum, purgandum, etc.

Notat Scholiastes non esse eumdem in omnibus codicibus harum benedictionum ordinem. Sic vers. 67: «Benedicite, frigus et aestus, Domino,» in edit. Septuaginta Romana ponitur posterius, scilicet vers. 73.

65. OMNES SPIRITUS, — omnis ventus: quia is Vers. 63.
nos in igne tutatur, estque «Dei,» id est a Deo immissus. Alii per spiritus accipiunt angelos, sed hos nominavit vers. 58. Adde angelos in Scriptura non solere vocari spiritus Dei, sed absolute spiritus, uti recte observavit Alcazar in cap. I *Apoc. pag. 183*, in fine.

Nota: Venti laudant Deum, quia magnus est eorum usus et utilitas. Nam *primo*, ventilant et purgant aerem, ne putrescat, vel inficiatur. *Secondo*, nubes et pluvias nunc adducunt, nunc abducunt. *Tertio*, arbores, plantas et sata fovent et vegetant. *Quarto*, aestum refrigerant. *Quinto*, habitum hominis et animalium renovant et reficiunt. *Sexto*, naves propellunt. Ita Seneca, lib. V *Quest. natur. cap. xviii.* Rursum quia solus Deus

Vento-
rum uti-
litas ser-
tupler.

proprie ventis dat ordinem, locum, metum, tempus, impetum, vicissitudinem et vires, hinc speciatim venti invitantur ad Dei laudem.

Vers. 66. 66. LAUDATE ET SUPEREXALTATE EUM IN SÆCULA,— puta in æternum. Hoc enim significat Græcum, εἰς τὸν αἰώνα, quod Vatablus vertit, sempiternis sæculis. Est hoc hemistichium intercalare, ut, dum prius, v. g. « Benedicite, ignis et æstus, Domino, » præcinit præcentor, mox communi omnium voce applaudens et conclamans chorus ubique succinat : « Laudate et superexaltate eum in sæcula. » Sic in Litaniis uno præcidente nomina Sanctorum, cæteri respondent : « Ora pro nobis. »

Vers. 67. 67. FRIGUS ET ÆSTUS. — Græce est καύσων, id est æstus, et ita legunt Romana : hic enim directe opponitur frigori. Ita ergo legendum est, non æstas. Unde Vatablus vertit, ardor; alii, cauma; æstas tamen legunt Biblia Plantina, Parisina, et alia pleraque, item S. Hieronymus. Quin et versio Syra, quæ exstat antiqua in *Biblioth. Medicea*, hoc hemistichium Græcis et Latinis Bibliis addit : Benedicite, æstas et hiems, Domino. Sed eodem fere res redit : æstus enim est in æstate; unde et æstas dicitur ab æstu, ait Varro lib. IV, vel, ut alii a Græco αἴθεσται, id est urere. Hinc Plinius lib. XII, cap. ix : « Austri, ait, ibi tam ardenter flant, ut æstatibus sylvas accendant. » Porro quantam laudandi Deum materiam suggesterant hominibus æstus et æstas, patet ex frumento, vino, tamque vario et multiplie omnigenum fructuum genere, quod maturant et quasi pariunt; ut merito canat Psaltes *Psalm. LXXXIII*, 17 : « Æstatem et ver tu plasmasti ea. » Et *Ecli. cap. L*, 7 et 8, laudans Simonem pontificem : « Ille, inquit, effulsit in templo Dei, etc., quasi thus redolens in diebus æstatatis. » Rursum æstas monet hominem laboris, ut eo comparet sibi cibum, quo vivat in hieme. Quocirca Sapiens, *Proverb. VI*, 6 : « Vade, ait, ad formicam, o piger! et considera vias ejus, et disce sapientiam : quæ, etc., parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat, » q. d. Sic tu, o homo! compara tibi bona opera et merita in tempore, quibus vivas et fruaris in æternitate. Quamobrem, ut idem ait cap. x, 5 : « Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis. » Et cap. xx, 4 : « Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei. »

Vers. 68. 68. PRUINA. — Græce νέφελαι, quod Vatablus vertit, pluviae nivales; alii passim, pruinæ.

Vers. 73. 73. BENEDICITE, MONTES ET COLLES, DOMINO. — Montes enim, primo, nives, vapores, nebulas nubesque recipiunt et colligunt, easque in aquas redescem dant commoda. Montes enim, primo, nives, vapores, nebulas nubesque recipiunt et colligunt, easque in aquas solvunt; itaque torrentium et fluminum sunt causa et origo, quibus agri rigantur et fecundantur, quique pisces gignunt plurimos et sanissimos, utpote saxatiles et viscositate carentes. Hoc est quod ait Psaltes, *Psalm. CIII*, 10 : « Qui emitis fontes in convallibus : inter medium montium pertransibunt aquæ. » Montes enim non tantum scaturig-

nes, sed et aggeres sunt fluviorum et maris, illiusque fluctus et tumorem ne exundet coercent. Secundo, montes subjectas valles et agros a ventis et procellis, æque ac ab æstu tutantur. Tertio, montes continent fossilia et mineralia, uti carbones, ferrum, æs, stannum, aurum, argentum. Quarto, montes et rupes dant saxa et marmorata, quæ ex ipsis etiam Alpibus excidi vidi. Quinto, montes vites alunt, uvasque maturant ob reflexionem radiorum solis. Sexto, proferunt maximas quercus, omnisque generis arbores. Sane nusquam abietes plures, majores aptioreque ordine dispositas conspexi quam in Alpibus, et juxta Norimbergam eundo Augustam, ubi ingentem abietum sylvam quæ ad plura millaria extenditur, pertransi. Septimo, montes si excolantur proferrunt triticum, et frumentum omnis generis. Hinc in Alpibus vidi opulentos pagos et oppida plurima, quæ specie et opibus cum campestribus certant. Rursum montes abundant gramine, pratensis, oleribus, herbis, floribus pulchris et odoratis etiam in hieme : unde tunc elegantes florum fasciculos Alpini nobis ex hospitio exeuntibus more suo offerebant. Octavo, montes sunt quasi muri et valla urbium et provinciarum, ne a vicinis aliisque gentibus invadantur. Ita montes Ardennæ sunt muri Galliæ, Alpes Germaniæ, Apennini Italiæ, Pyrenæi Hispaniæ : hi enim Gallos ab Hispanis distinguitur, et ne in invicem incurvant aditum præcludunt. Ita Helvetii in suis montibus consistunt quasi inexpugnabiles, adeoque Carolum Audacem principem bellicosissimum cum numeroso exercitu conciderunt. Nono, in montibus ob frigus, auramque puram et acrem corpora valent, vigintque homines et sunt robusti, atque tum frigore, tum fame urgentur ad laborem quo victum parent : quo fit ut nec otio, nec luxu, nec libidine et vitiis diffluant; sed modesti sint, labriosi, probi et pii. Evidem in montoso Tirolensi Comitatu maxima pristinæ probitatis et pietatis in viis et collibus monumenta, uti sacella, crucis, imagines, vota, etc., lustravi. Decimo, in montibus aptissimus est locus solitudinis, cœlumque et cœlestia contemplandi. Unde ibi sunt eremitoria, et eremitæ sidera liberrime suspiciunt, et terram ac terrena omnia despiciunt. Hinc Christus in monte orans transfiguratus est, et sermonem illum divinum, *Matth. cap. V*, 1, habuit in monte, denique in monte Olivarum more suo obsecrans captus et vincitus est. Hæc in Alpibus inter, imo supra, nubes consistens et contemplans, identidem dixi : « Benedicite, montes, Domino. » Denique montes Alpium et Apennini cingunt et tutantur Romam, utpote Ecclesiæ et imperii caput, ut videatur esse inexpugnabilis, quasi supra petram fundata. Qua de re pulchre Rutilius :

Si factum certa mundum ratione fatemur,
Consiliumque Dei machina tanta fuit,
Excubis Latii prætexuit Apenninum,
Claustraque montanis vix adeunda viis.

Invidiam timuit natura, parumque putavit
Arctois Alpes opposuisse minis.
Sicut vallavit multis vitalia membra,
Nec semel inclusit quæ pretiosa tulit :
Jam tum multiplici meruit muninane cingi,
Sollicitosque habuit Roma futura deos.

Vers. 87. 87. BENEDICITE, SANCTI ET HUMILES CORDE, DOMINO. — Humilitas cum sanctitate jungitur, quia basis est sanctitatis, et quia vera humilitas non debet esse fucata in ostentatione exteriore, sed realis in animo: hinc additur *rō corde*. « Simulata enim humilitas est duplex superbia, » qua non nulli opinionem sanctitatis apud homines aucupantur, sed hæc diurna esse nequit: mox enim se prodit latens superbia. His applicari posset dicique illud Nahum cap. III, 14: « Intra in lutum, et calca, subigens tene laterem, » nimirum intra in temetipsum, et sentiens te esse abjectum lutum, conculca illud, et animi amplectere humilitatem.

Humiles maxime laudant Deum. Nota: Præ aliis virtutibus humilitas, et humiliis, laudat Deum; quia cognoscit suum nihilum, et quidquid boni habet, id se habere a Deo. Hinc ait Sapiens, Eccli. cap. III, 21: « Magna potentia Dei solius, et ab humiliis honoratur. Nihil est, inquit S. Hieronymus ad Celantiam, quod nos ita hominibus et Deo gratos faciat, quam si vitæ merito magni, humilitate tamen infimi simus. » Ita S. Franciscus noctes integras non aliud orabat, quam: « Quis tu, Domine? quis ego? » Audi et S. Augustinum in Sentent. sent. 83: « Vera, inquit, fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse, nec querulum; sed in omnibus Dei judicis Deo gratias agere, Deumque laudare, cuius omnia opera aut justa sunt, aut benigna. »

Vers. 88. 88. ERUIT NOS DE INFERNO,—fecit ne moreremur, et iremus ad limbum patrum.

Et SALVOS FECIT DE MANU (id est potestate et imperio certæ) MORTIS.

Vers. 90. 90. OMNES RELIGIOSI, — omnes Dei cultores: hi enim sunt σεβόμενοι τὸν Κύριον.

Vers. 92. 92. ET SPECIES QUARTI SIMILIS FILIO DEI, — id est similis Christo, de quo a Daniele rex aliquid inaudisse poterat, inquiunt Rupertus et Terfullianus, lib. IV Contra Marcion. cap. x, et S. Augustinus in concione ad Catechum. Imo multi veteres, ut Terfullianus, Justinus, Hilarius et alii, putant hunc quartum vere non angelum, sed Christum fuisse,

Filius Dei quis? Primo. qui jam tum ante sumptam humanam naturam, ejus similitudinem induerat, et se quodammodo ad futurum redemptoris officium exercebat. Putant enim ipsi, apparitiones, quæ in veteri Testamento factæ dicuntur per angelos, factas esse per ipsummet Filium Dei, qui est magni consilii Angelus. De qua re dixi in Genes. cap. XVIII. Atque ex horum sententia petita videtur Antiphona, quam huic hymno trium puerorum in Officio Ecclesiastico, ad Laudes præmittimus tempore paschali: « Surrexit Christus de sepulcro, qui tres

pueros liberavit de camino ignis ardantis, Alleluia. »

Secundo, Dionysius Carthusianus, « similis Filio Secundo. Dei, » id est similis Apollini, inquit, Herculi, aut cui simili ex Jove, aliove deo genito: tales enim finixerunt et coluerunt Gentiles. Unde Symmachus vertit: Quartus similis filiorum deorum; et Syrus: Aspectus quarti assimilatur filio deorum.

Tertio, « similis Filio Dei, » id est similis angelo, Tertio. ut vertunt Septuaginta, teste S. Hieronymo. Erat enim revera angelus, ut patet vers. 49, habebatque vultum angelicum: nec dubium est regem de angelis inaudisse. Sic Job XXXVIII, 7, dicitur: « Ubi eras cum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei, » id est omnes angeli? Ita Vatablus, imo S. Hieronymus, qui et addit: « Hoc juxta historiam. Cæterum in typo præfigurat iste angelus, sive Filius Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, qui ad fornacem descendit inferni; in quo clausæ, et peccatorum, et justorum animæ tenebantur, ut absque exustione et noxa sui, eos qui tenebantur inclusi, mortis vinculis liberaret. » Et sic exponi potest Antiphona paulo ante citata, quod Christus, id est angelus, typum gerens Christi, et missus a Filio Dei, liberarit tres pueros de camino ignis. Favet Arabicus uterque, Antiochenus scilicet et Alexandrinus: Aspectus (visio, species) quarti similis est Filio Dei excelsi.

Quarto, Pererius: « Similis Filio Dei, » id est similis viro illustri, eximio et augusto supra omnes homines. Sic enim vocantur montes et cedri Dei, id est illustres, eximii; et sic vocantur filii Dei, Genes. VI, 2.

Ex hisce sensibus tertius maxime genuinus videtur: nam quem rex hic Filium Dei vocat, eumdem ipse, vers. 93, vocat angelum. Porro misit Deus angelum, qui appareret regi, ne rex putaret pueros in igne servari illæsos per maleficium. Quocirca rex hic tria miratus est: primo, quod quatuor sint; secundo, quod soluti; tertio, quod in igne illæsi.

Exclamat merito hic S. Chrysostomus; homil. De tribus pueris: « O quibus, inquit, triumphiste, incorrupta fides, extendis! Adest tibi amica majestas, ut innocentia liberetur: patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari, et potest Dominum videre sacrilegus (Nabuchodonosor); sed non permittitur nosse, ut crescat gloria puerorum. »

Disce hic quam angeli Sanctis in tormentis orantibus adsint, eosque tueantur et corroborent. Ita S. Theodoro martyri astitit angelus, eumque robori et sanitati restituit. Audi de eo rara et mira ex auctore Vitæ, quæ graviter scripta exstat apud Surium 7 februarii. Cum S. Theodorus dux exercitus in nomine Trinitatis draconem infensiissimum interfecisset, et imperatoris Licinii deos ex auro et argento conflatos confregisset, atque pauperibus distribuisset (qua ratione plurimi Christo nomina dabant): Imperator cum accersitum om-

Angeli Santos in tormentis corroborant.

Exem-
pla.

nibus inimicorum phalangibus ridendum expusit. Beatus autem Theodorus dixit ei : « Fremis, o Imperator! sed ego rugio : Tu stertis, at ego exsilio : Tu cum Deo pugnas, at ego de Deo dissero : Tu blasphemas, ego vero Deum hymnis laudo : Tu colis deos mortuos, ego vero Deum vivum : Tu Serapin, ego vero eum qui est super Seraphim : Tu Apollinem, ego vero Deum semper viventem : Tu es carbo Thracius, ego vero princeps Romanus : Tu Licinius ventilator, ego vero Theodorus donum Dei. Quamobrem ne ægre feras, o Imperator! neque calcitres : hæc enim faciens, tuos ostendis cruciatus : asini enim et muli tenes figuram. » Tunc multa ira plenus Licinius jussit boum nervis eum cædi, et plusquam mille plagas ei inferri. Deinde ferreis unguis lacerari ejus carnes, et lampadibus ignis ustulari ejus ulcera, et acutis testis radi concretum sanguinem. Post hæc martyrem ligno affixerunt per manus et pedes. Arbitratus autem impius Licinius eum esse mortuum, reliquit in ligno pendentem. Circa primam vero vigiliam noctis adstans angelus Domini solvit eum, et reddidit eum sanum corpore, sicut prius, eumque salutavit, et dixit : « Gaudias et corroboreris in sapientia et gratia Domini nostri Jesu Christi. Ecce enim tecum est Dominus Deus : et cur dixisti : Recessisti a me? Consumma ergo cursum tuæ decertationis, et venies ad Dominum nostrum Jesum Christum, accipiens coronam immortalitatis. » Hæc cum martyri dixisset angelus, ab eo recessit. Sanctus autem martyr Domino suo agebat gratias, et cœpit psallere : « Exaltabo te, Deus meus, rex meus, et benedic nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi. » Audi et alterum non minus memorabile.

Cum B. Constantium Perusinæ civitatis Episcopum Danabi in tormentis, a quibusdam Marci imperatoris militibus ei inflictis vires jam deficerent, ad Deum, toto corde conversus : « Suscipe jam, orabat, spiritum meum, Domine, requiescat in te, qui pro te, te ipso juvante, omni tempore laboravit. » Vix dum pias hasce voces emiserat, cum ecce præsto est ei angelus Domini, afflictum his verbis confortans : « Noli timere, Constanti, ego sum angelus Dei : misit me Christus, ut plagi tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi ad sim in omnibus viis tuis; » et illico omnis plaga curata est. Tunc ille angelico solatio recreatus : « Gratias tibi ago, ait, Domine Jesu Christe, qui per angelum tuum me in angustiis positum confortasti, et curasti vulnera mea; nunc vere scio te quidem nunquam deserere sperantes in te. » Ita habetur in Vita ejus apud Surium 29 januarii, Audi et tertium in virgine Itala admirabilius.

S. Christina, in Deum credens, deos aureos Urbani patris sui præfecti contrivit, et pauperibus distribuit. Ob hoc, jubente patre, alapis afflita, verberibus dilaniata, ferro onusta, in carcerem conjecta est. Post hoc cum diutissime et crudelissime dilaniaretur, decidua carnium frusta patri

in faciem projicit. Cumque alligata rotæ, igni supposito, et fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentiles interfecit. Iterum carceri tradita, angelo visitante, sanata est et refecta. Deinde cum magno saxi pondere in lacum Volturnum jactata, angelico præsidio liberata est. Ita Ado Trevirensis in Martyrologio 9 Calend. augusti. Lacus et locus hoc martyrio celebris, non longe a Roma visitur in via Senensi, mihius illac, dum in Urbem contendenter, transeunti ostensus est.

94. ET SARABALLA EORUM NON FUSSENT IMMUTATA. Vers. 94.

— « Saraballa » (male aliqui legunt *sarabara*) vox est Chaldaica, significans femoralia. Syrus et Arabicus retinent vocem *saraballa*, eamque dicunt denotare caligas superiores ex tela vel byssو, lassis et longas, scilicet porrectas ad talos, et crebro esse diversorum colorum. Sic et Hieronymus: Saraballa, inquit, significat tum crura sive femora, tum eorum tegumenta : unde Noster braccas vertit, vers. 21. Hinc Hispani vocant *saragellas*.

Saraballa sunt braccæ.

Quare minus verisimile est quod Rabbini non nulli, et eos secuti recentiores, censem *saraballa* fuisse vestem extimam, puta chlamydem aut pallium. Nam præter jam dicta, Symmachus, teste S. Hieronymo, vertit, ἀνθεψίδας, quæ Hesychius et Suidas in *Lexicis*, Eustathius in II *Iliad.*, S. Hieronymus ad *Fabiolam*, interpretantur feminalia, seu braccas, id est crurum et femorum operimenta : quibus vestitum fuisse Cyrus, aliosque reges et principes Persarum (æque ac Babyloniorum) docet Xenophon lib. VIII *Pædia Cyri*. Rursum Hesychius οὐκέται; interpretatur crurum et femorum tegumenta, eaque a Parthis *Sarabara* (sic enim legendum videtur) vocari tradit. Et Suidas : « *Sarabara* (sic enim lego) vestis est Persica, aliqui vocant braccas; » unde et « *Persicam braccam* » vocat Ovidius, lib. V *Tristium*, elegia XI. Insuper Persas omnes braccatos fuisse et crura feminalibus texisse docent Xenophon, lib. I, Strabo, lib. XV, Pollux, lib. VII, Onomastes, cap. XIII, Herodotus, lib. V, et Dio Chrysostomus, *orat.* 72. Hinc et « *Medos braccatos* » vocat Persius, *satyra* 3. Alexandrum quoque feminalibus usum tradit Plutarchus in ejus Vita. Denique Semiramidem et mulieres Babylonias crura velamentis texisse docent Curtius, lib. IV, et Isidorus, lib. XIX *Origin*. Multo magis ergo iisdem usi sunt viri Babylonii quibus præerant hi tres Danielis socii, ideoque eorum habitu, puta feminalibus, induebantur. Licit ergo regis furor urgeret, ut statim in fornacem projicerentur, tamen vestis extima, puta chlamys (si tamen ea induti erant) in momento eis auferri poterat : alioqui enim commode funibus constringi, et in fornacem conjici non potuissent. Denique Pagninus expresse *saraballa* vertit *femoralia*.

ET ODOR IGNIS NON TRANSISSET PER EOS, — q. d. Ignis non perstrinxisset, nec ustulasset extima eorum. Nota : Primo et genuine, « *odor* » sumitur hic metaphorice pro afflato incendi, q. d. Quod

nec ab igne vel leviter essent afflati, nec pili cutis aut vestium essent ambusti et rasi. Sicut enim res odorata remote efflat odorem, ita ignis in corpora remota suam vim exerit eaque afflat, quasi odo-raretur ibi esse aliquod objectum combustibile, sibi debitum. Sic de Samsone dicitur *Judic. XVI*, 9 : « Qui rupit vincula quomodo si rumpat quis filum de stupræ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit, » id est cum igne fuerit afflatum. Et *Sapient. cap. XI*, 19 : « Aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes. » « Odor (ergo) ignis » est vapor et exhalatio vel ab igne emissa, vel ab igne producta et elicta ex mate-ria combustibili, dum illa ignem eminus sentit, eoque afflatur, antequam ardeat et conflagret. Secundo, proprie hic « odor ignis » accipi potest; adustio enim suum habet odorem; unde dici-mus : Olfacio adustionem. Tertio, « odor ignis » sumi potest pro indicio aut vestigio incendii. Sic ait Cicero *ad Atticum*, lib. IV, epist. 85 : « Res fluit ad interregnum, et est nonnullus odor dictatu-ræ : » « odor, » id est indicium, inquit Budæus. Sic « lucri bonus est odor ex re qualibet, » ait Ju-venalis, *satyr. 14*. Et Cicero *pro Cuentio* : « Can-nutio, inquit, perito homini, qui quodam odore suspicionis Stalenum corruptum esse sensisset, neque dum rem perfectam arbitraretur, pla-cuit, » etc. Hinc odorsæpe sumitur profama, ut cum ait Paulus : « Christi bonus odor sumus, » q. d. De Christo bonam famam ubique spargimus, sanctæ vitæ exemplo, æque ac sanctæ doctrinæ prædicatione, *II Cor. II*, 15.

Porro post hæc verba : « Et odor ignis non transisset per eos, » in multis Septuaginta codici-bus additur : *Et adoravit coram eis rex Dominum* : quod tamen Latini codices non legunt, nec a S. Hieronymo, nec a Theodore agnoscitur.

Vers. 95. 95. VERBUM REGIS IMMUTAVERUNT. — Id est contra regis imperium egerunt. Ita Vatablus. Chaldaice est יְנָשׁ scanniu, quod secundo verti potest, secun-daverunt, secundo loco habuerunt, id est postposue-runt verbum regis legi Dei, scientes oportere Deo magis obedire, quam hominibus. Hinc patet hos tres pueros esse martyres, imo martyrum quasi primitias, qui ceteris præluserunt, et fortitudinis exemplar dederunt posteris omnibus, præsertim christianis : quia ipsi ante Christum, sine exem-plio, primi in lege veteri, pro unius Dei cultu li-bentissime et constantissime ignes tyranni subie-runt, seque in certissimam mortem dederunt, eamque violentissimam reipsa omnino obiissent :

idque naturaliter et necessario, nisi a Deo contra naturæ cursum miraculose fuissent conservati et erepti. Simili de causa Daniel missus in lacum leonum, licet inde a Deo sit eruptus, censendus est martyr. Nec enim convenit ut miracula virtuti sint damno, ejusque meritum et præmium mi-nuant, cum ad eam illustrandam adhibeantur, « Hæc enim meritum confessionis (martyrii) non minuant, sed magnalia divinæ protectionis os-

tendunt, » inquit S. Cyprianus, epist. 58, quæ est ad Lucium Papam, S. Chrysostomus, hom. Quod nemo læditur nisi a seipso; et favet S. Hieronymus in cap. xx *Matth.*, et alii; ac diserte S. Athanasius, serm. 3 *Contra Arian.*, hos tres pueros vocat martyres : Codex vero Vaticanus Basili Porphyro-geniti imperatoris, quem initio libri citavi, eos reipsa tandem martyrium subiisse affirmat. Ve-rum nil tale habent Epiphanius, Dorotheus et alii, nec Martyrologium Romanum, in quo hi tres quasi Sancti consignantur, nulla martyrii men-tione 16 decembris; sic enim habet : « Trium pue-rorum, Ananiæ, Azariæ et Misaelis, quorum cor-pora apud Babylonem sub quodam specu con-dita sunt : » postea translata Romam in templo S. Adriani in foro boario sepulta, ut habet ibi-dem marmorea inscriptio, religiose coluntur. »

Denique quod ad eorum propaginem et poste-ritatem attinet, sunt hic Romæ Judei et Rabbini, qui se ab hisce tribus pueris prognatos esse jacti-tant, ad eosque suam genealogiam continua et longa avorum serie deducunt; ideoque ab eis no-men Ananiæ, etc., et cognomen *s'orno* (ab eorum furno et fornace, in quam conjecti sunt) assumunt. Ita ipsi, fidelium, felicium et nobilium patrum infideles, infelices et ignobiles filii. Addo fabu-losi ; hi enim tres pueri fuerunt virgines, ideoque ab igne illæsi, uti superius ex Damasceno docui. Dices : Tum fuerunt virgines; at postea duxerunt uxores, et procrearunt liberos. Respondeo hoc gratis dici, et esse improbabile. Quis enim credat eos suam virginitatem tam nobili martyrio et mi-raculo decoratam conjugio corrupisse, ac tan-tam maculam dedisse in gloriam suam? Grandævi jam tum erant, et qui usque ad eam ætatem uxore abstinuerant, in ætate senescente, post tanta castitatis tropheæ, eam servare nequierunt vel noluerunt?

OMNEM DEUM, — ullum deum : Hebræis enim non omnis idem est quod nullus.

96. LOCUTA FUERIT BLASPHEMIAM. — Rex hoc Vers. 96. prodigo non videtur plane fuisse conversus : nam non vetat coli idola, nec præcipit coli unum Deum Hebræorum, sed tantum vetat ne quis eum blas-phemet.

97. PROMOVIT SIDRACH, etc., — q. d. Rex non Vers. 97. tantum tres pueros restituit in pristinam dignita-tem, et in suas præfecturas; sed insuper status et præfecturas eorum adauxit. Ita S. Hieronymus; editio Septuaginta Romana addit : *Et amplificavit eos, et dignos habuit ipsos, qui præessent omnibus Judæis, qui erant in regno suo.*

Vide hic quid faciant constantia, virtus et sanc-tum paucorum exemplum : hoc enim tres pueri hi monarcham Babyloniorum ferocissimum et potentissimum converterunt, ut Deum verum toto regno suo deprædicaret, sicut sequens ejus docebit edictum.

Ita S. Pachomius cum adhuc gentilis militaret in exercitu Constantini, videns Thebis charita-

tem christianorum erga milites afflictos, quibus omnia necessaria liberaliter suppeditabant, hoc exemplo ad Christum conversus, tantus evasit quantus in historiis celebratur. Ita Baronius, anno Christi 316.

Venerabilis Beda, lib. I *Hist. Angl.* cap. vii, refert S. Albanum a paganismo per clerici cujusdam, quem hospitio receperat, piam et sanctam vitam ad Christum fuisse conversum, ac tandem martyrem evasisse.

S. Afra, ut habet ejus Vita apud Surium, 5 augusti, a merefricia vita cum tribus suis puellis ad Christum est conversa exemplo pietatis, gravitatis et castitatis S. Narcissi Episcopi, quem, siveiente persecutione, receperat hospitio.

Rufinus, lib. XI *Histor.* cap. ix, de S. Gregorio Nazianzeno ita scribit : Nazianzi in locum patris Episcopus subrogatus, haereticorum turbinem fideliter tulit. Reddita vero pace, Constantinopolim ad ecclesiam docendam venire rogatus, non abnuit. Ubi brevi tempore tantum ad emendandum populum vetustis haereticorum infectum venenis profecit, ut tunc primum christiani sibi fieri vi-

derentur, et novellam lucem aspicere, cum religionis doctor multa quidem verbis; plura tamen doceret exemplis : nec viderent ab eo discipulis aliquid imperari, quod non prius ipse fecisset.

98. NABUCHODONOSOR REX. — Est hic nova ^{Vers. 93.} rei narratio : est enim hic titulus epistolæ regis quæ sequitur cap. iv, qua narrat rex suam superbiam, humiliationem, conversionem in bestiam, et reductionem in regnum. Unde ex hoc loco Theodoreus et Lyranus et alii inchoant caput quartum; eo enim hæc pertinent. Quocirea in nonnullis Graecis codicibus ante hæc verba inscribitur quasi titulus, ὁπατις ἐι, id est *Visio quinta Danielis.*

100. REGNUM EJUS REGNUM SEMPERNUM, ET POTESTAS EJUS IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM. — Vox et idem est quod *idcirco*. Prius enim est ratio, et quasi causa posterioris : quia enim Dei regnum est æternum, *idcirco* potestas ejus se extendet ad omnia sæcula. Nam, ut ait Trismegistus in *Asclepio*, cap. xi : « *Immobilis est æternitas, in quam omnium temporum agitatio remeat, uti ex eadem sumit exordium.* » ^{Vers. 100.}

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput continet epistolam Nabuchodonosoris, qua ipse primo, narrat secundum suum somnium, de arbore magna ab angelo succisa. Secundo, vers. 16, quod Daniel illud interpretatus sit de Nabuchodonosore e regno expellendo, et in bestiam commutando. Tertio, vers. 30, se reipsa quasi bestiam regno expulsum, sed post septem annos sibi et regno restitutum, narrat. Unde, vers. ultimo, Deum agnoscit et glorificat.

1. Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo : 2. somnium vidi, quod perterritum me : et cogitationes meæ in strato meo, et visiones capitum mei conturbaverunt me. 3. Et per me propositum est decretum ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, et ut solutionem somnii indicarent mihi. 4. Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi, et aruspices, et somnium narravi in conspectu eorum : et solutionem ejus non indicaverunt mihi : 5. donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso : et somnium coram ipso locutus sum. 6. Baltassar princeps ariolorum, quoniam ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te, et omne sacramentum non est impossibile tibi : visiones somniorum meorum, quas vidi, et solutionem earum narra. 7. Visio capitum mei in cubili meo : Videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. 8. Magna arbor, et fortis : et proceritas ejus contingens cœlum : aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. 9. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius : et esca universorum in ea, subter eam habitabant animalia, et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli, et ex ea vescebatur omnis caro. 10. Videbam in visione capitum mei super stratum meum, et ecce vigil et sanctus de cœlo descendit. 11. Clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem, et præcidite ramos ejus : excutite folia ejus, et dispergite fructus ejus : fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, et volucres de ramis ejus. 12. Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite, et alligetur vinculo ferreo et æreo in herbis, quæ foris sunt, et rore cœli tingatur, et cum feris pars ejus in herba terræ. 13. Cor ejus ab humano commu-

tetur, et cor feræ detur ei : et septem tempora mutentur super eum. 14. In sententia vigilum decretum est, et sermo sanctorum, et petitio : donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum. 15. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex : tu ergo, Baltassar, interpretationem narra festinus : quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi : tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est. 16. Tunc Daniel, cuius nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora : et cogitationes ejus conturbabant eum. Respondens autem rex, ait : Baltassar, somnium et interpretatio ejus non conturbent te. Respondit Baltassar, et dixit : Domine mi, somnium his qui te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit. 17. Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cuius altitudo pertingit ad cœlum, et aspectus illius in omnem terram : 18. et rami ejus pulcherrimi, et fructus ejus nimius, et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, et in ramis ejus commorantes aves cœli. 19. Tu es, rex, qui magnificatus es, et invaluisti : et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cœlum, et potestas tua in terminos universæ terræ. 20. Quod autem vidit rex vigilem et sanctum descendere de cœlo, et dicere : Succidite arborem, et dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, et vinciatur ferro et ære in herbis foris, et rore cœli conspergatur, et cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutentur super eum : 21. Hæc est interpretatio sententiae Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem : 22. Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes, et rore cœli infunderis : septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicunque voluerit, det illud. 23. Quod autem præcepit ut relinquatur germe radicum ejus, id est arboris : regnum tuum tibi manebit postquam cognoveris potestatem esse cœlestem. 24. Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum : forsitan ignoscet delictis tuis. 25. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem. 26. Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. 27. Responditque rex, et ait : Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei ? 28. Cumque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : Regnum tuum transibit a te, 29. et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua : fœnum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit, det illud. 30. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, et ex hominibus abjectus est, et fœnum ut bos comedit, et rore cœli corpus ejus infectum est : donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et unguis ejus quasi avium. 31. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi : et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi : quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem. 32. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt : juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ; et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fecisti ? 33. In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei, decoremque perveni : et figura mea reversa est ad me : et optimates mei, et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum : et magnificentia amplior addita est mihi. 34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico Regem cœli : quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare.

regni sui 37; nam anno 35 regni, debellata Ægypto factus est monarcha, indeque anno 2, puta anno regni sui 37, qui fuit annus mundi 3378, vidi statuam illam quadrifidam de qua cap. II, ac mox eodem anno ob monarchiam adeptam superbiam intumescens, vidi somnum hujus cap., et juxta illud deinde mense duodecimo, anno regni sui 38, regno ut bestia ejectus est, ut patet vers. 26, in quo statu septem annos permansit: octavo demutatus in mortuus videtur anno regni sui 45, qui fuit transmigrationis Joachin 37. Illo enim anno successit in regno Nabuchodonosori filius Evilmerodach, ut patet IV Reg. XXV, 27. Unde et deinceps nulla alia Nabuchodonosoris gesta narrantur. Qui sane tantæ mutationis et conversionis sue, multa aliqui monumenta reliquisset, et Judeos e captivitate liberos dimisisset, utpote quorum Deum agnoverat.

Dices: Theodoretus et Chrysostomus sic legunt: Anno 18, vidi Nabuchodonosor somnum. Respondeo: Annus hic regni ejus 37 fuit 18 ab excidio templi et captivitate Judæorum. Nam anno 18 regni sui, ipse urbem Jerusalem cum templo evertit: inde usque ad annum 37 regni ejusdem sunt 18 anni. Alii nonnulli censem hæc contigisse anno regni Nabuchodonosoris 27, ita ut regno ejectus, ac post septennium restitutus, vixerit in pristina regni gloria per decem annos, scilicet ad annum regni sui 44; nec enim Deus videtur eum restituisse, ut statim e medio tolleret. Sed prius quod dixi verius est, ut patet ex dictis Ezech. XXVI, 1, et cap. XXIX, vers. 1, et maxime vers. 17. Nimirum voluit Deus misericorditer eum ex vita hujus periculis eripere, cum in bono esset statu, et ad meliorem vitam transferre; ne, si diutius viveret, rurus in tanta gloria superbiret et periret.

Vers. 5. 5. DONEC COLLEGA. — Tò collega non est in Graecis, ne Caraffæ quidem; sed est in Chaldæo, fuitque in versione Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, ut testatur S. Hieronymus. Perperam apud Theodoreum pro ἔταιρος, id est socius, collega, legitur ἔτερος, id est aliis. Rex Danielem vocat collegam, quia participem eum fecerat imperii, eumque administrationi Babylonie præfecerat, cap. II, 20 et 48; idque ob explicationem præcedentissomnii, et ob admirabilem sapientiam et spiritum propheticum, quem in eo cernebat (1).

CUI NOMEN BALTASSAR SECUNDUM NOMEN DEI MEI.
— Daniel vocatus est Baltassar, vel, ut Chaldæus

(1) Cum a Chaldæis frustra quæsita esset somnii interpretatione, hic, ut supra cap. II, 13, non abs re quæritur, inquit Rosenmuller, cur Daniel, qui tantam ex interpretatione somniorum celebritatem jam esset adeptus (vid. cap. I, 20; II, 47), non primus omnium, vel saltem una cum Chaldæis, interpretandi somnii causa, ad regem vocatus fuerit? Cui responderi potest Danielem, utpote sapientum principem, non nisi in difficilioribus rebus consultum fuisse. In casibus vero quotidianis, qui vice sua coram rege fungebantur, somnia et ænigmata interpretabantur.

est Beltsasar, non ex eo quod rex eum Balsasari, filio suo, cohæredem vellet facere, ut vult Epiphanius *De Vita Prophet.*; non etiam ex eo quod somnia regis aliaque arcana interpretatus sit, ut volunt Suidas et Joseph; nam puer a præfecto eunuchorum ita vocatus est cap. I, 7. Dictus ergo est Beltsasar, a בָּלְתָּסָר Baal, sive Bal, sive Bel, sive Belo (hæc enim omnia idem sunt) Deo Babyloniorum; et שָׁׂמֵחַ latus, id est acutus; et אֲוֹצָר otsar, id est thesaurus, q. d. Belis acutus thesaurus, id est Belis acumen et sapientia: eo quod præfectus eum, ut pole regio semine ortum, et nobili ingenio præditum, ideoque regi astiturum, sapientissimum fore optaret et portenderet. Hinc nomen Baltasar, vel Balsasaris, apud Chaldæos regale erat et divinum, ut patet ex historia hujus libri: fere enim reges Chaldæorum nomina deorum sibi adaptabant: hinc ex Nebo, Bel, Mero, vocati sunt Nalonitus, Baltassar, Merodach, Evilmerodach: Merodach enim idem est quod Mero מֶרְדָּך dach, id est tenuis, vel parvus. Evilmerodach idem est quod princeps Merodach. Evil enim significat primum et principem. Porro sicut Chaldæi Baal deo suos reges cognominarunt Balsasar, Baladan, Belochus: ita ab eodem Tyrii suos vocarunt Isobaal, Abibaal, Baleazar, et ab eis descendentes Carthaginenses, ab eodem suos duces nuncuparunt Hannibaal, id est castrorum dominus, sive dux; Mathumbaal, id est mortis aliquorum dominus; Hasdrubaal, etc. Ita Scaliger, lib. VI *De Emendat. temp.*, et noster Serarius in cap. II *Josue*, Quæst. XXV. Sic Hebræi suos reges, Prophetas et viros illustres nomine Dei, puta Jehova, Ia, El, insignierunt Jehova, ut Jehosue, Jehoiakim, Jehosaphat, Jehoiada: Ia, ut Abia, Isaías, Ieremias, Zacharias: El, ut Daniel, Ezechiel, Michael, Gabriel, Raphael. Huc spectat illud S. Augustini, Quæst. XVI in lib. *Judic.* tomo IV: « Baal, inquit, Punici videntur dicere Dominum: unde Baalsamen, quasi Dominum cœli intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos cœli appellantur, » utique ab Hebræo שְׁמִים scandaim.

QUI HABET SPIRITUM DEORUM SANCTORUM IN SEMETIPSO.— Theodotion, teste S. Hieronymo, et editio Septuaginta Romana, habent: *Qui spiritum Dei sanctum habet in semetipso*. Hebræi enim Elohim, pro quo Chaldæi dicunt Elahin, tam Deum quam deos significat, esto sit plurale, uti dixi Genes. I, 1. Et quia pluralis est numeri, additur ei pariter epithetum plurale קָדְשִׁין kaddishin, quod pari modo tam sanctum quam sanctos, vel sanctorum verti potest. Porro spiritus hic Dei, vel deorum, est spiritus prophetiæ. Divinitatis enim propria est divinatio et prænotio futurorum contingentium, æque ac arcanorum cordis.

6. OMNE SACRAMENTUM NON EST IMPOSSIBILE TIBI.— Vers. 6. Graece, οὐδὲν ἀδύνατο, alii legunt οὐ, q. d. Non facit te impotentem, scilicet ad illud explicandum, q. d. Nihil superat tuam facultatem et intelligentiam. « Sacramentum » vocat sacrum arcanum,

Daniel
vocatur
Baltas-
sar, id
est Belis
thesau-
rus et
acumen
Chaldæi
et He-
brai no-
mina
deorum
sibi indi-
derunt.

puta somnium a Deo sibi immissum, ejusque significationem.

Vers. 8.
Homo est
arbor in-
versa.

8. MAGNA ARBOR ET FORTIS. — Arbor hæc significabat hominem (1). Est enim homo arbor inversa, inquit Aristoteles; nam caput, quod est radix sensationis, intelligentiae et motus, est sursum: rami vero, id est pedes, sunt deorsum. Unde homo a Clemente Alexandrino in *Adhort.* vocatur « planta cœlestis, » quia cœlum versus radicem habet. Hinc et Christus ait *Matth.* III, 28: « Jam securis ad radicem arborum posita est; « arborum, » id est hominum. Et *Psalm.* I, 3, justus vocatur « lignum (id est arbor) quod plantatum est secus decursus aquarum: et folium ejus non defluet, et fructum dabit in tempore suo. » Apte arbor radices habet in terra fixas, homo vero sursum: nam arbor ex terra, homo vero sursum, scilicet ex cœlo, nutritur. Arbor ergo hæc significat Nabuchodonosoris imperium, et gloria sublime, et amplitudine longe lateque patens, et viribus robustum esse. Sic Ezechiel, xvii, 23, superbum Sedeciam, et cap. xxxi, 3, regem Assyriorum comparat arbori excelsæ; et Psaltes, *Psalm.* xxxvi, 55: « Vidi, ait, impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani: transivi, et ecce non erat. » Nimirum tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

Simili arboris eversæ schemate præsignificata est eversio Ecclesiæ Africanæ per Hunericum regem arianum. Rem narrat Victor Uticensis, lib. II *Hist. Wandal.*: « Vedit, inquit, venerabilis Paulus Episcopus arborem usque ad cœlos ramis florentibus extensam, quæ etiam dilatatione sua omnem pene Africam opacabat. Et cum universi ejus magnitudine et speciositate gauderent, ecce subito venit asinus violentus, qui defricans cervicem suam super robur radicum ejus, impulsu suo cum ingenti sonitu illam mirabilem arborem elisit ad terram. » Arbor hæc erat Ecclesia catholica: asinus eam per radices subruens erat Hunericus, eam vastans per Episcoporum et sacerdotum exsilia ac martyria.

Adam
fauit ar-
bor gene-
ris hu-
mani.

Hæc ergo arbor symbolum est prosperitatis et glorie humanæ, quæ mox prosternitur et ruit. Ita Lyranus. Simili modo huic arbori nostræ compari posset Adam, parens generis humani: hic enim paradiso quasi arbor magna fuit, florens et affluens omnibus bonis; sed per superbiam et peccatum prostrata fuit in brutales concupiscentias et ærumnas, atque excisa usque ad radices, id est usque ad B. Virginem, quæ intacta germen protulit, scilicet Christum, qui arborem hanc suo flori restituit, imo florentiorem reparavit. Similis ergo fuit casus Adæ casui Nabuchodonosoris, siue eidem similis fuit casus Luciferi: unde eidem illum comparat Isaias, cap. XIV, 12.

Tropologice Lyranus per arborem hanc intel-

(1) Arborem apud Indos, Persas et Ægyptios virum excellentem significare, refert Achmedes in *Oneirocriticis*, cap. cc. Sic apud Ezechielem, cap. xxxi, 3, *arbor* est rex Assiriæ, et vers. 18, rex Ægyptius.

ligit hominem virtuosum: « Hæc arbor, inquit, alta est per justitiam, fortis per constantiam, frondosa per eloquentiam, magna per prudentiam quæ dirigit omnes virtutes, diffusa per misericordiam, fructifera per devotionis exuberantiam. Omnes pascuntur ex ea, per fraternalm ædificationem: subter eam bestiae, per sensuum exteriorum refrenationem: in ramis ejus volucres cœli, per mortuum exteriorum moderantiam. Hic homo si in peccatum cadat, contra eum inclamat vigil, id est Christus in Evangelio, vel Prælatus prædicando: Succidite arborem, quantum ad desertionem charitatis, quæ est vita animæ: præcidite ramos, quantum ad oblationem voluntatis bonæ: excutite folia, quantum ad defectum bonæ locutionis: dispergite fructus, quantum ad subtractionem bonæ operationis: fugiunt animalia quæ subter eam sunt, quantum ad defectum debitæ subjectionis: alligetur vinculo, quantum ad generationem malæ consuetudinis, eoque ferreo, propter duritatem obstinationis: ejiciatur foras, quantum ad invercundiam in omnibus malis, quia tunc facta est ei frons meretricis: cor ejus ab humano committetur, quantum ad omnem modum crudelitatis: septem tempora commutentur super eum, quantum ad perversam opinionem totius legis. Hujus arboris sententias percipiunt in somniis reges, principes, nobiles, divites; quia frequenter in prædicationibus audiunt divinam sententiam, sed non curant, ac si esset tantummodo somnium. » Hucusque Lyranus.

ET PROCERITAS EJUS CONTINGENS COLEM. — Est hyperbole, q. d. Altissima erat. Similis est *Deut.* I, 28: « Urbes magnæ et ad cœlum usque munitæ; » vel, ut Græca habent, *muratæ*; et apud Poetam: « Ferit aurea sidera clamor (2). »

ASPECTUS ILLIUS ERAT USQUE AD TERMINOS UNIVERSÆ TERRE. — Chaldæus: *Rami ejus ad finem totius terræ* protendebantur; Septuaginta, *Latitudo ejus usque ad terminos terræ*. « Sic et Theodosianus, inquit S. Hieronymus, vertit κύριος, id est latitudo (viciose enim in S. Hieronymo legitur *altitudo* pro *latitudo*), quod ipse explicat κύριος, id est dominatio, » q. d. Latissime dominatur Nabuchodonosor, usque ad fines terræ. Est rursum hyperbole: nam Nabuchodonosor tantum Asiam occupavit, non Europam et Libyam.

9. ESCA UNIVERSORUM IN EA, — q. d. In hac arbore copiosi erant fructus, ita ut ii omnibus animalibus alendis satis essent: quod præter alia, quæ mox afferam, indicabat potentiam et opes Nabuchodonosoris et Chaldæorum esse tantas, ut iis pene omnes homines ali et vivere posseant.

Nota: Hujus arboris, id est Nabuchodonosoris, Rex est folia, erant pompa vestium, curruum, militum,

arbor ha-
bens sua

(2) Qua loquendi formula non Hebræi tantum, sed et Arabes ad summam rei alicujus altitudinem describendam uti solent, vide etiam *Deuter.* ix, 1. Græci quoque arborem præaltam οὐρανοπεπλην, ad cœlum pertingentem vocare solent.

folia, aulicorum : fructus erant opes et tributa, ait Theodoletus: Cibus omnium erat in ea, quia omnes mercatores et agricolæ sub eo pacifice et laute vivebant; milites vero et aulici splendide ab eo alebantur: subter eam habitabant bestiæ, id est homines barbari; et in ramis ejus volucres cœli, id est homines mitiori, acriori et altiori ingenio sub illius regis imperio et favore commode et decenter vivebant, sicque « ex ea vescebatur omnis caro. »

Vers. 10. 10. VIDEBAM IN VISIONE CAPITIS MEI SUPER STRATUM MEUM, — videbar mihi per somnum videre.

ET ECCE VIGIL, ET SANCTUS DE COELO DESCENDIT.— « Vigil » hic est angelus, ut vertunt Septuaginta, qui non obruitur somno ut homo, utopte carente corpore. Angelus hic erat Babylonie præses et

Angelus vocatur Vigil ob quatuor causas. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. vindictæ, ut patet vers. 14. Nota: Tè *vigil* significat primo, angelos esse incorporeos, ideoque nunquam dormire, sed semper vigilare, operique Dei intendere. Hoc imitantur Sancti, præsertim Religiosi, qui noctu pervigilant in oratione et laudibus Dei: « Unde et nos, ait S. Hieronymus, crebris pernoctationibus imitamus angelorum officia. Et de Domino dicitur, Psalm. cxx: Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. » Secundo, eos esse continuos in actione, et infatigabiles. Tertio, eos nostra omnia acerrime considerare. Quarto, eos vigilantissimos esse gubernationis et vindictæ divinæ ministros et exsecutores: perinde ac ipsa justitia et vindicta divina vigilantissima est: unde ipsa, Jeremiæ 1, 11, ostensa est quasi virga vigilans. Hinc notat S. Hieronymus Chaldaicum *γύ ir*, id est vigil, alludere ad irin, sive iridem, quæ permulticolorem arcum ad terras descendere dicitur, et per eam subinde angeli, ut Apocal. cap. x, 1, de angelo suo ait Joannes: « Et iris in capite ejus. » Iris enim misericordiae et vindictæ est symbolum. Unde censem ab *ir* Hebreo, quod hic retinent aliqui interpretes, et græce et latine dictam esse irim sive iridem. Utramque ostendunt et ostendent angeli, tum alias, tum præsertim in judicio et resurrectione, cum ipsis a morte evigilare et resurgere facient homines; alios ad gloriam, alios ad gehennam. « Vita ergo angelorum est vigilia: vita mortalium vigilia sit oportet. Vigilate: nescitis enim quando Dominus domus veniat » Marc. cap. xiii, 35.

Vita angelorum et hominum est vigilia. Vers. 12. 12. GERMEN, etc., SINITE, — stirpem ei relinquite, ut possit crescere.

ALLIGETUR (scilicet ille, qui per arborem hanc significatur, puta Nabuchodonosor) VINCULO FERREO ET AEREO, IN HERBIS QUÆ FORIS SUNT (1).

Id est, ut ex Chaldaeo vertit Pagninus: *Alligatus vinculo et aereo et ferreo, ponatur in herba agri.*

Nota: Nabuchodonosor cum primo in amenniam versus est, mox a suis, ne sibi et aliis noce-

(1) Transit jam, ut sæpe fit in somniis, allegoricus sermo in proprium; nam vincula, ferarum victus, et immutatio cordis, seu mentis, non competit arbori, sed Nabuchodonosori per eam significato.

ret, vinculis astrictus fuit et inclusus; sed deinde monitu Danielis solitus et dimissus ivit ad sylvas, vixitque cum bestiis per septem annos, ut patet vers. 29. Ita tamen ut retinuerit vincula aliqua, puta manicas ferreas in manibus, ne ille conjungi possent, neve iis uteretur ut homo, sed ut, iis disjunctis, reperet ad herbas agri quasi bestia. Hoc enim est quod hic dicitur: « Alligetur vinculo ferreo, etc., in herbis. » Herbas ergo comedens erat ligatus.

Lyranus, quem sequitur Fernandius, *vision.* XXII, *Comment.* II, sect. II, per vincula hæc accipit sententiam et decretum Dei infrangibile, de Nabuchodonosoris ejectione e regno. Alii accipiunt durissimam ejus poenam et afflictionem, quæ frigit et domuit ejus superbiam. Sed hæc mystica sunt.

13. COR EJUS AB HUMANO COMMUTETUR. — Syrus: Cor ejus ab hominibus transeat; Arabicus Antiochenus: Cor ejus divertatur, vel amoveatur ab hominibus; Arabicus Alexandrinus: Cor ejus auferatur ab inter homines, et pro eo

COR FERÆ DETUR EI. — Hinc Origenes cum suis docuit hanc non esse historiam, sed parabolam, qua sub nomine regis Nabuchodonosoris symbolicè describatur casus Luciferi. Sed hæc est hæresis: nam historiam esse patet ex simplici narratione totius capituli, et ex cap. seq., vers. 20 et seq. Ita S. Hieronymus et alii passim.

Quæres, an ergo Nabuchodonosor vere mutatus fuit in feram aut bestiam? Primo, nonnulli censent Josephum id affirmare, sed falso hoc ei tribuunt.

Secundo, Dorotheus in *Synopsi*, et Epiphanius in *Vita Danielis*, censent Nabuchodonosorem interius habuisse formam hominis, scilicet animam rationalem, sed exterius mutatum fuisse in figuram bovis anterius, et leonis posterius; ac consequenter videntur ei caput et cornua bovis, caudam vero et juba leonis dare. Probant ex eo quod hic dicitur « cor, » non bestiæ, sed « feræ detur ei: » bos autem est bestia, non fera: leo vero est fera, non bestia: ergo potius in leonis quam in bovis formam mutatus fuit rex. Rursum, quia vers. 30, Septuaginta dicunt ejus capillos crevisse in similitudinem leonum. Adde, rex hic crudelis et superbus fuit, ut leo; unde et leænæ comparatur, cap. VII, 4. Verum in explicatione somnii Daniel nullam leonis, sed tantum bovis facit mentionem, vers. 29 et 30, eum bovi similem factum esse narrat. Jam vero boves non tantum cicures sunt et domestici, sed etiam agrestes et feri, uti sunt urbi et bisontes. Talis ergo factus videtur Nabuchodonosor. Sic de Gyge et Minotauro fingunt poetæ, eos partim fuisse homines, partim boves. Nam de Gyge canit Ovidius, lib. IV *Trist. eleg. 6:*

Nabuchodonosor factus est instar urbi vel bisontis.

Centimanumque Gygen, semibovemque virum;
de Minotauro vero:
Semibevemque virum, semivirumque bovem.

Tertia. *Tertio*, Michael Medina, lib. II *De Fide*, cap. vii, putat non veram, sed phantasticam fuisse regis transformationem in bestiam : idque aut per factum, præstigias, quomodo nostri lycanthropi, cum sint homines et sagi, ope dæmonis ita perstrin-gunt oculos intuentium, ut videantur esse lupi, gregesque ovium quasi lupi invadere et occidere, ac mox strage peracta in humanam formam vi-dentur reverti. Similis transformationis meminit S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. xviii*. Aut potius, quia Deus circa corpus regis circumposuit figuram quamdam bestiae, sub qua cum cerne-retur ab aliis, bestia putabatur : sic enim mulier illa, quæ ad S. Hilarionem fuit adducta, per magicas artes apparebat esse jumentum, quæ Hilarioni mulier, ut revera erat, videbatur. Testis est S. Hieronymus, in ejus Vita. Verum hæc non sufficiunt, nec explet verba Scripturæ.

Quarta. *Quarto*, S. Thomas, lib. II *De Regimine principum* (viri docti, ut Bellarminus, lib. *De Script. Eccles.*, negant hunc librum esse S. Thomæ Aquitanus) cap. ult., ait regem transformatum esse in bestiam, non revera, sed quia sua imaginatione vitiata et corrupta, sibi transformatus videbatur.

Cujus rei multa et mira exempla refert Galenus, et post eum Levinus Lemnius, lib. II *De Complexione*, sub finem: Quidam, inquit, putabat na-sum sibi excrevisse in immensum, ut elephantis proboscidem circumferre videretur. Medicus hunc ei morbum et phantasiam hac arte exemit : longum farcimen naribus admovit, arreptaque novacula illud sensim abscidit, ac tandem extimam nasi partem perstrinxit, ut sanguis deflueret; itaque imaginarium ei nasum avulsit : atque, præscripta ei soporifera potionem et salubri diæta eum plene curavit.

Alius hypochondriacus, hoc est, cui præcordia humore melancholico ac flatibus turgebant, cre-debat ranas ac bufones interiora sua perterebrare. Medicus dedit ei potionem, ac subdito clystere procuravit, ut aliquot ranae et bufones in subjec-tam ei pelvim conjicerentur; quibus visis, opinio illi hæc adempta est.

Tertius censebat se membra posteriora habere ex vitro ; unde semper stabat, metuens ne si se-deret, ea quasi vitri fragmenta dissilirent.

Quartus nuper fuit, qui ex nimia capitis fatiga-tione, se mortuum esse dicebat, nec comedere volebat, utpote mortuum se credens. Jamque instabat septimus dies, qui inedia confectis lethalis esse solet. Ut eum morbo et morti eriperent, qui-dam personati linteis obvoluti quasi mortui, con-clave obsecrum ingressi mensam instruere, ac liberaliter se reficere cœperunt. Æger autem, hæc conspicatus, sciscitur quid moliantur, et quod sint genus hominum ? responsum est mortuos esse se. Tum ipse : Ergone mortui comedunt ? illi : Comedunt utique ; veni, vide et gusta. Ille lecto exsilit, cum mortuis commentitiis large vescitur, indormit confecto ad id liquamine, ex-

perrectus sensim ad se redit et sanatur. Haec omnia Lemnius.

Hinc multi fiunt stulti et deliri ex sola vehe-menti rei alicujus vel amabilis, vel odibilis, ap-prehensione : imo narrat Seneca Bibium Gallum Romanum imitando gestus stulti, eos ita phan-tasie impressisse, ut inde stultus factus fuerit. Huc accedit Franciscus Valesius, *De Sacra philos.* cap. LXXX, et Hieronymus Mercurialis, lib. VI *Variar. lect.* cap. xx, qui hanc regis metamor-phosin non aliud fuisse censem, quam morbum quem medici melancholiam vocant, quo qui la-borant insaniunt, et in aliorum subinde anima-lium formas mutatos se esse imaginantur, fa-ciuntque et patiuntur omnia quasi revera ita esset : alii in canes, et latranti : alii in gallos, et cantant, et concutiunt latera : alii in lupos, et exeunt noctu domo, queruntque sepulcra, et versantur libenter cum cadaveribus. Hinc enim Latinis vocatur melancholia canina, atque lupina, Græcis λύκωνία, Arabibus cutabut. Sic Bellero-phon, ut animi ægritudines et mentis dolores ex-uteret, captabat loca avia et solitudines : de quo Homerus, *Iliade* γ.

Nam miser in sylvis mœrens errabat opacis,
Per campos solus latos, perque avia rura.
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Hinc Rutilius ethnicus, monachos insulæ Capra-riæ eodem morbo laborare falso æstimans, sic de eis scribit :

Sic nimia bilis morbum assignavit Homerus
Bellerophontæ sollicitudinibus.

Similis fuit Timon Atheniensis qui μισάνθρωπος est appellatus, quod genus humanum odisse videre-tur. Unde quadam vice in concessionem ascendens, silentio indicto, dixit : Est mihi hortus, et in eo ficus, ex qua multi cives se suspenderunt. In eo-dem nunc ego loco ædificare volo ; quare vos publice admoneo, ut, si quis se suspendere ve-lit, muturet antequam arbor excindatur. Ejus epitaphium hoc fuit :

Hic sum post vitam miseramque inopemque sepultus,
Nomen non queras : Dii, lector, te male perdant.

Unde mare quasi perosum hoc monstrum, dici-tur exundando ejus sepulcrum longe expulisse.

Hic modus verus est, sed non adæquatus ; nec enim usquequa verbis Scripturæ ipsique historiæ satisfacit : non enim potest morbus aliquis naturalis figuram hominis mutare, itaque tem-pe-ramentum ejus efferare, ut per septem annos cibo ferino quasi fera cum feris vivat.

Denique Pererius asserit regem non mutavisse figuram, sed tantum phantasiam, complexionem et gestus : et Maldonatus censet in figura corpo-ris nihil mutatum fuisse præter ungues et capilos, qui nisi sæpe resecantur, solent turpi ac fe-rina forma crescere. Verum :

Valesius
id fice-
tum pu-
tat per
melan-
chollam.

Quinta,
Maldona-
tus pu-
tat re-
gem tan-
cum ac-
cepisse
longiores

ungues et capilos. Dico PRIMO : Nabuchodonosor in hac transformatione vere mansit homo. Id patet, primo ex tota narratione vers. 30 et sequent. Secundo, quia alioqui anima rationalis debuisset ei adimi, et dari anima bovis : et sic non fuisse idem ; nec rex qui peccaverat, fuisse punitus, sed bos. Tertio, quia anima humana non potest informare corpus bovis ; nec anima bovis corpus hominis. Mansit ergo idem omnino Nabuchodonosor, idem corpus, eadem anima ; sed humanus tantum sensus quoad exercitium, puta humana sensatio, præsertim in gustu ; ac rationis usus ei fuit ad tempus ablatus, et postea redditus.

Conclusio secunda. Fuit mutatus in bestiam. Dico SECUNDO : Aliqua tamen ratione dici potest eum conversum esse in bestiam, puta in urum aut bisontem ; idque patet primo, quia, ut ait D. Thomas, secundum vitiatam suam imaginationem in urum sibi conversus esse videbatur. Primo, quia hoc ipse imaginem imitabatur ; Secundo, quia cordis et corporis ejus temperamentum ita immutatum et efferatum est, ut esset simile feræ bestiæ, quantum fieri potuit citra humanitatis, sive naturæ humanæ amissionem. Tertio, quia rationis usu privatus et mente captus, tantum utebatur phantasia, eaque ferina, qualis fuit effectus ; et hoc est quod hic dicitur : « Cor feræ detur ei, » q. d. Privetur sensu humano, fiat amens et insanus, videatur sibi non esse homo, sed bestia.

Ubi nota : Cor in Scriptura et hic tria significat. Primo, mentem : quod enim cor est in corpore, hoc mens est in anima totoque homine. Jam bestiæ non habent mentem, sed ejus vice habent imaginationem : hæc enim regit eas earumque actus, uti mens regit hominis actus ; cor ergo feræ est phantasia feræ. Secundo, cor idem est quod appetitus et voluntas ; cor ergo feræ est appetitus ferinus. Tertio, cor proprie hic sumitur. Cordis enim, indeque totius corporis complexio in rege mutata fuit, ut ex humana fieret ferina. Crediderrim tamen cum Maldonato eum saltem per intervalla aliquem rationis et pristinæ dignitatis sensum habuisse : hoc enim proprie erat regi et homini, qua talis est, pœnale, afflictivum et contristativum. Huic sententiæ favet illud vers. 22 : « Donec scias quod dominetur Excelsus, » q. d. Donec ex tua pœna agnoscas Deum vindicem, ab eoque veniam poscas. Quarto, quia habitus ejus magis ferinus erat, quam humanus ; nam incedebat semper nudus, rori, imbri, et aliis cœli injuriis ut fera obnoxius. Rursum facies ejus ab humana erat diversa et accedens ad ferinam. Deinde adeo ei creverant capilli, ut totum fere corpus contegerent ; unguis quoque creverant ad similitudinem avium. Denique cute erat non molli, sed dura et ferina, pilosque habebat crassissimos, ut referrent plumas avium, qui a copiosa fuligine crassissimæ melancholiæ oriebantur, inquit Valesius. Quinto, incessus ejus et figura erat ferina ; quia non erectus ut homo, et ut fera, bipes ; sed curvus et pronus, manibus et pedibus

reptabat ut bestia, et quadrupes : pedes ergo ejus, brachia et manus callosæ et duræ, reliquaque membra cum temperamento ferinam induerant figuram, quantum salva humana natura facere poterat Deus. Unde ipse rex jam sibi restitutus ait vers. 33 : « Figura mea reversa est ad me ; » ergo illa jam ante ei fuerat ablata. Vidi subinde bovina cornua regi nostro appendi ; sed hæc pictor ei suo adjecit privilegio : alii caudam ei adjiciunt ; sed id minus necessarium est : et licet forte aliqualia cornua homini adnasci possent, nulla certe in natura vis est, quæ talem humano corpori appendicem possit adjicere. Adidunt aliqui regis hujus genuum vertebrales inversas fuisse, ita ut extrosum quadrupedum more prominenter, idque ut pari cum bobus celeritate curreret, et inæqualia loca transiliret ; nam si genua ejus introrsum humano modo plicata fuisse, fuisse ipse ad talem motum et saltum ineptus. Hæc opinio videtur congrua et probabilis. Nam hic situs ad incedendum more quadrupedum est naturalis, et pene necessarius ad hoc, ut talis incessus continuari, diuque durare possit, ut patet experienti. Sexto, quia cum feris quasi fera versabatur in sylvis, earumdemque victu, scilicet herbis et radicibus vescebatur ; easque ex imaginatione et appetitu ferino (hunc enim significat « cor feræ ») et bovino sibi a Deo indito appetebat. Porro feræ non læserunt eum, quia putabant esse feram, licet novam et monstrosam ; et quia Deus eas ayertit, illumque per septem annos mirabiliter in hoc statu custodivit et conservavit. Simile narrat Aben-Ezra de homine quodam melancholico, qui in monte Sardiniæ secessit, ibique cum cervis diu herbis vicitavit. Sic Arcades glandibus, Argæi pyris sylvestribus, Æthiopes locustis, milio Sauromatae, Persæ cardamo, Eremitæ herbis, Ophiophagi serpentibus vescebantur. Mithridatem veneno ita assuevisse, ut eo occidi non posset, testantur historiæ. Feminam quamdam Coloniæ araneis pasci vidisse narrat Albertus Magnus. Non mirum ergo regem nostrum herbis tamdiu vicitasse. Septimo, quia cum mentis usu etiam oris et linguae usum perdiderat, nec articulatas et humanas, sed inconditas et bestiales voces dabat, mugiebatque ut bos. Ratio est, quia locutio sequitur imaginativam : prout enim homo, vel animal imaginatur, sic et loquitur, id est vocem dat : ubi ergo ferina est imaginatio, uti erat in rege, ibi et ferina est vox. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Rupertus et Gregorius, V Moral. vi, ac diserte Ludovicus Molina I part. Quæst. CXI, et Delrio, lib. II De Magia, Quæst. XVIII.

Hujus metamorphosis vix meminerunt Gentiles, præsertim quia prisci Chaldaeorum annales perierunt : insinuat tamen eam Alphæus apud Eusebium, lib. IX De Præparat. Evang., dum narrat regem Nabuchodonosorem in furorem raptum, prædixisse eversionem Chaldaeorum, moxque

An ha-
buerit
cornua
et genua
ferina ?

Sexto,
quia cum
feris her-
bas co-
medebat.

Septimo,
quia mu-
giebat ut
bos.

evanuisse e consortio hominum, dum scilicet quasi bestia fugit ad bestias in sylvas.

Juste rex bestiali- ter vi- tens fit bestia. Moraliter, nota hic justam et aptam pœnam ferinae superbiæ, tyrannidis, gulæ et vitæ; ob hanc enim ex rege factus est quasi fera: «Et quia elo- cutione cogitationis se super homines extulit: ipsum, quem communem cum hominibus habuit, sensum hominis amisit, » inquit S. Gregorius, V. Moral. vi. Ecce quam verum hic est illud Psalm. XLVIII: «Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.» Hinc fixxit Homerus, quod Circe socios Ulyssis illecebris dementaverit, et converterit in porcos, boves, asinos; Ulyssem autem, eo quod ipse ejus cantus et illecebras respuisset, ab ea dementari et converti non potuisse. Hinc rursum nata est illa Pythagoræ sententia de animarum transitu in bestias, quam ipse μετεμψύχωσιν vocabat: quæ si litteraliter intelligatur, falsa est et absurda; sin symbolice capiatur et moraliter, vera est et accommoda. Vere dixit Euripides: «Cum videris in sublime quempiam elatum, splendidis gloriantem opibus, ac genere supercilioque supra sortem suam fastuosum, illius celarem divinitus exspecta vindictam.» Et Herodotus, lib. I: «Vides eximia animalia ut fulminet Deus, neque suis opinionibus uti sinat; exigua vero facile fert. Vides etiam ut in ædificia maxima semper, et celsissimas arbores cœlestia tela ingruant. Solet enim Deus eminentia quævis castigare, ideoque sæpe magni et superbi exercitus a paucis vincuntur. Non sinit enim Deus alium præter se altum sapere.» Alius: «Ambitio est elementum malorum.» Denique Socrates sapienter monet: «Quamvis rex natus fueris, audi tamen ut mortalis. Quid tum, quod procul expuis? multa abundas pituita. Vestem elegantem fers? at hanc ovicula prius habuit. Aurum geris? hæc fortunæ inconstans potentia. Opibus affluis? hæc vis est iniqua temporis. Superbis? hujusmodi est stultitiae jactantia, vel hinnitus. At si temperantiam secteris, divinum donum est. Fit autem temperantia, si te ipsum metiaris.» Denique sapienter Seneca in Thyest.:

Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis saturet quies.
Obscurò positus loco,
Leni perfruar otio.

nimirum «procul a Jove et fulmine.» Humilis ergo qui procul est a Jove, procul est a fulmine.

Septem tempora sunt septem anni. ET SEPTEM TEMPORA MUTENTUR SUPER EUM. — Per septem tempora Rabbi Abraham accipit septem hebdomadas, alii septem menses, alii septem anni tempora: annus enim in quatuor tempora dividitur, scilicet in ver, aestatem, autumnum et hiemem: sic ergo septem tempora fere biennium efficerent. Alii, quibus favet Theodoreetus, anni, inquit, duo tempora sunt æstas et hiems:

septem ergo tempora, sunt tres anni cum di- midio. Verum passim Latini, Græci et Hebræi septem tempora, interpretantur septem annos: annus enim temporum mensura est communisima et vulgatissima, præsertim in chronicis regum. Sic tempora pro annis capiuntur, cap. XII, 7. Unde Arabicus Alexandrinus vertit: *Et septem anni mutantur.*

14. IN SENTENTIA VIGILUM DECRETUM EST, ET (hic est) SERMO SANCTORUM ET PETITIO, — q. d. Ita de- cernunt vigiles, id est angeli, jubente Deo ad sermonem et petitionem Sanctorum. Ita S. Hieronymus. Arabicus vertit: *Hoc est quod decretum est in mandato angeli sancti; Chaldaice est, et in verbo Sanctorum quæstio, q. d. Inferiores angeli quærent: Quare ita Deus fecit? et respondebitur illis: Ut cognoscant viventes quod dominetur Excelsus.*

ET HUMILLIMUM HOMINEM CONSTITUET SUPER EUM, — puta super Nabuchodonosorem; aut potius «super eum», id est super ipsum, scilicet regnum, ut habent Chaldæus, Græca, Vatablus et alii. Porro multorum, quos Deus ex vili conditione ad regnum evexit, exempla recensui, Genes. XXXVIII, in fine.

16. COEPIT, etc., TACITUS COGITARE. — Græce ἀπήνθη, id est obstupuit, mansit altonitus: ita Vatablus; alii, ἡσίταν; Polychronius vertit, ἐξεπλάγη, id est, consternatus est super mira novitate rerum ostensarum, et cogitatundus factus est. Nam, ut ait Ptolemæus initio Almagesti: «Meditatio est clavis veritatis.» Quocirca sapientes interrogati de casu, vel re difficulti, non statim respondent, sed tempus petunt ad cogitandum (1).

COGITATIONES EJUS CONTURBABANT EUM, — quia scilicet dolebat Daniel, regi sibi tam amico, per hoc somnium tam dira portendi.

Symbolice Rupertus in Daniel. cap. VIII, docet, per Nabuchodonosorem in bestiam conversum significari, primo, quod Deus, stulta mundi eliens, stultam fecit sapientiam hujus mundi per Evangelium Christi. Secundo, victoriam regni Dei, cuius potestatem rex, recepto sensu, confessus est. «Propriam, inquit, reprobandæ sapientiæ hujus mundi imaginem superbi regis dementatio prætulit, in eo maxime quod fœnum ut bos comedit. Quidnam est fœnum bovis hujus pabulum, nisi multitudo carnarium, mane virentium, cito florentium, et cito nihilominus, flore perditio, arescentium? Omnis enim caro ut fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni. Ergo descendente sancto et vigile, ad clamorem ejus ex hominibus ejectus est Nabuchodonosor, fœnum ut bos comedit: quia descendente in hunc mundum virtute et sapientia Dei Christo, ad prædicationem ejus stulta facta est sapientia hujus mundi, et

(1) Somnii veram significationem Deus Danieli statim patetfecit; igitur non ut rei intelligentiam assequeretur intra semetipsum cogitavit; sed quia, ut infra dicit Cornelius, quia nolebat cito procedere ad denuntiandum regi tanta mala.

ejecta ex hominibus divinam rationem recipientibus : solummodo scenum, id est homines superfluos, et super numerum pullulantes ex vito carnis devorare potuit. »

Vers. 24. 24. REX, CONSIGLUM MEUM PLACEAT TIBI.—Chaldaice מלְכָא malca milki, id est rex, rex meus, vel regnum meum placeat tibi, ubi rex vel regnum vocatur consilium; idque eleganter, ait Marinus Brixierdis in *Lexico*, quia consilium est instar regis, et deliberationis ac sententiae est rex: et quia reges regere et regi debent consilio, ut regis rex sit consilium. Unde Pagninus in Appendix vocum Chaldaic. Lexici, milki, id est consilium, aequo ac malka, id est rex, deducit a מַלְךָ malach, quod γῆ iaats, id est consulere, notat. Idem tradunt, et multis exemplis confirming Lexica Chaldaica et Syriaca. Sic ergo Chaldaei et Hebrei regem vocarunt a consilio, ut idem sit rex qui consultor, et regnare sit idem quod consulere et pollere consilio, juxta illud Platonis: « Beatæ sunt res publicæ quas philosophi et sapientes regunt, aut ubi reges philosophantur. » Hinc illud Prov. li, 3: « Ne dederis mulieribus substantiam tuam et dignitas tuas ad delendos reges. » Septuaginta juxta Romanam editionem vertunt: *Et vitam tuam in seram consilii mutationem*; Theodotion, *in pani-tentiam*. Et mox: *Noli regibus, o Lamuel! noli regibus dare vinum*. Septuaginta pro Λάλη al, id est non, legentes, Λάλη el, id est ad, cum, vertunt: *Cum consilio omnia fac, cum consilio bibe vinum*, quasi idem sit consilium quod reges, aut potius eadem vox melachim et reges et consilium significet: Noster enim vertit, reges; Septuaginta, consilium. Hinc Emmanuelis regis nostri, cuius « principatus super humerum ejus, » Isaías, cap. ix, 6, cognomen assignat « consiliarius: » quin et Homerus Agamemnonem regem cognominat βουληφόρον, id est consilio pollentem, puta principem qui multis consulere debeat. Audi eum *Iliade* a, El; δέ τις ἀρχὸς ἀνὴρ βουληφόρος; Εστω, id est, *Unus vero princeps vir consiliarius esto*. Præclare Cicero: « Bonum ducem efficiunt, inquit, labor in negotiis, industria in agendo, in providendo consilium, et celeritas in confiando. »

PECCATA TUA ELEEMOSYNIS REDIME. — Pro redime

Peccato- Chaldaice est פֶּרֶק peruc, id est, abrumpe, q. d. Re-
rum sa- sisce, inchoa novam vitam mutando crudelita-
tis factio tem in clementiam et misericordiam, inquit Cal-
mos- mosyn- vinus, additque: Ergo male Papistæ ex hoc loco
nam con- probant actus suos penitentiae et satisfactionis.
tra Cal- Verum S. Hieronymus, Theodotion, Vatablus om-
vinum. nesque alii vertunt, redime, et Chaldaicum peruc
non tantum abrumpere, sed et redimere signi-
ficat: inde enim פֶּרֶק peric, vocatur redemptor;
et פֶּרֶק purkan, redemptio. Vide Lexicon Regium:
idque patet ex serie orationis Danielis. Vult enim
ipse non futura, sed præterita regis peccata ab
eo ita dirumpi, frangi (*parac enim et litteris et*
significatione idem est quod frago et frango) destrui
et redimi, ut pro iis ipse Deum placet per pœni-

tentiam et eleemosynas. Unde Calvinus, veritate convictus, tandem concedit posse sic verti: « Peccata tua eleemosynis redime; » sed excipit, hanc redemptionem apud homines intelligendam esse, non apud Deum, q. d. Redde pauperibus, quæ illis per vim et injuriam eripuisti, ut illis damnum sarcias et restituas. Verum hic est actus justitiae: Daniel autem suadet actum misericordiæ; subdit enim: « Et iniuriantes tuas misericordiis pauperum. » Rursum Daniel non vult hominibus, sed Deo a rege satisfieri. Demum enim Excelsum illi hanc plagam influisse, ideoque ab eo timendum et placandum esse docuit vers. 22, dicens: « Donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum. »

ELEEMOSYNIS. — Chaldaice est בְּצִדְקָה betsidea, id est justitia. Nota: Misericordia et eleemosyna hic et alibi vocatur justitia, quia est causa, pars et signum illustre justitiae et sanctitatis, uti dixi *Il Corinth. ix, 9.*

Moraliter, docet hic Daniel consiliarios, confessarios, concionatores principum, quam vere et sincere eorum vitia carpere, et contra ea sana consilia et remedia sugerere debeant. Videmus enim multos iis adulari, crimina excusare, itaque se et ipsos perdere. Præclare Seneca, lib. VI *De Benef. cap. xxx*: « Monstrabo tibi, inquit, cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit; scilicet, ille qui verum dicat, et hominem inter mentientes (adulatores) stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum vindicit a consensu concentuque falsorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, et fides in obsequium servile submissa; dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque; sed adulandi certamen est, et unum amicorum omnium officium, una contentio, quibus blandissime fallat? » Et mox: Hinc « perpetua credunt, quæ in summum perducta maxime nutant. Ingentia super se casura regna fregerunt; nec intellexerunt in illa scena, et vanis et cito diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipsos nihil non adversi exspectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt. » Subdit exemplum Xerxis, cui Græcos invasuro omnes assentabantur, quasi mox eos tantis copiis obrueret; solus Demaratus dixit: « Illam ipsam qua sibi placeret multitudinem indigestam et gravem, metuendam esse ducenti; non enim vires, sed pondus habere; immodica nunquam regi posse, nec diu durare quidquid regi non potest: » paukos Græcos occupaturos Thermopylarum angustias, et Persis omnibus restituros. Itaque accedit, « stratusque per totam Græciam passim Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba distaret, a pudore quam damno miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, et permisit petere quod vellet; petit ille, ut Sardeis maximam Asiæ civitatem curru vectus intraret, rectam

capite tiaram gerens. » Et Augusti Cœsar is, qui filiæ suæ Juliæ stupra indignans publicavit; inde pudore suffusus et gemens: « Horum, ait, nihil mihi accidisset, si aut Agrippa aut Mæcenas vixisset. » Concludit: « Plenas aures adulatio nibus aliquando vox vera intret. Da consilium utile. Quæris quid felici præstare possis? Effice, ne felicitati suæ credat, ut sciat illam multis et fidis manibus continendam; mobilia esse quæ dedit casus, et majore cursu fugere quam veniunt, sëpe inter fortunam maximam et ultimam nihil interesse. »

REDIME.—Arabicus Antiochenus vertit: *Peccata tua eleemosynis involve, vel operi.* Arabicus vox proprie dicitur de sindone, qua sepeliendi involvuntur, ut peccata cum cadavere, eleemosynæ cum sindone conferantur. Arabicus Alexandrinus vertit: *Remissionem pro peccatis tuis postula eleemosynis, et operi, et miseratione super (erga) infirmos pro iniuritatibus tuis.* Hinc S. Augustinus, lib. XI *De Civit. xxxvii*, ait quosdam sine eleemosynis non posse salvari, quia peccatis aut cupiditatibus suis ita irretiti sunt, ut nisi pauperum precibus ordinaria gratia majorem et potentiores obtineant, ab iis se expedire non possint.

Pari modo Zeno Imperator per eleemosynam punitionem Dei evasit. Audi Joannem Moschum in *Prato spirit.* cap. clxxxv: « Narravit, inquit, nobis quidam Patrum de Zenone Imperatore dicens, quod mulierem quamdam in filia ipsius injuriose tractaverit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ S. Dei Genitricis, orans et deprecans, et cum lacrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi, mulier, ultiōnem tuam sëpe facere volui, sed manus ejus prohibet me. Erat enim valde misericors, et eleemosynas faciens. » Merito ergo ait *Eccl.* cap. III, 33: « Ignem ardente exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis. » In quem locum scribens S. Ambrosius comparat eleemosynam aquæ baptismi: « Eleemosyna, inquit, quodam modo est aliud animarum lavacrum, ut, si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei ut iterum eleemosynis emundetur. » Concionator ergo, quasi alter Daniel, crebro peccatoribus suadeat et inculcat eleemosynam. Nam, ut ait S. Augustinus, *homil.* 29 inter 50: « Sacrificium christianorum est eleemosyna in pauperes; hinc enim Deus fit peccatis propitius. » Vide ea quæ de eleemosyna annotavi *Deuteron.* xxvi, sub finem capit. 8

Audi testamentum Petri Domini Soræ et Arpini, ejusque conjugis Dodæ anno Domini 1030, apud Baronium: « Cœpimus, inquit, cogitare intra nosmetipsos qualiter in peccatis concepti et nati sumus, et qualiter ab infantia nostra, die noctuque horis et momentis innumerabilia peccata commisimus, et qualiter in illo terribili judicio de omnibus factis nostris et cogitationibus Deo ra-

tionem reddituri sumus, et qualiter ab illo æquisimo judice unusquisque recipiet secundum opera sua; et rursus dum cogitare cœpimus, qualiter impii et peccatores, qui hic peccata redimere negligunt, in illam pavendam pœnam perpetuam cum diabolo damnabuntur, et qualiter justi et electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur; subito respexit nos divina pietas, et compunctum est cor nostrum cum tremore et æstuatione cordis; et cœpimus cogitare et quærere consilium a sacerdotibus, et religiosis viris, qualiter innumerabilia peccata nostra redimere potuissemus, et ab ira æterni Judicis et a pœna æterna evadere. Accepimus consilium ab eis; præterquam renuntiare sæculo, nihil esse melius quam eleemosynarum virtutem, et de propriis rebus et substantiis monasterium construere, et ibidem cœtus monachorum Deo famulantium coadunare, et ibi secundum regulam et normam beati Benedicti laudem Deo resonare, et vota persolvere, et omni tempore pro animabus nostris incessanter orare. Hoc consilium ab eis lumbenter et ardentissimo amore accepimus. Igitur construximus ecclesiam in honorem Domini nostri Jesu Christi, et sanctæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ, et tradidimus eam in manus viri venerabilis Domini Dominici sacerdotis, et Abbatis, et ibi eum Abbatem constituimus ubi monasterium construxisset, et cœtus monachorum Deo famulantium eo advocasset, etc.

Nota: Eleemosyna redimit peccata. **Primo,** quia peccatorem disponit ad gratiam, et ad peccati remissionem, eamque instar orationis a Deo emeretur et impetrat.

Secundo, quia remissa culpa, meretur ex condigno remissionem pœnæ reliquæ.

Tertio, etiamsi non mereatur semper culpæ et pœnæ æternæ, tamen temporalis pœnæ remissionem fere meretur, ut scilicet Deus plagas suas talibus in hac vita non immittat: idque hic etiam appositum est. Nam S. Hieronymus et alii putant Nabuchodonosorem fecisse eleemosynas, ideoque ad duodecim menses dilatam esse Dei contra eum sententiam, donec rursum bonum clementiæ amisit malo superbiæ, vers. 27. Unde pro eo quod nos habemus: *Forsitan ignoscet delictis tuis;* Chaldaice est: *Forsitan prolongatio erit paci et prosperitati tui.*

26. POST FINEM DUODECIM MENSUM. — Distulit Deus sententiæ suæ in regem late exsecutionem ad duodecim menses, ut ei daret spatium pœnitentiæ. Ita Theodoreetus.

27. AIT: NONNE HÆC EST BABYLON? — Dixit hæc rex ingenti fastu, cum oblitione et contemptu Dei, unde ait: « Quam ego ædificavi,» non Deus. Videtur ergo somnium et somnii interpretationem oblitus esse, aut parvipendisse, ac rediisse ad ingenium suamque arrogantiæ. Nota: Turris Babel, et Babylon urbs condita fuit a Nemrod, sive Belo, qui fuit pater Nini; aucta est a Semiramide,

Nota
sanctum
consi-
lium sa-
cerdos-
tum.

Eleemosyna re-
dimit
peccata
tripliciter.

Primo.

Secunda.

Tertio.

Babylonis am-
pli' ado. sed postea eversa, restituta est a Nabuchodonosore et magnificentissimis operibus adornata. Habebat enim Babylon, teste Herodoto, lib. I, in ambitu murorum stadia 480, muri crassi erant 50 cubitos, alti 200 cubitos : in his erant centum portae aereæ. Addit Diodorus, lib. III, urbis Babylonis muros adeo latos fuisse, ut per eos sex currus simul procedere possent, et Aristoteles, lib. III *Polit.* cap. II, tantam ait fuisse Babylonem, ut urbe ab hostibus capta, per triduum incolæ alterius partis urbis eam esse captam non senserint : Babylon ergo habita fuit orbis miraculum, et unum ex septem mirabilibus mundi, de quo Martialis in *Amphitheatro*, epigram. 1 :

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus jactet nec Babylona labor.

Vers. 28. 28. CUMQUE SERMO ADHUC ESSET IN ORE REGIS, VOX DE COELO RUIT. — Vide hic quam Deus exsecretur superbiam, quamque subito superbos e cœlo sideret et fulminet. Ita Saulus tumens et sœviens in christianos percussus et perculsus cœlesti voce : « Saule, Saule, quid me persequeris ? Durum est tibi contra stimulum calcitrare ; » victus manus dedit Deo, *Acto.* IX. Sic superbis Judæis a Deo prosternendis ait Isaías, cap. LXVI, 6 : « Vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. » Et de superbo Sennacherib, cap. XXX, 31 : « A voce Domini pavebit Assur virga percussus. » Et cap. XXXIII, 3 : « A voce angeli fuderunt populi. » Et *Joel.* cap. II, 11 : « Deus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui : magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum ? » cum scilicet in die judicii superbos sua voce : « Ite, maledicti, in ignem æternum, » adigit in tartara. Nam, ut ait David II *Reg.* XXII, 14 : « Tonabit de cœlo Dominus, et Excelsus dabit vocem suam. » Sic Joannes, *Apol.* VIII, audivit vocem angeli, quasi « aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna : Væ, væ, væ, habitibus in terra ! »

Vers. 30. 30. EX NOMINIBUS ABJECTUS EST. — Cum Nabuchodonosor tanquam amens et insanus ejectus fuit, tunc regnum Chaldæorum per septennium administravit Evilmerodach ejus filius, vel optimates, qui juxta vaticinium Danielis per septennium exspectaverunt, ut Nabuchodonosorem menti restitutum reciperent, ut indicatur vers. 33 (1).

(1) Quæ hoc versu narrantur facta, ita incongrua et incredibilia visa sunt pluribus recentioribus Germaniae interpretibus, ut hujus narrationis summam omnino in dubium revocare maluerint, quam quamlibet hujus interpretationem admittere. Cæterum, cum nonnisi veteres et a tempore S. Hieronymi jam factas et solutas difficultates refricent rationalistæ Bertholdtius, Bleekius, Kirms, Rosenmuller, illis expediendis immorari prorsus inutile existimamus. Hæc tantum notanda : primo, voces *septem tempora*, vers. 22, hic non necessario septem annos significant, sed possunt indicare septem menses, aut, cum Orientales annum in sex partes seu tempora dividerent, quatuordecim menses. S. de Saulcy, *Chronolog.*

DONEC CAPILLI EJUS IN SIMILITUDINEM AQUILARUM CRESCERENT. — Pro *aquilarum* Septuaginta habent λεόντων, id est *leonum*; unde Epiphanius et Dorotheus hauserunt suam sententiam de rege in leonem transformato, ut dixi vers. 13. Verum Chaldaeus et Latina habent *aquilarum*, non *leonum*.

Quæres, quomodo capilli ejus « in similitudinem » non bovis, sed aquilarum creverint? Primo, Maldonatus censem in rege nihil praeter ungues et capillos fuisse immutatum, sed hæc sola ferinum in morem excrevisse. Verum contrarium est verius, ut dixi vers. 15.

Secundo, Lyranus, τὸ in similitudinem aquilarum, exponit, q. d. In longitudinem alarum aquilæ.

Bibliq. des empires de Ninive, etc.; *Annales de Philosoph. chrét.* tom. XXXVIII, pag. 269, asserit septem tantum dies morbo laborasse, quem febris ardenter vocat, et non septem annos, ut primus Josephus scripsit. Cui tamen sententiæ plene accedere non audemus. Si autem vox *tempus pro anno* accipienda esset, determinatus numerus *septem* hic pro indeterminato adhibetur, atque aliquos annos significare posset, prout vox *septem* usurpatur *Gen.* cap. XXXIII, 8; *Prov.* cap. XXIV, 16; XXVI, 25; *Isai.* cap. IV, 1; *Jerem.* cap. XV, 9, etc., etc.

Secundo, cæterum, si etiam Nabuchodonosor septem annis integris cum feris fuisse, an Deus qui superbum hunc impiumque regem in exemplum aliorum insigniter punire voluit, illum grama comedentem, rore pluviaque irrogatum, vivum servare a feris incolumem præstare, eique regnum conservare nequivisset? Perdurante hujus regis insania, imperii habendas tenuere magnates usquedum sanaretur, in quo suis coimmolis inserviebant, nam regis mutatio in Oriente fere semper muneras privationem pro optimatibus importabat.

Tertio, credimus cor Nabuchodonosoris ab humano commutatum fuisse (13), in eo sensu quod desivit esse humanum, ut ferinæ indolis fieret; et cor feræ significare mentis stupiditatem et sœvitiam.

Communiter creditur, ait Calmetus, Nabuchodonosorem per effectum potentiae divinæ in hunc morbum qui *lycanthropiæ* dicitur, incidisse : hic princeps itaque firmiter credens se bovem esse factum, manibus peñibusque incedere, herbas comedere, capite ut cornibus petere, rure commorari, societatem hominum fugere, atque cæsariem, barbam et ungues ut animal nutrire incœpit. Ejus aulici hoc portento attoniti illum ceperunt et ligaverunt, ut Daniel (cap. IV, 12) observat: Alligetur vinculo æreo et ferreo. Cum illo egerunt ut cum insanis et furibundis agi solet..... Tandem Nabuchodonosor fuga evasit, et rure ut bestia vixit. Hujusmodi morbi medicis minime ignoti sunt, paucique libri medicorum de illis silent. Vide *Dict. Bibl.*, art. *Lycanthropia*.

Quarto, nihil mirum si historia profana hujus facti non meminit, quia nulla historia regni Babylonici Nabuchodonosori coœva ad nos pervenit. Cæterum vestigia illius occurrent in auctoribus profanis posterioribus, ut ex Berozo Fl. Josephus, *Contra Apion.* lib. I, cap. XX, expressis verbis dicit, Nabuchodonosorem, cum celebres Babylonis muros construere cœpisset, in morbum incidisse, et postquam quadraginta annis regnasset, vita functum fuisse. Abydenus apud Eusebium (*Præpar.* lib. IX, cap. III, ex Megasthene) refert Nabuchodonosorem palatum suum concendisse, ibi prædixisse Babylonem a Medis et Persis expugnandam esse, atque illico disparuisse. E quibus veritatem de Nabuchodonosoris ob morbum *lycanthropiæ* a Deo immissum inter feras recessu satis clare educere licet.

Verum alarum hic nulla est mutatio, nec recte capilli hominis alis, sed capillis aquilæ comparantur.

Tertio, melius Vatablus explicat et vertit : *Ut pilorum copia aquilis, et unguibus similis evaderet volucribus* : Chaldaea enim ad verbum habent : *Donec pili ejus multiplicarentur instar aquilarum.* Pilis ergo aquilæ potius quam bovis (cui incessu et forma similis erat) comparantur ejus pili, *primo*, ob copiam et densitatem : aquila enim toto corpore pilis est densa, iisque quasi involuta, uti leo suis jubis, præsertim ea quæ dicitur Ossifraga : sic erat et rex. *Secundo*, ob colorem : sicut enim pili aquilæ sunt nigri admodum, ita erant et regis : idque fiebat ex copia melancholiæ, quæ crassissimam fuliginem exhalat, ex qua pili hi generabantur, uti ex Valesio dixi vers. 15. *Tertio*, ob prolixitatem et formam. Sicut enim pili in capite aquilæ, puta crista, sunt prolixæ, erectæ, crispæ, horridæ et minaces : sic erant et capilli regis semper crescentes, et nunquam detonsi.

Porro apte pilos habuit aquilæ rapacis, et ungues avium rapacium: quia hæc fuit poena et symbolum ejus rapacitatis, qua omnes gentes, earumque regna et opes diripuit; unde a Jeremia, cap. iv, 7, vocatur « prædo gentium, » et ab Ezechiele, cap. xvii, 3, « aquila grandis magnarum alarum, » etc. Rapacitas autem hæc notatur in pilis. Nam aquilæ pilos et pennas esse rapaces et voraces docet Ulysses Aldrovandus, lib. I *Ornitholog.* cap. *De aquila*, pag. 24, ubi de aquila sic scribit : « Pennas habet firmitate ac duritate insigni, quæ (ut experientia multorum et auctoritate didici) pennas aliarum avium, præsertim anserum et columbarum, permixtæ absument, idque forsitan ob latentem quamdam, qua prædite sint, vim. Avis enim ipsa dum vivit, reliquis omnibus volucribus infesta est, itaque derivari vim illam animalem in res quoque ejus exanimes, per sympathiæ contagionem, non improbandum est; ut rei eventus docuit etiam in interemptis, super quos patrator sceleris vel casu, vel ad testandam conscientiam adductus fuerit : » præsente enim homicida, corpus ab eo occisum cruentem emittit, de quo dixi Deuter. xxi, 1 et sequent.

Vers. 31. **31. VIVENTEM IN SEMPERNUM LAUDAVI.** — Chaldaeus, viventem sacerdotum, quem Syri vocant, *giantem sacerdotum*, ut dixi Isaïe LVII, 15. Huc alludit S. Joannes, Apoc. cap. x, 6, et alibi, ubi Deum vocat viventem in saecula sacerdotum.

Vers. 32. **32. IN VIRTUTIBUS COELI.** — Chaldaice בְּחַלְבֵּן bechel, id est in exercitu, vel robore, scilicet stellarum et angelorum cœli.

Vers. 33. **33. IN IPSO TEMPORE SENSUS MEUS REVERSUS EST AD ME.** — Dorotheus in *Synopsi*, et Epiphanius in *Vita Danielis*, tradunt septem annos supplicio regis a Deo præfinitos, per preces Danielis contractos fuisse ad septem menses : ergo septem mensibus eum vixisse ut bestiam, reliquis vero sex annis et quinque mensibus, eum menti restitutum fuisse, non tamen regno ; sed egisse pœnitentiam,

eaque meritum fuisse ut restituereetur in regnum, Verum ex hoc versu patet hanc esse fabellam; hic enim dicitur quod eodem tempore rex simul restitutus sit menti et regno; scilicet postquam septem annos egisset cum bestiis. Idem comminatus ei fuit Deus vers. 22.

Moraliter Tertullianus, lib. *De Pœnitentia*, in fine ex hoc loco hortatur peccatores ad pœnitentiam, dicens : « Mutæ animæ medicinas sibi divinitus attributas agnoscent. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnera expellat, scit sibi dictam medendum. Hirundo, si excœaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator, restituendo sibi insitutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonum regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus, unguium aquilinum in morem efferatione, et capilli incuria horrorem leoninum præferente. Proh malæ tractationis! Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat. » Rursum disce hic prospera hominibus, præsertim principibus, eripere mentem, adversa reddere. Hinc Zeno dicebat, « se tum prospere navigasse poste aquam naufragium fecerat; » lapsus enim casusque docent cautelam et sapientiam. Ita videmus homines opibus et luxu disfluentes ad frugem redire, si Deus illis opes eripiat, et ad manticam redigat. Sapienter Artabanus, suadens modestiam Xerxi : « Gaudet, inquit, Deus eminentissima quæque deprimere; quia neminem alium quam seipsum, sinit de se magnifice sentire. » Sic Deus, ait Claudianus in *Epiigr.* :

Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Et Seneca in Agamemn. :

Turris pluvio vapulat Austro,
Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.

Sic aquila in altum levat testudinem, ut eam ex altiori loco saxo illidens, magis frangat et extiteret. In Nabuchodonosore vera extiterunt tria illa aurea Ptolemei axiomata, quæ in ejus Vita habentur, initio *Almagesti*. *Primo* : « Insipiens est, qui sui ipsius ignorat quantitatem. » Rex enim hic multo majorem se aestimabat, quam revera erat. *Secundo* : « Cum aliquis sibi placet, ad hoc deductus est, ut ira Dei sit super ipsum. » *Tertio* : « Qui in dignitate sua multum extollitur, in amissione ejus multum deprimitur. » Pulchre et vere auctor serm. *ad Fratres in eremo*, serm. 12, apud S. Augustinum, tom. X : « O sancta, ait, humilitas, quam dissimilis es superbiae! Ipsiæ superbia, fratres mei, Luciferum de cœlo dejecit; sed humilitas Dei Filium incarnavit. Ipsiæ superbia Adam de paradiſo expulit; sed humilitas latronem in paradiſum introduxit. Superbia gigantum linguis divisit et confudit; sed humilitas cunctas

congregavit dispersas. Superbia Nabuchodonosorem in bestiam transmutavit; sed humilitas Joseph principem Aegypti constituit. Superbia Pharaonem submersit; sed humilitas Moysen exaltavit. » Et Sapiens, *Prov. xi.*, 2 : « Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia. » Et Christus : « Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. » Narratur de S. Francisco in *Chron. Ord. Min.* part. I, lib. VII, cap. v, quod, cum S. Aegidius narraret lapsum fratris Eliæ, qui vir doctus, fuerat minister generalis Ordinis sui, et jam erat apostata, et excommunicatus, quia adhærebat Frederico II imperatori hosti Ecclesiæ; projecerit se in terram, illamque arce stringens dixerit : « Volo descendere quantum possum, quia Elias cecidit, eo quod altius æquo voluit ascendere. »

Vers. 34. 34. NUNC IGITUR EGO NABUCHODONOSOR LAUDO, etc., BEGEM COELI. — Hinc probabile est Nabuchodonosorem hac septennali pœna serio ad Deum verum fuisse conversum, totoque corde fuisse contritum et humiliatum, ac proinde justificatum esse, et cum paulo post obierit, salvatum videri. Ita Josephus Dorotheus in *Synopsi*, Epiphanius in *Vita Danielis*, Lyranus, Carthusianus, et favent Theodoreus et S. Augustinus, *epist. 122*. Audi Dorotheum in *Vita Danielis* : « Cum, inquit, Nabuchodonosor peccatorum suorum remissionem adeptus esset, dedit Prophetæ regnum suum, et nec panem, nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confessus. Nam hoc illi Daniel præcepérat, ut leguminibus et herba vescens Dominum placaret. » Additque : « Volebat eum (Danielem) cohæredem constituere filiorum suorum. Sed vir sanctus dicebat : Propitius sis mihi, Domine, ne deseram hæreditatem patrum meorum, et adhæream hæreditati incircumcisorum. » Eadem habet Epiphanius in *Daniele*, scilicet quod post pœnitentiam, veniam et restitutionem in regnum, carne et vino abstinuerit, ac leguminibus vixerit. Secus fuit de Pharaone, qui per flagella et miracula Dei magis obduruit, et in sua obduratione mortuus est, ac mersus in mari Rubro, ideoque damnatus. Hæc sunt disparia judicia Dei : nam, ut ait S. Paulus, Deus, « cuius vult miseretur, et quem vult indurat. » Rursum ecce Nabuchodonosor rex, qui tota vita impiissime vixerat, in fine vitæ convertitur et salvatur : e contrario Salomon, qui a puero pie et religiose vixerat, in senio a mulieribus depravatus idola coluit, ideoque multi putant eum esse damnatum.

Objectio. Dices : De rege Babylonis dicitur, *Isaiæ xiv*, 11 : « Detracta est ad inferos superbia tua : » ergo Nabuchodonosor est damnatus in inferno. Respondeo primo, Isaiam loqui de excidio Babylonis, ac proinde loqui non tam de Nabuchodonosore, quam de Balsasare (sub eo enim et cum eo excisa est Babylon), idque sub specie et typo Luciferi : Lucifer enim qui voluit in cœlum descendere,

proprie competit : τὸ detracta est ad inferos superbia tua. Respondeo secundo, Pererius, ista de Nabuchodonosore dici non absolute et prophetice, sed comminatore : aut si quis absolute ea dici velit, quod verius videtur, symbolice accipienda esse, ac tantum significare summam regis abjectionem et miseriam; sicut per ejusdem ascensum in cœlum non proprie ascensus iste, sed symbolice summa ejus gloria et fastum significatur.

Dices secundo : Hic vers. 5, Nabuchodonosor jam conversus Belum adhuc vocat suum deum; ergo non videtur plane abjecisse Belum, nec plane fuisse conversus. Respondeo : Rex ibi narrat tantum quod Danieli puero olim dederit nomen Baltassar, secundum nomen dei sui, puta quod a Baal, vel Bel, quem tunc colebat, vocarit eum Baltassar, non autem dicit se etiamnum Belum colere. Similiter quod ibidem Danielem spiritum sanctorum deorum habere asserit, tantum commemorat sua verba, quibus ipse compellavit Danielem ante suam conversionem, puta ante somni interpretationem. Fateor tamen hec argumenta dubiam facere conversionem et salutem Nabuchodonosoris, præsertim cum non legatur idola abjecisse, Judæos e captivitate dimisisse, tyrannice occupata restituisse, aliaque veræ pœnitentiæ signa edidisse : illud tantum legimus, quod Evilmerodach mox ut regnum successit, exaltavit Joachin regem Juda in Babylone captivum, idque forte quia pater moriens hoc et alia ei commendavit. Denique vis simile somnium? Accipe.

Constans Imperator nepos Heraclii Imperatoris monothelita, qui Martinum Romanum Pontificem per Calliopam Romæ dolo cepit, et in exilio ærumnis confecit, persequente eum Dei vindicta, anno Christi 634, bello navalium cum Mahuvia Saracenorum principe decertaturus, nocte vidi visum. Nam cum esset in Lycia, visus est sibi esse Thessaloniciæ. Expergefactus narravit somnum conjectori cuidam. Qui ait : O Imperator, utinam nec dormisses, nec somnium aspexisses! Nam esse Thessaloniciæ, θεσσαλονίκη, innuit, quod interpretatur, alteri cede victoriam, id est, ad inimicum tuum victoria vertitur. Ita factum : nam inito prælio Constans succubuit, et vix mutata veste effugit, inquit Theophanes, anno 13 Constantis Imperatoris.

Idem Constans, sceleribus sclera jungens, fratre suum Theodosium interfecit : interfactus ipsi Constanti crebro per quietem visus est habitu diaconi, poculum sanguine plenum porrigenus, atque dicens : « Bibe, frater; » ac si diceret : Inebriare fraterno sanguine quem fudisti. Quare quasi alter Cain cogitavit Constans in Siciliam fugere : fugit, atque Syracusis in balneo occisus est a quodam Andrea Troili filio, uti ex Anastasio, Paulo Diacono et Theophane narrat Baronius, anno Christi 660.

Objectio secunda.

Respon-sio.

Somni-um Con-santis Impera-toris omi-no-sum.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Balsasari temulento, et sacra vasa profananti apparel manus scribens in pariete. Secundo, vers. 13, vocatus Daniel scripturam legit : mane, tekel, phares; docetque per ea exitium regi portendi. Tertio, vers. 30, occiditur Balsasar, succedit ei Darius.

Nota : Hoc caput secundum ordinem temporum ponendum erat post cap. VII et VIII ; sed Prophetæ, ut dixi Can. III, sæpe non servant ordinem. Nectit ergo Daniel hoc caput præcedenti, ut historiam, et finem similem regum Babyloniorum, scilicet Nabuchodonosoris patris, et Balsasaris filii, perteat. Daniel enim hic primo historias omnes simul enarrat usque ad caput septimum : inde usque ad cap. XIII, visiones suas et prophetias simul ordine prosequitur.

1. Balsasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille : et unusquisque secundum suam bibebat ætatem. 2. Præcepit ergo jam temulentus ut afferrentur vasa aurea et argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex et optimates ejus, uxoresque ejus, et concubinæ. 3. Tunc allata sunt vasa aurea et argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem : et biberunt in eis rex, et optimates ejus, uxores et concubinæ illius. 4. Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos et argenteos, æreos, ferreos, ligneosque et lapideos. 5. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ : et rex aspiciebat articulos manus scribentis. 6. Tunc facies regis commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eum : et compages renum ejus solvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur. 7. Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent magos, Chaldæos, et aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis : Quicumque legerit scripturam hanc, et interpretationem ejus manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, et torquem auream habebit in collo, et tertius in regno meo erit. 8. Tunc ingressi omnes sapientes regis, non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi. 9. Unde rex Baltassar satis conturbatus est, et vultus illius immutatus est : sed et optimates ejus turbabantur. 10. Regina autem, pro re quæ acciderat regi, et optimatibus ejus, domum convivii ingressa est ; et proloquens ait : Rex, in æternum vive : non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur. 11. Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se : et in diebus patris tui scientia et sapientia inventæ sunt in eo ; nam et rex Nabuchodonosor pater tuus, principem magorum, incantatorum, Chaldæorum et aruspicum constituit eum, pater, inquam, tuus, o rex : 12. quia spiritus amplior, et prudentia, intelligentiaque et interpretatione somniorum, et ostensio secretorum, ac solutio ligatorum, inventæ sunt in eo, hoc est in Daniele : cui rex posuit nomen Baltassar. Nunc itaque Daniel vocetur, et interpretationem narrabit. 13. Igitur introductus est Daniel coram rege. Ad quem præfatus rex ait : Tu es Daniel de filiis captitatis Judæ, quem adduxit pater meus rex de Judæa ? 14. Audivi de te quoniam spiritum deorum habeas : et scientia intelligentiaque ac sapientia ampliores inventæ sunt in te. 15. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent, et interpretationem ejus indicarent mihi : et nequiverunt sensum hujus sermonis edicare. 16. Porro ego audivi de te, quod possis obscura interpretari, et ligata dissolvere : si ergo vales scripturam legere, et interpretationem ejus indicare mihi, purpura vestieris, et torquem auream circa collum tuum habebis, et tertius in regno meo princeps eris. 17. Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege : Munera tua sint tibi, et dona domus

tuæ alteri da : scripturam autem legam tibi, rex, et interpretationem ejus ostendam tibi. 18. O rex, Deus altissimus, regnum et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. 19. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, universi populi, tribus, et linguae tremebant et metuebant eum : quos volebat, interficiebat : et quos volebat, percutiebat : et quos volebat, exaltabat : et quos volebat, humiliabat. 20. Quando autem elevatum est cor ejus, et spiritus illius obsfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est : 21. et a filiis hominum ejectus est, sed et cor ejus cum bestiis positum est, et cum onagris erat habitatio ejus : fœnum quoque ut bos comedebat, et rore cœli corpus ejus infectum est, donec cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum : et quemcumque voluerit, suscitabit super illud. 22. Tu quoque filius ejus Baltasar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia : 23. sed adversum Dominatorem cœli elevatus es : et vasa domus ejus allata sunt coram te : et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ, vinum bibistis in eis : deos quoque argenteos, et aureos, et æreos, ferreos, ligneosque et lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti : porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti. 24. Idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc quod exaratum est. 25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est : MANE, THECEL, PHARES. 26. Et hæc est interpretatio sermonis, MANE : numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. 27. THECEL : appensus es in statera, et inventus es minus habens. 28. PHARES : divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. 29. Tunc jubente rege, indutus est Daniel purpura, et circumdata est torques aurea collo ejus : et prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo. 30. Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus. 31. Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.

Vers. 1. 1. BALSASAR REX FECIT GRANDE CONVIVIUM, — anno ultimo regni sui, quo et eversa Babylone, ut monarcha cœpit regnare Cyrus : fuit ergo hic annus primus monarchiæ Cyri, quo etiam ipse Judæos e Babylone liberos dimisit.

Quis fuit Balsasar? Responso prima S. Hieronymi. Quæres, quis fuit hic Balsasar? S. Hieronymus ex Beroso apud Josephum, Eusebio et Megasthenem, putat in Babylone post Nabuchodonosorem regnasse filium Evilmerodach, post hunc filium Niglissar, post hunc filium Labosordach : deinde hujus filium Balsasar. Verum non potuerunt esse tot generationes tam paucis, puta 34 annis : tot enim tantum interfluxerunt a morte Nabuchodonosoris, usque ad mortem Balsasaris. Falsum ergo est quod scribit Josephus, lib. XI *Antiq.* XII, Nabuchodonosorem, cum post eversam Jerusalem regnasset annos 25, reliquise regnum filio Evilmerodach, eumque regnavisse annis octodecim : post hunc Niglissar filium annis 40, post hunc Labosordach filium novem mensibus : huic successisse Balsasarem, cuius anno 17 Cyrus expugnarit Babylonem, Judæosque inde liberarit. Collige enim horum annos, invenies centum, quibus necesse est dicere duravisse captivitatem Babyloniam; cum ex Jeremia, cap. XXVII, et ex Daniele, cap. IX, 2, constet eam tantum durasse 70 annis.

Secunda Pererii. Secundo, Pererius, Maldonatus, Hugo et alii censem Balsasarem fuisse filium Evilmerodach, qui fuit filius Nabuchodonosoris, cuius proinde

nepos fuerit Balsasar. Probant id, primo, quia Nabuchodonosori successit Evilmerodach, sicut patet IV *Reg.* XXV, 27; ergo Balsasar post Evilmerodach regnavit, ac consequenter fuit ejus filius. Secundo, quia *Jerem.* XXVII, 7, dicitur, quod Nabuchodonosori « servient omnes gentes, et filio ejus, et filio filii ejus. » Quis est filius ejus, nisi Evilmerodach; quis filius filii, nisi Balsasar (1)? Unde Franciscus Ribera et alii sic computant annos 70 captivitatis Babylonicae : Nabuchodonosor, inquiunt, regnavit 45 annis; Evilmerodach 22, Balsasar tribus, qui simul juncti faciunt 70. Verum dici posset ad *Jerem.* XXVII, 7, ibi patrem esse Nabuchodonosorem seniorem, filium esse Nabuchodonosorem juniorem, qui et Magnus est dictus; filium filii esse Balsasarem : nam hæc verba dicta sunt Jeremiæ initio regni Joakim, quando adhuc regnabat Nabuchodonosor senior;

(1) Hanc sententiam probabiliorem esse satis clare demonstrat Rosenmuller, *Allerthumsk.* vol. I, part. II, pag. 87, not. 135; et optime Quatremere in opere cui titulus: *Mémoire sur Darius le Mède et Baltasar, rois de Babylone (Annales de Philosophie chrétienne,* XVI, 317-336). De Saulcy e contra in opere: *Chronolog. Biblique des empires de Ninive, etc.*, asserit Balsasar esse filium Nabuchodonosoris, cui immediate successit.

.Quod si, ut objiciunt, historia profana nullum regem Babyloniorum Balsasarem vocatum commemorat, ea ratio est, quod reges Orientales frequenter plura nomina habuerint. Auctor recentior profecto nomen ignotum omnibus suo libro haud inseruisset.

nam junior regnare cœpit anno quarto Joakim. **Tertio**, alii censem Balsasarem hunc esse filium, non nepotem Nabuchodonosoris, esseque eumdem cum Evilmerodach. Hæc sententia valde conformis est verbis Danielis : *primo*, quia Daniel in chronicis hisce regum Babyloniorum, post gesta Nabuchodonosoris, transit statim ad Balsasar; ergo hic ei proxime successit. **Secundo**, quia semper hic vocat eum filium Nabuchodonosoris, ut patet vers. 11, 13 et 18. Idem facit Baruch, cap. I. 11. **Tertio**, quia a Jeremia, cap. L, 2, Balsasar vocatur Merodach, qui idem esse videtur cum Evilmerodach : idem a Berozo et Josepho vocatur Labonitus et Nabonitus : nam litteræ L et N commutantur, sicut L et R, utpote affines et liquidæ. Hinc pro Belial alii dicunt Beliar, pro Nabuchadneser (id est Nabuchodonosor) in Hebreo legitur Nebuchadreser. Juxta hanc sententiam Balsasi, sive Evilmerodach, dandi sunt anni regni 34 (anni enim quos alii seorsim dant Evilmerodach adjungendi sunt annis Balsasaris, cum fuerit unus idemque rex); hos enim si addas annos 36 Nabuchodonosoris, explebis annos 70 captivitatis, qui incipiunt ab anno 11 Joakim, qui fuit 8 Nabuchodonosoris, et terminantur in ultimo anno Balsasaris, qui fuit primus Cyri. Nabuchodonosor enim universim regnavit annos 44.

CONVIVIUM. — Chaldaice **לְחֵם** *lechem*, id est *panem*, hoc est epulum. Sic enim panis in Scriptura per synecdochen significat quoslibet cibos et epulas. Græce **δεῖπνον**, id est *cænam*. Veteres enim non prandebant, sed cœnabant, ut patet ex Athenæo in *Diplosophistis*, sive *De Cœnis sapientum*. Hinc convivium quodlibet vocatum est cœna. Nota hic Balsasaris miram recordiam, vel præfidentiam, quod hoste vicino, et urbe ab eo circumessa, crapulæ indulgeat cum omnibus suis; unde juste in pœnam ebrietatis et sacrilegii, quo sacra vasa mensæ suæ adhibendo profanavit, eadem nocte et regno et vita spoliatus est. Multi censem Balsasarem, præfisum suis viribus et copiis, ac urbis munitioni, obsessum a Cyro et Persis induluisse genio, et agitasse convivia, ut ostenderet se Persas non timere, nec curare : quomodo Epaminondas, obsessus ab hostibus sibi insultantibus, jussit milites conviviis et ludis vacare, ut ostenderet se hostium sannas contempnere : testis est Diodorus, lib. XII. Idem fecisse Viriatum Lusitanum a Romanis obsessum narrat Florus.

UNUSQUISQUE SECUNDUM SUAM BIBEBAT ETATEM. — Quia quisque secundum etatem accumbebatur, et cyathum prius vel posterius accipiebat, puta digniores et seniores prius, juniores posterius. Erant enim ordine per mensas et classes ita distributi, ut rex singulis classibus ordine præbibere et propinare posset. Videntur enim hi satrapæ officio et dignitate fuisse pares, ita ut inter eos dignior tantum esset is qui erat senior. Simili enim modo Darius regnum divisit in 120 satrapias, et satra-

pas æquales, ut videtur. Nam eis omnibus tres tristatas præfecit, cap. VI, 1 et 2. Septuaginta, Pagninus, Vatablus et alii vertunt : *Coram mille* (magnatibus et ducibus) *bibebat vinum*; erat enim rex solus in una mensa, e regione illorum mille qui in altera mensa accumbebant. Nam Chaldaicum **אַלְפָה** *alpha*, et mille significat, et eum qui melior est, dignior, præcipuus, et sic accepit Noster. Unde sic ad verbum *vertas* : *Bibebat quisque secundum quod erat alpha*, id est senior et dignior. Porro Scholiastes explicat, q. d. « Cujusque ipsorum mille erat crater *vini*, et pincerna proprius. Hoc enim apud Persas solemne est. »

2. PRÆCEPIT ERGO JAM TEMULENTUS. — « Tradunt **Vers. 2.** Hebrei, ait S. Hieronymus, hujusmodi fabulam : usque ad septuagesimum annum, quo Jeremias captivitatem Judæorum dixerat esse solvendam, imperio suo timuit Balsasar; sed eo expleto irritam putans Dei pollicitationem, versus in gaudium, fecit grande convivium, insultans quodammodo spei Judæorum, et vasis templi Dei; sed statim ultio consecuta est, » dum in hoc convivio peremptus est Balsasar, et Babylon capta.

Vide hic quonam Balsasarem deduxerit temulentia. Audi S. Basilium, homil. *De ebrietate*: Aqua ignem extinguit, vinum extinguit rationem : aqua maris naves, vinum vitis homines submergit : ebriorum animæ vino submersæ sunt. Vigilantia et sobrietas faciunt homines, ebrietas ex hominibus facit belluas. Hinc ait Isaias, cap. xxviii, 7 : « Absorpi sunt a vino. » Absorbent ebrii vinum, sed absorbentur a vino. Et Sapiens, *Proverb.* xxiii, 34 : « Eris quasi sopitus gubernator, amissio clavo. » Ebrius enim rationis clavum amittit.

Secundo, ebrietas uti rationis usum extinguit, **Secundo**, ita pravas animi cupiditates excitat. *Isaiae* v, 11 : « Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis ! » Septuaginta vertunt : *Vinum enim succendet vel comburet eos*. Vide ibi dicta. Unde S. Basilus ebrium vocat dæmonem voluntarium. Dæmone ergo pejor est ebrius, quia voluntarius est dæmon, cum dæmon involuntarie sit dæmon. A dæmone torquentur dæmoniaci, sed inviti et coacti : at ebrius ebrietate torquetur, quia placet.

Tertio, ebrietas os, oculos, nares, omniaque **Tertio**, sensuum organa facit amarissimas et foedissimas voluptatis cloacas, ita ut ebrii non homines, sed sues sint, imo suibus tetriores. S. Augustinus, serm. 231 *De Tempore*, ebriosos ait similes esse paludibus sordidis, in quarum aqua sordida serpentes, ranæ vermesque nascuntur.

Quarto, S. Paulus ad *Ephes.* v, 18 : « Nolite, **Quarto**, ait, inebriari vino, in quo est luxuria. » S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum*, cap. VI : « Esus, ait, carnium, et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est ; » nam « sine Cerere et Baccho friget Venus. » Audi exemplum horribile,

Morale,
de damno
ebrietas.

Primo.

quod refert auctor serm. ad Fratres in eremo, apud S. Augustinum, serm. 33 : « Ecce, inquit, hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem ne quiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, duas sorores vulneravit ad mortem. »

Quinto. **Quinto**, quo magis repletur venter, eo magis sensus mentis obtunditur, homoque hebescit. Nam ex crasso ventre subtilis sensus gigni non potest. Rursum, ut ait S. Chrysostomus hom. 1 ad Popul. : « Non ita terræ natura vexata aquarum superabundantia continue dissolvitur, ut corporis vis mollescit, diffundit, et exilis redditur vini potu continuo ingurgitata. »

Sexto. **Sexto**, S. Augustinus supra : « Considerent, inquit, ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sint. Cum enim animalia amplius quam eis opus est bibere nolint, illi et duplum et triplum quam expedit eis potum accipiunt. »

Septimo. **Septimo**, ebrii ex crapula continuo dormitant, capite gravantur, oscitant, oculis caliginem, stomacho nauseam præ se ferunt. Et, ut ait S. Basiliius : « Eos videre licet oculis liventibus, cute subpallida, spiritu gravi, lingua balbutiente, voce demissa et confusa, pedibus puerorum more infirmis et titubantibus. » Quare Anacharsis censuit optimum remedium ebrietatis esse ebriorum indecoros et fœdos mores intueri, qui tales sunt, ut S. Chrysostomus, homil. 1 ad Popul., ebrietatem vocet humani generis opprobrium. Hinc Lacedæmones pueris ostendebant servos temulentes, ut viderent quam deforme sit spectaculum homo ebrius, quamque is insaniens sit similis.

Octavo. **Octavo**, Athenæus, lib. XI, magnum poculum appellat argenteum puteum, in quem scilicet cadit ebrius, animam et rationem suffocans, seque et sua omnia demergens. Et S. Augustinus supra ebrietatem vocat puteum inferni. Vide plura de ebrietate notata Genes. xix, in fine.

Vers. 5. **5. IN EADEM HORA APPARUERUNT DIGITI QUASI MANUS HOMINIS.** — Lyranus ex voce quasi autumat manum hanc vere non exstisset, sed tantum in phantasia regis, unde ab aliis non esse visam. Verum utrumque falsum est. Nam Scriptura ait hanc manum scripsisse in pariete *mane, tekel, phares*; ibique hæc scripta legisse Daniellem; cum cæteri litteras viderent, sed eas legere et interpretari nequerent. Dicit ergo « quasi manus hominis, » quia vere non erat manus hominis, sed ei similis formata ex aere condensato, et assumpta ab angelo, qui per eam scribebat in pariete.

SCRIBENTIS CONTRA CANDELABRUM, — ut scilicet ex lumine vicini candelabri legi posset hæc scriptura : in cena enim nocturna, candelabro et lumine erat opus. Ita S. Hieronymus. Porro manus scribentis apparuit, non ipse scribens, ut rex videret sibi parari insidias, et necem strui; at auctorem omnino ignoraret : et sic articulos tantum videret, manum non agnosceret, ait Pineda in Job cap. xvii, 10.

AULÆ REGIÆ, — ut sciret rex, et convivantes hanc scripturam ad se pertinere, inquit S. Hieronymus. Ille verum fuit illud vulgare proverbium : « Ubi uber, ibi tuber; ubi mel, ibi fel ; » quod Plautus in *Amphytrione* hisce verbis declarat : « Ita diis placitum est, ut ab eodem culmine voluptas et ei comes mœror sequatur. »

8. NON POTUERUNT NEC SCRIPTURAM LEGERE. — **Vers. 8.** Quæres, cur? Respondent aliqui Hebræi, quia hæc scriptura erat Hebraica, non Chaldaica, unde a Chaldæis legi non poterat : sed ut demus fuisse Hebraicam, quis credat neminem Chaldæorum scivisse hebraice? præsertim cum Hebraica et Chaldaica tantum dialecto differant, sicuti Attica et Dorica. **Secundo**, respondet Rabbi Saadias, non potuisse eos legere, quia litteræ erant mutatae, aut transpositæ : sed hoc uti singitur, ita rejicitur. **Tertio**, alii respondent peregrinas hasce fuisse **Tertio**. litteras extraordinarias et insolentes. Ita Pineda, lib. V. *De Rebus Salom.* cap. xiii. **Quarto**, alii, a **Quarto**. Deo fuisse impeditos Chaldæos, ut Danieli hæc gloria servaretur. **Quinto**, verisimilius Maldonatus **Quinto**, et Antonius Fernandius, *vision.* XXIII, sect. I, censent tantum litteras initiales singulorum verborum fuisse scriptas, scilicet M. T. P. Sic enim typographi hebræi initio operis versiculum aliquem psalmi, per litteras tantum initiales ascribunt, et sic conflatum est *Machabi*, id est Machabæus, ex initialibus litteris *Exodi* xv, 11 : *Mc camocha baelim Jehovah*, id est : *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Hoc enim emblema, quasi insigne belli et victoriæ, castris suis prætulerunt Machabæi.

Ita et Valens Imperator sciscitatus a necromantico, quis post se regnaturus esset? Respondit magus fore illum cuius nominis primæ litteræ sunt **THEOD.** (indicabat dæmon Thcodosium Imperatorem). Quare Valens omnes qui Theodori, vel Theodosii, vel Theoduli vocabantur, occidi jussit, ait Socrates, lib. IV, cap. xv.

Ita et Mauricio Imperatori (eo quod S. Gregorio restitisset, eique et Romæ ab Aistulpho obsessæ non succurrisset) divinitus revelatum est eum occidendum fore, et privandum imperio ab eo cuius nomen a Ph. inchoabatur. Qua de causa Philippicus, sororis Mauricii maritus, in suspicionem affectati imperii adductus est. Sed mox in somnis per visionem intellexit Mauricius, se cum uxore et filiis a Phoca occidendum esse. Phocas ergo, ex milite creatus imperator, trucidavit Mauricium; sed patientem et gratias agentem Deo, quod se in hac vita potius quam in altera castigaret. Unde ad singulorum filiorum in conspectu suo trucidationem, exclamabat : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. » Ita Cedrenus, Nicephorus, et ex iis Baronius, anno Christi 602.

Sic urbi cum gentilis esset, quasi prophetice inditum est nomen Roma, in signum quod avaritia a Christo esset destruenda. **Roma** enim, si

Ubi uber
ibi tuber
ibi fel

Cur
Chaldaei
non po-
tuerint
scriptu-
ram lo-
gare?

Respon-
deo
primo,
Secundo.

per singulas litteras explicetur, idem est quod radix omnium malorum avaritia, inquit Alexander Angelus, doctor theologie, in *Summa*, part. VI, cap. xxxiii. Christus enim urbem et orbem gentilem, et bonis et terrae inhantem evertens et convertens, docuit et inspiravit contemptum terrenorum, et amorem coelestium, fecitque nos cives cœli, hospites et advenas terræ.

Sexto et genuine. Sexto et genuine, Chaldae et Hebræi scribebant solas litteras consonantes sine punctis, sive vocalibus. Unde Chaldae nesciebant quæ puncta hic essent substituenda, scilicet an legendum esset *mane*, an *mina*, an *meno*, an *tekel*, an *tokel*, an *takal*. Rursum, licet possent singulis punctis aliqua substituere, itaque ea legere; tamen non poterant ea inter se connectere, ut sensum aliquem commodum et certum elicerent, præsertim quia singula verba per integrum sententiam explicanda erant, ut ea explicat Daniel, vers. 26.

Vers. 10. 10. REGINA, etc., INGRESSA, — puta mater Balsasaris, sive Laboniti, quæ sapientissima fuit femina, inquit Herodotus. Ita Origenes, Theodoretus et alii. Secundo, Josephus ait reginam hanc fuisse aviam regis. Tertio, alii censem reginam hanc fuisse uxorem regis. Loquitur enim quasi regina, id est quasi *uxor*.

Dices : Uxor assidebat regi in convivio vers. 2; quomodo ergo hic ingressa dicitur domum convivii? Respondeo separata fuisse in hoc convivio de more triclinia feminarum et virorum. Uxor ergo hæc non assidebat regi, sed ex triclinio feminarum surrexit, et ingressa est in triclinium regis et virorum, in quo apparuerat manus scribens in pariete.

Prima sententia videtur verior. Loquitur enim de gestis Danielis sub Nabuchodonosore, quasi senior et sapientior Balsasare, et quasi eorum testis et conscientia. Nam ut ait S. Hieronymus : « Novit præterita quæ rex ignorat. Erubescat ergo Porphyrius, qui eam Balsasaris somniant uxorem; et illudit eam plus scire quam maritum. » Porro matres regum, quæ ante eos fuerunt reginæ, etiam filiis regnantibus, vocari solent reginæ.

Vers. 11. 11. EST VIR IN REGNO, — scilicet Daniel. Dices : Daniel hic quasi incognitus inducitur. Hoc autem non videtur verum. Nam erat notissimus ipse ex oraculis et somniis declaratis cap. II, III, IV, imo a Nabuchodonosore præfector fuerat toti Babylonæ. Respondeo : Jam ab eo tempore elapsi erant 34 anni, quibus oraculorum illorum irrepsit oblio : præsertim, quia mortuo Nabuchodonosore, Balsasar succedens alios sibi familiares provexit, præfecitque Babylonæ. Unde Daniel tunc videtur hac præfectura fuisse defunctus. Id colligimus ex vers. 16, ubi rex promittit Danieli, quod faciet eum tertium in regno principem, si scripturam legere possit : ergo tum non erat princeps. Fuit tamen Daniel ob sapientiam, et ob statum quem sub Nabuchodonosore habuerat, apud Balsasarem in honore, fuitque ejus conviva, et honoratus

super omnes amicos ejus, ut dicetur cap. XIV, 1; huic tamen ultimo et fatali regis convivio non interfuit : quia se subduxit prævidens hanc manum, et infelicem ejus exitum. Itaque dispositus res suas, deditque se orationi, ut cladem quam avertere non poterat, saltem mitigaret : atque ad excidium Babylonis, novorumque regum, scilicet Darii et Cyri adventum se comparavit. Notus itaque erat Daniel Balsasari, non ut propheta, sed ut vir prudentissimus, qui sub Nabuchodonosore patre suo rexisset totum imperium. Hic ergo regina eum ut prophetam regi innotescere facit.

12. LIGATORUM — secretorum, et explicatu difficultum : quæ enim ligata sunt, cognosci et pervideri nequeunt, nisi dissolvantur et explicentur. Hinc S. Chrysostomus in *Psalm. xcv*, Danielem vocat « spiritualem scripturarum librum, » eo quod ad litteras et res occultas explicandas non indigeret studio et lectione librorum ; sed ipse in se ea contineret, et legeret quasi in libro.

17. MUNERA TUA SINT TIBI. — Ita Sancti munera, et omnia terrena contempserunt, ut ostenderent se non nisi Deum et divina spectare. Ita Elisæus noluit accipere munera Naaman, quem a lepra curarat, IV Reg. v, 16.

Ita captiva mulier christiana inter Iberes, cum Christi virtute Iberum reginam a morbo curasset, a rege donis remunerari jussa, se divitiis minime indigere respondit, pietatem se habere pro divitiis asserens, regemque munus amplissimum recepturum, si Deum quem illa colebat, vellet agnoscere. Hæc locuta, dona remittit. Ita Socrates, lib. I Histor. cap. XVI.

Ita fecit S. Hilarion ; Orionus enim vir primarius, et ditissimus urbis Ailæ, possessus a legione dæmonum, post aliquot menses a S. Hilarione, non sine miraculo curatus est : non post multum temporis cum uxore et liberis venit ad monasterium, plurimam quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus : « Non legisti, inquit, quid Giezi, quid Simon passi sint? quorum alter accepit pretium, alter obtulit, ut ille venderet gratiam Spiritus Sancti, hic mercaretur? » Cumque Orionus flens diceret : Accipe et da pauperibus; respondit : « Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes; ego qui mea reliqui, cur aliena appetam? multis nomen pauperum occasio avaritiae est; misericordia vero artem non habet. Nemo melius erogat, quam qui sibi nihil reservat. » Tristi autem et in terra jacenti : « Noli, inquit, contristari, fili; quod facio, pro me et pro te facio. Si enim hæc accepero, et ego offendam Deum, et ad te legio revertetur. » Alius dæmoniacus ab Hilarione curatus, simplicitate rustica decem auri libras offerens, ab eo panem hordeaceum accepit, dicente : « Qui tali cibo aluntur, aurum pro luto ducunt. » Ita D. Hieronymus in *Vita S. Hilarionis*.

Cum in Sicilia de primoribus quidam, tumens morbo intercutis, eodem die quo ad Hilarionem

Vers. 12.
Sancti
munera
contem-
pserunt.
Exem-
pla.

venerat, sanatus esset, postea ei offerens infinita munera, audivit ab Hilarione dictum Salvatoris ad discipulos : « *Gratis accepistis, gratis date.* » Ita D. Hieronymus ibidem.

Cum Eusebius eunuchus auri summam vim Liberio Pontifici Romano, a Constantio Caesare exsulare jusso, ejusdem Caesaris mandato, causa commeatus attulisset, recusavit Liberius, addens : « *Tu ecclesias orbis terrae expilasti, et jam mihi ut damnato et egenti affers eleemosynam? Abi primum, et christianus ipse fias.* » Ita Theodore-tus, lib. II *Eccles. Histor.*, cap. XVI.

Cum Christi virtute domum quamdam a peste liberasset S. Martinus, centum argenti libras pro honorario munere obtulerunt : quas cum recipere detrectaret, discipuli ejus, id ægre ferentes, suæ dicebant inopie ea pecunia succurri potuisse, nec temere tantum munus egenis fuisse abiciendum. Ad quæ respondit ille : « *Ecclesia Christi nos vestit, et pascit. Gratis accepistis, gratis date.* » Ita Severus Sulpitius, *Dialog. III.*

Rursum Daniel hic exemplum dedit consiliariis principum, ut munera contemnant. Felices principes qui tales vel habent, vel asciscunt consiliarios. Plato nullum præstantius prædiorum genus principibus esse dicebat, quam familiaritates eorum qui cauponari nescirent.

Vers. 21. 21. COR EJUS CUM BESTIIS POSITUM EST, — habuit cor, id est phantasiam, et appetitum non tam humanum, quam bestiale; ideoque fugiebat homines, et appetebat versari cum bestiis; unde de facto ad eas exxit, cum iisque versatus est.

Vers. 23. 23. QUI HABET FLATUM (halitum, spiritum vitalem, ipsamque vitam) TUUM IN MANU SUA. — Quis ergo non timeat Deum, in cuius manu est halitus vita, anima, æternitas, salvatio et damnatio nostra?

Vers. 24. 24. IDCIRCO AB EO MISSUS EST ARTICULUS MANUS, — hoc est manus cum digitis et articulis se moventibus et scribentibus, ut dicitur vers. 5.

Nota : Chaldaice est פָּסָד יְדָא passa di ieda, id est particula, vel, ut Pagninus vertit, palma manus, scilicet truncata a brachio. Ita Vatablus. Alii per *articulum manus* accipiunt digitum, quasi in pariete non tota manus, sed solus digitus apparuerit scribens. Unde Syrus vertit : *In eadem hora egressi sunt digiti manus hominis, et scribunt contra lucernam;* et Arabicus Alexandrinus : *In illa hora egressi sunt digiti manuum e pariete contra lucernam super calice, rege vidente ad palmam hominis scribentem.* Ubi tamen ultimis verbis indicat fuisse integrum palmam et manum, idque uti concinnius, ita et verius videtur, idque diserte asserit Arabicus Antiochenus : *In illa hora, inquit, exxit palma manus, et digiti hominis e pariete, scribens ex adverso lucernæ.* Id ipsum clare dicitur vers. 5 : « *Et rex aspiciebat articulos manus scribentis.* » Nota quod Syrus et Arabicus dicunt hos digitos et manum egressos e pariete aulæ et cœnaculi, in quo rex in sacris vasis potabat : inde enim

egreditur pœna, ubi committitur culpa. Unde et Arabicus Alexandrinus addit, *super calice, etc., scribentem.*

Nota : Hæc manus significat justitiam Dei, quæ vigil cuique peccatori intendit et incumbit, atque Balsasarem vita, viribus et regno truncavit : hæc enim omnium operum hominis est conscientia, judex et vindicta, nihilque inultum relinquit, et tarditatem supplicii gravitate compensat. Symbolice, manus est synderesis, per quam Deus in cujusque conscientia propria peccata et pœnas ita describit, ut velit nolit ea videat. Quam verum fuit in Balsasare et Nabuchodonosore illud : « *Fortuna vitrea est, dum splendet frangitur!* »

25. QUA DIGESTA EST. — Chaldaice, quæ exarata Vers. 25. est, ac consequenter ordinata, ut vertunt Septuaginta.

MANE, THECEL, PHARES. — Syrus vertit : *Mno, Tekal, et Pharsin.* Hæc est interpretatio verbi (sermonis) *Mno* : numeravit Deus ipsum regnum tuum, et tradidit illud. *Tekal, appendit; appensus es in statera, et inventus es deficiens; Phras, divisit; divisum est (scissum est) regnum tuum, et datum est Mediae et Persidi.* Posset quoque verti, *phras*, id est expandit, et prædæ hostium exposuit. Vaticanus codex legit, *mno mne*, id est numeravit numeratum, quod Hebræi dicunt, numerando numeravit, id est plene planeque numeravit regnum tuum, ita ut ipsum omnino sit numeratum, nihilque ex eo numerandum supersit. Sic etiam hæc vox *mno*, in Arabico textu semper duplicatur et repetitur. Unde Arabicus Antiochenus sic habet : *Computu numeratum est, et pondere appensum est, et divisum est. Et hæc modo est interpretatio: Numerando computatus est numerus, quia Deus comprehendit regnum tuum et tradidit illud. Et pondere appensus es in statera, et inventus es deficiens. Divisum est; divisum est regnum tuum, et datum est Mediae et Persidi.* Arabicus Alexandrinus sic habet : *Numeravit, numeravit Deus regnum tuum, appensum, numeratum. Et hæc est modo interpretatio: Numeratum equidem jam Deus tulit regnum tuum, et tradidit illud aliis præter te. Appensum vero: quia appensus es in statera, et inventus es minus habere de bono. Divisum est regnum tuum, et datum est Mediae et Persidi.* Porro ipsa originalis scriptura Chaldaica, sive ipsissima scripturæ verba sic habent : מִנְאָתָקָל מִנְאָתָרְכָּי mene mene, tekel, upharsin : numeravit, numeravit (id est exactissime et certissime numeravit), appendit, et dividentes, scilicet sunt, id est dividunt regnum tuum Persæ et Medi. Pro upharsin, vers. 28, habetur פֶּרֶם peres, id est divisit, hoc est jamjam certo dividet Deus regnum tuum, hocque aptius respondet duobus aliis præteritis. Notat Fernandius, *vision. XXIII, τὸ numeravit, innuere breves fore dies regis: ea enim quorum est copia, non solemus numerare, sed ea quorum est paucitas et inopia.* Hinc illud : « *Pauperis est numerare pecus.* »

Secundo, verti potest per imperativum : nume-

Manus symbolum iustitiae et vindictæ Dei.

ra, numera; appende, et dividentes, scilicet sint. Hæc enim manus dictat sententiam Dei. Unde imperat dicens : *Numera, appende, divide.* Verum quia sententia Dei est efficax, et mox sua jussa exsequitur; hinc numera idem est quod numeravit; appende, id est appendit; divide, id est dividit.

Nota : *Upharsin* verti potest primo, et *dividentes*; secundo, et *Persæ*; *Pharsin* enim sunt *Persæ*, q. d. *Persæ* instant tibi, o Balsasar! qui cum Medis divident regnum tuum. Ita Arias Montanus. Sic filius *Judeæ*, frater gemellus *Zaræ*, ab obstetricie vocatus est *Phares*. Dixit enim eo nascente ante *Zaran* : « Quare divisa est propter te maceria? » *Gen. cap. xxxviii*, 29.

Vers. 26. 26. **NUMERAVIT DEUS REGNUM TUUM** (annos scilicet regni tui et imperii Chaldaeorum, eosque numerando) **COMPLEVIT**, — id est *primo*, deprehendit esse completos : hic enim est septuagesimus et ultimus annus imperio Chaldaeorum præstitutus a Deo, per *Jeremiam*, cap. *xxix*, 10. **Secundo**, « complevit, » id est suo decreto statuit ut jam compleantur et finiantur.

Audi similia portenta. *Judex* quidam Antiochenus, pridie quam periret *Julianus Apostata*, juxta prætorium excubans, vidi congeriem stellarum, quæ litteras in hanc sententiam exprimebant : « *Hodie Julianus in Perside occiditur.* » Ita *Zonaras*.

Supra limen Adrianopolitani palatii inter alia signa hieroglyphica, inventus est versiculus, qui significaret quemdam ex Palæologorum familia brevi moritum. *Michael, Andronici imperatoris filius, paulo post ibidem mortuus est.* Ita *Gregoras*, lib. VII.

Rursum, quod hoc proprie pertinet, *Dario Hysaspis Babylonem obsidenti*, cum eam expugnare non posset, *Zopyri mula peperit*. Unde *Zopyrus* omni capienda urbis accepit : audierat enim a quodam *Babylonio* urbem expugnandam, cum mula pareret. Mutilavit ergo se fœde, itaque transfugit ad *Babylonios*, mentiens se a *Dario* ita mutilatum; quare dux exercitus et murorum custos ab eis creatus, urbem *Dario* tradidit. Ita *Herodus*, lib. III.

Xerxe cum tot copiis Græciam invadente : « *Equa leporem enixa est, quod facile erat ad conjectandum; fore enim ut Xerxes exercitum adversus Græciam cum maximo strepitu, et ambitiosissime duceret, rursusque pro seipso sollicitus ad eumdem locum fuga recurreret.* Alterum ei quoque prodigium Sardibus exhibitum est : mula enim mulum edidit, » inquit *Herodotus*, lib. VII.

Ita *Nero* in *OEdipode* fabula, quam novissimam recitavit, in hoc versu decidit :

Θανάτειν μὲν ἀνωγεῖ σύνγαμος, μητὴρ, πατὴρ.
Jussit mori me mater, uxor, et pater.

Nam et *OEdipus* patrem occiderat insciens, ma-

trem uxorem duxerat : ita *Nero* sciens *Claudium patrem* occiderat, matrem constupratam interficerat, et *Octaviam* uxorem indignis modis tractaverat. Ita *Suetonius* in *Nerone*.

Simile est, sed felicius quod narrat *Plutarchus* in *Reg. Apophth. de Dionyso tyranno*, quod, cum magistratus per litteras sorte crearentur, et ipsi contigisset littera *μ* : dicenti cuidam per jocum *μωρόλογίσσει*, id est *stulta efferes*, *Dionysi*; imo, inquit, *μοναρχήσω*, monarcha ero, et adeptus magistratum protinus electus est *Imperator* a *Syrcusanis*. Magni animi erat, quod illo joco non offendetur, contentus omen litteræ secus interpretari, hocque viam ei ad imperium stravit.

Simili modo, sed significatione et sorte meliore, *S. Henrico Bavariae* duci, marito *S. Cunegundi* apparuit *S. Wolfgangus*, ac in pariete ei scriptum ostendit, *Post sex. Henricus* putans post sex dies, deinde post sex hebdomades, deinde post sex menses, demum post sex annos se moritum, parabat se ad mortem. Verum eventus declaravit felicius aliquid ei portendi, scilicet imperium : nam post sex annos creatus est *imperator*. Ita habet *Vita S. Henrici*, cap. II, quam edidit noster *Gretserius* in *Sanctis Bambergensis*.

27. **TEKEL.** — *Hebræi* dicunt *sakal*, id est appendit, ponderavit : unde dictus est *siclus*. Veteres enim monetam appendebant ad pondus, ut *siclus* habebat pondus quatuor drachmarum. *Chaldae* enim in multis nominibus Hebraicis pro *schin* substituunt *tau*, scilicet pro *σ* ponunt *τ* : ut pro *sekel* dicunt *tekel*, pro *schelas telas*.

APPENSUS ES IN STATERA, ET INVENTUS ES MINUS HABENS, — « *Minus* » scilicet dierum, quam ætas naturaque tua postulabat : ante diem enim naturalis mortis, in robore ætatis violenta morte abripieris, inquit *S. Hieronymus* et *Maldonatus*. Verum hæc ætas juvenilis non solet a Deo appendi in statera.

Dico ergo : Alludit ad monetam levioris ponderis, quæ ieiici solet, q. d. Appensa sunt in statera, et, ut *Chaldaice* est, in bilance divinae justitiae et examinis, opera tua, bona et mala, o *Balsasar!* atque inventus es habere minus probitatis et bonorum operum; plurimum vera habere superbiæ, crapulæ, et iniquitatis ; ergo non meritis amplius regnare, aut vivere. Unde *Arabicus Alexandrinus* verlit : *Inventus es minus habere de bono.*

Notat *Theodoreetus* nihil esse apud Deum, quod non ponderetur, adeoque Dei misericordiam et lenitatem certo pondere et mensura hominibus adhiberi. Unde dicitur *Sapient. xi*, 21 : « *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* » Proprie vero Deus in statera judicii sui, bene et male facta appendit. Unde *Job* cap. VI, 2 : « *Utinam, ait, appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera!* » Vide et *Matth. cap. xxiii*, vers. 32. Sic *Virgilius*, lib. XII *Aeneid.*, Jovem de *Aeneæ* et Turni

Versio 8
Henrici
post sex.

fatis ac sortibus ita juste judicantem inducit :

Juppiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, et fata imponit diversa duorum :
Quem damnet labor, et quo vergat pondere lethum.

In state- Jam in statera hac Dei sola virtus habet pon-
ra Dei dus : neque enim Deus ponderat, vel æstimat au-
sola vir- rum, argentum, principatus, prælaturas, etc.,
tus ba- quæ apud homines sunt in pretio, ab iisque pon-
bet pon- derantur; sed solum ponderat justitiam, id est
dus. virtutes et bona opera : hæ enim æternum gloriæ
pondus operantur. Unde Proverb. vi, 2, dicitur :
« Spirituum ponderator est Dominus. » In hac
appendi optabat S. Job, dicens, cap. xxxi, 6 :
« Appendat me in statera justa, » hebr. *justitiae*,
« et sciat Deus simplicitatem meam. » Quocirca
Balsasar, carens justitia et virtutibus, in statera
Dei cum omni sua pompa et gloria appensus, in-
ventus est minus habens, id est levis et vanus.
Hinc regno et vita exclusus audit : « Divisum est
regnum tuum, » quia ipse per impietatem a Deo
se divisorat. Unde Psalm. lxI, 10, dicitur : « Men-
daces filii hominum in stateris, ut decipient ipsi
de vanitate in idipsum ; » vel, ut alii vertunt :
Mendaces filii hominum si ponantur in stateris, ipsi
pariter leviores sunt vanitate, q. d. Illa est morta-
lium et mundanorum vanitas et fallacia, ut si in
altera lance constituantur ipsi, in altera vero ip-
sissima vanitas et inanitas, ea sine dubio præ-
ponderabit.

Equita- Rursum statera hæc symbolum est exactæ
tis hiero- æquitatis et justitiae : hinc apud veteres Romanos
glyphi- æquitatis imago erat virgo quædam, tenens sinis-
cum. tra hastam, dextera justam stateram, ut videre
est in nummis Galbæ, Vitellii et Vespasiani. Hi
enim imperatores, ut significarent se esse æqui-
tatis studiosos, eam in nummis suis sculpi cura-
runt. Sic ante Romanos Græci veteres pingebant
justitiam quasi virginem, quæ sinistra bilancem,
dextra gladium tenebat, quasi violatæ justitiae
vindicem. Unde Orpheus in hymnis apud Sto-
bæum sic eam alloquitur : « O justissima dea
mortalibus, beata, optabilis ! quæ semper justis
hominibus propter bonitatem gaudens, vene-
randa, felicissima, gloriosa justitia, quæ pura
semper mente digna cuique distribuis, ut integra
conscientia fruens ; semper autem communis
omnes, quoquot stateram tuam non subeunt,
sed ultra ipsam lancibus duris inexplebiliter de-
clinant. » Hoc est quod ait Sapiens, Prov. xvi, 11 :
« Pondus et statera judicia Domini sunt. » Et
Isaias cap. xxviii, 17 : « Ponam in pondere judi-
cium, et justitiam in mensura. » Et cap. xxvii, 8 :
« In mensura contra mensuram, cum abjecta fue-
rit, judicabis eam. »

Deus ergo justissimam et fidelissimam habet
stateram, in qua Balsasaris vitam et merita pon-
deravit, atque omnium nostrum ponderabit. Hinc
Abbas Georgius apud Sophronium in *Prato spiri-
tuali* : « Væ, ait, nobis, fratres ! quia nullam

habemus compunctionem; sed in negligentia vi-
vimus, cum ira Dei comprehendat nos, et in tru-
tinis simus ut judicemur ; ac sequenti die appa-
ruit ignis in cœlo, » index et minax hujus trutinæ.

Sic Petrus Telonarius æger in somnis vidit om-
nes actus suos in statera appendi a Mauris et Can-
didatis; cumque Mauri in unam lancem omnia
ejus peccata, quæ a juventute commiserat, et
quorum erat ille oblitus, imponerent; Candidati
nihil invenientes aliud, unum panem, quem ipse
indignans pauperi dederat, in alteram lancem
imposuerunt : itaque æqualitas facta est; tunc
que dixerunt ei : « Vade et auge ad panem hunc;
nam vere Æthiopes isti apprehendent te. » Unde
evigilans mutavit vitam, et ex avaro factus est
summus eleemosynarius, ut etiam proprio cor-
pori non parceret. Ita habetur in *Vita S. Joannis
Eleemosynarii* scripta a Leontio.

Petri Te-
lonarii
actus ap-
pensi in
statera.

Sic merita S. Henrici Imperatoris qui fuit ma-
ritus S. Cunegundis, cum eaque cælebs vixit, S. Henri-
ci merita
appensa
in state-
ra.

post mortem appensa sunt in statera inter ange-
los et dæmones, cumque lances alternatim attol-
lerentur et deprimerentur ejus meritis et deme-
ritis, supervenit S. Laurentius, qui litem dire-
mit. Nam domo ab Henrico accepta, et sue ec-
clesie collata, in lancem alteram meritorum ejus
imposuit : quo factum est ut illa gravior effecta,
alteram in altum efferret, eique præponderaret,
atque hoc modo angeli victores evaserunt, ani-
mamque Henrici dæmonibus ereptam in suum
consortium abduxerunt. Res hæc fuse narratur in
Vita S. Henrici, cap. xxviii.

Sed audi Caroli Magni merita in statera ap-
pensa. Rem narrat Joannes Turpinus; Archiepis- Et Caro-
copus Rhemensis, in *Vita Caroli*, cap. xxxII : li Ma-
gni.
« Cum, inquit, apud Viennam in ecclesia ante
altare, die quadam raptus in extasi, precibus
insisterem, tetrorum agmina innumerabilia mi-
litum ante me præterire, ac versus Lotharingiam
tendere agnovi. Qui cum omnes pertransirent, in-
tuitus sum quemdam illorum Æthiopi consimi-
lem, retro lento gradu alios insequentem. Cui
dixi : Quo tenditis ? Aquisgranum, inquit, ad
Caroli mortem tendimus, ut ejus spiritum ad tar-
tara rapiamus. Cui dixi : Adjuro te per nomen
Domini Dei nostri Jesu Christi, ut peracto itinere
tuæ dispositionis, ad me reverti non renuas. Tunc
modicum commorati, vix expleto psalmo, eodem
ordine ad me redierunt, et dixi novissimo, cui
prius locutus fueram : Quid egistis ? Et dæmon :
Gallicianus, inquit, sine capite, tot ac tantos la-
pides ac ligna basilicarum suarum in statera sus-
pendit, quod magis appenderunt bona, quam ejus
mala, et idcirco ejus animam a nobis abstulit.
Et, his dictis, dæmon evanuit ; itaque intellexi
eadem die Carolum ex hac luce migrasse, et sub-
sidiis B. Jacobi, cuius ecclesias multas ædifica-
verat, ad superna merito regna subiectum. »
Subdit deinde visionis confirmationem : « Trans-
actis post ejus mortem diebus quindecim, per

nuntium didici, ab ipso tempore, quo ab Hispania recesserat, usque ad diem mortis suæ illum assidue ægrotasse, atque eadem die et hora, qua visionem ego videram, scilicet quinto Kalendas februarii, anno Domini 814, ab hac vita mi-grasse, et apud Aquisgranum in B. Mariæ basilica rotunda, quam ipse ædificaverat, honorifice sepultum fuisse. » Ita auctor hic, penes quem sit fides; nam inscribit se Turpinum Rhemensem Archiepiscopum, utpote quem constat ante Carolum Magnum esse defunctum. Quocirca Papyrus Massonus censet libellum hunc ab homine otioso esse conscriptum in gratiam juventutis paulo post Carolum Calvum: ejus tamen versio servatur in Bibliotheca regia in Gallia. Hinc et Cardinalis Baronius, anno Christi 814, agens de morte Caroli Magni, Antonius Possevinus in *Bibliothe.*, in nomine *Turpinus*, et alii, eum vocant fabulosum, imo mendacii insimulant.

Vers. 28. 28. DIVISUM EST REGNUM TUUM, — jam jam, puta hac nocte: regnum tuum a te separatum et ablatum, dividetur inter Medos et Persas. Audite hæc, ebrii, audite, temulenti, qui assidetis mensis, gaudetis, ridetis, canitis, potatis; omnia vobis læta sunt, omnia jucunda: at non videtis exten-tam Dei manum super vos. « Mane, » numeravit Deus vitam tuam, et brevi complebit illam, forsan in hac hora, forsan in hac ebrietate tua. Deus ab æterno decrevit tibi diem et horam mortis: dixit: Ista hora, isto momento morieris: forte hæc ipsa est hora tua fatalis. « Tekel, » appensus es in statera, et inventus es habere minus sobrietatis, minus rationis, minus virtutis; multum vero crapulæ, multum amentiæ, multum vitiorum. « Phares, » divisum est regnum tuum, divisus es ipse tu; corpus tuum dabitur vermis devorandum, anima dæmonibus: bona tua rapient vel heredes perversi, vel executores cupidi, vel superiores iniqui. Vide quibus corpus tuum saginasti; vide quibus tanto labore opes per fas et nefas coacervasti.

Tropologice, hæc tria, inquit Pererius, sunt peccatoribus horrenda: primo, « mane, » scilicet numerus vitæ, id est mors; secundo, « tekel, » id est judicium; tertio, « phares, » id est infernus, quo a Deo, cœlo, Sanctis et vita æterna in æternum dividimur et separamur.

Hæc tria imminent cervici cujusque: interim cæci homines comessantur, luxuriantur, saltant, tripudiant; et hunc gladium capiti suo incum-bentem non timent, quia non vident. Narrat Gregorius Turonensis, lib. V *Histor. Franc.* in fine, S. Salvium sibi dixisse: « Videsne super hoc tec-tum quæ ego suspicio? cui ego: Video super tegulum quod nuper rex poni præcepit. At ille, alta trahens suspiria, ait: Video ego evaginatum iræ divinæ gladium super domum hanc dependentem. Nec eum visio fefellit; nam post dies vi-ginti duo filii regis, quos superius mortuos scrip-simus, obierunt. »

Refert Cicero, *V Tuscul.*, quod Dionysius tyran-nus Damocli assentatori illius beatam fortunam sæpe commemoranti, declaraverit quantus terror semper regibus et tyrannis, etiamsi felicissimi esse videantur, impendeat, hac ratione: collo-cari jussit hominem in aureo lecto et pulcherri-mis stragulis, abacosque complures ornavit ar-gento auroque cælato: tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque illi ad nutum ministrare: aderant unguenta, cor-onæ, incendebantur odores, mensæ conquisi-tissimis epulis extrubabantur. Fortunatus sibi Da-mocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgen-tem gladium e lacunari, seta equina appensum demitti jussit, ut impenderet illius beati cervici-bus. Tum ille expavescere, et totus in gladium intendere: jam nec pulchros ministros aspicie-bat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam; jam ipsæ coronæ desflue-bant. Demum exoravit tyrannum ut abire liceret, quod jam beatus esse nollet. Hoc sibi applicent omnes voluptuarii, cumque in mediis sunt epulis et luxuriis, rhompheam divinæ justitiæ ac ge-hennæ sibi impendentem intueantur: itaque dis-cant voluptates noxias aspernari et frenare.

Denique ex eo quod Daniel « mane, tekel, pha-res, » sic est interpretatus, ut singula verba per singulas exponeret sententias, videntur Rabbini prisci cabalisticum interpretandi et scribendi modum adinvenisse, quo non tantum integras S. Scripturæ sententias explanant, sed etiam syl-labas, et singulas quasque litteras separatim ex-pendunt, quasi in singulis lateat aliiquid myste-rii; ita ut cabala sensim in superstitionem et odium abierit. Rursum modum scribendi per rasce tebot, id est per initia dictionum, ut v. g. נְכָבֵד, idem sit quod berescit bara elohim, id est in principio creavit Deus. Hinc ab Hebræis idem accepisse Romanos, scilicet modum scribendi per notas (quibus notarii in tribunalibus scribe-bant singula dicta judicium et martyrum) censet noster Raderus in lib. XIV *Martial. epigr.* 202, et alii: non ergo Cicero, nec Mæcenas, ut aliqui vo-lunt, sed longe ante eos Hebræi hujus scriptoris fuere inventores.

29. INDUTUS EST DANIEL PURPURA. — Purpura et Vers. 29. torques aurea erant olim insignia regum, ut patet ex libris Machab. Honorat adeo Danielem rex, licet mali diei nuntium, vel quia putabat hanc cladem remotam, et diu differendam esse; vel ut per Danielem Deum placaret, clademque aver-teret. Ita S. Hieronymus.

QUOD NABERET POTESTATEM TERTIUS IN REGNO. — Scilicet primus in regno erat rex, secundus regina, tertius Daniel, inquit Maldonatus (1). Aliter S. Hieronymus, q. d. Fecit ut Daniel esset tristata, sive triumvir, puta ut esset unus e tribus regni prin-

Gladius
Damocli
inueni-
beus.

(1) Vel potius primus locus regis, alter filii regis, ter-tius primi satrapum.

cipibus : sic enim paulo post Darius Medus tres toti regno præfecit, ut patet cap. vi, 2.

Vers. 30. 30. EADEM NOCTE. — Non anni ejusdem, sed sequentis, inquit ex Guevara Alcazar in *Apoc. XVI*, vers. 12, not. 2. Quippe eadem nocte quotannis convivari consueverant Chaldæi, pervigilium agentes cuiquam deorum; quale Livius, lib. XXIII, Campanos celebrasse commemorat, cum Gracchus eos invasit simul omnibus portis. Verum contextus ipse innuit, mox eadem nocte ejusdem anni captam esse Babylonem. Tò enim *eadem nocte* referendum est ad « Mane, Tekel, Phares, » q. d. Eadem nocte ejusdem convivii, qua rex videt manum vindicem, contra se scribebent sententiam mortis, interfectus est. Nec enim solet sententia, præsertim adeo efficax et miraculosa, ad annum differri : nec verisimile est Cyrum cum tantis copiis per totum annum et amplius obse-disse Babylonem. Nec obstat, quod « prædicatum sit de eo (Daniele), quod potestatem haberet tertius in regno suo » (Balsasaris). Id enim inter magnates, qui mille in convivio aderant, ibidem eadem nocte jussu regis prædicatum et proclamatum est. Solent enim exemplares castigationes Dei, præsertim circa sacrilegos (qualis hæc erat), esse subitæ et repentinae.

INTERFECTUS EST BALSASAR, — capta a Cyro Babylone. Falsum ergo est quod ex Berozo scribit Josephus, lib. I *Contra Apion.*, Cyrum, capta Babylone, regem Balsasarem (quem ipse Nabonnedum vocat) benigne accepisse, eique ad habitandum Carmaniam assignasse.

Tradunt Xenophon lib. VII, et Herodotus lib. I, et ex eis Rupertus hic cap. XVIII, S. Thomas, Opusc. *De Regin. princip.* lib. III, cap. VII, Perierius

Cyrus ce-pit Ba-bylo-neum di-verte-a-do Eu-phratem. hic, Guevara in *Habacuc*, cap. II, 7, Alcazar, *Apoc. cap. XVI*, 12, et passim Interpretæ, Cyrum ob-siden-tem Babylonem circa eam multas fossas fe-cisse, et eo die quo sciebat Babylonios festum acturos, et se inebriaturos, subito de nocte, com-

potantibus et bacchantibus Chaldæis, in eas fos-sas derivasse Euphratrem, qui Babylonem inter-fluit, itaque per siccum jam Euphratis alveum Persas in urbem penetrasse. Non præcaverunt id Babylonii, putantes hoc factu esse impossibile. Nam, ut ait Xenophon, « Euphratis latitudo est plusquam ad duo stadia, et profunditas tanta, ut nec duo viri alter super alterum stantes, super aquam emineant. » Ex alia parte Babylone innu-merabilis erat propugnatorum multitudo : muri autem ipsi quinquaginta cubitos in latitudinem, ducentos in altitudinem patebant. Videns ergo Cyrus urbem terra esse inexpugnabilem, per flu-men eam aggressus est die festo et convivali. Quocirca potentes Chaldæos prævidens et irri-dens Isaias, cap. XXI, vers. 5, ait : « Pone men-sam, contemplare in specula comedentes et bi-bentes, surgite, principes, arripite clypeum, » hostis adest, Cyrus urbem ingreditur. Addit Xeno-phon duos fuisse transfugas Babylonios apud

Cyrum, Gadatam et Gobriam, quorum ductu Cyri milites in regiam noctu ducti sint, interfictis quicumque occurrabant, iis tantum servatis, qui syriace loquerentur (Judæis) trucidatisque pri-mum regis custodibus, ipsum deinde regem interemisse. Ita cecidit Babylon illa inclyta : fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens gloria Teu-crorum.

Capta est Babylon anno primo monarchiæ Cyri, qui fuit annus mundi 3417. Illo ergo anno Balsa-sar fecit hoc convivium, vidi manum scriben-tem, occisus est, etc. Porro Cyrus ob hanc Danie-lis de se prophetiam præsentem, et aliam præ-cedentem ab Isaia, cap. XLV, 1, ante 200 annos de se editam, inquit Josephus, Judæos e Babylonica captivitate liberavit, I *Esdre* I, 1.

Cyrus fa-vit Da-nieli et Judæis ob ejus de se va-ticinia.

Nota : In hac urbis clade servatus est Daniel, tum Dei providentia, tum quia ejus virtus et sa-pientia jam ubique erant celebres, ut patet *Ezech.* cap. XXVIII, 3 (sic enim M. Marcellus in Syracu-sarum expugnatione, Archimedem nobilissimum malhematicum servari præcepit); tum quia illico percrebuit ejus vaticinium de nece Balsasaris, nec dubium quin id statim Darius et Cyrus intel-lexerint : jusserunt ergo eum quasi vatem suum servari, sicut Nabuzardan jussit servari Jeremiam, cap. XL, eo quod Judæorum excidium per Chal-dæos prædixisset.

Denique Aristoteles in *Politiciis*, lib. III, cap. II, sic ait : « Capta cum esset ab hostibus Babylon, ferunt partem aliquam ejus civitatis tertia die nondum aliquid sensisse. » Idem accedit Cayro, sive Memphi, sæculo præcedenti, cum a Selymo Turcarum rege expugnata est : quin et Selymus eam, licet captam, ingredi non est ausus.

Vide hic quantum peccatum sit sacrilegium, quamque Deus puniat profanatores rerum sacra-rum, et cultui suo dicatarum : ob hoc enim Bal-sasarem hic punivit vitæ, urbis et monarchiæ excidio.

Quocirca pie et sancte S. Stephanus Papa (qui vixit tempore S. Cypriani, et sub Valeriano glo-riosum obiit martyrium anno Domini 260), sanxit ut vasa et vestimenta sacra non nisi a sacrificiis hominibus ferantur, idque confirmat hoc Balsasaris exemplo. Sic enim decernit, *Deconsecr. dist. 4*, cap. *Vestimenta* : « Vestimenta Ecclesiæ, in qui-bus Domino ministratur, et sacra debent esse et honesta; quibus aliis usibus non debent frui, quam ecclesiasticis et Deo dignis officiis; quæ nec ab aliis debent contingi aut offerri, nisi a sa-cratis hominibus; ne ultiq; quæ Balsasar regem percussit, super hoc transgredientes veniat, et corruere faciat eos ad ima. »

Allegorice, Rupertus in *Daniel. cap. IX*, docet, quod per Babylonis excidium significetur de-structio totius civitatis diaboli, futura in die judi-cii, de qua dicitur *Apocal. XVIII* : « Cecidit, ceci-dit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum, etc. : quia de vino iræ fornicationis ejus

biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illa fornicati sunt. »

Vers. 31. **31. ET DARIUS MEDUS SUCCESSIT IN REGNUM.** — « Darius, » scilicet cum Cyro nepote suo. Ita omnes græci historici; Daniel tamen hic, et Isaías, cap. xiii, 17, et Jeremias, cap. li, 11, id tribuunt uni Dario et Medis : quia Darius erat dignior, eratque avunculus Cyri, tuncque Medi erant potentes : Cyrus autem sub eo Persis prærerat, sed ætate, animo et viribus pollens. Ita S. Hieronymus. Perperam Massoretæ, historiarum gentilium imperiti, pro *Darius*, punctaverunt *Dariaves*, et pro *Cyrus Cores*. Darius persice idem est quod ἐρέεις, id est *coercitor*, ait Herodotus, lib. VI.

Quis Darius Medus? Respondebat, primo, Theodoreetus fuisse Nabuchodonosoris ex filia nepotem. Secundo, Joannes Annus et sententia Joannes Lucidus post suum Megasthenem, putant fuisse Darium Hystaspis. Tertio, alii dicunt fuisse Cyrus. Quarto, Scaliger, lib. VI *Emend. temp.*, putat fuisse Nabonitum, qui, inquit, ex communi principum consensu suffectus fuit Labosordacho, nepoti Nabuchodonosoris ex filia Nitocride. Hunc enim Labosordach censem fuisse Balsasar, quo interfecto, a populo electum creatumque esse regem Nabonitum, huncque esse Darium Medium, qui 17 annis regnarit, donec Cyrus eum regno Babylonie exutum, in Carmaniam relegavit. Verum Darium Medium una cum Cyro expugnasse Babylonem, et occidisse Balsasarem, ac consequenter Medos et Persas non per successionem, nec per electionem, sed per vim simul occupasse imperium Babylonis, docet Daniel hic vers. 28 : « Divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis. » Et vers. 30 : « Eadem nocte interfec-
tus est Balsasar, » utique a Medis et Persis paulo ante nominatis. Unde mox subdit : « Et Darius Medus successit in regnum. » Idem docet Isaías, cap. xiii et cap. xxi, 2 : « Ascende, ait, Elam; obside (Babylonem), Mede. » Et vers. 7 : « Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, et ascensorem cameli, » puta Cyrus regem Persarum, et Darium regem Medorum. Et vers. 9 : « Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum (puta Cyrus Medo-Perses), et respondit et dixit : Cecidit, cecidit Babylon. » Idem docet Jeremias cap. li, et communiter Interpretæ. Quinto, Eusebius putat fuisse Astyagem, avum Cyri : huic sententiæ favet cap. xiii, vers. ult. Verum dico hunc Darium fuisse filium Astyagis : nam Astyagem præter filiam Mandanem, quæ fuit mater Cyri, etiam filium habuisse, licet Herodotus et alii negent (forte quia eum non habuit ex regina, sed ex secundaria uxore; aut quia, ut vult Tornielius, adoptivus ejus, non naturalis fuit filius); docet tamen idipsum Xenophon in *Cyri pædia*, qui hunc filium vocat Cyaxarem, aitque eum ultimum fuisse regem Medorum (1). Hic sane vide-

tur esse Darius Medus, dictus a Xenophonte Cyaxares; a Septuaginta Artaxerxes. Ita Tornielius in *Chronol.*, Pererius, Maldonatus et alii passim, sequentes S. Hieronymum et Josephum lib. XI *Antiq. cap. xii.* Consequenter verius est, quod ait Xenophon, Astyagem naturaliter obiisse, Cyro adhuc existente puerō, quam quod Herodotus asserit, eum a Cyro victum et regno expulsum esse. Ex hoc enim loco patet Cyrum cum avunculo Dario, ac consequenter cum familia Astyagis valde fuisse conjunctum. Porro Darius, vel, ut Ctesias, Αζραῖος, quod propius accedit ad nomenclaturam Persicam, idem est quod ἐρέεις, id est *coercitor*, qui alios premit et coercet; sicut Xerxes, idem est quod bellator : Artaxerxes, magnus bellator, ait Herodotus lib. VI, et ex eo Scaliger, lib. VI.

ANNOS NATUS SEXAGINTA DUOS. — Tradunt Hebrei in *Seder olam*, id est in *Chronologia mundi*, et ex eis Genebrardus in *Chronol.*, hunc Darium natum esse eodem anno quo Nabuchodonosor vastavit Jerusalem et templum, ut hujus sceleris esset ultius et vindicta, ac Babylonem cum monarchia everteret. Quod intellige de anno quo Nabuchodonosor cepit obsidere Jerusalem, qui fuit annus regni ejus 16; biennium enim illam obsecdit, ac tandem eam expugnavit anno regni sui 18, ut patet *Jerem. cap. lii*, 4 et 29. Id ita esse patet. Nam annus 62 Darii fuit pariter 1 Cyri, quo soluta est captivitas Babylonica, ac proinde idem ejusdem captivitatis fuit 70 et ultimus. Porro hi 70 anni inchoantur ab anno 8 Nabuchodonosoris, quo ipse occidit Joakim, eique substituit Joachin filium, quem post tres menses abduxit in Babylonem, uti dixi *Jerem. cap. xxv et xxix*. Jam ab anno 8 Nabuchodonosoris usque ad 16 ejusdem, quo natus est Darius, intercedunt anni octo, quos adde ad 62 Darii, et præcise habebis annos 70 captivitatis Babylonicae.

Ubi nota quam oculus divinæ Providentiae sit sublimis et pervigil, ut delinquenti illico tortorem creet et destinet. Ita notarunt chronologi, eodem die quo in Anglia natus est Pelagius hæresiarcha, in Africa natum esse S. Augustinum, qui Pelagio a Deo parabatur antagonistæ et bellator. Ita eodem anno 1521, quo Lutherus publice hæresin professus est, S. P. N. Ignatius Pompeiopoli vulneratus nuntium seculo remisit, sacramque militiam inchoavit, quem Deus ducem Societatis Jesu contra Lutheranos decertaturæ destinabat. Ita Ribadeneira in ejus Vita, XII, xviii.

« Darius Assueri filius, » de semine Medorum, alias intelligi nequit, quam Cyaxares II Xenophontis, Medorum rex, filius Astyagis, Cyri avunculus, et mox sacer, cuius auspiciis bellum gestum erat contra Assyrios qui dicuntur, sive Babylonios. Cyaxares hic, hujus nominis secundus, successit Balsasari. Alias de Dario Medo Danielis sententias minus probandas expenderunt. Campeg. Vitrunga in *Observatt. S. Script. lib. VI, cap. iv et v*, et Bertholdtius in *Excursu IV de Dario Medo*, interpretationi suæ hujus libri vernaculæ adjunctæ.

(1) Et revera Darius ille Medus, qui infra ix, 1, vocatur

Quinta. Sesta et vera fuisse filium Astyagis, qui fuit Cyri, et Cyri avunculus.

et Cyri avunculus.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Satrapæ invidentes Danieli præfecturam, ei dolum struunt per edictum regis. Unde Daniel, vers. 16, quia Deum adorat, in lacum leonum mittitur, sed manet illæsus : hinc rex, vers. 24, accusatores Danielis in eundem lacum conjici jubet, sancitque ut omnes paveant Deum Danielis.

1. Placuit Dario, et constituit super regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo. 2. Et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat : ut satrapæ illis redderent rationem, et rex non sustineret molestiam. 3. Igitur Daniel superabat omnes principes et satrapas : quia spiritus Dei amplior erat in illo. 4. Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum : unde principes et satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis : nullamque causam et suspicionem reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo. 5. Dixerunt ergo viri illi: Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui. 6. Tunc principes et satrapæ surripuerunt regi, et sic locuti sunt ei: Dari rex, in æternum vive : 7. consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus, et satrapæ, senatores, et judices, ut decretum imperatorum exeat, et edictum : Ut omnis qui petierit aliquam petitionem a quocumque deo et homine , usque ad triginta dies, nisi a te, rex, mittatur in lacum leonum. 8. Nunc itaque, rex, confirma sententiam, et scribe decretum, ut non immutetur quod statutum est a Medis et Persis, nec prævaricari cuiquam liceat. 9. Porro rex Darius proposuit edictum, et statuit. 10. Quod cum Daniel comperisset, id est constitutam legem , ingressus est domum suam : et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo , sicut et ante facere consueverat. 11. Viri ergo illi curiosius inquirentes invenerunt Danielem orantem et obsecrantem Deum suum. 12. Et accedentes locuti sunt regi super edicto : Rex , numquid non constituisti , ut omnis homo , qui rogaret quemquam de diis et hominibus usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum ? Ad quos respondens rex, ait : Verus est sermo, juxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet. 13. Tunc respondentes dixerunt coram rege : Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua, et de edicto quod constituisti : sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. 14. Quod verbum cum audisset rex , satis contristatus est : et pro Daniele posuit cor ut liberaret eum , et usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum. 15. Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei : Scito, rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum , quod constituerit rex , non liceat immutari. 16. Tunc rex præcepit, et adduxerunt Danielem , et miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli : Deus tuus , quem colis semper , ipse liberabit te. 17. Allatusque est lapis unus, et positus est super os laci : quem obsignavit rex annulo suo, et annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. 18. Et abiit rex in domum suam, et dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper et somnus recessit ab eo. 19. Tunc rex primo diluculo consurgens , festinus ad lacum leonum perrexit : 20. appropinquansque lacui , Danielem voce lacrymabili inclamavit, et affatus est eum : Daniel, serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putasne valuit te liberare a leonibus? 21. Et Daniel regi respondens, ait : Rex, in æternum vive: 22. Deus meus misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi : quia coram eo justitia inventa est in me; sed et coram te , rex, delictum non feci. 23. Tunc vehementer rex gavisus est super eo , et Danielem præcepit educi de

lacu : eductusque est Daniel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. 24. Jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem : et in lacum leonum missi sunt, ipsi, et filii, et uxores eorum : et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt. 25. Tunc Darius rex scripsit universis populis, tribubus, et linguis, habitantibus in universa terra : Pax vobis multiplicetur. 26. A me constitutum est decretum, ut in universo imperio et regno meo, tremiscant et paveant Deum Danielis. Ipse est enim Deus vivens, et æternus in sæcula : et regnum ejus non dissipabitur, et potestas ejus usque in æternum. 27. Ipse liberator, atque salvator, faciens signa, et mirabilia in cœlo et in terra : qui liberavit Danielem de lacu leonum. 28. Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ.

Vers. 1. 1. UT ESSENT IN TOTO REGNO SUO — distributi per suas satrapias et provincias. Notat S. Hieronymus ex Josepho Darium, victa Babylone, rediisse in Medium cum Daniele, ibique hæc quæ sequuntur esse gesta : eodem anno mortuus est Darius; unde Daniel ex Media mox videtur remigrasse Babylonem, et ad Cyrus jam monarcham factum, se contulisse.

Vers. 2. 2. ET SUPER EOS PRINCIPES TRES. — Olim apud Medos et Babylonios, Ægyptios et alias, summi post regem erant שָׁלִישׁים schalischim, id est tristatae, sive triumviri, puta tres principes, qui omnibus aliis minoribus principibus præerant : inter eos unus a Dario Medo constitutus fuit Daniel, æque ut a Balsasare constitutus fuerat, cap. v, 29, ut esset tertius in regno.

Vers. 3. 3. SPIRITUS DEI AMPLIOR ERAT IN ILLO. — « Spiritus, » tum sapientiae, tum prudentiae, tum prophetiae, tum orationis, tum justitiae, tum zeli, aliarumque virtutum. Tales querant reges et principes, quos provinciis præficiant : præses enim et « rector sine sapientia et spiritu, est quasi sol sine luce, » quasi avis sine pluma, quasi gubernator navis sine gubernaculo. Hinc Sapiens, cap. vi, 22 : « O reges populi, inquit, diligitе sapientiam, ut in perpetuum regnetis; » et paulo post : « Rex sapiens populi stabilimentum est. »

Vers. 4. 4. UT INVENIRENT DANIELI EX LATERE REGIS. — Ita legunt Romana; sed Chaldæa habent מְלֹכֶת malcuta, id est regni. Jam primo, Hebrei crasse, latus regis, inquiunt, est regina quæ ad regis latus recumbit, quasi hi satrapæ Danielem apud regem suspectum de adulterio cum regina efficere conati sint. « Quærebant ergo occasionem, si in sermone, tactu, nutu, internuntio accusare possent Danielem. Sed nullam causam et suspicionem reperire potuerunt, quia eunuchus erat; unde eum in re stupri arguere non potuerunt, » inquit ex mente Hebræorum S. Hieronymus. Qui et subdit : « Pro suspicionem Theodotion et Aquila ἀπλάκημα interpretati sunt, quæ chaldaice dicitur es-sattha, aut potius scetita : cumque ab Hebræo quærerem quid significaret? respondit vim verbi sonare διέτερη, quam nos illecebram, sive σφάλμα, hoc est errorem dicere possumus. Porro Euripides in

Medea ἀμπλακίας per πεccata, et non per έ, ἀμαρτίας, id est appellat. »

Secundo, Hector Pintus sic exponit, q. d. Quæsierunt occasionem ut Danielem removerent, et ejicerent a latere regis. Unde aliqui codices hic legunt: Quærebant occasionem ut auferrent Danieli ex latere regis.

Tertio, Vatablus : Ex latere, inquit, id est ex Tertio, parte regni, ut scilicet accusarent Danielem, ut reum læssæ majestatis, quasi male administrasset regnum, et edicta regia violasset, ita S. Hieronymus ; aut quod mala fide regiam pecuniam tractasset, inquit Maldonatus.

Verum dico esse hebraismum : nam esse ex latere, idem est quod insidiari; ex insidiis, quasi a latere, aliquem aggredi et prostrernere : qui enim insidianter alteri, ad latus se collocant, ut alterum non advertentem occulte feriant, capiant, vel supplantent, q. d. Hi satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent modos insidiandi Danieli, eumque apud regem calumniandi, et præfectura hac regni dejiciendi. Vide hic quam virtutis comes sit invidia, feriantque summos fulmina montes. Rursum quam verum sit illud : « Omnes qui pie volunt vivere, persecutionem patientur. »

5. NON INVENIEMUS DANIELI HUIC ALIQUAM OCCASIONEM, NISI FORTE IN LEGE DEI SUI. — Nota hic miram integratatem Danielis, qua ita circumspecte fideliter et perfecte regni gubernacula tractabat, ut ejus æmuli nihil in eo vel in speciem possent calumniari. Quare Abbas Pastor in *Vitis Patrum* rogatus a quodam : « Quomodo debet homo conversari? » respondit : « Vidimus Danielem, quia non est inventa accusatio ejus, nisi de servitio quod exhibebat Deo suo. » Rursum vide hic in Daniele, quam in aulis regnet æmulatio, præsertim in eos quos princeps evehit. Exempla hoc sæculo multa vidimus, imo hoc anno 1618, apud omnes fere reges, principes summos gratia et gradu suo excedisse cernimus. Quocirca recte Pythagoras hoc suis documentum dedit : « Quæcumque invidiam pariunt, vitanda putato. » Ita habent aurea ejus carmina, quæ edidit et explicuit Hierocles ejus discipulus. Rursum in Daniele verum est illud Publili : « Fortunam citius reperias quam retineas. »

Quarto
et genui-
ne.

Sapientes sunt, qui præstant illud S. Hieronymi ad Heliodorum : « Nepotianus, ait, primam curam habuit, ut humilitate superaret invidiam; inter coæquales primus in opere, extremus in ordine. » Aulicus ille rogatus : « Quomodo in aula consequissem? Omnibus, » « ait, cedendo, et injurias quaslibet tolerando, imo gratias injuriantibus agendo. » Præclare monet Ausonius, *Exhort. ad modestiam* :

Fortunam reverenter habe quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Quocirca sapiens ille dicebat accedendum esse ad reges et principes, sicut accedimus ad ignem, moderate nimirum. Si enim propius ad ignem accedas, ab eo adureris : si remotius consistas, non calefies. Hac de causa Ptolemæus mathematicorum princeps, invitatus a rege ad prandium, excusavit se, dicens : « Regibus contingit fere quod considerantibus picturas, quæ cum videntur eminus, placent, propinque vero, non dulcescunt. » Ita referitur in ejus Vita, quæ habetur initio *Almagesti*.

Vers. 6. 6. SURRIPIERUNT REGI.— **Regas** hebraice significat tremere; chaldaice vero, significat primo, astare, congregari; unde Septuaginta et Vatablus vertunt: Congregati sunt ad regem; Syrus et Arabiticus: Accesserunt ad regem; secundo, tumultuari; tertio, fremere: unde Joannes et Jacobus vocantur Boanerges, id est filii fremitus, sive tonitrui, *Marti* III, 17; quarto, persuadere, præsertim dolose et insidiose, quod est surripere. Surripuerunt ergo, id est insidiose suggesserunt regi. Perperam ergo Pintus pro *surripuerunt*, corrigendum vult *surrepserunt*.

Morale, Discant hic reges et principes bene examinare, penetrare et pervidere, tum suorum consiliariorum animos, consilia et intentiones; tum leges et decreta, quæ illi suggesterunt, an sint justæ et utilles bono, non suggesterentis, sed publico; nec credant iis, qui ob privata commoda vel odia, suggesterunt ea, quibus regi dedecus, aliis perniciem creant. Discant vicissim consiliarii malum consilium consulti esse pessimum. Ita hi satrapæ in Danielem hanc fabam cudentes in seipso eamdem cuderunt. Discant viros probos et quietos non impune tangi. « Cave quiete sedentem in aulaeis, » inquietabat Sfortia, qui et hoc in insigni gestabat:

Quietum nemo impune lacescit. « Quietum nemo impune lacescit. » Aurea est Plinii vox in *Panegyr. Trajani*: « Discimus, inquit, experimento fidissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum munitio non egere. Frustra se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit; armis enim arma irritantur. » Denique audiant consiliarii id quod Alfonsus Aragoniæ rex dicebat, si sibi contigisset nasci temporibus Romanorum, se constructurum fuisse contra curiam templum Jovi positor, in quo priusquam venirent in senatum Patres conscripti, odium,

amorem, ac privatos omnes affectus deponerent: hi enim sunt qui urbes, reges et regna evertunt ac pessumdat. Ita Panormitanus in *Alfonso*.

7. UT OMNIS QUI PETIERIT ALIQUAM PETITIONEM A Vers. 7. QUOCUMQUE DEO, etc., NISI A TE, REX. — Nota adulationem, ut injustum et impium decretum a rege extorqueant. Suadent enim regi, ut Divinitatis nomen et munus sibi arroget, ut, deo omni excluso, ipse quasi deus solus supplicum vota excipiat, nec patiatur alium deum adiri vel invocari. Juris enim naturæ est, ut quisque, præsertim egens vel afflicitus, Deum invocare possit, imo debeat; et barbarum, imo diabolicum esset hoc vetare. Dum ergo alium deum hic invocari prohibent, ipsum regem pro deo colendum et invocandum censem. Sic deus haberet voluit Domitianus Imperator, quem irridens Philostratus: « Cum, ait, alias propterea accusatum quereretur, quod Tarenti, ubi dominabatur, sacrificans, publicis precibus non addidisset, Domitianum Palladis filium esse: At enim, inquit, arbitraris fortasse Palladem non peperisse, cum semper habita sit virgo. Ignorabat autem (ut opinor) deam ipsam draconem quandoque Atheniensibus peperisse. Nimirum draco erat Domitianus. Idem narrant Quintilianus, lib. III, cap. ix; Suetonius, in *Domitiano*, cap. III; Martialis saepe, et alii, cum illud ejus solitum programma irrident: « Edictum domini deique nostri (1). »

10. CONTRA JERUSALEM. — Hoc, ait S. Hieronymus, est Dei præceptum, *Deuter. XII, 11*, et Salomonis consilium, *III Reg. VIII, 44*, qui contra templum orandum esse admonuit. Sic Ezechias, *Isaiæ XXXVIII, 2*: « Convertit faciem suam ad parietem (qui erat versus templum), et oravit ad Dominum. » Sic David, *Psalm. LXII, 3*: « In terra, ait, deserta, et invia, et in aquosa: sic in Sancto (sicut in sanctuario et templo) apparui tibi, » q. d. Ego David in deserto profugus, ex eo te, Domine, in templo habitantem contemplor, et ad templum conversus te in eo præsentem et præsidem adoro. Ergo videtur Salomon fabricans templum in Jerusalem (quæ in medio terræ habitatæ erat sita, ut ait Ezechiel, cap. v, 5), Deum quasi centrum mundialis sphæræ, et omnium animorum constituisse, ut lineæ et orationes ab hominibus ducerentur in

(1) Si quibusdam incredibile videtur sensatum regem Darium tale edictum dedisse, advertat hoc edictum ab aulicis callide obtentum fuisse Danielis perdendi causa. Prætexebant aulici hoc edictum necessarium esse ad regiam Darii auctoritatem apud Babylonios firmandam, volebantque ut novus rex tanquam divinitas haberetur, quo Babylonii ejus legibus facilis obtemperarent. Darius vero dolum sub aulicorum consilio latenter haud perspexit. Unum ex pulcherrimis Persarum institutis est, aiebat Artabanus Themistocli, quod rex ut imago omnia conservantis Dei honoretur et adoretur (Plutarchus in *Themistocle*). Vide etiam Heeren, *De la politique et du commerce des peuples de l'antiquité*, trad. de W. Suckau, pag. 457 et suiv. Ex quo quisque videt edictum Darii Medi omnino credibile esse (Janssens, *Herm. sacr.*).

templum, ubicumque ipsi existerent; et Deus in templo tanquam in centro præsentem se exhibens, singulorum precibus intendebat, audiebat, exaudiens, uti notavit noster Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. v, num. 35. Templum ergo erat quasi centrum orbis, uti Deus centrum est mundi, hominum et angelorum. Vide hic et imitare constantem pietatem et libertatem Danielis, qui pro ea statum et vitam periculo fidenter exposuit. Merito Aristoteles, I *Ethic.* x, hominem constantem vocat quadratum, quia ad omnem fortunæ jactum impulsusque firmus solidusque in sapientia et virtute consistit, cum alii leves rotentur ut globi.

TRIBUS TEMPORIBUS IN DIE FLECTEBAT GENUA. —

Tria tempora quibus Deo flectenda sunt genua, tertiam, sextam et nonam Ecclesiastica traditio intelligit, eaque colliguntur ex *Actor.* II, 15, et cap. III, 1 et cap. x, 9. Tribus horis, inquit Pintus, orabant Judæi in die, scilicet hora tertia, sexta et nona. Tertia, quia tunc data est lex in Sina: et eadem hora orat Ecclesia, quia tunc datus est Spiritus Sanctus in Pentecoste. Sexta, quia tunc erectus fuit serpens æneus in deserto: eadem orat Ecclesia, quia tunc crucifixus est Christus. Nona, quia tunc petra dedit aquas in Cades; uti et Christi latus in cruce tunc perforatum, sanguinem dedit et aquam.

Addit noster Lorinus in *Actor.* III, 1, Judæos orasse hora sexta, quia tunc lapsus est Adam, ut colligitur ex eo, quod Dominus post meridiem venisse dicitur, ut puniret Adamum. Addunt Hebræi, quia tunc perambulat dæmonium meridianum, quod hominem ad intemperantiam et choleras fervente sole sollicitat, unde in meridie Judæi solent contra illud recitare, *Psalm.* xc: « Qui habitat in adjutorio Altissimi, » ut ab illo liberentur, scilicet « ab incursu et dæmonio meridiano, » ut dicitur vers. 6 illius psalmi.

Audi et S. Hieronymum: « Daniel regis jussa contempnens, et in Deo habens fiduciam, non erat in humili loco, sed in excelsior; et fenestras aperit contra Jerusalem, ubi erat visio pacis. Tria autem sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: tertiam, sextam et nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tercia hora descendit Spiritus Sanctus super Apostolos. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum. Nona Petrus et Joannes pergebant ad templum. » Verum de his alibi. Audi et S. Augustinum in *Sententiis*, num. 203: « Vigor, ait, fiduci christianæ tribus temporibus initiatur, vespere, mane, meridie. Vespere enim Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione: unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam majestatis in Patris dextera considentis. » Et S. Cyprianus, tract. *De Orat. Domin.*, per ternarium horarum putat designari SS. Trinitatem, quam totidem horis colimus et adoramus.

Porro tertia, sexta, nona, computantur ab ortu solis: Hebræi enim diem, uti Romani noctem, dividebant in quatuor horas, et quasi vigilias. Prima erat ab ortu solis usque ad tertiam: durabat ergo hæ horæ tres nostras horas. Prima enim incipiebat ab hora quinta vel sexta (sequor hic computum Belgarum et Transalpinorum), et durabat ad horam nostram nonam: hora nostra nona incipiebat earum tertia, et durabat usque ad nostram duodecimam: tunc enim incipiebat eorum sexta, quæ durabat usque ad nostram tertiam pomeridianam, a qua incipiebat nona eorum, et durabat usque ad vesperam. Unde Lyranus per tria tempora intelligit mane, meridie et vespere.

15. INTELLIGENTES REGEM, — regis voluntatem et intentionem; Chaldaice est: *Congregaverunt se supra regem*, id est quasi facta manu omnes simul regem aggressi sunt, ac pene tumultuati contra eum: hoc enim est *regas*, de quo dixi vers. 6.

Moraliter vide hic in Daniele, quam difficile sit servire aulæ terrestri simul et cœlesti, placere principi et aulicis, et non displicere Deo et angelis: « Nemo, ait Christus, potest duobus dominis servire. » Et: « Non potestis Deo servire et mammonæ, » *Matth.* vi, 24. Scripsit Æneas Sylvius, qui, postea creatus Pontifex, vocatus est Pius II, ad quemdam aulicum librum *De Miseria curiarium*, id est aulicorum, in quo ostendit quanta in aulis sit vanitas, ambitio, invidia, hypocrisis, impuritas: quot curæ, distractiones, servitutes, sollicitudines, metus: quanta inconstantia, mutabilitas, casus, ruinæ, pericula corporis et animæ. Ac tandem ita concludit: « Quæcum ita sint, relinquamus hoc pelagus inquietum, nosque in aliam vitam redigamus. Nam si pacem cupimus, si otium diligimus, si nobis vivere volumus, si salutem animæ quærerimus, fugienda nobis sunt atria regum, et aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis amor aliquis regnat; sed avaritia tantum, libido, crudelitas, crapula, invidia et ambitio dominantur. Quibus vitiis qui sit deditus, nullo se poterit argumento tueri, quin apud viros doctos malus esse convincatur et stultus. Vale, vir, nisi ex curialibus unus essem, meo judicio prudens. Anno salutis 1445. » Praeclare Polybius, lib. V: « Sicut, ait, calculi modo aerei sunt, modo aurei: sic et aulici ad nutum regis nunc beati sunt, nunc miseri. »

Quocirca Agrippa de duobus admonebat virum, qui in aula salvus vivere cuperet. *Primo*, ut difficultatem rerum ipse susciperet. *Secundo*, ut gloriam aliis concederet. Ita Dionysius, lib. XLIX.

Notissima est vox ejus, qui rogatus, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem: « Injurias, inquit, accipiendo et gratias agendo. » Ita Seneca, lib. II *De Ira*, cap. xxxiv.

Diogenes, audiens Callisthenem beatum dici quod esset amicus Alexandri: « Imo, ait, infelix

est qui tum prandet ac cœnat, cum Alexandro videtur. »

Constantinus Imperator eunuchos similesque aulicos vocabat « tineas et sorices palatii, » ait Nicephorus, lib. VIII, cap. xiv. Sicut enim muscae ad mel, ita isti ad opes et delicias aularum advolant.

Quocirca sapienter Horatius, lib. II. *Carminum*, ode x :

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Et Ovidius, lib. III *Tristium*, eleg. IV :

Vive tibi, quantumque potes prælustria vita;
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Seneca in *Hippolyto* :

Fraus sublimi regnat in aula.

Et in *Thyeste* :

Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis saturet quies.
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.

Martialis, *Epigram.* lib. IX :

Nemo suos (haec est aulæ natara potentis),
Sed domini mores Cæsareanus habet.

Prudenter ergo monet Aeneas Sylvius, lib. I *De Gestis Alfonsi*: Illi, ait, aulici plurimum sapiunt, qui, accepto aliquo beneficio vel mediocri, aulæ valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, et periculo se subducunt, in quod curiales frequenter incident, qui veluti sues, ubi saginati sunt, in cœnam domini mactantur. « Est apud Indos, inquit Plinius, herba quædam præcipui odoris, referta minutis serpentibus, quorum ictu protinus moriendum sit. Ita habent principum aulæ quod allectet, sed occultant lethale venenum ni caveas. » Rursum : « Indicæ testudines, meridiano tempore blandiente, gaudent toto dorso per tranquilla fluitare, donec oblitæ sui, solis vapore siccatur cortex, ut mergi nequeant, jamque invitæ natent opportunæ venantium prædae. Ita quidam, spe rerum magnarum allecti, in principum aulas sese conjiciunt, et adeo deliniuntur aulæ deliciis, donec imprudentes eo redigantur, ut non possint, etiamsi velint, in suum otium se recipere. » Ita Plinius, lib. IX, cap. x.

Exstat emblema Alciati, numero 86 :

Vana palatinos quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

Ita Iusus et Iudibrium fortunæ fuerunt in aula Davidis Joab, Saulis Abner, Artaxerxis Aman, Tiberii Sejanus, Constantini Ablavius, Theodosii

Ruffinus, Arcadii Eutropius, Honorii Stilico. Denique Antonius in *Melissa*, serm. 59 : « Sicut, ait, qui valde febricitant, appetitum et robur amittunt : sic qui principum aulas inhabitant, mentem et bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repeatant hoc dictum : Nosce te ipsum. »

16. LIBERABIT TE. — Dicit hoc rex Danieli, tum ut eum consoletur, tum ut se excuset : sperabat ergo Deum illi affore, ut affuerat tribus ejus sociis in fornace Babylonica. Quocirca Rabbini in *Midras Tehillim* in illud *Psalm. LXIII* : « Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor : a timore inimici eripe animam, » de hac Danielis tutela dicunt : *Venit leo, et liberavit leonem de ore leonis.* Leo enim est Deus, de quo Amos, III, 8 : « Leo rugiet, quis non timebit? » Hic liberavit leonem; id est Danielem, qui descendit ex Juda, de quo dixit Jacob, *Gen. XLIX* : « Catulus leonis Juda. » Ita refert Galatinus, lib. V, cap. VIII.

17. QUEM OBSIGNAVIT REX ANNULO SUO, ET ANNULO Vers. 17. OPTIMATUM SUORUM, NE QUID FIERET CONTRA DANIELEM.

— Chaldaeus et Septuaginta, *ne mutaretur res in Danielem*; Vatablus, *ne mutaretur voluntas in Danielem*, id est ne rex, mutata voluntate, Danielem e lacu extraheret. Utrumque videtur verum, scilicet primo, quod rex obsignari lapidem annulo suo, ne optimates, mutata voluntate, Danielem occiderent, præsertim si viderent leones ei parcere, quod futurum timebant. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Secundo, quod optimates quoque obsignarint lapidem annulo suo, ne rex Danielem e lacu eriperet.

22. CONCLUSIT ORA LEONUM. — Notat ex Aristotele, Plinio et Gellio Pererius, leonem naturaliter Leo non homini non nocere, primo, si leoni irruenti caput docet homini in sex casis us. aut oculos pallio aut veste cooperiat. Secundo, si leo sit satur. Tertio, si sit cicur. Quarto, si in eum fueris beneficus. Quinto, si supplex et prostratus jaceas. Adde sexto, si ei ignem aut flammam ostentes : hisce enim percellitur leo. Causam affert Nicolaus Leonicus, *Quæst. natural. Quæst. XX* : « Leonum, ait, vis omnis in oculis esse creditur : quamobrem levi etiam cujusque panni conjectu, operto capite, tanta illa feritas torpescit illico, devinciturque non repugnans. Quo etiam modo a Lysimacho Alexandri jussu simul inclusu strangulatum fuisse leonem ferunt. Ignis autem splendore suo, cum omnium peculiariter perstringit et hebetat oculos, tum eorum maxime qui eos calidiores siccioresque habent, cujusmodi sunt leones. » Denique leonem « terrent rotarum orbes circumacti, currusque inanes, et gallinaceorum cristæ cantusque, » ait Plinius lib. VIII, cap. XVI; perinde ut, visa vipera fugit cervus, audita voce porci fugit elephas, ait Horus, *hieroglyph.* 82 et 83, lib. II. Hinc Megarenses porcos pice oblitos, et mox igne flammatos, in Antipatri elephantos immiserunt, ait Aelianus, lib. XVI, cap. XXXVI. Ita res magnæ a parvis percelluntur, humiliante eas Deo, et ferinam phantasiam edomante. Verum

Angelus quod Danieli non nocuerint leones, fuit miraculum, quia, ut hic dicitur: « Angelus conclusit ora conclusit leonum, » et rictum, ait S. Hieronymus, et unguis; ora leo- num tri- scilicet primo, vi sua ea continendo et compri- pliciter. mendo, ne Danielem mordere possent. Sicut Ra-

Primo. phael ligavit in deserto Aegypti Asmodæum, sci- licet vim aliquam detentivam ei imprimendo: sicut enim corpori aut dæmoni imprimi potest vis motiva, quæ eum e loco suo protrudat et ex- pellat; sic et detentiva, quæ eum in loco suo de-

Secundo. tineat, cique quasi alliget et affigat. Secundo, con- tinuit angelus ora leonum, adimendo eis famem,

Tertio. et cibi Danielisque fastidium in eis concitando.

Tertio, mutando leonum phantasiam, ut appre- hinderent Danielem quasi amicum, vel ut quid formidabile: sicut Aristoteles et Plinius docent leones terreri ad rotas et sonitum curruum, ad galli cristas et cantum; et maxime ad fulgentes ignes. Ecce hic in Daniele verum est illud *Hebr. xi, 33*: « Obturaverunt ora leonum. » Hoc mira- culum castitati Danielis adscribunt, et acceptum referunt S. Hieronymus *Contra Jovinian.*, Epiphanius et Dorotheus in *Vita Danielis*, et Damascenus, licet S. Basilius, illud attribuat ejus jejunio, ut dixi in *Procœmio*. Danielis corpus virginitate ita obduratum est, ut ferarum dentes ei infigi nequi- verint, inquit Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. xxv.

Ita leæna S. Malcho ejus speluncam ingredienti, ob pudicitiam pepercit, imo pro eo dimicavit contra ejus herum et servum, eum persequentes, utrumque occidendo. Testis est S. Hieronymus in *Vita S. Malchi*, qui ait eum pudicitiae tantum conscientia pro muro fuisse septum, ne a leæna læderetur: « Ut sciant virgines et casti, inter gla- dios, et inter deserta, et bestias, pudicitiam nun- quam esse captivam; et hominem christianum posse mori, non posse superari. »

Ita hyæna Pachonem castum servavit et circum- linxit. Testis est Palladius in *Lausiaca*, cap. xxix.

Ita S. Daria, uxor S. Chrysanthi, in lupanar de- trusa, a leone propugnata est, ut habet ejus Vita 25 octobris.

Ita S. Thecla tauris, serpentibus aliisque feris objecta, ab omnibus illæsa permanxit, tutante eam, et feras mansuefaciente ejus castitate. Ita plurimæ aliæ virgines, leonibus et feris objectæ, intactæ ab iis evaserunt. Castitas ergo leones, æque ac ignem, domat et cicurat. Quocirca merito de B. Thecla virgine ignes et leones su- rante, ita cœnit S. Gregorius Nazianzenus in *Præcept. ad virtutem*:

Quis Theclam necis eripuit flammæque periculo?
Quis validos unguis vinxit rabiemque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit sopire leones.

Et S. Ambrosius, lib. II *De Virgin.*: « Thecla, in- quiruit, copulam fugiens nuptialem, et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum, virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras,

cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vi- talia ipsa sævo offerret leoni, fecit ut qui impu- dicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cer- nere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi- muto testificantem sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset. » Audi majora: « Adorabat ergo prædam suam bestia; et propriæ oblita naturæ, naturam induerat quam homines amiserant. Videres quadam naturæ transfusione, homines feritatem indutos, sœvitiam imperare bestiæ: bestiam exosculantem pedes virginis, docere quid homines facere deberent. Tantum ha- bet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur! Docuerunt religionem, dum adorant martyrem; docuerunt etiam castitatem, dum vir- gini nihil aliud nisi plantas exosculantur, de- mersis in terram oculis, tanquam verecundan- tibus ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret. »

Denique, missus est Daniel in lacum leonum, anno primo Darii; ergo Daniel tunc erat anno- rum 98. Patet ex dictis cap. I, 1 et 4.

QUIA CORAM EO (Deo) JUSTITIA INVENTA EST IN ME. — Nota hic in Daniele fuisse justitiam veram: talis enim est quæ est coram Deo, sive in oculis Dei, qui lucidissimi sunt; non falsam et impu- tatum, qualis est Novantium. Respondent illi justitiam hic non generalem, sed particularem accipiendam esse, q. d. Daniel: Ego nihil defrau- davi, sed summa fide pecuniam et negotia regis tractavi. Verum hanc justitiam non hisce, sed sequentibus verbis statuit Daniel; ait enim: « Sed et coram te, rex, delictum non feci. » Huc allu- dit Ezechiel, cap. XIV, 16, cum ait quod Noe, Job et Daniel in justitia sua liberabunt animas suas.

23. QUIA CREDITIT DEO SUO, — quia confisus fuit Vers. 23.

Deo, ejusque providentiae et omnipotentiae se to- tum commisit. Alii, quia fidelis fuit Deo suo. Vere S. Augustinus, tract. 8 in *Epist. S. Joann.* tom. IX: « Subdere, inquit, ei qui supra te est, et infra te erunt illa quibus præpositus es. Quia vero per peccatum homo deseruit eum sub quo esse debuit, subditus est eis supra quæ esse debuit. Intendite quid dicam, Deus, homo, pecora: supra te, Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est, ut agnoscant te quæ infra te sunt: ideoque, cum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt illum supra se leones. Si autem non agnoscis illum qui supra te est, superiorem con- temnis, subderis inferiori. Propterea superbia Aegyptiorum unde domata est? de ranis et mus- cis, *Exodi VIII*. Sed Danielem agnoverunt leones, quia ille subditus Deo erat: agnovit ignis servos Dei, tres viros, quos non ussit, quorum nec ves- timenta corruptit, » *Daniel. III*.

Ita S. Pontianus martyr sub Antonino Impera- tore, Spoleti objectus leonibus rugientibus, orans cum Christo illud *Psalm. xxi*: « Salva me ex ore leonis, ut enarrem nomen tuum, » eos cicuravit, ut ei blandirentur: ac deinde equuleos, flagra,

cærcores, longam in diem, ignes illæsus superavit, dicens : « In Domino confido, non timebo quid faciat mihi homo. » Ita habent ejus Acta 19 januarii. Hac de causa Gentiles olim contra Christianos judicibus succlamabant : « Ad lenonem, non leonem » damnetur virgo christiana : sed illæ eadem spe et ope Dei qua leones, etiam leones superarunt, teste Tertulliano in *Apolog.*, et testes sunt S. Agnes, Lucia, Dorothea, Susanna aliæque plurimæ.

Vers. 24. 24. JUBENTE REGE. — Rex hic exercet talionis pœnam, quæ omni jure æquissima est. Re enim examinata, intellexit rex hostes Danielis sibi imposuisse, et dolose edictum extorsisse, ut Danieli sibi fidissimum et utilissimum e medio tolerent.

Et FILII, ET UXORES. — Quia illi parentes et hæ matritos ad scelus excitarant, adjuverant, aut consenserant, inquit Pintus : alias enim barbarum hoc fuisse regis edictum. Solus enim Deus filios innoxios, ob peccata parentum morte punire potest : unde solos barbaros id olim fecisse, et etiamnum facere legimus.

Addit Josephus, X *Antiq.* xi, Danielis accusatores regi dixisse leones fuisse saturos, ideoque a Daniele abstinuisse ; regem vero, cum plurimum carnis leonibus datum esset, præcepisse ut illi eis objicerentur, ut non alieno, sed suis corporibus experientur, an leones saturitate retardati, an divina potentia impediti, a Daniele abstinuerent. Verum nil tale habet Scriptura. Unde videtur Josephus more suo, suæ gentis historiam narratione, si non vera, verisimili saltem exornare voluisse, inquit Maldonatus.

DONEC, — id est priusquam. Ita Chaldaeus, Vatablus et alii.

Vers. 25. 25. LINGUIS, — nationibus : singulæ enim nationes singulas habent linguas.

Vers. 26. 26. PAVEANT DEUM DANIELIS. — Hinc videtur Darius vere ad Deum fuisse conversus : plus enim præcepit, quam præceperit Nabuchodonosor, cap. III, 98. Ille enim tantum vetuit, ne quis Deum Hebreorum blasphemaret. Ita Maldonatus.

Vers. 27. 27. IN COELO ET IN TERRA. — Qui enim miracula facit in terra, potest similia facere in cœlo : hoc enim miraculo ostendit se esse Deum, ideoque Dominum cœli et terræ.

Vers. 28. 28. PERSEVERAVIT USQUE AD REGNUM DARII. — Chaldaice est חַלְצָה hatslach, prospere egit, id est in magno honore fuit, quamdiu Darii et Cyri regnum duravit, quamdiu regnaverunt Darius et Cyrus. Ita Chaldaeus, Septuaginta, Vatablus et alii. Dicit hoc Daniel, ut historie finem faciat, orditurque prophetiam : nam hæc sex prima capita magis historica sunt quam prophetica; que vero cap. vii et deinceps sequuntur, proprie prophetica sunt.

Moraliter quam felices et gloriosos efficiat constantia in fide et cultu Dei. Ita enim felix et gloriosa riosus evasit hic Daniel et tres pueri, cap. iii,

Eleazarus, et Machabæi, II *Machab.* cap. vi et vii. tantia in Dei cultu.

Inter Christi athletas eminuit S. Basilius. Cum enim præfectus quidam Valentis Imperatoris eum hortaretur, ut tempori cederet, neque tot Ecclesiæ adduceret in discrimen tenui exquisitione dogmatis, promittens illi amicitiam, et multa beneficia, divinus ille vir : « Adolescentulus con-

gruere tales sermones, respondit, nam hos et his similes inhiare hujusmodi rebus; qui vero essent innutriti divinis litteris, eos nullam syllabam illarum in discrimen venire pati posse, solereque,

si res poscat, nullum genus mortis pro illis subendum recusare; Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate; qua remota, perniciosa esse.

» Ferebat hoc ægre præfetus, aiebatque eum desipere. Tum Magnus Basilius : « Utinam sempiterna, inquit, hæc mea sit desipientia ! » Post hoc colloquium occurrit imperatori præfetus, exponitque regi quid dixisset Basilius, et qua esset virtute, ac animi præstantia.

Sed Imperator tacuit, et veniens in urbem compertus divinitus inflictas domui suæ plagas. Ita Theodoretus, lib. IV *Histor. Eccles.* cap. xix. Alia

vice præfetus mortem ei minatus est : at Basilius gratiam se illi eo nomine habere dixit, quippe qui discedere ex tali rerum statu non gravate cuperet. Et cum præfetus amplius eam rem deliberare juberet, Basilius : « Ego quidem, inquit, et hodie et cras idem futurus sum; utinam tu te ipsum non mutasses ! Creatura enim cum sim, creaturam adorare, Deumque esse profiteri in

animum non inducam meum; sed neque religioni vestræ me aggregari sustinebo. Tametsi enim vos regi charissimi, et non minima orbis pars esse existimamini; me tamen minime decet hominibus gratificari, et propterea fidem in Deum parvipendere : quam ego proditus non sum, etiamsi mihi bonorum publicationem, et exsilium, et aliud quidquam gravium ærumnarum, mortemque adeo ipsam mineris : nihil enim rerum talium mœrem mihi afferre potest. Quod si facultates meas expetis ; pannos hosce, et ciliacia, atque libros paucos, qui in mundo mihi sunt, si hos, inquam, adamasti, recipe. Sin ut exsilii causa solum vertam mavis, paratus ad id sum. Exsul vero quomodo ero, qui semper terram quasi peregrinus pererro, et ad regionem aliam vehementer aspiro ? Corpus porro hoc, vel

post primam plagam, sensus omnino expers, et cruciatibus superius prorsus futurum est. » Victor hac Basilius libertate et constantia Imperator quietit. Ita Nicephorus, lib. XI *Histor. cap. xviii.*

Anastasius Imperator Episcopum Oeniandum hortatus est, ut ad suam factionem descisceret, pollicens eum quidquid petiisset illico acceptum. Cui Episcopus : « Tu, inquit, potius ad orthodoxos transi, ne, dum opiniones impiorum hominum Severi, Eutychetis et Dioscori amplecteris, æterno igni addicaris. » Simulque apprehendens Imperatoris chlamydem : « Hæc, ait,

Insignis
Basili
adversus
Valenti
num li
erta

Oeniandi
Episcopi
in fide
catholica
constan
tia.

vestis nequaquam te post mortem sequetur, o Imperator! sed sola comitabitur pietas ac virtutum habitus. Missam fac Ecclesiam, quam Christus suo redemit sanguine. Indoctus es et ratiocinandi ignarus, neque ullum Ecclesiæ decretum perfecte intelligis; tantum imposturis et scurribus calumniis fatuos terres. Satis tibi sit dignitatis, quod Imperator es: Antistites Ecclesiæ vexare noli. » Ad hæc Imperator pudore suffusus obmutuit. Pauperrimus autem cum esset ille Episcopus, ne obolum quidem ab Imperatore voluit accipere: adeo liber erat, et solius in Deum fidei ac pietatis rationem habens, terrena calcans omnia. Ita Cedrenus et Zonaras, tom. III Annal. in *Anastasio*.

B. Cæsarii libertas co-ram Ju- liano A- postata. Julianus Imperator Cæsarium (ut ejusdem frater Gregorius Nazianzenus scriptis prodidit) iis reipublicæ muneribus præfecit, quibus auctoritas et amplitudo inessent: quem nunc verborum lenociniis ac ingentibus promissis, nunc terroribus et minis, cmnique machinarum genere in suum obsequium erroremque trahere conatus est: sed strenuus Christi athleta superior semper e lucta excessit, crucis opprobrio imperii posthabens majestatem. Cum enim non simulatum christiani hominis figmentum, sed verus esset christianus, certo sciebat quam ampli gloriæ laudisque thesauri sub crucis ignominia delitescerent. Ita S. Gregorius Nazianzenus, orat. in *Funere fratris Cæsarii*.

Publia præfecta monialium, transeunte Juliano Apostata, canebat cum suis: « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. » At postquam versus, qui illa sensus omnis expertia esse pronuntiant, recitaverant, istum adjungebant: « Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. » His Julianus cum maxima animi ægritudine auditis, jussit ut, eo progrediente, conticescerent. At Publia, ejus leges parvi aestimans, majori cum alacritate chorum virginum in unum coegit, et illo

prætereunte, denuo cantare mandavit: « Exsurget Deus, et dissipentur inimici ejus, » etc. Itaque tyrannus, graviter commotus, jubet eam quasi magistram chori ad se adduci: quam licet anum propter ætatem ingravescensem cum primis venerandam cerneret; tamen satelliti cuidam dat mandatum, ut utramque malam verberet, et genas cruentet manibus. Illa, hanc contumeliam pro summo honore ducens, domum revertitur, et tyrannum, ut solebat, spiritualibus cantilenis perstringit. Ita Theodoretus, lib. III *Hist. Ecclesiast.* cap. xvii, et Baronius, tom. IV, anno 362.

Quocirca allegorice Rupertus, in *Daniel.* cap. xi, docet Danielem hic fuisse typum Christi patientis: sicut enim Danieli insidiati sunt satrapæ, ita Christo Judæi et scribæ, idque ex invidia. Secundo, sicut satrapæ Danielem ad necem adigere conati sunt per edictum Darii Medi, ita Judæi Christum per sententiam Pilati et Romanorum. Sed sicut Daniele per angelum liberato, gavisus est Darius: ita Christo a mortuis suscitato, et toto orbe prædicato, gavisus est orbis Romanus: « mutavit leges, convertit edicta Romani imperii majestas, » Christumque « prædicari præcepit. » Tertio, sicut Danielis accusatores in lacum missi, mox a leonibus devorati sunt: ita Judæi Christi hostes a Tito eversi sunt.

Anagogice, Daniel e lacu leonum redivivus typus fuit resurrectionis, ejusque quasi prælibatio, ac velut primitiæ. Quocirca mos priscus christianorum fuit, ut in suis sepulcris inter alia resurrectionis symbola, Danielem in lacu inter leones stantem sculperent: exstant ejus rei in veteribus lapidibus complura exempla. Causa fuit, tum quod Daniel cap. XII, resurrectionem omnium clare descripserit; tum quod ipse e lacu leonum liber egrediens, quasi ideam hominis e tumba resurgentis expresserit; ideoque assumptus sit in hieroglyphicum resurrectionis. Ita Baronius, in *Martyrol.* julii die 21.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus Daniel res suas, et gesta ac somnia regum Babyloniorum enarravit: hic vero et deinceps visiones suas enarrat. Itaque hic proprie incipit prophetia Danielis. Hoc ergo capite videt Daniel quatuor bestias, quæ significant quatuor monarchias, et regnum Antichristi. Secundo, vers. 9, videt Deum Patrem, quasi senem, judicantem de Antichristo et de Christo, qui Christo causam et regnum adjudicat. Tertio, vers. 21, describit regnum Antichristi Quarto, vers. 27, describit regnum Christi et Sanctorum, quod omnibus aliis succedit, eritque gloriosum et aeternum.

1. Anno primo Baltassar regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autem capitinis ejus in cubili suo: et somnium scribens, brevi sermone comprehendit: summatimque perstrin-

gens, ait : 2. Videbam in visione mea, nocte, et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. 3. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. 4. Prima quasi leæna, et alas habebat aquilæ : aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor hominis datum est ei. 5. Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit : et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus, et sic dicebant ei : Surge, comedere carnes plurimas. 6. Post hæc aspiciebam, et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quasi avis, quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia, et potestas data est ei. 7. Post hæc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans : dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, et habebat cornua decem. 8. Considerabam cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum : et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus : et ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia. 9. Aspiciebam donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda : thronus ejus flammæ ignis : rotæ ejus ignis accensus. 10. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur a facie ejus. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei : judicium sedit, et libri aperti sunt. 11. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur : et vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni : 12. aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, et tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus et tempus. 13. Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit : et in conspectu ejus obtulerunt eum. 14. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient : potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur. 15. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, et visiones capitum mei conturbaverunt me. 16. Accessi ad unum de assistentibus, et veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, et docuit me : 17. Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. 18. Suscipient autem regnum Sancti Dei altissimi : et obtinebunt regnum usque in sæculum et sæculum sæculorum. 19. Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, et terribilis nimis : dentes et ungues ejus ferrei : comedebat, et comminuebat, et reliqua pedibus suis conculcabat, 20. et de cornibus decem, quæ habebat in capite : et de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua ; et de cornu illo, quod habebat oculos, et os loquens grandia, et majus erat cæteris. 21. Aspiciebam, et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis, 22. donec venit Antiquus dierum, et judicium dedit sanctis Excelsi, et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti. 23. Et sic ait: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, et devorabit universam terram, et concubabit, et comminuet eam. 24. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt : et aliis consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit. 25. Et sermones contra Excelsum loquetur, et sanctos Altissimi conteret : et putabit quod possit mutare tempora, et leges, et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis. 26. Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. 27. Regnum autem, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum Altissimi : cuius regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient. 28. Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, et facies mea mutata est in me : verbum autem in corde meo conservavi.

Vers. 1. **1. ANNO PRIMO BALSASAR.** — Ergo hæc visio Danieli objecta est in captivitate Babylonica, anno 27 ab eversa Jerusalem et templo, ut patet ex dictis cap. v, 1.

Vers. 2. **2. QUATUOR VENTI COELI PUGNABANT IN MARI.** — Mare est mundus. Per mare accipe mundum, qui agitatur, et salsis amarisque fluctibus abundat ut mare, in quo superbia tumidi tolluntur in altum, ut profundius ruant. Ita S. Hieronymus et Rupertus. Per quatuor ventos, vel cum S. Hieronymo, accipe angelos quatuor regnum, de quibus sequitur, præsides; sunt enim angeli ut venti, invisibles et celeres. Unde ait Psaltes: « Qui facit angelos suos spiritus. » Quomodo inter se pro suis regnis pugnent angeli, videbimus cap. x, 13. Vel potius cum Theodoreto accipe tumultus, commotiones et perturbationes, quæ in exordio singulorum horum quatuor regnum exstiterunt. Porro eæ omnes simul hic in visione Danieli repræsentantur, uti et quatuor monarchiæ, licet re ipsa illæ non simul, sed vicissim et successive exstiterint. Venti etiam notant horum regnum inconstantiam, fugacitatem et vicissitudinem. Hinc saepe singulis sæculis, sive centum annis, videmus singula regna in aliam familiam aut gentem transferri, vel valde immutari. Cum angelis ergo e cœlo despice hos ventos.

Ventis sunt tumul-tus. Denique Orosius, lib. II *Hist.* cap. i, et lib. VII, cap. ii, censet quatuor hasce monarchias fuisse sitas in quatuor ventis, id est plagi mundi. Ait enim Romanum imperium esse occidentale; Babylonicum orientale; Macedonicum septentrionale; Carthaginense (hoc enim cum Africano pro Persico substituit, aitque durasse septingentos annos) meridionale: subditque Romanum ab Occidente consurgens hereditate Orientis fuisse nutritum, et Macedonicum ac Carthaginense partes tutoris et curatoris tenuisse: omnia enim imperia in Romanum desierunt et transierunt. Verum de Carthaginensi nulla hic est mentio.

Vers. 3. **3. QUATUOR BESTIAE.** — Hæc significant quatuor regna, ut patet vers. 17. Notant Durandus, Pighius, Driedo, et ex iis Ludovicus Molina, *De justitia*, tract. II, disp. xxiv, hæc imperia assimilari bestiis, non hominibus, quia magna ex parte fuerunt injuste et tyrannice acquisita, æque ac gubernata: « Commune enim vitium monarchiæ est tyrannis, » ait Elias Cretensis in *Apolog. Nazianz.* orat. 1. Et S. Augustinus, lib IV *De Civit.* cap. iv et vi, talia regna vocat magna latrocinia. Monarchæ ergo olim erant magni latrones. Unde piratæ capti ab Alexandro Magno, et rogati quidnam agerent, responderunt se una navi agere cum paucis in parte maris, quod Alexander cum multis agebat in toto mundo; se esse parvos latrones, Alexandrum esse magnum latronem, ut ibidem refert Augustinus. Dicuntur tamen subinde hæc imperia a Deo fuisse data et concessa: primo, quia Deus ea permisit; secundo, quia iis usus est ad Judæorum, et aliarum gentium pu-

nitionem; tertio, nominatum de Cyro dicitur, quod eum Deus creaverit regem; quia eum direxit ad imperium hoc fine, ut ille Judæos e Babylone liberaret.

4. PRIMA QUASI LEÆNA. — Hæc significat primam monarchiam, scilicet Chaldaeorum; et præsertim regnum Nabuchodonosoris, qui mire illud auxit: hic dicitur leæna ob potentiam et ferociam. Leæna enim leone est ferocior, maxime cum catus nutrit. Item ob libidinem: leæna enim, testibus Aristotele et Plinio, semper gestit ad coitum; nec leone contenta, etiam cum hyena et pardo miscetur: inde enim nascuntur leopardi. Sic Jeremias eundem vocat leonem, cap. iv, 7: « Ascendit, inquit, leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit; » et Isaías, cap. v, 29: « Rigitus, inquit, ejus ut leonis. » Huc spectat elegans et acutum ænigma, vel potius epigramma asini:

Ungue equus, aure lepus, leo voce, lupusque colore
Censetur, toto sed capite est asinus.

ET ALAS HABEBAT AQUILÆ. — Rex hic fuit quasi monstrum; partim enim fuit leo ob sævitiam, partim aquila ob celeritatem in bellis conficiendis: nam leo fortissimus est, sed aquila velocior; aquila velocissima est, sed leo fortior. Sic Jeremias cap. iv, 13, de eodem ait: « Velociores aquilis equi illius, » et cap. XLVIII, 40: « Ecce quasi aquila volabit. » Ita Maldonatus.

EVULSAE SUNT ALÆ EJUS. — Primo, S. Hieronymus et Theodoreto hæc tribuunt Balsasari. Huic enim evulsæ sunt alæ, cum occisus est, tumque apparuit non esse leo, sed habere cor hominis, id est esse imbecillis ac mortalis. Secundo, genuine et proprie hæc referenda sunt ad Nabuchodonosorem: huic enim evulsæ sunt alæ, cum ipse spoliatus imperio ad bestias missus est; sed sibi restitutus, rursumque factus homo debilis, stetit erectus, qui ante curvabatur ut bestia: habuitque cor hominis, quia suam agnovit infirmitatem; humanamque egit vitam, cum antea instar feræ ageret, et sæviret ut leo. Licet enim Nabuchodonosor jam esset mortuus (hoc enim somnium habuit Daniel anno primo Balsasaris, qui fuit ejus filius), tamen sub ejus persona vaticinatur de futura regni translatione; eo quod illi primum regni translatio per statuam quadriforum, cap. ii, et per arborem succisam, cap. iv, præsignificata fuerit (1).

(1) « Et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, » ut cum ferarum quadrupedumque more, vultu in terram depresso, prius incederet, jam duobus pedibus humano more insisteret. Porro, quod animal illud, cum antea aquilinis aliis volitaret, nunc, aliis suis privatum, hominis instar duobus pedibus quietum stare cogitur et mitescens, significatur, ut satis recte notat Rosenmuller, Chaldaeos, a Medis Persisque domitos, mansuetius ac humanius agere cœpisse, amissa ferocia illa belluina, quæ in alias nationes antehac desservierant. Quod ipsum et verba quæ subjunguntur indicant: « Et cor hominis da-

Vers. 4.
Chaldaeorum
regnum
compara-
tur le-
na.

Secundum. 5. ET ECCE BESTIA ALIA SIMILIS URSO. — Secunda hæc monarchia est Persarum; et, ut Syrus ac Arabicus vertunt, *Medorum*. Illa comparatur urso: primo, quia ursi patientissimi sunt laborum, et tolerantissimi inediæ; nam, ut docet Aristoteles, lib. VIII *Histor. animal.* cap. xvii, ursi magnam hiemis partem sine ullo pastu cibatuque transiunt, et solo suctu priorum pedum vivunt. Idem ab ursa fieri, quoties plus nimio pinguescit, tradit Ælianus, quo, pinguedine concocta, fiat agilior. Unde illa, auctore Eustathio, in Athenienses emissâ famâ ab irata Diana, quod ursam quæ in Munichio ejus sacello nata fuerat, occidissent, ut ita per inediâ affligerentur, quia animal inediæ patientissimum sustulissent. Tales quoque fuerunt veteres Persæ, teste Xenophonte, et S. Hieronymo hic, scilicet laboriosi, et solo pane ac cardamomo vicitantes.

Secunda. Secundo, quia ursus est infirmo capite et visu: hinc si urgente vi eum præcipitare se ex rupe contingat, capite pedibus cooperito se dejicit: sæpe autem in arena colapho impacto capiti ursorum, eos exanimatos fuisse tradit Plinus, lib. VIII, cap. xxxvi. Ubi et addit oculos in ursis sæpe hebetari; ideo eos alvearia expetere, ut convulneratum os ab apibus levet sanguine gravedinem. Insuper eos somno ita gravari interdum, ut ne vulneribus quidem concisi excitentur; mire autem eo veterno pinguescere, uti et glires dormiendo pinguescunt. Ita et Persæ, non tam prudentia, solertia, vigilantia aut robore, quam innumerabili hominum turba, aut ex ignavia hostium eis præevaluerunt.

Tertia. Tertio, ursi fœtus, inquit Plinius, deformis est, videturque tantum esse caro alba et rufa, sine pilis, sine oculis, sine cruribus; sed mater lambendo sensim eum ita conformat, ut perfectum et formosum reddat. Sic Cyrus, Persas viles et rudes exercendo, per suam prudentiam et artem militarem eos sensim ad imperium provexit.

Quarta. Quarto, ursus sævus est, uti omnes norunt: tales fuerunt et Persæ, utpote barbari. Negat hoc Pererius, sed asserunt S. Hieronymus et Theodoretus. Idque patet ex eorum suppliciis in reos, et in hostes. Nam vel ipsa coria hominibus detrahebant, et membratim corpora secando, lenta et acerba morte necabant. Quam crudeles fuerint Sapores, Isdegerdes, et alii Persarum reges in christianos, docet Theodoretus, lib. V, cap. xviii, et Socrates, lib. VII, cap. xviii. Denique Tomyris, Cyro occiso, exprobavit aviditatem sanguinis, uti mox dicam.

IN PARTE STETIT. — Clare Syrus: *Ad unum la-*

tum est ei. Bertholdius non nisi hoc significari existimat, regnum, quod animalis illius imagine sistitur, esse regnum *humanum*, non divinum, ut illud quod infra, vers. 12, 13, 27, describitur. Verum si id vates humana statura, in quam animal erigendum fuit, designare voluisset, id ipsum et descriptione trium reliquorum quæ sequuntur animalium subjunxit.

tus stetit, q. d. Ad latus unum tantum irruit, scilicet in Babylonios: iis enim a Cyro superatis Persæ potiti sunt imperio. Ita Vatablus. Jam etiam a pluribus sæculis Persarum regnum in parte stat, quia tantum Persidem, Mediam, Assyriam, et pauca alia imperio suo continet. Aliter Hebræi, q. d. Cyrus stetit, id est benignus fuit in unam gentem, puta Hebræos, cum in alias ferox irret. Aliter et Theodoretus, q. d. Regnum Persarum ab Alexandro eversum est; stetit tamen in parte, quia postea sub Romanis caput erexit, stetitque in sola Perside. Verum hæc hoc loco sunt impertinentia. Agitur enim de exordio et incremento regni Persarum (1).

TRES ORDINES ERANT IN ORE EJUS. — S. Hieronymus vertit, *tres versus*; Theodotion, *tria latera*; Theodoretus, *tres alæ*; alii, *tres costæ in ore inter dentes ejus*: ita Syrus et Arabicus; Vatablus, *tres boli*. Significat enim hunc ursum tres ordines non dentium, ut aliqui putant, quasi per eos significetur maxima potentia; sed carnium vel escarum habuisse in ore, quas dentibus (unde Chaldeus, Græca et Vatablus habent, *inter dentes*), mandaret. Unde sequitur: « Surge, comedere carnes plurimas. » Hebræi putant hic significari tres fore reges Persarum, sed falluntur; multo enim plures fuerunt. Dico ergo, hi tres ordines sunt tria imperia, scilicet Babylonicum, Medicum, Persicum, quæ in secunda monarchia a Cyro conjuncta, et in unum redacta sunt. Ita S. Hieronymus (2). Hinc et Theodoretus tres mundi plagas hic intelligit: Cyrus enim domuit Orientem, Cambyses Austrum, puta Ægyptum et Æthiopiam, Darius Hystaspis Septentrionem, puta Scythas.

COMEDE CARNES PLURIMAS, — plurimos interfice. Hinc Tomyris regina Scytharum, cæso Cyro, caput ejus in saccum sanguine plenum injiciens, insultansque dixit: « Satia te, Cyre, sanguine, quem sitiisti, et cujus insatiabilis fuisti. »

Tomyris
insultat
Cyro.

Symbolice, et quasi allegorice, Optatus Milevitanus, lib. III *Contra Parmen.*, per leonem accipit persecutionem fidelium sub Decio et Valeriano imperatoribus, per ursum eam quæ fuit sub Diocletiano et Maximiano: « Omnibus, ait, notum

(1) Verius nobis videtur his verbis « in parte, » εἰς μέρος, ut Septuaginta, vel potius εἰς τὸ μέρος, ad latus unum, ad unam partem, uti Theodotion reddidit, nonnisi hoc significari, Medos ac Persas Babylonis ad latus unum, hoc est ad Orientem, habitasse, eosdemque imperium proxime a Babylonis, quos debellarunt, adeptos esse. Ita et ipse Hieronymus sentit: « Primum erexit se atque invasit unam partem sibi vicinorem, id est regnum Chaldaicum, quo acquisito facile fuit cetera suo imperio subiungere. »

(2) Negat quidem Hengstenberg (*Die Aechtheit des Daniel*, pag. 199 et seqq.), regnum Medorum tanquam regnum peculiare sisti, cum inde a Cyro regnum Medicum-Persicum pro uno regno habitum esset. Sed fuerat Medorum regnum tamen per aliquod tempus, etiamsi breve, peculiare regnum.

est quid eorum operata sit artificiosa crudelitas. Omnis locus templum erat ad scelus (idolatriæ), inquinabantur prope morientes, ignorans polluebatur infantia, a matribus parvi liberi portabantur ad nefas, parentes incruenta parricidia facere cogebantur, alii cogebantur tempa Dei vivi subvertere, alii Christum negare, alii leges divinas incendere, alii thura ponere. »

Tropologice, ursus, qui mellis est avidus, effigiem habet libidinis, quæ voluptates corporis consecutatur. Carnes comedit plurimas, id est carnales homines plurimos. Tres habet dentium ordines, quoniam adolescentes, viros et senes dilaniat, quorum cani sunt, non sensus, sed capilli tantum. Comedit laniatque carnales, molles luxu, non asperos pœnitentia, non castitate et pudicitia armatos. Hi enim dentes ejus non metuunt.

Vers. 6. **Tertium regnum Graco- rum comparatur par-**do. **6. ET ECCE ALIA QUASI PARDUS.** — Tertia haec est monarchia Græcorum et Alexandri, qui pardo comparatur. Nota : Licet Solinus, cap. xxi, pardum et pantheram censeat esse duas et diversas animalium species, tamen Aristoteles, Plinius, Dioscorides, Gaza et alii dicunt esse eamdem speciem, idemque animal. Pardus ergo est panthera aut potius πάνθη (panthera enim sèpius feminam, pardus et panther marem significant), id est plane ferus et sævus. Unde et aconitum παρδαλεῖς vocatur, eo quod pantheras enecet. Pardus ergo primo, est maculosus et varius, ut ait Jeremias cap. XIII, 23. Secundo, ait hic S. Hieronymus, est « velocissimus, præcepse fertur ad sanguinem. » Tertio, est astutus, et oculis ac tota pelle distinctus; itaque partim pellis varietate et pulchritudine, partim odore, ut ait Plinius, animalia ad se allicit (occultans interim caput turpe et horridum) ac devorat, præsertim hinnulos, simias, dorcades et capras sylvestres. Ita Ælianus, Aristoteles, Volaterranus et Gesnerus in *Panthera*. Quarto, pardales vino delectantur : unde forsitan Poetæ fabulantur, eas olim mulieres Bacchi nutrices fuisse; quocirca vino inebriatæ etiam capiuntur. Ita Oppianus et Gesnerus. Quinto, pardus est superbus, aliasque bestias præ se contemnit. Plutarchus, in *Moral.*, refert apogorum de pardo : Cum, inquit, pardus aliquando vulpem præ se contemneret, quod ipse pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatam; respondit vulpes sibi id decoris in animo esse, quod illi esset in cute: neque vero paulo satius esse ingenio præditum esse vafro, quam cute versicolore. Sexto, esto pardi sint sævi et celeres, ac, ut Claudianus ait *Panegyr. VIII*, fulminei, tamen ubi venatorem aut hostem sentiunt viribus sibi parem, sunt meticulosi. Unde pantheræ cor maximum (qui enim parvum habent cor, sunt animosi; qui magnum, timidi) est proportione, ut et reliquis timidis, propter metum maleficii, inquiunt Aristoteles, Plinius et Gesnerus. Animalia enim furacia et rapacia, esto sint audacia in prædam, ta-

men in venatores sunt timida, ob maleficii, puta furti et rapinæ, conscientiam.

Talis per omnia fuit Alexander, nimirum pardus, sive pardalis, ut vertit Theodotion, primo, varius et maculosus, vitiis et virtutibus; secundo, sævus et acer in præliis; tertio, sagax et astutus; quarto, vinolentus; quinto, arrogans; sexto, mixtum audaciæ habuit pudorem et timorem, mixtos quoque habuit fortunæ casus. Nam vivens victoriis fuit felix, moriens vero infelix; utopte qui a suis cum tota sua stirpe sit extinctus (1).

Quatuor aliae significant tum celeritatem victoriarum: nam ipse sex annis totam Asiam, magnamque Africæ et Europæ partem subegit; tum animi magnitudinem, vigorem et ingenium quasi ignivolucre, quod Julio Cæsari dat Plinius, lib. VII, cap. xv; tum ambitionem, qua ut deus quasi filius Jovis Hammonis, coli voluit. Unde et a sacerdote Jovis Hammonis per adulatioñem, salutatus est, ὁ παῦλος Διός, id est οὐρανοῦ Ιούνος! pro eo quod dicere debuisset, ὁ παῦλος, id est οὐρανοῦ Ιούνος! ait Plutarchus. Qui et addit eum, cum sagitta saucius ingenti dolore cruciaretur, exclamasse. « Hic sanguis, amici, qui fluit est humanus, non talis diis ut solitus manare beatis. » Adulabuntur ei in hac sua ambitione Hages et Cleo, inquit Curtius, lib. VIII, qui cœlum illi aperiebant, Herculemque et Liberum, et cum Polluce Castorem novo numini cessuros esse jactabant. Obstitit eis Callisthenes dicens : « Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur divinitas. Prius ab oculis mortalium amolienda est natura, quam in cœlum fama pervehatur. Fac aliquem regem, si deum potes facere: facilius enim est imperium dare, quam cœlum. » Quocirca tandem Callisthenes ab Alexandre occisus est. Quin et moriens Alexander hunc divinitatis fumum ambivit, uti dicam cap. VIII, 8.

Porro Alexandri virtutes cum vitiis ita describit et comparat Curtius, lib. X : « Liquet bona naturæ ejus fuisse vicia vel fortunæ vel æstatis; vis incredibilis animi; laboris patientia prope modum nimia; fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quorum haec sola virtus fuit; liberalitas saepè majora tribuentis quam a diis petuntur; clementia in devictos, tot regna aut redditæ quibus ea dempserat bello, aut dono data: mortis, cuius metus cæteros examinat, perpetua contemptio: gloriæ laudisque ut justo major cupidus, ita ut juveni, et in tantis admittenda rebus: jam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati consecrare decreverat, Philippum ultus erat: jam in omnes fere amicos benignitas, erga milites benevolentia; consilium par magnitudini animi, et quan-

A. exan-
dri ambi-
tio, vir-
tutes et
vitia.

(1) Præterea, ut pardus statura parvus est, sed animo et robore maxime præstans, ita ut cum leone et procerissimis quibusque feris congregari non vereatur; sic Alexander pene regulus, et cum exiguo apparatu regem regum aggredi ausus est.

tam vix capere poterat ejus ætas, solertia : modus immodicarum cupiditatum : veneris intra naturale desiderium usus ; nec ulla nisi ex permisso voluptas, ingentes profecto dotes erant. » Vitia ejus deinde subnectit : « Vitia fortunæ, diis æquare se, et cœlestes honores accersere, et talia suadentibus oraculis credere ; et deditantibus venerari ipsum vehementius quam par esset irasci : in externum habitum mutare corporis cultum : imitari devictarum gentium mores, quas ante victoriam spreverat. Nam iracundiam et cupidinem vini sicuti juventa irritaverat, ita senectus mitigare potuisset. Fatendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ. » Annon ergo pardus varius et maculosus fuit Alexander ? Annon chamæleon qui colorem, habitum et mores gentium a se victarum induit ? Pulchre Tertullianus, lib. *De Pallio* : « Vicerat, ait, Alexander Medicam gentem (Persas), et vicitus est Medica veste : triumphalem cataphractem amolitus, in captiva sarabara processit : pectus squamarum signaculis desculptum, textu pellucido tegendo nudavit, anhelum adhuc ab opere belli, et ut mollius ventilante serico extinxit. Non erat satis animi tumens Macedo, nisi illum etiam vestis inflatior delectasset. » Hinc purpureum diadema albo distinctum, quale Darius gestaverat, capiti circumdedit, et vestem Persicam induit, ait Curtius.

Denique in pardo notatur ingens gloria Alexandri, quam sibi ex tot gentium subjugatione comparavit : hauc enim figurat variegata, et ocellis quasi interstincta pardi pellis, « quæ facit eas bestias memorables, » ait Solinus cap. *xxi*. Sicut ergo inter aves pavo ob caudam versicolorem et ocellatam, inanem mundi gloriam mire exprimit : ita inter feras eamdem optime repræsentat pardus ocellis variegatus. Et sicut pavo in pennis superbit, in pedibus se dejicit : ubi enim suos despicit pedes, speciosum plumarum orbem deprimit, expansumque contrahit : sic et pardus in ocellis superbit ; at ubi pedes bestiales intuetur, fastum ponit. Ita et Alexander animos et cristas dejecit, cum pedes hominis intuitus, fragilem sese et mortalem in morte agnovit. Ita Alcazar in *Apocal.* cap. *III*, 12, pag. 685.

ET QUATUOR CAPITA. — Hi sunt quatuor præcipui Alexandri duces, quibus et imperium divisit, scilicet Philippus, cui cessit Macedonia ; Antigonus, cui cessit Asia Minor ; Seleucus, cui Syria ; Ptolemæus Lagi, cui Ægyptus. Ita S. Hieronymus et passim alii.

ET POTESTAS DATA EST EI. — Indicat Alexandrum non tam suis viribus, quam Dei dono suam monarchiam constituturum.

7. ET ECCE BESTIA QUARTA TERRIBILIS ATQUE MIRABILIS. — Est hæc quarta Romanorum monarchia. Vedit Daniel certam bestiam, sed nobis incognitam, quia eam non exprimit, idque ut significet incomparabilem potentiam et ferociam Romano-

rum, cui significandæ nulla species bestiæ nobis ^{tia inco-}gnita.

rum, cui significandæ nulla species bestiæ nobis ^{tia inco-}gnita. Quare more suo divinat, imo nugantur Rabbini, dum hanc bestiam volunt fuisse aprum illum de quo *Psalm. LXXIX*, 14 : « Exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam. » Quo loco prædicti putant excidium Judææ per Romanos sub Vespasiano, ut is ipse sit aper ; sylva autem sit Roma, quam ante conversionem ad Christum recte S. Leo in serm. *De S. Petro*, vocat sylvam frementium bestiarum. Verum errant : nec enim aper sævior est leæna, urso et pardo (1).

(1) Sententiam quæ per quartam bestiam imperium Romanum significari perhibet, refutavit Jo. Christoph. Beamanus in *Dissert. de Monarchia quarta*; quam primum prodiit Francofurti ad Oderam, 1671, et quartum in ejusdem *Dissert. Academ.* volumine uno, 1674. Subiuncta quoque legitur ejus *Meditationibus politicis*, 1679. Observat Beamanus, intelligenda esse in hoc Danielis vaticinio imperia talia, quæ Ecclesiæ veteris, id est reipublicæ Judaicæ, statum in protectione sua habuerint : quia, inquit, sicut Spiritus Sanctus per totum sacrum Codicem intentio est, Ecclesiam suam informare, ita eadem in his vaticiniis præsumitur fuisse, ut futuræ Ecclesiæ suæ fata prædiceret. Nec abludit Cornelii a Lapide ratio, addit Rosenmuller, quam in suo ad Danielis cap. II commentario reddit, cum quæsivisset, cur aliorum regnum æque potentium, uti Tartarorum, Chinensium, Turcarum, non meminerit Daniel : « quia Daniel, inquit, et Judæi quatuor imperia fere tantum cognoverunt, eorumque potentiam et tyrannidem experti sunt. » Et mox : « Horum tantum seriem pertexit hic Daniel, utpote quæ sola ad se et ad historiam suæ gentis, puta synagogæ Dei, pertinerent. » Romanum imperium autem non esse monarchiam quartam, animali vers. 7 descripto significatam, Beamanus probat *primum* inde, quod Romani prioribus tribus monarchiis non successerunt. Euphrates enim ut plurimum imperii eorum terminus fatalis fuit, quem prudentiores imperatores ipsi statuerunt. Jam vero trans Euphratem magna pars imperii priorum monarchiarum sita erat, quam quia in suam ditionem Romani reddere non potuerunt, nec novam monarchiam condidisse dici possunt. Ut enim imperio alicui novum successisse dicatur, non sufficit ut novum istud in amplitudinem aliquam diffundatur, sed oportet etiam ut prius ab hoc vincatur, cedatque victæ nationis et nomen et imperium in nationem victricem, tanquam prædominantem. Ideo Babylonii, cum monarchia exciderent, cesserunt victi victoribus Fersis, nationi prædominanti, et Persicum imperium non ante deletum dici poterat, quam Alexander Magnus, subjugata natione Persica, illud in græcam nationem transferret. Parthi autem e contrario orbem quasi ex æquo monachiam tenuerunt, ac proinde a Romanis nec victi, nec hi in locum eorum successisse, eoque nec jus monarchiae ibi olim fundatæ in se transtulisse dici possunt. **Detinde**, pergit Beamanus, Romanorum imperio nequaquam quadrat, quod de animalis hic descripti decem cornubus, quæ totidem significant reges (vers. 24), dicitur. Quinam vero decem illi reges in Romano imperio fuerint, nequaquam demonstrari poterit.

Cuinam igitur regno congruant quæcumque de quarto animali, sive imperio dicuntur, alii regno successorum Alexandri Magni, ut Rosenmuller in annotatione ad vers. 24 hujus cap., et Calmetus in *Comment.* ad hoc caput, satis probabiliter explicant. Alii de imperio Turcarum, inter quos venerabilis Holzhauser in *Interpret. Apocalyps.* cap. *xiii*, ubi S. Joannes Danielem imitatur in descrip-

Porro Daniel quartæ hujus bestiæ speciem et nomen non exprimit, quia varia fuit et monstrosa: ut significaret Romanorum regimen fore novum et varium. *Primo* enim reges illud administrarunt; *secundo*, consules; *tertio*, decemviri; *quarto*, rursus consules, additusque dictator; *quinto*, imperatores, consulibus et tribunis remanentibus. Itaque una monstrosa respublika ex monarchia, aristocratia et democracia conflata est, quæ non unum imperium, sed omnia orbis imperia complexa est, ita ut « Roma esset quasi compendio mundus, » ut ait S. Cyprianus, *epist. 45*. Talis bestia, sed fabulosa est illa apud Lucretium, lib. V:

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

Et illa apud Virgilium, IV Georg.:

Aut ubi fit subito sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, et fulva cervice leæna.

Talis fuit et sphinx, cuius speciem triformem, æque ac ænigma ab ea propositum ita describit Ausonius in *Grypho ternario*:

Illa etiam thalamos per tria ænigmata quærens,
Qui bipes, et quadrupes foret, et triples, omnia solus:
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo triformis:
Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Porro hoc sphingis ænigma Oedipus solvit: Homo; ait, significatur, qui primum infans manibus pedibusque repit, ut quadrupes: firmior deinde et grandior, incedit bipes: demum senex et imbecillus, tanquam triples, baculo innixus graditur. Homo ergo mane est quadrupes, meridie bipes, vesperi triples.

Nota: Daniel hanc bestiam, puta Romanorum monarchiam, vocat *primo*, terribilem; *secundo*, mirabilem, id est stupendam et horribilem; hoc enim est Chaldæum צְדָקָה emtani; unde et Theodotion vertit, φερόν καὶ ἔκθημον; *tertio*, valde fortis; *quarto*, ait eam habuisse dentes ferreos et magnos, id est magnos fortisque exercitus: bestiæ enim arma sunt dentes. *Quinto*, vocat bestiam comedentem, atque comminuentem, id est discerpentem; quod homines quasi devorare videretur. *Sexto*, dicit eam reliqua quæ non comedit et discerpsit, pedibus conculcasse, ut faciunt bestiæ, quæ homines non comedunt, nec occidunt, sed conculcant: quo significat fore ut Romani, quos non occiderint, tributis subigant. *Septimo*, dicit eam decem cornua habuisse, id est decem reges potentes (uti ait angelus vers. 24, et S. Joannes, *Apocal. xvii, 12*), qui erunt sub

tione animalis, quod e mari ascendere vidit. Sententiae quæ hic regnum Seleucidarum et Lagidarum significari credit, libenter adstipularemur, si non paululum retraheret nos communis interpretatio, et ea tantum conditione, ut vers. 24 de Antiocho Epiphane aliquo modo sumptus ut de Antichristi præcursori non nisi de ipso Antichristo, in sensu proprio et proximo intelligatur.

finem mundi ante judicium, uti innuit angelus, vers. 26 et vers. 9 ac 13. Vide dicta *Apocal. xvii, 12*.

8. ET ECCE CORNU ALIUD PARVULUM ORTUM EST DE MEDIO EORUM. — *Primo*, Porphyrius apud S. Hieronymum, censuit hoc cornu fuisse Antiochum Epiphanem; sed hic in tertia fuit Græcorum monarchia: Daniel vero modo agit de quarta Romanorum.

Secundo, Judæi volunt hoc cornu esse Christum, qui tribus annis cum dimidio prædicavit: hic bellum fecit cum Sanctis, inquiunt, quia legem Mosis et Judæorum evertit. Sed hæc blasphemia est, stolida æque ac impia. Nam si ita est, cur ergo post mortem Christi non regnant Judæi? hoc enim de Sanctis contra quos cornu illud pugnavit, asserit hic Daniel, vers. 18 et 27. Imo vero cur post necem Christi Judæi a Tito sunt excisi? Cur Christi regnum post ejus necem magis flouruit, totumque orbem sibi subegit? contrarium enim plane prophetat de cornu hoc Daniel.

Tertio, Lutherani per hoc cornu accipiunt Romanum Pontificem; sed insulse et absurde, ut fatetur ipse Calvinus: neendum enim decem cornua, et multo minus hoc undecimum, nata sunt; sed adhuc nascitura exspectantur.

Quarto, per hoc cornu Vatablus et alii intelligunt Turcam, qui parvis initis crescents, duo cornua, id est duo regna, puta Constantinopolitanum, et Ægypti, superavit; superest tertium cornu ei superandum. Aut tria hæc regna sunt Asiæ, Africæ et Ægypti, quæ ipse jam occupavit. Huc pertinet Joannis Ahni et Hectoris Pinti sententia, cornu hoc esse Mahometem. Verum nec Turca, nec Mahomet decem cornua evertit, nec tantum tribus annis cum dimidio regnavit, sed pluribus; nec adhuc nasciturus, sed jam pridem natus est.

« Ergo dicamus, ait S. Hieronymus, quod omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum Romanorum destruendum est, decem futuros reges, » quasi decem cornua, qui orientur quidem ex Romano imperio, sed non erunt Romani imperatores « qui orbem Romanum inter se dividunt, » tumque « undecimum » cornu parvum, id est « regem parvulum surrecturum » (scilicet Antichristum) obscuro loco natum, et plebeium, « qui » sensim crescents, « tres reges de » illis « decem superaturus est, » scilicet « regem Ægypti, regem Africæ, et regem Æthiopiæ, quibus interfectis etiam reliqui septem reges illi victori colla submittent, » ut dicitur vers. 24. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Irenæus, lib. V, et Lactantius, lib. VII, cap. xvi, Josephus Acosta, lib. II *De Tempor. noviss. cap. ix*, Ribera, et passim Interpretes tam hic quam *Apocal. XIII et XVII*. Unus dubitat S. Augustinus, lib. XX *De Civit. xxiii*, an decem reges non vocentur omnes reges, ut numerus finitus ponatur pro indefinito; eo quod suo tempore distinctio et divisio imperii, tantum

Vers. 8.
Cornu
modicum
quod?
Prima
sententia
esse An-
tiochum
Epipha-
neum.
Secunda,
esse
Chris-
tum.

Tertia,
esse Pa-
pam.

Quarta,
esse Tur-
cam.

Quinta,
et vera
esse Au-
tichris-
tum.

Orientis et Occidentis, a Cæsaribus facta esset : erant enim duo tantum orbis imperatores, et quasi reges. Unde verebatur Augustinus ne forte in hisce decem regibus eos exspectantes falleremur ; quia videbatur ei Antichristus non longe abesse ; nec videbat quomodo tam cito duplex regnum in decuplex scinderetur. Verum hoc jam vereri non debemus, cum de facto idipsum videamus, atque in orbe facile decem, imo plures reges absolutos, nullique subjectos numeremus. Hinc rursum sequitur errare eos, qui per decem reges accipiunt decem imperatores romanos, qui olim persecuti sunt Ecclesiam, scilicet Neronem, Domitianum, Trajanum, Antoninum, Severum, Aurelianum, Decium, Maximianum, Valerianum et Diocletianum. Nam hi decem reges erunt in fine mundi, et tres ex eis occidet Antichristus, mox reliqui septem territi ei se subdent. Explicari enim nequit quomodo Nero, Decius, Severus, aut quis alius illorum decem primorum imperatorum ab Antichristo conterendus sit. Jam, an Roma a decem regibus evertenda sit ante Antichristum, an sub Antichristo, disserui et resolvi *Apocal.* cap. xvii, 16.

Oculi hominis, quid?

Porro dicitur rex ille habiturus « oculos hominis, » ne diabolum fore putemus, ut aliqui putarunt; sed hominem, in quo totus Satanus habitaturus est corporaliter. Ita S. Hieronymus. Secundo et melius, oculi hominis significant humanam sapientiam et prudentiam Antichristi, qua multos seducet; inquit Theodoreetus; item humanitatis virtutisque simulationem, qua multos allicit. Maldonatus vero putat per oculos notari superbiam antichristi : hæc enim in oculis maxime appareat. Habebit etiam « os loquens ingentia, » quia erit homo peccati, filius perditionis, ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum. *Mystice* vide S. Gregorium, lib. XXXII *Moral.* cap. XII.

Hinc patet Antichristum nondum venisse, tum quia hæc decem cornua, quorum tria a cornu parvulo contrita sint, nondum visa sunt; tum quia Angelus, vers. 26, indicat eum venturum in fine mundi, et per Christum occidendum esse, « ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. » Unde S. Paulus ait quod Christus eum interficiet spiritu oris sui. Vide dicta II *Thessal.* II, 3 et sequent.

*Vers. 9.
Quinta,
regnum
Christi
glorio-
sum.*

9. ASPICIEBAM DONEC THRONI POSITI SUNT. — Nota : Post quatuor monarchias Daniel hic, æque ut cap. II, 44, describit regnum Christi, quod illis succedit in fine mundi : depingit ergo Daniel hic Dei majestatem, quasi de Christo et Antichristo judicantem, causamque Christo adjudicantem, illique regnum tradentem : regnum, inquam, non tantum spirituale, uti cap. II, 44, sed et corporale, puta gloriosum, quando post quatuor monarchias, et regnum Antichristi eversum, Christus in die judicii hostibus, puta reprobis, in ignem æternum retrusis, accipiet a Patre regnum sta-

bile, quo in cœlo et in terra in omnem æternitatem regnabit.

Symbolice, thronus significat Dei *primo*, maiestatem; *secundo*, regnum et imperium; *tertio*, potestatem judicariam; *quarto*, immobilitatem et immutabilitatem, uti docet S. Dionysius, *De Divin. Nomin.* cap. IX.

Nota : Hi throni ponuntur Deo Patri; ipse enim est hic judec : plures autem sunt, ut ipse in aliis Christum regem quasi inaugurandum, ejusque Apostolos constitutus; aut potius, ut per plures thronos major sanctiorque majestas Dei judicis repræsentetur : hoc enim fit cum judec multos, quasi consiliarios, aut rex plures principes circumcedentes habet, quam cum ipse solus sedet. Simile est *Apoc.* IV et V. angeli ergo quasi consiliarii Dei hic in thronis consistunt, ut regna inter homines distribuant. Sic enim cap. IV, 17, angeli quasi judices in causa Nabuchodonosoris, de regno ei auferendo inducuntur : « In sententia, inquit, vigilum decretum est. » Ita Maldonatus.

ANTIQUUS DIERUM SEDIT, — non Christus, ut vult S. Hieronymus, sed Deus Pater : Christus enim hic potius est judicandus, quam judec. Sedet ergo hic Deus Pater in tribunali, Filius vero ad eum quasi causam acturus adducitur (simile est *Apoc.* cap. IV et V). Certat enim cum Antichristo de regno, quod Pater illi attribuit. Unde patet, directe et proprie non agi hic de ultimo judicio (uti nonnulli censem), quo Christus corporaliter et visibiliter judicabit vivos et mortuos; sed de alio spirituali et invisibili, quo Deus Pater sub idem tempus Antichristum, omnesque ejus asseclas Christi hostes conteret Christoque subjiciet : sicuti simili judicio sibi subjicit et prostravit Antiochum, Nabuchodonosorem, aliosque tyrannos. Recte tamen hæc omnia adaptes diei judicii : ejus enim præludium et inchoatio hic describuntur. Erit enim hoc Dei judicium, extremo judicio Christi simile, vicinum et prævium, ad illudque viam sternet, creando Christum judicem.

Nota : Majestas Dei Patris hic describitur, dicens *primo*, quod sit Antiquus dierum, tum quia ipse plenus est dierum; tum quia fuit ante omnes dies et tempora; tum quia conditor est omnis temporis, atque in se, suaque æternitate eminenter continet omnem temporis antiquitatem. Unde S. Dionysius, cap. X *De Divinis Nom.*: « Dierum, ait, antiquus laudatur Deus, propter hoc quod omnium ipse est et ævum, et tempus, et ante dies, et ante ævum, et tempus et diem; sicut existens intransmutabilis et immobilis, et in hoc quod semper movetur manens in seipso, et sicut ævi et temporis et dierum causa. » Tum quia Filius suo antiquior est, id est prior origine, qua Filius est Deus; et etiam prior tempore, qua Filius est homo; tum denique quia immensam habet sapientiam et experientiam : hæc enim in judice maxime requiritur, estque in senibus; nam, ut dicitur *Ecli.* cap. XXV, vers. 8 : « Corona senum

Antiquus dierum est Deus Pater, cur?

multa peritia; » et Job XII, 12 : « In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia. » Aliqui, teste Theodoreto, pro *Antiquus dierum*, vertunt, *antiquans dies*; quod videlicet sua aeternitate transcendat omnes dies et tempora, eosque quasi se inferiores antiquet, abroget, aboleat; cum ipse stabilis maneat et vegetus, expers omnis mutabilitatis, successionis et defectus.

Sic veteres, poetæ præsertim, finxerunt Saturnum, Jovis deorumque patrem, esse senem, annisque saturum, indeque vocari Saturnum. Audi Ciceronem, lib. II *De Natura Deorum*: « Saturnum eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret; qui Deus græce id ipsum nomen habet. Κρόνος enim dicitur, qui est idem χρόνος, id est spatium temporis: Saturnus autem est appellatus, quod saturetur annis. Ex se enim natos comesse fingitur solitus; quia consumit ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expletur. » Alii Saturnum censem dicunt Cronon, velut a satietate intellectus: græce enim κόπος est satietas, νοῦς mens et intellectus. Saturnus ergo, inquit, est nomen compositum ex prima parte Latina, posteriore Græca, estque idem quod saturitas mentis, quam solus præstat Deus.

Secundo, dicitur sedisse, per catachresin, id est summa tranquillitate, auctoritate et majestate exercuisse judicium, quo Filio traderet meritum ab eo regnum.

Capilli ejus ean-
didi. *Tertio*, capillos habet candidos, id est comas, « quasi lana munda, » id est alba, quæ nullo nisi nativo colore est tincta, quia senum est canities. Rursum capilli lanæ similes innuunt, in divinis judiciis, etiam in extremo illo die, multum molitudinis et clementiae admixtum iri: Deus enim fæcem rigoris sui nunquam exhaustit, ait Antonius Fernandius, *visione XXIV*, comment. II, sect. II.

Et ves-
tes. *Quarto*, vestimenta habet candida; quia purissimus est: est enim ipsa aeterna et increata lux; unde *Psalm. ciii*, 2; dicitur: « Amictus lumine sicut vestimento: » quia enim candor inter omnes colores maxime refert lumen, et plurimum habet lucis; hinc alba vestis semper Deo tribuitur, quæ ejus claritatem et gloriam significat.

Enigma. Exstat hac de re priscorum magorum ænigma: « Est res undique lucida, est res undique obscura; est partim lucida, partim obscura, » scilicet in ordine corporum, res undique lucida est stella quælibet supra lunam: obscurus est undique aer: partim lucet, partim obscuratur luna. In ordine vero spirituum, res undique lucida est Deus et mens divina: anima irrationalis est undique obscura: partim lucida, partim obscura est intellectus et ratio. Hinc Apostolus, *I Corinth. iii*, 13, ait quod dies Domini (puta dies extremi judicii) in igne revelabitur, in igne, inquam, tum proprio, quo mundus conflagrabit; tum metaphorico, qui erit clarum et exactum, ac quasi igneum examen operum cujusque. Unde Cajetanus ibidem

ait: « Erit dies ille claritas omnium operum; quia in igne metaphorico rigorosi examinis revelabitur. »

THRONUS EJUS FLAMMÆ IGNIS, — thronus ejus est flamma, imo flammæ multæ. Flammeus thronus Dei Patris significat primo, ejus gloriam inaccessam et immensam; secundo, sinceritatem et manifestationem publicam divini ejus judicij; tertio, ejusdem efficaciam, et Antichristi ac reproborum punitionem per ignem gehennæ. Hinc a Paulo Deus vocatur ignis consumens. Ita S. Hieronymus.

ROTA EJUS IGNIS ACCENSUS. — Septuaginta, *ignis ardens*; Vatablus, *ignis flagrans*. Thronus hic habet rotas, sive quia tales erant olim regum throni; unde Vatablus: *Solia*, inquit, regum olim erant versatilia, et uti currus triumphales exstruebantur: sive ut significet Dei tum gloriam, tum prævidentiam, quæ quasi curru rotisque vecta per omnia discurrit. De qua re dixi in curru Cherubim, *Ezechiel. i*, 15. Significatur ergo hic, quod Deus Pater quasi immobilis secundum naturam quidem in throno consideat; secundum tamen rotas suæ potestatis et efficacitatis per omnia quæ in cœlo et in terra sunt, permeat efficacissime et celerrime, ideoque rotæ sunt igneæ. Confirmatur ex hoc loco usus ecclesiasticus pingendi Deum:

Deus hic suam imaginem pinxit in mente Danielis. cur enim quem Scriptura verbis pingit, imo qui seipsum imagine hac sui in phantasia Danielis depinxit, nobis simili imagine et coloribus pingere non liceat? non enim per imaginem conatur Dei naturam exprimere, utpote quæ neque coloribus, neque verbis, neque cogitatione pingi potest; sed ut ejus effecta et proprietates hac ratione, qua una id possumus, exprimamus, quemadmodum angelos, justitiam, prudentiam cæterasque virtutes pingere solemus. Ita Maldonatus. Quod enim describitur, idem et pingitur, cum sit eadem ratio utriusque, styli nimirum et penicilli. Hinc Spiritus Sanctus pingitur specie columbae, quia hac descendit in Christum; et specie linguarum ignearum, quia hac illapsus est in Apostolos die Pentecostes.

Allegorice Rupertus: Thronus, inquit, Dei est Allegorice. Ecclesia et singuli Sancti, perinde ut inter angelos ordo Thronorum dicitur ex eo, quod ipsi sint quasi throni Dei. Thronus ergo Dei est S. Petrus, S. Paulus, S. Franciscus, etc. Nix et lana munda est gratia et remissio peccatorum. Fluvius igneus est Spiritus Sanctus, datus in Pentecoste: tunc Ecclesia habuit rotas igneas, id est prædicatores amore Dei succensos. Hi enim vocantur rotæ igneæ: « Quia cum ex Dei desiderio per varia loca discurrunt, unde ipsi ardent, alios accendunt, » inquit S. Gregorius, hom. 5 in *Ezechiel*. Unde tunc millia milium hominum, id est innumerabiles, cœperunt ministrare Deo per vitam activam, et alii eidem assistere per vitam contemplativam.

10. FLUVIUS IGNEUS RAPIDUSQUE. — Quasi ex igneo fonte (instar Atnæ) Deo, fluvius igneus emanat, qui significat sententiam ejus, utpote summi

Vers. 10.
Fluvius
igneus.

judicis efficacissimam et celerrimam, inquit S. Hieronymus. Hic ergo fluvius est gladius anceps utrinque acutus et scindens, quem procedere de ore Christi judicis vidi Joannes, *Apocal.* I, 16, de quo et Moysi dixit Deus, *Deuter.* XXXII, 41: « Si acuero ut fulgor gladium meum, et arripuerit judicium manus mea. » Idem ergo est fluvius igneus rapidusque, quod gladius fulgurans, ac rapido vibratus in judicium, qui instar citatissimi fluminis Antichristum aliosque hostes Christi prosternet, afflabit et in tartarum præcipitabit. Alii per hunc fluvium igneum accipiunt ignem conflagrationis mundi, de quo dicitur *Psalm.* xcvi, 3: « Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. » Verum hic judicium non Christi, sed Dei Patris pro Christo contra Antichristum describitur, ut dixi vers. 9. Prior ergo sensus est genuinus.

Symbolica. Symbolice S. Dionysius, lib. *De Coelest. Hierarch.* cap. ult., has rotas, currus et flumen adaptat angelis Dei: « Ignea, inquit, flumina divinos significant latices, largissimam angelis atque indeficientem inundationis copiam largientes, vitalisque fecunditatis altores: currus autem conjunctam similium et æqualium societatem signant: rotæ vero quæ altæ quidem sunt, cæterum in anteriora semper absque ulla conversione, in nullam partem declinando, incedunt, vim profecto actionis angelicæ, quæ rectam semper viam atque arduam pergunt, insinuant. Quippe omnis illorum cursus, spiritualisque rotatus, ad viam illam erectam atque arduam cœlesti intentione dirigitur. » Deinde alium rotarum affert sensum: « Est enim, inquit, eis, ut Propheta (Daniel) ait, cognomen inditum *galgil*, quod Hebræorum voce revelationes ac revolutiones significat: ignæ namque et divinæ rotæ regyrationes quidem habent, quod sempiterno motu circa summum idem versentur bonum: revelationes autem, quod occulta sacramenta revelent, et humiliores quosque promoveant, sublimesque divini fulgoris radios in inferiora agmina descendendo transfundant. »

MILLIA MILLIUM. — Septuaginta, χίλιαι χιλιάδες, id est *millies millia*, id est millio, puta decies centena millia. Secundo et melius, *millies millia*, id est plurima millia Angelorum ministrabant Deo: non enim certum ministrantium numerum designat, sed tantum significat eum esse maximum. Tertullianus, *Contra Præxeam*, legit: « Millies centies centena millia assistebant ei, et millies centena millia apparebant ei. » Præclare S. Sophronius Archiepiscopus Hierosolymæ, tomo II *Biblioth. SS. Patrum*, orat. 6 *De Angelorum excellentia*, eos ita compellat et invocat: « Vos omnium regis estis ministri, vos venti, et spiritus, et aquæ, et principes, et equi, et exercitus, et diaconi, et apostoli, et prædicatores, et prophetæ, et evangelistæ, et rerum divinarum interpretes, et custodes, et præsides, et conservatores, et abactores, et conductores, et viæ duces, et inquisitores, et li-

bripendes, et calculatores, et curatores, et illuminatores, et opum datores, et luminaria, et lampades, et montes, et colles, et nubes, et judices, et susceptores, et relatores, et defensores, et decertatores, et propugnatores, et divina specula, et simulacra, et imagines, et nautæ, et naves, et gubernatores. Vos ii estis qui cœlum cursu expeditissimo transmittitis, qui Creatoris voluntatem in defesse perficitis, qui mentes Deique tabernacula appellamini, qui carbones, et turbines, et flammæ nominamini; conservate vitam meam inoffensam, spem infractam, dilectionem erga Deum et proximum integrum. »

ET DECIES MILLIES CENTENA MILLIA, — id est mille millions. Errant ergo in computu, qui putant esse tantum centies centena millia, id est decem milliones, cum sint mille. Syrus et Arabicus: *Myriades myriadum stant coram eo*. Sic et græce est μύριαι μυριάδες, id est *decies millies dena millia*, id est centum millions. Verum, ut dixi, non significatur hic numerus certus, sed indefinitus, isque maximus. *Myriades* ergo *myriadum*, idem est quod plurimæ myriades. Unde Cyrillus Hierosolymitanus, *catechesi* 15, notat longe plures esse angelorum myriades; Danielem tamen has tantum consignare, quia majorem numerum, quem homines mente concipere possent, exprimere nequibat. Sensus ergo est, q. d. Plurimi, et quasi innumerabiles angelii assistebant ei. Hinc S. Dionysius et theologi docent numerum angelorum propriæ quidem non esse infinitum, sed limitatum et finitum; eumdem tamen esse plurimum, et hominibus incomprehensibilem, ac superare numerum rerum corporearum, adeo ut S. Dionysius, *Cælest. Hierarch.* XIII et XIV, assurat eum soli Deo esse cognitum. S. Ambrosius explicans parabolam ovis centesimæ perditæ et reductæ a Christo, *Lucæ* XV, innuit omnes homines esse centesimam portionem numeri angelorum. Vide Gabrielem Vasquez, I part., *Quæst. LIII*, disp. 180.

*Angelo-
rum nu-
merus
est maxi-
mus.*

Rursum, ex hoc loco S. Dionysius, D. Thomas, *An* alii *angeli
sint mi-
nistran-
tes, alii
assis-
tentes?* I part., *Quæst. CXII*, art. 2 et 3, et ejus asseclæ ibidem, distinguunt angelos ministrantes, qui scilicet a Deo in terram, et ad homines mittuntur, ab assistantibus, qui Deo semper assistunt; adduntque quatuor supremos ordines, scilicet Seraphim, Cherubim, Thronos et Dominationes esse assistentium, reliquos quinque inferiores esse ministrantium, illosque his longe esse numerosiores.

Verum ad *Hebr.* I, 14, docui omnes angelos esse ministrantes. Nam, ut ait Apostolus, « omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi: » esto alii, ut inferiores, crebrius mittuntur; alii, ut superiores, rarius, Deoque fere semper assistant: et hac ratione hi assistentes, illi ministrantes dici possunt.

Adde hoc loco non esse diversa angelorum officia, assistere, et ministrare; sed unum idemque: est enim posterius prioris repetitio, juxta *Canon.* XXV; solent enim qui ministrant astare Domino,

intentosque in illum oculos habere; nec aliter eos omnes ministrare videre potuit Daniel. Ita Gabriel, qui est ex assistentibus, ut patet *Lucæ I*, 19; est etiam ex ministrantibus qui foras mittuntur; nam missus est ad Danielem, cap. viii, 16, et ad B. Virginem, *Lucæ I*, 26. Ita Michael, qui angelorum, et consequenter Seraphinorum, Deo assistentium est primus, ministrat, et pugnat pro Ecclesia et fidelibus, *Daniel. x*, 13, et cap. XII, 1. Ita septem spiritus, id est principes angelorum, qui in conspectu throni Dei sunt, *Apocal. I*, 4, ideoque sunt ex assistentibus, dicuntur « missi in omnem terram, » cap. v, 6. Idem ergo sunt assistentes, qui et ministrantes: quia quocumque mittantur, semper vident faciem Patris, ut ait Christus, *Matth. cap. XVIII*, 10. Proprie tamen dicuntur assistere, cum Deo astant in cœlo empyreo; ministrare vero, cum foras mittuntur. Ita Molina, I part., *Quæst. CXII.*

Quod vero numerus posterior major sit priore, id tantum confirmationis et auxesis causa fit, ad declarandam angelorum innumerabilitatem. Sic enim cum maximum numerum militum vidimus, dicimus nos vidisse decem millia, moxque resumpto spiritu, cum putamus nos nimis parum dixisse, addimus, dicimusque nos vidisse viginti, imo triginta millia. Ita Maldonatus. Tropologice, S. Clemens, lib. V *Constit. Apost. cap. XIV*, hunc numerum refert ad homines fideles et electos. Hi enim, inquit, sunt « plenitudo numeri eorum qui salvi fiunt, millia millium, et decies millia centena millium. »

Moraliter, dum psallis cogita: « In conspectu angelorum, » imo cum angelis, « psallam tibi; » dum oras, hæc tibi sit compositio loci, ut cogites te coram Deo consistere, cui tot myriades angelorum ministrant: dum doces, dum studes, dum operaris, cogita: Illi, et in ejus presentia doceo, studeo, operor, cui milia millium ministrant, et decies millies centena millia assistunt. « Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet a palude sua procedens et repens ranuncula vilis (qualis est omnis homo, etiam reges, ut Alexander et Darius, cap. VIII, 3)! Quam tremebundus, quam supplex, quam denique humili et sollicitus, et toto intentus animo majestati gloriæ, in præsentia angelorum, in concilio justorum, et congregazione assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilancia, sed præcipue in oratione, » ait S. Bernardus, serm. *De quatuor modis orandi*.

JUDICIUM SEDIT. — « Judicium, » id est judex, vel judices, sive tota judicium corona et ordo, ut ait Glossa, scilicet Deus Pater, ejusque assessorum angeli visi sunt mihi sedere in thronis. Sic dicimus: Magistratus sedit, vel decrevit hoc aut illud, id est ii qui sunt e magistratu sederunt vel decreverunt. Congruum est ut judices sedeant, tum ad auctoritatem, tum ad tranquille et sedate judicandum. Nam, ut ait Aristoteles, lib. VI *Physic.*:

« Sedendo, et quiescendo, anima fit prudens; » quia hoc situ anima quiescit, nec distrahitur mens ad alia agenda, aut cogitanda. Porro judicium hoc est Dei Patris, ut dixi, quod tamen perficiet et complebit Christus in die judicii, damnando impios.

ET LIBRI APERTI SUNT. — Per libros accipe non hominum conscientias, « quæ scriptæ sunt non atramento, » sed « flagitorum inquinamento, » inquiunt S. Ambrosius in *Psalm. I*, et Theodoreetus (nec enim Antichristus, ejusque conscientia in hoc Dei Patris judicio comparuit); neque librum vitæ et mortis, ut S. Hieronymus; neque Vetus et Novum Testamentum, ut alii; sed accusatorum objectiones, et defendantium patronorum responsiones. Tria enim librorum genera in Dei judicio sunt: unus liber est angelorum, aut dæmonum accusantium; alter angelorum defendantium; tertius liber vitæ, ex quo judex profert quodammodo sententiam. Id colligitur ex *Apoc. cap. XX*, 12: « Libri, inquit, aperti sunt, et aliis liber aperitus est qui est vitæ. » Vide ibi dicta. Significat ergo hic Daniel, in divino judicio astantibus angelis, de quarta bestia, deque ejus undecimo cornu, id est de Romano imperio, et Antichristo disputatum esse, librosque tam accusantium quam defendantium apertos fuisse, id est expositas fuisse in utramque partem rationes, ac præsertim quod jam impleta esset mensura peccatorum Antichristi, omniumque ejus asseclarum. Denique examine adhibito pronuntiatam esse sententiam, quartam bestiam de medio tollendam, regnumque æternum Christo tradendum esse. Est catachresis. Ita Maldonatus. Dogmatice libris hisce apertis significatur, judicis esse diligenter jura, causæque acta evolvere, ne parti faciat injuriam. Nam « ignorantia judicis plerumque est calamitas innocentis, » ait S. Augustinus, lib. XIX *De Civit. vi.*

Moraliter, vide quid hic agas: quidquid enim egeris, in libris hisce scribitur, qui hic clausi sunt, sed pandentur et legentur in die judicii. Audi S. Basilium, lib. *De Vera virg.*: « Quæ prius corpore, quasi veste coniecti, minime habere putabamur, ea nudata se omnium oculis ingerent, nullusque jam vel negationi, vel defensioni erit locus, quando ipsa cernentur opera in suo auctore conspicua. Non enim confuse, sed singula per partes, ut sese habeant, velut in pictura noscentur. » Et S. Ephrem, lib. *De Vera pœnit.* cap. IV: « Unusquisque cernet ante faciem suam exposita opera sua, sive bona illa, sive mala præmisit. Formidabiles libri aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra, et actus, et verba, et quæcumque egimus in hac vita: nec solum actus, sed et cogitationes et intentiones cordis. » Et S. Chrysostomus, hom. 5 in epist. *ad Rom.*: « Quid, inquit, tunc nobis miseris fiet, cum omnia orbi universo palam facta in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum partim nobiscognitorum,

Triplex
liber in
Dei judi-
cio.

partim incognitorum oculis subjicientur? » Tunc, ut ait Isaías, cap. xxiv, 23 : « Erubescet luna, et confundetur sol. » Et S. Ambrosius in *Apologia David* : « Væ, ait, mihi, quia latere cupio, et latere non possum : quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum indicia peccatorum? » Et S. Augustinus in *Psalm. xlix*, 21, ad illa verba : « Arguam te, et statuam contra faciem tuam : Ordinabuntur, ait, ante infeliciem animam peccata sua, ut et eam convincat probatio, et confundat agnitus. » Et S. Bernardus in tract. *De Convers. ad Cleric.* cap. ii : « Aperitur, ait, conscientiae liber, revolvitur misera vitæ series, tristis quædam historia replicatur, illuminatur ratio, et evoluta memoria velut quibusdam ejus oculis exhibetur. Utraque vero non tam ipsius est animæ, quam anima ipsa, ut eadem sit et inspiciens et inspecta, contra suam statuta faciem, et a violentis quibusdam apparitoribus, immissarum utique cogitationum, judicanda cogitur assistere tribunali. »

Symbolice S. Gregorius, XXXIII *Moral.* vi, Christum visum in judicio vocat librum vitæ : « Liber, inquit, vitæ est ipsa visio advenientis judicis, in quo quasi scriptum est omne mandatum; quia quisquis eum viderit, mox, teste conscientia, quid non fecit intelliget. » Et S. Anselmus in *Elucidatio*, librum vitæ ait esse vitam Jesu, quæ omnibus est norma vivendi, et quasi lex per quam omnes judicabuntur.

Vers. 11. 11. ASPICIEBAM PROPTER VOCEM SERMONUM GRANDIUM, — q. d. Spectabam quem exitum habitura essent verba illa, superbiæ et contumelie in Deum plena, quæ quartæ bestiæ cornu undecimum, puta Antichristus, loquebatur; ac paulo post vidi bestiam ipsam interimi et igni tradi, id est vidi Romanum imperium prorsus aboleri, et quasi in cinerem redigi.

Vers. 12. 12. ALIARUM QUOQUE BESTIARUM ABLATA ESSET POTESTAS, — q. d. Vidi etiam tria priora imperia, puta Babyloniorum, Persarum et Græcorum periisse.

ET TEMPORA VITÆ CONSTITUTA ESSENT EIS USQUE AD TEMPUS, ET TEMPUS. — Chaldaeus זְמָן וְעֵדָה ad zeman veiddan, id est usque ad tempus, et definitam periodum a Deo; qua evoluta, vidi ea occidere et everti : nec enim positos a Deo terminos excedere potuerunt.

Vers. 13. 13. CUM NUBIBUS COELI QUASI FILIUS HOMINIS VENIEBAT. — Nota τὸ quasi, q. d. Visus sum mihi videre in somnis aliquem instar hominis, vel habentem formam et speciem hominis, advenientem ad iudicem, scilicet Deum Patrem, qui sedebat in throno : non enim videbat verum hominem, sed tantum hominis speciem, et phantasma a Deo sibi objectum. *Addit.* Christus, qui notatur, nequum factus erat, sed adhuc futurus erat homo; hoc innuit τὸ quasi. *Tertio*, Maldonatus censet τὸ quasi, non significare Christum non fore verum hominem, sed eum fore plusquam hominem, itaque

in tempore præstituto demissam fuisse divinitatem in illo, ut cum verus sit Deus, sic tamen apparet quasi tantum esset homo. Unde S. Paulus, *Philip.* ii, 7, ait : « Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. » Hic sensus sublimior est, prior vero planior et solidior. Unde Cyrius, lib. II in *Joan.* cap. LXXXIII, ex hoc loco probat Christum non qua Deus, sed qua homo est, fore judicem hominum.

Nota primo : Pro quasi filius hominis, chaldaice est כֶּבֶר אֲנוֹשׁ kebar enos, id est quasi filius hominis miseri, ærumnosi, mox morituri, obliktiosi, et oblivioni tradendi : hæc enim omnia significat enos. Unde Psaltes admirans Dei in homines benignitatem : « Quid est, inquit, homo (hebraice enos), quod memor es ejus? » Hic ergo titulus, filius enos, est titulus summæ dignationis, quem in incarnatione assumpsit Christus, dum noster frater et consanguineus ita arcte fieri voluit, ut simul nostras ærumnas suscipere et sentire voluerit, ut eas in se expiaret, itaque eas in nobis curaret et aboleret. Hæc est philanthropia (id est singularis et mirificus ille in homines amor), quam admirans Apostolus ait ad Titum, cap. iii, 4 : « Apparuit benignitas et humanitas (græce φιλανθρωπία) Salvatoris nostri Dei. » Hoc est « magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, » etc., I Tim. cap. iii, 16, nimis quod « Verbum factum est caro : » Verbum, inquam, illud æternum, omniscium, omnipotens, Deo consubstantiale, ipse Deus, de quo paulo ante dixerat Joannes, cap. i, 1 : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Hoc Verbum factum est caro, id est homo carneus, fragilis, vilis et miser. Rursum « filius hominis, » id est homo. Dicitur tamen filius, ut nova significetur dignatio ipsius, qua non a Deo creari, uti creati sunt Adam et Eva; sed ex homine, puta ex virgine, nasci dignatus est, ut idem esset virginis et Dei filius, virginis quasi matri subditus et obediens. Quocirca merito exclamat S. Bernardus, serm. I super *Missiones* : « Utrinque stupor, utrinque miraculum; et quod feminæ Deus obtemperat, humilitas absque exemplo; et quod femina principatur Deo, sublimitas sine socio. Erubesce, cinis : Deus se humiliat, et tu te exaltas? » Atque ob hanc Christi immensam demissionem Deus in immensum exaltavit illum, fecitque eum qua homo est, regem angelorum, hominum et totius mundi, principem et iudicem omnium, ut ait hic Daniel; et S. Joannes, cap. v, 27 : « Potestatem, ait, dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. »

Nota secundo : Loquitur hic Daniel non de Christi ascensu ad cœlum, ut volunt aliqui, sed de adventu ejus ad iudicium. Veniet enim in nubibus cœli, *Matth.* xxiv, 30; sed antequam descendat ad iudicium, ducitur hic ad Patrem, ut subjiciat

illi hostes, puta Antichristum, aliosque infideles et improbos, utque illi omnem potestatem judicandi tradat. Porro nubes lucida et gloria symbolum est et velamentum Divinitatis. Qua de re dixi *Ezech. I. 4.*

OBTULERUNT EUM. — Chaldaice est קָרְבּוֹהַ 'ha-crebuhi, id est adduxerunt eum : hæc verba ergo non vim, sed honorem significant; scilicet quod Christus accinctus ad judicium, multis angelis co-mitantibus ac deducentibus, adierit Patrem; indeque, accepta potestate, cum eis descenderit ad judicium, ut dicitur *Matth. xvi. 27.* Angeli ergo obtulerunt Christum Patri. Unde Tertullianus, lib. III *Contra Marc. vii.*, et S. Justinus, *Contra Tryphon.*, legunt : *Et qui assistebant ei, adduxerunt eum;* et S. Cyprianus, lib. II *Testim.* : *Et qui assistebant ei, obtulerunt eum.*

Vers. 14. 14. ET DEDIT EI POTESTATEM — judicandi et regnandi : licet enim eam habuerit Christus a primo instanti conceptionis suæ in actu primo, tamen in die judicii eamdem a Patre accipiet in actu secundo, sive quoad exercitium, ut scilicet eamdem actu exerceat, et reipsa judicium peragat.

ET OMNES POPULI, TRIBUS ET LINGUÆ IPSI SERVENT. — S. Justinus et S. Cyprianus loco jam citato legunt : *Omnes reges terræ per genus, et omnis claritas (omnes clarissimi) servient ei.*

Vers. 15. 15. HORRUIT SPIRITUS MEUS. — Chaldaice est excisus, vel abbreviatus est spiritus meus, Danielis, inquam, in medio vaginæ ejus. Vagina animæ est corpus, q. d. Deliquum animi passus sum præ turbatione, et animo fui destitutus, ac quasi exanimatus. Quis non horreat hæc omnia, ac præser-tim rigidum Dei judicium considerans, in quo impiis omnia erunt terribilia? A dextris erunt peccata, a sinistris dæmonia, subtus horrens infernus, supra judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens : ubi justus vix salvabitur, miser impius quid faciet? latere erit impossibile, apparere intolerabile, inquit S. Bernardus, tract. *De Inter. domo*, cap. xxxviii : « Judicatu-ro Domino, inquit S. Hieronymus ad *Heliodorum*, lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. » Merito ergo monet S. Bernardus, serm. 55 in *Cant.* : « Time scrutinium judicis, time illum qui per Prophetam dicit: Scrutabor Jerusalem in lucernis; acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus ejus. » Audi vo-ces judicatorum et damnatorum, *Sap. v. 3* : « Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et Sol intelligentiae non est ortus nobis. » Quid hic consilii? audi et fac quod suggerit S. Bernardus loco citato : « Unum est, si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique diju-dicabimur : bonum judicium, quod me illi dis-tricto divinoque judicio subducit et abscondit.

Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis; volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus. Judicabo proinde mala mea, judicabo et bona : scrutabor vias meas, et studia mea, quo is, qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, nihil indiscresum inveniat. » Idem consilium dat S. Augustinus, serm. 181 *De Tempore*. Hac de causa Jacobus patriarcha Hierosolymorum, qui deinde Pontifex, Urbanus IV est appellatus, symbolum præferebat, cor hominis palpitans in spineto, cum epigraphe : « Recordare novissimorum, » uti refert Sadoletus in *Symbol.* tom. II, pag. 78.

17. QUATUOR SUNT REGNA. — Chaldaice, *quatuor* Vers. 17. *sunt reges;* sed reges pro regnis accipit : non enim hic de personis, sed de rebus et regnis agitur.

CONSURGENT — tria ultima ; nam primum, scilicet Chaldæorum, regnum jam surrexit.

18. SUSCIPIENT AUTEM REGNUM SANCTI DEI ALTIS- Vers. 18. *simi.* — Ita vertunt et Septuaginta, Vatablus et alii. Perperam ergo vertit Calvinus, *suscipient*, scilicet quatuor regna jam dicta, *regnum Sanctorum*, id est Sanctis debitum, q. d. Hæc quatuor regna in terra regnabunt, et occupabunt regnum, quod occupare deberent Sancti. Perperam, inquam ; nam quatuor hæc regna non regnarunt in sæculum, et in sæculum sæculorum ; quod tamen hic dicitur. Significatur ergo hic regnum felix et beatum, quod post quatuor regna inibunt Sancti in die judicii, qui tum resurgent, et tam corpore quam animo beabuntur, regnabuntque cum Christo in æternum. Hinc patet Sanctos omnes in celo fore reges coelestes et æternos, qui celo totique orbi dominabuntur. Unde *Apocal. v. 10*, canunt : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. » Idque meruerunt tum sua humilitate, qua in hac vita fuerunt viles, despicii, et vexati ab impiis et antichristianis; unde Christus id eis promisit, dicens, *Matth. cap. v.* : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; » tum sua fortitudine, qua sensibus, concupiscentiis, membris, opibus, honoribus, crucibus et morti domini sunt.

SANCTI DEI ALTISSIMI. — Chaldaice est קָדֵשׁ עֲלֵי נֶגֶן 'kaddisce elionin, id est Sancti altissimorum, id est Sancti Dei altissimi : intelligitur enim *elohim*, quod quia est plurale, hinc etiam ejus epithetum *elionin*, id est altissimorum, est plurale. Aliter Maldonatus; censem enim Beatos vocari Sanctos altissimorum, eo quod locorum et bonorum altissimorum in cœlis hæredes sint, habitatores et possessores; eo quod hic altiorem in terris vitam egerint, dicentes cum Paulo : « Nostra con-versatio in cœlis est; » et cum Isaia : « Sustollam te super altitudines terræ. »

19. DE BESTIA QUARTA. — Hæc est quarta mo-narchia Romana. Cornua decem sunt decem reges futuri; cornu undecimum erit Antichristus, uti dixi vers. 7; hoc prævaluuit Sanctis, donec venit

Antiquus dierum, ejusque tyrannidem condemnavit, atque regnum tradidit Christo, et Sanctis ejus, uti in sequent. explicat Daniel.

Vers. 22. 22. JUDICIUM DEDIT SANCTIS. — « Judicium, » id est potestatem et auctoritatem judicandi; quia Sancti, præsertim Apostoli, eorumque sequaces, judicabunt cum Christo, I Cor. vi, 3; Matth. xix, 28.

Aliter Maldonatus: « Judicium dedit Sanctis, » id est, inquit, sententiam protulit secundum Sanctos, aut in favorem Sanctorum, adjudicavit Sanctis regnum coeleste, sicut dicitur Psalm. LXXXI, 3: « Judicate pupillo et viduæ, » id est in favorem pupilli et viduæ.

Vers. 25. (1) 25. ET SANCTOS ALTISSIMI CONTERET.—Chaldaice est נְבָלֵל Neballe, id est veterascere faciet, afteret, consumet, ut vestes vetustate consumuntur. Unde Septuaginta vertunt, πλανίσει, id est veterascere faciet: pro quo alii corrupte legunt πλανίσει, id est seducet; S. Augustinus, *Contra Tryph. καταστρέψει*, id est evertet; alii, ταπεινώσει, id est humiliabit.

ET PUTABIT QUOD POSSIT MUTARE TEMPORA ET LEGES.—« Tempora » Chaldaice זִמְנִין zimnin, quod

(1) Vers. 24. « Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt; et aliis consurget post eos, et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit. » Decem illis regibus, qui regno quarto Romanum significari existimant, quibus nuper accessit Hengstenberg (*Die Authentie des Daniel*, pag. 208), non singulos reges, sed decem regna, e regno Romano, in partes sciso, exoritura designari volunt. Et Vitrina quidem in *Comment. in Apocalypsin*, pag. 788, regna quæ Romæ religionis causa se subjeerunt, hæc decem numerat: regnum Galliarum seu Franciæ, Hispaniarum, Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, Hungariæ, Bohemiæ et Poloniæ. Neque tamen hæc regna e regno Romano exorta recte dicuntur. Quare et C. B. Michaelis vere monet: « Sed determinatio hæc nondum ita evicta est, quin suis implicita maneat difficultatibus. » Hinc Michaelis, qui et ipse quarto regno Romanum intelligit, scissionem imperii Romani incomplura regna jam factam esse ait, at ut certus fixusque regnorum numerus iniri, ac nominatim determinari queat, quæcum illa sint, vel non sint, hoc demum ex futuro olim regnorum statu, quo proxime ante adventum Antichristi erunt, clarius certiusque evasurum esse.

Qui vero, ut Rosenmuller et alii, hic regnum Seleucidarum præfigurari putant, aiunt decem reges qui ex tertio regno surrecturi sunt, non nisi intelligendos esse eos qui Palæstinam tenuerunt, et populo Judaico imperarunt, scilicet: Antigonus, Demetrius Poliorcetes, Ptolemaeus Lagi, Ptolemaeus Philadelphus, Ptolemaeus Evergetes, Ptolemaeus Philopator, Ptolemaeus Epiphanes, Ptolemaeus Philometor, Antiochus Magnus, Seleucus Philopator; decem hosce reges continua serie ab obitu Alexandri Magni usque ad Antiochum Epiphanem Palæstinam tenuisse, constat ex historiarum scriptoribus fide dignis, Justino, Plutarcho, Diodoro Siculo, Polybio, Josepho et Appiano. Porro « alias qui consurget post eos, est Antiochus Epiphanes, qui tres istos qui regnum Syriæ ambiebant, Heliodorum, Ptolemaeum Philometorem et Demetrium Seleuci fratris filium, regni successione arcuit. Franciscus Junius tres reges ab Antiocho depresso, Ptolemaeum Philopatore, quem ille Syria exegit, Antiochum Magnum, cui necem procuravit, et Seleucum Philopatora esse putat.

idem est cum Hebræo מַוְעַד moedim, id est statuta tempora, puta stata festa, ut Paschæ, Pentecostes, Dominicæ, etc.; « et leges, » Chaldaic. וְדָת vedat, id est, et legem, scilicet Evangelicam, q. d. Antichristus abolebit festa omnia, omnemque legem tam Christi, quam Mosis, novamque suam sectam et religionem in mundum inducit.

Aliter Maldonatus: « Tempora, » ait, sunt præscripti a Deo singulis regnis termini: « leges » sunt Dei decreta, quibus constitutum est ut hoc regnum tantum, illud tantum temporis duret: quia, inquit, hic agitur de regnis et de judiciis divinis. Verum hoc remotius et obscurius est: prior ergo sensus est planior et germanior.

USQUE AD TEMPUS, ET TEMPORA, ET DIMIDIUM TEMPORIS.—Hic non est zimnin, vel zeman, ut paulo ante, sed יְמֵן iddan, quod respondet Hebræo יְמֵן et, id est tempus. Calvinus vult per hæc non certum, sed incertum tempus, quo regnabit Antichristus, id est Pontifex Romanus, significari.

Verum S. Hieronymus, Theodoreetus, Vatablus hic, S. Augustinus, lib. XX *Civit.* xxv, Irenæus, lib. V, cap. xxx, Cyrillus, *cateches.* 25, Hippolytus, *De Consummat. sæculi*, et passim veteres, per tempus accipiunt annum, per tempora duos annos, per dimidium temporis dimidium annum; indeque communiter docent Antichristum ut monarcham regnaturum tres annos cum dimidio.

Probatur id primo, quia ita se explicat Daniel cap. xii; cum enim vers. 7, dixisset desolationem Antichristi duraturam in tempus, et tempora, et dimidium temporis, mox ea vers. 1 explicat, dicens: « A tempore quo ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta, » qui circiter tres annos cum dimidio efficiunt. Secundo, quia ita explicat Secundo. S. Joannes, *Apocal.* xii, 6, cum ait mulierem, id est Ecclesiam, tempore Antichristi fugisse in solitudinem per dies 1260, qui faciunt tres annos cum dimidio; et rursus vers. 4, ait datas esse mulieri alas, ut volaret in solitudinem usque ad tempus et tempora, et dimidium temporis; et cap. xiii, vers. 5, datam esse ait potestatem Antichristo per menses 42, qui pariter tres annos cum dimidio efficiunt. Tertio, quia erit tunc acerrima persecutio: unde Deus illi breve tempus constituit, ne in errorem inducantur electi, qui utique caderent, si illa diutius duraret, ut ait Christus, *Matth.* xxiv, vers. 22. Quarto, quia decet ut Antichristus non permittatur diutius regnare et prædicare quam Christus, qui tres annos cum dimidio evangelizavit.

Hinc patet perperam nonnullos hos tres annos cum dimidio referre ad persecutionem Antiochi; præsertim quia post hos annos mox « judicium sedebit, ut regnum detur populo Sanctorum » in cœlis, uti subdit Daniel. Pejus alii referunt hos annos ad tempus, quo Nero aliisque Imperatores Romani persecuti sunt Ecclesiam.

Nota: Pro Chaldaeo יְמֵן iddanin, id est tem-

Anti-christus regnabit monar-cha tres annos cum me-dio.

Probatur Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

pora, forte legendum est in duali יְמִינָה iddanain, id est duo tempora, quanquam iddanain plurale etiam pro duali ponatur : quia Chaldae rarius duali, plerumque vero plurali, etiam pro duali, utuntur, uti docet Guido Fabricius in *Grammat. Syrochaldæa*.

Vers. 26. 26. JUDICIUM SEDEBIT. — Judices sedebunt, puta Deus Pater ejusque angeli, qui auferent potentiam Antichristi, et dabunt regnum æternum populo Sanctorum, uti dixi vers. 10, ibi enim figuram, sive symbolum a se visum narravit; hic vero illud explicat.

Vers. 27. 27. MAGNITUDO REGNI, QUÆ EST SUBTER OMNE COELUM, DETUR POPULO SANCTORUM. — Est hæc quinta monarchia, sive regnum Sanctorum. Quæres, quodnam erit hoc regnum? Respondet Porphyrius fuisse regnum Machabæorum: hi enim vocantur Sancti, quia pro Deo et lege pugnaverunt. Verum errat: nam illorum regnum non fuit æternum; sed tantum stetit in Juda, Jonatha et Simone, per 32 annos; deinde in posteris Simonis stetit usque ad Herodem per annos 126.

Secunda, Secundo, alii, ut Papias et Chiliastæ, per regnum esse sanctorum, qui hoc accipiunt mille annos, quibus ipsi putant Sanctos post resurrectionem in terra regnatores

cum Christo, ex *Apocal. xx, 4*. Verum hoc regnum post resurrectionem in terra regnabit, et esto esset verum, non tamen erit æternum.

Dico ergo, certum est hoc regnum fore Christi et Sanctorum: illudque non tantum spirituale, quale fuit in terra, cum ipsi persecutionibus, martyris et morti essent obnoxii: sed etiam corpore ac gloriosum, quo scilicet Sancti et corpore et anima beati, cum Christo in cœlis gloriose regnabunt in sæcula sæculorum. Porro hoc regnum inchoabunt Christus et Sancti in terra, mox post necem Antichristi; tunc enim Antichristi regno everso, Ecclesia ubique terrarum regnabit, et fiet tam ex Judæis quam ex Gentibus unum ovile, et unus pastor: et hoc innuitur hic, cum ait, non, « quæ est super, » sed, « quæ est subter omne cœlum, » id est in omni terra, sive in omni plaga cœlo subjecta. Deinde paulo post hoc regnum confirmabitur et glorificabitur in cœlis per omnem æternitatem.

28. HUCUSQUE FINIS VERBI, — scilicet angeli, q. d. Vers. 28. Hic finem dicendi fecit angelus, hic finita est visio quam hoc cap. enarravi. Hactenus Daniel scripsit chaldaice, reliqua vero deinceps scripsit hebraice.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Anno 1 Balsasaris vidit Daniel visionem cap. præced. de quatuor monarchiis; hic anno tertio Balsasaris videt ea, quæ in secunda et tertia monarchia futura sunt. Hæc ergo visio, licet sit alia, est tamen re ipsa pars superioris prophetiæ: describit enim hircum cum ariete, id est, Alexandrum cum Dario, Græcos cum Persis de Imperio decertantes. Secundo, vers. 9, describit unum cornu hirci, id est, unum e successoribus Alexandri, puta Antiochum Epiphanem, ejusque potentiam et impietatem in Judeos. Tertio, vers. 15, Gabriel eo modo quo jam dixi, visionem Danieli interpretatur.

1. Anno tertio regni Baltassar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel post id quod videram in principio: 2. vidi in visione mea, cum essem in Susis castro, quod est in Ælam regione: vidi autem in visione esse me super portam Ulai. 3. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce aries unus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, et unum excelsius altero atque successens. Postea 4. vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, et contra Aquilonem, et contra Meridiem, et omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu ejus: fecitque secundum voluntatem suam, et magnificatus est. 5. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, et non tangebat terram: porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos. 6. Et venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, et cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. 7. Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, et percussit arietem; et comminuit duo cornua ejus, et non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcavit, et nemo quibat liberare arietem de manu ejus. 8. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumque crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cœli. 9. De uno autem ex eis egressum est

cornu unum modicum : et factum est grande contra Meridiem, et contra Orientem, et contra fortitudinem. 10. Et magnificatum est usque ad fortitudinem cœli : et dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas. 11. Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est : et ab eo tulit juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus. 12. Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata : et prosternetur veritas in terra, et faciet, et prosperabitur. 13. Et audivi unum de Sanctis loquentem : et dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti : Usquequo visio et juge sacrificium, et peccatum desolationis, quæ facta est : et sanctuarium, et fortitudo conculcabitur? 14. Et dixit ei : Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti : et mundabitur sanctuarium. 15. Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem, et quærerem intelligentiam : ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. 16. Et audivi vocem viri inter Ulai : et clamavit, et ait : Gabriel, fac intelligere istam visionem. 17. Et venit, et stetit juxta ubi ego stabam : cumque venisset, pavens corrui in faciem meam, et ait ad me : Intellige, fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio. 18. Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram : et tetigit me, et statuit me in gradu meo, 19. dixitque mihi : Ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis : quoniam habet tempus finem suum. 20. Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum. 21. Porro hircus caprarum, rex Græcorum est, et cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. 22. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo : quatuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus. 23. Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones. 24. Et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis : et supra quam credi potest, universa vastabit, et prosperabitur, et faciet. Et interficiet robustos, et populum Sanctorum 25. secundum voluntatem suam, et dirigetur dolus in manu ejus : et cor suum magnificabit, et in copia rerum omnium occidet plurimos : et contra principem principum consurget, et sine manu conteretur. 26. Et visio vespere et mane, quæ dicta est, vera est : tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. 27. Et ego Daniel langui, et ægrotavi per dies : cumque surrexissem, faciebam opera regis, et stupebam ad visionem, et non erat qui interpretaretur.

Vers. 1. 1. EGO DANIEL, POST ID QUOD VIDERAM IN PRINCIPIO, — q. d. Post primam visionem quatuor bestiarum, de qua cap. præced. Innuit hanc visionem pertinere, et quasi continuare præcedentem, ut dixi.

Vers. 2. 2. CUM ESSEM IN SUSIS CASTRO. — Daniel non erat Susis, sed in Babylone apud Balsasarem : sed per visionem videbatur sibi esse Susis. Ita Theodoretus. Unde ex Hebræo ita vertit Vatablus : *Et in visione circumspiciens, visus sum mihi esse in Susis castro.* Sic Ezechiel cap. XI, 1, in spiritu fuit in Jerusalem, ibique multa vedit. Visus est autem sibi esse Susis : quia inde Cyrus, qui Babylonem caperet, et Balsasarem occideret, erat venturus. Susæ enim fuerunt regia Persarum. Ita ex Aben-Ezra Maldonatus.

Nota : Susæ non est vox Græca, uti censuit Aristobulus, et Chares; sed Hebræa, Chaldaea et Persica, ita dicta a liliorum fertilitate et copia, ut habet Etymologicum magnum. Susan enim et Susanna hebraice significat lily, a radice στεφανης, id est sex : lily enim est hexaphyllum, hoc est sex habet folia. Sic Rhodus, id est ro-

sa, dicta est insula, quia habet speciem rosæ.

Nota secundo : Susæ fuit urbs maxima, hic tamen dicuntur castrum ; quia undique validissimis mœnibus et turribus instar castri erat munita. Ita S. Hieronymus (1).

(1) Objecerunt Rationalistæ qui Danielis authenticitatem negaverunt, præsertim Bertholdtius, Griesinger, De Wette, primo, regionem Elam regibus Babylonis Nabuchodonosore posterioribus duntaxat subjectam fuisse ; secundo, tempore Balsasaris nec palatium nec aulam regiam fuisse in Susis ; tertio, non nisi sub Dario Hystaspis filio hanc urbem Suzan nomen accepisse.

Ad quæ breviter respondemus : ad primum, juxta Jerem. cap. xxv, 23 ; xl ix, 34-39, et Ezechiel. cap. xxxii, 24, regio Elam a Nabuchodonosore monarchia Babylonica adjecta fuit. Ad secundum, Plinius, quem ut testem invocant, dicit equidem : « In Susiana est vetus regia Persarum, a Dario Hystaspis filio condita ; » sed non dicit antea nullam regiam exstitisse, quæ sententia eo minus creditibilis est, quod ex Herodoto et Strabone Suzan urbs est antiquissima a Titone Memnonis patre condita, et in ea, propter amplitudinem et magnificentiam, Græcorum reges delectam sedem habuerunt. Præterea, expressis verbis Herodotus, Strabo et Stephanus Byzantinus de ista regia loquuntur, quam τὰ μεγαλεῖα vocant, ex urbis conditore,

IN AELAM. — AElam regio est Persidis : unde AElamitae sunt dicti. Planius respondet noster Antonius Fernandius tract. *De Vision. veter. Testam. visione XXV*, tempore Danielis Susan tantum fuisse castrum : sed postea amplificatas adeo esse res Susianorum, ut Susan fuerit metropolis Persiae. Unde Plinius, lib. VI, cap. xxvii, Susianos ab AElamitis distinguit intermedio Euleo flumine. Sicut ergo tunc una provincia erat AElamitica, ita altera erat Susiana.

SUPER PORTAM ULAI, — super portam urbis Susarum, quæ dicebatur Ulai. Vatablus et Pagninus vertunt, *super*, id est *juxta*, *flumen Euleum* : hoc enim Susas præterlabitur, de quo Plinius lib. VI, cap. xxvii, et forte ab hoc flumine porta urbis dicta est Ulai; unde et Symmachus vertit : *Super paludem Ulai* : et sic noster Interpres vertit vers. 3. Utrumque est probabile : nam Daniel super portam, juxta fluvium positus in spiritu, vidit hircum in campo adjacente cum ariete pugnantem. Septuaginta, Theodotion, Aquila retinunt vocem Hebræam, vertuntque : *Super Ubal Ulai*, quasi *Ubal* sit nomen proprium ; cum Noster vertat, *portam*; alii, *fluvium*; Scholiastes græcus censem *Ubal* esse nomen montis Persici, ad quem in spiritu raptus Daniel.

Vers. 3. 3. **Ecce ARIES unus.** — Hic est rex Medorum et Persarum, uti explicat angelus vers. 20. Causa est : *Primo*, quia aries, dux ovium, suo ductu et incessu magnifico refert ducem et regem. Unde ait Sapiens *Proverb. xxx*, 29 : « Tria sunt quæ bene graduntur, et quartum quod incedit felicititer. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, gallus succinctus lumbos, et aries : nec est rex qui resistat ei. »

Secundo, quia aries repræsentat pugnas et prælia Cyri et successorum. Aries enim simul ut cornua creverunt, fit pugnacissimus. Quocirca Romani, cuiquam bellum illaturi, arietem per fæcialem præmittebant, quem in hostium fines immitteret, qui eos quasi capite et cornibus impeteret et arietaret. Inde et machina bellica muros olim quatiens dicta est aries. Trabs enim erat aduncum in capite habens ferrum, instar cornu arietis, quod vi in muros adigebatur, ac more arietum retrocedebat, ut cum impetu vehementius feriret, inquit, Vegetius lib. IV, cap. xiv. Hac forte de causa, inquit Pererius *hierogl.* 10, cap. xxix, cœlestis aries Marti est dedicatus; et si qua planetis in humano corpore vis, fel (quod et iræ et bilis est sedes) a Marte regi dicitur. Unde Origenes, in *Levitici* cap. II, docet Hebræos immolasse Deo arietes, ut per eos significarent nos iracundiam jugulare debere. Hinc Ammianus cele-

et quam usque ad Persarum dominationem exstisset assurunt. Ad *tertium*, nedum probari possit a Dario urbem istam Suzan nomen accepisse, Herodotus, lib. V, cap. LIII; Xenophon, *Cyropæd.* lib. VIII, cap. vi, 22, e contra affirmant, isto Suzan nomine ab antiquissimis temporibus hanc urbem vocatam fuisse.

brat Saporis regis gestamen, aureo capitinis arietini figmento elaboratum : et Belgæ insigne militaris nobilisque sodalitatis, a Philippo cognomento Bono, Burgundiæ duce, habent aureum arietis caput. Unde vocatur vulgo *l'Ordre de la Toison d'or*, id est ordo aurei velleris, et capitinis arietini.

Tertio, et magis apposite ad hunc locum, aries Aries est rex Persarum duplici de causa. notat Darium Codomannum, ejusque regnum : quia, ut ait Theodoreetus, sicut aries et propter lanam et propter carnes neci datur; ita ipse, et cum eo regnum Persarum ob nimiam opum et deliciarum abundantiam quasi prægravatum, tandem corruit, et a Græcis occupatum est. Fassus est id ipsum Darii legatus apud Alexandrum, qui ut ei pacem persuaderet, utque cum Dario imperium divideret : « Periculose, ait, est prægrave imperium, difficile est continere quod capere non possis. Videsne ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimie opes magnæ jacturæ locum faciunt. Facilius est quædam vincere quam tueri. » Ita Curtius, lib. IV.

Porro lana significari opes docet Plinius, lib. IX, cap. XLVII; veterum enim opes erant in ovinis earumque lanis et velleribus, ut patet in Absalone, II Reg. cap. XIII, 23, et in Job. cap. I, 16, et in muliere illa prudente quam describit Sapientia, Prov. XXXI, 13 : « Quæsivit, inquit, lanam et linum. » Addit Fernandius, vis. XXV, sect. II, arietem significare Medos et Persas, eo quod in illis regionibus insignes gignantur arietes, prægrandibus ac pinguis caudis; cruribus autem ita præcelsis, et toto corpore sic obeso et forti, ut ephippiis impositis, frenisque adhibitis, pueri iis inequitant.

STABAT ANTE PALUDEM. — Hebraice, stabat ante *לְבָנָה haabal*, id est ante portam, aut ante flumen, ubi Daniel se fuisse dixit vers. precedenti.

HABENS CORNUA EXCELSA, ET UNUM EXCELSIUS ALTERO, ATQUE SUCCRESCENS. — Hebræa : *Et unum excelsius secundo, et excelsius ascendebat in novissimo.* Sic et Septuaginta : *Et quod excelsius ascendebat super novissima.* Aries hic habet duo cornua (ut habent Hebræa, et patet ex sequent.), id est duos fundatores, Darium Medium, et Cyrum, qui fuit excelsior, inquit S. Hieronymus. Aut, ut Theodoreetus, duas regales familias, scilicet unam Cyri, quæ duravit usque ad Cambysesem; alteram Darii Hystaspis, quæ amplior et excelsior duravit usque ad ultimum Darium qui victus est ab Alexander. Aut potius duo cornua sunt Medi et Persæ; Persarum autem cornu, id est imperium, fuit excelsius, et utrumque contrivit Alexander, ut dicitur vers. 7. Ita Pererius, Fernandius et alii.

4. VENTILANTEM CONTRA OCCIDENTEM. — Quia Cyprus Vers. 4. ejusque successores, in Babylonia, Asia minore, Græcia, aliisque regionibus, quibus Persia orientalis est, gessit bella : et ad aquilonem,

quia Ponticas gentes : et ad meridiem, quia Ägyptum, Äthiopiam et Libyam Cambyses aliique invaserunt.

Vers. 5. *Hircus est Alexander et patet vers. 24, maxime Alexander, qui et cornu Græci ob insigne dicitur; nam post eum plura, sed midicem analogias. nora cornua, id est reges Græcorum, regnare runt. Hircus enim quasi dux prætit et dicit capras, uti aries dicit oves, nimirum « dux gregis ipse caper, » puta hircus.*

Prima. *Nota secundo : Vocatur hircus, primo, quia hircus fortior est ariete; sic Alexander vicit Darium. Equidem hircus barba et villis hirsutus, longis cornibus armatus, capite erectus, fronte torvus, oculis acer, ad vivum repræsentat Alexandrum animosum, acrem, hirsutum, pugnacem et cataractum. Hircipili, ait Festus, vocantur denorum pilorum homines. Et Plautus in *Pseudol.*: « Deus tu, ait, qui cum hirquinus stas barba, responde quod rogo. » Talis hircipilus fuit Alexander ob fervidam et igneam complexionem : hæc enim non tantum os et barbam, sed et totum corpus facit hirsutum. Addunt Hermolaus, Gesnerus in *Hirco*, et alii, hircino sanguine, utpote calidissimo, emolliri duritiem adamantis, utpote frigidi et sicci, ut scalpi et sculpi possit, etsi gemmarii nostri id falsum et ridiculum existiment : ita nil tam forte et durum fuit, quod non fregerit Alexander. Hisce de causis, heroibus hirco, æque ac tauro et ariete olim litabant, ut id ex Homero docent Giraldus et Gesnerus in *Hirco*. Hircus ergo notat Alexandrum qui heroum fuit heros et princeps.*

Secunda. *Secundo, Alexander vocatur hircus, quia princeps erat Græcorum, qui capris comparantur ob animi mobilitatem et sagacitatem, atque ob acumen ingenii. Nam, ut docet Plinius, lib. VIII, cap. L, capræ sagacioris sunt ingenii, acutioris visus, et ad motum agiliores, quam sint oves. Tales fuere Græci præ Persis. Acumen probet vel unus Aristoteles ingeniorum apex, quem Plinius, lib. XVIII, cap. xxxiv, vocat immensæ subtilitatis virum : « Græcis ingenita levitas animorum est, et erudita vanitas, » ait Cicero pro *Flacco*.*

Tertia. *Tertio, Alexander vocatur hircus ob factorem vinolentiae suæ, et ob libidinem Græcorum, inquit Rupertus, Græcorum dico, successorum Alexandri. Nam Alexander ipse in venerem non adeo fuit proclivis, eo quod esset vinolentus : idque Theophrastum dixisse narrat Athenaeus lib. X. Docet enim Aristoteles immodicam vini portionem facere ineptos ad venerem : eo quod per illam diluatur vis seminalis, ac sensus appetitus que obruantur et hebetescant. Ita Aristoteles, in *Quæst. physie. Quæst. XI et XXXII, sect. III.**

Quarta. *Quarto, vocatur hircus caprarum, tum quia juvenis erat, puta annorum viginti, cum cœpit regnare : solent enim Hebræi animalia juvenilia exprimere per genitivum matris. Sic ergo hircus*

caprarum vocatur hædus, qui adhuc sequitur et sugit capram matrem suam. Sic vocantur agni ovium, id est agni teneri et novelli. Tum potius, quia, sicut hircus dux est caprarum, sic Alexander princeps fuit Græcorum. Tum denique quia « hircus caprarum » notat Alexandri natales spurius, scilicet eum ex matre adultera fuisse genitum. Hircum enim olim vocabant, et etiamnum vocant eum, qui conjugem habet adulteram. Hircus ergo fuit Philippus : hircus vero caprarum, sive hædus, fuit Alexander spurius. Unde adagium ferebatur in spuriis, ut, si de patre eorum quispiam quæreret, responderent eum esse filium matris instar capræ; eo quod matrem haberet certam, patrem incertum. Caprarum enim natura instabilis, lubrica et mobilis admodum est, ac variis cum maribus congreguntur : quare hædus in caprilibus a matre tantum dignosci potest. Ita Pierius hierogl. 10. Quamobrem Alexander, ut patris adulteri nomen et probrum teget, imo in decus verteret, finxit se filium Jovis Hammonii.

*Hinc quinto, Alexander vocatur hircus, quia voluit haberi et coli ut filius Hammonis, qui hirci specie figurabatur : Hammon enim ægyptiacæ hircum significat. Unde et Pyrrhus rex in galea gestabat cornua hirci, uti mox dicam, quia ipse quoque jactabat se filium Jovis Hammonii. Esto enim Diodorus Siculus, lib. IV, in fine, Servius in IV *Aeneid.*, Herodotus, Festus, et alii, Hammoni arietis formam et cornua (quibus significabatur; involuta esse ejus responsa, ait Servius) attribuant; alii tamen ei dant speciem et cornua hirci, sive quia cornua ejus retrorsum erant reflexa, non anterius arcuata, uti sunt bovis), ut eminus aspiciens, an hircina essent, an arietina, distinguere non posset : sive potius quod Ägyptii suum Jovem, id est Hammonem, colebant tam specie hirci, quam arietis : tam enim caprum, quam arietem adorabant. Nam a pastoribus, qui tam capras quam oves pascunt, Hammon in deum consecratus est, teste Pausania in *Messeniacis*; adeoque Ägyptii hircum deificarunt, ait Diodorus Siculus, qui et addit Hammonis uxorem fuisse Amaltheam, ex qua Proverbium : « Amaltheæ cornu, » significans cornucopiam, et rerum abundantiam. Hæc autem Amalthea fuit capra nutrix Jovis, uti omnes Gentiles asserunt. Si Hammonis uxor fuit capra ; ergo ipse fuit caper, vel certe capri speciem assumpsit.*

*Hinc sexto, in hirco alluditur ad Panem deum ^{Sexta.} Ägyptiorum, qui universam mundi machinam repræsentabat, uti docet Giraldus in *Pane*. Pan enim erat specie hirci, teste Suida, Herodoto et Diodoro. Erat enim capripes, hirsutus et cornutus ut hircus. Unde Propertius in *Tertio* :*

Capripedes calamo Panes hiante canent.

*Et Ovidius in *Fastis* :*

Sunt oculis Nymphæ semicaperve deus.

Hircus ergo hic notat Alexandrum instar Panis fore mundi dominum, ac ut deum colendum.

Septima. Septimo, hircus brevis est ævi; nam ante sex annos consenescit, quia libidine vires exhaustit, uti tradunt Columella, Palladius, et ex iis Gesnerus in *Hirco*: significat ergo brevem vitam, et breve regnum Alexandri. Rursum hircorum oculi ob libidinem, in transversum aspiciunt, indeque hircus nomen accepit. Nam hirci vel hirqui, teste Suetonio, Isidoro et Gesnero, vocantur oculorum anguli. Unde Virgilius: « Transversa tuentibus hircis. » Transverso obtutu fuit quoque Alexander, eo quod capite esset, non directo, sed in humerum sinistrum inclinante, et sursum aspiciente, ut si quem coram se consistentem intueri vellet, limis et transversis oculis eum intueri deberet. Ita Plutarchus, Curtius et alii. Unde priscam Alexandri statuam Romæ in Quirinali, hunc ejus situm repræsentare videmus.

Octava. Octavo, hircus notat Alexandri gulam et aviditatem tum bibendi, tum carpendi, et prædandi gentes et regna. Capri enim et capræ omnia depascuntur, indeque caper græce vocatur τράγος a voracitate. Nam τρώγμα et τραγεῖν edere significat. Hinc Ovidius, I *Fastor.*:

Rode, caper, vitem, tamen hinc cum stabis ad aras,
In tua, quod spargi cornua possit, erit.

Quod acute et salse Romani in Domitianum Imperatorem, teste Suetonio in ejus Vita, transtulerunt: « Vel si me ad radicem comederas, tantum tamen vini producam, quantum immolando Cæsari posset infundi. » Quod enim supra vitis capro minitabatur, hoc eadem nunc minitatur Domitiano tyranno, vites succidi jubenti. Hinc et capri vocantur, quasi carpi, quod omnia carpant. « Capra, inquit Varro lib. De Lingua Latina, quasi carpa » : a quo scriptum « omnincarpæ capræ. » Hinc Baccho, vini præsidi, litabatur caper, quasi vites vastator. Unde Virgilius, II *Georg.*:

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur.

Nona. Nono, solent hirci cum arietibus cornutare et duellare; uti Alexander cum Dario decertavit. Qui ergo hinc duelli exemplum sumpserit, sciat se hircum esse et hircizare. Nec Alexander cum Dario duellum iniit, sed bellum. Prudenter et magnanime Antigonus, rex Macedoniæ, Pyrrho regi Epiri per caduceatorem provocanti ad singulare certamen, ut eo secum de regno decerneret, respondit, « dictum suum non armorum magis quam temporum esse; Pyrrho, si vitæ pœniteret, multas ad interitum patere vias. » Sic et Fabius Maximus Cunctator provocatus ab Annibale ad pugnam respondit, « se pugnam initurum cum sibi, non hosti, commodum videretur: se pugnæ tempus dare, non ab hoste accipere. » Et Augustus Cæsar Antonio provocanti ad duellum respondit: « Si Antonius perire velit, habet sat multis necis

modos. » Idem respondeant, qui hodie a stultis duellatoribus ad duellum provocantur, hosce imitantur. Hi enim fuerunt prudentes, generosi, magnanimi, et rerum domini, qui hoc suo prudenti responso hostem fregerunt et supplantaunt. Auctor est Plutarchus in eorum Vita.

Denique Eusebius in *Chron. olymp.* 47, anno Decima mundi 4610: Hoc, inquit, tempore « certantibus in agone τράγος, id est hircus, in præmio dabatur; unde aiunt Tragœdos nuncupatos. » Ita et Alexander certans cum Dario; eumque vincens hirci nomen quasi victoriæ præmium, vel omen accepit.

Porro hircus hic venit ab occidente; quia Macedonia, unde venit Alexander, occidentalis est respectu Persiæ et Asiæ, quas sibi subjecit. Rursum, « non tangebat terram, » id est, summa utebatur celeritate in conficiendis bellis et victoriis, instar fulminis, quod cito penetrat ab ortu ad occasum, sed et cito disparet. Nullam, ait Curtius, lib. V, virtutem regis istius magis quam celeritatem laudaverim. Sex enim annis Persas, Medos, Babylonios, Ægyptios et vicinas gentes debellavit; ut cum Cæsare, imo præ Cæsare, diceret potuerit: « Veni, vidi, vici. » Nota: Sicut bos figens in terra pedem symbolum est tarditatis, ita non tangere terram symbolum est agilitatis. Hinc Virgilius Camillæ celeritatem describens, ita canit:

Cursuque pedum prævertere ventos;
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Eadem phrasi Homerus, *Iliad.* xx, utitur, ut exprimat velocitatem equorum regis Erichthonii, et Ovidius de Atalanta ita canit, lib. X *Metamorph.*:

Non tan-
gere ter-
ram est
esse velo-
cissi-
num.
Exem-
plum Ca-
millæ.

Et Ata-
lanta.
Signa tubæ dederant, cum carcere pronus uterque
Emicat, et summam celeri pede libat arenam.

Simile de Lada veloci cursore narrat Solinus, cap. VII; adeo ut in arenis nulla indicia relinquunt vestigiorum. Porro in Alexandro verum fuit istud: « Quod cito fit, cito perit. » Et istud Senecæ in *Consol. ad Marciam*: « Non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas. » Et merito Paulus Orosius Alexandrum vocat magnum miseriarum gurgitem, et totius Orientis atrocissimum turbinem.

PORRO HIRCUS HABEBAT CORNU INSIGNE. — Hircus sunt reges Græcorum in confuso: cornu hoc proprie est Alexander. Erat hoc inter oculos, quia animalia unicornia cornu habent inter oculos, idque ut significet Alexandri ingenium, prudentialiam, sagacitatem. Ita Theodoretus.

Nota: Cornu fuit insigne regum; reges enim gestabant cornu quasi symbolum regni. Hinc Plutarchus de Pyrrho: « Agnitus, inquit, fuit ipse

Cornu
est sym-
bolum
reani.

eximia crista et cornibus hircinis. » Sic et Virgilius, *Aeneid.* XII, *Aeneæ quasi regi dat,*

Ensemque clypeumque et rubræ cornua cristæ.

Sic imago Tryphonis habet galeam, cui infixum est cornu, ut videre est in effigie quam edidit Vilalpando in *Apparat. templi*, pag. 337. Hinc *Psalm. cxxxii, 17*, de rege David dicitur : « Illuc producam cornu David. » Cornu enim est symbolum roboris, significatque decus et majestatem regiam. Hinc illud ænigma (cujus meminit Strabo) Demetrii Phalerei ad Philippum patrem hujus Alexandri : « Utroque cornu bovem continebis, » hoc est, occupabis duas arces, scilicet Acrocorinthum et Ithomen; his enim occupatis, facile totam Peloponesum occupabis; duas ergo arces duo cornua, Peloponesum vero bovem nuncupabat.

Vers. 6. 6. (1) IN IMPETU FORTITUDINIS SUÆ, — impetu fortissimo et vehementissimo : Hebraice est בְּחַמֶּת כָּחֹם bechemat cocho, *in ira roboris sui*, id est in ira robusta et forti, ira robur augente, aut robore ira accenso.

Vers. 7. 7. ET PERCUSSIT ARIETEM (Alexander occidit Darium regem Persarum), ET COMMUNUIT DUO CORNUA (duo regna, scilicet Persarum et Medorum), ET CONCULCAVIT, — id est subjecit et vectigalia fecit, uti dixi cap. præced. vers. 7.

Vers. 8. 8. MAGNUS FACTUS EST, — et re et nomine; nam a rerum gestarum gloria vocatus est Alexander Magnus.

CUMQUE CREVISSET. — Alexander enim mortuus est, cum ad summum ætatis et imperii robur pervenisset, cum nec mori, nec vinci posse videbatur. Nam paulo ante mortem pro deo habitus est: subornarat enim Jovis Hammonis sacerdotes, ut rogati cuius filius esset Alexander (erat enim ex adulterio natus) responderent, Jovis Hammonis. Ita Justinus lib. XI.

FRACTUM EST CORNU MAGNUM. — *Tu fractum* significat violentam mortem Alexandri, quia Alexander in flore ætatis, scilicet cum vixisset 32 annos, et octo menses; atque 12 annos, et octo menses regnasset in summa felicitate et gloria, violenta morte vel crapula, ut vult Athenæus, vel veneno, ut volunt alii, Babylone decessit, anno 1 olymp. 114, ut docent Curtius, Josephus et alii.

Nota : Natus est Alexander anno 1 olymp. 106, et anno urbis Romæ conditæ 395, die 6 mensis Hecatombæonis, quo die deflagravit Ephesi templum Dianæ, vaticinatique sunt magi magnum eo die natum esse Asiæ incendium, is fuit Alexander.

Alexander, annos natus quindecim, a patre in disciplinam Aristoteli traditur, ab eoque per quinquennium in litteris et doctrinis rege dignis

(1) « Et venit usque ad arietem illum cornutum quem videram... » Significatur Alexandri Darium Codomanum bello aggredientis ad Persici regni fines adventus.

institutus est. Patre occiso annum agens vigesimum, regnum adiit.

Anno 1 regni sui, Illyricum, Thraciam et Græciam perdomuit.

Anno 2, primum prælum cum ducibus Darii ad Granicum flumen inivit, victorque Asiæ rapuit imperium.

Anno 3, ipsum Darium cum exercitu profligavit.

Anno 4, venit in Phœniciam, Egyptum et Judæam, atque Tyrum expugnavit, et Alexandriam condidit, Jerusalem quoque venit, et pontificem Jaddo adoravit, Deoque sacrificavit, atque vaticinium hoc Danielis ante ducentos annos ab eo de se editum, quod scilicet ipse Persarum imperium everteret, lætus gaudensque audivit, et fidens certusque de victoria perrexit contra Darium. Audi Josephum, lib. XII, cap. viii : « Alexander, ait, solus ad eum (Jaddum pontificem) accedens, nomen illud (tetragrammaton Dei, quod pontifex in lamina tiaræ affixa incisum gestabat) adoravit, et primus salutavit pontificem. Syriæ reges et reliqui obstuperunt; solus Parmenio propius accedens rogavit quid ita, cum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret pontificem Judæorum? At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo, cuius pontifex esset, honorem eum exhibuisse. Hunc enim, inquit, vidi, et antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me liberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, et sine mora exercitum trahicere: nam suo ductu potitum me Persarum imperio. Quapropter quia nunc primum talēm habitum vidi, agnoscens hunc, et visionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine in Darium exercitum ducere, et brevi fore victoriae compotem. Hæc locutus ad Parmenionem, et comiter complexus pontificem, deducentibus sacerdotibus in urbem pervenit; et cum ascendisset in templum, immolavit Deo ex sacerdotis præscripto, ac pontifici quoque suum honorem exhibuit. » Subdit deinde de hac Danielis prophetia illi exhibita :

« Ostendoque sibi Danielis libro, in quo Græcum quemdam Persas debellatur significabat, hunc ipsum se esse interpretatus, lætus dimisit multitudinem. Sequenti vero die vocatis eis, jussit ut quidquid vellent peterent. Ponifice autem petente ut patriis legibus vivere sibi liceret, utque septimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, concessit omnia. Et cum fecisset eis potestatem, si qui vellent, salvis suis ritibus, sequi ejus militiam, multi in eam expeditionem derunt nomina. »

Anno regni sui 6, Alexander tertio prælio plane cecidit Darii Calendis octobris, Darioque a suis occiso, Persarum imperium adeptus, atque Asiæ imperator salutatus est. Ubi nota cum Ruperto exemplum illustre, quam instabilis sit status hujus saeculi, et infida fiducia mundi : Darius ecce

Darius victus, et a suis derelictus, imo sauciatus ad mortuariens tem, sitibundus et moribundus, oblatam a milite ad Alexandrum aquam hausit, eumque misit ad Alexandrum ut quid? hæc ei referret: Felicius te hostem, quam cognatos, propinquosque meos sortitus sum: matri quippe et liberis meis a te hoste vita data est, mihi a cognatis erpta, quibus et vitam dedi et regna. Audiens hæc Alexander, visoque corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est, corpusque regio more se veliri jussit.

Reliquis sex regni vitæque annis, Alexander plurimas gentes usque ad Gangem fluvium et Indicum Oceanum subjugavit. Ita ex Justino, Curtio, Diodoro et aliis Pererius.

Alexander mors et præsagia. Præsagia mortis Alexandri hæc recenset Plutarchus. *Primum*, Chaldae monebant Babylone ut abstineret. *Secundum*, cum ad muros Babylonis pervenit, corvorum examen vidi certantium, et se mutuo cædentiū, quorum aliquot juxta ipsum sunt delapsi. *Tertium*, aruspex in hostia truncata exta deprehendit. *Quartum*, leonem grandissimum et speciosissimum eorum qui ibi alebantur, domesticus asinus adortus calce interfecit. *Quintum*, hominem contemplantur tacitum in solio sedentem, diademate et amictu regio ornatum, qui rogatus diu non reddidit vocem. Vix tandem, cum ad se redisset, dixit ita sibi jussum a Serapi.

Porro mortem ejus ita describit Justinus, lib. XII: « In comessatione, accepto poculo media potione, repente veluti telo confixus ingemuit. Quarto die indubitatam mortem sentiens, agnoscere se fatum domus majorum ait; nam plerosque Aëcidaram intra trigesimum annum defunctos. Tumultuantes deinde milites, insidiis perire regem suspicantes, sedavit, osculandamque dexteram suam flentibus porrexit. Cum lacrymarentur omnes, ipse non sine lacrymis tantum, verum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolaretur. Quibusdam mandata ad parentes eorum dedit, adeo, sicut in hostem, ita et in mortem invictus animus fuit. Dimissis militibus; amicos circumstantes percunctatur, videantur similem sibi reperti regem? Tacentibus cunctis, tunc ipse, ut hoc nesciat, ita illud scire vaticinarique se, ac pene videre oculis dixit, quantis cædibus mortuo sibi sit parentatura Macedonia. Ad postremum corpus suum Hammonis templo condi jubet. Cum deficere eum amici viderent, quærunt quem imperii faciat hæredem? Respondit: Dignissimum. Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiæ misisset, ita omnes in æmulationem consurgunt. Sexto die, præclusa voce, exemptum annulum digito Perdicæ tradidit. »

Eadem habet Curtius, lib. X, in fine, qui adit eum mcerentibus militibus dixisse: « Invenietis cum excessero, dignum talibus viris regem. Rursus, Perdicca interrogante quando coelestes honores haberi sibi vellet? dixit tum velle, cum

ipsi felices essent. Suprema hæc vox fuit regis, et paulo post extinguitur. Ac primo ploratu tota regia personabat, quin et indignantium voces audiabantur, tam viridem et in flore etatis fortunæque invidia deum erectum esse rebus humanis. » Subdit deinde ingentia lamenta matris, uxoris et filiarum Darii, imo matrem se inedia confecisse: « Magnum profecto indulgentiæ in eam Alexandri documentum, quæ, cum sustinuissest post Darium vivere, Alexandro esse superstes erubuit. Septimo demum die in summo æstu, curare corpus exanimum amicis vacavit, nulla tabe, nec livore quidem corruptum videre, qui intraverant. Vigor quoque non deseruerat vultum. Itaque Aëgyptii jussi corpus curare, primo non sunt ausi admovere velut spiranti manus. Deinde precati ut jus fasque esset mortalibus attractare eum, purgavere corpus, repletumque est odoribus. Aureum solium, et capiti adjecta fortunæ ejus insignia. »

Vide hic in Alexandro quam sit verum illud Sapientis: « Omnis potentatus vita brevis. » Tantum enim duodecim annis regnavit, in ipso flore ætatis et regni extinctus. « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas omnes gentes? » Habuit hic ipse, uti et Salomon; suas opes, delicias, veneres, victorias, et quidquid mortalis optare potest; sed quam modico tempore! habet nunc suas miserias, inopiam, vermem et ignem gehennæ; sed quanto tempore! Habuit ea jam per duo milia annorum, habebit ea per centum millia, per mille millions annorum, habebit ea in omnem æternitatem. O quam male, quam misere divisa fuit sors Alexandri! Sors hujus vitæ felix fuit ad momentum; sed alterius vitæ est infelicissima in æternum. Vide ergo quisquis hic dives, potens, felix es et deliciaris, ne et tibi tua felicitatis sors hic detur, et in futuro sors altera infelicitatis tibi obveniat, ne audias illud Abrahæ ad Epulonem: « Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. »

ET ORTA SUNT (loco insignis illius cornu jam fracti, ut habent Hebræa) QUATUOR CORNUA SUBTER ILLUD, — puta quatuor Alexandri duces: scilicet Antigonus, qui imperavit Asiæ; Philippus sive Aridaeus, qui Macedonia; Seleucus, qui Syria; Ptolemæus, qui Aëgypto. Licet enim Arianus et Curtius numerent decem Alexandri successores: hi tamen quatuor fuerunt omnium principes. Ita S. Hieronymus.

Vide hic novam Alexandri miseriam, et mundi fallaciam. Nam ab iis quos ipse aluerat et evexerat, stirps ejus funditus excisa est. Curtius enim, cum eum veneno necatum ab Antipatro, ejusque filiis Cassandro et Jolla narrasset, subdit: « Hæc utcumque sunt tradita, eorum, quos rumor asperserat, mox potentia extinxit. Regnum enim Macedoniae Antipater, et Græciam quoque invasit. Soboles deinde exceptit, imperfectis omnibus qui-

cumque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant. » Clarius id narrat Justinus, qui, cum lib. XII narrasset venenum ei datum a Cassandro, lib. XV, tradit ab eodem Cassandro Alexandri matrem Olympiadem, et filium Herculem quatuordecim annorum, item alterum ejus infantem cum matre Roxane interemptos esse. Ita libido dominandi cædibus sibi regnum parare putat, sed patrat interitum. Pari enim modo Cassander ab aliis regni æmulis interemptus est, nimirum :

Ad generum Cereris (Plutonem) sine cæde et sanguine pauci.
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

PER QUATUOR VENTOS COELI, — per quatuor mundi plagas.

9. DE UNO AUTEM EX EIS (de Seleuco) **EGRESSUM EST CORNU UNUM MODICUM**. — Hoc cornu est Antiochus Epiphanes, qui octavo loco descendit a Seleuco.

Nota : Post mortem Alexandri anno duodecimo Seleucus imposuit sibi diadema Syriæ, ac consequenter Judææ, et victo Antigono, totius Asiæ. Hinc ab anno hoc 12, qui fuit primus Seleuci, numerat auctor libri *Machabæorum* annos Græcorum, sive Seleucidarum, qui præ aliis in Judæos imperium usurparunt. Unde eis fortissime restiterunt Judas, Jonathas et Simon Machabæi.

Porro Antiochus Epiphanes vocatur « cornu modicum; » quia minor natu fuit filius Antiochi Magni (1), qui cum Annibale contra Romanos dicitur quis et qualis? dicens, sed victus fususque pacem cum Romanis iniit, obsidemque Romanis misit filium hunc Antiochum Epiphanem, qui paulo post, mortuo fratre Seleuco Philopatore, qui patri in regno successerat, Roma fugiens, ejecto fratris filio Demetrio, per vim regnum Syriæ invasit, quod contigit post mortem Alexandri, anno 150. Itaque hic Antiochus dictus Epiphanes, id est illustris, a rerum gestarum gloria, *primo*, ad orientem Artaxiam regem Armeniæ devicit, *mox* ad meridiem profligavit Ptolemæum Philometorem regem Ægypti, atque Alexandriam obsedit, eamque obtinuissest, nisi a Romanis coactus fuissest abscedere. Missus enim ab eis Popilius Lænas, Antiochum virga per circulum circumscripsit, dicens : « Non excedes hoc circulo, nisi respondeas : Jubet populus Romanus te Ægypto, utpote eis amica, abscedere. » Respondit Antiochus : « Parebo ; » unde fremens frendensque discessit, omnemque deinde iram suam in Judæos vicinos effudit, ut patet ex libris

(1) Vel ideo quod ejus ditio minor esset quam eorum qui præcesserunt, regum Syriæ, quia pater ejus, Antiochus Magnus, a L. Scipione ad Magnesiam victus, ea demum conditione pacem a Romanis impetravit, ut Asia multatus infra Taurum regnaret; vel ratione personæ, utpote obes olim Romanis a patre Antiocho datus (cf. I *Machab.* 1, 11), contemptus item, et talis, ut si res pene regni ordines stetisset, dignitatem regiam, quam ille dolis et scelere consecutus est, neutquam in eum collaturi fuissent, ut infra cap. xi, 21 dicitur.

Machab. Porro Antiochus hic regnavit 12 circiter annos, ut patet I *Machab.* 1, 11, collato cum cap. vi, vers. 15.

ET FACTUM EST GRANDE. — Hebræus, *crevit valide*, vel excellenter; Septuaginta, ἐμεγάλωθι περισσῶς, *magnificatum est valde* (2).

ET CONTRA FORTITUDINEM. — Hebraice est תְּסֵבִי tsebi, quod Noster vertit, *fortitudinem*; et vers. 12, *robur*; cap. vero xi, 16 et 45 vertit, *terram inclitam*. Alii vertunt, *militiam*, ut *tsebi* sit idem quod Τσεβα tseba, id est exercitus. Proprie *tsebi* significat rem tumidam, plenam, turgidam, eminentem, crassam, pingue, quæ alios in sui amore et desiderium allicit. Hinc ulterius per catachresin *tsebi* significat id quod est pulchrum, amabile et inclytum, puta decus, gloriam, decorem, jucunditatem, delicias et capreolum, qui homini est in deliciis. Unde *tsebi* vel *tsebia*, et syriace *tabita*, vocatur δοξῆς, id est *dama*, vel *caprea*; quomodo vocata est illa pia matrona quam S. Petrus a morte suscitavit, *Actor.* ix, 30. *Tsebi* ergo est epithetum Judææ et Jerusalem. Sensus ergo est, q. d. Antiochus pugnabit contra *tsebi*, id est contra Judæam, quæ est terra Deo amabilis, decora, excellens, fertilis et desiderabilis : et contra Israel, qui est *tsebi*, id est populus præstans et charus cœlitibus, eorumque decus et gloria, quique Dei et angelorum vallatur præsidio, ideoque est fortissimus. Ita S. Hieronymus.

10. ET MAGNIFICATUM EST USQUE AD FORTITUDINEM COELI. — Pro *fortitudinem* Hebraice non est *tsebi*, sed *tseba*, id est exercitus, militia, fortitudo militaris. Ad verbum ergo Hebraice est : *Et magnificatum est usque ad militiam cœli*, id est usque ad Judæos : hi vocantur militia, vel fortitudo cœli; quia, Deo duce invocato et adjuvante, feliciter bella gerebant, ut patet ex libris *Machab.* Ita ut de illis dici potuerit, quod de Theodosio Eugenium, ope Dei devincente, cecinit Claudianus :

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti!

Significat ergo Daniel, quod Antiochus Judæos devicerit, idque ob eorum peccata, qui antea erant invincibilis; cum Hierosolyma ob templum esset quasi arx Dei, et cœli cœlitumque.

(2) « Contra meridiem, » significatur Ægyptus, quæ Syriæ ad austrum est sita, et in hisce vaticiniis sæpius sic vecatur, ut contra Syria, ad Ægyptum relata septentrionis nomine aliquoties venit, veluti cap. xi, 5, 6, 9, 11, 14, 15. Cf. I *Machab.* 1, 18 et seqq., et plura de bellis, quæ Antiochus adversus Ægyptum gessit. « Et contra orientem; » suscepit Antiochus expeditionem contra Persidem, et regiones ultra Euphraten sitas, I *Machab.* III, 31, 37; vi, et seqq. Porro, cum cœli plagas, quas versus cornu illud crevit, commemorare cœpisset, exspectandum erat, jam vel occidentis, vel septentrionis vatem mentionem facturum esse. Sed pro alterutra addit : « et contra fortitudinem, » vel *contra decus, contra terram decoris* (vide cap. xi, 16, 41), id est contra terram Israeliticam, quæ ita vocatur, ob fertilitatem et præstantiam.

Tsebi est res tumida, pulchra, amabilis, uti est capreolus, talis fuit Judea.

ET DEJECIT DE FORTITUDINE. — Hebraice *de exercitu*, scilicet Judæorum, multos prostravit. Est hoc loco gradatio hyperbolica, q. d. Antiochus non solum prævalebit contra *tsebi*, id est contra Jerusalem pulcherrimam et potentissimam; sed etiam *tsaba*, id est exercitus non terrestres, sed cœlestes, ipsumque cœlum et ejus militiam lacerasset et invadet; dejiciet stellas et sidera, eaque dejecta pedibus proteret. Unde sequitur :

ET DE STELLIS. — *Stellas* vocat Judæos illustres nobilitate, doctrina et pietate, quos Antiochus vel minis a patria lege abduxit, vel constantes in ea necavit. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Vatablus et S. Gregorius, XXXII Moral. XII, ubi totum hunc locum explicat. Unde hic alludens S. Joannes, Apocal. cap. XII, 4, dicit quod draco, id est diabolus, per Antichristum (cujus præcursor et typus fuit hic Antiochus) trahet post se in fine mundi tertiam partem stellarum, id est Sanctorum illustrum, quos vel per falsa miracula, vel per promissa opum et honorum, vel per tormenta et minas a Christo ad se apostatare faciet Antichristus. Sic cap. XII, 3, audiemus : « Qui ad justitiam erudiunt multos, » fulgebunt « quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Et Apocal. I, 16, de Christo dicitur : « Habebat in dextera sua stellas septem. » Et I Corinth. xv, 41, ait Paulus : « Stella a stella differt in claritate; sic erit et resurrectio mortuorum. »

Vers. 11. **11. ET USQUE AD PRINCIPEM FORTITUDINIS.** — Ausus est Antiochus pugnare contra Deum ipsum, eumque bello lacessere, et quasi ad duellum provocare : Deum, inquam, qui erat princeps militiae et fortitudinis populi sui Judaici : Antiochus enim idolum Jovis Olympii in templo Hierosolymitano collocavit, et ab eo illud nominari voluit, itaque Deum quasi de loco suo dejecit, aliumque deum in ejus possessionem induxit : imo ipse præ fastu deum quasi se reputabat. Nam « sibi videbatur fluctibus maris imperare, et montium altitudines in statera appendere, et sidera cœli contingere, » (et hac de causa hic stellas dejecisse dicitur) ut habetur II Machab. IX, 8 et 10.

ET AB EO TULIT JUGE SACRIFICIUM. — Vetuit Deo sacrificari agnum mane et vespere, quod erat juge sacrificium; sub quo cætera omnia intelligit : omnia enim sustulit Antiochus.

ET DEJECIT LOCUM SANCTIFICATIONIS EJUS. — Antiochus non combussit, nec diruit templum : sed illud « dejecit » de suo gradu et honore, ne esset templum Dei, quia illud profanavit et Jovi dedicavit : unde in altari carnes suillas, in legis et Judæorum opprobrium immolari jussit : prohibuit circumcisionem, sacros libros combussit, Judæos ad Græcorum religionem compulit; Eleazarum, septem fratres, aliasque id recusantes occidit. Hinc Nazianzenus, orat. 22 De Machabæis, Antiochum vocat dæmonem, eumque comparat dæmoni, qui adolescentes tentat, et impellit ad peccata.

12. **ROBUR AUTEM DATUM EST EI** (Antiocho data Vers. 12) est potestas et exercitus, ut habent Hebræa) **CONTRA JUGE SACRIFICIUM** (non ob ejus merita aut vires, sed) **PROPTER PECCATA** — Judæorum : Deus enim eligit locum propter gentem, non gentem propter locum : unde et modo permittit tempora ab hereticis violari, et sanctam Eucharistiam conculari, idque ob peccata ibidem admissa. Unde Vatablus hic vertit : *Exercitus* (scilicet Judæorum, ut dicitur vers. 13) *traditus est ei* (Antiocho) *cum perenni sacro per scelus*; vel : *Exercitus traditus est ei propter sacrificium juge ob iniquitatem*, id est propter iniquitates quas admiserant Israelitæ in juge sacrificium, venerunt in potestatem Antiochi. Et hoc videntur velle Septuaginta dum vertunt : ἐγεννθεὶ τὸν θυσίαν ἀμαρτία, Factum est super sacrificium peccatum. Et paulo ante : *Sacrificium turbatum est*. Theodoreetus addit παραπτώματι, id est *delicto*, hoc est, propter delicta sacerdotum et populi. Porro noster Interpres in Hebræo videtur leguisse *tsebi*, de quo vers. 9, aut *tsaba* accepit pro *tsebi*: Hebræi enim sæpe commutant litteras quiescentes י ו נ. Aut certe pro *robur* intelligit exercitum : hanc enim significat *tsaba*, et hic dat regi *robur*.

ET PROSTERNETUR VERITAS IN TERRA. — « Veritas, » puta vera Dei fides, cultus, religio : hæc enim sustulit Antiochus. Septuaginta pro *veritas* vertunt, *justitia* : conculecatur enim religione, conculecatur et *justitia*.

ET FACIET, ET PROSPERABITUR. — Antiochus faciet quidquid volet, idque prospero eventu. Est hendiadis.

Dices : קְרֵנָה *aseta*, id est *faciet*, est feminini generis; ergo non refert Antiochum, sed veritatem, q. d. Veritas in terram, quasi semen dejecta, fructum faciet, magisque multiplicabitur : nam sanguis martyrum semen est fidelium, ut inquit Tertullianus. Ita explicant Maldonatus et Fernandius. Verum respondeo, *aseta*, id est *faciet*, respicit קרן *keren*, id est cornu, quod est feminini generis : Antiochus enim est cornu modicum, de quo a vers 9 egit hoc usque; quia ergo *keren* est femininum, hinc femininum verbum ei attribuit hic, et vers. 9. Verum, quia per *keren* intelligit Antiochum, hinc vers. 11, utitur verbis masculinis.

13. **ET AUDIVI UNUM DE SANCTIS.** — Audivi ange- Vers. 13. gelum unum superioris ordinis, ex iis qui Deo assistunt, cap. præced. vers. 10 (1).

ALTERI NESCIO CUI LOQUENTI, — cuidam cujus nomen ignoro, loquenti : hebraice enim est פָלֹנִי

(1) Quæ iis qui proxime antecedunt versibus Daniel narravit de abolendo sacrificio jugi, de vastatione templi, et de populo Judaico impiorum vexationibus permittendo, cum ex sola visione percipere non potuerit; jam subdit, unde hauserit quæ de regis illius impii, quem cornu significavit, rebus gerendis proxime antea dixit. Innotuisse sibi illa ait ex duorum angelorum colloquio, cuius testis fuerit.

peloni, quem Hispani vocant *fulano*, Galli *unquidam*. Unde Aquila, Theodotion et Septuaginta retinuerunt hebraeam vocem, verteruntque φαληρον : quam minus recte Eudoxius transtulit, *amicissimo, praesidi præcipuo*. Indicat Daniel se tres ut minimum angelos vidisse, vel potius audivisse. Nam vedit unum loquentem cum aliquo alio, et unum alterum ab eo qui loquebatur sic interrogantem : « Usquequo visio ? » Ex his patet vera esse ea quæ de angelorum locutione et illuminatione quam inferiores a superioribus accipiunt, tradit S. Dionysius lib. *De Cœlest. Hierarc.* Vide dicta I *Corinth.* XIII, 1, ubi disserui de lingua angelorum. An hi angeli fuerint diversi ab illis vers. 15, an vero iidem, non liquet. Potuit enim unus hic eminus loquens, mox vers. 15 ad Danielem advolare, eique viri specie spectandum se præbere, ac visionem exponere. Unde noster Fernandius, vis. XXV, sect. v, censem eum qui hic loquitur, nec nominatur, esse illum ipsum qui vers. 16, vocatur Gabriel.

Quidquid de hac re sit, certum est angelos hos locutos esse inter se de persecutione Antiochi Epiphanis, ejusque terminum optavisse, ut ostenderent se esse angelos præsides et tutelares Judæorum, sive fidelium, et populi Dei, eorumque res curare et cordi habere, ac tantæ eorum calamitati condolere et misereri, eique tempore a Deo prestituto finem imposituros.

USQUEQUO VISIO, ET JUGE SACRIFICIUM (et significat *id est*, q. d. Quamdiu sacrificium juge quod Daniel ab Antiocho sublatum vedit, sublatum manebit?), **ET PECCATUM DESOLATIONIS** (*id est* desolatio urbis) **QUE** (propter Judæorum peccatum) **FACTA** (*id est* facienda) **EST** (repete *usquequo*, scilicet, durabit?), **ET SANCTUARIUM** (templum), **ET FORTITUDO**; — hebraice נְבָשׁ *tsaba*, *id est* exercitus populusque Dei, usquequo conculcabitur?

Vers. 14. **14. ET DIXIT EI : USQUE AD VESPERAM ET MANE, DIES DUO MILLIA TRECENTI.** — « Usque ad vesperam et mane, » *id est* a dolore ad lætitiam, inquit Theodoreetus, juxta illud Psalm. XXIX, 6 : « Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. » Sed hoc est mysticum.

Secundo, Maldonatus et Vatablus : « Usque ad vesperam et mane, » *id est* secundum noctium dierumque successionem, q. d. Dies naturales (quorum quisque constat vespere et mane, *id est* nocte et die) hujus desolationis erunt 2300.

Tertio et aptissime, Pererius et Pintus : « Usque ad vesperam et mane, » *id est* usque ad diem illum, qua scilicet finietur desolatio Antiochi, erunt dies 2300. Dies enim naturalis per vesperam et mane quasi per sui finem et principium, describitur Genes. I, 5. **Secundo**, alludit ad juge sacrificium, quod ait hoc die restituendum : illud enim offerebatur tam vespere quam mane; ideo dicit : « Usque ad vesperam et mane, » potius quam « usque ad diem illum. »

DIES DUO MILLIA TRECENTI, — *id est* anni sex,

menses quatuor, dies 20; cœpit enim hæc Judæorum per Antiochum desolatio anno 143 Græcorum, ut habetur I Machab. I, 21, et duravit usque ad annum 149 quo mortuus est Antiochus, I Machab. VI, 16. Licet enim, anno præcedente 148, Judas Machabæus mundaverit templum ab Antiocho pollutum, ut patet I Machab. IV, 52; tamen quia adhuc vivebat Antiochus, nondum desolatio et persecutio cessabant, nondum libere agere et sacrificare poterant Judæi : eo vero mortuo anno sequenti 149, omni metu et persecutione soluti, libere sacrificare suaque festa et sacra publice et intrepide celebrare cœperunt : unde illum annum quasi restitutæ libertatis, sacrificii et religionis notat hic angelus. Perperam apud Septuaginta legitur, **dies 2400**, apud alios, teste S. Hieronymo, **dies 2200**. Hebræa enim et Latina constanter habent **dies 2300**.

15. QUASI SPECIES VIRI. — Angelus hic fuit, species viri apparenz Danieli, quem Hebræi censem fuisse Gabrielem. Ille enim mox jubetur visionem exponere Danieli : angelum vero alterum qui illi acclamavit, jussitque visionem exponere, Michaellem fuisse censem veteres Hebræi, inquit S. Hieronymus, qui et addit : « Quia visio de præliis erat, regumque certaminibus, imo regnorum successionibus, Gabriel, qui præpositus est præliis, huic officio mancipatur. Gabriel enim in linguam nostram vertitur, *fortitudo*, vel *robustus Dei*. Unde et eo tempore, quo erat Dominus nasciturus, et indicturus bellum daemonibus, et triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam et ad Mariam, Lucæ I. Et postea in psalmis legimus de Domino triumphante : *Quis est iste rex gloriae?* Dominus fortis et potens : Dominus fortis in prælio, ipse est rex gloriae. Ubi cumque autem medicina et sanatio necessaria est, Raphael mittitur, qui interpretatur *curatio*, vel *medicina Dei* : hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit medicina vera. Porro ubi populo prospera promittuntur, et εὐαγγέλιον (quod nos vel propitiationem, vel expiationem possumus dicere) necessaria est, Michael dirigitur, qui interpretatur : *Quis sicut Deus?* ut scilicet intelligatur, quia propitiationem vel expiationem nullus possit afferre nisi Deus. »

16. INTER ULAI, — inter portas, vel inter ripas Vers. 16 Ulai, ubi in spiritu consistebat Daniel, ut dictum est vers. 2.

17. IN TEMPORE FINIS (*id est* tempore definito et Vers. 17 constituto a Deo) **COMPLEBITUR VISIO.** — Unde ex Hebreo clare sic vertas : *In tempore* (a Deo definito) *erit finis visionis*, *id est* complebitur hæc visio. Sic enim se explicat vers. 19, dicens : « Ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis, » *id est* iræ Dei, quando scilicet impleta mensura peccatorum, tum Persarum, tum Judæorum, Deus ea puniet per Alexandrum et per Antiochum. Quod enim ibi subdit : « Quoniam habet tempus finem suum, » *idem* videtur esse

cum eo quod hic dicit: « In tempore finis. » *Tempus ergo finis est novissimum maledictionis*, id est iræ Dei. Hinc secundo, per hypallagen sic explicari potest: « In tempore finis, » id est in fine temporis, scilicet a Deo, et Dei ira decreti et destinati. Ita Septuaginta. Tertio, longius abit Vatablus, dum vertit: *Visum eveniet post finitam captivitatem Babyloniam*, quasi tempus finis sit illud, quo finientur 70 anni captivitatis Babylonice. Verum ejus nulla hic præcessit mentio: et hæc diu post captivitatem contigerunt. Quarto, alii sic explicant: « In tempore finis, » quo scilicet Antiochi persecutio finietur, complebitur hæc visio, præsertim ea parte qua dixit vers. 14: « Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti, » quasi eo respiciat angelus. Verum hoc arctius est, neque satis consentit cum vers. 19, quod dicit in novissimo maledictionis hæc futura, puta regnante Alexandro et sæviente Antiocho, uti in sequentibus explicat, ubi clare docet visionem hanc finiendam et implendam esse per utrumque hunc regem, illum Persas, hunc Judæos invadentem et proterentem. Licet enim Judæi jam affligerentur et protererentur a Chaldaeis, tamen longe gravius affligendi erant ab Antiocho. Hic enim non corpora, ut Chaldae, sed corpora et animas protrivit, cogendo omnes ad idolatriam, et sacra omnia vel abolendo, vel profanando. Quinto, alii: « In tempore finis, » inquiunt, id est in tempore brevi finiendo: excitat enim attentionem Prophetæ, et simul confirmat prophetiam adeo veram esse, ut brevi tempore complenda sit. Sed obstat vers. 26; ibi enim ait eam fore post multos dies: persecutio enim Antiochi contigit pene 400 annis post Daniel. Esto enim hoc tempus breve sit respectu Dei et æternitatis, tamen nobis longum est, et vers. 26, longum vocatur: cur ergo hic illud vocaret breve? pariformiter enim et uniformiter loqui solent Prophetæ. Quocirca melius Vatablus contrarie exponit hoc modo: « In tempore finis, » id est in tempore tandem finiendo, hoc est, post longum tempus complebitur hæc visio.

Vers. 18. 18. COLLAPSUS SUM. — Hinc videtur quod Daniel bis collapsus sit in terram, primo, ad præsentiam; secundo, ad vocem angeli. Ita Maldonatus.

Vers. 19. 19. QUÆ FUTURA SUNT IN NOVISSIMO MALEDICTIONIS. — Hebræus: *Quæ futura sunt in extremo iræ*, cum scilicet ira Dei, quam ipse jam cohibet, peccatis Persarum, et Judæorum irritata, ad summum pervenerit, et in ultionem erumpet.

QUONIAM HABET TEMPUS FINEM SUUM, — id est suam periodum, suum spatium, suam ætatem, sibi a Deo præstitutam et definitam, ut in ea adveniat, adducatque secum omnia quæ in tempore illo futura sunt, quæque hic futura prævidentur et prædicuntur. Vide dicta vers. 17.

Vers. 21. 21. HIRCUS. — Hebraice sunt duas voces חתנָה hattsaphir hassair, q. d. Hiræus, hircus; sed quem vers. 5, chaldaice vocavit hattsaphir, eum-

dem hic hebraice explicans vocat hassair. Hircum enim chaldaice vocari tsaphir, hebraice sair, idque a pilis et villis quibus abundat, docent Vatablus, Marinus Brixensis in *Lexico*, et alii.

22. QUATUOR REGES (quos nominavi vers. 8) DE GENTE EJUS CONSURGENT (erunt enim Græci et Macedones, qualis fuit Alexander), SED NON IN FORTITUDINE EJUS, — id est nequaquam illi viribus parres erunt. Vere Paulus Orosius, lib. III *Hist. cap. xxiii*: « Alexander, inquit, per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit: principes vero ejus quatuordecim annis dilaniaverunt, et velut opimam prædam a magno leone prostratam avidi discerpere catuli, seque ipsos invicem in rixam irritatos prædæ æmulatione fregerunt.

23. ET POST REGNUM EORUM, — quatuor primo- rum, qui Alexandro proxime successerunt. Vers. 23.

CUM CREVERINT INIQUITATES — Judæorum, ita ut earum mensura completa Deus permittat sævire Antiochum in Judæos. De peccatis hisce vide I *Machab. I*, 12 et seq.

CONSURGET — non proxime, sed remote: sex enim reges medii intercesserunt, regnaveruntque per annos centum et sex.

REX IMPUDENS FACIE, — puta Antiochus Epiphanes, rex impiissimus, qui nec Deum, nec homines reverebitur: unde in multis erit ipse typus Antichristi. De quo vide S. Gregorium, XXXII *Moral. XII*.

ET INTELLIGENS PROPOSITIONES, — abstrusas sci- licet, et vix ulli hominum cognitas. Hebraice חידות chidot, id est ænigmata, strophas et versutias, q. d. Antiochus erit acutus et astutus, sagax et calidus. Alii sic exponunt: *Intelligens propositiones*, id est intelligere faciens hanc de se prophetiam: ipse enim suis factis eam adimplebit, itaque eam omnibus conspicuam faciet. Sed hoc remotius et alienius videtur.

24. NON IN VIRIBUS SUIS, — sed permissu Dei, vo- lentis punire per eum peccata Judæorum, ut dixit vers. 12.

ET FACIET, — perficiet scelera quæ animo desti- nat, parem habebit manum ingenio, et opera pa- ria suis strophis.

25. ET IN COPIA RERUM OMNIUM, — cum omnibus rebus ad male agendum abundaturus sit; erit enim ei copia opum, militum, armorum, principum, etc. Hebraice est: *Et in pace multos occidet*, id est multos innoxios et pacificos occidet: aggredietur enim eos nihil tale suspicantes, utpote in otio degen- tes: ita Vatablus, aut, ut Maldonatus, *in pace*, id est impune, sine ullo suo detimento occidet eos. Verum pax Hebræis non tantum quietem, sed et prosperitatem ac copiam rerum, quæ in pace esse solet, significat. Unde Noster plenius vertit, « in copia rerum, » cum scilicet tam Judæi, quam Græci pace et copia rerum abundabunt: sed Ju- dæi otio et luxu diffluent, Græci vero eodem ad arma et bella utentur; tunc ipse Epiphanes Græ- cus occidet multos.

ET CONTRA PRINCIPEM PRINCIPUM, — contra Deum

qui est Rex regum , et Dominus dominantium. Vide vers. 24.

ET SINE MANU CONTERETUR. — Antiochus Epiphanes uti pugnavit viribus, non tam suis quam Dei : ita cadet telo , non hominum , sed Dei , ab eo percussus fœtore et vermbus anno regni sui duodecimo , ut moriens intelligat se non viribus hominum , sed divino judicio puniri. Sic Antichristum Christus occidet spiritu oris sui, II Thes. 11, 8; solo enim flatu et jussu suo occidet eum sine armorum et militum strepitu. Vide ibi dicta. Mirum est Septuaginta vertere : *Et quasi ova manu conteret*, scilicet Judæos Antiochus.

Nota : Licet ad morbum et mortem Antiochi concurrerint variæ causæ naturales , ac præser-tim gravis ejus mœror et melancholia , concepta tum ex nuntio fusi sui exercitus in Judæa , tum ex turpi sua fuga e Perside, tamen præcipua causa fuit vindicta Dei, quæ blasphemum et superbū persecuta est, et cladibus jam dictis aliisque gravioribus afflxit. Hoc enim clare dicitur II Machab. cap. IX, 5 : « Qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanibili et invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem (quo dixerat Antiochus, se Hierosolymam congeriem sepulcri Judeorum facturum), primo, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta : et quidem satis juste, quippe qui multis et novis cruciatibus aliorum torserat viscera; » secundo , cum superbia et ira furens in Judæos juberet celerrime agitari currum, « contigit illum impetu euntem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humandum modum superbia repletus, et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans; » tertio , membra ejus computruerunt; « ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluenter, odore etiam illius et fœtore exercitus gravaretur : et qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. » Hinc quarto , « cœpit ex gravi superbia deductus ad sui agnitionem venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cum nec ipse jam fœtorem suum

ferre posset, ita ait : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.» Hoc Antiochi exemplum ob oculos sibi ponant superbi et blasphemii, præsertim tyranni, et Ecclesiæ ac fidelium persecutores , ac similem Numinis vindictam, cœlesti eos judicio perurgente, ni resipiscant, expectent.

Hisce de causis in duello arietis et hirci, quod hoc capite describitur, hic Antiochus notatur per hircum, æque ac Alexander. Conditiones enim hirci, quas recensui vers. 5, tam illi, quam huic convenient. Fuit enim Antiochus versutus, arrogans, libidinosus, rapax , pugnax etiam in arietem (id est, in Persas, ut patet II Machab. IX, 1), brevis ævi et regni , ac fœtidus in vita et morte ut hircus. Id magis patebit cap. XI, 20 et seq.

26. **ER VISIO VESPERE ET MANE** (id est vespertini vers. 26. et matutini temporis, sive quæ complebitur in vespera et mane diei 2300) **VERA EST**, — ut dictum est vers. 14.

TU ERGO VISIONEM SIGNA, — apud te reservata et annota ; quia nemo jam plene eam intelliget : eveniet enim post multa tempora, scilicet post 400 pene annos. Hac enim de causa cum remota est prophetia , jubet Deus Prophetis, ut eam signent et claudant. **Secundo**, Origenes, hom. 13 in Num.: « Signatus , inquit, liber dicitur, pro eo quod figuris perplexus est, et ænigmatibus involutus. » Et Pineda lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. XIII, « Signa, » inquit, id est scribe prophetiam notis arcanis, sicut Ægyptii scribebant per notas et characteres hieroglyphicos ; uti etiamnum scribunt Sinenses. Sic signatus fuit liber ostensus S. Joanni, Apoc. v, « sigillis septem, » quasi septem characteribus arcana quædam mysteria continentibus, quæ capite VI reserantur et expli-cantur.

27. **LANGUI ET ÆGROTAVI**, — percusus et conster-natus admiratione visi, puta angeli loquentis, et desolationis tantæ genti mee imminentis, quam prædicebat angelus.

NON ERAT QUI INTERPRETARETUR, — in particulari nomina, tempus aliasque circumstantias visionis mœæ, quæ erat de rebus futuris : eam enim in generali tantum angelus interpretatus erat Da-nieli, vers. 20.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Daniel orat pro liberatione Judæorum e captivitate Babylonica, unde, vers. 21 mittitur ad eum Gabriel, significans non tantum solvendam captivitatem Judæorum, sed et totius generis humani, per Christum post 70 hebdomadas annorum (1).

1. In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldaeorum : 2. Anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut completerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. 3. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco, et cinere. 4. Et oravi Dominum Deum meum, et confessus sum, et dixi : Obsecro, Domine Deus magne et terribilis, custodiens pactum, et misericordiam diligentibus te, et custodientibus mandata tua. 5. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis, ac judiciis. 6. Non obedivimus servis tuis prophetis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ. 7. Tibi, Domine, justitia : nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Juda, et habitatoribus Jerusalem, et omni Israel, his qui prope sunt, et his qui procul, in universis terris ad quas ejecisti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te. 8. Domine, nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, et patribus nostris, qui peccaverunt. 9. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia, et propitiatio, quia recessimus a te : 10. et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos prophetas. 11. Et omnis Israel prævaricati sunt legem tuam, et declinaverunt ne audirent vocem tuam, et stillavit super nos maledictio, et detestatio, quæ scripta est in libro Moysi, servi Dei, quia peccavimus ei. 12. Et statuit sermones

(1) Quænam rerum futurarum eventa præsignificaverit Gabriel in hac insigni prophetica revelatione, non solum inter catholicos et heterodoxos interpretes, sed et inter ipsos catholicos magna controversia est, cum eo tamen discrimine, ut catholici omnes de quibusdam punctis in diversas sententias abeuntes (vid. infra Cornelii Comment. in vers. 24, 25, 26, 27), in unum coeant ut fateantur, tum vaticinium Danielis ad Messiam pertinere, tum epocham ipsius adventus determinatam in eo esse, tum denique jam diu elapsam esse ejusmodi epocham.

Tria hæc variis modis denegant interpretes sive Ju-daiici, sive Rationalistæ recentiores. Sic Bertholdtius et Rosenmuller aliisque cum ipsis asserunt : cum quo tempore hujus libri auctor scripsit, septuaginta illi anni, quibus elapsis Jeremias nuntiavit feliciora tempora futura, jam dudum effluxissent, et Hierosolyma quidem restaurata esset, res Judæorum vero tantum abessent, ut in meliorem reverterentur statum, ut potius misere afflictæ jacerent, visum est ei, qui hunc librum conscripsit, veteris prophetæ honori ita consulere, ut septuaginta illos annos non simpliciter tales, sed totidem annorum hebdomadas intelligendas esse doceret (Rosenmuller, *Append. ad cap. ix*; Bertholdtius, *Danielis Comment.*). Insuper probare conantur incertum esse utrum auctor hujus prophetiae loquatur de Cyro, an de Antiocho Epiphane, ut contendit Marshamus in *Canone chronico*, pag. 610 et seqq., vel de Alexandro Magno, ut cum Bertholdio vult Rosenmuller (*Oper. supra citatis*), aut de Seleuco IV Philopatore, fratre et immediato antecessore Antiochi Epiph-

nis, qui veneno sublatuſtis est, aut etiam de Seleuco II.

Ea mens nobis non est longiori jam et in plerisque sufficieni nostri interpretis expositioni longam ipsi difficultatum, quas recentioribus annis opposuerunt, solutionem subjecere, sed paucas tantum annotationes passim subtexere. Operæ pretium potius judicamus studiosioribus Scripturæ lectoribus præcipuas Dissertationes de hoc vaticinio editas, inter quas *Chronologia veteris Testamenti* P. Hardouini, et quam Calmetus præmisit suo Commentario in hunc Prophetam, sub hoc titulo : *Dissertation sur les septante semaines de Daniel*; de quibus tamen notandum quod, licet non excludant relationem vaticinii ad Messiam, ex parte tamen concesserunt in expositionem Marshami, imprudenter ac levibus momentis inducti; Scholl, *Comment. de septuaginta hebdomadibus Danielis* (Francof. ad M. 1831), ubi expresse, inter alia non eadem luce veritatis fulgentia, docet Messiam in hac prophetia haud dubie designari; Hengstenberg, *Christologia veteris Testamenti*, tom. II, part. I et II; *Prælectiones Theolog.*; J. Perrone, *Tract. de Incarnat.* part. I, cap. II, ubi invictis argumentis tria supra posita demonstrantur, et omnium rationalistarum et antimessianorum exposito confutatur. Vide insuper opus D. Nicolai, *Etudes philosophiques sur le christianisme*, tom. IV, pag. 245 et suiv., et insuper accuratam prophetæ Danielis chronologiam, quam apparavit Court de Giblein, *Dissertation sur l'histoire orientale*, pag. 34 et suiv., in qua demonstrat laudabilis auctor, narrationem sacram in omnibus cum historia profana convenire.

suos, quos locutus est super nos, et super principes nostros, qui judicaverunt nos, ut superinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit sub omni cœlo, secundum quod factum est in Jerusalem. 13. Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos : et non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, et cogitaremus veritatem tuam. 14. Et vigilavit Dominus super malitiam, et adduxit eam super nos : justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit : non enim audivimus vocem ejus. 15. Et nunc, Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, et fecisti tibi nomen secundum diem hanc : peccavimus, iniquitatem fecimus, 16. Domine, in omnem justitiam tuam : avertatur, obsecro, ira tua, et furor tuus a civitate tua Jerusalem et monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, et iniquitates patrum nostrorum, Jerusalem et populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. 17. Nunc ergo exaudi, Deus noster, orationem servi tui, et preces ejus : et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, propter temetipsum. 18. Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi : aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram, et civitatem, super quam invocatum est nomen tuum : neque enim in justificationibus nostris prosterimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. 19. Exaudi, Domine, placare, Domine : attende et fac, ne moreris propter temetipsum, Deus meus : quia nomen tuum invocatum est super civitatem, et super populum tuum. 20. Cumque adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei : 21. adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. 22. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque : Daniel, nunc egressus sum ut dicerem te, et intelligeres. 23. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo : ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es : tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. 24. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. 25. Scito ergo, et animadverte : Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt : et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. 26. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus : et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. 27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis : et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

Vers. 1. 1. IN ANNO PRIMO DARII, — quo scilicet, expugnata Babylone, Darius cœpit regnare ut monarca, qui fuit annus 70 et ultimus captivitatis Babylonice, idemque fuit annus mundi 3420 ; ante Christi vero nativitatem fuit annus 529. Hoc ergo anno Daniel cognovit hasce 70 hebdomades usque ad Christum ducem, id est usque ad Christi baptismum, superesse. Darius hic fuit Medus filius

Assuerus *Assueri*. Nota : Assuerus, vel, ut Chaldaice est, *quia* *et* *אַחֲשָׁוֵרֶשׁ* *achasueros*, componitur ex *אַחָשָׁ* *achas*, id est *magnus*, et *שׁוֹרֵן* *veros*, id est *caput*, q. d. Magnus capitaneus, magnus princeps. Sic suum imperatorem Turcæ vocant Magnum Dominum, et Tartari Magnum Cham. Itaque *Assuerus* non tam fuit nomen proprium, quam agnomen com-

mune, quod illustribus aliquibus regibus Medorum et Persarum appropriatum fuit. Unde *primo*, maritus Esther vocatur Assuerus. *Secundo*, Cambyses filius Cyri, vocatur Assuerus, I *Esdræ* iv, 6. *Tertio*, hic Assuerus pater Darii Medi, fuit Astyages, avus Cyri, ut dixi cap. v, 31.

2. ANNO UNO, — anno primo : ponitur enim Vers. 2. more Hebræo numerus cardinalis pro ordinali.

Nota : Darius Medus 70 et ultimo anno Babylonice captivitatis, cum Cyro, qui erat ei nepos ex sorore, vel potius per Cyrum, expugnavit Babylonem, et in ea unico anno regnavit : nam, eodem anno labente, successit ei Cyrus solus, qui eodem anno solvit captivitatem Judeorum, ut patet I *Esdræ* i, 1. Hoc ergo eodem anno, paulo

antequam Cyrus Judæos liberaret, Daniel videns jam impleri 70 annos captivitatis a Jeremias prædictos, vidensque instare finem et solutionem ejusdem, orat ut Deus promissa compleat, ac hoc ipso anno 70 Judæos e captivitate liberet. Audiit Deus vota Prophetæ sancti, et viri desideriorum; atque non tantum postulata concedit, sed et insuper novam, et omni spe majorem ei consolationem et revelationem impertit, scilicet de Christo duce et liberatore venturo post 70 hebdomadas. Ita enim Deus, qui magnificus est in misericordia, pias suorum preces superat, dum sua gratia et beneficentia merita supplicum excedit et vota.

INTELLEXI IN LIBRIS, — intellexi ex lectione *Jeremiæ*, cap. xxv, 11, et cap. xxix, 10; non enim tantus Propheta designatus est alium legere. Credibile est Judæos, maxime Danielem, studiose in captivitate legisse Jeremiam, et anhelantes ad liberationem, solitos fuisse singulos annos, imo dies et horas numerare et supputare usque ad 70 annum quo solvenda erat captivitas. Cum ergo Daniel videret jam adesse annum septuagesimum, nec tamen Judæos adhuc liberari, timuit ne Deus ob nova Judæorum peccata tempus liberationis prorogaret, ideoque peccata sua et suorum confitetur, atque ex intimis præcordiis obsecrat et implorat Dei misericordiam, ut veniam et libertatem suis impetraret.

SEPTUAGINTA ANNI. — De hisce annis, ubi inchoandi, ubi finiendi sint, dixi *Jerem. xxix*, 10.

3. ET POSUI FACIEM MEAM AD DOMINUM, — Converti faciem ad Jerusalem, et ad templum, in quo habitare solet Dominus.

ROGARE ET DEPRECARI, — ut rogarem et deprecarer.

IN JEJUNIIS, SACCO ET CINERE. — Daniel hic pro causa gravi, armatas jejuniis et ciliciis Deo preces offert. « Hæc vis Deo grata est, » ait Tertullianus.

4. CONFESSIONIS SUM, — tum peccata mea et populi, tum Dei misericordiam, eamque imploravi. Sic pauperes confitentur suam miseriam, et divitum misericordiam, eamque celebrant, ut stipem impetrant: hæc est enim ars orandi et mendicandi.

PACTUM ET MISERICORDIAM, — id est pactum misericorditer initum; vel misericordiam pactam, id est pacto promissam: est hendyadis.

5. PECCAVIMUS. — Nota hic affectum poenitentiæ et humilitatis, quo se propheta sanctus quasi peccatorem populo peccatori adjungit, suaque et suorum peccata ex intimo animi sensu confitetur. Hinc Concilium Milevitanum, *can. VII*, definit etiam Sanctos habere et confiteri peccata sua, non tantum populi: « Noluit, inquit, Daniel sanctus et justus dicere peccata nostra; sed populi sui dixit, et sua: quia futuros istos (Pela-gianos) qui tam male intelligunt, tanquam Propheta prævidit. » Rursum S. Augustinus apposite

in *Sententiis*, num. 161: « Melior, ait, est animi æquitas quam corporis sanitas, et convenientius justus dolet in supplicio, quam lætatus est in delicto. »

7. TIBI, DOMINE, JUSTITIA (scilicet competit, tu es justus, et justissime nos ob peccata punis); **NOBIS AUTEM** (competit et debetur) **CONFUSIO FA-CIEI**, — pudore suffundimur, totaque facie erubescimus, dum intuemur scelera æque ac flagella nostra. Septuaginta vertunt: *In te est justitia nostra, nobis autem confusio faciei* (1).

SICUT EST HODIE, — sicut hodie res ipsa demonstrat, nos captivitate hac scelerum poenas dare. Vide *Can. XXX*.

Moraliter, disce hic Ecclesiam et fideles, saepe persecutioes pati ab infidelibus ob peccata sua: quia scilicet in pace existentes defluxerunt ad luxum, ambitum, avaritiam, quæ Deus per tyrrannos castigat et vindicat. Ita sub duobus Philippis imperatoribus christianis, virtus et vigor fidelium in pace elanguit: hinc Deus immisit Decium et Valerianum, qui sua persecutione eam suscitarunt et acuerent. Hanc enim causam hujus persecutionis exstisso docet S. Cyprianus, serm. *De lapsis*: « Quia, inquit, traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, et pene dormientem censura coelestis erexit. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. » Imo id ipsum revelatione divina didicit, ut ipse narrat lib. IV, epist. 4: « Illud, ait, ostensum est, quod sederet pater familias sedente sibi ad dexteram juvēne: qui juvenis anxius, et cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens mœsto vultu sedebat: aliud vero in sinistra parte consistens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei: » Juvenem « qui ad dexteram sic sederet, contristari et dolere, quod præcepta sua non observarentur: illum vero in sinistra exsultare, quod sibi daretur occasio ut a patre familias potestatem sumeret sæviendi. Et videmus impletum

(1) « His qui prope sunt, et his qui procul in universis ad quas ejecisti eas. » Hæc a Daniele scribi potuisse, negat Bertholdius, et in *Isagoge* ad suum in hunc librum commentarium, pag. 31, et in Nota ad hunc locum, propterea quod Seleucidarum demum ævo dispersorum in omnes terras Judæorum mentio fieri potuit. Verum jam diu ante Danielis tempora Hebræorum multos ab Assyriis in regiones remotissimas translatos fuisse, Danielis vero ipsius tempore in gentem Judæorum multitudinem in pluribus vasti Babyloniorum imperii provinciis consedisse satis constat. Et Jeremias loquitur de popularibus suis per omnes terras dispersis, eadem quæ hic exstat, phrasibus, cap. xxiii, 3, 8; xxxii, 37. Quare quæ hic et infra vers. 16, inquit et ipse Rosenmuller, haud suspectus in hac re testis, iis hujus libri locis, quæ seriorem Daniele ætatem arguant, sine ratione idonea accensentur. Cf. Hengstenberg, *Die Authentie des Daniel*, pag. 151.

quod fuerat ostensum. Et hoc nobis per visionem, fratres charissimi, exprobratum sciatis; quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus. » Et infra : « Dic illi, securus sit, quia pax ventura est. Sed et de victu parco et sobrio potu divinis dignationibus admonemur, scilicet ne vigore cœlesti sublime jam pectus illecebra sœcularis enervet, vel ne largioribus epulis mens gravata, minus ad preces evigilet. » Simili modo Eusebius, lib. VIII *Histor.* I, causam persecutio-
nis Diocletiani assignat vitiatos Ecclesiasticorum et laicorum mores, ex longa pace et libertate : « Dum alter alteri, inquit, invidemus, dum principes cum principibus, populi cum populis sedi-
tiones et certamina concitamus, dum simulatio in vultu, dolus in corde, fallacia profertur in ver-
bis, etc., obscuravit Dominus in ira filiam Sion, et dejecit de cœlo gloriam Israel. »

Vers. 9. **9. TIBI AUTEM DOMINO DEO NOSTRO MISERICORDIA ET PROPITIATIO,** — tibi scilicet competit, te decet nostri misereri; quia tu es plenus miserationibus, et nos sumus miserrimi, egentes omni miseratione: quare abyssus misericordiae nostræ invoca abyssum misericordiæ tuæ. Eia! effunde abyssum misericordiæ tuæ in abyssum misericordiæ nostræ; ut tua illa abyssus ab omnibus celebretur.

QUIA RECESSIMUS A TE. — Hebraice, *quia rebella-
vimus tibi.* Refert hæc ad superiora vers. 5; dat enim causam, cur ipsis sit confusio faciei. Vere S. Augustinus, *sententia* 187 : « Bene, ait, currit ad remissionem peccatorum, qui displicet sibi: apud enim justum judicem et misericordem qui se accusat excusat. »

Vers. 10. 10. NON AUDIVIMUS, — non obedivimus vocei Domini.

DECLINAVERUNT (aures suas) **NE AUDIRENT VOCEM TUAM,** — q. d. Legem tuam noluerunt audire, nec ei auscultare.

Vers. 11. 11. ET STILLAVIT (hebraice *tittach*, id est effusa est) **SUPER NOS MALEDICTIO** (quam nobis comminatus es, *Levit.* xxvi, 16) **ET DETESTATIO,** — id est execratio, quam violentibus legem imprecatus est Moses, *Deuter.* xxvii, 14. Noster vertit, « stillavit, » quia Deus iram suam misericordia temperans, guttatum effudit, *juxta Can.* XLVIII.

Vers. 12. 12. ET STATUIT SERMONES SUOS. — « Statuit, » id est confirmavit, implendo et immittendo plagas, quas comminatus est.

Vers. 13. 13. ET COGITAREMUS VERITATEM TUAM, — ut stude-
remus justitiae, id est legi tuæ: hæc enim est veritas practica; sive veritas, id est iustitia, vitæ.

Vers. 14. 14. ET VIGILAVIT DOMINUS SUPER MALITIAM, — super afflictionem, ut nos affligeret et castigaret. Nota pulchram antithesin: Judæi in peccatis suis obdormierant; sed Deus vigilat, ut pœnas quas comminatus est, acceleret. Sic *Jerem.* cap. I, 11, vidit virgam vigilantem; et *Thren.* I, 14, dicitur: « Vigilavit jugum iniquitatum mearum, » id est cito venit captivitas; quam peccatis meis com-
merui.

15. ET NUNC, DOMINE. — Est secunda orationis pars qua misericordiam Dei implorat per veterem ejus in Judeos beneficentiam.

SECUNDUM DIEM HANC, — sicut hodie videmus te tale habere et retinere nomen, quod gloriose patres nostros ex Ægypto liberarisi.

16. DOMINE, IN OMNEM JUSTITIAM TUAM. — Supple, Vers. 16. peccavimus, quia omnes tuas justitias; id est justas leges, violavimus. Secundo, « in, » id est secundum, « omnem justitiam tuam, » supple, punimur, et patimur juste hæc mala captivitatis, ut referantur hæc ad præcedentia.

Verum, quia incipit hic novus versus, potius ad sequentia hæc referenda sunt, q. d. Secundum misericordiam et fidelitatem tuam nobis pœnitentibus et culpam et pœnam remitte. *Justitia* ergo hic idem est quod misericordia. Sic *Psalm.* cxlii, 4, dicitur: « Exaudi me in tua justitia, » id est misericordia. Unde Septuaginta hic vertunt: *In misericordia tua avertatur furor tuus.* Rursum *justitia* idem est quod fidelitas, qua Deus non ob merita, sed ob suam clementiam pœnitentibus veniam promisit. *Quarto*, Vatablus sic exponit: Sicut justus es, sic sis et clemens, et averte iram tuam a nobis. Verum tertius sensus est genuinus.

17. OSTENDE FACIEM TUAM. — Hebraice est: *Il-* Vers. 17. *lustra faciem tuam*, id est lucida, serena, benigna et amica facie respice templum tuum, ut illud restaures.

PROPTER TEMETIPSUM, — propter tuam immensam bonitatem et clementiam, non propter merita nostra, quia tu optimus es et clementissimus, non quia nos meremur hanc gratiam

18. ET CIVITATEM SUPER QUAM INVOCATUM EST NOMEN TUUM. — Benigne respice Jerusalem, quæ erat et vocabatur civitas tua, in qua scilicet habebas templum, quasi domum et palatium tuum, in quo colebaris et invocabaris.

21. ADHUC ME LOQUENTE. — Nota hic vim orationis: « Orationibus Danieli visa panduntur, so-
piuntur flammæ, feræ hebetescunt, cadunt hos-
tes, inimici vincuntur, » inquit S. Chrysostomus, serm. *De Mose*, tom. I.

Porro vis ut oratio tua sit efficax, utque Deus faciat voluntatem tuam, tu prior cum Daniele time Deum, et voluntatem Dei perfice: ipse enim voluntatem timentium se faciet. Oravit multoties Dominum Moyses, ut amoveret plagas ab Ægyptiis, et exaudiebatur, licet illi mali essent, *Exodi* vii, viii, ix et x. Quare? quia Moyses faciebat voluntatem Dei.

Post adorationem vituli, videbatur velle Dominus populum delere; sed Moyses per orationis instantiam obtinuit ei veniam, *Exodi* xxxii.

Cum in Moysem et Aaron turbæ insurgentes, incendio divinitus excitato disperirent, Moysis monitu Aaron obtulit thymiama, processit in medium, et cum orasset, flamma substitit, interne-
cio cessavit, *Num. xi.*

Cum filii Israel in deserto in Deum murmurantes passim serpentium ictibus sternerentur, supplicante pro eis Moyse, Deus placatus æneum serpentem in ligno suspendi præcepit; quem percussi dum aspicerent, sanabantur, *Num. xxi.* Pugnaturi filii Israel contra Philistæos, dixerunt Samueli: « Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. » Qui clamavit ad Dominum, et exauditus est, *I Reg. viii.*

S. Wilfridus Episcopus Eboracensis, teste Beda; lib. V *Hist. cap. xx*, anno Domini 705, suorum precibus a morte liberatus est. Nam cum extremo morbo laboraret, astitit ei S. Michael, dicens: « Ob hoc missus sum, ut te a morte revocem. Donavit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lacrymas discipulorum et fratrum tuorum, et per intercessionem suæ beatæ genitricis semperque virginis Mariæ. Quapropter tibi dico: Quia modo quidem ab infirmitate hac servaberis: sed paratus esto, quia post quadriennium revertens visitabo te. In patriam vero perveniens, maximam possessionum tuarum, quæ tibi ablatæ sunt, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis. »

Decanus quidam Galliae Romam iter habens, B. Dominicum Mutinæ concionantem vidit. A conacione eum adit, de salute animæ suæ cum illo confert: inter alia dolenter commemorat ceu quodam inevitabile naufragium quod non possit carnis libidinem frenare: quæ res cogat eum, ceu desperatum, ab aliis bonis operibus abstinere. Misertus ejus vir Dei, fide, qua plenus erat, eum confirmat, dicens: « Abi, deinceps age viriliter, nihil de Dei immensa misericordia desperans. Ego tibi carnis continentiam impetrabo. » Dixit ille, et ita factum est. Qui enim antea immundus et lubricus fuerat, castus et pudicus effectus est. En quantum potest deprecatio justi. Ita habetur in Vita ejus, lib. IV, cap. vi.

S. Catharina Senensis suis precibus effecit, ut resipiscerent duo latrones blasphemæ et obstinati. Eadem Palmerinæ calumniatrici suæ veniam et salutem precibus apud Deum impetravit, viditque ejus animam miro decore ornatam, ac Christum dicentem: « Quis non omnem merito perferat labore, ut possit lucrari tantæ pulchritudinis creaturam? Si ego tanto animarum amore captus fui, ut pro iis sanguinem fuderim, quanto magis vos curare debetis, ne pereant tam speciosæ creaturæ? » Ita habet ejus Vita.

VIR (habens speciem viri) GABRIEL, QUEM VIDERAM IN VISIONE A PRINCIPIO. — Puta in prima visione qua quatuor bestias vidi, quas ille mihi exposuit, cap. vii, vers. 15 et 16; licet enim illuc eum non nominarit, hic tamen eum nominat.

Nota primo: Idem est Gabriel qui missus est ad Danielem, et qui missus est ad B. Virginem, *Lucæ I, 26*; quia hæc legatio ejus de 70 hebdomadibus, ut et cæteræ ejusdem, ordinabatur ad mysterium

adventus et incarnationis Christi, cujus ipse fuit nuntius, *Lucæ I*; S. Hieronymus, in *Daniel. viii.* Irenæus, lib. V, cap. xxv; S. Ambrosius, serm. 63; Andreas Hierosolymitanus, serm. *De Annunt.*; Suarez, III part., *Quæst. LXXXII*, art. 1, disp. 9, sect. I.

Secundo, Proclus Cyzicenus in homil. quæ habetur in *Concilio Ephesino*, Gabriel interpretatur Deus homo; Theophylactus in *Lucæ I*, homo Dei, vel vir Dei, γερός geber enim virum significat, ἡλίς el Deum. S. Hieronymus vero, Bernardus et passim alii, Gabriel interpretantur, fortitudo vel fortis Dei: quia fortia Dei bella et gesta, præsertim incarnationis Dei, cuius nomen est fortis, *Isaiæ IX, 6*, qui que fortissime nos e manu diaboli, peccati et inferni liberavit, annuntiavit.

Tertio, licet S. Gregorius, homil. 34 in *Evang.*; S. Bernardus, lib. V *De Consid.*; Abulensis in *Matt. xviii*, *Quæst. LX*; S. Thomas, Cajetanus et ex iis Suarez loco citato; Barradius et Toletus in *Lucæ I, 26*, et Vasquez, I part., disp. ccXLIV, cap. II, num. 11, censeant Gabrielem non esse Seraphinum, sed infimæ hierarchiæ, esseque caput et principem secundi ordinis in ea, qui dicitur Archangelorum: quorum ratio hæc est, quod ex S. Dionysio, cap. ix et XIII *Cœlest. Hierarch.*, putent angelos astantes, quales sunt prime hierarchiæ, nunquam mitti, sed semper assistere Deo; ministrantes vero quales sunt ultimæ hierarchiæ, mitti: tamen alii censem Gabrielem esse Seraphinum. Omnes enim angeli « sunt administratori spiritus in ministerium missi, » ut ait Apostolus, *Hebr. I*. Si Seraphini aliquando mittuntur, sane Gabriel est Seraphinus, tum quia suprema legatio de incarnatione Verbi illi commissa est, tum quia missus est ad instruendam Virginem, quæ dignitate et gratia erat omnibus angelorum ordinibus superior. Unde S. Gregorius, homil. 34: « Ad hoc, ait, ministerium summum angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nuntiabat. » Quocirca Hesychius, homil. 2 *De B. Virgine*, Gabrielem vocat principem angelorum, Andreas Hierosolymitanus, angelum unum e primis. Expresse vero Seraphinum eum fuisse docent Magister *Sententiarum* in II, dist. x; Scotus ibid., *Quæst. unica*; Durandus, *Quæst. I*; Molina, I part., *Quæst. CXII*; Gregorius de Valentia, I part. *De effectu divinæ provid.* disp. VIII, *Quæst. VI*, puncto 2; Salmeron, tom. III, cap. III, ubi asserit Gabrielem esse primum a Michaele, et secundum inter Seraphinos summos a Deo mitti, cum ipse Dei Filius missus sit ad homines, imo eorum carnem assumens, cum eis versatus sit 34 annis. Additque Gabriel significare primum, fortitudo Dei, quia fortia Persarum, Medorum et Græcorum prælia et victorias Danieli annuntiat; et quia Zachariæ partum ex sterili Elisabeth, ac B. Virginis conceptum ex Spiritu Sancto nuntiaturus erat. Secundo, Gabriel idem esse quod vir meus Deus, ut nomine ipso declareret quid veniat nuntiaturus, scilicet partum ejus quæ virgo parent, ac pro viro Deum, id est Spiritum Sanctum,

qui concepsum hunc operaretur, haberet. Accedit Franciscus Lucas in *Lucæ I*, qui asserit Gabrielem esse ex primis angelis, Deo familiarissimis, eique proxime astantibus, ac idem significare quod *גֶּבְרִי*, id est *vir, dominus princeps meus*; *לֵבָן*, id est *Deus, vel fortis meus Deus*. Sic et Maldonatus asserit eum esse e primis angelis: quin et Damascenus, serm. *De dormit. Deiparae*, ait eum esse primum inter angelos, et Cedrenus in *Compendio*, esse principem angelorum, id est esse unum e primis. Hoc ergo verius videtur quam id quod S. Bonaventura et aliqui alii dicunt, Gabrielem esse e media hierarchia, puta ex ordine Principatum, qui regnis praesunt, quia mediatorem Christum annuntiavit.

Porro licet aliqui, ut Toletus in *Lucæ cap. I*, censeant Gabrielem esse ex ordine penultimo, qui est Archangelorum, eo quod vocetur Archangelus: verius tamen videtur eum esse ex primo ordine, qui est Seraphim, adeoque esse unum e primis aulæ cœlestis principibus: imo non desunt, qui censeant eum inter Seraphinos esse omnium primum. Ita censet Marcus Viguerius Cardinalis in *Decachordo Christiano*, chorda I, cap. II; idque probat octo rationibus, vel potius congruentiis. Decebat enim, inquit, eum esse primum et summum, qui summum incarnationis Christi mysterium tam B. Virginis quam Danieli nuntiaret. *Primo*, ut, sicut primus angelus olim, nunc primus diabolus, puta Lucifer, decepit Evam, fuitque causa ruinæ generis humani; ita pariter reparationis et restorationis ejusdem nuntius esset angelus omnium primus et princeps. *Secundo*, ut quanto opus hoc incarnationis Filii Dei minus credibile, magisque impossibile videbatur, tanto magis nuntii supremi auctoritate ejus possibilitas et fides roborarentur. *Tertio*, ut maximam gratiam (talis enim est Verbi incarnatio) gratissimi Deo nuntii ministerio non tantum genus humaanum, sed orbis terrarum universus assequeretur. *Quarto*, ut maxime inter se distantia extrema, puta Deus et homo, per medium Deo maxime propinquum, puta per Gabrielem legatum, copularentur et cogerentur in unum. *Quinto*, ut summum charitatis Dei affectum et effectum, charissima Deo creatura nuntiaret. *Sexto*, ut opus hoc annuntiaret legatus ille, qui ejus fructum ardentissime desiderabat. *Septimo*, ut rem tantam, insolitam plane et inauditam, is, qui utrique parti maxime erat familiaris, aptius pertractaret. *Octavo*, ex nomine: Gabriel enim hebraice idem est quod *virtus mea Deus, vel fortitudo Dei, vel confortavit me Deus, vel homo Deus*. Gabriel ergo est fortissimus, potentissimus ac primus Dei angelus, ita ut inter eum et Deum nullus sit medius, vel mediator. Hæ rationes omnes hac una concluduntur: Ad opus summum decebat mitti summum angelum: atqui opus summum Dei est Verbi incarnatio; ergo Gabriel ad id nuntiandum missus, est angelorum summus. Verum hæc ra-

tio non omnino convincit. Nam reges sæpe ad summa negotia cum Pontifice vel Imperatore tractanda, mittunt legatum non absolute summum, sed aliquem e majoribus et primis aulæ suæ principibus. Adde, Gabriel missus est non tantum ad summum negotium cum B. Virgine, sed et ad minora negotia; de nativitate S. Joannis cum Zacharia, *Lucæ I*, et ad bella Machabæorum cum Daniele, cap. X, pertractanda. Denique communis sententia est, non Gabrielem, sed Michaelem esse primum angelorum omnium, de quo plura cap. XII.

Dices: Gabriel vocatur *Archangelus* a S. Athanasio in Evangelio *De S. Deipara*; Irenæo, lib. V, cap. XXI; Ambrosio, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. VII; Leone, serm. 2 *De Nativit.*; Augustino, serm. 18 *De Tempore*; Gregorio, homil. 34 in *Evangelia*: ergo est ex ordine Archangelorum. Respondeo: Vocatur Archangelus, id est Angelus primarius et princeps, quia est unus e primis et summis angelis. Unde Gabriel vocatur *Angelus princeps* ab Hesychio, *homil.* 2, et Cedreno supra citato. Ita Gabriel Vasquez, I part., tom. II, disp. CCXLIV, num. 10, ubi et num. 3 probabiliter censet angelum qui confortavit Christum in agonia Passonis, fuisse Gabrielem; Gabriel enim ut nomen habet a fortitudine, ita et officium habet confortandi. Additque eum confortavisse Christum non corroborando ejus infirmitatem, sed eximiam ejus fortitudinem collaudando.

CITO VOLANS. — Habebat ergo alas, ut angeli solent: tantum valent preces ferventes, ut angelos advolare cogant.

TETIGIT ME, — ut me ad attentionem excitaret.

IN TEMPORE SACRIFICII VESPERTINI, — vespere, sub illud tempus quo solebat in templo offerri sacrificium juge vespertinum. Vide hic quam sacrum tempus respiciat Deus. Sic Josaphat cum suis in summa exercitus siti per Elisæum aquas miraculose obtinuit, « mane quando sacrificium offerri solet, » IV Reg. III, 20. Simile exemplum narrat S. Gregorius, homil. 37 in *Evangel.*, de quodam captivo cuius vincula solvebantur, quoties uxor pro eo, quasi mortuo sacrificium offerri curabat. Aliud prorsus simile habet Venerabilis Beda, lib. IV *Histor. Anglor.* cap. XXII, et aliud habet Metaphrastes in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*.

23. EGRESSUS EST SERMO, — exiit a Deo præcep- vers. 23.
tum, ut ad te venirem, teque docerem tempus adventus Christi.

QUIA VIR DESIDERIORUM ES. — Primo, active, Daniel q. d. Quia pro tuo desiderio gloriæ Dei, et salutis hominum, ac liberationis populi tui e captivitate mereris audire de ea secreta Dei decreta. Secundo, passive, q. d. Quia amabilis es, et Dei amore dignus: sicut Salomon appellatus est *Idida*, id est dilectus Dominus, II Reg. XII, 25; res enim desiderii vocat Scriptura res quæ amantur, et habentur in pretio. Hebraice, *quia tu es חַמְדוֹת*, id est desiderium, vel desideria, id est

fiit vir
deside-
riorum
duplici-
ter.

quia tu es multum desiderabilis et amabilis, tu totus es expetitio et amor: Deus te Sancti te unice expetunt, amant et desiderant. Sic Christus vocatur desiderium collium æternorum, *Gen. XLIX*, 26. Unde Symmachus vertit, ἀνὴρ ἐπιθυμητός, vir amabilis.

Vers. 24. 24. SEPTUAGINTA HEBDOMADES ABBREVIATÆ SUNT.

— Nota primo: Hebdomas, id est septenarius, aliquando est dierum, aliquando annorum, ut erant septem hebdomades, id est 49 anni ante jubilæum, *Levit. cap. XXV*, vers. 8. Sic et hic capit, ut omnes Hebrei, Græci et Latini consentiunt (1). Septuaginta ergo hebdomades sunt 490 anni: multiplica enim 70 per 7, invenies 490. Errat ergo Origenes tractatu 29 in *Maih.*, dum ait hebdomadem esse non septem, sed decem annorum.

Gravius errant nonnulli Rabbini, qui per septimanam accipiunt jubilæum, id est 49 annos. Hi enim, inquiunt, faciunt septem jubilæa parva 7 annorum: septies enim septem faciunt 49. Ergo 70 hebdomades hæc, cum sint jubilæorum, faciunt 3430 annos, quibus expletis veniet Messias. Nam

(1) Hebdomades vero hoc loco, inquit Rosenmuller, non sunt intelligendæ dierum, utpote quæ spatium sedecim tantummodo mensium efficients, amplitudini rerum illarum quæ versu hoc et tribus qui sequuntur, prænuntiantur, haudquaque sufficerent. Accedit quod auctor infra, cap. x, 2, 3, *hebdomadas dierum* exprimere volens, vocem שְׁבָעִים tamim, dierum, semel iterumque adjectit, quo non obscure indicat, hoc loco alias hebdomadas intelligendas esse. Nec vero hebdomades septenniorum seu jubilæorum significantur, propter rationes infra a Cornelio allatas. Reliquum igitur est ut intelligantur hebdomades annorum; hujusmodi hebdomades commemo- rantur *Levit. XXV*, 8, nec aliis antiquis populis annorum hebdomades incognite fuerunt. Marcus Varro, auctore Gellio, *Noct. Attic.* lib. III, cap. x, in primo librorum qui inscribuntur *Hebdomades*, scribit, se jam undecimam annorum hebdomadam ingressum esse, et ad eum diem septuaginta hebdomadas librorum conscripsisse. Porro motivum præcipuum cur Daniel usurpaverit septuaginta annorum hebdomadas, desumitur ex relatione ad septuaginta annos Jeremieæ, ita ut singulis eversionis annis responderent totidem annorum hebdomades, usque ad novum et postremum urbis excidium, quod post expletionem 70 hebdomadum reipsa contigit. Et ut per transennam dicamus, ex hac relatione jam probatur Danielem non aliter quam Jeremias has septuaginta hebdomadas posuisse pro tempore indeterminato. Jahn, *Appendix hermeneuticæ*, fasc. 1, pag. 125 et seq. (Viennæ 1813), contendit post Dathium, minime legendum esse שְׁבָעִים schabeim schibeam, septuaginta hebdomades; sed schibeim schibeim, eamdem vocem duplicando, id est septuaginta septuaginta anni, etc., ac si angelus vehementi asseveratione cohærenter ad fervidas Danielis preces ei dixerit: *Septuaginta*, ita prorsus, *septuaginta anni decurrunt*, seu *deproperant*, id est vergunt ad finem, etc., ellipsis anni, שְׁבָעִים schanim, ex versu secundo supplendo. Verum plura sunt quæ arbitrariam hanc, nec non et temerariam lectionem evertunt: quippe quæ, juxta ipsum Rosenmuller, contraria est omnibus codicibus, in quibus nullo excepto, legitur *hebdomades*, nec non et veteribus omnibus versionibus, et traditioni Hebræorum tum antiquiorum, tum recentiorum.

primo, nusquam in Scriptura septimana accipitur pro jubilæo, sive pro 49 annis, sed ut summum pro septenario annorum. Secundo, quia Daniel ait abbreviatæ, id est breves et modici temporis, esse has hebdomades, uti et cæteri Prophetæ, ac in primis Aggæus, cap. II, 7, ait post modicum tempus venturum Messiam. Atqui 3430, non modicum, sed longissimum est tempus. Tertio, quia Daniel vers. 26 ait, in fine harum 70 hebdomadum destruendum templum cum urbe. Atqui hoc jam factum est a Tito: ergo expletæ sunt jam pridem 70 hebdomades. Rursum ergo hæc hebdomades sunt septem annorum, faciuntque universim 490 annos. Nam paulo post eos expletos, eversum est templum cum urbe a Tito, manetque et manebit desolatum. Unde et Rabbini constanter docent secundum hoc templum stetisse tantum 420 annis. Quarto, quia 70 hebdomades conficere 490 annos duntaxat docet Thalmud, cui Judæi omnes credunt, tractatu *Sanhedrin*, cap. chelec, ex R. Saadia et aliis Rabbinis. Denique ait Daniel vers. 27, quod in dimidio hebdomadæ deficit hostia et sacrificium, et erit in templo abominationis desolationis, quæ durabit ad finem mundi.

Symbolice notat Alcazar in *Apoc. XI*, vers. 2, notat. 4, numerum 490 Hebreis fuisse celebrem et quasi sacrum, eo quod sit denarius jubilæi, sive decimum jubilæum. Jubilæum enim inchoabatur et promulgabatur quolibet anno 49 (hic enim est septies septimus): multiplica 49 per decem, habebis 490. Significabatur ergo hoc numero quod Christus hoc anno allatus sit plenum et perfectum jubilæum. Denarius enim symbolum est perfectionis.

Nota secundo: Hæc 70 hebdomades dicuntur abbreviatæ, et, ut Septuaginta, concisæ, id est præcisæ et definitæ (hoc enim significat Hebræum נְכֹתֶחֶת nechach), non quod ad preces Danielis et Prophetarum decuritatæ sint, et breviores factæ, quam fuerant antea a Deo decretæ, uti aliqui volunt: neque etiam quod hæc hebdomades sint annorum non solarium, sed lunarium (annus enim lunaris brevior est solari 11 diebus), uti volunt Theodoretus, Beda et Perarius: sed quod breves, id est paucæ, definitæ sint usque ad Christum, cum Deus longe plures statuere potuisset, idque ob preces et suspiria Danielis, et Isaiae, cap. XLV, vers. 8, et aliorum a Deo prævisa. Sic *Maih. XXIV*, 22, dicuntur breviati, id est breves, hoc est pauci, decreti a Deo, dies persecutionis Antichristi.

Abbreviatæ, id est breves, id est paucæ, decretæ.

Hinc plerique Doctores etiam scholastici docent Danielem, Isaiam aliasque Prophetas et Patriarchas meruisse de congruo, non quidem ipsam incarnationem in substantia, sed ejus accelerationem, et alias circumstantias, v. g. quod a Davide et posteris ejus progigneretur Christus. Ita censent Bonaventura in III, dist. IV, art. 2, *Quæst. I*; Gabriel, art. 4, dub. 3; Richardus, art. 3, *Quæst. I*; Almainus. *Quæst. I*, dub. 3; Marsilius, *Quæst. V*,

art. 4, concl. 3; Alensis, III part. Quæst. VIII, memb. iii, art. 2. Huc etiam inclinat D. Thomas; Scotus, et ex iis Franciscus Suarez, III part. Quæst. II, art. 10, disp. 10, sect. vi, idque colligunt ex hoc loco. Ait enim Gabriel: « Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es, etc. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, ut finem accipiat peccatum, et adducatur justitia sempiterna. » Oraverat enim Daniel, vers. 2, 4 et sequent., in jejunii, sacco et cinere, non tantum pro reditu Judæorum e Babylone, sed et pro peccatis populi abolendis: hæc autem nonnisi per Christum abolenda sciebat. Ita Rupertus in *Daniel*, cap. xvi.

Alii dicunt hebdomades has abbreviatas fuisse, quia ultima concisa fuit, non plena: nam in medio ejus occisus est Christus: in Christi enim nece videntur omnes finiri.

UT CONSUMMETUR PRÆVARICATIO. — Sensus est, primo, q. d. Donec impietas ad summum crescat, ita ut amplius augeri nequeat, donec scilicet occidatur Christus noster, quod summum fuit peccatum. Unde Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, legit: « Quoadusque inveteretur delictum. » Ita Theodoreetus, Eusebius, lib. VIII *Demonstr.*, et S. Chrysostomus, orat. 2 *Contra Judæos*. Sic medicus expectat crisin morbi, ut is totum se exerat, crescatque ad summum; tumque curationem incipit, cum morbus plane cognitus decrescere incipit.

In Christo finem accepit peccatum, quonodo?

Secundo, simplicior et verior sensus, q. d. Ut veniat Christus, qui quasi agnus in ara crucis omnia peccata hominum consumat, et prorsus debeat. Unde sequitur explicationis causa: « Et finem accipiat peccatum. » Pro consummetur hebraice est לְהַטֵּם lehatem, id est ut finiatur. Aliqui, ut Pagninus, pro ה legentes נ, pro lehatem legunt לְחַטָּאת lachatom, id est, ut signetur vel sigilletur, hoc est, inquit, ut abscondatur, et quasi sigillo concludatur, ut ultra non appareat, quod ipsum est, finem accipere peccatum. Ita Pineda in Job xxxvii, 7. Verum Hebraice germana lectio habet lehatem, non lachatom. Nota: Licet post Christum multa committantur peccata, hic tamen dicitur ea finem accepisse, primo, quia Christus pro omnibus satisfecit, et sic omnibus nostris debitis quasi finem imposuit, eaque quantum est ex parte sua abolevit. Secundo, quia Christus nobis cœlum aperuit, sustulit idolatriam, diabolum superavit, tamque efficacem gratiam et sacramenta nobis contulit, ut, si velimus, facillime omne peccatum superare possimus, ut viri sancti omnesque veri christiani illud superant. Est enim Christianismus « mors criminum, vita virtutum, » ut ait Cyprianus, lib. III, epist. 2 *ad Donatum*.

Christus justitiam sacerdotum adduxit tripliter. Primo. Et ADDUCATUR JUSTITIA SEMPERNA. — Hebraice est צְדִקָּתָם tsedec olamim, justitia sæculorum, id est Christus, qui quasi sol justitiae suæ radios in omnium sæculorum, tam ante quam post se, homines effudit, et Ecclesiam quasi regnum æter-

num justitiae, id est juste et pie viventium, instituit. Ita Interpretes, quin et Thalmudistæ ac Rabbinæ passim, per justitiam hanc intelligunt Messiam. Vide eos apud Finum, lib. V *Flagelli*, cap. v.

Secundo, justitia sæculorum, id est æterna, est Secundo. nostra justificatio et justitia per Christum accepta: Christus enim « factus est nobis justitia, » I Cor. I, 30. Hæc enim justitia in genere, directe opponitur iniquitati quam delevit. Hæc justitia dicitur æterna, quia hic inchoatur per gratiam, et in cœlo perficietur a Christo per gloriam æternam.

Hinc tertio, Pintus: Justitia æterna, inquit, est Tertio. Evangelium, quod docet omnem justitiam; unde ait Isaias, cap. XLV, 23: « Egreditur de ore meo justitiae verbum. » Hic sensus non est directus, sed derivatus ex primo et secundo.

ET IMPLEATUR VISIO. — Christus enim, nascens et moriens, implevit hanc Danielis et omnium aliorum Prophetarum visiones, id est prophetias. Hebraice est לְמִלְחָמָה lachtom, id est ad signandum visionem. Ita Septuaginta, Vatablus et alii. Sed signare significat implere. Ita S. Chrysostomus, orat. 2 *Contra Judæos*: « Sistere, ait, oportuit prophetias post Christum: hoc enim est signare, id est sistere visionem. Unde Christus dixit: Lex et Prophetæ usque ad Joannem. » Ita et Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, qui et causam addit, dicens: « Ipse (Christus) enim fuit signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo Prophetæ nuntiaverant. Post adventum enim Christi et passionem ipsius jam non visio, neque Propheta est, qui Christum nuntiet venturum, etc. Unde verissime dicit adventum ejus firmare visum et prophetiam. » Signare enim hic idem est quod sigillare: res enim dum completa est et perfecta, solet sigillari: sigillum enim signum est complementi et perfectionis rei. Ita sigillantur diplomata, litteræ, testamenta, panni aliæque res dum sunt perfectæ, ne quid eis a quopiam addatur vel detrahatur. Hinc per catachresin signare, vel sigillare, idem est quod implere, complere, perficere. Quocirca Aquila vertit, καὶ τὸν τελέσαι ὁραματισμὸν καὶ προφήτην, ad consummandum visionem et prophetam.

ET UNGATUR SANCTUS SANCTORUM, — ut scilicet Spiritu Sancto consecretur Christus in sanctissimum sacerdotem, regem, prophetam, doctorem, legislatorem et redemptorem orbis. Hebrei, ut mox dicam, vertunt: *Et ungatur sanctitas sanctatum*, vel *Sanctum sanctorum*; vel *sanctuarium sanctuariorum*, qui non est alius quam ipse Messias sanctificatus de filiis David, ait R. Barnahaman apud Finum, lib. V *Flagelli*, cap. v, et R. Moses Gerundensis: « Messias, ait, vocatur Sanctuarium sanctuariorum, quia futurum erat ut in eo secundum humanitatem, omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei requiescerent; eratque ipse super omnem creaturam oleo gratiae ac beneplaciti Dei ungenitus. Unde merito hebraice dictus est Messias; » græce χριστός, latine *unctus*. Ita ipse apud Gala-

tinum, lib. IV, cap. xviii. Quocirca Aquila vertit, *ad ungendum Sanctificatum sanctificatorum; Syrus: Septuaginta hebdomades requiescent super populum tuum, et ad perficiendum visionem et Prophetas, et ad Christum Sanctum sanctorum.* Ubi vox sanctum non est adjectiva, sed substantiva, q. d. Qui est sanctum, vel sancta sanctorum. Unde Arabicus uterque vertit: *Ad Christum, qui est puritas puritatum, vel sanctitas sanctitatum.* Hinc Romanus Pontifex vocatur Sanctissimus Dominus noster, vel Sua Sanctitas, tum quia repräsentat Christum, qui est Sanctus sanctorum; tum quia hoc titulo admonetur qualis esse beat is qui est pastor et Episcopus tot millionum animarum, ut eas omnes ad sanctitatem et salutem a Christo partam perducat (1).

Nota: Sanctitatis ratio consistit in adæquatione et conformitate voluntatis et operum cum lege æterna, quæ est in mente Dei: ille enim sanctus, id est justus et perfectus est, qui huic legi suos mores conformat. Hinc sanctitas est ab omni labe puritas, ait S. Dionysius, cap. xii *De Divin. Nom.* Item amor et conjunctio cum Deo; quo enim quis magis a rebus terrenis et impuris mentem avocat, eamque attollit ad Deum, eo fit sanctior. Jam Christus qua Deus, est ipsa increata, immensa et essentialis sanctitas: qua vero homo, est sanctissimus non tantum per gratiam animæ ejus infusam, qua longe omnes angelos et homines sanctos superat et transcendent, sed etiam per gratiam unionis hypostaticæ, per quam in humanitate Christi inhabitat plenitudo, uti divinitatis, ita et sanctitatis corporaliter: quæ admirabilis et incomprehensibilis est sanctificatio, utpote quæ expiationis et sanctificationis humano generi a Deo constitutus est fons. Ab hujus plenitudine omnes accepimus, et quod superest, adhuc mille mundorum peccatis abluendis et infinitis animabus sanctificandis sufficit. Hinc ab æterno prædestinati sumus in Christo, ut simus sancti et immaculati in conspectu Dei, *Ephes.* i. Christi ergo sanctitas est omnis hominum sanctitatis causa efficiens, meritoria, exemplaris et finalis. Omnis enim sanctitas nostra sanctitati Christi quasi exemplari suo conformari debet, ad ejusque gloriam quasi ad finem suum dirigi, ut scilicet ipse in omnibus a se redemptis et sanctificatis honoretur, laudetur et glorificetur in æternum. Porro hac gratia unionis unctus, id est sanctificatus et consecratus est in incarnatione, sed eadem unctus est publice, id est toti mundo declaratus et promulgatus est in baptismo. Hinc omnes Christo debemus summam reverentiam, gratitudinem,

(1) Scholl in *Comment. de septuaginta hebdomadibus Danielis*, pag. 42, abstracto hic posito pro concreto optime censem Messiam designari, de quo Gabriel, ejus nativitatem Mariæ prænuntians, *Luc.* i, 35, eadem appellatione usus loquitur: « Quod nasceretur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. » Cf. Hengstenberg opere citato, pag. 444 et seq.

amorem, obedientiam, sequelam et obsequium.

25. AB EXITU SERMONIS, UT ITERUM AEDIFICETUR Vers. 25.
JERUSALEM,— ab eo tempore quo ab Artaxerxe exibit sermo et edictum quo permittebat, dabitque Nehemias et Judæis veniam reædificandi Jerusalēm. Ecce hic facite annuit angelus exauditam esse orationem Danielis: dum enim ait reædificandam esse Jerusalem, insinuat Judæos e captivitate in Jerusalem reddituros; atque insuper ab hoc anno usque ad Christum (qui erat desiderium desideriorum Danielis et Prophetarum omnium) fore septuaginta hebdomades prædictis. Unde hebraice ad verbum est: *Ab exitu sermonis ad reverti faciendum (vel, ad reducendum) et aedificandum*, id est ad reverti faciendum aedificationem, hoc est, ad faciendum ut redeatur ad aedificationem Jerusalem; quod Noster clare vertit, « ut iterum aedificetur Jerusalem. » De qua phrasi plura inferius. Fecit enim Nehemias imperato diplomate Artaxerxis, ut Judæi secum e Perside libere et secure redirent in Judæam ad Hierosolymæ reædificationem et restaurationem.

HEBDOMADES SEPTEM, HEBDOMADES SEXAGINTA DUM ERUNT,— hoc est, hebdomades sexaginta novem: adde unam, de qua in seq. agit, habebis septuaginta (2).

Est hic locus illustris de adventu Messiae, cuius hic ortus, baptismus, passio et mors per singulos præcise consignantur. Quocirca ex hoc loco manifeste convincuntur Judæi, clareque demonstratur Messiam jam pridem venisse, esseque Iesum Christum, quia in eo finiuntur hæc 70 hebdomades.

Thalmudici, R. Salomon et passim Hebræi, ut hoc telum tam acutum et certum effugiant, afferrunt hic expositionem plane contortam et violentam, imo implicantem contradictionem, et seipsum ipsosque Judæos jugulantem. Censent enim hic non agi de Christo, sed de templo: nam pro *Sanctus sanctorum* in Hebreo est *Sanctitas sanctitatum*, id est templum. Dicunt ergo hasce hebdomades dividendas esse in duas partes, iisque significari statum et durationem duplicitis templi Hierosolymitani: nimur priorem earum partem esse decem priores hebdomades quæ conficiunt 70 annos, quos dicunt inchoari ab excidio templi Salomonici, quod peregit Nabuchodonosor, et terminari in reædificatione templi secundi, quæ peracta est per Zorobabel, permittente Dario Hystaspis, anno regni ejus sexto, ut dicitur *I. Esdræ* vi, 15; ab illo enim excidio templi primi usque ad reædificationem templi secundi sub

Expositio
Rabbino-
rum.

(2) Septuaginta illud hebdomadarum spatium, de quo vers. 24 generatim dixerat, jam in tres partes seu epochas dividit, et quænam singulis hisce temporis partibus sint eventura exponit: *primo*, in hebdomades septem in quibus Jerusalem reædificatio perficietur; *secundo*, in sexaginta duas, quibus elapsis apparebit Messias; *tertio*, in unam, cuius in medio morietur Messias dux, pactumque cum Deo confirmabit.

Dario, aiunt fluxisse decem priores hebdomades, id est 70 annos. Posterior earum pars, inquiunt, sunt 60 hebdomades reliquæ, quæ conficiunt annos 420, quibus asserunt durasse templum secundum, scilicet sub regno Persarum 43 annis : inde sub regno Græcorum 180 annis ; inde sub Machabæis 103; inde sub Herode et posteris ejus annis 103, qui omnes simul junci faciunt annos 420, id est hebdomades 60, jam dictas. Itaque ipsi incipiunt has 70 hebdomades in excidio primi templi, et finiunt illas in excidio secundi templi. Ita ipsis Thalmu udicorum et R. Salomonis verbis referunt Finus lib. V *Flagelli*, cap. v, et Petrus Galatinus, lib. IV *De Arcanis fidei*, cap. xiv et seq.

Infelicitur pri-
mo. Verum hæc frivola esse, falsa et contradictoria patet primo, quia hæc hebdomades ab angelo inducuntur ad dimetiendum, non durationem templi, sed tempus adventus Messiæ; nimirum quod post 70 hebdomades, id est post 490 annos nascetur, morietur, et pro salute mundi immolabitur Christus; hoc enim clare verba ejus significant, dum ait : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, etc., et ungatur Sanctus sanctorum. » Et rursum : « Scito ergo et animadverte, ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt. » Occurrit et respondet R. Salomon pro *ungatur Sanctus sanctorum*, hebraice esse, *ungatur קדש קדשים קדש kodes kadasim*, id est *Sanctitas sanctitatum*, hoc est templum sanctissimum. Ergo hic agi de templo, non de Christo. Respondeo, id dici non posse, primo, quia templum in fine 70 hebdomadum non fuit unctum, id est consecratum, sed profanatum et combustum a Romanis, uti ipse R. Salomon fatetur : ergo hæc de templo accipi nequeunt, sed de Christo, qui est sanctitas sanctitatum, id est *Sanctus sanctorum*, id est sanctissimus, et suprema sanctitas, ut vertit Leo Hebreus. Sic Pontificem vocamus, Sua Sanctitas, id est Sanctissimus Dominus. Sic principi dicimus, Sua Celsitudo; regi, Sua Majestas. Id ita esse patet, quia ita explicat Daniel, dum subdit : « Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ. » Secundo, melius in Hebræo aliis punctis legitur קדש קדשים kedos kedoscim, id est *Sanctus sanctorum*, uti legit Noster, quod soli Christo, non templo convenit. Pari modo si legas, *Sanctitas sanctitatum*, certum est Christum intelligi, non templum. Christus enim adduxit justitiam, abolevit peccatum, illudque quasi hostia expiavit. Unde pro *deleatur iniquitas*, hebraice est *lecapper avon*, id est ad propitiandum pro peccato, et, ut Aquila vertit, *ad expiandum peccatum*, instar hostiæ pro peccato, quæ peccati est expiatrix, qualis fuit Christus; hæc enim vocatur כופר copher. Tertio, nec templum, nec Cyrus, nec Nehemias, nec Zorobabel, nec Agrippa,

nec quis alias tunc fuit unctus, quia oleum illud in secundo templo defuit secundum Rabbinos. Unde in lib. *Sanhedrim Hierosol. cap. Elluben hagolim*, id est *Isti sunt captivi*, ait R. Samuel : « Quinque res defuerunt in secundo templo quæ fuerunt in primo, scilicet ignis, arca, urim et tummim (id est *Rationale judicii cum ephod*) oleum unctionis, et *Spiritus Sanctus*. » Idem habetur in *Midras sir hassirim*, id est in *Expositione Cantici Cantic.*

Dices : Hebraice קדש kodes, significat templum vers. 26, ubi dicitur : « Et civitatem, et sanctuarium (hebraice kodes) dissipabit populus cum duce venturo ; » ergo et hic significat templum, non Christum. Respondeo, nego consequentiam ; hic enim jungitur civitati, diciturque cum ea dissipandum a Tito, quod de templo accipi debere liquet ; præsertim, quia ante urbis et templi excidium occidendum esse Christum jam prædictit angelus : unde clarum est de templo eum loqui, non de Christo, secus est hic, ubi prædictit ungendam sanctitatem sanctitatum, quæ adducat justitiam sempiternam, et aboleat peccatum, ac impleat visiones Prophetarum : hæc enim fecit Christus, non templum.

Denique R. Moses Gerundensis, R. Ozia in *Seder Olam*, R. Josue ibidem, R. Barnahaman, R. Barachias, R. Moyses Tironensis, R. Hioces, R. David, R. Abraham, R. Chaldias, qui fuerunt auctores Thalmud, quos citant Finus et Galatinus supra : esto putent hisce 70 hebdomadibus denotari tempus durationis templi ; tamen omnes uno ore asserunt, in fine harum hebdomadum 70 venturum Messiam, eumque intelligunt per justitiam sempiternam.

Probatur secundo. Secundo, quia angelus hic Danielem afflictum, et obsecrantem pro liberatione populi consolatur dicens, post 70 hebdomades populum ab omni captivitate liberandum per Christum : ergo non definit hic tempus durationis utriusque templi, scilicet quod prioris desolatio durabit 70 annis ; posterius vero 420 annos durabit, ac deinde exscindetur in perpetuum ; hæc enim tristia sunt, non læta et consolatoria. Constat autem angelum hunc consolari Danielem, eique lætum afferre nuntium, quod exauditæ sint preces ejus.

Tertio, hæc 70 hebdomades inchoandæ sunt ab Tertio. exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, jam a Chaldæis eversa, uti ait angelus : ergo male, imo, contrarie verbis angeli, Judei eas inchoant ab excidio templi, jam pridem facto a Chaldæis. Non enim dicit angelus : Ab exitu destructionis, sed ædificationis Jerusalem eas inchoandas esse.

Quarto, eversio templi, quæ hic prædictitur Quarto. futura, ut Judæi volunt, in fine 70 hebdomadum, non fuit ablatio peccati, adductio justitiae sempiternæ, unctio Sancti sanctorum, quod tamen hic de iisdem asserit angelus, sed potius illa horum omnium, totiusque religionis et gentis Judæorum fuit eversio.

Quinto. *Quinto*, errant Rabbini in supputatione annorum. Nam Thalmudici in *Megilla*, cap. 1, docent ab excidio templi primi usque ad fabricam templi secundi fluxisse annos 78. Secundum vero templum stetit non tantum annis 420, sed ut minimum annis 583; tot enim sunt ab anno sexto Darii Hystaspis, quo hoc templum perfectum est, ut dicitur I *Esdrae* vi, 16, usque ad annum 72 a morte Christi, quo illud ipsum eversum est a Tito. Rursum ex Judæorum sententia 70 hebdomades, id est 490 anni, incipiunt ab excidio templi prioris, quod contigit anno ultimo Sedeciæ, qui fuit annus 18 Nabuchodonosoris, et finiuntur in excidio templi secundi, quod peregerunt Titus et Romani 38 anno post necem Christi, a Judæis occisi. Atqui ex Josepho, et ex aliis omnibus historicis constat contrarium, scilicet non tantum 490, sed longe plures annos interfluisse, puta 668. Imo Josephus plures numerat. Nam lib. VII *De Bello Judaico*, cap. xviii, ait: « A rege David usque ad Titum (a quo eversa est Jerusalem) anni mille centum septuaginta novem. Ex quo autem condita est (Jerusalem) usque ad excidium annorum duo millia centum septuaginta septem. » Jam a Davide usque ad ultimum annum Sedeciæ, quo a Nabuchodonosore eversa est Jerusalem cum templo, sunt anni 470, ut patet ex annis Davidis, Salomonis, et posteriorum, qui consignantur in libris *Regum*: supersunt ergo anni 709 ad explendum numerum annorum 1179, quos Josephus ait fluxisse a Davide ad excidium Hierosolymæ. Itaque ex Josephi sententia, a Sedecia ad Titum non 490, ut volunt Judæi, sed 709 anni fluxerunt. Et ne dicas errorem esse in numeris Josephi, eumdem numerum per partes colligit et supputat idem Josephus lib. XX *Antiquitatum*, cap. VIII.

Sexto, consentiunt Judæi has hebdomadas terminari in destructione templi secundi, facta per Titum et Romanos: atqui ex angeli sententia hæ hebdomades terminantur in Christo ejusque nece; hoc enim clare verba significant: « Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ: et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus. » Ergo ex Judæorum sententia sequitur quod Messias, puta Christus, jam venerit, vixeritque sub tempus destructionis Jerusalem per Titum, ac proinde fuit Jesus Christus. Nec enim aliis fingi potest, nisi quis dicat Titum, in quo desinunt hæ septimanæ, esse Messiam. Sed hunc nec ipsi Judæi recipient, utpote quem quasi templi et gentis suæ eversorem exsecrantur.

Chris- Respondet R. Salomon per Christum hic accipi-
tum non Cy- rum, qui solvit captivitatem Babylonicam.
esse Cy- Hunc enim Isaias cap. xlvi, vocat Christum, di-
rum pro- batur. cens: « Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro. »

Verum hoc implicat: *primo*, quia Cyro non com-
petit quod de Christo ait hic Daniel; nimirum
eum fore Sanctum sanctorum, consummaturum

prævaricationem, finem daturum peccato, et ad-
ducturum justitiam sempiternam, ideoque fore
nagid, id est ducem populi fidelis et christiani; *נגיד* *nagid* enim ab Hebrais vocatur is, qui an-
testat populo in rebus vel politicis, vel Ecclesiasticis, puta antistes, præsul, dux, princeps; sive
qui prætit et ducit agmen, uti capitaneus et duc-
tor exercitus. Dicitur enim *nagid*, a *נגיד negid*, id
est *ante*; unde *nagid* idem est quod antecessor,
dux, ductor: et hoc significat græcum ἡγεμόνος;
uti vertunt hic Septuaginta. Talis autem in populo
fidi fuit Christus, non Cyrus, utpote infidelis.
Sic *Jerem.* cap. xxi, 1, Phassur vocatur *nagid*, id
est *princeps in domo Domini*. Et *Nehem.* cap. xi, 11,
Saraia pontifex vocatur *nagid*, id est *princeps domus Dei*, id est summus *Antistes*, ut vertit Marinus
Brixiensis in *Lexico*. Et *Salomon rex*, III *Reg.* i,
13, vocatur *nagid*, id est *dux super Israel*. Et *Saul*,
I *Reg.* ix, 15, a Samuele ungi jubetur in *nagid*,
id est regem et ducem, ut salvet populum de
manu Philistinorum.

Secundo, hæ hebdomades incipiunt multis an-
nis post Cyrum, scilicet ab Artaxerxe: hic enim,
non Cyrus, Judæis potestatem urbis reædifican-
dæ fecit, ut patet *Nehem.* ii, 5. Inde enim eas in-
cipiendas esse docet angelus, dicens: « Ab exitu
sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, hebdo-
mades, » etc. Adde: Cyrus jam regnabat, cum
hanc visionem accipit Daniel, et hoc eodem anno
Judæos e Babylone dimisit. Falsum ergo est us-
que ad Cyrum numerandas esse 70 hebdomades,
id est 490 annos, quas usque ad Christum nume-
randas esse asserit hic angelus. Quocirca Aben-
Ezra fatetur per Christum hic non accipi Cyrum,
sed Nehemiam. Alii accipiunt Zorobabel, alii Her-
odem Agrippam juniorem, qui Judæorum fuit
fautor et protector. Sed hæc iisdem argumentis
confutantur. Adde, nemo horum fuit occisus,
quod de Christo ait hic Daniel (1).

(1) Perperamet ipse Bertholdius in *Danielis Comment.*,
cum Rosenmuller et reliquis antimessianis interpretibus
conatur evincere per *מashiach nagid*, quod
est *Messias princeps*, aut *Christus dux*, principem extra-
neum designari. Etenim, *primo*, ut bene notat J. Perrone
loco citato, bona prædicta (vers. 24) ubique in prophetis
de tempore Messiano dicuntur; si igitur, ut et ipsi fateri
coguntur, ibi est sermo de rege qui circa exitum *lxix*
hebdomadæ venturus erat, patet eum paulo ante effusio-
nen bonorum illorum venire debuisse, nec proinde his
verbis quidquam significari præter illorum bonorum
auctorem. *Secundo*, nexus causalis inter personam et
distributionem bonorum indicatur per vocabulum *mas-
chiach*, *Messias*, seu *Christus*, relate ad *Kedos kadoschim*,
Sanctus sanctorum, vers. 24. Porro per *sanc-tissimum* si-
gnificari Messiam pluribus ostenditur. *Tertio*, quemad-
modum *nagid*, *dux* seu *princeps*, non excludit relationem
ad *Messiam*, cum de illo pariter dicatur, *Isai.* lv, 4,
sicut *ש char*, *Isai.* ix, 6; *מושל moschel*, *Mich.* v, 1;
נשׁ nasci, *Ezech.* xxxiv, 24; ita nec *maschiach*, quod
se habet ad *nagid*, sicut speciale ad generale, et aperte
Messiam respicit. Inservit namque ad hoc, ut per *nagid*
designetur princeps theocraticus: cf. I *Reg.* x, 1. Nun-

Alii Rabbini respondent agi hic de Christo, sed hisce 70 hebdomadibus non definiri tempus adventus ejus, quasi ipse in septuagesima et ultima sit venturus, sed quod in iis Iudei merebuntur ut ipse suo tempore veniat. Verum ut taceam illos tune potius meruisse excidium, quod eis intulerunt Romani, id ipsum ipsa verba angeli excludunt; ait enim: « Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ, et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus. » Ergo hebdomades definiunt tempus adventus Christi. Unde R. Salomon fatetur, quod Iudei hunc Messiae adventum non meruerint in tempore 70 hebdomadarum; sed iis finitis tempore hujus diuturnæ et interminabilis captivitatis eum mereantur. Sed ethoc absurdius dicitur: nec enim per annos 1500 fructus hujus meriti apparuit, ut vel Messias, vel Prophetus aliquis Messiae prænuntius se ostenderet. Adde Iudeos usuris, fraudibus, sortilegiis addictos nunc tam, vel magis sceleratos esse, quam fuerint olim, ut non Messiae adventum, sed ejus odium, reprobationem et desolationem extremam mereri videantur.

Perperam ergo R. Salomon verba angeli sic exponit, « ut consummetur pævaricatio », id est ut Iudei desistant a pævaricationibus suis, et per hoc mereantur apud Deum, ut eorum iniqitas deleatur per captivitatem modernam. Similiter, « ut adducatur justitia », id est, inquit, ut veniat Messias, per quem in sempiternum justificantur Iudei, et tunc finaliter impleantur visio et prophetia, ut per merita Iudeorum impleantur promissiones per prophetas factæ de Christo. Perperam inquam; nam Hebreæ ad verbum habent: *Precisum est, determinatum et definitum (fore scilicet) super populum tuum, et super*

Respon-
dio R.
Salomon.

Refelli-
tur.
Primo.

quam paganus rex ita vocatur, qua talis. De Cyro solum, *Isai. XLV, 1, maschiach* legitur, tum ob specialissimas relationes ejus ad theocratiam, tum ob dona a Deo ipsi collata ad Iudeorum salutem, tum ob initia cognitionis veri Dei, ex suo decreto (cf. II *Paralip.* cap. ult.; *Esdr. I, 2*), tum ob typicam relationem ad Christum Messiam. Ino ut rex theocraticus considerari potest, et pro tali sumitur, *Isai. XLV, 1. Quarto*, ex contextu, in quo opponitur *maschiach nagid* נגיד nagid aba, duce venturo, vers. 26; *nagid* utrique commune, ast *maschiach theocraticus, aba extraneus*. Atqui a tempore Danielis nemo rex theocraticus, juxta *Ezech. xxxi, 32*; ergo unus Messias designatur. *Quinto*, tandem terminus *ad quem* hujus vaticinii estne Christi nativitas, an ejus publica manifestatio? Hoc posterius communius. Cf. Petavii *Doctr. temp. lib. XII, cap. XXXIII*. Jam vero hebdomades LXXIX, ut inferior ostendetur, desinunt in Christum. Post LXX hebdomadas opus salutis debet esse completum, usque ad Messiam hebdomadæ LXXIX, qui media LXX hebdomada exstirpabitur. Ergo remanent anni tres cum dimidio. Hinc illud *ad Maschiach tantumdem valet ac: usque ad publicam manifestationem Messiae*. Sane vel ipse Bertholdius haec verba ad Christum proxime referri fatetur, scribens: « Si non necessarium: absolute, attamen valde naturale est, ad haec verba *maschiach nagid* cogitare de Messia Jesu et de ipsius morte in cruce. » Cf. Hengstenberg loco citato, pag. 400 et seqq.

urbem sanctuarii tui hebdomades septuaginta ad consummandam pævaricationem, et ad finiendum peccatum, et ad delendum iniquitatem, et ad adducendam justitiam sæculorum, et ad complendam visionem et prophetiam, et ad ungendum Sanctum sanctorum. Ita vertunt Septuaginta, Leo Hebræus, Galatinus et alii; quibus verbis clare significatur decretas esse a Deo præcise 70 hebdomades usque ad consummationem peccati, et adductionem justitiae, ita ut iis finitis statim consummetur peccatum, et adducatur justitia, et ungatur Sanctus sanctorum. Hisce enim omnibus angelus 70 hebdomadarum tempus constituit: ergo illa omnia intra 70 hebdomades necessario implenda sunt: ad hoc enim (ut scilicet illa omnia fiant) decisæ et definitæ sunt haec hebdomades, uti habent verba Hebræa. Unde angelus, id ipsum explicans, subdit: « Scito ergo et animadverte, ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, hebdomades sexaginta duæ, » etc.

Secundo, in medio hebdomadæ 70, ait angelus *Secundo*. defecturam hostiam et sacrificium, quæ offerri solebant pro peccato; ergo multo magis merita et satisfactiones privatas Iudeorum defecturas supponit: haec enim a publico Dei cultu, sacrificiis et sacramentis pendent. Jam cum constet hostiam et sacrificium defecisse in excidio Titi, sequitur tunc quoque completas fuisse 70 hebdomades, omneque Iudeorum meritum et omne bonum. Quid enim apud Deum mereantur nunc Iudei, qui ab eo oblivioni traditi, abjecti, et omnium gentium servituti jam per sedecim annorum centurias expositi sunt?

Tertio, angelus ait hic 70 hebdomades præcise *Tertio*. a Deo esse decretas et definitas; quæero ad quid, sive cui rei sunt definitæ? Utique ut iis expletis, « ungatur Sanctus sanctorum », ut ait angelus, puta Messias; ac simul, ut per eum consummetur pævaricatio, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia, et impleatur visio. Haec enim in Hebreo pari tenore et syntaxi, per copulam *et*, sine articulo ullo (ut patet ex verbis Hebreis jam citatis) ponuntur et conjunguntur, ut ab invicem divelli nequeant. Stauuntur hic ergo tempus et terminus, scilicet 70 hebdomadæ, quibus exactis veniat Christus, qui haec tria præstet; scilicet *primo*, propitiationem, expiationem et abolitionem peccati; *secundo*, adductionem justitiae semipiternæ; *tertio*, impletionem omnium visionum et prophetiarum, uti Thalmudici et Rabbini alii jam citati fatentur. Unde ait angelus: « Super populum tuum, et urbem sanctam; » quia Iudeis proprie, non gentibus, a Deo uti per Prophetas promissus, uti et missus est Messias in fine hebdomadarum.

Objicit R. Salomon hebdomades 62 dividi a Danielie ab hebdomadibus septem; ait enim: « Usque primo ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ, » q. d. Septem hebdomades

erunt usque ad Cyrus, qui Judæis erit favens, et quasi Christus: inde 62 hebdomades erunt, quibus ædificabitur et stabit Jerusalem; sed in angustia, quia a Persis, Græcis et Romanis vexabitur: unde in fine earum occidetur alter Judæorum Christus a Romanis, scilicet Herodes Agrippa. Verum hoc dici nequit: nam falsum est, « ab' exitu sermonis, » id est ab edicto reædificandi Jerusalem, usque ad Christum ducem fuisse tantum septem hebdomades; mox enim angelus numerat 70. Quin et ipse R. Salomon dividens has hebdomades in duas partes, priori parti non septem, sed decem dat hebdomades: tot enim ait fluxisse ab excidio primi templi, usque ad fabricam secundi templi, puta usque ad annum sextum Darii Hystaspis, uti initio dixi. Rursum alibi ipse, et alii Rabbini passim dicunt fluxisse, non 70, sed 78 annos usque ad hunc annum Darii: ergo sibi contradicunt hic, uti et in multis aliis.

Secunda. Secundo, falsum est quod 62 hebdomadibus ædificata sit platea, et muri Jerusalem in angustia temporum. Nam hi muri paucis diebus, puta 52, a Nehemia restaurati sunt, ut dicitur *Nehem. vi, 15*. Hæc enim angustia temporum paucis diebus duravit, scilicet usque ad mortem Sanaballat, qui hanc murorum fabricam impeditiebat, uti ibidem dicitur.

Tertia. Tertio, has 62 hebdomades non spectare fabricam templi, sed Christum, patet ex eo quod statim subdit: « Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus. » Ubi plane intelligitur Christus, de quo dixit paulo ante: « Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ. » Ut patet tum ex nomine Christi, tum ex eodem numero hebdomadum sexaginta duarum.

R. Salomon finit duos Christos. Figmentum ergo est et paradoxum quod R. Salomon duos hic comminiscitur Christos, scilicet *primum*, de quo dicatur: « Usque ad Christum ducem, » et hunc esse Cyrus; *secundum*, de quo dicatur: « Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, » et hunc esse Herodem Agrippam, qui vocatur Messias, quia Judæorum fuit fautor et protector. Nam hunc Herodem non fuisse occisum, ut fingit R. Salomon, sed cum Romanis fuisse confederatum, et ab iis exaltatum, docet Josephus, lib. III *Belli Judaici*, cap. III, v et seq. Et Cornelius Tacitus, lib. V, ait Agrippam in bello Judaico secutum esse partes, non Judæorum, sed Romanorum, ideoque apud Romanos magno in honore et gratia fuisse. Adde, ipsa hebdomadarum et verborum connexio, idemque numerus plane arguunt de una et eadem re, de uno et eodem Christo hic agi.

Itaque cum certum clarumque sit, illud quod sequitur: « Et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum, » non posse jungi cum eo quod immediate præcessit, scilicet: « Et hebdomades sexaginta duæ erunt: » sed paulo anterius debere referri ad « hebdomades septem »

priores, quibus Judei sub Nehemia ædificarunt Jerusalem magno labore, paupertate et metu hostium; hinc sequitur has hebdomades, septem et 62, non esse divellendas, nec dividendas, sed conjungendas. Nec est quod quis suspicetur in Hebræo aliter haberi. Sic enim ad verbum habet: *Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ. Revertetur ipsa, et ædificabitur (non stabit, non durabit, ut perperam expo- nit R. Salomon) platea, et fossatum, sive fossa et murus, idque in angustia temporum. Ita vertunt Septuaginta, Leo Hebræus, Galatinus et alii passim, et patet intuenti textum.* Porro cur seorsim numeret angelus hebdomades septem et 62, dicam inferius.

Itaque ex textu Hebræo liquet non divellendas esse hebdomades septem a 62, sed iis jungendas; cum iis enim junguntur per copulam *ve*, id est *et*, et utræque carent articulo, quo casus mutationem significare solent Hebræi. Si enim diceretur id quod vult R. Salomon, addendus fuisse articulus *lamed*, vel *præpositio beth*, hoc modo *וְשִׁׁשׁים* lessissim, vel *bescissim*, id est, *in sexaginta duabus hebdomadibus revertetur*, hoc est rursum ædificabitur platea, et pro ædificabitur, dicendum fuisse, *sta-bit, vel durabit.*

Objiciunt secundo, initio versus hujus aliter ex Hebræo vertendum esse; nimirum, pro *ab exitu sermonis*, ipsi vertunt, *de exitu sermonis*, quasi hic non denotetur terminus a quo inchoandæ sint 70 hebdomades, sed tantum denotetur materia de qua angelus loquebatur. Dixerat enim superius: « Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, » ut sit sensus: Tu Daniel, scito et animadverte de exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, hoc est, adverte et intellige qualiter sermo egressus a Domino de ædificatione Jerusalem sit intelligentius: quia, scilicet ad Christum ducem, id est ad Cyrus, erunt hebdomades septem. Verum id falsum esse clare convincitur. Primo, quia angelus hic designat, non materiam, sed initium et finem 70 hebdomadarum, ut sciamus ubi eas inchoare, ubi terminare debeamus. Alioqui enim ridiculum, et nugatorium quid diceret, scilicet, 70 hebdomades fore, si non indicaret quando eæ futuræ essent, quando nimirum inchoandæ, quando terminandæ. Quocirca nugaces et ridiculi sunt R. Salomon et Judæi, qui ut hoc telum de adventu Christi effugiant, hasce 70 hebdomades truncant capite et cauda, initio et fine, ut in tenebras illas retrudant, nec sciatur ubi eas ordiri, ubi finire debeamus.

Secundo, cum ait angelus: « Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ, » clare designat finem hebdomadum, scilicet eas finiendas in Christo duce. Ergo anterius vertendum est, « ab exitu sermonis, » non « de exitu, » ut indicet earum caput et exordium: aliqui enim frustra Danieli revelaret Christum venturum in fine 70 hebdomadum. Diceret enim Daniel: O angele! nihil mihi de tempore Christi re-

objici-
tur se-
cundo.

Respon-
sio pri-
ma.

Respon-
sio pri-
ma.

velas, æque jam illud mihi obscurum est, acante; quid enim scio, an post aliquot millia annorum hæ septuaginta hebdomades futuræ sint, cum mihi earum initium non indices. Rursum, si vertas, « de exitu, » verba non cohærent; cohærent autem si vertas, « ab exitu. » Quis enim sensus est, de exitu sermonis usque ad Christum ducem? Hæc enim verba conjungit angelus, licet Judæi sua pravainterpretatione ea disjungant, sed perperam. Si vertas: « Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt; » verba optime cohærent, suntque clarissima: indicant enim ubi 70 hebdomades Daniel ordiri debat, scilicet ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem; et ubi eadem sint finiendæ, scilicet in Christo duce, ut quisque ab earum exordio eas per annos singulos numerando usque ad 70 et ultimam, habeat et noscat præcise tempus quo veniet Messias, adeo ab omnibus desideratus: quod incognitum erat et occultum ante hanc prophetiam. Id enim angelus hic Danieli, et per eum omnibus pandit, et cognitum facit.

Tertia. ita vertunt Septuaginta, ἀπὸ ἑξῆς τοῦ λόγου τοῦ ἀποκριθῆναι, καὶ τοῦ αὐτοῦ οὐχίου. Ιερουσαλήμ ἔως χριστοῦ ἡγουμένων, ἐδομάδες ἐπτὰ καὶ ἐδομάδες; ἐξῆκοντα δύο, id est ab egressu sermonis ut respondeatur, et ut ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ductorem, hebdomades septem, et hebdomades 62. Sic et Leo Hebræus, Galatinus, Pagninus, et alii Hebræi passim. Quin et ipsi Thalmudici, ac recentiores Rabbini veritate coacti, tandem fatentur vertendum esse, « ab exitu sermonis, » non « de exitu, » ac hic indicari exordium hebdomadum; quod ipsi dicunt esse annum Sedeciae vel ultimum, quo eversa est a Chaldaeis Jerusalem cum templo, et inde numerant septem hebdomades, quas seorsim nominat angelus, id est annos 49, usque ad Cyrum, vel quartum quo Jeremias, cap. xxix, prædictum, et ex ore Dei egressus est sermo, quod post 70 annos captivitatis Babylonice rursum ædificaretur Jerusalem, et inde usque ad secundi templi fabricam sub Dario, numerant suas priores hebdomades decem, id est annos 70, cum illi ipsi fateantur fuisse 78. Sic dum ad Cyrum numerant annos 49, illi ipsi fatentur fuisse plures, scilicet 52. Nam 49 aiunt fuisse usque ad Balsasarem, qui Cyrum præcessit. Itaque Judæi hic in angustias redacti, ut hoc christianorum argumentum effugiant, torquent se in omnem partem, sed non extorquent; ac multis modis sibi ipsis contradicunt, et seipsos jugulant, ut mendaces facere solent.

Quocirca vere Lyranus hic in fine capituli: « Non remanet, inquit, Judæis excusatio ex diversitate computationum, cum tempus septuaginta hebdomadarum, de quo hic agitur, qualitercumque computetur, tam per mille (imo 1600 annos) transierit in præteritum, et amplius. Sola ergo obstinatio malitiosa tenet eos in perfida exspectatione Messiae. »

Denique, Judæos fore Christi adversarios, imo occisores prædictit hic Daniel, dum ait: « Et non erit ejus populus qui eum negaturus est » (quæ verba quomodo ex Hebræo educantur, ostendam inferius), ideoque « in dimidio hebdomadæ (70 et ultimæ, qua occident Christum) deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio, » uti vertunt Septuaginta, Noster, Galatinus, Leo Hebræus et alii. Quid clarius? Frustra ergo templi et gentis suæ restorationem per suum Messiam exspectant Judæi: ideoque videmus eos graviorem pati captivitatem jam per 1600 annos, quam unquam vel parentes eorum, vel gentes aliæ perpessæ sint. Jugiter enim carent urbe, republica, templo, sacrificiis, Prophetis; ac videntur plane a Deo oblivioni traditi, neglecti, projecti et reprobati, donec Christum nostrum et suum agnoscant. Refert Hector Pintus in Ezech. xvi, 27, se Romæ disputasse cum Judæis, cumque clare illos convinceret, ita transisse obstinatos ac si fuissent insensibiles et mente capti: quin imo tam fuisse pertinaces, ut unus eorum illi diceret: Etiamsi luce meridiana clarius ostendas mihi Christum esse Messiam, tamen non credam.

Jam difficilis quæstio est apud Interpretes, quomodo hæ 70 hebdomades præcise computandæ sunt. Novi virum nobilem, catholicum et litteratum, qui in hac quæstione perscrutanda plures annos insumpsit, cumque se expedire non posset, magisque in dies intricaret, infelix incidit in amittiam et amentem judaismum. Potissima difficultas est de harum hebdomadarum exordio, quo scilicet anno præcise eas ordiri debemus. Variæ admodum hic variorum sunt sententiæ, quas omnes ad pauca capita contraham. Primo, aliqui eas ordiuntur ab anno 13 Josiæ, quo cœpit Jeremiah, cap. I, II, prophetare de excidio et casibus Hierosolymæ. Secundo, Lyranus, Burgensis, Vatablus et Galatinus, lib. IV, cap. XVI, secuti Hebræos, censem eas inchoandas esse ante captivitatem Babylonieam, puta ab anno 4 Sedeciae, quo exiit verbum et promissio Domini per os Jeremiah, cap. XXIX, de restauranda Jerusalem. Tertio, alii alias Hebræos secuti, eas inchoant ab anno undecimo Sedeciae, quo eversa est Jerusalem a Chaldaeis. Quarto, S. Hippolytus, teste S. Hieronymo hic, inchoat eas ab anno 20 captivitatis Babylonice, puta quinquaginta annis ante Cyrum, qui in septuagesimo anno ejusdem illam laxavit. Quinto, Origenes, teste S. Hieronymo hic, et Tertullianus lib. Contra Judæos, inchoant eos a primo anno Darii Medi, uno anno ante Cyrum. Sexto, Clemens Alexandrinus, lib. I Stromat., et Eusebius, lib. VIII Demonstr., inchoant eas ab anno primo Cyri. Septimo, Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 12, inchoat eas a Dario Hystaspis, sub quo templum est reædificatum. Octavo, Severus Sulpitius, lib. II Historiae, quem sequitur Scaliger, lib. VI De Emend. temp., inchoat eas a Dario Notho, quem

Quæstio
ubi in-
choandas
70 heb-
domades.

ipse vocat Ochum; hunc enim censem templum restaurasse, non Darium Hystaspis. Vide S. Hieronymum et Pererium, qui haec omnia fuse confutat toto lib. XI.

Verum omissis multiplicibus hisce sententiis utpote vel manifeste falsis, vel improbabilibus, ex iis quae jam contra Judaeos disputavi et demonstravi, suppono cum communi omnium Interpretum, Patrum et Doctorum orthodoxorum sententia, ex hisce 70 hebdomadibus satis convinci Judaeos, quod Messias, sive Christus, jam pridem advenerit, fueritque Jesus, quem christiani colunt: quia omnium sententia finiuntur et finitae sunt haec hebdomades sub illud tempus, quo vixit Christus, licet ob tam priscae chronologiae obscuritatem et varietatem, difficile sit primum et ultimum earum annum praeceps consignare, in eoque varient Interpretes: nam 70 hebdomades faciunt 490 annos, qui jam diu expleti sunt eo tempore quo vixit Jesus. Rursus consecratio, ducatus, praedicatio et occisio Christi, per annos hic a Danielie distributa et consignata, in alium neminem, quam in Jesum Christum convenient. Denique desolatio Jerusalem post eadem Christi, eversio templi, Judaeorum perenne excidium, aliaque que hic ultima hebdomade futura praedicit Daniel, sub tempus passionis Jesu Christi, adimpta sunt; uti ex historiis tam sacris, quam profanis notissimum est. Vide Franciscum Suarez, III part., disp. 1, sect. II. Nunc

Dico PRIMO: Probabile est has 70 hebdomades inchoandas esse ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani. Probatur: nam hoc solo anno legimus ab eodem exisse mandatum, et potestatem Nehemias esse factam ad reaedificandam Jerusalem, ut patet Nehem. II, 5 et 6.

Dices: Annus hic 20 Artaxerxis fuit 4 olympiadis 83; Christus autem passus est anno 4 olympiadis 202. Ergo ab hoc anno 20 usque ad passionem Christi fluxerunt tantum anni 477, aut excludendo utrinque ultimos annos imperfectos 475, tot enim invenies, si olympiades intermedias multiplices per quatuor; quaeque enim olympias quatuor continent annos: 70 hebdomades autem efficiunt annos non 475, sed 490. Ergo haec hebdomades 13 annis citius, puta non a 20, sed a 7 anno Artaxerxis inchoandae sunt. Respondeo: Judaeos

anos es-
se luna-
res. usos fuisse annis lunaribus, quorum quisque con-
tinet 12 lunationes, sive menses lunares: mensis autem lunaris constat 29 diebus cum dimidio: tot enim sunt ab uno novilunio ad aliud. Unde se-
quitur quod annus lunaris minor sit solari 11 die-
bus: habet enim dies 354, cum solaris habeat dies 365; quare 475 anni solares faciunt 490 annos lunares, et de his loquitur Daniel; unde et hebdomades has abbreviatas esse dicit. Ita Julius Africanus, lib. V Annalium, Chrysostomus, Rupertus, Pererius, Torniellus, Gordonus et multi alii.

Refelli-
tur. Verum, quia Scriptura passim non lunaribus, sed communibus et solaribus utitur annis; et

quia, licet Hebrei uterentur annis lunaribus, tamen tertio quoque anno ex diebus, qui excreverant, mensem addebant, et sic per embolismos annos lunares æquabant solaribus, tum ut chronicis et chronologiæ aliarum gentium se suaque accomodarent, tum propter Pascha et Pentecosten, ut illa congruo tempore a lege statuto, puta post æquinoctium vernum 14 die primi mensis, semper celebrarent: alioqui enim, cum annus lunaris minor sit solari, saepe Pascha celebrare debuissent vel ante æquinoctium vernum, vel alio mense quam primo. Unde Lyranus, qui origine fuit Hebreus, et in Hebreorum rebus versatissimus: « Falluntur, inquit, qui putant Hebreos talibus (lunaribus) annis usos aliquando; alioquin tota veteris instrumenti series vacillat. » Idem asserit Galatinus, lib. IV, cap. xiv, qui cap. xv conatur per annos solares hos annos computare, incipiendo ab anno 20 Artaxerxis Longimani, et proseguendo eos per annos singulorum regum usque ad Christum; hinc

Dico SECUNDO: Probabilis est hos 490 annos esse communes, sive solares, et cum a Christo retro computando secundum hos annos, primus incidat in annum 7 Artaxerxis Longimani; dico a posteriori certum videri ab hoc anno 7 Artaxerxis inchoandas esse has 70 hebdomades; nam si aliunde incipias, non explebis numerum 490 annorum communium sive solarium, uti omnes consentiunt. Itaque cum annus hic 7 Artaxerxis concurrat cum anno 4 olympiadis 80, et cum anno Urbis conditæ 297; Christi vero baptismus incidet in annum 15 Tiberii, qui annus concurrit cum anno 4 olympiadis 201, et cum anno Urbis 781; hinc sequitur ab anno hoc Artaxerxis usque ad ducem Christum, id est usque ad tempus hoc baptismi Christi, quo Christus constitutus et declaratus est dux populi Dei, sive ductor et doctor Ecclesiæ (dicente Deo Patre: « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite ») fluxisse 69 hebdomades, id est annos 483. Deinde in medio, ut ait angelus, septuagesimæ et ultimæ hebdomadæ, id est anno 487, qui fuit 18 Tiberii Cæsar, occisum esse Christum, et tribus annis post Christi mortem finiri hebdomades 70, id est annos 490. Hoc enim verius est, quam id quod censem Africanus, Rupertus et Beda, scilicet 70 hebdomades præcise finiri ipso anno passionis Christi. Sic enim dicere debuisset Gabriel: In fine (non *in dimidio*) hebdomadæ, occiso Christo, deficient hostia et sacrificium. Computo per olympiades, quia haec computatio est certissima, præcisa et expeditissima; cum per reges saepe sit interrupta et incerta, æque ac varia et prolixa.

Dices: Anno 7 Artaxerxis nullus exiit sermo de reaedificanda Jerusalem; ab hoc autem sermone hebdomades has inchoandas esse asserit angelus: ergo illæ ab hoc anno septimo non sunt inchoandæ. Respondent aliqui insignes chronologi ingeniosi et apposite, quod annus ille 20 Artaxer-

Conclu-
sio se-
cunda.
Verius
est 70
hebdo-
mades
inchoari
anno sep-
timo
Longi-
mani.

Respon-
sio ali
quorum
annum 7
Artaxer-

xit ejus xis, quo ipse dedit Nehemias facultatem reædificandam Jerusalem, *Nehem.* II, 1, non sit 20, ab eo tempore quo ipse solus regnavit post patrem; sed ab eo quo ipse, vivente patre Xerxe, simul cum eo regnare cœpit, cum scilicet Xerxes ad bellum contra Græcos proficiuceretur, quod videtur fuisse anno Xerxis quinto: tum enim bellum in Græcos exarsisse videtur. Hæc sententia colligitur ex Josepho: ipse enim asserit, anno 25 Xerxis, id est anno 25 ab eo tempore quo Xerxes regnare cœpit, missum esse Nehemiam, eumque perfecisse mœnia Jerusalem, anno Xerxis 28, id est anno Artaxerxis 23, ex quo scilicet ipse regnare cœpit cum patre Xerxe, qui annus fuit septimus, quo solus post patrem regnavit Artaxerxes: nam pater ejus Xerxes non nisi 20 annos regnavit. Itaque licet anno 20 Artaxerxis, ut ait Nehemias, exierit sermo, id est mandatum de ædificanda Jerusalem, tamen anno ejus 23 (quem Josephus vocat 28 Xerxis, id est 28 ab initio regni Xerxis), ex quo scilicet regnare cœpit cum patre Xerxe, qui fuit Artaxerxes solius regnantis annus septimus, exitum, id est effectum, habuit hic ejus sermo et mandatum; quia tunc juxta ejus præscriptum mœnia Jerusalem restaurata et perfecta sunt a Nehemias. Unde patet hunc exitum, id est effectum, incidisse in annum 7 Artaxerxis, a quo inchoandas esse 70 hebdomades in conclusione asserui.

Hæc sententia subtiliter adinventa est, eique facit S. Chrysostomus, sed difficultate non caret; nam primo, tota nititur Josepho: Josephus autem hic, uti et alibi manifeste errat, dum regno Xerxis tribuit annos 28, et dum in fine capit is, hæc omnia gesta esse, regnante Xerxe, asseverat. Si regnante, ergo et vivente Xerxe: nam Eusebius, Orosius, Diodorus Siculus, Severus Sulpitius, Beda et alii Xerxi tantum tribuunt annos 20 vel 21. Rursum Esdras, cap. VII, et Nehemias, cap. I, asserunt non Xerxem, ut vult Josephus, sed Artaxerxem mississe tam Esdram quam Nehemiam in Jerusalem. Causa erroris Josephi videtur fuisse, quod historici subinde confundant nomina hæc, Xerxes et Artaxerxes, quasi sit unum idemque. Unde Thucydides et Charon apud Plutarchum in *Vita Themistoclis*, Cicero, lib. XX, epist. ad Attic., Philostratus, lib. I *De Vita Apollonii*, et Probus in *Vita Themistoclis*, tradunt Themistoclem capit is damnatum a Græcis fugisse ad Artaxerxem; cum Ephorus, Dimon, Clitarchus, Heraclides apud Plutarchum supra, asserant eum fugisse ad Xerxem. Xerxes enim persice significat bellatorem. Quocirca idem est nomen hebraice *Achæus*, latine *Assuerus*; persice *Ochos* *oarces*, *Axuræs*, *Artaxerxes*, græce Ὀξεῖς, id est acer *Mars*, ut dixi cap. xix in *Pentateucho*.

Secundo. Secundo, quia hæc sententia videtur non nihil torquere ab exitu sermonis. Hæc enim phrasis Hebreis significat non finem, nec executionem, sed initium loquendi, puta ipsum loquentis et mandantis imperium, maxime quia sequitur: « Ut

ædificetur, » vel, ut hebraice est, *ad ædificandum Jerusalem*. Sic enim passim Prophetæ dicunt, « exiit sermo, » vel « verbum a Domino, » id est Dominus cœpit loqui et mandare. Sic exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur orbis, cum scilicet ipse jussit eum describi.

Tertio, quia Scriptura videtur annos Artaxerxis Tertio. solius regnantis numerare, atque per ejus annum septimum, vigesimum et trigesimum secundum consignare chronologiam in Esdra et Nehemia: ergo annus hic 20 Artaxerxis, est ejus non cum patre, sed solius regnantis, et ita ejus annos hosce consignat Eusebius, et alii.

Quarto, quia valde incertum est an tam cito Artaxerxes regnare cœperit cum patre, scilicet anno Xerxis quinto: tum enim Artaxerxes videtur puer fuisse, et ad regendum ineptus; imo post mortem patris ægre et vix regnum paternum adiit. Artabanus enim præfectus post mortem Xerxis regnum invasit, illudque septem mensibus tenuit. Adde, Artaxerxes erat minimus natu filiorum Xerxis; senior erat Darius, quem proinde potius quam Artaxerxem regni administratorem in bellum abiens reliquisset Xerxes. Unde et Artabanus primo necavit Darium, deinde Artaxerxi insidatus est, uteo sublato invaderet regnum, uti refert Justinus, lib. III.

Denique cum Scriptura velit ab hoc exitu sermonis Artaxerxis inchoari 70 hebdomades, omnino annum hunc exitus alicubi consignare debuit. Unde enim alioqui sciemos initium harum hebdomadarum? voluit ergo exitum hunc non a profano homine, et dubiæ fidei, puta Josepho, sed a se peti. Quare expeditius et facilius ad argumentum responderi potest; atque

Dico TERTIO: Exiit sermo Artaxerxis de reædificando Jerusalem anno ejus septimo; nam illo anno, ut patet *Esdræ* VII, 6, Artaxerxes misit Esdras in Jerusalem, cum multis Judæis in Babylone captivis, deditque, ait Scriptura, illi omnem petitionem: non est autem dubium quin Esdras vel maxime, templo jam ædificato, petierit etiam urbem reædificari, ut a vicinis hostibus Judæi essent tuti, tum in urbe, tum in cultu Dei in templo. Unde et Esdræ in Jerusalem abeunti ad hanc rem, ut videtur, Artaxerxes jussit dari centum talenta argenti, et annonam copiosissimam: permisit enim ea voluntati Esdræ et Judæorum, ut dicitur vers. 18. Esdras autem et Judæi non aliud magis optabant, quam urbem restaurari.

Secundo, quia ex edicto Artaxerxis, Esdras ex Secundo. Babylone omnino reduxit Judæos cives in Jerusalem: cur, nisi ut civitatem reædificarent? ubi enim sunt cives, ibi debet esse et civitas. Addo, quod his cibis rex suo edicto immunitatem dererit, et leges civicas ac magistratus et judices per Esdram constitui jusserit, ut dicitur ibidem vers. 25; hæc enim sunt civitatis et civium.

Tertio, quia ante Nehemiam, qui perfecit mœnia Jerusalem, cœptam fuisse ejus reædificatio-

Conclusio tertia.
Artaxerxes dedit
Esdræ copiam
readifi-
candi Je-
rusalem
anno regni
sui septimo.
Probatur
primo.

nem, patet ex eo quod Nehemias scribit se, anno vigesimo Artaxerxis, audisse et invenisse murum Jerusalem dissipatum, ejusque portas igni combustas, *Nehem. I, 3, et II, 13*, non utique a Nabuchodonosore: hoc enim a 70 et amplius annis audierat; sed a Sanaballat, et similibus Judæorum hostibus sub tempora Esdræ. Et ubi, quæso, ante Nehemiam per tot annos habitassent in Jerusalem tot levitarum, sacerdotum, et Judæorum millia, quæ Nehemias veniens ibi invenit? quomodo Judæi ibidem, cum hostes haberent vicinos, eosque infensissimos, sine mœnibus ab iis illæsi manere potuissent?

Dices: Hæc sententia est nova, nec ullum habet auctorem. Respondeo: Hanc sententiam docent diserte multi recentiores chronologi, ut Angelocrator, Funcius, Capellus, Bucholzerus, Helvicus et alii in suis Chronologiis, esto in fide heterodoxi. Eamdem tenet Cedrenus in *Artaxerxe*, pag. 419, ac insinuat Theodoreetus, dum ait Artaixerxem misisse Esdram et Nehemiam, ut muros Jerusalem reædificarent. Eamdem re ipsa docent Eusebius et passim alii chronologi, dum præcise 490 annos, id est 70 hebdomades, numerant a 7 anno Artaxerxis, usque ad passionem Christi: ex hoc enim evidenti annorum calculo, necessario sequitur initium horum 490 annorum sumendum esse ab anno 7 Artaxerxis.

Hæc disputanda proposui; lector ex tribus hisce sententiis eligat quam volet: omnes enim probabilibus nituntur vel conjecturis, vel fundamentis. Porro hebdomades hæc incipiunt anno mundi 3497, a diluvio anno 1840, a templo Salomonis 564, a Roma condita 298, a libertate sub Cyro, anno 78. Vide tabulam chronologicam quam præfixi Genesi. Unde sequitur eas incipere anno pariter 78 ab hac visione et prophetia Danielis: hanc enim habuit anno 70 et ultimo captivitatis, qui fuit annus libertatis Hebræorum sub Cyro.

USQUE AD CHRISTUM DUCEM, HEBDOMADES SEPTEM, ET HEBDOMADES SEXAGINTA DUÆ. — Id est 69 hebdomades. Est Hebraismus: solent enim Hebræi summam alicujus numeri per partes enuntiare, et minores numeros præponere majoribus, ut videre est *Ezech. XLV, 12*, et alibi, præsertim septenarium; eo enim gaudent, tum ob religionem sabbati; tum ob decursum septimanæ et temporis, quod omne septem diebus decurrit, et jugiter recurrit. Hac de causa potius septenarium assumpsit angelus, quam novenarium, vel quem alium numerum. Ita S. Hieronymus. Nam non legimus aliquod insigne mysterium peractum esse in 62 hebdomade, id est 19 annis, ante navitatem Christi. Torniellus tamen probabiliter conjicit septem primas hebdomades seorsim nominari, et a 62 distingui, eo quod illis septem præter muros (uti mox subdit angelus, ibique dicam), etiam aliæ partes urbis Jerusalem ædificatae et restauratae fuerint tempore Nehemiae. Nam solos muros paucis diebus, puta 52, perfecit, ut dicitur *Nehem. VI, 15*. Addit

Pererius sub finem harum septem hebdomadarum clariusse reginam Esther et Mardochæum, qui Judæos exitio destinatos ab Aman liberarunt, quod contigit sub annum 42 Artaxerxis Mnemonis, quem Pererius censem fuisse maritum Esther; licet alii censeant fuisse Artaxerxem, alii Xerxem, alii Darium Hystaspis: quod decidendum est in lib. *Esther*. Addit Scaliger, lib. VI *De Emend. temporum*, 62 hebdomades incipere ab anno 5 Artaxerxis Mnemonis: ab eo enim missum esse Esdram et Nehemiam in Jerusalem. Sed errat, nam communis sententia est eos missos esse ab Artaixerxe Longiniano, ita cognominato, quod manum unam altera longiore habet.

Porro intra 62 hebdomades quatuor res illustres contigerunt. *Primo*, quod Alexander venerit Jerusalem, ibi sacrificaverit Deo vero, et Jaddo pontificem adorarit. *Secundo*, persecutio Antiochi Epiphanis, ac Machabæorum contra eum bella et victoriae. *Tertio*, translatio sceptri et regni Judaici in Herodem alienigenam. *Quarto*, nativitas Christi.

Jam per Christum ducem omnes passim accipiunt Jesum Christum, qui anno ætatis 30, dum baptizaretur constitutus est a Deo dux populi fidelis. Quare mirum est unum Eusebium, lib. VIII *De Demonstr.*, cui favet Theodoreetus, hic perducem hunc accipere Joannem Hyrcanum, qui ultimus fuit Judæorum pontifex legitimus: nec enim Hyrcano conveniunt ea quæ de Christo hic ait Gabriel, scilicet quod per eum finem accipiet peccatum, et adducetur justitia sempiterna. Rursum Christus constitutus est dux 69 hebdomade, quæ incidit in olympiadem 201. Hyrcanus autem a Pompeio constitutus est pontifex olympiade 179; ergo non est is quem hic designat Daniel. Stolidius errant Judæi, qui per Christum hunc accipiunt Cyrum, aut Herodem Agrippam juniorum. Hisce enim longe minus quam Hyrcano competunt ea quæ hic dicuntur de Christo, ut superius ostendi.

Ex dictis sequitur Christum natum esse hebdomade 65, ut habet Romanum Martyrologium (perperam ergo Onuphrius eum natum ponit 66 hebdomade), puta anno ejusdem 5 exeunte, inde enim computa duos annos reliquos ejusdem hebdomadis et 4 sequentes hebdomades usque ad 69, in cuius fine Christus baptizatus est, et constitutus dux doctorque fidelium, habebis annos 30, quos agebat Christus cum baptizaretur: quatuor enim hebdomades faciunt annos 28. His adde duos reliquos ex 63 hebdomade, habebis annos 30 ducis Christi. Quare mirum est prisca quædam Martyrologia 25 decembris consignare Christi natalem hebdomadi 63. Sic enim Christus baptizatus esset, factusque dux hebdomade 67, et occisus 68, quod falsum est.

ET RURSUM ÆDIFICABITUR PLATEA, ET MURI. — Refer hæc non tam ad proxime præcedentia, quam paulo superius ad illud: « Ut iterum ædificetur

Eusebius
errat,
dum per
ducem
accipit
Joannem
Hyrcanum.

Et Ja.
accep-
tum
Cyrus.

Jerusalem, » ejusque plateæ et muri : esto jam sint plane diruta et desolata. Tò enim *et est* causalē, idemque valet quod *quia*. Duo enim hic prophetat Daniel : *primo*, tempus quo veniet Messias ; *secundo*, restaurationem Jerusalem, quæ sui temporis erat, quamque petierat tam instanter Daniel. Sic enim Prophetæ, elevati in Deum, volant ab uno tempore in aliud, *juxta cap. iv*. Hebræa ad verbum habent : *Revertetur ipsa, et ædificabitur platea, et fossa*; scilicet circum murum, id est murus; *revertetur ipsa*, hoc est, revertentur e Babylone cives ipsius, puta Hierosolymæ, scilicet Hierosolymitæ et Judæi. Verum sic potius dixisset : *Revertentur ipsi*. Melius ergo : *Revertetur et ædificabitur*, id est iterum ædificabitur. Est hebraismus frequens in Scriptura, quo verbum ponitur pro adverbio : *revertetur pro iterum, denuo*. Ita Septuaginta, Leo Hebræus et alii. Vide nostrum Riberam *Osee v*, num. 7. Iterat hoc et confirmat angelus, tum quia Daniel id ipsum summis votis expetierat et obsecraverat; tum ut indicet causam, cur septem hebdomades seorsim ante 62 nominarit, videlicet ut indicaret in iis reædificandam esse urbem. Porro « platea, » id est plateæ Jerusalem, licet Galatinus putet ipsam urbem Jerusalem vocari plateam ob sui latitudinem.

Augustia **temporibus** **du-** **plex.** **Prima.** **Secunda.** IN ANGUSTIA TEMPORUM. — Ita vertunt et Septuaginta Complutensia, sed Romana legunt : *Et evan-*
cuabuntur tempora; Tertullianus : *Innovabuntur*
tempora. Idque *primo*, quia Judæi reædificantes Jerusalem tot angustiis ab hostibus sunt pressi, ut una manu gladium ad se tuendum, alia trullam ad ædificandum gestare cogarentur, *Nehem. iv*, 17. Idem factum fuisse sub Esdra patet ex eo, quod usque ad Nehemiam impedita fuerit urbis fabrica; et ex eo, quod Nehemias dicat se inventisse murum dissipatum, et portas combustas. Secundo, quia ob hostes lassentes assidue Judæos, Nehemias et Judæi angustissimo et brevissimo tempore, scilicet 52 diebus, mœnia raptim perfecerunt.

POST HEBDOMADES SEXAGINTA DUAS. — Repete per hebraismum, post hebdomades 7, et hebdomades 62, id est post 69 hebdomades occidetur Christus; alioquin enim hic versus pugnaret cum præcedenti. Fallitur ergo Driedo, qui lib. III *De S. Scripturâ*, cap. v, docet Christum occisum esse hebdomade 62. Loquitur enim Daniel de hebdomadibus 62, quas paulo ante cum aliis septem coniunctit, q. d. Post hebdomades 62 jam dictas, quæ septem aliis conjunguntur.

OCCIDETUR CHRISTUS. — Insulse Rabbinus quidam apud Finum vertit, *abscindetur*, id est a Synagoga rejicitur, separabitur, et quasi excommunicabitur Christus; et R. Levi, *abscindetur*, id est truncabitur Messias, quia pontifici et pontificatui finis dabitur a Tito. Hebræum enim כְּרָתָה significat excindere, succidere, occidere, et ita vertunt hic Leo Hebræus et Rabbini cæteri.

Unde R. Osea apud Galatinum, lib. IV, cap. xviii, flens dicebat : « Væ illis, vœ illis, vœ illis iniquis et impiis homicidis Israel, ob quorum amorem, ut peccatum eis dimitiat Deus, mittet filium sanctum suum, et carnem humanam induet ! vœ illis, quia propter pravas suas actiones rebelles erunt huic Messiae ! nec respicient dicta quibus imperabit, ut mundentur aqua mundationis ad expianda peccata sua ; nec incedent in viis Deo gratis, nec facient ejus voluntatem; sed ingenti iracundia percipi illum occident. » Quare mirum est Septuaginta vertere, *destruetur unctio*, id est pontificalis dignitas in Hyrcano pontifice, qui occidetur, ait Theodoreetus. Hebraice enim est *Masiach*, id est Christus in concreto, non *mesech*, id est unctio in abstracto; et ita legunt ipsimet Thalmudistæ et Rabbini. Forte Septuaginta mysterium occisionis Christi non intellexerunt, aut potius apud Judæos illud non credituros tegere voluerunt.

26. ET NON ERIT EJUS POPULUS, QUI EUM NEGATU- Vers. 28
RUS EST. — Hebraice לֹא יִנְהַלֵּן veen lo, id est *non ei*, quod R. Salomon exponit, q. d. Christus, id est rex Agrippa, occidetur, et non erit ipse, aut alias rex (Judæorum), donec veniat Messias. Verum sic dicendum erat : *Et non ipse*; jam autem dicit : *Et non ei*. Adde falsum esse, quod Agrippa a Romanis sit occisus, cum ab iis toparchiis et opibus sit auctus, uti superius ex Josepho et Tacito ostendi. Septuaginta vertunt : *Et non erit ei judicium*, q. d. Sine judicio, injuste et tumultuarie a Scribis et Judæis occidetur Christus; aut potius, q. d. Cum unctione, id est pontificatu, peribit principatus (hujus enim est judicare) et res publica. Vatablus : *Et non erit*, scilicet qui opem ferat ei, ut cum a morte et manibus Judæorum liberet. Unde Arabicus : *Et non est illi defensor*; Syrus : *Non est ei*, scilicet in tantis malis remedium, vel evasio. Galatinus, lib. IV, cap. xviii : *Et non erit ei*, scilicet id quod Judæi putant, nimurum ut Christus ab eis crucifixus occumbat, et plane intereat : nam tertio die, iis invitis, a morte resurget. Melius Noster : *Et non erit ei*, vel *eius*, scilicet populus ille Judaicus qui eum negabit et occidet. Hoc enim est quod de eodem clare ait Osee, cap. i : « Voca nomen ejus, Non populus meus, quia vos non populus meus, et ego non vester Deus. » Hinc ipsi coram Pilato volente Christum liberare, negarunt eum, et contra eum acclamarunt : « Non habemus regem nisi Cæsarrem, crucifige, crucifige. » Hinc Finus, lib. V *Flagelli*, cap. v, suspicatur hæc hic excidisse ex textu Hebræo, vel a Judæis esse expuncta. Non enim, ait, verisimile est nostrum Interpretem hæc ex se addidisse. Veteres Hebræi, teste S. Hieronymo, verterunt et explicarunt, q. d. *Non erit illius imperium quod putabat se redempturum*, hoc est, Christus regnum Judæorum deseret, et plane abjiciet, ad quod tamen spiritualiter reparandum et restaurandum præcipue venerat : quod in re idem est cum eo, quod vertit Noster :

«Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.»

ET CIVITATEM, ET SANCTUARIUM DISSIPABIT POPULUS CUM DUCE VENTURO, — «Populus,» id est exercitus Romanus, duce Tito et Vespasiano, in ultionem necis Christi civitatem Jerusalem, et sanctum, quod in ea erat, templum destruet et funditus evertet; ita ut nunquam reædificetur, sed in æternum maneat desolatum; hæc enim est plena «vastitas et statuta desolatio,» de qua sequitur.

Nota : Eversionem templi angelus tribuit populo et exercitu Romano, quia ipse dux, puta Titus, volebat illud servare, teste Josepho. Ita Vatablus.

ET FINIS EJUS VASTITAS. — Hebraice, *succidentur*, scilicet Judæi, *sicut in diluvio*; Tertullianus, *sicut in cataclysmo*, ut pauci, instar Noe, tantæ cladi supersint. Ita Septuaginta. Vatablus vertit : *Finis ejus erit per diluvium*, vel cum inundatione, q. d. Romani tota vi et turba irruent in Jerusalem. Comparat vim et impetum belli diluvio. Ita Theodoreetus.

ET POST FINEM BELLI. — R. Salomon vertit : *Usque ad finem belli*, q. d. Licet omnes Judæorum adversarii tandem sint per Messiam venturum perdendi et vastandi, tamen statuta est a Deo et determinata suæ civitatis, puta Hierosolymæ, devastatio et desolatio per Titum usque ad finem belli Gog et Magog, de quo Ezechiel. xxxviii, qui per Messiam devincentur, et restituentur sibi (id est Judæis) Jerusalem, puta civitas, templum et regnum; utique in fine mundi: tunc enim venient Gog et Magog cum Antichristo, quem Judæi pro Christo recipient. Verum non agitur hic de bello Gog et Magog, sed ducis venturi paulo post 70 hebdomades, id est Titi. Septuaginta obscure vertunt : *Et usque ad finem belli concisi ordinabit* (Romana legunt ordine : Græcum enim τάξιν potest, primo, accipi ut nomen, et tum significat ordine; secundo, ut futurum verbi τέττα, et tum significat ordinabit) *desolationibus*. Forte est mendum, et pro συντετρυμέναι τάξει ἀφανισμοῖς, legendum est, συντετρυμέναι τάξεις ἀφανισμῶν, id est *decreti sunt ordinis*, sive *series desolationum*. Pagninus vertit : *Et usque ad finem belli decisæ sunt desolations*, q. d. Jerusalem obsessa continuis stragibus et cædibus sensim exhauietur et desolabitur usque ad finem belli, quo plane excindetur et desolabitur: quæ desolatio durabit ad finem mundi, ut sequitur. Vatablus vertit : *Ad finem belli consummata vastitudo, vel destruetur desolationibus*, sive *seditionibus et cædibus*, q. d. Toto tamen obsidionis tempore vires ejus erunt labefactæ propter civilia bella, et intestinas seditiones. Nam Joannes et Simon duces seditionis plurimos in urbe occiderunt.

Ad verbum Hebræa habent : *Ad finem belli decreta sunt desolations, ad finem*, id est sub finem, in fine : unde Noster clarissime et optime vertit, «post finem,» tum quia non in bello, sed post finem belli secula est hæc Hierosolymæ desola-

tio et solitudo, occisis vel abductis ex ea Judæis; tum quia sequitur : «Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio,» quam etiamnum patitur Jerusalem : hæc ergo post finem belli contingit, et etiamnum perdurat, et durabit ad finem mundi. Pro *desolatio* hebraice est שׁמְמוֹת *scomemot*, id est desolations, afflatus, siderationes : cum enim res fulmine afflatur, vel igne, aut halitu serpentis, dicitur *scomem*, id est afflari, siderari, desolari; radix enim *scomam* alludit ad שׁנָּה *nascam*, id est spirare, flare, afflare. Significatur ergo hic quod Jerusalem ob suas abominationes a Deo quasi afflabitur, et e cœlo quasi fulmine siderabitur, ut instar Sodomæ in cineres et favillas a Romanis redigatur et evanescat. Ita Josephus describens stragem Hierosolymæ, non Tito, sed Deo eam ascribit, uti inferius ex verbis ejus patebit.

Nota : Hæc vastatio Jerusalem non continetur intra spatum 70 hebdomadum; illæ enim finiuntur tertio anno post mortem Christi, vastatio autem hæc contigit anno 38 post necem Christi : diu ergo post 70 hebdomades contigit hæc vastatio. Quod enim Origenes, Eusebius et Hippolytus hanc 70 hebdomadam cum aliis non continuant, sed iis 60 aut 70 annis posteriorem faciunt, repugnat earum connexioni et contextui apud Daniel. Vastationis ergo Jerusalem meminit hic Daniel, ut ostendat quam gravi ultiōne Deus in Judæos vindicarit necem Christi, utpote qui propter eam exciderit plane Jerusalem, totamque Judæorum gentem et rempublicam.

Nota secundo, gravissimam hanc esse Judæorum vastationem, primo, quia carent templo a 1600 annis; secundo, carent Prophetis; tertio, carent viris doctis; quarto, toto orbe sunt vagi; quinto, perpetua erit hæc eorum desolatio, uti prædictit hic Gabriel, et Isaías aliisque Prophetæ, idque docet ipsa experientia.

27. CONFIRMABIT (ita lege cum Romanis, non confirmavit, uti legunt nonnulli) **AUTEM PACTUM** (Septuaginta, διαθήκη, id est *testamentum*, scilicet novum) **MULTIS HEBDOMADA UNA.** — Redit Gabriel ad Christum, de quo egit vers. 25 et 26. Perperam ergo R. Salomon sic exponit, q. d. Titus, dux populi venturi contra Jerusalem, faciet inducias cum Judæis, quas Judæi non servabunt; hinc ab eo excindentur et desolabuntur. Hoc enim ejus figuramentum clare redarguitur. Nam nec Josephus, nec Josippus filius Gorionis, nec Hegesippus, nec quis alius enarrans cladem Hierosolymæ, harum induciarum meminit; sed potius ex adverso unanimiter omnes asserunt Judæos obstinatissime omnes pacis a Romanis oblatæ conditions respuisse, usque ad extreum urbis excidium. Adeo : Titus Hierosolymam non anno integro, sed dimidio tantum obsedit : cœpit enim obsidionem in aprilii, puta in Paschate; et occupavit urbem octobri sequenti : non ergo «confirmavit pactum multis hebdomada una,» quæ plures annos com-

Ecl-
di-
rum Je-
rusalem
contigit
non in,
sed post
70 heb-
domades.

Desolati-
rum ex-
tremis
decausis.

Vers. 27.

pleteatur. Certum ergo est ex communi Interpretum sententia hæc de Christo Salvatore dici. Christus enim ultima hebdomade, scilicet septuagesima, tribus primis ejus annis cum dimidio prædicavit, ut habeat vetus traditio, teste Eusebio, VIII Demonstr. (de qua re tractandum est in Evangelii. Interim vide Baronium, anno Christi 34, Perrierum hic Quæst. VII, et Suarez, III part., Quæst. L, art. 6, dist. 40, sect. I.), tuncque pactum et testamentum inter Deum et homines præsertim in ultima cena condidit, suaque morte sancivit; ac ejus symbolum, pignusque perpetuum dedit Eucharistiae sacrificium et sacramentum.

Christus confirmavit suam doctrinam multo: et hoc significat Hebreum **לְרַבִּים** **larabbim,** scilicet multis in dativo. Verum melius τὸ multis, accipias in ablativo, multis, scilicet rationibus et argumentis (articulus enim lamed, qui est in larabbim, saepe servit ablativo, ut norunt hebraicæ periti), nimirum primo, miraculis, iis præsertim, quæ Prophetæ eum, ad hoc confirmandum, facturum prædixerant. Unde Christus rogatus a Joanne nomine discipulorum ejus: « Tu es qui venturus es (Messias), an alium exspectamus? » respondit: « Euntes renuntiate Joanni quæ auditis, et vidistis; cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgent, pauperes evangelizantur. » Hæc enim miracula facturum Christum sigillatim prædixerat Isaías, cap. xxxv, 5, et cap. lxi, 1. Itaque ex hisce convicti fuerunt Judæi, ut crederent, vel credere deberent ipsum esse Messiam. Unde et dixerunt Joann. vii: « Numquid Christus, cum veniet, plura signa faciet, quam quæ hic facit? » Christus enim hæc signa faciebat ad hoc, ut iis probaret et demonstraret Judæis se esse Messiam a Prophetis

Secundo. promissum. Secundo, prophetiis: Moses enim omnesque Prophetæ prædixerunt hoc Christi testamentum, et quæcumque ab eis prædicta sunt, hæc Christus præstitit et adimplevit, uti S. Petrus et Paulus in *Actis Apostolorum* crebro ostendunt.

Tertio. testimonii angelorum, qui eum nascen- tem pastoribus annuntiaverunt, eumdemque magis per stellam quasi cœlorum linguam, ait S. Augustinus, serm. 2 *De Epiphania*, indicarunt; qui et eum a morte resurrexisse testati sunt, Matth. xxviii, 2 et sequent. Quin et dæmones ejecti a Christo e corporibus hominum, clamabant ipsum

Quarto. esse Christum Deique Filium. Quarto, testimonio S. Joannis Baptiste, quem Judæi, ut prophetam virumque divinum colebant: Joannes enim non aliud prædicabat, quam hunc esse Messiam, eumque digito demonstrans: « Ecce, inquit, Agnus

Quinto. Dei, ecce qui tollit peccata mundi. » Quinto, testimonio Mosis et Eliæ, qui in transfiguratione coram Petro, Jacobo et Joanne testificati sunt ipsum esse Messiam. Sexto, vita æque ac doctrina integerrima et sanctissima. Christus enim vitam egit

angelicam, imo divinam, ut eum veracem esse, veraque prædicare, nemo prudens dubitare posset: prædicavit enim verbo et exemplo contemnere terrena, amare cœlestia, beatos esse pauores spiritu, mites, castos, pacificos, patientes, etc. Septimo, passione, morte et redemptione sua: hac Septimo. enim implevit Christus Davidis, Psalm. xxi, Isaïæ cap. lxx, Jeremiæ cap. xi. Danielis hoc loco, cum ait: « Et post sexaginta duas hebdomades occidetur Christus, » et aliorum prophetias, qui Christum passurum, crucifigendum, suaque morte homines redempturum, ante 500 et 600 annos prædixerant. Octavo, prodigiis quæ in morte ejus acciderunt. Nam sol obscuratus est, terra contremuit, velum templi scissum est, mortui resurrexerunt; ut omnia clementa ejus quasi Creatoris sui mortem sentire, conturbari ac plangere viderentur; unde ea videns Centurio dixit: « Vere Filius Dei erat iste. » Nono, ex ipsius Christi predicationibus, Nono. quas omnes vere adimpletas videmus. Nam, primo, prædixit suam mortem et crucem, ac deinde resurrectionem et ascensionem; secundo, excidium Iherosolymæ; tertio, prædicationem sui Evangelii per totum orbem, gentium conversionem, Judæorum incredulitatem; quarto, miracula quæ facturi erant ipsius ope Apostoli, item persecutions quas erant passuri; quinto, Ecclesiam suam, licet tyrranorum et hæreticorum armis et machinis undique impetendam, perstituram tamen et duraturam usque ad finem mundi, aliaque plura, quæ omnia adamussim completa cernimus. Decimo, Decimo. sua a morte post triduum gloria resurrectione, et quadragesimo die ascensione publica in cœlum, ac 50 die missione Spiritus Sancti in suos discipulos, denique Deus ipse, omnes creature, totusque mundus eum esse Messiam, orbis redemptorem, et novi testamenti conditorem proclamavit. Nam in ejus baptismo dixit ei Pater æternus: « Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite, » et Spiritus Sanctus in eum specie columbae descendit. Angeli et dæmones idem testificati sunt, uti jam ostendi, et cœlum, cum stellam ejus indicem magis dedit; et aer, cum per illum gloriosus in cœlum ascenderit; et mare, cum ei quasi domino calcandum se præbuit, ejusque pedibus se subjicit; et terra, cum in ejus morte concussa est; et mors, cum mortuos reddidit, quos Christus ad vitam revocavit; et infernus, cum animas Patrum restituit; et sol ac luna, cum in ejus morte obscurata luxerunt; et aqua, cum in nuptiis ab eo in vinum mutata est; et panis, cum ab eo multiplicatus est, item cum ab eo in corpus suum est conversus, uti multis miraculis ipse comprobavit; et lux, cum in ejus transfiguratione eum vestivit, ut facies ejus resplenderet, quasi sol, et vestimenta ejus quasi nix; et saxa, cum in ejus morte fissa sunt; et ignis, cum linguas igneas immisit in Apostolos in Pentecoste; et venti, cum eos in mari compescuit, ita ut de eo dicerent: « Quis est hic, quia venti et mare obediunt ei? » Insuper omnis sexus, om-

nis ætas, omnis status idem protestata sunt. Nam et senex Simeon, et Anna vidua, et Nicodemus Phariseus, et gentiles multi, ac ipsi etiam pueri et infantes idem proclamarunt. Infantes, qui in Bethlehem ab Herode occisi sunt (hi enim propter Christum occisi, ut et inter eos occideretur quoque Christus), quid aliud sua cæde et martyrio professi sunt, quam Christum jam natum esse, a quo regno spoliari timebat Herodes? Pueri, qui ei quasi Messiae cum pompa invecto Jerusalem in die Palmarum, communis voce ex Dei instinctu acclamarunt: « Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini! »

Dices: Christus prædicavit tantum per medium hebdomadam 70, puta per tres primos ejus annos cum dimidio, quibus exactis, occisus est a Judæis; quomodo ergo hic ait angelus: « Confirmabit aulem pactum multis hebdomade una,» cum non una integra, sed dimidia duntaxat illud prædicando confirmarit? Respondet Theodoretus, Christum per se prædicando confirmasse pactum per dimidium hebdomadæ 70, reliquum vero dimidium ejusdem hebdomadæ explendum commisso Apostolis. Apostoli ergo idcirco manserunt Jerosolymæ per triennium, prædicando Judæis fidem Christi, ut explorarent dimidium hebdomadæ 70 a Christo inchoatæ, quo factæ, impleta jam hac Danielis prophetia de confirmatione pacti, puta novi Testamenti, apud Judæos, jussu Christi transstulerunt se ad gentes, ut illis idem testamentum prædicarent et confirmarent, quibus conformia scribunt S. Hieronymus hic, et Eusebius, lib. VIII *De Præparat. Evangel.*

ET IN DIMIDIO HEBDOMADIS DEFICET HOSTIA ET SACRIFICIUM. — In hujus rei signum Christo tunc paciente, seque Deo pro hominum salute immolante, itaque typos omnium veterum victimarum et sacrificiorum adimplente, velum templi scissum est, ac Sancta eosque clausa patuerunt, uti docet

Apostolus, *Hebr. ix*; omniaque quæ in templo erant admiranda, finem acceperunt. Perperam Apollinarius Laodicensis, Hilarius, Can. XXV in *Matth.*, et Hippolytus hæc referunt ad Antichristum in sensu litterali (nam allegorice et typice eum hic figurari non est dubium, et fatentur omnes) ipse enim auferet sacrificium Eucharistiae, et in templum ponet abominationem desolationis, puta seipsum, suique idolum, ut ibidem adoretur quasi Deus. Apollinarius enim, teste S. Hieronymo hic, censuit esse duplices 70 hebdomades, ac priores compleri in primo adventu Christi; posteriores in secundo, puta in fine mundi et tempore Antichristi. Verum hic exploratus est error: Daniel enim unas tantum 70 hebdomades consignat, easque terminari asserit in morte Christi, unde temere ipse fingit secundas quæ terminentur in Antichristo. In Christi ergo morte omnia sacrificia, et hostiæ legis veteris, cunctaque cæremonialia in totum abrogata et antiquata defecerunt fueruntque mortua, licet non statim morti-

fera; quia ut ait S. Leo, *homil. 8 De Passione*: « Nunc omnes differentias hostiarum una corporis et sanguinis Christi implet oblatio. » Sic ergo Christus sua morte cessare fecit (hoc enim significat Hebreum נִכְבַּשׁ *icasbit*) et abolevit, ut verit Vatablus, omnes legales victimas et ritus. Ita S. Hieronymus et passim Hebræi, Græci et Latini. Quocirca minus recte recens chronologus putat Christum in fine 70 hebdomadæ prædicavisse; sic tamen ut per suam resurrectionem, ascensum in cœlum, et prædicationem Apostolorum, suam legem et pactum confirmarit hebdomadæ 71; nam sic non 70, sed 71 essent hebdomades, et non in medio, ut hic dicitur, sed in fine 70 hebdomadæ defecisset hostia.

ET ERIT IN TEMPO ABOMINATIO DESOLATIONIS. — Pro *desolationis* hebraice est מֵשָׁׂרֶם *mescomem*, desolare faciens, desolans, vel etiam obstupescere faciens, q. d. Stupenda abomination. Refer hæc ad finem vers. 26; commiscet enim hic Gabriel necem Christi cum excidio et vastitate Jerusalem, quia illa hujus fuit causa. Arabicus Antiochenus vertit: *Et super latera abominationis destructio (desolatio).* Arabicus Alexandrinus: *Cessabunt victimæ et oblationes, et superveniet corruptio et profanatio;* Syrus: *Et super latera immunditia (inquimenti, abominationis) corruptio (subversio, confusio).*

Nota primo: Per *in templo* hebraice est עַל כָּנָף *al kenaph*, id est *ad alam*. Pro *alam* denotat templum, uti vertunt et Septuaginta et Christus, *Matthæi xxiv*: « Stantem, inquit, in loco sancto. » Tum quia templum habebat pinnas quasi pennas; unde Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, legit: *Et destruet pinnaculum usque ad interitum.* Aliqui enim græce verterunt πτερύγιον, quod alam, indeque pinnaculum *Lucæ iv*, 9, significat, tum quia templum utrinque habebat latas longasque porticus, quasi alas expansas, ita ut videretur esse alatum, vel avis expandens alas; tum denique, quia Zelotæ scelerati et abominabiles, primo insederunt unum latus, et unam porticum quasi unam alam templi, ibique fecerunt abominationem desolationis, de qua agit hic Daniel, ac in suos civēs grassati sunt, uti mox dicam. Unde ad verbum sic exponas, *ad alam*, scilicet sanctuarii et civitatis, de quibus paulo ante dixit: « Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. » Eo enim respicit, eoque hæc pertinent. Aliter vertunt nonnulli scilicet: *Et super alam abominationum studefaciet;* et Vatablus: *Propter alam abominationum destruetur, hoc est, inquit, Jerusalem destruetur propter magnas Judæorum abominationes, quas committent crucifigendo Christum: alam enim, sive extensionem abominationum, vocat longam seriem abominationum, sive multiplices abominationes.*

Nota secundo: Hebræa ad verbum habent, et *ad alam* (id est *ad templum, in templo*) *abominationes desolantes, vel desolatio*, id est desolantium

Aliqu.
nume-
rant 71
hebdo-
mades.

Abomi-
natio de-
solatio-
nis, qua?

Judæorum et Romanorum; vel *desolantis*, id est *desolationis*; ponitur enim *participium*, vel *nomen participiale mescomem*, i. e. *desolantis*, pro *abstracto scomem*, i. e. *desolationis*, uti notant eruditii Hebræi. Unde et Septuaginta et Christus, *Matth. xxiv*, et alii vertunt, *abominatio desolationis*, vel *afflatus et siderationis*, uti paulo ante explicavi.

Nota tertio: Est hic duplex hebraismus. Nam *primo*, ponitur *abominatio* pro *re foeda, turpi, execrabilis et abominabili*. *Secundo*, *desolationis*, id est *desolans, et extremum exitium templo urbique et Judæis afferens; vel per hypallagen, abominatio desolationis, est desolatio abominabilis*, inquit Vatablus.

Gravis hic est quæstio, quænam sit hæc abominatione *desolationis*? *Primo*, Irenæus, lib. V, cap. xxv, Hilarius et Auctor *Imperfecti* apud Chrysostomum, in *Matth. xxiv*, 15, putant esse Antichristum, qui in tempore adorabitur ut Deus; de illius enim tempore hic agi videtur ex eo quod sequitur: « Et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio: » hoc enim congruit Antichristo. Et ex eo quod scribit S. Marcus, cap. XIII; cum enim vers. 14 dixisset: « Cum videritis abominationem desolationis, » etc., subdit vers. 25: « Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum, et stellæ coeli erunt decidentes, et virtutes quæ in cœlis sunt, movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus. » Hæc enim omnia spectant tempora Antichristi, et finem mundi. Verum Daniel agit hic de excidio non orbis, sed urbis, et templi Hierosolymitani; quod fiet mox post finem 70 hebdomadum, et post necem Christi a Judæis occisi, ut patet ex ipsis ejus verbis, et consentiunt cæteri Interpretes: ac proinde de eodem agit et Christus, *Matth. xxiv*; ibi enim alludit, imo citat hunc locum Danielis, dicens: « Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto. » Perperam ergo id negat Calvinus. Itaque non agitur hic de Antichristo ad littaram; allegorice tamen hæc abominatione quæ fuit tempore Titi, typus fuit et præludium abominationis quam faciet Antichristus. Unde Christus, *Matth. xxiv*, et *Marci XII*, utramque convolvit, cum ab excidio urbis Jerusalem subito transit ad excidium orbis, et hoc cum illo ita commiscet, ut unum idemque esse videatur, sicut typus idem est cum antitypo, non physice, sed typice et re-presentative.

Secundo, alii accipiunt hic abominationem templi quam fecit Antiochus Epiphanes, collocando in eo idolum, eique indendo nomen Jovis Olympii, teste Josepho, XII *Antiq.* Sed errant; nam hic Antiochus duobus sæculis Christum antecessit: ergo ejus abominatione jam erat facta et præterita. Christus autem de hac abominatione loquitur quasi adhuc futura, dicens: « Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele

propheta, stantem in loco sancto, tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, » etc.

Tertio, S. Hieronymus et Theodoretus in *Matth.* cap. xxiv, per abominationem accipiunt idolum positum in templo sub tempora Christi: idolum enim in Scriptura vocatur **שְׁקָדֵס** *scikkutsim*, id est abominationes, id est res summe abominabiles; « et additur desolationis, quod in templo desolato et destructo idolum positum sit, » ait S. Hieronymus, qui cum Theodoreto idolum hoc censem fuisse imaginem Cæsaris, quam Pilatus noctu clam in templum intulit. Verum hoc contigit 40 annis ante excidium, eratque jam factum cum Christus hæc diceret, *Matth. xxiv*. Adde: Pilatus, repugnantibus Judeis, mox statuam hanc e templo eduxit. Lege Josephum, XVIII *Antiq.* cap. IV et sequent. Quocirca S. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius censem hoc idolum fuisse statuam Titi. Verum de ea, quod scilicet posita sit in templo, nihil habet Josephus, nec veteres historici: et si fuit, fuit post excidium, non ante. Hinc rursum S. Hieronymus accipit statuam Adriani Imperatoris quæ posita est in Bethlehem, et Adonidis quæ posita est in monte Calvariae. Verum hæc non fuerunt in monte Sion et templo, atque contigerunt diu post excidium urbis et templi factum a Tito: hæc autem abominatione contigit ante excidium. Nam, ea visa, monet Christus ut fugiant ad montes, ut imminens excidium evadant.

Quarto, Maldonatus in *Matth. xxiv*, censem hanc abominationem esse excidium Jerusalem, q. d. Christus: Cum videritis vastatam Jerusalem, sciote et intelligite Danielis de ea prophetiam esse impletam. Verum obstat quod Christus hanc abominationem dat signum futuri excidii, ut, eo viso, fideles fugiant, illudque effugiant; erit ergo prævia excidio.

Quinto, alii per abominationem intelligunt pecata sacerdotum, præsertim in templo commissa. Verum hæc olitana erant, et omnibus sæculis commissa: nisi quis dicat pontificatus tempore Christi fuisse venales; itaque impios pontifices pecunia ementes pontificatum, et a Romanis præsidibus intrusos, fuisse abominationem hanc, ideoque dici de ea: « Stantem in loco sancto; » in eo enim erat statio pontificis. Verum amplius significat abominatione desolationis: potest tamen hoc accipi ut pars istius abominationis.

Sexto, Historia Scholastica hic, cap. x, per abominationem accipit sacrificia Aaronica, quæ Christus abolevit, ideoque mox futura erant abominanda, desolanda et abolenda, ac consequenter, ut Carthusianus ait, in templo futurus erat, « non verus Dei cultus, sed ludus diaboli. » Hoc est enim quod præcessit: « In dimidio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium. » Verum hæc nec Judæis, utpote Christo non creditibus, nec Christianis poterant esse signum instantis excidii, tum quia excidium hoc futurum erat post

38 annos; tum quia Judæi conversi ad Christum adhuc servabant legalia et sacrificia Aaronica usque ad sufficientem Evangelii promulgationem. Idque ad Synagogam cum honore sepieliendam, et ad cavendam offensam Judeorum; erant enim illa in nece Christi mortua, sed non statim mortifera, nisi post plenam Evangelii divulgationem.

Septimo. Septimo, S. Augustinus, epist. 80 *ad Hesychium*, et Origenes, hom. 29 *in Matth.*, Cajetanus et Salmeron in *Matth. xxiv*, Pererius hic, et Suarez, III, part. *Quesit.* LIX, art. 6, disp. 54, sect. v, censem abominationem desolationis esse exercitum Romanum Jerusalem obsidentem, qui mox urbem erat occupaturus et desolatus. Hic vocatur abominatio, tum quia erat gentilis: Gentiles enim abominabantur Judæi; tum quia adorabat et colebat idola abominanda, eaque in vexillis præferebat. Probatur hæc sententia ex eo quod pro abominatione desolationis quam ponit S. Matthæus, cap. *xxiv*, 5; Lucas, cap. *xxi*, 20, eundem Christi sermonem enarrans, ait: « Cum videritis ab exercitu circumdari Jerusalem; » ergo hic exercitus est abominatione de qua S. Matthæus. Responderi posset cum Euthymio, Christum duo assignasse signa instantis excidii: prius abominationem desolationis, et hoc enarrare S. Matthæum; posterius exercitum Romanorum, et hoc enarrare S. Lucam: hæc enim duo eodem tempore contigerunt.

Rursum huic sententiæ objici posset, quod hic exercitus non fuerit « in templo, » sed circum urbem: Daniel autem ait hanc abominationem fore in templo. Si tamen hæc sententia commode exponatur, atque exercitus hic accipiatur ut partialis abominatione a Daniele hic prædicta, est probabilis et admittenda, uti mox declarabo.

Octava. Octavo ergo, valde probabiliter Sebastianus Baradius, Abulensis, Jansenius et Hesselius *in Matth. cap. xxiv*, ac Baronius, anno Christi 68, tom. I *Annal.*, censem hanc abominationem esse profanationem templi, factam a seditiosis, homicidis et sceleratis Judæis, qui ex impio zelo patriæ et legis, se Zelotas nuncupabant: sive abominationem esse ipsosmet Zelotas, qui templum occuparunt et profanarunt, dum illud castrorum more munierunt, indeque in cives suos excurrentes, rapienis et cædibus grassati sunt. Seditiosos, inquam, et Zelotas, tum tempore Titi, tum potius alias paulo priores sub Cestio præside Judææ, qui Judæis rebellare incipientibus primus Hierosolymam obsedit anno Christi 68, Neronis 12. Hoc enim fuit signum et causa excidii: cum enim Cestius a Judæis fusus fugatusque esset, Nero, ut Judæos domaret et puniret, statim ejus loco misit Vespasianum, qui mox vastavit ac subjugavit totam Galilæam et Judæam, ac tandem Jerusalem per Titum filium obsedit, eamque cepit et vastavit, ac templum incendit anno Christi 72, qui fuit Vespasiani imperii primus. Probatur hæc sententia, primo, quia hæc abominatione proprie fuit in

templo, uti ait hic Daniel; et in loco sancto, ut ait Christus, *Mattk. xxiv*, ac de templi profanatione et desolatione, ac desitione sacrificiorum proprie agit hic Daniel; ergo hæc est abominatione desolationis. Secundo, nisi ad hoc tempus referamus, verba hæc Christi: « Cum videritis abominationem, » etc., non cohærent cum sequentibus: « Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes. » Nam cum Titus Jerusalem obsedit, nec ex Jerusalem fugere quis potuit; fuit enim arctissima ejus obsidio, adeo ut Titus spatio tridui totam urbem muro cinxerit, quod erat instar miraculi: nec ex Judæa, quia illa cum Galilæa jam vastata et subacta erat a Vespasiano. Tertio, quia Josephus, lib. V *Belli*, cap. ii, ait: « Vetus sermo erat tunc urbem capiendam, cum in ea seditio fuisse exorta, templumque Dei propriæ Judeorum manus violassent, » ideoque subdit, mox a clade Cestii et Romanorum, multos instantis Judeorum cladis conjectores, urbe elapsos in alias regiones migrasse. Ex his autem christianos fuisse testis est S. Epiphanius, *hæres.* 29 et 30, et Eusebius, lib. III *Hist. cap. v*, qui eos divinitus admonitos, in urbem Pellam secessisse ait. Idque patet de S. Simeone Episcopo Hierosolymorum: hic enim S. Jacobo fratri Domini, qui a Judæis occisus est anno Christi 63, Neronis septimo, ut recte ex Josepho probat Baronius, successit, mansitque usque ad tempora Trajani, sub quo martyrium obiit; imo et cathedram ejus (non dubium quin et cætera Ecclesiæ supellectilia) a christianis in tuto collocatam esse docet Eusebius, lib. VII *Histor. XIV*, ubi eam ad sua usque tempora servata esse docet. Quæ omnia optime respondent monitis Christi, ut fugiant, visa abominatione, quod ea signum, imo causa, futura sit instantis desolationis et cladis.

Nono, plena et perfecta crit explicatio, si utrumque sensum, scilicet septimum et octavum, conjungas. Abominatione enim desolationis significat profanationem templi, propter quam, et per quam illud desolatum est et eversum, nimirum abominanda sclera Judeorum, quæ ipsi in templo patraverunt: quibus ipsi abominandam stragem et vastationem Romanorum in se, urbem et templum provocarunt. Non enim concipi potest exercitus oppugnans (uti est Romanorum), nisi concipiatur et propugnans (uti est Judeorum) sicuti nominato agente, intelligitur et patiens; et vice versa, nominato paciente, intelligitur agens: hæc enim sunt correlativa. Quod ergo ait Christus: « Cum videritis abominationem, » etc., sensus est, q. d. Cum, vel mox ut videritis urbem et templum ab hoc abominando exercitu foris ob sideri et oppugnari; nec minus ab abominando exercitu intus occupari et defendi, uno ob idola, altero ob sceleris palam abominando; utroque nihil nisi desolationem minitante; illo superbâ sua animositate, hoc suis sceleribus, seditionibus et cædibus: « Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad

Nona et
plena.

montes. » Hinc hebraice vocatur abominatio desolationis, id est desolantium, tam Judaeorum quam Romanorum; tam enim illi, quam hi urbem æque ac templum vastarunt et desolarunt. Hinc et Daniel, vers. 26, vocat scommemot, id est desolationes in plurali, et Lucas ὡς στρατεύων, id est ab exercitibus, in plurali.

Dices: Exercitus Romanorum non erat in templo, in quo abominationem hanc ponit Daniel, Respondeo primo: Erat in loco sancto, ut ait Christus, id est circa Jerusalem urbem sanctam et templum. Secundo, proprie erat in templo, vel ad templum; nam Romani oppugnando Judæos suffoderunt templum, in quod quasi in arcem se receperant Zelotæ, uti docet Josephus. Christus dicere maluit, « in loco sancto, » ut cum templo comprehendenderet et urbem; quod enim hebraice ait hic Daniel: *Super alam*, intelligi potest et de urbis et de templi ala sive extremitate. Opponitur autem locus sanctus abominationi, quia si ab ullo loco, certe a sancto procul abesse debet abominatione. Ita Franciscus Lucas, *Matth. xxiv.*

Abomi-
natione tri-
plex. Porro hæc abominatione desolationis, puta templi profanatio, cœpit sub Cestio, crevit sub Tito, perfecta est a Romanis, excisa urbe et templo. Tunc enim ipsi in templo Judæos trucidarunt, ibique collocarunt sua vexilla insignita imaginibus Jovis, Martis, aliorumque suorum deorum et idolorum, quæ in Scriptura vocantur abominationes, ut docet Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XIII. Hæc enim fuit summa templi et urbis desolatio, scilicet tanta, quantam et Judaeorum culpa (puta sacrilegia in Christum et templum admissa), et Romanorum ira poseebat. Daniel hæc omnia complectitur per abominationem desolationis: Christus vero tantum primum, puta initium ejus respicit: monet enim ut, eo viso, fugiant, utpote signo instantis clavis et excidii urbis et templi. Quis enim vir prudens non ominaretur, rejici a Deo locum, ejusque desolationem instare, qui hactenus habitus erat sanctissimus, cum jam eum cædibus et sceleribus hominum exsecrandorum pollui cerneret? Licet enim jam a Christi nece locus ille non amplius a Deo haberetur sanctius, tamen quia talis a multis sæculis habitus erat, et etiamnum talis a Judæis habebatur, quin et a Christianis: illi enim (ut patet de S. Petro et Joanne, *Acto. III, 1*), oraturi ascendebant in templum, ibique Deus per eos faciebat miracula; hinc etiamnum Sanctus vocatus, sic ut hæc sclera illum profanare censeantur, illaque desolationem et exitium allatura ominentur, idque a Christo prænuntietur. Judæi enim suis armis et stragibus, etiam Romanorum, ibidem patratis, provocaverunt Romanos in urbis et templi excidium. Christus ergo maxime, ut notant Baronius et Franciscus Lucas, loqui videtur de initio rebellionis Judaeorum, cum Cestius Syriæ præses, audiens quod Judæi præsidiarios milites Romanorum interemissent, coacto exercitu, Judæos ceci-

dit, Joppen aliaque oppida cepit, ac Jerusalem obsedit: cumque seditioni Judæi in interiore templi partem refugissent, Cestius illud oppugnavit per milites mœnia suffodientes, et templi portas succendere conantes. Verum cum Cestius temere militem revocaret, ac turpi fuga discederet, Judæi prudentes, præsertim christiani, ex Christi monitu, fuga sibi consuluerunt. Unde Josephus, lib. VIII *De Bello*, cap. XXV: « Post Cestii, inquit, casus adversos, nobilium Judaeorum multi, tanquam e navi pessum itura ex civitate enatabant. » Idque consulte. Nam mox Nero Imperator Cestii fugam intelligens, post sex menses submisit Vespasianum, qui primum Galilæam, mox Samariam, et totam Judeam, excepta urbe Jerusalem, vastavit et cepit: ac, Nerone interempto, creatus Imperator Romanus abiit, relicto Tito filio, qui ex improviso Jerusalem obsedit in Paschate, ac post sex menses occupavit, templo primo omnium expugnato, et a militibus, renitente Tito, incenso, uti docet Josephus, lib. VI et VII *De Bello*. Unde tunc e Jerusalem fugere, et res suas efferre non licuit, præsertim, quia Galilæa occupata a Vespasiano, Zelotæ ita Jerusalem custodiis arctarunt, ut nulli facultas esset effugiendi, nisi qui, pecunia custodibus data, eam redemisset. Adde, novæ tum conspirationis et seditionis Judaeorum princeps exortus, Simon Gerasenus, Jerusalem obsedit, ac a civibus spe auxilii contra Zelotas accipiendi intromissus nihilo minus quam Zelotæ grassatus est, civesque affixit, donec Titus urbem obsideret. Ita Josephus, lib. V, cap. VI et seq. Quocirca Christus præmonuit ut, visa hac abominatione, statim fugiant; hoc enim significant illæ phrases: « Qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro, non revertatur tollere tunicam. » Hæc enim phrases sunt proverbia, non aliud significantia, quam celerrime esse fugiendum, ne fugæ aditus intercludatur, uti hic factum est.

Zelotæ
rum im-
pietas.

Porro quam hi Zelotæ fuerint impii, homicidæ et scelesti, templi profanatores, inter se depugnantes, tamque se invicem, quam cives et hostes mactantes, fuse narrat Josephus tum lib. VI, I et seq., tum lib. VII, IV: « Cadaveribus, inquit, non civitas tantum, sed et omne templum repletum est, » etc. Unde ibidem narrat Titum obsidentem urbem et templum, ob illud violatum Zelotas arguisse, ac dixisse: « Quid in templo etiam mortuos conculcatis, o nocentissimi! Aut cur templum externi et gentilis sanguinis confusione polluitis? Testor deos patrios, non ego vos violare hæc compellam. Servabo autem vobis etiam templum, si locum acies vestra mutaverit. » Zelotæ enim ex templo quasi ex arce tela jaciebant in Romanos. Idem, lib. VI *Belli*, cap. I: « Missilia, ait, machinarum vi ad aram usque templumque pervenientia, in sacerdotes sacra celebrantes cadebant, ac multi qui ad templum ab ultimis terræ finibus venissent, ante ipsas hos-

tias procubuerunt, aramque sanguine imbuerunt. Indigenis autem mortuis alienigenæ, ac sacerdotibus profani miscebantur; perque atria divina stagnum fecerat diversorum cadaverum sanguis. Quid tantum passa es a Romanis, o miserima civitas! qui tua intestina scelera purgaturi flammis introiere! Jam enim Dei locus non eras, neque manere poteras, domesticorum funerum facta sepulcrum, et quæ fanum civili bello tumulum constitueras. » Idem, lib. VI, xvi: « Puto, inquit, quod si Romani contra tam noxios nostræ gentis homines venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio peritram, aut fulminum instar Sodomæ incendia passuram. Multo enim magis impiam progeniem tulit, quam ea fuit quæ illa supplicia pertulerat. » Ecce hæc est abominatio desolationis.

Moraliter. Moraliter, abominatio desolationis et hæresis, præsertim iconoclasmus, ac sacrilegia. Hæresis enim est idolum abominabile Deo, ob quod desolationem regnis et gentibus, ac jugum Turcum inducit, uti jam Africæ, Græciæ, Syriæ, Asiæ, etc., inductum videmus. Vide Barradium, tom. III, lib. IX, cap. viii, in *Moralis*. Cum enim hæretici, præsertim iconoclastæ, sacra et templa violant, Sanctorum imagines confringunt, et loca sacra profanant, tunc certa imminet reipublicæ clades et desolatio. Ut omittam Scotiam, Angliam, Germaniam, Galliam, etc., exemplo sit Belgium nostrum quod, post iconoclasmum anni 1566, sexaginta et amplius annos assiduis bellis ita vastatum est, ut iis plusquam vicies centena millia, sive plusquam duo millions hominum interempti sint, ac ipsum Belgium, quod olim erat paradiſus, et orbis deliciæ, jam non nisi ærumnarum et lacrymarum vallis esse videatur. Ita Deus ulciscitur sacrilegia, et violatam Numinis majestatem, cultum et religionem.

ET USQUE AD CONSUMMATIONEM ET FINEM PERSEVERABIT DESOLATIO. — Septuaginta: *Et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem.* Videntur ipsi pro ττα tittach, de quo mox, legisse ττα titten, id est dabitur; *nun* enim et *caph finale* eodem pene charactere scribuntur. Hebræa ad verbum habent, *et usque ad finem perseverabit*, vel conflabitur, vel liquefiet (hoc enim significat Hebræum *tittach*) ipsa (Jerusalem, vel desolatio et ira Dei) *super desolationem Hierosolymæ*. Ita Galatinus supra, q. d. Sicut in Ætna, et olla Vulcania perpetuo conflatur et bullit ignis, sulphur, saxa, cineres, aliæque res igne Ætnæ afflatæ et exustæ: ita in ira Dei Jerusalem conflabitur, ut quasi jugiter ebulliat et ostentet suos cineres suæ desolationis, qua afflata est a Deo per Romanos, et perget afflari usque ad finem mundi, uti fit in Sodoma et Pentapoli.

Perperam ergo R. Salomon vertit et exponit, q. d. Titus ponet desolationem, id est sui idolum, in templo, et usque ad consummationem et constitutionem ipsius desolantis per Messiæ manus

faciendam, perseverabit desolatio, q. d. Donec Messias in fine mundi consumat et perdat hostes Judæorum, qui Judæam desolarunt, durabit hæc Judæorum desolatio. Nec enim Titus vixit ad finem mundi, nec tunc a Christo perimendus est. Vatablus vertit et explicat, q. d. Destruet Titus Jerusalem, donec consumptio, et quidem certa, descendat super attonitum vel stupentem populum, propter desolationem urbis et templi.

Quam vera sit hæc prophetia docet experientia 1600 annorum, quibus Judæi sæpius se et templum erigere sunt aggressi, sed irrito conatu et frustra; ut inde certo conjicere liceat, perennem hanc fore eorum desolationem usque ad finem mundi, uti prophetat hic Daniel. Ut alia exempla omittam, Julianus Apostata, volens sacrificia idolorum restituere, hortatus est Judæos, ut similia sacrificia, more majorum, peragerent: responderunt illi sibi ex lege non licere extra Hierosolymam, ejusque templum sacrificare. Ergo Julianus jussit templum eis reædificari, deditque ad hoc ex suo ærario sumptus et operas, magna Judæorum lætitia, et Christianorum luctu et metu. Sed eos animavit Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, ostendens ex hoc Danielis oraculo et ex verbis Christi, *Matth. xxiv*, Deum non permissum ut hoc templum restauretur. Verus fuit vates, imo doctor. Nam Deus eos a fabrica tribus ostentis deterruit. Primo, cum jacerent fundamenta, ingentem terræ motum excitavit, qui fundamenta disturbavit. Secundo, igne de cœlo misso, omnia fabrorum instrumenta, omnia ligna et lapides, omnemque fabricæ materiam absumpsit: duravit hoc incendium per diem integrum. Tertio, nocte sequenti effigies crucis, radiorum lumine insignitas, illorum vestibus impressit, quas cum dies illucesceret, cernentes Judæi, eluere ac delere cupientes, nullo modo potuerunt. Ita referunt Socrates lib. III, xvii, et Rufinus, lib. I, cap. LVII, et Chrysostomus, orat. 2 *Contra Judæos*: « Hujus, ait, rei omnes nos testes sumus; nostra enim ætate ante annos viginti hæc contigerunt; considera ergo insignem victoriam veritatis. »

Prædictit ergo hic Daniel perpetuam desolationem, tam templi quam urbis, faciendam a Tito; ita ut urbs Jerusalem non sit amplius regia Davidis et posterorum, ac Judæorum; sed serva et quasi mancipium Gentium, puta Romanorum, ac deinde Christianorum, ac postea Turcarum, uti jam est eritque usque ad finem mundi, quando Antichristus rex Judæorum Hierosolymæ sedem regni constituet, ut patet *Apoc. xi*, 8. Quocirca Adrianus Imperator 64 anno post excidium Titi, puta anno Christi 104, Gentium coloniam in Jerusalem deduxit, eamque Æliam Capitolinam nuncupavit, ac in ea templum Jovi ædificari curavit: cumque Judæi hoc ægre ferentes arma moverent, ita ab eo cæsi sunt, « ut pauci evaserint, » inquit Dionis *Epitome in Adriano*, « et

quinquaginta eorum arces munitissimæ , vicique celeberrimi et nobilissimi 985 funditus eversi sint. Cæsa sunt in excursionibus præliisque hominum quingenta octoginta millia ; eorum autem qui fame, morbo et igni interierunt, infinita fuit multitudo, ut omnis pene Judæa deserta fuerit. » Addit portenta quæ id præsignificarunt : « Namque monumentum Salomonis, quod illi summa religione colunt, sua sponte divisum corruebat ; lupi præterea et hyænæ multæ in urbes eorum rugientes atque ululantes introierant. » Tem-

plum ergo Judæorum non reparabitur nisi in fine mundi ab Antichristo, qui in illo sedebit et adorabitur, uti dixi II Thessalon. II, 4. Unde etiam tunc manebit in templo abominatio et desolatio, puta idolum Antichristi : licet enim Antichristus initio forte apud Judæos simulaturus sit, se templum hoc velle reparare Deo eorum, tamen revera illud non Deo, sed sibi ædificabit : intendet enim hoc templum facere sedem suam, in qua ut numen sedeat et colatur. Ita Franciscus Suarez, et passim alii supra citati.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput duorum quæ sequuntur prefatio est : nihil enim aliud Propheta facit, quam in genere præponere visionem, quam illi particulatim, cap. XI et XII, Angelus exponit : ita Maldonatus. Daniel ergo lugens et jejunans ob interruptam templi fabricam, videt Angelum mire fulgidum a quo audit, vers. 12, exauditas esse preces suas, dicitque, vers. 13, pugnam angeli Judæorum cum angelo Persarum et Græcorum

1. Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli cognomento Baltassar, et verbum verum, et fortitudo magna : intellexitque sermonem : intelligentia enim est opus in visione. 2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, 3. panem desiderabilem non comedи, et caro et vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum : donec completerentur trium hebdomadarum dies. 4. Die autem vigesima et quarta mensis primi, eram juxta fluvium magnum, qui est Tigris. 5. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo : 6. et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens : et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris cendentis, et vox sermonum ejus ut vox multitudinis. 7. Vidi autem ego Daniel solus visionem : porro viri, qui erant mecum, non viderunt : sed terror nimius irruit super eos, et fugerunt in absconditum. 8. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc : et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium. 9. Et audivi vocem sermonum ejus : et audiens jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ. 10. Et ecce manus tetigit me, et erexit me super genua mea, et super articulos manuum mearum. 11. Et dixit ad me : Daniel, vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, et sta in gradu tuo : nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. 12. Et ait ad me : Noli metuere, Daniel : quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligentum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos. 13. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus : et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum. 14. Veni autem ut docerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies. 15. Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, et tacui. 16. Et ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea : et aperiens os meum locutus sum, et dixi ad eum qui stabat contra me : Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium. 17. Et quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur. 18. Rursum ergo tetigit

me quasi visio hominis, et confortavit me, 19. et dixit : Noli timere, vir desideriorum : pax tibi : confortare, et esto robustus. Cumque loqueretur tecum, convalui, et dixi : Loquere, Domine mi, quia confortasti me. 20. Et ait : Numquid scis quare venerim ad te ? et nunc revertar ut praelier adversum principem Persarum. Cum ego egrederer, apparuit princeps Graecorum veniens. 21. Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis : et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.

Vers. 1. 1. ANNO TERTIO CYRI. — Anno 1 monarchiae suae eversa Babylone, Cyrus ex ea liberaverat Judæos, eosque in Judæam dimiserat : anno 2 Cyri, Judæi post redditum coeperunt templum reædificare ; sed statim vicinæ gentes illud impediverunt, Esdræ IV, 4. Intelligens hoc Daniel luxit et oravit Deum, ut haec impedimenta tolleret. Unde Deus illi haec visa objicit, quibus ejus votis satisfacit. Tradunt Hebræi Cyrus tres tantum annos regnasse ut monarcham, unde et Daniel in tertio anno finit regnum Cyri.

ET VERBUM VERUM : — visio quam vidi, fuit vera, non ficta, non illusoria. Rursum, visio haec non fuit somnium, nec in somnis ostensa, ut fuerunt præcedentes cap. VII et VIII, quas vere non vidi, sed in somnis visus sum mihi eas videre ? hanc vero vigilans et re ipsa vidi, ut patet vers. 7. Porro haec visio, id est visum, sive res visa, fuit species augusta angeli, quam describit vers. 5, cum suo exercitu, puta cum angelis eius subditis (1).

ET FORTITUDO MAGNA. — Hebraice est נְצָבָא tsaba, quod alii capiunt pro צָבֵא tsebi, id est voluptas, q. d. Ex hac visione magna me incessit lætitia et voluptas. Sed obstat quod vers. 8, Daniel se hac visione non delectatum, sed exterritum dicat.

Secundo, Maldonatus sic explicat, q. d. Visio haec mihi visa fuit valde fortis, id est vehemens, terribilis et tremenda.

Tertio et genuine, tsaba, est exercitus, q. d. Militia, vel exercitus magnus fuit objectum visionis meæ ; partim enim vidi, partim ab Angelō audivi exercitus angelorum cum suis principibus inter se depugnantes. Licet enim unus angelus apparuerit Danieli, tamen non dubium est eum, ulti potest principem, suos habuisse assecelas, suaque copias, idque satis innuit vox « eorum ; » haec enim erat vox multitudinis, ut dicitur vers. 6. Hoc enim cap. narrantur prælia angelorum, sequenti vero prælia hominum.

Vers. 2. 2. LUGEBA^M, — eo quod viderem multos Judæos

(1) Cæterum non est cur Danielem quæ dehinc enarrat, non conspexisse vigilantem suis oculis, sed fuisse ei illa per somnum oblata putemus. Quod quidem Bertholdius colligit inde quod vers. 7 Danielis socios nihil eorum quæ ipse viderit conspexisse narratur. Sed si somnianti haec accidissent, quid opus fuit adjicere, quod soli Danieli haec fuerint conspecta ? An præter somniantem vicini etiam quid solent percipere de somni visione ? Præterea, vers. 7 additur, Danielis socios panico terrore correptos aufugisse. Nec inest in tota ea quæ sequitur narratione quidquam quod nos de somnio cogitare debeat.

servitutem libertati præferentes malle in Chaldaea manere, quam in patriam redire, inquit Theodosius. Secundo et genuine : « Lugebam, » eo quod ob peccata populi urbs Jerusalem esset desolata, et templi fabrica a Cyro concessa, per Judæorum hostes et dolos impediretur, neque possem apud Cyrus hac de re agere, novumque edictum ad continuandam fabricam impetrare ; eo quod Cyrus ab bellum Scythicum, in quo et hoc eodem anno periit, profectus erat : et Cambyses ejus filius, qui regnum, absente Cyro, administrabat, Judæos non amabat, ut patet Esdræ IV, 6 et 7. Luget ergo et flet hic Daniel per tres septimanas pro salute populi, quem, ut vir desideriorum, unice exoptabat. Nam, ut ait S. Augustinus, XX Civit. XVII : « Quanto quis est sanctior, et sancti desiderii plenior, tanto est ejus in orando fletus uberior. » Dum ergo orat, lacrymatur Daniel, quia cor quasi liquefactum, per oculos et lacrymas Deo effundit, Deoque vim quasi affert, ejusque pietatis viscera commovet. Violentæ enim sunt piorum preces lacrymis armatae et jejunii. Est hysterologia ; hic enim vers. 2 et 3 præponendi sunt versui primo : illa enim visio vers. 1, contigit post jejuniū Danielis, explicaturque vers. 4 et sequentibus.

3. PANEM DESIDERABILEM, — id est panem deliciatum, regium, candidum non comediri, sed cibarium, aërum et siligineum. Ita S. Hieronymus. Notat S. Chrysostomus, hom. 3 *De Incomprehensibili Dei natura*, Danielem per abstinentiam membruisse celebrem illam visionem, et revelationem angelii, quæ hoc cap. et seq. enarratur : cum per jejuniū, inquit, mens ejus facta esset levior et spiritualior.

CARO ET VINUM NON INTROIERUNT IN OS MEUM. — Nota hic Danielem in jejunio usum fuisse delectum ciborum, et abstinuisse carne et vino : cur ergo Novantes hunc delectum taxant? præsertim, cum veteres christiani eum adhibuerint, usique sint xerophagia, id est cibis aridis, uti testantur Tertullianus, Cyprianus, Basilius et alii. Idque faciebant triplici de causa, primo ad poenitentiam : sicuti enim potus, quia liquidus et subtilis ac penetrans intima, intimus singulas corporis partes afficit et recreat : ita abstinere a potu et a liquidis, vescique aridis, major est poenitentia quam vesci liquidis, et abstinere aridis. Sic sitis magis affligit hominem quam fames ; ac proinde facilis est esurienti abstinere a cibo, quam sitienti abstinere a potu. Secundo, ad castitatem : cibi

Vers. 3.

Daniel junio impetravit visionem angelii.

enim aridi arefaciunt corpus, et humorem venereum consumunt. *Tertio*, ad sapientiam, studium et orationem; qui enim liquidis abstinet, caret vaporibus et fumis, qui caput, rationem et iudicium offuscent, obscurant et hebetant. Hinc vetus dictum: « Anima sicca est sapientissima. » Huc spectat illud S. Bernardi, serm. 4 *De Quadragesima*: « Jejunium gratiam promeretur orandi, » qua scilicet gratae Deo oretur, ideoque impetratur, in quo consistit tota orationis vis et felicitas. S. Chrysostomus, orat. 1 *Contra Iudeos*, putat Danielem hic omni omnino carne et cibo abstинuisse, ac proinde non comedisse phase, quod tamen lege praeceptum erat: hæc enim contigerunt mense primo die 14 (ut patet vers. 3 et 4), quando comedendum erat phase. Hæc sententia vera est: quia Iudei in Babylone non celebrarunt phase; illud enim celebrandum erat Hierosolymæ, juxta legem *Deuteronomii*, capite xvi, vers. 6.

SED NEQUE UNGUENTO UNCTUS SUM. — Orientales utebantur unguentis et balneis, sed jejunantes et pœnitentes iis quasi delicis abstinebant: hinc monet Iudeos Christus, ut, cum jejunant, ungant caput suum, ne videantur hominibus jejunare, *Matth. vi, 16*. Sic Magdalena Christum in convivio unxit, *Luc. vii, 46*. Hujus unctionis originem vide apud Plinium, lib. XIII.

Vers. 4. Tigris — dictus est Tigris a tigre fera, eo quod ejus celeritatem in fluxu imitetur. Ita aliqui. Verum Q. Curtius, et Plinius, lib. VI, VII, asserunt Tigrim esse vocem Medorum, et significare sagittam; eo quod Tigris fluvius in suo cursu celeritatem sagittæ videatur pene adæquare.

5. ECCE VIR UNUS, — Angelus unus specie viri. Notant, *primo*, Theodoreetus, Carthusianus et Pererius angelum hunc fuisse eundem qui, cap. VIII et IX, apparuit Danieli, scilicet Gabrielem.

Ex Daniele.

1. Levat oculos Daniel, et ecce vir unus,
2. Vestitus lineis, seu byssina;
3. Renes ejus accincti auro obrizo,
4. Oculi ei ut lampas ardeus,
5. Brachia ejus, et quæ deorsum usque ad pedes, quasi species æris candentis,
6. Vox sermonum ejus ut vox multitudinis,
7. Facies ejus velut species fulguris.
8. Conternatur Daniel, et vultus ejus hæret in terra;
9. Tangitur manu, et erigitur super genua, et super articulos manuum.

Plura vide apud Alcazar in *Apocalyp. I*, 18, notat. 17, pag. 244 et sequentibus.

Secundo, Hinc nota secundo: Linea vestis significat angelorum puritatem et innocentiam; item sacerdotium et religionem Machabœorum. *Tertio*, labores et ærumnas, quibus ipsi pro ea instar lini carninati et probati fuerunt: hæc enim prædicet An-

S. Gregorius autem, lib. XVII *Moral.* cap. viii, et Cassianus, *Collat.* VIII, cap. XIII, suspicantur angelum hunc peculiarem habuisse curam Hebrœorum qui in Babylone erant captivi (1). Notat Antonius Fernandius, *visione* XXVI, sect. I, tres angelos destinatos a Deo ad custodiam Hebrœorum: *primum* Michaelem, qui illorum erat custos, quatenus ipsi erant populus et Ecclesia Dei: hujus enim olim, et etiamnum præses est Michael. *Secundum*, angelum peculiarem, qui Hebræos, ut gens quædam erat, sicut cæteræ per orbem sparsoe, custodiebat: omnium enim communis opinio est cuilibet regno unum præesse angelum. *Tertium*, Gabrielem, cui speciale curam Hebrœorum captivorum mandarat Deus. Aptè autem vocatur Gabriel, id est *virtus Dei*, vel *Deus fortis*; ac specie non juvenis alati, uti alias, sed viri fortis apparuit: quia ejus visio spectabat, ut Daniel agnosceret Dei virtutem ac robur, cuius eximia documenta Deus ipse erat editurus in populi sui liberatione per Machabœos, juxta illud *Psalm. LXVII*: « Mirabilis Deus in Sanctis suis, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. » Pro quo adverte: Angelus hic novam et mire augustam habet formam, quia venit nuntiare Machabœorum victorias, atque gloriam et majestatem, quam per ea bella populus Dei erat adepturus. Porro bella hæc, et victoriae Machabœorum typus et figura fuerunt bellorum et victiarum, quas christiani adepturi erant de idololatria, aliisque infidelibus Ecclesiam consequentiibus. Unde S. Joannes, *Apoc. I, 13*, Christum vidit simili specie et ornatu, qualis fuit hic Danielis, qui sua et suorum christianorum patientiæ bella et triumphos ei prædictit.

Porro etsi alia fuerit visio Joannis, alia Danielis, tamen in multis hæc fuit persimilis, ut patet ex hisce utriusque parallelis:

Ex Apocalypsi.

1. Convertitur Joannes, et videt similem Filio hominis,
2. Vestitum podere,
3. Præcinctum ad mamillas zona aurea,
4. Oculi ejus tanquam flamma ignis,
5. Pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ardenti,
6. Vox illi tanquam vox aquarum multarum,
7. Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.
8. Cadit Joannes tanquam mortuus;
9. Imponitur super eum dextera, et mirifice confirmatur.

18, notat. 17, pag. 244 et sequentibus.

gelus, cap. xi, ideoque eadem suo habitu repræsentat. Porro hæc linea vestis fuit tenuis admodum

rum sa-
cerdo-
tium et
laboris.

(1) Ejus qui hoc versu et proximo describitur viri lineis induiti, et infra XII, 6, fit mentio, tanquam duobus aliis

et subtilis, uti sunt telæ Cameracenses pretiosæ (quæ veterum fuit byssus) : nam Daniel per hanc vestem introspectus ipsum angeli corpus, vidiitque simile esse chrysolitho.

Tertio, Nota tertio : Zona angeli erat ex auro obrizo, hebraice *ophaz*, de quo dixi *Jerem. x, 9*. Fuit ergo accinctus, quasi promptus, expeditus et armatus ritatem, ad bellum : nuntial enim cap. seq. bella in quibus ipse Machabæos aliosque fideles adjuturus erat. Ex adverso molles, inermes et desides apud veteres vocabantur discincti. Hinc proverbium : « Ne glorietur accinctus æque ut discinctus, » q. d. Ne canat dux vel miles epinicum ante victoriam, et, ut clare Chaldæus vertit : *Ne laudet se expeditus, et descendens in prælium* (hic enim est accinctus), *sicut vir qui vincit et ascendit ex eo :* hic enim, bello confecto, arma ponit seque discingit. Quod usurpat rex Israel contra superbum et insolentem Benadad regem Syriæ, *III Reg. xx, 11*. Porro zona aurea symbolum est charitatis : hæc enim est quæ angelum promptum et expeditum faciebat, impellebatque ad pugnandum pro populo Dei : illum ergo quasi zona militari accinxerat. Mystice significatur quod charitas cæteras virtutes, sicut zona vestes, stringat et complectatur, eisque emineat quasi omnium corona et complexio. Secundo, zona aurea significat charitatem Dei, quæ renes, id est omnem concupiscentiam, delectationem et amorem succingit, atque in Deum trahit. Rursum mystice significat homines qui hac charitate Dei circumcincti, carnis mundique amorem et concupiscentiam frenant, dignos esse angelorum consortio, colloquio et consolatione. Tertio, zona est custodia sui et aliorum jugis, stabilis, eademque semper recurrens, inquit Dionysius, cap. xv *Cœlest. Hierarch.* Quarto, zona aurea significat regale sacerdotium Machabæorum, qui contra Antiochum, et christianorum, qui contra Antichristum, quasi milites Dei et Christi, fortissime depugnabunt. Balteus enim aureus olim fuit insigne regum : et Machabæi non tantum sacerdotes fuerunt, sed et principes ac reges. Tales quoque mystice sunt omnes christiani, auro charitatis, quasi gladio invicto, succincti : hos enim, ut dixi, repræsentat hic angelus. Ita « S. Stephanus

illic vers. 5 commemoratis, qui in utraque fluvii ripa stabant, superior. Sane illum in tota hac quæ tribus hisce capitibus describitur visione, principis quasi partes agere, colligitur et inde, quod alter eorum quæ cap. xii, 5, commemorantur, ex illo quærerit, quando finis sit futurus rerum tam mirabilinm, et ab eo responsum fert ; et hinc quod hoc in quo versamur loco, viri illius majestas et splendor Danielis oculos animumque ita præstrinxit, ut deliquium passus vocem quidem loquentis audiret, sed verba ejus non perciperet (vers. 7, 8, 9) ; unde ille per interpretem cum Daniele egit, vers. 11 et seqq. Michaelem, populi Iudaici principem et defensorem, hic describi est interpretum nonnullorum sententia, C. B. Michaelis quoque et Hengstenbergii, *Die Authentie Daniels*, pag. 165 et seqq. His qui virum lineis indutum pro Gabriele habent respondit Hengstenberg opere citato, pag. 166 et seqq.

charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat. Per charitatem Dei sœvientibus Iudeis non cessit : per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit : charitatis virtute subnixus, vicit Saulum crudeliter sœvientem : et quem habebatin terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem, » ait S. Fulgentius, serm. *De S. Stephano*.

Quarto, corpus ejus erat quasi chrysolithus. id est aureus lapis : gemma enim hæc aureo colore translucet, eoque ita ardente, ut aurum cum eo collatum albicare videatur, ait Plinius lib. XXXVII, cap. ix. Hinc chrysolithi nomine subinde comprehenduntur topazii et hyacinthi, qui et ipsi aureo sunt colore. Anselmus Boetius insignis gemmarius Rudolphi II Imperatoris, lib. II *De Gemmis*, cap. LXV : « Chrysolithus, inquit, est naturæ solaris, cuius speciem aureo suo colore refert. » Hinc chrysolitho in Rationali pontificis insculpta erat Ephraim, utpote aurea, id est regia tribus regni Israel. Chrysolithus ergo hic significat angelorum naturam præcellentem, cœlestem et spiritalem, quæ aliis creaturis eminet, uti sol astris, aurum metallis. Adhæc, licet Alcazar in *Apocal. xxI, 20*, censeat chrysolithum non alium quam aureum habere colorem, verius tamen est eum habere aureum cum marino permixtum; inde enim Hebraice vocatur *thursis*, id est marinus. Unde Isidorus : « Chrysolithus, ait, auro similis est cum marini coloris similitudine : » quia enim in eo aureus color non opacatur, sed pellucet, idcirco quasi vitreus est et marinus, eoque refert cœlestem Jerusalem, de qua ait S. Joannes, *Apocalyp. xxI, 18* : « Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo ; » et vers. 21 : « Platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum. » Quocirca opinantur multi chrysolithum esse illum, qui vulgo a gemmariis vocatur chrysolica, cuius color est viridis dilutus, quiue multis angulis lævigari ac poliri solet, ut excitatus fulgeat. Verum in chrysolica vix appetet color aureus. Adde, viridis color non est marinus. Quocirca Anselmus Boetius loco citato : « Chrysolithus, inquit, aureum habet colorem et aquam reubarbaro vel croco tintam refert. Orientales purissimi auri instar rutilant : Europæi crystalli instar molles cum aureo colore, vel multum, vel parum nigricant. Inter hos nonnulli parum flavedinis habent, ut, nisi nigredine a crystallis distinguerentur, ab iis secerni non possent. » Chrysolithus ergo translucens et marinus congruit Gabrieli, qui lucem suam transfundere, et illuminare venerat Daniel. Plinius, lib. XXXVII, cap. ix, asserit chrysolithum esse optimum, « qui in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogit. » Sic Gabriel aurum, id est sapientiam, argento, id est sermone sonoro, puro et sincero albicantem, Danieli communicat. Quare Hugo Victorinus, et ex eo Peregrinus et Fernandius, *visione XXVI* : « Chrysolithus, inquit, fulget quasi aurum, et emitit ex se scintillas ardentes ; quocirca significantur hoc lapide

illi, qui intelligunt divinam Scripturam, et id quod intelligunt, aliis demonstrant opere et sermone; et quasi scintillas boni operis et verbi jactant ex se, quibus alii illuminantur et accenduntur. »

Porro Boetius, Rueus et alii gemmarii chrysolitho has dant virtutes: Valet, inquiunt, contra asthama et pectoris angustias, ac contra pusillanimitatem, melancholiam, molestias et timores nocturnos, uti se expertum scribit Rueus, Cardanus, et ex eo Boetius, cap. LXVI. Addit Abulensis in Exod. XXVIII, 20, valere eum contra dæmones; quia scilicet valet contra melancholiam, per quam homines vexare et tentare solent dæmones. Chrysolithus ergo hic notat Gabrielem, qui a Machabæis et Christianis depellit metum Antiochi, et Antichristi ac dæmonum, eosque animat et corroborat ut omnia dura amore Dei fortiter superent. In Machabæis vero et Christianis notat eorum invictam constantiam et virtutem in tot adversis resplendentem. Chrysolithus enim ejus est naturæ, ut « eum lux celet, prodat obscurum. Hæc enim in illo est diversitas, ut nocte igneus sit, die pallidus, » aiunt Solinus Polyhistor. cap. XXXIII, Isidorus et Abulensis. Sic de chrysolampi scribit Plinius, libro XXXVII, cap. x: « Chrysolampis in Æthiopia nascitur pallidi coloris die, noctu ignei. » Quocirca chrysolithus notat pœnitentes (est enim marini coloris: unde lacrymas pœnitentes repræsentat) æque ac patientes, qui Christi amore ardentes omnia aduersa generose superant, et fulgent quasi aurum in fornace. Hinc Apocal. XXI, 20, chrysolithus notat S. Matthæum apostolum et evangelistam qui sua pœnitentia et evangelio quasi ignea fax noctem hujus sæculi et Ecclesiæ illuminavit: ita hic Machabæis et fidelibus in persecutione positis, significat immortale decus et cœlestem gloriam, quam sua tolerantia et fortitudine adipiscuntur. Audi Mathathiam I Machab. II, 64: « Vos ergo, filii, confortamini, et viriliter agite in lege, quia in ipsa glorijs eritis; » et I Machab. V, 63: « Viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, et gentium omnium. » Maldonatus per chrysolithum accipit crystallum, qui cœlesti albicantique colore est. Verum Hebreum ψωρι tharsis, non crystallum, sed chrysolithum proprie dictum significat.

Quinto, erat Gabriel facie fulgurante. Hæc significat primo, gloriam angelorum quæ divinæ cognitionis fulgore coruscat. Secundo, zelum, terrorum et iram eorum contra impios, hostesque Dei. Idem significat in Machabæis aliisque fidelibus Dei militibus, qui instar fulgoris in tenebris idolatriæ et peccatorum emicuerunt, hostesque fidei zelo suo afflaverunt et prostraverunt. Denique fulgor notat gloriam resurrectionis, quam cap. XII, Gabriel Machabæis et fidelibus viriliter pro Deo certantibus proponit et promittit: corpora enim Christi et Sanctorum in resurrectione coruscabunt ut fulgura. Unde et de angelo qui Christi resurrectionem annuntiavit et repræsentavit dicitur

Math. xxviii, 3: « Erat autem aspectus ejus sicut fulgur. » Sic et hic Gabriel facie fulgurabat, id est, inquit Theodoreus, splendor illuminans et coruscans a facie ejus emanabat; sicut enim fulgoris est scintillare, ita e vultu Gabrielis ita illustrato, emicabant radii quaquaversum. Hæc tria facie fulgurante repræsentat angelus, sed præser-tim secundum. Fulgor enim est symbolum belli acris et celeris, ac bellatorum acrum et ardentium; fulgor enim jungitur cum tonitru, ex eoque quasi flamma erumpit. Audi Plinium, lib. II, cap. XLIII: « Si in nube luctetur fatus, aut vapor, tonitrua edi; si erumpat ardens, fulmina; si longiore tractu nitatur, fulgetra, his findi nubem, illis perrumpi. » Ibidem cap. LIV: « Fulgetrum prius cerni quam tonitrum audiri (cum simul fiant) certum est. Nec mirum, quoniam lux sonitu velocior. » Rursum, fulmen omnia sternit; et Jupiter, ait Virgilius, I Georg., « disjecit fulmine montes. » Hinc trisulca fulmina, ac fulminantes acies et aquilæ. Sicut ergo dixit Poeta: « Duo fulmina belli Scipiadeæ, » puta Cnæus et P. Scipiones: ita fuere « duo fulmina belli Mathathiæ, » puta Judas et Jonathas, filii Mathathiæ. Ita et Joannes et Jacobus a Christo vocati fuere Boanerges, id est filii tonitri, hoc est, tonantes et fulminantes. Hac de causa angeli optime depinguntur quasi fulgura et corpore fulgureo: nil enim eos ita nobis repræsentat ut fulgor.

Sexto, « oculi » Gabrielis erant « ut lampas ardens, » Hebræus et Septuaginta, *ut lampades ignis*. Hi significant claritatem intellectus angelici, tum naturalem, tum beatificam, puta lumen gloriæ, ex quo oritur summus Dei visi amor et fruitio. In Machabæis vero hi oculi significant prudentiam, industriam, vigilantiam, quæ in bellis plurimum valent; dux enim belli callidior, quam fortior sit oportet, inquit Vegetius. Sed utrumque habent et indicant oculi fulgurantes, scilicet et calliditatem et acrimoniam pugnandi, percellendique hostes.

Sexto, oculi ut lampas ardens significant prudentiam et vigilantiam.

Ita legimus in Vita S. Francisci viduæ Romanæ Mira S. Francisca cum angelo familiariter. (cap. IV) quæ mira sanctitate Romæ vixit, et vitam angelicam simili morte conclusit, anno Domini 1440, atque a S. D. N. Paulo V Pontifice in Sanctorum catalogum relata est, quod ipsa continuo cernebat angelum suum, quasi juvenem elegan-tissimum, acribus oculis, et vultu in cœlum semper suspiciente, ac manibus in formam crucis ad pectus cancellatis (unde et tali figura angelus appingitur ejus imagini) facie ita coruscante, ut ipsa vix in eam intendere posset, ita ut in hoc ejus lumine sine candela noctu per domum ambularet, recitaret divinum Officium aliaque exercitia sua perageret. Si ipsa morbo laborabat, aut a dæmonibus verberabatur, vel terribilibus spectris percellebatur, vel quasi ab angelo lucis tentabatur; Angelus dabat ei signum movendo crines suos, iisque spargendo magnam lucem, ex qua illa miram accipiebat consolationem, illuminacionem et robur, ita ut dæmones confusi abscede-

rent. Quod si quid ipsa verbo, opere aut cogitatione peccasset, subducebat se, et disparebat angelus; unde ipsa pœnitens culpam indagabat, eamque agnитam lacrymis abluebat, itaque angelus rursum ei suam præsentiam exhibebat. Quocirca hic angelus erat *primo*, quasi ejus paedagogus, eam in omnibus actionibus dirigens. *Deinde*, erat ei instar scuti ad repellendas omnes tentationes et scrupulos, quibus quadam vice graviter cruciata inter orandum, aspiciens angelum lætam et serenam frontem exporrigentem, itaque re ipsa dicentem istas diaboli suggestiones esse res leves et nullius momenti; adeo mox mente serenata fuit, ut nullam deinceps senserit anxietatem. *Tertio*, erat ei socius orationis, omnisque gustus et consolationis spiritualis: quocirca colloquens cum angelo, tantam ex ejus cœlesti voce percipiebat dulcedinem, ut omnis humana vox et harmonia ei aspera et absona videretur, atque cum sponsa diceret: « Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora. » *Quarto*, hic angelus mirum afflabat ei spiritum: unde meditans de hac angelica specie, loquebatur cum incredibili efficacia de virtutibus omnibus, maxime de innocentia et puritate, qua præ hominibus cernebat pollere angelum. Eadem postea Religionem instituens, superiorem habuit Angelum ex quarto ordine, majori fulgore coruscantem, ut habetur cap. xvi Vitæ ejusdem. Hinc S. Basilius virgines exhortatur ut in cubiculis, in lecto, in mensa, etc., decore se gerant, quia habent spectatorem angelum oculatissimum.

Septimo, brachia significant fortitudinem actionis, quæ est in angelis; crura et pedes significant motus celeritatem. Ita S. Dionysius supra. Porro hæc erant ex « ære candente » sive albicante, id est, ut Hebræus, *posito et terso*, ideoque *fulgente*, ut vertunt Septuaginta, ob fortitudinem, quam perpetuo exacuant angeli, quaque nulli cedunt, sed subito omnia frangere et conterere possunt. In Machabæis vero, et fidelibus, hæc significant tum fortitudinis, tum armorum splendorem, quantumque per ea cædem facturi sint. Machabæi enim in hostes irruerunt acerrime, perinde ac si brachia et crura habuissent ænea. Plura de ære carenti dixi *Ezech. 1*, in fine cap.

Octavo, vox sermonum ejus erat vox ut multitudinis, id est magna et confusa, q. d. Visus tibi significat essem illum Angelum audiens, audire multam hominum inter se colloquentium turbam; talis erat ejus vox, qualis esse solet multitudinis: et aquarum murmur; huic enim comparari solet vox Dei et angelorum, ut patet *Ezech. 1, 24; Apoc. 1, 15*, et alibi. Ratio erat *prima*, quia angelus hic non erat solus, sed veniebat comitus multis angelorum, angelis sui ordinis, erat enim princeps. *Secunda*, quia hæc magna vox significabat copiam scientiæ, et docendi, et illuminandi vim, quam habent angeli. Ita Theodoretus. In Machabæis hæc vox significabat eorum exercitus et phalanges.

7. TERROR NIMIUS IRRUIT SUPER EOS. — Quia licet Vers. 7. angelum non viderent, ejus tamen vocem et strepitum, aut certe lumen mirabile, et quasi fulgurans persentiscebant. Simile contigit sociis S. Pauli, cum ipse vidit Christum *Actor. xxii, 9*. Causa, cur solus Daniel viderit angelum, non socii, non fuit ἀπαρίᾳ qua socios percusserit angelus, ut percussit Sodomitas, *Genes. xix, 11*; sed quod angeli in corpore assumpto, æque ac homines beati, species visivas sui corporis gloriosi habeant in potestate, faciantque ut ad libitum corpus sui speciem emitat in oculum unius, v. g. Danielis, non in aliorum ei adstantium, quo fit ut unus eum solus videat, non aliij adstantes. Ita docent Scholastici in dist. XLVIII et seq.

8. EMARCUI, — elangui: olim enim in lege Vers. 8. teri, quæ erat timoris et terroris, Deus per angelum se hominibus, etiam Sanctis et Prophetis, augustum et terribilem exhibebat, ut dixi *Deut. iv, 33*. Secus facit in lege nova, quæ est lex amoris.

Mystice, « emarcui; » quia, ut ait S. Gregorius, lib. III *Dialog. xxiv*: « Caro ea quæ sunt spiritus capere non valet, et idecirco cum mens humana ultra se ad videndum dicitur, necesse est ut hoc carneum vasculum, quod ferro talenti pondus non valet, infirmetur. » Rursum mens humana dum in Deum concendit, ejus fortitudinem conspicit, itaque ejus quasi desiderio absorbetur et liquatur.

10. ET SUPER ARTICULOS.— Hebraice, *super palmas manuum*, q. d. Angelus me collabentem erexit, atque genibus et manibus niti fecit, ut surgerem. Vers. 10.

Nota hic: Angeli boni primo terrent, deinde consolantur suos, eosque corroborant, itaque sensim et gradatim eos a terrenis ad cœlestia abducunt. Unde S. Gregorius, lib. XXII *Moral. cap. xiv*, aut juxta aliam editionem xxii, docet quod Daniel hic *primo* prostratus, *secundo* erectus, *tertio* tremens, « in semetipso nobis omnem ordinem nostri profectus innotescit. Verba enim Dei in terra jacentes audivimus, cum in peccatis positi, terrenæ pollutioni conjuncti, Sanctorum voce spiritualia præcepta cognoscimus. Ad quæ præcepta quasi super genua et super manuum nostrorum articulos erigimur, quia a terrenis contagiis recedentes, quasi jam ab infimis ventrem levamus. Ad extreum vero voce Dominica erecti quidem, sed trementes assistimus, cum a terrenis desideriis perfecte sublevati, verba Dei quo plenius cognoscimus, plus timemus. » Subdit paulo post: « Ubi apte divina voce subjungitur: Noli metuere; quia cum plus ipsi quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus, ut timor transeat in charitatem. »

11. STA IN GRADU TUO (1), — sta rectus, uti sta- Vers. 11.

(1) « Et dixit ad me, » etc. Sunt qui putant non esse virum lineis indutum, sed illum cajus manus exanimatum erexerat (vers. 10), qui deinceps usque ad cap. xii, 4, cum Daniele loquitur, vicem viri lineis induti in se sus-

bas ante visionem, in qua percusus corruisti.

vers. 12. POSUISTI COR TUUM (adjecisti animum) **UT TE AFFLIGERES**, — per jejunia, preces et gemitus. Nam τὸ affigeres referendum est ad posuisti, q. d. Posuisti cor tuum ut te affligeres, et per istam afflictionem impetrare intelligentiam, qua cognosceres an et quando ista impedimenta fabricae templi, et plenae Judæorum libertati, ab hostibus objecta, ob quæ luxisti, et te afflixisti vers. 2, disjicienda forent. Ecce enim ego a Deo ad te missus sum, ut tibi significem exauditas esse preces tuas; ac proinde brevi, uti postulasti, templum reædificandum esse; nimirum post Cambysem, qui septem tantum annis regnabit, sub initium regni Darii Hystaspis, tumque multos Judæorum e Babylone eo convolaturos. Rursum Artaxerxem anno septimo regni missurum Esdram, et anno vigesimo missurum Nehemiam, qui reliquos in Babylone Judæos secum abducant in Jerusalem, ejusque muros et domos reædificant et perficiant: id enim re ipsa præstabit Nehemias. Verisimile est hæc vel horum partem, Gabrielem revelavisse Danieli, etiamsi id ipse hic non enarret, quia ad alia festinat.

Nota hic rursum: Jejunio et maceratione corporis, atque precibus impetrarunt Sancti a Deo intelligentiam, imo prophetiam. Ita S. Thomas jejunio impetrabat explicationem locorum difficultum S. Scripturæ. Unde S. Gregorius, lib. XXX *Moral. ix*, vel juxta aliam editionem *xviii*: Daniel, inquit, deliciis abstinuit, ut « tanto avidius gustum sapientæ intus acciperet, quanto saporem carnis pro eadem sapientia foris robustius repressisset. Si enim a carne hoc quod libet absindimus, mox in spiritu quod delectet, invenimus. Intentioni quippe animæ, si exterior evagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quo extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo super se tendere per profectum potest: quia et in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos diffundi prohibetur: et cum rivos fontis obstruimus, fluenta surgere ad superiora provocamus. » Atque hos censem a S. Job vocari ibices, quæ in petris fœtus ponunt cap. *xxxix*, 1.

PROPTER SERMONES TUOS, — propter preces tuas jam exauditas a Deo.

vers. 13. PRINCEPS AUTEM REGNI PERSARUM. — Nota τὸ autem: occurrit enim angelus tacitæ objectioni, q. d. Dices mihi, o Daniel: Si oratio mea die primo fuit exaudita, ut dixisti vers. 12, cur ergo illico ad me non advenisti? cur exspectasti tres septimanæ, ut dicitur vers. 2, puta 21 dies, ut dicitur hoc versu? Respondeo, metot diebus fuisse impeditum, quia restiti principi Persarum, qui contrariis precibus et rationibus tua postulata, si non in totum, certe ex parte evertere conabatur.

cipiens, cum Daniel nec illius splendentem et magnificum aspectum sustinere, nec verba ejus terribili sono prolatæ intelligere potuerit. Hunc esse Gabrielem, ut verisimile existimat post Theodoretum, etc.

Quæres, quisnam fuit hic princeps Persarum? Quisnam princeps Persarum? Prima sententia, fuisse Cambysem. Secunda, fuisse dæmonem.

Respondent Judei et hæretici fuisse Cyri filium Cambysem, Judæis infensum, aut principes ejus, qui templi restaurationem apud eum impediabant: hi enim Judæis et consequenter angelo protectori Judæorum resistebant.

Secundo, Rupertus et Cassianus, *Collat. VIII, XIII*, putant fuisse malum angelum, sive dæmonem: hic enim pugnat cum angelo bono. Idem sentit Prosper in *Dimidio temp. cap. iv*, ubi docet hoc prælium idem esse cum prælio draconis contra Michaelen, *Apocal. cap. xii*, vers. 7. Sicut enim cuilibet homini a nativitate, assignatur a Deo angelus bonus ad custodiam; ita eidem a Lucifero assignatur angelus malus ad temptationem: et sicut cuilibet regno assignatur a Deo angelus bonus ad tutelam, quasi præses; ita a Lucifero eidem assignatur angelus malus præses, qui regni statum turbet et evertat. Dæmon ergo assignatus præses Judæis a Lucifero, vocatur hic princeps Persarum, qui ex odio Dei valde obsistebat, ne Judæi, utpote populus Dei, e captivitate liberarentur. Hoc autem faciebat quatuor modis: *Primo*, instigando et inducendo Judæos ad gravia crimina, ut liberatione indignos se redderent. *Secundo*, sugerendo Judæis amorem Babylonie ob libertatem et rerum copiam; odium vero Judææ, quasi sterilis et plane vastatæ. *Tertio*, persuadendo Cyro et Cambysi id quod olim suaserat Pharaoni, *Exodi i*, scilicet Judæos regno esse utilles, ac proinde retinendos. *Quarto*, allegando apud Deum scelera Judæorum, quæ necdum sati captivitate vindicata et expiata erant. Ita Rupertus, lib. IX *De Victoria Verbi Dei*, cap. vi.

Verum dico hunc angelum fuisse bonum, qui a Deo præfectus fuit datusque custos regno Persarum. Sic enim Deus cuique genti et regno suum præficit angelum, uti docent S. Basilius, lib. III *Contra Eunomium*, Clemens Romanus, S. Dionysius, Gregorius Nazianzenus et alii, quos citat Ludovicus Molina I part. *Quæst. CXIII*, in fine, id que patet hic ex angelo Græcorum, qui nominatur vers. 20. Et ita intelligunt Patres illud *Deuter. xxxii*, 8, juxta Septuaginta: *Constituit terminos populorum juxta numerum angelorum Dei*. *Confir-* Probatur *matur primo*, ex eo quod statim subdit: « Ecce primus Michael unus de principibus primis, venit in adjutorium meum; » ubi cum Michaelen unum de principibus vocet, innuit se aliquem alium angelum bonum principem regni Persarum appellasse. *Secundo*, ex vers. 21, ubi ait: « Nemo adjutor meus est in omnibus his, nisi Michael princeps vester: » hic enim opponit principem Judæorum principi Persarum, quasi angelum angelo.

Hæc est sententia S. Hieronymi (qui tamen Tertio. etiam contrariam sententiam refert, sed ut alienam, non ut suam more suo), Theodoreti, S. Gregorii XVII *Moral. cap. vii*, S. Thomæ I part. *Quæst. CXIII*, art. vii, Lyrani, Carthusiani, Pererii, Ferdinandii et aliorum.

Principatus et regnum. Notat Molina, I part. Quæst. CVIII, angelos institutus præsumt regnum; scilicet Principatus tutelares esse regum changeli et regnorum: inde enim videtur hic vocari principes provin- cias, Angelos hominum singulorum. minibus.

RESTITIT MIHI. — Dices: Ergone inter se pugnant angeli, et quomodo angelus princeps Persarum restitit Gabrieli? Respondet Maldonatus hos duos angelorum principes apud regem Persarum, puta Cambysem, inter se pugnasse, dum contraria illi pro sua quisque gente et provincia suggerere et persuadere nitebantur. Ideo enim ait: « Ego remansi ibi juxta regem Persarum. »

Secundo. Secundo et potius, hæc pugna angelorum apud Deum peracta est: adierunt enim ipsi ipsum fontem, puta Deum, ex quo tam animum regis Persarum, quam Judæorum libertatem et captivitatem pendere sciebant, atque coram eo disceptarunt. Licet enim angeli summa charitate se invicem ament, sintque summe concordes (quod enim dicitur Job xxv, 2: « Qui facit concordiam in sublimibus; » et cap. XXXVIII, 37: « Concentrum cœli quis dormire faciet? » de cœlis et stellis; longe verius est in angelis: « Omnia enim una Victoria est, sui super se creatoris voluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt, » ait S. Gregorius superius citatus): tamen in quibusdam rebus, in quibus Deus nequit patefecit suam voluntatem, sibi invicem contraria velle possunt, non absolute et efficaciter, sed conditionate, si videlicet Deo placuerit id quod ipsi optant et desiderant. Itaque hæc eorum pugna conditionata est, non absoluta: absolute enim utraque pars, licet invicem adversa, resignat se in voluntatem et sententiam Dei. Ita Gregorius de Valentia, I, part. disp. VIII, de quinto Effectu gubernat. divinæ, Quæst. VI, punct. IV. Sic ergo Gabriel hic pro suis Judæis orabat Deum, ut omnes e Babylonie in patriam reduceret, ne Babyloniorum idolatria et vitiis inficerentur, ut aliquos infici videbat, atque urbem et templum restaurari curaret, juxta promissa sua; ut ibi pie, secure et quiete Deo servirent: quod tam instanter postulaverat, et assidue postulabat Daniel, cum templi fabricam anno primo Cyri inchoatam, sed anno secundo ejusdem propter hostes interruptam et inhibitam fuisse audisset. Addebat Judæos esse populum Dei, et gentem ex omnibus ab eo electam et dilectam, ex qua nasciturus erat Messias. Allegabat merita Abrahæ, Isaac, Jacob, Mosis, etc., preces Jeremiæ, Ezechielis, Nehemiæ, Jesu, et aliorum tum viventium, præsertim Danielis. E contrario angelus Persarum orabat ut Deus aliquos Judæos in Babylonie relinqueret ad Babyloniorum et Persarum conversionem, utque illi a Judæis unum verum Deum, ejusque cultum dissererent; illudque Judæis esse utile, utpote qui aduersis meliores fierent. Ita Theodoretus et S. Gre-

gorius supra. Verum est enim illud Senecæ, lib. III De Ira, cap. VIII: « Quantum consuetudo possit intelliges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere, nullique immani bestiae vim suam permanere, si hominis contubernium passa est. » Tantum valent conversatio, exempla, consuetudo, ut merito angelus Persarum convictum Judæorum suis Persis tam acri bello depoposcerit. Qui Patres et aliam causam addunt, scilicet principem Persarum restitisse Gabrieli et Judæis ex zelo justitiae, quod diceret Judæos, qui tot a Deo beneficia acceperant, iisque male vivendo tam ingrati extiterant, debere adhuc magis puniri et purgari.

Nota: Hæc pugna Gabrielis cum angelo Persarum peracta est non digladiando, nec verberando, sed primo, contraria volendo; secundo, contra antagonistam disputando; tertio, Michaelem, et alios angelos ad idem contra eum advocando et concitando; quarto, Deum ardenter orando contra vota alterius, ejusque rationes solvendo, et suas perurgendo.

VIGINTI ET UNO DIEBUS, — scilicet toto tempore trium septimanarum, quo jejunavit Daniel, vers. 2. Tamdiu duravit hæc pugna, non propter ipsos angelos: eorum enim actus sunt instantanei, et perficiuntur in instanti; sed primo, ut interim acueretur Daniel ad magis orandum pro Judæorum plena libertate; secundo, ut Judæi scirent pugnæ hujus et liberationis suæ difficultatem.

Moraliter, si inter angelos, imo principes angelorum, sunt dissidia, quid mirum inter homines sanctos subinde oriri dissensiones, vel opinio- num, vel voluntatum, salva utrinque charitate. Ita dissensio orta inter Paulum et Barnabam, causa fuit ut pluribus gentibus prædicaretur Evangelium, Actor. v, 39. Ita S. Paulus a S. Petro dis- sensit, Galat. II, 11. Ita et S. Cyprianus a S. Stephano Pontifice, S. Chrysostomus a S. Epiphano, S. Hieronymus a S. Augustino: quos tamen charitas una cum Deo, et cum sese invicem nexos vincosque jungebat.

ET ECCE MICHAEL UNUS (id est primus: saepe enim Hebræi numerum cardinalem capiunt pro ordinali) **DE PRINCIPIBUS PRIMIS,** — q. d. Michael primus principum, scilicet Archangelorum. Ita S. Hieronymus et Theodoreetus. Unde a S. Juda in sua epistola, et ab Ecclesia Michael vocatur Archangelus; videtur ergo quod Michael sit princeps ordinis Archangelorum duntaxat. **Secundo,** alii sic exponunt, « unus de principibus, » id est primus in ordine Principatum, qui regnis præsunt: ex quo sequitur Michaelem esse principem ultimæ hierarchiæ duntaxat. Ita S. Thomas I part. Quæst. CXIII, art. 3, et innuit S. Dionysius cap. IX Cœlest. Hierarch. Idem sentiunt Aegidius Romanus in II dist. dub. I, Toletus in Lucæ cap. I, 26, annot. 45, Gabriel Vasquez, I part. disp. CCXLIV, num. 14, ubi ait S. Michaelem esse ex Principiatis.

Michael ex quo ordine?
S. Hieronymus ait esse ex Archangelis.
Secundo, S. Thomas essa ex Principiatis.

Tertio. et qui toti orbi præsunt. **Tertio**, multi jam valde probaverius, censent eum esse pri-
mum inter Seraphinos. Probatur primo. Michael cum Lucifero et angelis ejus pugnasse di-
citur, dum ejus superbiæ restitit, dixitque humil-
lime מִכָּאֵל mi ca el, quis ut Deus? Sicut ergo Lucifer dæmonum, sic Michael angelorum, pro Deo est imperator, estque primus inter Seraphi-
Secundo. nos. Secundo, quia Ecclesia Michaelem vocat Pri-
matem cœlestis exercitus, præpositum paradisi, atque ejus nomine festum omnium angelorum colit. **Tertio**, quia Michael, ut olim Synagogæ, ita nunc Ecclesiæ totius præses et custos a fidelibus colitur. Hinc Ecclesia in Missa pro defunctis vocal eum Signiferum Christi. Rursum, Ecclesia vocat eum præpositum animabus suscipiendis. Ilac de causa S. Franciscus licet singulari amore et cultu prosequeretur omnes angelos, adeo ut in honorem eorum « a festo Assumptionis B. Virginis quadraginta diebus jejunans orationi jugiter insisteret; tamen S. Michaeli Archangelo, eo quod animarum repræsentandarum habet officium, spirituali erat amore devotior, propter fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum, » inquit S. Bonaventura in ejus Vita, cap. ix.

Ita anno Domini 1087, moriente S. Arnulfo Episcopo Suessionensi, cella ejus contremuit, eique apparuit S. Michael cum multis angelicis spiritibus, pollicens se ei fore ducem ad beatam vitam. Ita habet Lisiardus in ejus Vita.

Ita anno Domini 705, ægrotanti S. Wilfrido Archiepiscopo Eboracensi apparuit S. Michael, eique sanitatem restituit, addens se post quadriennium reversurum, tumque eum in pace tranquilla vitam terminaturum. Ita Beda, lib. V *Hist. Anglic.* cap. xx.

Ita anno Domini 922, in morte Sisinandi Episcopi Compostellæ audita est vox angelorum canentium: « Veni, electe Dei, et intra in gaudium Domini tui, » inquit Vasæus in *Chronie*.

Ita S. Antonio morienti angelos occurrisse, eumque contra diaboli calumnias defendisse testatur S. Athanasius.

Ita S. Germani Capuani animam in cœlum ab angelis ferri vidit S. Benedictus, teste S. Gregorio, lib. II *Dialog.* cap. xxxv. Idem contigisse animæ S. Radegundis reginæ docet Gregorius Turonensis, *De Gloria Confess.* cap. cvi, et animæ S. Hildæ Abbatissæ, docet Beda, lib. IV *Histor. Anglic.* cap. xxiii.

Denique S. Michaelem esse principem angelorum omnium, ideoque primum inter Seraphinos, sentit S. Basilus hom. *De Angelis*: « Tibi, inquit, o Michael, duci supernorum spirituum, qui dignitate et honore prælatus es cæteris omnibus spiritibus supernis, tibi, inquam, supplico. » Et Pantaleon Diaconus apud Lipomenum in hom.

De S. Michaele: « Primum, inquit, locum obtinet inter mil' e millia, et decies mille myriades angelorum, et proxime ac citra ullum stuporem (cum cæteri angeli ad Dei majestatem obstupescant) canit ter sanctum et admirabilem hymnum Michael, qui est maxima et clarissima stella angelici ordinis. » Idem censent B. Laurentius Justinianus, serm. *De S. Michaele*, Rupertus, in cap. viii *Apoc.* Ambrosius Catharius, in cap. I *ad Hebræos*, Molina, I part. *Quæst. CVIII et CXII*, Viegas in cap. xii *Apoc.*, Salmeron, tom. III, cap. iii, Bellarminus, tom. I, *Controv.* III, cap. ix, et alii. Unde Joannes Molanus Doctor Lovaniensis, lib. III *De Pictur. et imagin.* cap. xxxix: « Michael, ait, dicitur Archangelus, non quod sit de ordine Archangelorum, sed quia omnium Angelorum caput et dux est. » De Michaele plura dicam cap. xii, 1. Porro quod vir doctus scripsit, duos esse Michaeles, unum Seraphinum victorem Luciferi, alterum Archangelum custodem Ecclesiæ, novum est et hactenus inauditum, ac sine auctoritate æque ac necessitate assertum.

VENIT IN ADJUTORIUM MEUM. — Michael venit in adjutorium Gabrielis, tum quia ipse præpositus erat Hebræorum, tum quia Gabriel meliorem causam tuebatur: jam enim effluxerant 70 anni captivitatis, quibus elapsis promiserat Deus se Judæos Babylone liberaturum. Ita S. Gregorius supra.

ET EGO REMANSI IBI JUXTA REGEM PERSARUM, — ut scilicet Cyrus, et Cyro ad bellum Scythicum abeunte, Cambysem ejus filium flecterem, cosque Judæis benevolos redderem. Ita Rupertus. Docet hic angelus se ita causam Judæorum apud Deum egisse, ut eamdem quoque egerit apud regem Persarum, a quo post Deum Judæorum liberatio pendebat. Discamus et nos ita Deo niti, ut tamen humana non negligamus media et auxilia. Hanc prudentiam docuit nos S. P. N. Ignatius, dum monuit in rebus conficiendis ita fidendum esse Deo, ac si ipso solo res tota penderet; ac deinde in executione ita sedulo rei incumbendum esse, omniaque humana auxilia accersenda esse, ac si iis solis res conficienda foret.

14. QUONIAM ADHUC VISIO IN DIES, — scilicet plurimos, q. d. Post multos annos implenda est visio sequens, quæ cap. proximo enarratur.

15. DEJECI VULTUM, — non ex metu: nam eum jam absterserat angelus; sed ex reverentia, et ex debilitate contracta ex consternatione prioris visionis angeli, utpote terribilis et augustæ.

16. QUASI SIMILITUDO FILII NOMINIS. — Videtur hic idem fuisse angelus quem viderat Daniel, quique cum ipso loquebatur; mox enim illi ait: « Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ; » et: « Loquere, Domine, quia confortasti me. » Angelus ergo hic primo formam et vocem tam augustam et splendidam induit, ut supra hominem esse videretur: ex ea enim perculsus Daniel elanguit, et corruit in terram. Unde

angelus aliam formam, puta vulgari homini similiorem, et familiarem induit, itaque comiter Danielem affatus, eum sibi restituit. Adde hunc angelum fuisse typum Christi hominis, eaque quoque de causa dicitur similis filio hominis.

TETIGIT LABIA MEA, ET APERIENS OS MEUM, — q. d. Os meum, quod antea præ reverentia obmutuerat, angelus tangendo aperuit, ut libere, fidenter et prompte cum eo loquerer. Sic Seraphim tetigit labia Isaiae, cap. vi, 7. Loquitur ergo Daniel, aitque :

Vers. 17. **17. ET QUOMODO POTERIT SERVUS DOMINI MEI LOQUI CUM DOMINO MEO?** — Daniel vocat se servum, angelum vero Dominum : erat enim augusta et terribili forma, quæ Danielem perculit et plane consternavit. Unde subdit : « Nihil enim in me remansit virium; sed et halitus meus intercluditur, » uti fit ingenti pavore et consternatione. Unde Vatablus sic explicat, q. d. Actum est de me, vidi angelum. Olim enim putabant Judæi se morituros, si vidissent angelum, adeo tunc apparebat terribilis. Unde Manue pater Samsonis, viso angelo, ait ad uxorem : « Moriemur, quia vidimus Dominum, » *Judic. XIII, 22.* Verum sapientior erat Daniel, et jam metum ei absteserat aut temperarat Gabriel. Itaque verius est quod dixi, Gabrielem tam fulgida specie apparuisse, ac verberasse oculos Danielis, ut ille viribus pene deficeret, et animo linqueretur, vixque posset respirare. Quocirca angelus, hunc splendorem moderans, ait ei : « Pax tibi, » quod licet Vatablus explicet, q. d. Incolumitas est tibi, non morieris, nihil detrimenti tibi accidet : tamen verius est angelum imprecari pacem, id est animum, vires et robur Danieli. Subdit enim : « Confortare, et esto robustus. »

Vers. 18. **18. TETIGIT ME QUASI VISIO HOMINIS.** — Tetigit me angelus in specie humana apparens, et a me visus ut homo. Vide dicta vers. 16.

Vers. 20. **20. NUMQUID SCIS?** — q. d. Non videris nosse cur ad te venerim, sed ego tibi dicam : Veni ut dicarem tibi, primo, preces tuas esse exauditas, quoad plenum Hebræorum redditum in patriam. Secundo, quid sit populo Persico eventurum. Tertio, quid futurum sit in fine mundi, sed revertar cito, ut in conspectu Dei resistam angelo Persarum : nec enim omnino sum securus, gravius enim certamen mihi instare vereor ex angelo Græcorum, de quo vers. 20. Nihilominus priusquam abeo, et ad pugnam redeo, breviter tibi futura nuntiabo : quæ expressa sunt in scriptura veritatis, id est in libro præscientiae et prædestinationis Dei, quæ verissima et certissima est, ac fallere nequit. « Scriptura » ergo « veritatis » vocatur hic Dei decretum, eo quod instar scripturæ fixum ac firmum sit, nec oblivione aut tempore mutetur. Porro hæc futura sunt tria illa paulo ante dicta, quæ angelus Danieli enarrat duobus cap. sequent., licet S. Hieronymus putet ibi narrari alias visiones; sed quod dixi, videtur verius.

ET NUNG REVERTAR UT PRÆLIER (ut disputem et rationibus decertem) **ADVERSUM PRINCIPEM PERSARUM.** — Sic grammatici suum habent bellum grammaticale, quo non verberibus, sed verbis inter se configunt de vocibus, et ad ravim usque decerant. Sic philosophi sua habent prælia scholastica, dum suam sententiam hic propugnat, et alter oppugnat. Sic, quod plane huic loco est simile, advocati apud judicem forense agunt bellum, dum unus reum capitum ad necem adigere, alter eripere et defendere conatur. Sic Cicero se oratione et verbis præliatum asserit, lib. I *ad Attic. epist. 11* : « Ego, inquit, quamdiu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter et vehementer præliatus sum, ut clamor concursusque maxima cum laude mea fieret. » Licet enim Gabriel, vers. 12, dixerit Deum exaudivisse preces Danielis, eisque annuisse; tamen verebatur, ne angelus Persarum eas contrariis rationibus et precibus, saltem ex parte subverteret. Festinat ergo, ut contra eum disceptet, et a Deo auditis utriusque rationibus, definitivam sententiam pro Daniele et Hebræis impetraret. Unde Arabicus verit : *Nunc ego revertar certare (ad certandum) cum rege Persidis.*

CUM EGO EGREDERER, APPARUIT PRINCEPS GRÆCORUM VENIENS. — Cassianus, *Collat. VIII, cap. XIII,* putat hosce principes fuisse angelos malos; unde concludit dæmones non tantum cum angelis bonis, sed et inter se dissidere ac configere : « Legimus, ait, Græcorum quoque principem similiter alium nuncupari, qui utique favens genti sibi subditæ tam populo Israel quam nationi Persarum videbatur adversus. Ex quo liquido pavidetur, quod discordias gentium, et conflictus, ac similitates, quas inter se istis instigantibus gerunt, etiam contra se adversæ exerceant potestates, et illarum vel victoria gaudеant, vel diminutione crucientur : et ob hoc non possunt inter se esse concordes, dum unusquisque pro his quibus præest, contra alterius gentis præsulem inquieta semper æmulatione contendit. Verum jam ostendi omnes hosce principes fuisse angelos bonos, non malos; et certe si mali fuissent, non procurassent commoda gentis suæ, uti vult Cassianus, sed ejus exterminium agitassent. Flagrant enim dæmones ingenti odio hominum omnium. Hunc ergo Græcorum angelum suspectum habuit angelus Danielis, timuitque ne ipse faveret angelo Persarum contra se et Hebraeos, aut ne quasi tertius tragulam aliquam injiceret, qua retardaret, aut diverteret liberationem Hebræorum : ideo enim matratur redditum ad prælium. Id confirmatur ex eo quod mox subjicit : « Nemo est adjutor meus, nisi Michael princeps vester : » ergo angelus Græcorum non erat ei adjutor. Unde et Biblia regia, atque alia sic legunt : *Cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum.* Ubi τὸ enim dat causam præcedentium, q. d. Illico revertor; ecce enim novum video venire mihi antagonistam, scilicet

principem Græcorum. Unde et Vatablus vertit :
Sed princeps Græciae advenit, me egrediente.

Cur venit angelus Græcorum? Cur princeps Græcorum, id est Macedonum, venerit, quidque egerit aut postularit a Deo, incertum est. Non dubium est eum Græcorum sibi commissorum causam egisse; ac proinde verisimile est eum petuisse ut aliqui Hebræi in Græciam mitterentur, aut Græcis in Perside et aula regis existentibus miscerentur, ibique detinerentur, ut Græcos sensim unius Dei cognitione et cultu imbuarent; itaque ex parte restitit Gabrieli sollicitanti ut omnes in Judæam redirent, ne inter gentes ad idola et gentium vitia deflecterent.

Secunda. **S. Hieronymus** putat angelum hunc Græcorum restitisse Angelo Persarum, eorumque tyrannidem et peccata accusasse, ac petuisse ut Persis imperio dejectis, regnum Alexandri et Macedonum succederet : quod et factum est, ut patet cap. sequenti. Verum hoc factum est post multa tempora, scilicet post ducentos annos : unde non videtur hoc tempore angelus pro eo orasse et sollicitasse. Sed responderi potest angelum ignorasse decretum Dei de tot annis dandis regno Persarum; aut, si illud scivit, putasse illud non esse absolutum, sed conditionatum : nam et angelus Danielis ei, cap. seq. vers. 2, tres tantum reges Persarum numerat, qui in Perside regnaturi sint. Forte ergo hic angelus ex hisce aliisque argumentis opinatus est instare finem regno Persarum, petiitque illud ad Græcos transferri, tempusque accelerari, ac proinde Hebræos non dimitti, ut Græcis mox regnaturis prodescent, ut dixi in responsione prima.

Tertia. **S. Gregorius, XVII Moral. cap. vii,** putat angelum Græcorum restitisse Hebræis, eo quod Hebræi contra Græcos aliquid ante commisissent, eosque læsissent. Hæc mera est conjectura : nam nil tale indicat Scriptura.

Quarto. Maldonatus censet angelum Græcorum, æque ac alios omnes, excepto Michaele, impeditivisse Judæorum libertatem, eo quod peccata eorum nondum essent expiata : maxime vero post angelum Persarum id fecisse angelum Græcorum, eo quod sciret regnum Persarum transferendum ad Græcos, ideoque nollet Judæos inde in patriam redire, ut major esset Græcorum præda, atque hac de causa eum in auxilium angeli Persarum venisse. Verum quis credat hoc de angelo bono,

Angeli suis in bello dant opem et victoriæ. cuius est tueri fideles, nec favere tyrannidi ?

Nota : Deus voluit hanc angelorum pugnam fieri, ut scirent homines quantam angelorum quisque suæ gentis providentiam et curam gerat. Vide hic ergo ut Gabriel et angeli fortiter suos adjuvent, et in præliis dent victoriam. Elesbaan, rex Aethiopum, cum Dunaan tyranno Homeritarrum pugnaturus, cum ejus castra et fame laborent, et ab hoste valde premerentur, supplicatione facta, et sacra communione percepta, cum lacrymis Domini invocavit auxilium. Ipse autem eos audivit; et statim vox quædam fuit de cœlo

audita, quæ dicebat : Gabriel, Gabriel, Gabriel. Confidentes itaque Aethiopes cum descendissent de navibus, et manus conseruissent cum hostibus, eos fuderunt, et omnes interfecerunt, etiam regem ipsum catena vinctum. Vide Baronium, anno Christi 523, ex *Actis Areæ martyris*.

Anno Domini 601, qui numeratur quintus regum. Francorum Theodeberti atque Theodorici fratrum, conflatum est civile bellum inter eos atque Clotharium, filium regis Chilperici, hærom vero Guntheramni, magna facta utrinque cæde, cessit tandem victoria Theodeberto atque Theodorico, fugiente Clothario. In qua pugna, ait Aimoinus, *De Gestis Franc.* lib. III, cap. LXXXVII et LXXXVIII, angelus Domini adstans evaginatum visus est tenuisse gladium.

Tradit Luitprandus, lib. II *Hist. cap. xiv*, Wenceslaum, Bohemiæ regem, occurrisse in finibus Duci Carinensi, qui fines regni hujus vastabat, eique obtulisse singulare certamen, ut multorum cædibus parceret. Ubi ventum est ad manus, angeli apparuere, qui Wenceslaum protegentes arma ministrabant. Quo viso, Dux petiit veniam, eaque obtenta discessit.

Congense regnum, anno Domini 1484, Lusitanorum classibus est exploratum. Cumque Christo rex nomen dedisset una cum multis suorum, victoram mirabiliter de quibusdam rebellibus, vexillo crucis educto in prælium, reportavit. Joannes nomen huic regi fuit. Eo defuncto, filius natu major Alfonsus fidem patris sequebatur, minor erat omnino alienus : quo circa in certamen acquirendi regni venerunt. Innumeri qui nondum Christum colebant, natu minorem sequebantur, et maximas copias adversus alterum paucis stipatum militibus conficiebant. Ventum tandem ad pugnam : vix initum prælium, Christi hostes in fugam se protinus, subito pavore correpti, dederunt. Dux exercitus hostilis captus palam confessus est, se magnam militum copiam in equis incidentem, et crucibus insignitam tanquam luce splendentem, ut oculos omnium perstringeret, in prælio conspexisse, ejus metu perterritum cum suis se fugæ commisisse. Ita Hieronymus Osorius, lib. III *Hist.*

Beato Moysi abbati quodam tempore tam vehementem intulit impugnationem fornicationis dæmon, ut quietus in cella sua nequiret diutius permanere. Contulit se itaque ad S. Abbatem Isidorum, ac violentiam insultus hujus acerrimi magna cum animi mœstitudine narravit. Cumque e Scripturis sanctis Abbas Isidorus testimonia proferens eum consolaretur, eumque ut in suam cellulam reverteretur rogaret, isque ut id faceret, non posset induci; tunc illum Abbas Isidorus ad suæ mansiunculæ superiora perduxit, eique dixit : « Respic ad Occidentem, et vide. » Vedit autem versus illam mundi plagam innumerabilem dæmonum multitudinem vehementer cum furore perturbari, et quasi ad prælium præpa-

ratos in conflictum turmatim ruere et pugnare. Dixit ei iterum Abbas Isidorus : « Respice ad Orientem. » Cumque eam in partem attentius oculos conjiceret, vidi innumerabilem sanctorum angelorum frequentiam, splendentemque super lumen solis copiam cœlestium virtutum. Ait tum ei Abbas Isidorus : « Ecce quos in Occidente vidisti, illi ipsi sunt, qui etiam Sanctos Dei impugnant. Quos vero versus Orientem conspexisti, hi sunt quos in adjutorium servis suis mittit Dominus exercituum Deus. Cognosce igitur

quod plures nobiscum sint quam cum illis, sicut dixit Elisaëus propheta, ut et S. Joannes ait : Quia major est, qui in nobis est, quam qui in hoc mundo. » His auditis confortatus in Domino, Abbas Moyses reversus est ad cellulam suam, gratias agens, et glorificans Domini Jesu Christi potentiam et bonitatem. Ita habet ejus Vita in *Vitis Patrum*. Plura recenset noster d'Aurout in *Catechis. cap. De Angelis.*

IN SCRIPTURA VERITATIS.—Quænam hæc sit, dixi vers. 20, initio.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus prædictus Danieli bella posterorum Alexandri Magni, puta Seleucidarum, regum Asie, et Ptolemaeorum regum Ægypti; ac tandem, vers. 21, descendit ad Antiochum Epiphanem, in quo Antichristum, ejusque tyrannidem describit.

1. Ego autem ab anno primo Darii Medi stabam ut confortaretur, et roboraretur. 2. Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside, et quartus dabitur opibus nimiis super omnes : et cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversum regnum Græciæ. 3. Surget vero rex fortis, et dominabitur potestate multa, et faciet quod placuerit ei. 4. Et cum steterit, conteretur regnum ejus, et dividetur in quatuor ventos cœli : sed non in posteros ejus, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est ; lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos, exceptis his. 5. Et confortabitur rex Austri : et de principibus ejus prævalebit super eum, et dominabitur ditione : multa enim dominatio ejus. 6. Et post finem annorum fœderabuntur : filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, et non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus : et tradetur ipsa, et qui adduxerunt eam, adolescentes ejus, et qui confortabant eam in temporibus. 7. Et stabit de germine radicum ejus plantatio : et veniet cum exercitu, et ingredietur provinciam regis Aquilonis : et abutetur eis, et obtinebit. 8. Insuper et deos eorum, et sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti et auri, captiva ducet in Ægyptum : ipse prævalebit adversus regem Aquilonis. 9. Et intrabit in regnum rex Austri, et revertetur ad terram suam. 10. Filii autem ejus provocabuntur, et congregabunt multitudinem exercitum plurimorum : et veniet properans, et inundans : et revertetur, et concitabitur, et congregietur cum robore ejus. 11. Et provocatus rex Austri egredietur, et pugnabit adversus regem Aquilonis, et præparabit multitudinem nimiam, et dabitur multitudo in manu ejus. 12. Et capiet multitudinem, et exaltabitur cor ejus, et dejicit multa millia, sed non prævalebit. 13. Convertetur enim rex Aquilonis, et præparabit multitudinem multo majorem quam prius : et in fine temporum annorumque veniet properans cum exercitu magno, et opibus nimiis. 14. Et in temporibus illis multi consurgent adversus regem Austri : filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur ut impleant visionem, et corruent. 15. Et veniet rex Aquilonis, et comportabit aggerem, et capiet urbes munitissimas : et brachia Austri non sustinebunt, et consurgent electi ejus ad resistendum, et non erit fortitudo. 16. Et faciet veniens super eum juxta placitum suum, et non erit qui stet contra faciem ejus : et stabit in terra inclyta, et consumetur in manu ejus. 17. Et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum ejus, et recta faciet cum eo : et filiam feminarum dabit ei, ut evertat illud : et non stabit, nec illius erit. 18. Et convertet faciem suam ad insulas, et capiet multas : et cessare faciet principem opprobrii sui, et oppro-

brium ejus convertetur in eum. 19. Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ, et impinget, et corruet, et non invenietur. 20. Et stabit in loco ejus vilissimus, et indignus decore regio: et in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio. 21. Et stabit in loco ejus despectus, et non tribuetur ei honor regius: et veniet clam, et obtinebit regnum in fraudulentia. 22. Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie ejus, et conterentur: insuper et dux foederis. 23. Et post amicitias, cum eo faciet dolum: et ascendet, et superabit in modico populo. 24. Et abundantes et uberes urbes ingredietur: et faciet quæ non fecerunt patres ejus, et patres patrum ejus: rapinas, et prædam, et divitias eorum dissipabit, et contra firmissimas cogitationes inibit: et hoc usque ad tempus. 25. Et concitatibus fortitudo ejus, et cor ejus adversum regem Austri in exercitu magno: et rex Austri provocabitur ad bellum multis auxiliis; et fortibus nimis: et non stabunt, quia inibunt adversus eum consilia. 26. Et comedentes panem cum eo, conterent illum, exercitusque ejus opprimetur: et cadent interficti plurimi. 27. Duorum quoque regum cor erit ut malefacent, et ad mensam unam mendacium loquentur, et non proficient: quia adhuc finis in aliud tempus. 28. Et revertetur in terram suam cum opibus multis: et cor ejus adversum testamentum sanctum, et faciet, et revertetur in terram suam. 29. Statuto tempore revertetur, et veniet ad Austrum: et non erit priori simile novissimum. 30. Et venient super eum trieres et Romani: et percutietur, et revertetur, et indignabitur contra testamentum sanctuarii, et faciet: reverteturque, et cogitabit adversum eos qui dereliquerunt testamentum sanctuarii. 31. Et brachia ex eo stabunt, et polluent sanctuarium fortitudinis, et auferent juge sacrificium: et dabunt abominationem in desolationem. 32. Et impii in testamentum simulabunt fraudulentem: populus autem sciens Deum suum, obtinebit, et faciet. 33. Et docti in populo, docebunt plurimos: et ruent in gladio, et in flamma, et in captivitate, et in rapina dierum. 34. Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo, et applicabuntur eis plurimi fraudulentem. 35. Et de eruditis ruent, ut conflentur, et elegantur, et dealbentur usque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit. 36. Et faciet juxta voluntatem suam rex, et elevabitur, et magnificabitur adversus omnem deum: et adversus Deum deorum loquetur magnifica, et dirigetur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio. 37. Et Deum patrum suorum non reputabit: et erit in concupiscentiis feminarum, nec quemquam deorum curabit: quia adversum universa consurget. 38. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: et Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro, et argento, et lapide pretioso, rebusque pretiosis. 39. Et faciet ut muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognovit, et multiplicabit gloriam, et dabit eis potestatem in multis, et terram dividet gratuito. 40. Et in tempore præfinito præliabitur adversus eum rex Austri, et quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis, in curribus, et in equitibus, et in classe magna, et ingredietur terras, et conteret et pertransiet. 41. Et introibit in terram gloriosam, et multæ corrueat: hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus, Edom, et Moab, et principium filiorum Ammon. 42. Et mittet manum suam in terras: et terra Ægypti non effugiet. 43. Et dominabitur thesaurorum auri et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti: per Libyam quoque et Æthiopiam transibit. 44. Et fama turbabit eum ab Oriente et ab Aquilone: et veniet in multitudine magna ut conterat et interficiat plurimos. 45. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum et sanctum: et veniet usque ad summitatem ejus, et nemo auxiliabitur ei.

Vers. 1. 1. EGO AUTEM AB ANNO PRIMO DARI STABAM UT CONFORTARETUR. — Non sunt hæc verba Danielis, ut vult S. Hieronymus, sed angeli cum Daniele loquentis: angelus enim orationem cap. præced. cœptam hic continuat, ut patet ex ipsa serie con-

textus, maxime ex fine cap. præced. et ex vers. 2, inter Se-
lencidas hic aliisque seq. (1). Ita Theodoretus et Hebraei, et Ptole-
mæos.

(1) Ea de causa quidam notant distinctionem capitum hoc loco minus concinnam esse, quippe divellentem, quæ

Agitur de bellis

q. d. Ego angelus qui Judæorum sum custos, ab initio procuravi, ut regnum a Chaldæis, et Balsasare ad Medos et Persas, puta ad Darium et Cyrum, transferretur. Sciebam enim eos Judæis fore benevolos magis quam Babylonios reges, quodque ipsi Judæos e Babylone in patriam dimitterent, ideoque ab initio ego Darium adjuvi, ut in regno Babylonis confirmaretur et roboretur.

Vers. 2. **2. ECCE ADHUC TRES REGES STABUNT IN PERSIDE.** —

Imperite Judæi ex hoc loco numerant tantum Reges Persarum 14. quinque reges Persarum : nam, ut docent S. Hieronymus, Eusebius, Josephus, Thucydides, Diodorus, Herodotus et alii, universim fuerunt 14, scilicet :

- I. Cyrus, qui regnavit annos 30.
- II. Cambyses, filius Cyri, regnavit annos 7 et menses 6.
- III. Smerdes magus, tyrannus, regnavit menses 6.
- IV. Darius Hystaspis regnavit annos 36.
- V. Xerxes, Darii filius, regnavit annos 20.
- VI. Artabanus præfector, qui Xerxem occidit, menses 7.
- VII. Artaxerxes, dictus Longimanus, eo quod altera manus ei esset longior, filius Xerxis, regnavit annos 40.
- VIII. Xerxes secundus, tyrannus, regnavit menses 2.
- IX. Sogdianus, tyrannus, regnavit menses 7.
- X. Darius Nothus, scilicet filius Artaxerxis Longimani, regnavit annos 19.
- XI. Artaxerxes, dictus Mnemon a præstantia memoriae, regnavit annos 43.
- XII. Artaxerxes Ochus regnavit annos 23.
- XIII. Arses regnavit annos 4.
- XIV. Darius Codomannus, qui ab Alexandro vicit, regnavit annos 6.

Stetit ergo regnum Persarum per annos 230, licet monarchia eorum tantum steterit annos 203. Nam Cyrus anno 27 regni sui cepit Babylonem et Balsasarem occidit, tumque factus est monarca, tantumque per tres annos regnavit ut monarca, ut ostendi I Esdræ 1, 1.

Dices : Qui sunt ergo hi quatuor, quos solos post Cyrum hic numerat Daniel ? Cyrum enim hic non numerat, quia Cyrus jam regnabat. Nam Cyri anno tertio hanc prophetiam ab angelo accepit Daniel, ut patet cap. x, 1. Respondeo : Sunt primi quatuor qui proxime Cyro successerunt, scilicet Cambyses, Smerdes, Darius et Xerxes. Nam Xerxes est ultimus horum quatuor, qui, ut ait Daniel, fuit opulentissimus, quique bellum movit Græcis. Præterit ergo hic angelus alias novem reges, quia, ut ait S. Hieronymus, spiritui

arctissime connexa sunt. Cum enim angeli sermo, cap. x, 20, 21, cœptus hic continuetur, is admodum incommodo per novi capituli initium abrumpi videtur. Debuisset saltem primus hic versus ad caput superius adhuc referri, utpote qui in sequentis narrationis propheticæ præfationem absolvit.

prophetico non fuit curæ ordinem historiæ prosequi, sed tantum ea attingere, quæ ad ejus scopum pertinent. Scopus autem ejus hic est, describere regnum Græcorum, puta Alexandri, ejusque successorum Seleucidarum et Ptolemæorum. Transit ergo a Xerxe ad Græcos, quia cum ipsi Xerxem tam infami clade ceciderunt, tum cœperunt se erigere, atque Xerxis et Persarum opibus et regno inhiare.

QUARTUS DITABITUR OPIBUS. — Hunc esse Xerxem omnes consentiunt, cuius tantæ fuerunt opes et copiae, ut flumina ab exercitu ejus siccata ferantur, naves quoque decies centum millia numero habuisse dicatur, inquit Justinus, lib. II.

3. SURGET VERO REX FORTIS. — Hic est Alexander Vers. 3.

Macedo, qui in summa fuit gloria, sed brevi : nam post duodecim regni annos Babylone decessit, regnumque ejus divisum fuit in quatuor, « non posteros, » id est filios (etsi duos moriens reliquerit : nam hos regno exclusit, doloque occidit Cassander), sed duces ejus, scilicet Aridaeum fratrem Alexandri, Seleucum, Antigonum et Ptolemæum : atque præter hos partem imperii tenuerunt Perdiccas, Craterus, Lysimachus ; insuper et exteri, ut Arsaces apud Parthos ; atque Macedones, aliquique Græci paulo post alios sibi reges crearunt. Angelus hic agit de Alexandro, tum quia Judæis cum eo fuit negotium, ut patet ex Josepho, XI Antiq. VIII; tum ut ex eo quasi capite descendat ad Seleucidas et Ptolemæos ; de quibus ex professo agere intendit, ut per eos descendat ad Antiochum Epiphanem, et ad Antichristum, ut patebit vers. 5.

4. DIVIDETUR IN QUATUOR VENTOS, — ad quatuor Vers. 4.

mundi plagas, uti ostendi cap. VIII, 8. Comparantur regna ventis, uti et somnio cap. II, 28, quia transeunt et evanescunt ut venti. Secundo, quia inter se pugnant ut venti. Porro tanta fuit gloria Alexandri, ut multi imperatores eam affectarint, esto stolide. Antoninus Caracalla, teste Spartiano in ejus Vita, dicebat Alexandri animum in corpus Augusti Cæsaris, ac deinde in se transmigrasse, ut quoniam illi brevis fuerat vita, in Augusto viveret diutius, ac deinde in se. Quocirca ipse se Alexandrum Orientalem Augustum vocabat. Sic et Julianus Apostata credi voluit Alexandrum in se transmigrasse, ac se non minorem de Persis, quam Alexander, victoriam reportatum, idque credebat ex persuasione Maximi philosophi, uti ex priscis historicis narrat Baronius anno Christi 636; sed fefellit, et falsus est : nam Julianus in Perside vicit et occisus est.

Alexander Severus Imperator, teste Lampridio in ejus Vita, Alexandri nomen accepit, eo quod in templo dicato Alexandro Magno apud Arcenam urbem natus esset, cum casu illuc pater ejus cum uxore patriæ solemnitatis causa venisset : et quod eadem die natus esset, qua Alexander Magnus excessit e vita. Alter ergo Alexander esse voluit.

Vers. 5. **5. ET CONFORTABITUR REX AUSTRI.** — Hic est Ptolemæus, non Philopator, ut vult Theodoretus; sed Lagi, primus post Alexandrum Ægypti rex, ejusque filius Ptolemæus Philadelphus, secundus Ægypti rex. Ita S. Hieronymus. Ptolemæus enim Lagi vir fortissimus, non tantum Ægyptum, sed et Cyprum, Phœnicem, multasque alias insulas et regiones occupavit, quin et Pyrrhum Epirotarum regem expulsum in regnum restituit. Idem fecit Seleuco Antiochi filio, quem Antigonus Asiæ rex ejecerat.

Reges Austri, id est Ægypti et Aquilonis, id est Syriae. Nota: Angelus his omissis duobus aliis Alexandri successoribus, scilicet Aridæo et Antigono, cæterorum duorum tantum gesta hic enarrat, scilicet regum Austri, id est Ptolemæorum qui regnarunt in Ægypto, quæ Judææ est ad austrum; et regum Aquilonis, id est Seleucidarum, id est posteriorum Seleuci, qui dominati sunt Asiæ et Syriæ, quæ ad aquilonem sunt Judææ, per 270 annos, ait Appianus. Id facit angelus: quia Judæa inter Syriam et Ægyptum media interjacet, ideoque bellorum inter Seleucidas et Ptolemæos gestorum fuit particeps; perinde ac isthmus inter duo maria interjacens, utriusque maris fluctibus utrinque tunditur. Ita S. Hieronymus. Hoc ergo hic fixum sit, reges Austri, esse reges Ægypti, reges Aquilonis esse reges Syriæ.

Recenset ergo hic bella, quæ inter hos reges per 140 annos gesta sunt, scilicet a tertio rege Syriæ, qui dictus est Antiochus Theos, usque ad octavum, scilicet Antiochum Epiphanem, et a secundo rege Ægypti, qui fuit Ptolemæus Philadelphus, usque ad sextum, scilicet Ptolemæum Philometorem. Ponam hic hosce reges ordine.

Seleucidæ.

Reges Aquilonis, sive Seleuci-dæ. I. Rex Syriæ, qui anno 12 post mortem Alexandri, victo Antigono, cœpit regnare, fuit Seleucus Nicanor; hic regnavit annos 3. Dictus Nicanor, vel, ut alii, Nicator, a cæso Nicatore, vel pōtius a multis et illustribus victoriis, quas habuit. Ita Appianus, in Syriaco.

II. Antiochus Soter, filius Seleuci Nicanoris, regnavit annos 19.

III. Antiochus Theos, filius Soteris, regnavit annos 15. Hunc describit angelus, vers. 5.

IV. Seleucus Callinicus regnavit annos 20. Hunc describit angelus, vers. 7.

V. Seleucus Ceraunius, id est fulmineus, quod audaci et veloci ingenio prædictus videretur esse quasi fulmen; hic regnavit annos 3. Hunc describit angelus, vers. 10.

VI. Antiochus Magnus regnavit annos 37. Hunc describit angelus, vers. 10.

VII. Seleucus Philopator regnavit annos 12. Hunc describit angelus, vers. 20.

VIII. Antiochus Epiphanes regnavit annos 12. Hunc describit angelus, vers. 21 et sequent. Hic Epiphanes Christi ortum 170 annis antecessit.

Ptolemæi.

I. Post Alexandrum primus rex Ægypti fuit Ptolemæus, Lagi filius, vir prudentissimus et fortissimus; hic regnavit annis 40.

II. Ptolemæus Philadelphus, qui curavit septuaginta interpretes vertere Biblia Hebræa in Græcum idioma; hic regnavit annis 38. Hunc describit angelus, vers. 5.

III. Ptolemæus Evergetes regnavit annis 26. Hunc describit angelus, vers. 7.

IV. Ptolemæus Philopator regnavit annis 17. Hunc describit angelus, vers. 10.

V. Ptolemæus Epiphanes regnavit annis 24. Hunc describit angelus, vers. 13.

VI. Ptolemæus Philometor regnavit annis 35. Hunc describit angelus, vers. 22.

Hinc patet Danielem horum inter se prælia prædixisse, 260 annis ante eorum inchoationem. Prædixit enim ea sub finem regni Cyri, qui 200 annis Alexandrum Magnum præcessit. Prælia autem hæc cœperunt sub Antiocho, cognomento Theos, qui Alexandro 69 annis fuit posterior.

Quæres, cur reges hos clare non exprimit et nominat Daniel? Respondeo, quia prophetiam scribit, non historiam: historia enim clara est; prophetia vero symbolica et obscura. Secundo, id voluit Deus, ne turbaret causarum secundarum, et providentiae suæ suavem dispositionem, quæ res, præsertim humanas, sinit agi suis motibus, easque permittit suæ libertati. Hic enim ordo, et hæc libertas multum impediretur, si homines præscirent ea quæ a se, vel aliis facienda: aut quæ eis eventura sunt. Sicut, si homo sciret in particulari tribulationes omnes sibi per vitam obventuras, earumque ordinem, numerum et gravitatem unico intuitu consiperet, deficeret animo, et desperaret: nunc autem cum sensim singulæ prodeunt, unaque tantum præsens est, cæteræ latent, facile quælibet toleratur et carpitur. Hoc est quod angelus in fine hujus visionis ait Danieli, cap. viii, 4: «Tu autem, Daniel, clade sermones, et signa usque ad tempus statutum.»

ET DE PRINCIPIBUS EJUS PRÆVALEBIT SUPER EUM.

— Theodoretus putat hic significari Scopam, Ptolemæi Philopatoris duem; quasi hic describatur bellum inter Philopatorem et Antiochum Magnum: verum de hoc agit angelus vers. 11. Secundo, Maldonatus intelligit Antiochum Epiphanem: verum de hoc agitur vers. 21. Tertio, S. Hieronymus intelligit Ptolemæum Philadelphum, qui patrem suum Ptolemæum Lagi gloria et opibus superavit: verum quia Angelus eum non filium, sed principem vocat, «ejus» scilicet regis fortis, puta Alexandri Magni, de quo egit vers. 3 et seq.; hinc melius intelligemus Antiochum, qui Theos, id est Deus, cognominatus est a Milesiis, eo quod Limarchum eorum tyrannum expulisset, inquit Appianus. Hic Theos «prævalebit super eum», scilicet regem Austri,

Ptolemaeum Philadelphum superat. id est *Ægypti*, puta contra Ptolemaeum Philadelphum: nam contra eum feliciter et fortiter totis Asiæ et Orientis viribus dimicavit. Causa belli fuit, quod Theos ad illud sollicitatus fuerit a genero suo Magas, qui erat frater Ptolemaei Philadelphi: hic enim Magas duxerat filiam Antiochi, et oderat fratrem suum Philadelphum, atque contra eum Antiochum concitavit, ait Pausanias in *Atticis*. Porro Philadelphus, videns se inferiorem Antiocho, cum eo foedus iniit, eique filiam Berenice. suam Berenicem uxorem dedit, cum maxima dote: sed « non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus, » id est Berenice non diu permanebit in regno Syriæ. Nam Laodice prior Autiochi uxor non ferens Berenicem sibi prælatam, dolø Berenicem cum ejus filio et fautoribus, quin et Antiochum maritum suum veneno intermit, atque pro eo regem creavit filium suum ex Antiocho; Seleucum Callinicum. Ita Justinus, lib. XXVII, S. Hieronymus et alii.

Nota: *Brachium* vocat robur regni Syriæ, quod per hoc connubium a rege *Ægypti* corroborabatur: per connubium enim, quasi brachium ab uno regno in aliud porrectum fuit, quo dexteræ duorum regum ad firmandam amicitiam dabantur; itaque utrumque regnum quasi jungebatur et corroborabatur. Ita Maldonatus.

Vers. 7. Ptolemaeum Evergetes contra Seleucum Callinicum. **7. ET STABIT DE GERMINE PLANTATIO.** — Hæc « plantatio, » id est planta, fuit Ptolemaeus Evergetes successor Ptolemaei Philadelphi, qui fuit ex eodem germine, quia fuit frater ejus; hic enim ultus est injuriam fratri suo Philadelpho illatam, simulque mortem neptis suæ Berenices. Nam ingressus provinciam regis Aquilonis, scilicet regnum Syriæ, in quo regnabat Callinicus, eam occupavit, simulque totam fere Asiam, atque Laodicem Berenices æmulam interfecit. Sed cum audisset in *Ægypto* seditionem moveri, diripiens regnum Callinici, ex eo quadraginta millia talentorum auri abstulit, simulque vasa pretiosa et simulacra deorum ad duo millia et quingenta, inter quæ erant et illa quæ Cambyses, cum caperet *Ægyptum*, inde in Persas asportarat. Hæc, inquam, retulit Evergetes, itaque in regnum suum, et in terram suam, puta in *Ægyptum*, reversus est, ut ait hic angelus: atque hac de causa (ob deos, scilicet patrios, ab eo relatos in *Ægyptum*) *Ægyptii* Ptolemaeum hunc Evergetem, id est benefactorem, nuncuparunt. Ita S. Hieronymus.

ABUTETUR EIS. — Hebraice, *faciet de illis*, supple pro voluntate sua, *q. d.* Ad libitum eos capiet, spoliabit, vexabit, occidet.

Vers. 10. Seleucus Gallini- cus. **10. FILII AUTEM EJUS.** — « Ejus, » scilicet regis non Austri, sed Aquilonis, id est Syriæ, puta Seleuci Callinici, qui cum Ptolemaeo Evergete infeliciter dimicaverat, et tandem amissio regno equo præcipitatus interiit, teste Justinus, lib. XXVII. Hujus enim Callinici filii duo fuerunt, Seleucus Ceraunius et Antiochus Magnus, qui ut cladem et injuriam parenti illatam ulciscerentur, college-

runt exercitum contra Ptolemaeum quartum, qui fuit filius Evergetis, dictusque est Philopator per antiphrasin, quod patrem, matrem, fratrem, uxorem et sororem occidisset. Sed cum Seleucus Ceraunius, senior Callinici filius, dolo a suis interfectus esset, solus Antiochus Magnus rem agressus, totam Syriam, proditione Theodoti, Ptolemaeo Philopatori parricidæ, et libidinibus vacanti ademit. Ita ex Justino et Polybio S. Hieronymus; unde in singulari ait angelus: « Et veniet properans, » scilicet Antiochus, « et inundans, » id est quasi fluvius terram operiens multitudine militum.

Ptolemaeum Philopator quis? Ejus belum cum Seleuco Ceraunio.

11. ET PROVOCATUS REX AUSTRI. — Cum enim Antiochus recuperasset Syriam, et usque ad Raphiam urbem, quæ est in foribus *Ægypti*, pervenisset; excitatus Philopator, collegit maximas copias, præsertim ex Graecia, atque juxta Raphiam cum Antiocho conflixit eodem anno, quo Annibal Romanos apud Trasimenum lacum cecidit, quo in prælio Antiochus succubuit, amisisse exercitum, atque per deserta fugiens pene captus est. Nam, ut narrat lib. III *Machabæorum*, initio, commisso acri prælio, cum fortius pugnaretur ab Antiocho, Arsinoe Ptolemaei Philopatoris soror, copias obambulans cum lacrymis obsecrabat milites, uti sibi opem fortiter et audacter pugnando ferrent, binas auri minas se singulis, si vincerent, daturam promittens; itaque milites, resumptis animis, Antiochi copias ceciderunt, multosque ex iis ceperunt.

Vers. 11. Et cum Antiocho Magno.

12. SED NON PRÆVALEBIT, — Philopator: quia hostem suum Antiochum capere, aut regno exuere non poterit; nam Antiochus fuga elapsus, cum Ptolemaeo Philopatore, pacis et voluptatum amante, foedus iniit, ea conditione, ut tota Syria cederet, eamque Philopatori traderet. Hic enim Philopator, inquit Justinus, Eurydicem sororem pariter et uxorem suam occidit, atque adhæsit Agathocleæ meretrici, noctes in stupris, dies in conviviis consumens. Agathocles ergo frater Agathocleæ, qui et ipse regis erat concubinus, regem et regnum regebat, qui, Philopatore mortuo, cum aerarium regium regnumque invadere vellet, cum Agathoclea sorore, ambo a populo concurrente tenti et suspensi sunt.

Vers. 12.

13. CONVERTETUR ENIM REX AQUILONIS (quia Antiochus Magnus, videns luxuriam et ignaviam Philopatoris, exercitum reparavit; et Philopatore interim mortuo) **IN FINE TEMPORUM ANNORUMQUE,** — id est revoluto aliquot annorum tempore, contra filium ejus Ptolemaeum Epiphanem, quatuor annorum puerum, castra movit, adjutus a Philippo Macedonum rege, ea conditione, ut inter se dividerent regnum *Ægypti*, et hoc est quod subdit angelus: « Multi consurgent adversus regem Austri, » id est *Ægypti*. Ita Justinus, lib. XXX et XXXI. Qui et addit Alexandrinos misisse legatos Roman, ut pupilli pueri, puta Ptolemaei Epiphanis tutelam susciperent, quod et fecerunt Romani,

Vers. 13.

Antiochus Magni bellum contra

Ptolemaum Epiphaniem et Romanos Vers. 14. indeque ortum est bellum inter Romanos et Antiochum, quo victus Antiochus Romanis Asiam cessit, de quo vers. 18.

Templum Heliopoli, cuius pontifex fuit Onias.

14. FILII QUOQUE PRÆVARICATORUM, — q. d. Multi Judæi prævaricatores legis Dei, occasione horum bellorum inter vicinos reges, descissent et deficiunt alii ad Ptolemæum, alii ad Antiochum; ac tandem mortuo Antiocho, contra legem, quæ jubet in solo templo Hierosolymitano Deum coli, extollentur in superbiam, atque ædificabunt templum Heliopoli in Ægypto, quod sua habeat sacrificia et sacerdotes, æque ac Hierosolymitanum, idque ut impleant visionem Isaiae xix, 19, quæ habet: «Erit altare Domini in medio terræ Ægypti;» impleant, inquam, secundum pravam et perversam suam intelligentiam. Nam Isaias ibi non loquitur de templo Judaico, quod unicum esse voluit Deus, idque Hierosolymis tantum; sed de templis christianorum in Ægypto, et passim toto orbe ædificandis. Horum dux fuit Onias, filius Onieæ pontificeis, qui fugiens Antiochum Epiphanem Judæam invadentem, perrexit in Ægyptum ad Ptolemæum Philometorem, templumque hoc Heliopoli ab eo impetravit, quod stetit annos 250 usque ad Vespasianum, qui illud cum urbe, et Judæis funditus evertit. Et hoc est quod ait hic Daniel, dicens: «Et corruent.» Ita S. Hieronymus. Vide Josephum, lib. XIII *Antiq.* cap. vi, et lib. VII *Belli*, cap. xxx. Ubi nota Josephum errare in numero annorum: ponit enim annos 333 a Philometore ad Vespasianum, cum tantum fluixerint 250, teste Eusebio.

Vers. 15. 15. ET VENIET REX AQUILONIS. — Antiochus Magnus, defuncto Ptolemæo Philopatore, contra filium ejus Ptolemæum Epiphanem, maximo exercitu venit in Syriam, volens illam superiori bello amissam, cum Judæa sibi subjicere; et Scopam ducem Ptolemæi juxta fontes Jordanis, ubi postea Paneas, id est Cæsarea Philippi, condita est, inito certamine fugavit, eumque cum decem millibus militum obsedit in Sidone, ob quem liberandum misit Ptolemæus duces electos et inclytos, Eropum, Menoclem et Damoxenum; sed obsidionem solvere non potuit: sic tandem fame superatus Scopas, manus dedit Antiocho, et cum sociis dimissus est. Mox et aliae plurimæ urbes captæ sunt ab Antiocho, et hoc est quod ait hic angelus: «Et faciet» Antiochus «veniens super eum,» id est contra Scopam et Ptolemæum, «juxta placitum suum, quin et stabit in terra inclyta» (hebraice est *תְּבִיעַ tsebi*, de quo dixi cap. viii, 9), id est in Judæa, quæ fertilissima est et Dei cultu ac templo inclyta. Unde Syrus et Arabicus vertunt: *Et stabit (manebit, vel durabit) in terra Israel.*

Vers. 16. 16. CONSUMETUR IN MANU EJUS, — id est vastabitur et affligetur ab Antiocho Judæa, eamque sibi subjecit, et faciet ibi quidquid volet; nimirum Judæis ultro se ipsi dederibus, ipsumque honorifice excipientibus, et omni ope ac studio adju-

vantibus, maxime in arce Hierosolymorum a Ptolemæo insessa expugnanda. Ita ex Josepho et Polybio S. Hieronymus.

17. ET RECTA FACIET CUM EO, — id est Antiochus Vers. 17. simulabit se bona fide amicitiam velle cum Ptolemæo, sed dolose id faciet, ut eum evertat. Unde sequitur:

ET FILIAM FEMINARUM. — Quia Antiochus volens non tantum Syriam, Ciliciam, Lyciam et alia, sed et Ægyptum Ptolemæo Epiphani, puero septenni, adimere, Cleopatram suam filiam feminarum, id est pulcherrimam, ei despondit, et post sex annos tradidit, data ei nomine dotis Cœlesyria et Judæa, quod speraret fore, ut filia incautum adolescentem aut falleret, aut occideret, itaque regnum ejus ad se perveniret. Sed «non stabit,» id est non succedet ei dolus: nam Ptolemæus Epiphanes, ejusque duces advertentes dolum Antiochi, cautius se gesserunt; et Cleopatra magis mariti quam patris sui partes fovit. Ita ex Josepho et Appiano S. Hieronymus.

18. CONVERTET FACIEM SUAM AD INSULAS. — An- Vers. 18. tiochus, dolum suum in Ægypto discussum vi- dens, alio se vertit, cepitque Rhodum, Samum, Colophonem, Phœciam et multas alias insulas; sed occurrit ei L. Scipio cum fratre suo P. Scipione Africano, qui Annibalem vicerat; tandemque victus Antiochus a L. Scipione, qui propterea Asiaticus dictus est, annum tributum mille tal- lentorum Romanis promisit, obsidemque dedit filium juniores Antiochum Epiphanem, qui pos- te Judæam vastavit. Ita Livius lib. XXXVII, Plu- tarthus in *Vita Scipionis*, Appianus in *Syriaco*, lib. XXXI, et ex iis S. Hieronymus. Unde sequitur:

L. Scipio
vincit
Antio-
chum.

ET CESSARE FACIET PRINCIPEM OPPROBRII SUI. — Pro principem, Septuaginta vertunt, ἀρχοντας, id est principes, q. d. Antiochus cessare faciet, id est principatu suo deponet et dejicit principes opprobrii sui, id est principes hostiles, quos ipse vicit, atque probro et ludibrio exposuit, dum eos in triumphum duxit; sed opprobrium ejus in ipsummet conversum recidit, cum ipse pari modo ad Thermopylas a Romanis victus, annum eis tributum mille talentorum pendere coactus, orbi ludibrio fuit. Verum quia hebraice est *קָצֵן katsin*, id est principem, in singulari; et quia Syrus et Arabicus vertunt: *Cessare faciet principem, qui eum opprobrio afficiebat vel conviciabatur;* hinc melius per principem opprobrii accipias Scipionem Africanum: hic enim sua ope et consilio dirigens L. Scipionem, fratrem suum, belli ducem, vicit Antiochum, spernentem prudentissimum Annibal consilium, eumque probrose fugere compulit. Annibal enim prudenter suadebat Antiocho, ut, vicinis relictis, Italiam invaderet, se auxilia Carthagine eomittenda curaturum. Scipio et Romani, ut Annibal consilia disturbancebant, crebro et familiariter agebant cum eo, ut eum Antiocho ficerent suspectum, quasi ambien-

tem amicitiam Scipionis et Romanorum. Unde inter alia, quæsivit Scipio ab Annibale, quem censeret inter belli duces fuisse vel esse primum? Respondit Annibal: Alexandrum Magnum. Intulit Scipio: Quem secundum? Respondit: Pyrrhum, Epiri regem, ob animos et audaciam. Rursum Scipio: Quem tertium? Cui Annibal: Meipsum. Sensit id Scipio, ægre ferens se postpositum, addiditque: Quid ergo si me viciisses? Annibal sentiens Scipionem tactum, ut eum titillaret et celebraret: Anteferrem, inquit, me Alexandro, tacite significans Scipionem extra comparationem esse et majorem Alexandro. Intellexit hæc Antiochus, et Annibalem quasi Scipioni adulantem, suspectum habuit: simul, ne gloria victoriæ Annibali tribueretur, non sibi, ejus sana consilia aspernatus est; ideoque a Romanis cæsus et superatus est. Ita Plutarchus in *Vita Scipionis*, Appianus in *Syriaco*, et Justinus, lib. XXXI, qui et addit Annibalem hanc sui consilii de Italia invadenda rationem Antiocho evidentem dedit: « Cum Romano, inquit, seu occupaveris prior aliqua extera, seu viceris, tum etiam cum victo et jacente luctandum erit. Quamobrem si quis eos in Italia lacessierit, suis eos opibus, suis viribus, suis armis posse vinci, sicut ipse fecerit. Sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit, perinde falli, ac si quis omnes non ab ipsis fontium primordiis derivare, sed concretis jam aquarum molibus avertere, vel exsiccare velit. » Antiochus ergo victus Scipionem placare et conciliare studuit, ut ab ulteriori bello cessaret. Tò enim cessare faciet, idem est quod conabitur et studebit, ut eum cessare faciat: significatur enim actus inchoatus, non perfectus.

ET OPPROBRIUM EJUS CONVERTETUR IN EUM. — Victor enim Antiochus, ut opprobrium suum tegeret opprobrio hostis victoris, filium Scipionis Africani, quem captivum tenebat, ad patrem remisit, pacemque petiit. Sed hoc opprobrium in eum recidit; nam Africanus reipublicæ commoda suis præposuit, dixitque, ait Justinus, lib. XXXI: « Alia esse patris officia, alia patriæ jura; quæ non liberis tantum, verum etiam vitæ ipsi præponantur. » Denique « ut majestate ejus dignum erat, armis se recepturum filium » asseruit. Et Livius lib. XXXVII: Cum, inquit, Antiochi legatus Scipioni ingens auri pondus esset pollicitus, et nomine tantum excepto, societatem omnis regni, si per eum pacem impetrasset, respondit Scipio:

P. Scipio
Africa-
nus leges
pacis dat
Antiocho
Magno.
Pro filio privatam gratiam rependam; publice nec habebo quidquam ab Antiocho, nec dabo. Has ergo Antiocho pacis leges dixit, ut Asia Romanis cederet, ipse vero contentus regno Syriae esset, naves universas, captivos et trans fugas, Annibalem belli incentorem Romanis traderet; sumptumque omnem belli Romanis restitueret, ac tributum penderet. Quæ cum nuntiata essent Antiocho, nondum ita victum se esse respondit, ut spoliari se regno pataretur. Itaque, reparato

iterum bello, iterum vincitur, cæsis ex ejus exercitu quinquaginta millibus, captis undecim milibus: tunc coactus est pacem iis conditionibus, quas ante recusaverat, postulare: nihilque ad eas propter novam victoriam a Romanis est additum, Africano prædicante: « Neque Romanos si vincantur, animis minui; nec si vincant, secundis rebus insolescere, » inquit Justinus lib. XXXI, et Livius lib. XXXVII. Peperit tamen hæc res calumniam Scipioni. Nam ipse Romam rediens, ab æmulis accusatus est, quod largitionibus corruptus publicam utilitatem vendidisset: cumque dictus ei esset dies, comparuit non ut reus, sed quasi festum acturus; ac, accusatione dissimulata et contempta, magna conscientiæ confidentia: « Hoc die, ait, Quirites, ego olim Carthaginenses vici: æquum ergo est ut diis gratias agamus. » Ergo, acclamantibus universis, sacrificaturus, festumque acturus Capitolium magna pompa ascendit, itaque accusatores confudit. Ita Appianus in *Syriaco*, et Plutarchus in *Scipione*, qui et addit Antiochum non tantum filium remisisse Scipioni, sed et Scipioni regnum suum, titulo ejus tantum sibi reservato, obtulisse, si ejus partes tutari vellet; sed Scipionem gratis regi actis, in fide Romana perstitisse: inde tamen æmulos eum accusandi occasionem sumpsisse, diemque ei dixisse, sed Africanum accusationem elusisse, eo modo quo recensui: verum post eum diem urbe excessisse, ut rure vitam ageret procul ambitione et foro; itaque Linternum se contulisse, ibique defunctum esse anno ætatis 54. Ejus epitaphium Cajetæ in marmoreo sepulcro exstat:

Devicto Annibale, capta Carthagine, et aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
(Respicere res hominum) quam brevis urna premit.

Hic nimirum est, cui paulo ante acclamatum: « Neque Roma cadet, Scipione stante; neque Scipio vivet, urbe cadente. »

Tertio, sic apposite ex Hebræo cum Vatablo vertas: *Princeps cessare faciet*, sive *compescet ejus probra, retorquens in eum sine omni suo dedecore*, id est Scipio Africanus coget Antiochum desistere a probro, quo afficiebat populum Romanum invadendo socias insulas, imo in ipsummet ejus probra retorquebit, dum eum bello subiget, pacisque leges ei præscribet: qua ratione omne dedecus absterget, quod ei ex captivitate et remissione filii afflare potuerat Antiochus. In Antiocho ergo verum fuit istud: « Ipsus se lædit, alium qui lædere quærerit. » Et illud elegans Italorum: *Ben venuto, vien per battere, fu battuto.*

Quarto, Lyranus verit: *Et reducit princeps, vel dominus, opprobrium ejus super eum*; ac per principem, vel dominum, intelligit Deum, q. d. Deus cessare faciet blasphemias et probra contra se jactata ab Antiocho, eaque absque suo opprobrio et dedecore, retorquebit in eum. Unde et

Pagninus vertit : *Et cessare faciet princeps probris sufficientem Deum, ne quispiam probrum suum inferat ei.* Verum vox Deum non est in Hebræo, nec legimus hunc Antiochum blasphemasse Deum.

Quinto, Glossa et ex ea Pererius explicant, q. d. Antiochus, convertens se ab Ægypto ad Asiam et insulas, quiescere fecit principem, id est Ptolemæum Epiphanem, a quo probro est affectus, ademptis sibi per Scopam ducem ejus multis urbibus, maxime vero a patre ejus, Ptolemæo Philopatore, a quo juxta Raphiam victus est cum dedecore. Sed « opprobrium ejus convertetur in eum, » q. d. Probra et damna quibus gentes a se vietas afficiebat, vertentur in eum : similibus enim malis ipse victus a Romanis afficietur. Verum hæc probra Ptolemæorum jam deleverat Antiochus Scopam capiendo, ut dixi vers. 15, et filiam suam dando conjugem Epiphani, ut dixit vers. 17. Adde hæc non fuisse probra ejus, id est quæ ipse gentibus victimis imposuit.

Vers. 19. 19. CONVERTET FACIEM SUAM AD IMPERIUM TERRÆ SUE. — Antiochus victus a Romanis, ab iis intra Taurum montem regnare jussus est, et inde fugit Apamiam, Susam aliasque ultimas regni sui urbes ; cumque adversus Elymæos pugnaret, ab eis cum omni suo deletus est exercitu. Ita S. Hieronymus. Licet alii aliter eum mortuum narrent, scilicet oppressum fuisse ab accolis, cum Beli, ut Strabo, vel Jovis Dodonæi, ut Justinus, templum spoliare vellet. Porro Antiochus, inquit Plutarchus in *Scipione*, regno spoliatus Asiæ a Romanis : « Benigne sibi a populo Romano factum dixit, quod magna cura liberatus, modicis regni terminis uteretur. Ampla enim imperia et nimiae quæ expetuntur opes, tot tamque varias, et undique circumfusas molestias habent, ut vere dixerit Theocritus :

Non mihi sint nec opes Pelopis, nec multa talenta :
At vacuo curis liceat cantare sub antro,
Et procul e specula mare prospectare profundum. »

Vers. 20. 20. ET STABIT IN LOCO EJUS VILISSIMUS. — Non Antiochus Epiphanes, ut vult Theodoretus, de eo enim agitur vers. seq.; non etiam Ptolemaeus Epiphanes, ut vult Porphyrius apud S. Hieronymum: hic enim non successit Antiocho Magno. Non etiam Tryphon, qui fuit tutor Antiochi, filii Alexandri Velis, eoque occiso invasit regnum, ut volunt Hebrei; Tryphon enim diu post, scilicet post Seleucum, Epiphanem, Eupatorem, Demetrium, Alexandrum, et filium ejus Antiochum, sexto ordine occupavit regnum : sed Seleucus Philopator, senior Antiochi Magni filius, qui patri in regno successit, regnavitque per 12 annos, sed absque ullis præliis inglorius, inquit S. Hieronymus, avarus et sacrilegus; unde hebraice est : *Stabit in loco ejus transire faciens exactorem decoris regni*, id est, qui toto regno exactores discursare faciet, ut ejus opes decoremque deprædentur. Hic enim Seleucus, ut alia taceam, licet initio

sumptus suppeditaret sacrificiis templi Judæorum, ut dicitur II Machab. cap. iii, 2; tamen postea misit Heliodorum in Jerusalem, ut aera-rium templi expilaret. Verum Heliodorus, ab an-gelo flagellatus, vix Oniæ precibus servatus est, uti narratur II Machab. iii, 33. Quare justo Dei judicio Seleucus jam sacrilegus, ideoque « indi-gnus decore regio, in paucis diebus, » ab eodem Heliodoro occisus est; cumque, eo mortuo, Heliodorus regnum invadere conaretur, Eumenes et Attalus reges eum pepulerunt, atque Antiochum Epiphanem juniores Antiochi Magni filium fratri defuncto in regnum substituerunt. Ita Ap-pianus in *Syriaco*.

Per He-
liodorum
expilat
tem-
plum.
Ab He-
liodoro
occidi-
tur.

21. ET STABIT IN LOCO EJUS DESPECTUS. — Hic est Vers. 21. Antiochus Epiphanes, filius junior Antiochi Magni, et Seleuci Philopatoris frater : qui cum sine spe regni obses Romæ teneretur, inde furtim, vel, ut alii volunt, conscio senatu, elapsus, regnum Syriæ invasit, excluso legitimo hærede Demetrio, qui erat ei ex fratre nepos. Erat enim Demetrius filius Seleuci Philopatoris : atque hinc inter posteros hujus Demetrii et Antiochi perpe-tua fuerunt bella pro regno, per 200 annos, alio alium vicissim obtruncante, et pro eo regnante. De hoc Antiocho maximo Judæorum persecutore, deinceps usque ad finem capitulis agit angelus, ac sub ejus nomine partim allegorice, partim sym-bolice agit de Antichristo. Hic enim Antiochus fuit typus et præcursor Antichristi. Sicut enim Antiochus persecutus est Ecclesiam Judaicam, sic Antichristus persecutur Christianam. Unde an-gelus hic sub finem capitulis multa dicit, quæ magis competunt Antichristo, quam Antiocho : vide Canon. IV. Hinc etiam veteres, teste S. Hieronymo, hæc omnia interpretati sunt de Antichristo, non de Antiocho.

Antio-
chus E-
piphane
fuit ty-
pus An-
tichristi.

ET NON TRIBUETUR EI HONOR REGIUS. — Quia Antiochus Epiphanes initio non fuit acceptus ut rex; quippe ab iis, qui in Syria favebant Ptolemaeo, non ei dabatur honor regius. Porro Antiochus hic a rerum magnarum molitione potius quam effectione, dictus est Epiphanes, id est Illustris. Fuit enim ingenio inquieto, versatili, turbido, vago et vario : unde multa machinatus est, pauca ad felicem exitum perduxit. Ut indolem hujus Antiochi, de quo multa hic Daniel, et plura libri Machab. magis perspicias, audi quæ de eo scribit Leonicus, lib. III *Variae Histor.* cap. xcii : « Profu-sissimum regum omnium, et genio voluptatibus-que incontinenter et immodice deditum fuisse Antiochum cognomento Epiphanem, Polybius in historiis suis refert; quem cognomine paululum immutato, aliquando Epimanem pro Epiphanem, id est furibundum et mente captum appellat. Hunc namque scribit immensos pecuniarum the-sauros in comensationibus et symposiis prode-gisse, et brevi profudisse, solitumque esse ludibrium interdum et ebrium grandiusculos num-morum sacculos in viis publicis abjicere, et sub-

inde dictitare : Isthæc accipiant ii, quos sors fortunave huic commodo jampridem destinavit. Nonnunquam etiam rosis coronatum, aureaque induitum chlamyde vagari solitum dicit, lapides sinu gestantem, quibus obvios quosque impetraret. Publicis quin etiam (ut ait) balneis iste cum populo promiscue lavari consueverat, pretiosissimisque unguentis inungi. Unde cum quidam aliquando illi e populo dixisset : Beatus es, o rex, qui adeo bene oles ! Ast ego, inquit, hac tibi in re continuo satisfaciam, et perquam saturum reddam : quo dicto, bicongium vas pretiosissimi plenum unguenti, super illius effundi caput iussit, ex quo vehemens adeo odoris fragrantia est exorta, ut plerosque a foro ipso et longinquis etiam urbis partibus excitos ad eum statim locum contraxerit, ut impellentium sese studio hinc inde et crassi lubricitate unguenti, et plurimi balneatorum humi caderent, et rex ipse profusissimo pene enectus cachinno pronus corruerit, et, ut in turba solet, non belle etiam acceptus et conflictatus fuerit. Hunc aliquando ferunt in certaminibus quæ Antiochiae celebravit, omnes qui aderant Græcos invitasse, pretiosissimisque unguentis ex aureis guttis perunctos omnes, amaracino videlicet, et telino, et cinnamomino, crocinoque insuper et nardino celeberrimo, mille et quingentorum tricliniorum convivio suscepisse, in quo ipse invicem discubuisse, et discumbentibus ministrasse dicitur, cum mimis, quin etiam et histriionibus licenter adeo et impudenter saltasse, ut omnes convivas præ pudore oculos a se avertere cogeret. Is est Antiochus qui Romæ aliquando pro obside fuerat, et inde ad regni evecus apicem, ad has insanæ notas regali licentia sine respectu turpiter declinavit. » Hucusque Leonicus. Porro de Antiochi hujus superbia, avaritia, crudelitate, impietate et sacrilegiis, vide I Machab. I, 11 et seq., ac lib. II, cap. v, 11 et seq., cap. vi, cap. vii, cap. ix.

ET VENIET CLAM, — clanculum fugiens Roma venit in Syriam.

ET OBTINEBIT REGNUM IN FRAUDENTIA. — Hebraice בְּחַלָּקָה־בְּחַלָּקָה *bachalacclacot*, id est blandimentis, puta simulatione benevolentie et clementiæ : simulans enim se velle agere tutorem pupilli nepotis sui Demetrii, eum regno exclusit, regnumque occupavit adjuvantibus eum Attalo et Eumene Asiæ regibus, ut dixi. Talis erit et Antichristus, scilicet maximus hypocrita. Audi Hippolytum, tract. De Consummat. sæculi : « Antichristus, inquit, in primordiis suis clemens erit, quietus, religiosus, odio habens injustitiam, detestans munera, idolatriam non admittens, amans Scripturas, observans sacerdotes, honorens senes, scortationes et adulteria repudiens, non dans aures obtrectatoribus, hospitalis, studiosus pauperum, pupillos et viduas defendens, dissidentes inter se pacificans, nullum divitiarum studium præ se ferens : atque haec omnia faciet

consilio simulato ac fraudulentio, quo circumveniet omnes, ut se regem creent. »

22. ET BRACHIA PUGNANTIS EXPUGNABUNTUR A FASCIE EJUS. — « Brachia » vocat vires et copias eorum, qui contra Antiochum pro Demetrio regni hærede pugnaverunt; sed ab Antiocho oppressi sunt. Unde hebraice est : *Et brachia inundationis inundabuntur*, id est auxilia Demetrii, quæ tanquam rivuli undique confluent, ab Antiocho, tanquam majore quodam flumine, obruentur. Ita Maldonatus.

INSUPER ET DUX FOEDERIS. — « Dux fœderis, » inquit Theodoretus, fuit Onias pontifex, qui veteris Testamenti dux erat : hic enim ab Antiocho pontificatu privatus est, procurante id Jasone fratre Oniæ, qui pontificatum ambiebat, ut patet II Machab. IV, 9. Secundo, S. Hieronymus : « Dux fœderis, » inquit, fuit Judas Machabæus, qui fuit dux populi Judaici, Deo per fœdus astricti, quem Antiochus fraudibus superavit. Tertio et optime, Ptolemæus Philometor vocatur hic « dux fœderis, » tum quia cum Antiocho Epiphane avunculo suo fœdus init, tum quia filius fuit Cleopatræ sororis Antiochi Epiphanis, quam Antiochus Magnus Antiochi Epiphanis pater, Ptolemæo Epiphami, Philometoris patri, jungendi fœderis causa desponderat. Itaque Ptolemæus Philometor ex eo fœdere natus, velut vinculum et dux fœderis erat. Ita S. Hieronymus. Hic ergo Philometor ab Antiocho Epiphane contritus est, quia duces Philometoris ab Antiocho Epiphane inter Pelusium et montem Casium prælio victi sunt.

Ptolemaeus
Philometor superratur ab
Antiocho
Epipha-

23. ET POST AMICITIAS, CUM EO FACIET DOLUM. — Vers. 23. Quia Antiochus post victoriam parcens Philometori puer, et amicitiam simulans, ascendit Memphis, et ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se providere dicens, cum modico populo omnes uberes et mercatorias Ægypti urbes (quod nemo patrum suorum fecerat) otio, pace et opibus abundantes, ut habent Hebreæ, ideoque securas subegit, earumque divitias occupavit et dissipavit; atque tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum, qui duces erant regis pueri, sua fraude subverteret. Deinde, ut ait angelus : « Contra » munitas et « firmissimas, » scilicet urbes Ægypti, « cogitationes inibit, et hoc usque ad tempus, » id est observato idoneo eas capiendi tempore : aut potius, ut Maldonatus, q. d. Cogitationes et consilia sua animo premet, quoad opportunum tempus advenerit : tunc enim, aperto marte, regnum Ægypti invadet, et hoc est quod sequitur :

25. ET CONCITABITUR FORTITUDO EJUS (scilicet Antiochi Epiphanis) ADVERSUM REGEM AUSTRI, — contra Ptolemæum Philometorem, regem Ægypti, ut jam non fraudibus, sed aperto bello eum invadat. Bellum hoc describitur lib. I Machabæorum, cap. I, vers. 19.

Vers. 25.

ET NON STABUNT, — scilicet copiæ et auxilia regis Austri, puta Philometoris : quia Antiochus suis

fraudulentis consiliis omnia subvertit, et *Ægyptios* quosdam regis Philometoris aulicos, qui comedebant cum ipso panem, magnis promissis ad defectionem et regis sui perniciem induxit, ut sequitur :

Vers. 27. 27. DUORUM QUOQUE REGUM COR ERIT, — q. d. Antiochus et Philometor, vel potius Philometoris pueri principes, sancient fœdus, sed utrumque fictum : uterque enim cogitabit de alterius exitio; sed neuter poterit alterum penitus delere, quia « adhuc finis in aliud tempus, » id est, quia nondum venit tempus fini utriusque regis et regni a Deo præstitutum. Hæc omnia de Antichristo ad litteram accipit S. Hieronymus. Verum ex antecedentibus et sequentibus patet hæc omnia primario dici de Antiocho.

Vers. 28. 28. ET REVERTETUR IN TERRAM SUAM CUM OPIBUS, — cum prætextu tutelæ pueri regis *Ægyptum* expiaverit, ut dictum est vers. 21 et 24.

ET COR EJUS ADVERSUM TESTAMENTUM SANCTUM, — cogitabit Antiochus vastare quoque Judæam, Jerusalem et templum, ubi divina lex, quæ « sanctum Dei Testamentum » dicitur, servabatur.

ET FACIET, ET REVERTETUR, — q. d. Compositus voti, scilicet expilata Judæa, Jerusalem et templo, « revertetur » in Syriam.

Vers. 29. 29. STATUTO TEMPORE REVERTETUR. — Significat angelus quod historici et S. Hieronymus docent, Antiochum Epiphaneum bis intravisse in *Ægyptum*: cum enim prima vice doli non omnino ei ex voto cessissent, secundo reversus maximis copiis Alexandriæ Philometorem regem obsedit. Hoc est enim quod sequitur : « Et veniet ad Austrum, » id est in *Ægyptum*; sed « novissimum, » id est secunda hæc ejus expeditio, « non erit simile priori. » Nam

Vers. 30. 30. VENIENT SUPER EUM TRIERES ET ROMANI, — q. d. Venient contra eum legati Romanorum vecti tridemibus. Publius enim Popilius Lenas legatus Romanus, qui Romæ Antiocho Epiphani familiaris fuerat, navibus appulsus Alexandriam, Antiochum virga circumscribens circulo in arena, illi dixit : « Senatus populusque Romanus præcipiunt ut *Ægypto* recedas, nec pugnes in Ptolemaeos; et isto in loco respondeas quid consilii jussitque eum *Ægypto* excedere. Perterritus, ait : « Si hoc placet Romanis, reddendum est. » Itaque statim movit exercitum. Ita Josephus, lib. XII *Antiq.* cap. VII, Livius, lib. V, dec. 5, Appianus in *Syriaco*, Justinus et alii. Vide hic in Antiocho quam verum sit istud : « Omne sub regno graviore regnum est. »

Nota : Pro *Romani* Hebraice est כִּתִּים kittim; Septuaginta vertunt, *Citii*. Citium urbs est in *Cipro*; et Vatablus vertit, *naves Cypri*. Unde Theodoreetus putat hic significari, quod Antiocho pugnanti contra Ptolemaeum Philometorem auxilia missa sint ex *Cipro* et *Græcia*. Verum hoc non consonat historicis, et repugnat nostro Interpreti. *Kittim ergo Cyprum significat*, indeque quasvis

insulas, et transmarinas gentes, quales erant Romanii et Itali : sic etiam accipitur *Num. xxiv*, 24, et *Ezech. xxvii*, 6. Hinc et *Syrus ac Arabicus* vertunt : *Venient super eum turmæ e Macedonia, vel de insulis Italie.*

PERCUTIETUR — Antiochus, non ferro, sed metu Romanorum. Unde hebraice est נִכָּה nicha, id est infirmabitur, et, ut Vatablus vertit, consternabitur, dolore et ira afficietur, quam mox evomet in *Judæos*. Unde sequitur :

ET INDIGNABITUR CONTRA TESTAMENTUM SANCTUARI, — q. d. Iram quam non potuerat in *Ægyptios* effundere, effundet Antiochus in *Judæos*, templumque eorum, quod hic vocatur « *Testamentum sanctuarii*, » id est *sanctuarium Testamenti*, seu *sanctum templum*, in quo servabatur *Testamentum*, id est *lex et tabulae legis*. Est hypallage.

Moraliter disce hic in *Antiochis et Ptolemæis*, quam regna sint varia et mutabilia. Ita *Fortuna principum* est aurea, sed vitrea. Hinc *Fortuna aurea* olim servabatur in *Imperatorum cubiculis*, quasi regni fatum. Hanc *Severus Imperator* moriens in duos filios ita dividi jussit, ut alternis esset apud utrumque. Ita *Spartianus in Severo*. Ita *Antoninus Pius moriens*, ait *Capitolinus*, « *M. Antonino rempublicam et filiam præsentibus præfectis commendavit, Fortunamque auream quæ in principum cubiculo ponit solebat, transferri ad eum jussit.* » Merito *Tacitus*, lib. XIII : « *Nihil, ait, rerum mortalium tam instabile et fluxum est, quam potentia non sua vi nixa.* » Nam « fortunam citius reperias quam retineas. » Quocirca *Romani coluerunt Fortunam Viscatam*, ut visco glutinove eam illigarent, sibique firmam et constantem efficerent. Sed frustra vagam alliges. Nam, ut ait *Philo*, lib. *Quod Deus sit immutabilis* : « *Umbra, aut aura est, antequam subsistat prætercurrentis. Accedit et recedit, Euripis et aestibus maris similis.* » *Fortunæ obsequentis pullus fuit Servius Tullius, ex servo factus rex Romanorum, qui prædicabat sibi familiarem esse deam Fortunam, eamque per fenestram in cubiculum ad se delabi, ideoque in *Capitolio Fortunam Primigeniam et obsequenter dedicavit*, ait *Plutarchus in Fortuna Rom.*; sed « *Fortuna nimium quem fovet stultum facit,* » ait *Epictetus*.*

ET COGITABIT ADVERSUM EOS, QUI DEREQUIERUNT TESTAMENTUM SANCTUARI. — Nota : *Judæi nonnulli proditores Antiochum contra cives, et patriam ac legem suam accersiverunt; sed illos postea fœdifragos, fœdifrage pariter in exsilium egit vel sustulit Antiochus : tales fuerunt Simon, Jason, Menelaus, de quibus II Machab. IV et sequent.*

31. ET BRACHIA EX EO STABUNT. — « *Brachia* » Vers. 31. hæc sunt duces et principes, quos Antiochus post biennium ingressus sui in *Jerusalem*, misit in *Judæam*, ut tributa exigerent, qui magis afflixerunt *Judæos* quam *Antiochus affixerat*, I Machab. I, 30 et 53; hi profanarunt « *sanctuarium fortitudi-*

nis, » id est templum Dei omnipotens et fortissimi. Vide cap. VIII, vers. 10 et 11. Secundo, « fortitudinis, » quia templum munitissimum erat instar arcis; et quia contra hostes invisibles orantibus in eo, Deumque invocantibus, firmissimum erat asylum, pariter et praesidium.

ET DABUNT (id est ponent) **ABOMINATIONEM** (id est simulacrum Jovis Olympii) **IN DESOLATIONEM**, — id est in templo desolato et profanato, ad omnimodam ejus desolationem. Vide II Machab. VI, 1 et 2. Hebraice est : *Dabunt abominationem desolationis*, id est ponent in templo idolum Jovis, quod desolati suisque sacris destituti templi erit signum pariter et causa. Vatablus vertit : *Dabunt abominationem vastatoris*, id est Antiochi, vel stupescientem, hoc est, quæ reddet homines stupentes et attonitos.

Nota : Hebræi idolum vocant *abominationem*, id est rem summe abominabilem.

Vers. 32. **32. ET IMPII IN TESTAMENTUM SIMULABUNT FRAUDULENTER,** — q. d. Nonnulli ex perfidis Judæis simulant se divini cultus et Testamenti, id est legis, amore flagrare, populum, patriam et religionem Antiocho prodent, uti paulo ante dixi. Vide I Machab. I, 12.

POPULUS SCIENS DEUM, SUUM OBTINEBIT, ET FACIET. — Hebraice est : *Populus sciens Deum roborabit*, scilicet cor suum; *et faciet*, id est viriliter ager, atque constanter ad ultimum vitæ halitum avitam religionem retinebit, vincetque tyrannum, non pugnando, sed moriendo : ita enim Antiochus se a septem illis fratribus, cum jam morerentur, irrisum esse indoluit, II Machab. VII, 24 et 39.

Vers. 33. **33. ET DOCTI IN POPULO.** — Quos vers. præced. vocavit populum scientem Deum suum, nunc doctos appellat; qui enim Deum bene novit, sancteque colit, is doctissimus est : callet enim scientiam Sanctorum, q. d. Pii Judæi, quales præceteris fuerunt Mathathias, Eleazarus, aliique, præsertim sacerdotes et scribæ; hi resistant Antiocho, suosque docebunt tum verbo, tum potius exemplo, fortiter stare in lege patria, ideoque extrema quæque ab eo patientur, adeo ut solo triduo occisa sint ab Antiocho Judæorum 80 millia, 40 millia vincta, totidem venumdata, ut dicitur II Machab. V, 14; unde sequitur :

ET RUENT IN GLADIO, ET IN FLAMMA, ET IN CAPITIVITATE, ET IN RAPINA DIERUM. — *Rapinam dierum* vocat deprædationem bonorum, quam per aliquot dies, id est annos, ab Antiocho passi sunt Judæi. Audi Josephum, XII Antiq.: Quotidie, ait, necabantur crudelissimis torti cruciatibus. Nam flagris vehementer cæsi, et corpore lacerati, vivi etiamnum spirantesque suffigebantur crucibus; uxores item, et circumcisos liberos strangulabant et suspendebant a crucifixorum parentum cervicibus.

Vers. 34. **34. CUMQUE CORRUERINT** (Judæi), **SUBLEVABUNTUR AUXILIO PARVULO,** — parvula manu, parvis copiis Judæ Machabæi, et fratrum ejus, qui maximos

Antiochi exercitus, Dei ope, st̄epe prostraverunt, cui tamen multi fraudulenter se junxerunt; hoc est enim quod sequitur : « Et applicabuntur eis (Judæis) plurimi fraudulenter; » multi enim Judæi Machabæi liberatoribus suis invidentes gloriam, eis insidias tetenderunt. Hinc patet perpetram aliquos Hebræorum apud S. Hieronymum hæc referre ad Julianum Apostatam, qui Judæos ficte adjuvit, ut per eos deprimeret Christianos. Sed auxilium hoc fuit parvulum et parvi temporis : nam ex contextu totius orationis liquet hæc pertinere ad Antiochum et Machabæos, non ad Julianum.

35. **ET DE ERUDITIS** (scientibus Deum, ut dixi Vers. 33 vers. 32) **RUENT.** — In Hebræo pulchra est paronomasia inter מַשְׁכִּילִים maskilim, id est doctos, et יְחִילָה ichsela, id est corrident: doctorum enim est cadere, non animo, sed corpore; non peccando, sed fortiter pro lege Dei moriendo. Quare minus recte vertit Arabicus : *Et de sapientibus subvertentur, cum perquisierint eos.*

ET CONFLENTUR (id est tanquam aurum in igne coquantur, ut probentur et purgentur: hoc enim est Hebræum צָרָף tsaraph), **ET ELIGANTUR.** — Hebræum לְבָרֶר lebarer, apte vertas, et purgentur; sequitur enim, et dealbentur. Noster vertit, eligantur: quia quæ purgata sunt, ab impuris seligi et eligi solent; uti aurum in fornace eligitur a scoria. Unde Hebræum barer, et purgare, et purgatum seligere, significat. Sicut ergo aurum in fornace vi ignis primo, conflatur et coquitur; secundo, purgatur et seligitur; tertio, nitescit et splendescit: sic justus in tribulatione per eam primo, agitatur et coquitur; secundo, probatur, purgatur et seligitur; tertio, albescit et splendescit. Itaque.

ET ELIGANTUR, — scilicet ad martyrium, et insignem gratiam ac gloriam, q. d. Deus permittet tantam Antiochi persecutionem et stragem, ut electi ejus in divinis rebus eruditæ, in ea quasi fornace bulliant, purgentur, enitescant et glorifcentur: « Quod enim est ignis auro, lima ferro, Tribulatio est anima dealbatio, purgatio et electio. ventilabrum tritico, lixivium panno, sal carni; hoc viris justis est tribulatio. » Videtur cauterium esse vulnus, sed est remedium vulneris: ita vexatio malum esse videtur, sed revera malorum est remedium. Hoc est quod ait Malach. cap. III, 3: « Deus, inquit, quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum, et erunt Dominus offerentes sacrificia in justitia. » Tradunt alchymistæ mira de suo lapide philosophico, scilicet ejus ac ignis virtute argentum vivum et metalla in aurum converti. Malim id credere speculative, quam practice experiri. Scio enim alchymiam multos divites olim ad pauperiem redigesse. Verum mystice id verissimum est: lapis enim philosophicus est patientia, quæ tribulaciones omnes convertit in aurum, id est in consola-

Morbi ter, de constantia fidei in persecutio-

tiones, opes, et gloriam præsentem et æternam. Rursum tribulatio in justo consumit omnes affectiones carnales, et quidquid in eo terrenum est et fæculentum, ut fiat purus, subtilis, spiritalis, cœlestis et divinus : « Ad hoc excoquuntur homines tribulationibus, ut vasa electionis evanescantur nequitia, et impleantur gratia, » ait S. Augustinus in *Sentent. num. 204*. Ita « pauperem Lazarum provexit ad philosophiam paupertas, ad virtutem dolor, contemptus ad patientiam, » inquit Chrysologus, *serm. 124*. « Tria, inquit Ausonius, commendatione non indigent, ut probentur vel improbentur : sapiens oratio cum profertur, bonum vinum cum bibitur, vir bonus in calamitatibus. » Pulchre S. Augustinus in *Psalm. LII* : « Quo pungeris, inquit, inde nascitur rosa, qua coroneris. » Sicut ergo e spinis rosa, sic e tribulationibus oritur consolatio. Quocirca idem Augustinus in *Sententiis*, num. 23 : « Justo, ait, Dei judicio datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persecutur, ut qui spiritu Dei aguntur, flant per laborum exercitia clariores. » De tribulationum utilitate multa dixi *Genes. xxxiii*, in fine.

Allegorice, hæc Antiochi persecutio, et Machabæorum patientia et constantia, typus fuit persecutionum decem Imperatorum, Persarum, Gothorum, et hæreticorum ; ac christianorum in eis constantie et triumphorum.

Exempla Persecutionis prima Neronis. Prima fuit Neronis circa annum Domini 68, quo Roma incensa est et exusta : ejus occasionem Nero Imperator in peregrinos, christianos et judæos rejecit, et repente quæstione habita ejus jussu crudeliter in eos sævitum est. Addebatur pereuntibus ludibria, ut ferarum tergis tecti canum laniatu interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis iis uterentur. Persecutio hæc prima in christianos fuit Romæ: deinde per omnes provincias pari sævitia grassata est. Ita Baronius, tom. I, ann. 68, ex Severo, lib. II *Histor.*

Domitiani. Domitianus Imperator in sceleratam Neroniani in Deum odii et impietatis hæreditatem successit. Secundus namque fuit, qui contra christianos persecutionis incendium excitavit. Ipse enim Joannem Evangelistam de Epheso adduci jussit in Urbem, et in dolium ferventis olei mitti præcepit ante Portam Latinam: ex quo cum illæsus exiret, eum in Pathmon insulam relegavit. Ita Eusebius Cæsar., lib. III *Eccles. Hist. cap. XIII*, Joannes Nauclerus, vol. II *Chron. gener. III*, Baronius, anno Christi 93, tom. I.

Dioctetiani. Anno Christi 300, Diocletianus in Oriente, Maximianus vero Herculeus in Occidente, persecutionem decimam post Neronem exercuerunt in christianos, quæ cæteris omnibus severior per decem annos et amplius Ecclesiam afflixit incessanter : et quamvis antea semper christianos persecutur, tamen 19 anno imperii Diocletiani tam crudelis, tam sæva persecutio flagravit, ut intra

unum mensem 17 millia martyrum inveniantur perpessa. Exiit enim edictum, ut cunctæ quæ erant in orbe ecclesiæ ad solum diruerentur, et sacrae Scripturæ ubique igni comburerentur, omnesque qui ecclesiis præsenterentur, in vinculis ponebantur, ac deinde exquisitis suppliciis immolare diis cogerentur. Rapiebant itaque, ut ait Eusebius, omnes ecclesiarum principes et sanctos clericos, nobiles et ignobiles, viros ac mulieres una cum pueris: et variis, inauditis ac crudelioribus, ut excogitare poterant, suppliciis excruciantur: ex quibus nonnulli fatigati cedebant, alii usque ad finem patientiam servabant. Ita Joannes Nauclerus, volum. II *Chronograph. gener. XI*, ex Eusebio. Ex hisce tribus persecutionibus disce quales fuerint cæteræ septem.

Anno Christi Domini 420, Isdegerdes, Persarum rex, persecutionem contra Ecclesiam concitavit, occasione ex re gesta, quam sum narratus, arrepta. Audas Episcopus, vir multis virtutis generibus ornatus, zelo non opportuno ille quidem accensus, Pyreum demolitus est. Templum enim, in quibus πύρ, id est ignis eorum deus colitur, Pyrea vocant Persæ. De quo rex per magos certior factus, Audam accersit: ac primum placide eum coarguit, ac Pyreum denuo ædificare jubet. Qui cum ei contradiceret, negaretque se illud facturum; rex omnes ecclesias christianorum se diruturum minatur, atque reipsa perfecit. Nam ut primum Audam divinum illum virum trucidari mandaverat, ecclesias deturbari jussit. Quæ procella triginta annos continuos, a magis velut a quibusdam turbinibus agitata, duravit.

Porro Gororanes filius Isdegerdis, ut regni parterni, sic belli contra pietatem a patre commoti successor exstitit, quippe pater moriens hæc duo conjuncta filio reliquit. Tormentorum autem genera, et nova cruciamenta piis hominibus ab illis inficta, vix enarrari possunt. Nam quorundam manibus, aliorum autem tergis eorum detrahunt: aliorum capita a fronte exorsi ad barbam usque cute exuunt: deinde robustis vinculis a capite usque ad pedes circumligant, et singulos calamis vi arce strigunt, ut partem cutis, ad quam motæ erant arundines, eo pacto graviter lacerantes, acrioris doloris morsus efficerent. Quin etiam lacus effodiunt, eos summa cum diligentia jungunt, deinde ingentem soricium numerum in eos concludunt: postremo pietatis athletas, eorum manibus pedibusque constrictis, ne bestias abigant, soricibus velut alimentum obiciunt; sorices autem fame oppressi sensim carnes Sanctorum absumunt, sicque diuturnum et acerbum cruciatum illis afferunt. Sed tamen ne eo quidem modo athletarum fortitudinem et constantiam retundere potuerunt. Nam sua sponte accurrebant magno desiderio mortis oppeten-dæ, per quam aditus ad vitam immortalem patet, inflammati. Ita Theodoreetus, lib. V *Eccles. Hist. cap. XXXIX*.

Ariano- **B. Fulgentius Episcopus Ruspensis**, cuius opera
rum. doctissima exstant, cum prius Mauros fugisset
persequentes, incidit in Arianos, quorum crude-
litatem immanem expertus, ad vicina provinciae
suæ loca regreditur, eligens Mauros potius pag-
anos habere vicinos, quam molestissimos Arianos.
Ita habet auctor Vitæ ejus.

**Constan-
tini Co-
ronymi.** Circa annum Domini 770, sub Constantino Co-
pronymo iconomacho, monachi quadraginta duo
truncatis naribus, barbique illitis pice combus-
tis, in balnei fornice clausi, ibique fame con-
sumpti martyrio coronati sunt, ut habet Chronicum
Sigeberti, anno Domini 770, et Martyrolo-
gium Romanum 12 januarii.

**Macedo-
nii.** Macedonius hæresiarcha sub Constantio Imper-
atore Catholicos inaudito tormentorum genere
cruciatos occidit. Inter cætera, fideliū mulierum
ubera inter labra arcarum compressa dissecuit,
et candenti ferro combussit. Ita Martyrologium
Romanum 30 martii.

**Euty-
chiani.** Eutychistæ Alexandrini statim post mortem
Marciani Imperatoris catholici, Proterium Episco-
pum et Patriarcham suum Catholicum cum aliis
clericis tanta crudelitate occiderunt, ut viscera
eius gustarent, et crudas carnes comedenter, re-
liquum corpus per plateas urbis trahentes. Ita
Evagrius, lib. II *Histor. Eccles.* IX. Plura vide apud
nostrum d'Aurout in *Catech.* cap. *De fidel. persec.*

**Calvinis-
tarum.** Hæc veteres, quibus non cessere nostri hoc ævo
vel in crudelitate carnifices, vel in constantia
martyres Angliæ, Galliæ et Belgii, ut patet ex
Theatro hæreticæ crudelitatis. Audi unum illustre
e multis.

Delphis Bataviæ urbe Cornelius Musius captus
est, et jussu Guilielmi principis Auriaci sic varie
est excruciatus : altissimæ scalæ manibus vincit
est appensus, et ad pedes intolerabile pondus
alligatum, ut compages omnes laxarentur : inde
ardentibus tædis ambustæ axillæ. Mox resupinus
constringitur, aqua fervens ori infunditur, eaque
totus venter oppletur, quem sic fustibus deinde
tundunt, ut ex omnibus corporis foraminibus illa
tota efflueret. Postea capite deorsum verso ex
duobus pedum majoribus digitis appenditur :
inde truncatis manuum pedumque digitis, per
nivem sanguine proprio cruentatam in urbem
Lugdunum Batavorum raptatur, atque ita demum
post tot supplicia laqueo suspenditur. Ita
Annales Belgici, et ex iis Thomas Bozzius, tom. I
De Signis Eccles. lib. XI, cap. I.

USQUE AD TEMPUS PRÆFINITUM (donec transeat hæc
tempestas, cessetque tempore a Deo præfinito) :
QUIA ADHUC ALIUD TEMPUS ERIT, — scilicet quietis
et gaudii post tot luctus et funera, q. d. Agite,
sperate, post nubila Phœbus. Hebraice est, usque
in finem temporis, quia adhuc in tempus constitutum
(persecutio durabit), q. d. Hæc persecutio non
prius cessabit, quam tempus puniendis, proban-
dis, et purgandis Judæis a Deo præscriptum præ-
terierit.

Moraliter hic multa docemur. **Primo**, hasce af-
flictiones Judæis, aliisque fidelibus non timere,
sed Dei judicio et consilio evenire. **Secundo**, Deum
non sine modo et fine homines in hac vita punire,
sed certum iræ suæ terminum ponere. **Tertio**, ho-
mines cum a Deo judicantur, ut ait S. Paulus, a
Domino corripi, ne cum hoc mundo damnentur.
Quarto, homines non solum in altera, sed etiam
in hac vita purgari. Ita Maldonatus.

Præclare S. Basilius, hom. 11 *De Patientia* : « Si-
cut, ait, gubernatorem navis tempestas, athletam
stadium, militem acies, magnanimum calamitas,
sic christianum hominem tentatio probat. Et si-
cut athletas certaminum labores coronis ad se al-
liunt; ita etiam homines christianos probatio,
quæ ex temptationibus descendit, ad perfectionem
ducit, si cum decenti tolerantia, ac omni gratia-
rum actione, ea quæ a Domino ordinantur sus-
ceperimus. Pauper es? ne animum abjicias, sed
omnem spem tuam in Domino ponito. Non enim
ille non cernit angustiam, est illi cibus in mani-
bus; sed tamen exhibitionem producit, ut con-
stantiam tuam probet. » Et paulo inferius : « In
morbo es? læte fert: quia quem Dominus in
oculis fert, eum castigat. Pauper es? exulta:
quoniam ea bona in te conferentur, quæ quon-
dam in Lazarum. Ignominia afficeris ob nomen
Christi? o beatum te! quia ignominia tua in an-
geli gloriam commutabitur. Servus es? gratias
tamen et sic agito: habes enim longe te inferio-
rem; gratias, inquam, agito, quod unum præte-
reas, quodque in pistrinum conjectus non sis,
deinde quod flagris non cæderis. Injuste tibi com-
pedes inditæ sunt? spe rerum futurarum te sus-
tenta. Juste condemnatus es? etiam sic gratias
habeto. » Subjicit exempla: Periclis, qui verber-
rantem se domum cum lumine deduxit; Socra-
tis, qui cædentes se nomen fronti suæ inscripsit;
Euclidis, qui minanti sibi mortem, juravit se
eum placaturum, et ex hoste amicum effectu-
rum.

36. ET FACIET. — Hæc et quæ deinceps sequun-
tur usque ad finem capitinis, Illyricus accipit de
Papa Romano, utpote quem ipse asserit esse An-
tichristum: sed hoc ita insulsum est, ut etiam
Calvino displicerit. **Secundo**, Calvinus accipit
hæc de rege, id est, regno Romanorum, quod
fuit ante et usque ad Christum: Romani enim
gentiles in imperio illo suo ampio et superbo deos
et idola non nisi ad speciem, revera autem
tantum unum Deum Maozim, id est, virtutem
suam, prudentiam et fortunam bellicam colue-
runt: uti etiamnum faciunt reges et principes in-
fideles et politici, qui dicunt:

Dextra mihi Deus est, telum et quod missile libro.

Vide dicta *Ezech. xxix*, 3. Mars ergo et arma fue-
runt eis Deus Maozim: sensim enim ab imperiis
et regibus ad Christum, Regem regum, de quo
cap. sequenti, suo more descendit Daniel. Verum

hoc quoque tortum et violentum est, ut patet: non enim agit hic angelus de Romanis, sed de Antiocho et Antichristo. *Tertio*, ergo Catholici, et jam et olim, teste S. Hieronymo et Theodoreto, docent hic agi non de Antiocho, sed de Antichristo, Antiochi antitypo: ad Antichristum enim more propheticō avolare hic angelum; nam de eo agit diserte cap. sequenti, vers. 1 et 2.

Verum dico cum Chrysostomo et Maldonato: Angelus hic uti cœpit, ita et pergit in gestis Antiochi recensendis, ut patet ex ipsa horum verbum connexione et contextu; sed ita, ut ea tantum obiter et leviter perstringat, potiusque ad ea, quasi ad typum parabolice alludat, quam ea exacte describat: revera autem sub specie Antiochi describit Antichristum, ejusque mores. Sic Christus, *Matth. xxiv*, 25, ab excidio Jerusalem per Titum, transit et avolat ad excidium orbis. Sic Isaias, cap. xiv, agit de rege Babylonis, quasi de Luciferō: unde quædam affert quæ magis regi, quædam quæ magis ipsi Luciferō conveniunt. Vide *Can. IV*. Id ita esse patebit in sequenti.

ET DIRIGETUR. — Hebraice פָּלַצְיָה vaiatsliach, id est et prosperabitur, q. d. Deum ipsum quodam modo vincet Antiochus, et post eum Antichristus, non suis viribus; sed quia Deus se, propter peccata populi, vinci patietur, ut dictum est cap. viii, 10. Vide et *II Machab. vi*, 12.

DONEC COMPLEATUR IRACUNDIA (donec ira Dei, populi sui peccatis offensi, satietur, donec Deus compleat indignationem et vindictam suam; quo facto incipiet vicissim sœvire in tam immania tum Antiochi, tum magis Antichristi, cuius is fuit typus, scelera. Nam) **PERPETRATA** (id est facta et decreta) **EST** (apud Deum hæc) **DEFINITIO**, — id est, hæc certa temporis præscriptio, q. d. Hoc tempus in præscientia et prædestinatione Dei, ejus punitioni præfinitum est.

Vers. 37. **37. ET DEUM PATRUM SUORUM NON REPUTABIT.** — Non quod Antiochus deos patrios non coluerit, ad eos enim colendum compulit Judæos; sed quod Iudæorum Deum spreverit et persecutus sit, quem tamen maiores ejus Syriæ reges ita venerati fuerant, ut, quamvis adhuc idola retinerent, tamen Hierosolymitanum templum multis donis ornarent, et sumptus ad sacrificia suppeditarent, ut patet *II Machab. iii*, 2. Ita ex Polychronio et Hugone cardinale Maldonatus.

Secundo et proprie, Antiochus, utpote superbissimus, parvi fecit deos patrum suorum, ut mox dicam. Verius hoc erit in Antichristo, qui in templo sedebit, voletque coli ut deus. De Antichristo, ejusque doctrina, moribus, imperio, miraculis, etc., multa dixi *II Thessal. ii*. Ea ergo hic non repeatam.

ET ERIT IN CONCUPISCENTIIS FEMINARUM. — Antiochus enim publice mimis et scortis miscebatur, inquit S. Hieronymus, adeoque uni concubinæ suæ dono dedit Mallotas et Tarsenses populos, ut patet *II Machab. iv*, 30. Ita Theodoreto.

Nota: In Hebræo hæc sequentibus jungi possunt, itaque contrarie verti cum Septuaginta: *Et in concupiscentiam feminarum, et super omnem Deum non intelliget* (Syrus, non considerabit); *quia super omnes magnificabitur*. Possunt etiam præcedentibus jungi, itaque verti cum Vatablo: *Non curabit etiam deos patrum suorum, nec mulierum concupiscentiam*. Quod primo sic S. Hieronymus et alii exponunt, q. d. Antichristus licet occulite spurcissimus sit futurus, exterius tamen magnam præse feret casitatem, et simulabit se abominari concupiscentiam feminarum, scietque illud: *Si non caste, saltem caute.*

Antichristus mulieros simularit tamen se castum.

Secundo et aptius, q. d. Antiochus et Antichristus, etsi mulierosi erunt, tamen ambitio eorum et crudelitas superabit luxuriam, adeo ut nec mulieres, nec deos sint curaturi, quando agetur de honore et imperio dilatando, uti dixi de Pompeio, Cæsare et Antonio, cap. ii, 43. Quin imo adeo crudeles erunt, ut ne feminarum quidem, quibus in bello parci solet, rationem habeant: ita enim mulieres Judæas æque ac viros necavit Antiochus, ut patet *II Machab. cap. v*, 13. Ita Maldonatus.

Verum noster Interpres aptius et verius hæc disjungit et dispungit, vertitque affirmative: *Et erit in concupiscentiis feminarum*; quia certum est Antiochum fuisse mulierosum etiam publice; et magis mulierosum fore Antichristum. Unde et Judæi inter alia terræ bona, etiam multitudinem uxorum ab hoc suo Messia exspectant. Hinc et Arabicus uterque vertit: *Et faciet secundum voluntatem suam cum mulieribus*.

Quare insulse, vel ipso Calvinō assertore, Illyricus hæc refert ad cælibatum clericis ab Ecclesia indictum, quasi hoc sit dogma et sanctio Antichristi, id est Papæ, ut ipse fingit.

NEC QUENQUAM DEORUM CURABIT. — Hæc verba tenuiter conveniunt Antiocho, tum quia ipse Deum Judæorum, qui solus vere est Deus, non curavit, sed hostiliter persecutus est: ita Maldonatus; quasi angelus hic opponat omnes falsos deos Deo vero, ut qui eum non curat, nullum Deum curare dicendus sit; tum potius, quia ipse superbia tumens parvi deos suos fecit, plusque sibi suisque viribus, quam diis ipsis attribuit, putans se a nemine pendere, atque instar Dei posse ad libitum dominari, non tantum hominibus, sed eliam mari et montibus, uti dicitur *II Machab. ix*, 8; sic enim politici et athei nullum Deum curant, imo negant omne Numen. Quod ergo Antiochus in templo Judæorum poni jussit statuam Jovis Olympii, id non tam religione et studio Jovis, quam ad profanandum Judæorum templum, Deique cultum revertendum fecit.

Verum plene et perfecte hæc competunt Antichristo, uti mox dicam.

38. DEUM AUTEM MAOZIM IN LOCO SUO VENERABITUR. — Imperite Porphyrius, ait S. Hieronymus, *Maozim* putavit esse Modin, quæ fuit patria Matha-

Vers. 38.
Maozim,
quid?

thiæ et Machabœorum. Nota : *Maozim* hebraice significat fortitudines, arces, præsidia, uti vertunt Theodotion, Aquila, Syrus, Arabicus, Vatablus et alii : itaque accipit Noster vers. sequent. *Symmachus* vertit, *confugia*. Antiochus ergo in Jerusalem extruxit arcem, in eaque et aliis civitatibus valida posuit præsidia, quæ hebraice vocata sunt *Maozim* : indeque Jovem Olympium, illorum tutelarem, vocavit deum *Maozim*, quasi dicas, deum munitionum, quem ab omnibus Judæis coli voluit : Jupiter enim apud Gentiles erat deorum princeps et potentissimus.

Anti-
christus
colet dia-
bolum
suum
Maozim.

Clarius hoc et verius erit in Antichristo : ille enim licet cæteros deos contemnet, tamen unum diabolum sibi familiarem privatum venerabitur, nomine *Maozim*, quasi fortem et potentem deum, qui omnia sibi subjiciat : huic ipse imperium suum acceptum referet. Unde Theodotion vertit : *Glorificabit Maozim*, id est, nominabit et celebrabit Deum *Maozim*, quasi fortem et potentem suum in bellis ducem, victorem et triumphatorrem. Antichristus ergo colet *Maozim* uti Romani Martem ; imo Marinus in *Lexico* censet *Maozim* esse Martem. Dæmon ergo nomine et titulo *Maozim* vel Martis volet coli ab Antichristo, idque ut hoc nomen quod in Scriptura Deo tribuitur, sibi arroget, Deoque adimat. Deus enim in Scriptura a Sanctis vocatur et invocatur *Maoz*, id est robur, fortitudo, vis, ut *Psalm. xlii*, 2 : « Quia tu es, Deus, fortitudo mea, » hebraice *Maozi*, *II Reg. xxii*, 33 : « Deus qui accinxit me fortitudine, » hebraice *maoz*. *Prov. x*, 29 : « Fortitudo (hebraice *maoz*) simplicis via Domini. » Et cap. *xviii*, 10 : « Turris fortissima (hebraice *oz*, idem quod *maoz*) nomen Domini : ad ipsum currit justus, et exaltabitur. » *Psalm. xxvi*, 1 : « Dominus protector (hebraice *maoz*) vitæ meæ, a quo trepidabo? » *Psalm. xxxvi*, 29 : « Salus autem justorum a Domino : et protector (hebraice *maoz*, id est fortitudo, fortis defensor) eorum in tempore tribulationis. » Porro honoris causa Antichristus suum dæmonem, non in singulari *Maoz*, sed in plurali *Maozim*, vocabit : quia ab eo plurimum roboris, plurimas vires, imo omnes opes, omnem sapientiam, omnes dolos, omnem blandiloquentiam, omnem pompam, omne suum bonum accipiet. Hæc enim omnia hebraice vocantur *Maoz*, vel *Maozim*; quia ea possidentem faciunt fortem et potentem. Sic Deum ob excellentiam, Hebræi in plurali vocant *Elohim*, et *Adonai*, et *El Sabaoth*, id est Deus virtutum vel exercituum.

Aliter Theodoreetus : Deum enim *Maozim* putat vocari Antichristum, qui se ut fortem et potentem (hoc enim est *Maozim*) ab omnibus adorari faciet.

Anti-
christus
atheus
ut deus
coli vo-
let

Ex hoc ergo vers. et ex vers. præced. colligitur primo, Antichristum fore atheum, eumque cum pleno potietur imperio, non tantum Christum et idola, sed et Dei veri nomen et cultum ablaturum; secundo, quod ipse solus publice coli volet ut deus :

idem patet *II Thessal. ii*, 4, ut ibi dixi; tertio, quod tamen occulte dæmonem suum colet, nomine *Maozim*. Unde patet quam insulse Novantes calumniantur, dum asserunt Papam Romanum esse Antichristum : nil enim horum fecerunt, aut faciunt Papæ.

Tradit Hippolytus, lib. *De Consum. sæculi*, quod Antichristus suos legatos, tum homines, tum dæmones toto orbe mittet, qui dicent : « Magnus rex natus est super terram : venite, omnes, ad eum adorandum : properate, omnes, ad spectandas vires potentiae ejus. En vobis ille præstabit frumentum, vinum largietur; opes pretiosas, et sublimes dignitates præstabit. Ejus namque imperio omnis terra mareque obtemperat; ad illum, omnes, accedite. » Quibus venientibus eadem confirmabit Antichristus sua blandiloquentia : « Assistent, inquit, præterea ipsi dæmones, splendentium angelorum speciem referentes, eumque divinis laudibus et honoribus celebrantes, et aliquando in cœlum evehentes, deinde ingenti pompa, et spectantium stupore, de cœlo in terras deducentes. » Hæc singula ex Antichristi fastu et familiaritate cum dæmonibus probabiliter suspiciari et conjicere licet: at certo asserere non possumus. Nihil enim de his expressum et revelatum habemus.

Ex dictis patet minus recte Arabicum vertere contrarie, repetendo *nec*, quod præcessit, hoc modo : *Nec Deum fortem in habitaculo suo honorabit*.

ET DEUM QUEM IGNORAVERUNT PATRES EJUS (Deum *Maozim* jam dictum), COLET AURO. — Licet enim patres ejus coluerint Jovem Olympium, tamen non coluerunt eum hoc nomine *Maozim*, quo eum colet Antiochus; *Maozim* enim loco Dei veri substituet, quasi proprium Judææ templique Deum.

Aliter ex Hebræo vertunt, explicantque de Judæis S. Hieronymus et Maldonatus, sic, q. d. *Deum quem non cognoverunt patres ejus* (Judæi scilicet prisci, et Patriarchæ), *unumquemque colere faciet*, hoc est, coget Antiochus omnes Judæos adorare novum deum, et patribus incognitum, scilicet Jovem Olympium.

39. ET FACIET UT MUNIAT MAOZIM, — ut muniat arces et præsidia sua. *Maozim* enim hic est appellativum nomen, non proprium, quanquam et proprium esse possit. Verisimile enim est Antichristum habiturum occultum aliquem locum idoli sui, quem ab idolo et a munitione vocabit *Maozim*.

CUM DEO ALIENO. — Primo, sensus est, q. d. Ope dei alieni, puta diaboli *Maozim*, id est fortitudinem. Secundo et aptius, q. d. Antiochus, ut præsidia Judææ magis firmet, sibique assecuret, ponet in singulis urbibus deos alienos, puta idola, ut scilicet hac ratione Judæi cum religione legem et regem mutent, fiantque gentiles, et gentilem Antiochum ament et colant: id enim eum fecisse

patet I Machab. i, 57. Sic in templo Hierosolymitano posuit statuam Jovis Olympii, quo voluit urbem caput regni, perinde ac Romam Jove Capitolino muniri. Ita Maldonatus. Ita Jeroboam; timens ne populus ad templum et ad Roboamum rediret, vitulos aureos constituit in Dan et Bethel. Ita qui primi tumultus hos Belgicos suscitaverunt, haeresim induxerunt, ne populus religione et conscientia motus, ad suum principem rediret. Huic sensui favet versio Arabica Alexandrina : *Et incumbens in imagine forti super deos fortes, vel gloriosos; aliter Syrus : Et transibit in oppida fortia super deos alienos, ut videat, et dominetur in multis.*

ET MULTIPLICABIT GLORIAM. — Judæis scilicet, qui eum sequi ac Jovem Olympium a se erectum colere volent : unde clare vertit Vatablus : *Quem (Deum Maozim) qui agnoverit, eum honoribus augebit, et dominum multorum faciet, tam Antiochus quam Antichristus.*

ET TERRAM DIVIDET GRATUITO. — Hebraice est : *Terram dividet pretio, id est in mercedem iniquitatis et idololatriæ, dividet eam suis asseclis.*

Vers. 40. **40. ET IN TEMPORE PRÆFINITO PRÆLJABITUR ADVERSUS EUM REX AUSTRI.** — Pro præljabitur hebraice est *תַּנְגָּחַ* *iitnaggach*, id est cornutabit, cornu petet, uti cornutant arietes, q. d. Irritabit Antiochum Ptolemæus Philometor rex Ægypti. Redit hic angelus ad bellum Antiochi cum Ptolemæo Philometore, quando scilicet secundam expeditionem in Ægyptum Antiochus suscepit, eamque invasit magno exercitu, uti dictum est vers. 29; eo enim redit, ibique dicta refricat et confirmat. Ita ex Polychronio et Hugone Maldonatus.

Verum S. Hieronymus et veteres passim hæc plenius et verius accipiunt de Antichristo : ipse enim erit rex Aquilonis, id est Judææ et Syriæ tyrannus : regia enim ejus erit Jerusalem; quare in eodem loco regnabit, in quo regnavit ejus præcursor Antiochus : unde per eum, quasi in eodem regno successorem, hic continuat et terminat angelus historiam Antiochi et Seleucidarum. Porro Antichristus regem Austri, id est regem Ægypti, Æthiopie et Libyæ (sic enim se explicat angelus, et hosce nominat vers. 42 et 43), primum debellabit : qua strage territi reliqui reges septem ex decem tunc futuris, Antichristo se subdant, uti dixi cap. vii, 8 et 20. Cur Aquilo nolet Antichristum et impios, dixi *Jerem.* i, 13 et 14.

Vers. 41. **41. ET INTROIBIT IN TERRAM GLORIOSAM,** — puta in Judæam, que hebraice dicitur *בָּקָע tsebi*, id est terra gloria et inclita. Causam dedi cap. viii, 9.

HÆ AUTEM SOLÆ SALVABUNTUR. — Perperam Arabicus habet, non salvabuntur : quia, ut ait S. Hieronymus : « Antiochus festinans contra Ptolemaeum regem Austri, Idumæos, Moabitas et Ammonitas, qui ex latere Judææ erant, non tetigit, ne occupatus alio prælio Ptolemaeum redderet fortiorem. Antichristus quoque Idumæam et Moabitas, et filios Ammon, id est Arabiam relinquet

intactam ; quia illuc sancti ad deserta confugient, » et ad montes, et ad speluncas.

PRINCIPIUM FILIORUM AMMON. — Pro principium græce est *Ἄρχη*, id est *principatus*, q. d. Principes, vel præcipui, sive potior et optima pars (Syrus, *reliquum, vel reliquiae*) Ammonitarum, etiam effugiet et salvabitur. Similis catachresis est *Psalm.* cix, 3 : « *Tecum principium (id est principatus) in die virtutis tuæ.* » Sic et Hebræum *רִאשׁוֹן rescit*, non tantum principium, sed et primitiva, præcipua et electa significat, ut patet libro I Regum, cap. xv, vers. 21, et Amos, cap. vi, 6. Theodoreetus putat Antichristum hasce gentes præteritum, eo quod sint futuræ sceleratissimæ, et Antichristo addictissimæ : ac mystice, Edom, inquit, significat *rufum*; Moab, *de patre*; Ammon, *populum ejus*. Ergo significari hic, quod sœviente Antichristo stabunt in fide constantes, ideoque salvabuntur illi, qui virtute sanguinis Christi purparati, et in *populum ejus cooptati*, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati fuerint. Verum hic mysticus sensus ejus litterali sensu contrariatur. Prior ergo S. Hieronymi explicatio verior est.

42. ET MITTET MANUM SUAM IN TERRAS. — Antiochus enim non tantum Syriam, sed et multas alias regiones occupavit.

43. ET DOMINABITUR THESAURORUM. — Antiochus *Agyptum spoliavit*, ut dixit angelus, vers. 24, et patet I Machab. xx.

PER LIBYAM QUOQUE ET ÆTHIOPIAM TRANSIBIT, — quasi victor et triumphator eas calcando. Unde Hebræa habent : *Libyes et Æthiopes in gressibus ejus, id est gradietur super illos, illos gressibus suis premet et percalcabit.* Sic *Habacuc III, 12*, dicitur : « In fremitu conculcabis terram. » Et *Job XVIII, 14* : « *Calcat super eum, quasi rex, interitus.* » Ubi alii vertunt : *Calcat super eum, quasi rex mortis, vel rex terrarum.* Hinc videtur quod Antiochus, spoliata Ægypto, in Libyam quoque et Æthiopiam Ægypto vicinas, prædandi causa excurrerit. Hæc veriora erunt in Antichristo. Unde S. Hieronymus, Theodoreetus et alii ex hoc loco colligunt tres reges ex decem ab Antichristo superandos et occidendos fore, regem Libyæ, regem Ægypti, et regem Æthiopiæ.

44. ET FAMA TURBABIT EUM AB ORIENTE. — « *Fama,* » puta rumor de Judæorum defectione et rebellione, turbavit Antiochum; Judæa enim est quasi ad orientem Ægypti. Audi II Machab. v, 11 : « *Suspiciatus est rex (Antiochus) societatem deserturos Judæos : et ob hoc profectus ex Ægypto efferalis animis, civitatem quidem armis cepit. Jussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, et per domos ascendentibus trucidare.* » Ita ex Polychronio Maldonatus.

Verius hoc erit in Antichristo, qui cum Ægyptios, Libyes et Æthiopes expugnaverit, audiens in Oriente et Aquilone contra se bella consurgere, eo se convertet, inquit S. Hieronymus. Esto fama

Anti-christi
regia erit
Jerusalem.

Anti-christus
tres reges
debellabit,
mox reliqui
qui se ei
subdant.

Vers. 41.

Vers. 42.

Vers. 43.

Vers. 44.

hæc, ut solet, vero major, et viribus ejus minor sit futura. Nam, ut ait Ovidius lib. IX *Metamorph.*, Fama est,

quæ veris addere falsa
Gaudet, et e minimo sua per mendacia crescit,

præsertim in belli et hostium rumoribus; ubi verum est illud :

Pejor est bello timor ipse belli.

Vers. 45. 45. ET FIGET TABERNACULUM SUUM APADNO. — Porphyrius censuit Apadno fuisse in monte Elymæo, qui situs est in Elymaide inter duo maria, id est flumina magna, puta inter Tigrim et Euphratem: ibi ergo posuisse tabernaculum suum Antiochum; cumque templum Dianæ ibidem spoliare vellet, ab incolis fugatum, mœrore interiisse. Verum merito hoc rejicit S. Hieronymus. Hic enim mons non est sanctus, nec in Judæa, nec inter duo maria: flumina enim non sunt maria. Iisdem rationibus refellitur quod alii quidam suspicantur, Apadno esse ܐܲܰܰ padan, id est Mesopotamiam, ita dictam, quod sit in medio duorum fluminum, Tigris et Euphratis; padan enim hebraice idem est quod par, vel geminum. Aut certe esse Babylonem, quæ vicina est Mesopotamiæ, ubi confluunt Tigris et Euphrates. Censem enim Antichristum Babylone vel nasciturum, vel regnaturum. Melius S. Hieronymus: Apadno, inquit, non est nomen proprium, sed appellativum, significans palatium suum, vel solium aut thronum suum, ut verit Chaldaeus, *Jerem. XLIII, 10.* Unde Vatablus vertit: *Et plantabit tabernacula palatii sui inter duo maria;* Symmachus vero et Septuaginta, τὸν Apadno omittunt. Significat ergo angelus, non quod Antiochus in Jerusalem aut Judæa palatium ædificaturus sit, sed quod eam bello sit capturus: ponere enim tabernaculum suum in aliqua urbe, est bello eam capere; nomen enim tabernaculi castrense est. Ita Maldonatus. Huc accedunt Syrus et Arabicus, qui pariter Apadno accipiunt ut nomen appellativum, deductum a Syro ܐܲܰܰ padan, id est duo, par. Inde enim Mesopotamia hebraice vocatur *Padan Aram*, q. d. Syria quæ inter duo flumina, scilicet Tigrim et Euphratem, interjacet. Unde posset quis suspicari Apadno esse in Mesopotamia. Porro Syrus et Arabicus sic hunc locum vertunt: *Et figet tabernaculum suum in loco plano (pari, æquali) inter mare et montem, et custodiet sanctitatem suam, et veniet tempus finis ejus, et non erit illi adjutor.*

Secundo et potius, Apadno videtur esse proprium nomen loci in Judæa, a solio Antichristi, quod ibi ipse collocabit, sic appellandi; unde non tantum S. Hieronymus, sed et Theodotion et Aquila vertunt in *Apadno*; omnesque scribunt Apadno per majuscum A, quasi proprium sit loci. Marinus Brixensis in *Lexico* putat Apadno alludere ad Ephod (ab eadem enim radice utrumque derivatur), q. d. Ad instar Ephod pretiosum, ephodinum; fiet enim ex purpura, byssso, hyacin-

tho, cocco et gemmis, ut factum erat Ephod pontificis: quod Itali simile voce vocant: *Padiglione di seta e d'oro.* S. Hieronymus Apadno ponit juxta Nicopolim, quæ prius Emmaus dicebatur, ubi incipiunt montana Judææ, et ibi Apadno consignat Adrichomius in suis *Tabulis Geographicis*.

Verum ipsi videntur non ex veterum historia, aut chorographia, sed ex eo quod Daniel hic Apadno ponit inter duo maria, ibidem Apadno consignare: quare si cum iis qui de solo Antichristo hæc intelligunt, Apadno accipias ut nomen proprium; aptius veriusque dicas hæc nomina Maozim et Apadno, neandum esse indita suis locis, sed indenda fore tempore Antichristi ab eventu, quo ibi ipse collocabit, vel solium suum, vel idolum dæmonis sui Maozim. Pari modo locus ubi cædetur Antichristus cum suis, neendum vocatur; sed tum vocabitur ab eventu, puta a clade Antichristi, Armageddon, id est excidium excidii, hoc est plenum excidium, horma, sive anathema, *Apoc. XVI, 16.*

INTER MARIA. — Ita Hebræus, Septuaginta, Aquila, Symmachus, Theodotion, et Biblia Latina Romaña licet Complutensia legant *inter duo maria*, videlicet in Judæa, et forte in Jerusalem, quæ sita est inter duo maria, scilicet inter mare Mortuum et mare Mediterraneum. Ita S. Hieronymus et Theodoretus. Significat angelus Antiochum, et multo magis Antichristum, toti Judææ, ab uno mari ad alterum dominaturum.

SUPER MONTEM INCLYTUM ET SANCTUM. — Hic enim mons vel est templi, puta Sion et Moria; vel Oliветi, inquit S. Hieronymus, ex quo putatur censurus in cœlum Antichristus; sed ab angelo deturbabitur et occidetur, nemoque ei auxiliari poterit. Hinc videtur quod Apadno, et tabernaculum Antichristi non erit juxta Nicopolim, ut vult S. Hieronymus, sed potius in Sion, vel monte Oliветi.

ET VENIET USQUE AD SUMMITATEM EJUS (montis Sion et templi), ET NEMO AUXILIABITUR EI, — scilicet monte et templo, inquit Maldonatus, q. d. Antiochus, et multo magis Antichristus, capiet Jerusalem et montem Sion; neque eum Deus vel homines defendent; ut fecisse Antiochum patet ex lib. *Machab.* Verum alii passim τὸν ei exponunt Antiocho, vel Antichristo: Antiochus enim, capta et profanata Sion, a Deo ultore lethali morbo percussus est, nec ullus ei auxiliari potuit: multo magis Antichristus capiet Jerusalem et Sion, ibique regiam et solium suum constituet, ut patet *Apoc. XI, 8;* atque juxta eam cædetur, nec aliquis ei auxiliari poterit, ut paulo ante dixi. Prophetæ enim concise loquuntur quasi in raptu, ideoque multa subtilent: sic hic tacentur clades et cædes Antichristi. Unde Vatablus vertit: *Cum venerit finis ejus, scilicet regni et vitæ Antichristi: Nemo ei auxiliabitur.*

Nota: *Apocal. XIX, 11 et seq.*, vidit S. Joannes Christum equo albo insidente, et ore vibrante

Nomen
Apadno-
neandum
est iudi-
tum loco,
sed in-
detur
tempore
Antichristi.

Apadno
erit juxta
Sion.

Quæstio-
nem
an gladio

an fulmi. gladium, ac in capite habentem diademata multa, ne occide- et vestem aspersam sanguine, cœlo egredi cum turmis cœlestibus, ac Antichristum cum suo pseu- dopropheta apprehensum vivum deturbare in tar- tara; Gog vero et Magog, omnesque Antichristi milites occidere gladio qui procedebat de ore ejus. Lactantius, lib. VII, cap. xvii et xviii, hunc Christi descensum, gladium, pugnam, etc., plane ad litteram, ut sonant, eventura asserere vide- tur. Audi eum : « Cum haec ait, ita gerentur, justi et sectatores veritatis segregabunt se a malis, et fugient in solitudines. Huc impius rex inflamma- tus ira veniet cum exercitu magno, et admotis om- nibus copiis circumdabit montem in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat. Illi vero, ubi se clausos undique atque obsessos viderint, ex- clamabunt ad Deum voce magna, et auxilium cœleste implorabunt. Quorum ancipiti periculo, et miseranda comploratione commotus Deus mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cœlum me- dium intempesta nocte et tenebrosa, ut in orbe toto lumen descendantis Dei tanquam fulgur ap- pareat. Qui priusquam descendat, hoc signum da- bit : cadet repente gladius de cœlo, ut sciant justi ducem sanctæ militæ descensurum : et descendet ille comitantibus angelis in medium terræ. Virtus autem angelorum tradet in manus justorum mul- titudinem illam quæ montem circumsederat, et concidetur ab hora tertia usque ad vesperum, et fluet sanguis more torrentis, deletisque omnibus copiis impius solus effugiet, et peribit ab eo vir- tus sua. Hic est autem qui appellatur Antichri- stus : sed se ipse Christum mentietur, et contra verum dimicabit, et victus effugiet, et bellum sæpe renovabit, et sæpe vincetur, donec quarto prælio confectis omnibus impiis, debellatus et captus tandem scelerum suorum luet poenas. »

Respon- Verum verius videtur hæc symbolice ostensa
deo ful- Joanni, tantum significare imperium, dominium
mine. Probatur et mandatum Christi, quo ipse manens in cœlo primo. per Michaelem, quasi ducem suum, comitatum aliis angelis, ingenti luce quasi fulmine siderabit et afflabit Antichristum, itaque eum omni vi, ro- bore et vita privabit, ac deturbabit in tartara. Id ita esse patet primo, quia certum est quod ea quæ ibi dicuntur de cœlo aperto, de albis equis, de Christi diadematibus et veste aspersa sanguine, de titulo in femore scripto : « Rex regum, et Do- minus dominantium, » non realiter evenient, sed tantum symbolice per visionem ostensa sint Joanni ad repræsentanda mysteria Christi, quæ ex- plicui Apocal. xlix; ergo et cætera, cum sint his similia, symbolice accipienda sunt, non ut rea- liter eventura. Simili schemate Psaltes, Psalm. xvii, symbolice et poetice describit Deum nubibus vec- tum, armatum grandine, tonitru, fulmine, etc., descendere ad proterendum impios hostes suos.

Secundo. Secundo, quia Apostolus ait II Thess. II, 8, quod Christus occidet Antichristum, non gladio, sed spiritu, id est imperio oris sui, et « illustratione, »

id est fulgore prævio et prænuntio « adventus sui. » Hoc enim fulgore quasi fulmine e cœlo emisso, sive per se, sive potius per Michaelem, siderabit et consumet Antichristum.

Tertio, quia Daniel, cap. xii, 1, ait quod tunc consurget Michael in prælium pro Christo et christianis. Sicut ergo rex per ducem bellum gerit, et conficit hostem : ita Christus per Michaelem conficiet Antichristum, hic enim est præses Ecclesiæ, ideoque dux Christi. Unde et Apocal. xii, ponitur dux belli christiani, quo scilicet in fine mundi cum Lucifero et Antichristo confliget pro Christo et christianis, ac Antichristum profli- gabit.

Quarto, quia S. Petrus, Acto. cap. III, 21, docet Christum post ascensum in cœlum, ibi mansu- rum, nec visibiliter ex eo descensurum, nisi in die judicii quo restituet omnia : ergo non descen- det ut occidat Antichristum. Hic enim occidetur multis diebus, et forte septimanis ac mensibus, ante diem judicii, ut ostendam cap. sequent. vers. 11 et 12.

Quinto, subordinatio recta divinæ providentiae id exigit. Solet enim Deus sua judicia exercere per angelos ; hi enim sunt administratori ejus spiritus, Hebr. I, 15. Contrarium enim nec dece- ret Christum, nec Antichristum ; ut quid enim Christus Deus, et Dominus omnium, cum tot le- gionibus angelorum et sanctorum cœlo descen- deret ad conficiendum Antichristum, qui miser et vilis erit homuncio, quem solo afflatu, imo nutu, potest occidere, imo annihilare ? Ut quid tot legiones angelorum, quasi militum ei astant paratae ad omnem ejus nutum, et ex quibus unus sufficit ad delenda plurima hominum mil- lia ?

Sexto, quia Sibylla, lib. III, igne cœlesti, puta fulgere, afflandum Antichristum prædictum, cum ait : « Cum potestas ardens (puta ignis et fulmen validum) inundans in terram veniet ; et Belier incendet, et superbos homines, omnes quicum- que ei fidem præstiterint. » Belier enim (id est Belial : subinde enim littera l in r convertitur) hoc est homo impiissimus, sine jugo, sinc Deo et lege, est Antichristus.

Nota secundo : Antichristus ut probet se esse Christum, quasi simia Christi finget se mori, et post mortem ad vitam resurgere, ut patet Apoc. xiii, 12. Audi S. Gregorium lib. XI, cap. 3 : « Veniens in mundum Antichristus, diem sabbati et diem Dominicum ab omni jubebit opere cus- todiri. Nam quia simulaturus est mori se ac re- surgere, ideo diem Dominicum in veneratione haberi præcipiet : quia vero judaizare populum compellet (ut videatur esse Messias Judæis pro- missus) ut ritus Mosaicæ legis revocet, et Judæo- rum sibi subdat perfidiam, diem sabbati obser- vari coget. » Post fictam hanc et hypocriticam resurrectionem, coram toto populo ascendet in montem Oliveti (uti hic significat Daniel), volet-

que instar Christi in cœlum ascendere, ex quo primitus se descendisse mentietur: et tollent eum in aere dæmones, sumentes speciem angelorum, cunctis admirantibus, et divinitati ejus acclamantibus, inquit Pererius. Sed mox a Christo per Mi-

chaelem deturbabitur in tartara. Unde Haymo in Isaiae XI: « Occidetur, ait, Antichristus, sicut doctores tradunt, in monte Oliveti, in papilione ac solio suo, in loco illo contra quem Dominus (Christus) cœlos ascendit. »

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite aperte transit angelus ad tempora novissima (in iisque finit pariter suum oraculum) Antichristi, de quo cap. præced. vers. 36 et sequent., tecte sub nomine Antiochi loqui cœperat. Duo ergo tempora distinctissima, puta tempus Antiochi, et tempus Antichristi, in unum propter similitudinem conjungit; sicut Christus conjungit excidium urbis cum excidio orbis, Matth. xxiv, 25, vide Can. IV. Primo ergo, prænuntiat angelus Michaelem fideles adjuturum contra Antichristum: mox edocet resurrectionem piorum et impiorum, denique gloriam doctorum. Secundo, vers. 7, docet Antichristi monarchiam, et persecutionem duraturam tres annos cum dimidio, sive dies 1290.

1. In tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: et veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. 2. Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. 3. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. 4. Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum, usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia. 5. Et vidi ego Daniel, et ecce quasi duo alii stabant: unus hinc super ripam fluminis, et aliis inde ex altera ripa fluminis. 6. Et dixi viro, qui erat induitus lineis, qui stabat super aquas fluminis: Usquequo finis horum mirabilium? 7. Et audivi vim, qui induitus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dexteram et sinistram suam in cœlum, et jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur universa hæc. 8. Et ego audivi, et non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? 9. Et ait: Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus. 10. Eligentur, et dealbabuntur, et quasi ignis probabuntur multi: et impie agent impii, neque intelligent omnes impii, porro docti intelligent. 11. Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. 12. Beatus qui exspectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. 13. Tu autem vade ad præfinitum: et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum.

Vers. 1.

1. IN TEMPORE AUTEM ILLO, — in tempore Antichristi, de quo paulo ante egi.

CONSURGET MICHAEL, — id est Michael exsurget in prælio contra regem Aquilonis, id est contra Antichristum, ut tueatur fideles et sanctos in tantis persecutionibus contra eum et contra Luciferum. Vide de hoc prælio Michaelis et draconis, id est Luciferi, Apoc. XII, 1 et seq.; ibi enim ad hunc locum Danielis alludit S. Joannes. Unde S. Thomas et alii docent in hoc prælio occidendum esse Antichristum a Michaeli. Sic enim explicat illud II Thessal. II, 8: « Quem (Antichris-

tum) Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, » id est mandato suo: « Quia, inquit, Michael interfecturus est eum in monte Oliveti, unde Christus in cœlum ascendit. » Christus ergo executionem sua sententiæ contra Antichristum committet Michaeli, qui post Christum supremus est judex, et præses divinæ justitiæ.

Hæretici, ut sanctorum et angelorum patrocinia elidant, per Michaelem accipiunt Christum; sed insulse, ut patet, certum enim est quod angelus eumdem Michaelem hic intelligat, quem intellexit cap. x, vers. 13 et 21; ibi autem intellexit

Michael
occidet
Anti-
christus-
tum.

Michaelem Archangelum : vocat enim eum principem Judæorum: Simili modo nuncupat eum, hic dicens : « Qui stat pro filiis populi tui, » qui scilicet præest tueturque Judæos tanquam fideles, populumque Dei, ac filios Patriarcharum; ideoque curabit ut Judæi in fine mundi ad Christum convertantur et salventur.

Alcazar in cap. XII *Apocal.* pag. 645, Polychronius hic, et R. Josue apud Aben-Ezra putant hic adhuc agi de Antiocho Epiphane, contra quem surrexit Michael, id est, inquit, Mathathias, cum filiis stans pro populo suo. Verum obstant sequentia : « Et multi de iis, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium. » Quod ad litteram de resurrectione non morali ad patrum et avorum virtutem et constantiam, ut ipse intelligit, sed naturali ad vitam æternam, accipi debere clarum est, uti accipiunt S. Hieronymus, Theodoreus et passim veteres ac recentiores : ac S. Hieronymus acriter perstrinxit hic Porphyrium, quod hæc acceperit de Antiocho. Sic et Theodoreus. Nam Machabæi, inquit, etiam post victoriam occisi, vitam præsentem perdiderunt : et quia omnes pii fuerunt, ad vitam omnes resurrexerunt, non ad opprobrium.

Hunc locum multis illustrat Pantaleon diaconus et chartophylax Ecclesiæ magnæ, in suis de S. Michaele homiliis, quæ exstant apud Aloisium Lipomanum in Festo S. Michaelis. In iis enim ipse illustrissimas quasque angelorum apparitiones, quæ olim patribus acciderunt, Michaeli attribuit, ac primo, de Michaele accipit illud *Psalm. xxxiii*, 8 : « Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos, » « immittet, » scilicet præsidium : hebraice enim est, *נִמְלֵה chone*, id est *castrametabitur*, et ut S. Hieronymus vertit, *circumdabit in gyro*, ut opponatur Michael dæmoni, qui etiam dicitur tanquam leo rugiens circuire. Itaque significat Psaltes quod Michael angelos in morem castrorum instruat et ordinet ad fidelium defensionem. Quod enim instar militum in acie angeli nos tueantur, patet *Genes. xxxii*, 2, ubi cum Jacob angelos vidisset, dixit : « Castra Dei sunt hæc, » et *IV Reg. vi*, 17 : Erat « mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisæi. » Et Christus, *Matth. xxvi*, 53 : « An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? » Nam quod etiam dæmones in morem castrorum et acie ordinentur contra homines, probat Tertullianus lib. *IV Contra Marcion.* xx, ex *Lucæ viii*, 30, ubi dæmon, rogatus a Christo quod sibi esset nomen, respondit : « Legio. »

Secundo, Michael fuit qui Adamum paradiso ejectum direxit, et terram ligone docuit colere, seminare, metere omnemque agriculturam.

Tertio, Michael fuit qui Abrahæ gladium continuit, ne filium occideret, et in eo benedixit omnes gentes, *Genes. xxv.*

Quarto, Michael legislatori Mosi pascenti oves apparuit totus igneus in medio rubi, eumque usit, sed non combussit; itaque B. Virginis partum, generationemque Dei hominis adumbravit, *Exodi III.*

Quinto, Michael fuit qui apparuit Balaam in via, eumque pergentem ad maledicendum Israeli corripuit, et benedicere compulit, *Numer. xxii.*

Sexto, Michael vice Dei dedit legem Hebreis in *Sextum. Sina, Exodi xx.* Quocirca Turcae venerantur S. Michaelem. Nam in libro, cui titulus : *Doctrina Mahumet*, pag. 190, sic habetur : *Michael, Gabriel, Saraphiel* (id est sar, hoc est princeps, *Raphael*) *Archangeli, secretarii deitatis.* Et Rabanus, lib. I *De Cruce*, cap. VII, sic de eo canit :

At Michael princeps habitantum dux et in alto,
Te memorat virtute Dei simul æthera cuncta,
Et regere et tegere.

Et Ecclesia in Festo S. Michaelis, ita eum invocat : « Princeps gloriosissime Michael Archangele, esto memor nostri : hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei. »

Septimo, Michael apparuit stricto gladio Josue, cum is aciem contra hostes dirigeret, eumque animavit ad prælium, *Josue v.* Michael est « angelicarum copiarum dux, » ait S. Basilius, hom. *De Angelis.* Quocirca quod gentilibus fuit Mars, scilicet dux et præses bellorum, christianis est S. Michael. Qua de causa templa et oratoria, quæ olim gentiles Marti dedicaverant Antuerpiæ, Leodii, Luneburgi, Bonnæ, Coloniæ, et alibi, christiani explosi Marte in honorem S. Michaelis dedicarunt et cognominarunt, ut annotavit D. Braunius, tom. V *Urbium*, et ex eo noster Serarius in *Josue* cap. v, Quæst. XIV, in fine. Hinc S. Michael a Græcis vocatur Archistrategus; quin et exstat Imperatorum vexillum S. Michaelis imagine insignitum, ab eoque cognominatum, apud Europalam, pag. 93.

Octavo, Michael Gedeoni apparuit ab ipsoque fuit adoratus, et extensa virga quam manu tenebat, tangens carnes, quas sibi Gedeon obtulerat, igne excitato consumpsit; et in flamma ignis ascendit ad cœlum. Idem eum adjuvit ut cum trecentis militibus innumeros Madianitas profligaret, *Judic. vi et vii.*

Nono, Michael fuit qui 185 millia Assyriorum Nonum. in castris Sennacherib una nocte occidit, *IV Reg. cap. xix.*

Decimo, Michael cum Azaria et sociis descendit in fornacem, flammam instar roris effecit, tresque pueros illæsos conservavit, *Daniel. iii.*

Undecimo, Michael Danielem in lacu leonum Undecim. servavit, oraque leonum frænavit, *Dan. vi et xiv.* Similiter S. Ephrem, orat. *De 40 Martyr.* tom. III : « Ne conturbaret, inquit, martyres Christi inimicus, angeli spatium stagni custodiebant : hinc quidem Gabriel, illinc vero Michael, et ab alto Christus universorum inspector. » Exstat in S. Pro-

copii, qui olim Nicias dicebatur, historia, insigne miraculum, quo ille ad christianismum impulsus est. Nam cum Scytopoli auream crucem dux illustris fabricari curaret, in ea divinitus absque aurifabri opera et scitu, tria insculpta sunt nomina : *Emmanuel, Michael, Gabriel*; sed ita ut summum locum teneret *Emmanuel*, inferiorem instar brachiorum, *Michael* et *Gabriel*. Vide Gretserum, lib. II *De Cruce*, cap. XIII.

Duodecimum. *Duodecimo*, Michael apprehendit Habacuc cincno capitis, eumque cum prandio ex Iudea in Babylonem subito transtulit ut pasceret Danielum, atque eumdem rursus repente in Iudeam reposuit, *Daniel. XIV.*

Decim tertium. *Decimo tertio*, Michael fuit qui Probaticæ piscinæ aquas commovebat, et sanctificabat in figuram baptismi : ita ut qui primus in eam descendaret, ab omni ægritudine curaretur, *Joan. V.*

Rursum S. Michael Constantino Magno apparuit, indicans se olim Argonautas ad vellus aureum direxisse, eique dixit : « Ego sum Michael archidux Domini sabaoth, christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fidi et germano illius ministro, auxiliaria arma contuli. » Unde Constantinus famum ab Argonautis erectum Numini quod ipsis salutem attulerat, indeque Sosthenium dictum, in Michaelium, id est S. Michaelis templum, convertit, in quo S. Michael saepius deinde apparuit. Ita Nicephorus, lib. VII, cap. L.

Decim quartum. *Decimo quarto*, Michael canet tuba novissime, eaque excitabit mortuos ut veniant ad judicium, *I Thessalon. cap. IV, 16.* Et de animabus mortuorum canit Ecclesia : « Signifer tuus S. Michael net tuba repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, et semini ejus. » Quocirea S. Michael pingi solet cum statera, quasi librans animas, earumque opera bona et mala. Nam, ut ait Viegas in *Apoc. XII* : « Creditur Michael animarum e corpore discedentium particulare judicium exercere ; indeque est, quod cum gladio et statera depingitur, ut summa ejus potestas, justitiaeque æqualitas declaretur in nostris, sive meritis, sive demeritis ponderandis. » Reprehendit hanc picturam Joannes Molanus in lib. *De Picturis*, sed eam defendit Serarius in cap. v *Josue, Quæst. XLV*, pag. 551. Addit Viegas Michaelem vocari Signiferum, quia signum sive vexillum crucis præferet Christo venienti ad judicium extremum. Idem docet Eckius, homil. 8 *De S. Michael.*

Decimum quintum. Denique Michael est, inquit Pantaleon, « qui fidelium populorum Ecclesias exhilarat, Romanorum custodit rempublicam, Imperatorem armat adversus barbaros, christianos reddit victores, ab ingentibus maris fluctibus eos qui invocant eum liberat, fertilitates fructuum terræ suppeditat, consolatur pusillanimes, ægrotos visitat, fidejubet pro peccatoribus, dæmonum impetum propulsat. vitiorumflammam restinguit. » Rur-

sum : « Per hos duos, inquit, Michaelem et Gabrielem descendit omnis datio bona, et omne donum perfectum, quod desuper mittitur in terram a Deo omnipotente. Hæ enim sunt duæ maximæ, et paris momenti lucernæ divinalis, quæ est una et trina. » Hæc sunt præconia, quæ juxta Pantaleonis sententiam de Michaele in Scriptura memorantur : Scriptura enim ea expresse Michaeli non appropriat; quanquam et ea quæ alii angeli gesserunt, recte Michaeli attribuuntur. Sic enim gesta militum duci tribuimus. Addit Pantaleon quod S. Joannes apostolus, magnus fuerit S. Michaelis in Asia prædicator, quodque in ejus honorem templum exædificari curarit : uti et « Justinianus Imperator militiæ celestis summo principi Michaeli pluribus in locis erexit ecclesiæ : probe sciens se, si tales tantumque ducem sibi conciliaret, qui rebelles angelos cientes in cœlo prælium superasset, certam securamque de vincendis Wandali posse habere fiduciam, » inquit Procopius, lib. I. *De Bello Wandal.*

Refert Nicephorus, lib. VII, cap. L, Constanti- Et Cons-
tantinus. num Magnum in loco qui Sosthenium dicitur, duas ecclesiæ construxisse in honorem S. Michaelis, ibique S. Michaelem illi apparuisse, ac dixisse : « Ego sum Michael archidux Domini sabaoth, christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fidi et germano illius ministro, auxiliaria arma contuli ; » itaque e somno excitatus Constantinus regionem eam pulcherrime excoluit, et ara imperiali, magnificaque manu et liberalitate in parte Orientali constructa, celeberrimum id templum civibus simul et advenis reddidit. Porro mire sacram eam ædem apparitionibus suis illustravit Archangelus. Nullus enim gravi quopiam casu, aut ineluctabili periculo, aut ægritudine incognita, morbo denique incurabili circumventus, qui ibi Deum orans imploraverit, non facile opem et auxilium inventit. Et certo satis creditur D. Michaelem Archangelum apparere ibi solitum, salutiferum efficere locum : cujus rei gratia ab antiquis etiam Michaelium est vocatus, hucusque Nicephorus.

Narrat Cromerus, lib. X *Histor.*, Lescum, Polonorum principem, cum parva manu insecurum multa Lithuanorum millia, qui Poloniæ divexabant, cumque ex labore itineris paululum requievisset, Michael Archangelus illi adstitit et suum illi auxilium promisit, ac de victoria certum reddit : qui victor rediens eidem angelo Lublini templum exstruxit.

Nota est dedicatio ecclesiæ S. Michaelis, ejusque apparitio in monte Gargano sub Gelasio Pontifice, quam recolimus die 8 maii. Paulo post Bonifacius Pontifex ecclesiam nomine S. Michaelis constructam dedicavit die 29 septembries in summitate circi, quæ ab altitudine, *Inter nubes* vocatur. Ita Addo et Baronius anno Domini 531. Celebre quoque fuit templum S. Michaelis Conisive Colossis, quod quia violare ausus est Alexius

iconoclasta, hinc post largiorem compotationem a sacerdote quodam suo gladio jugulatus est, inquit Nicetas Coniata, lib. III *Annal. Isaci* *Imperatoris*.

ET VENIET TEMPUS. — Hebraice וְנִזְמָן וְנַעֲמָן et tsara, id est tempus afflictionis : erit enim tunc « tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, » ut ait Christus *Matth. xxiv, 21*. Quam atrox et varia futura sit persecutio Antichristi, explicui *II Thess. ii, 10*, *Quæst. V*, et *Apoc. XIII*.

SALVABITUR POPULUS TUUS. — « Tuus, » o Daniel ! puta Judei in fine mundi salvabuntur, præsertim cum viderint Antichristum, in quem crediderant, a Christo profligari, et detrudi in tartara. Judæos vocat populum Danielis, quia Daniel vir desideriorum eorum salutis erat studiosissimus ac si eorum fuisset mater. Sic enim Galatis, cap. iv, 19, ait Apostolus : « Filioli mei, quos iterum parturio. »

OMNIS QUI INVENTUS FUERIT SCRIPTUS IN LIBRO. — Plerique enim Judei, occiso Antichristo, convertentur ad Christum, itaque salvi fient ; quia brevi tempore quod restabit ad diem judicij, in fide et gratia Christi persistent, ideoque scripti sunt in libro præscientiae Dei et prædestinationis ad gloriam. Novit enim Dominus qui sunt ejus. De hoc libro multa dixi *Exodi xxxii, 32*, et *Philipp. iv, 3*.

Nota : Tò *omnis qui inventus fuerit*, significat non omnes Judæos, qui erunt in fine mundi, scriptos esse in libro vitæ, ac proinde non omnes convertendos esse et salvandos ; sed aliquos mansuros in sua infidelitate et damnandos : quam plurimi tamen convertentur et salvabuntur, hoc est enim quod ait Apostolus *Rom. xi, 26* : « Et sic omnis Israel salvus fieret : » « omnis, » id est plerique, et pene omnes. Ita Theodoretus et S. Gregorius, hom. 12 in *Ezech.*

Vers. 2. **2. ET MULTI DE HIS QUI DORMIUNT, etc., EVIGILABUNT,** — hoc est multi dormientium, ut vertunt Septuaginta. Hebrei enim ablativum cum præpositione ponunt pro regimine genitivi. Jam multi dormientium, hoc est multi dormientes, puta omnes dormientes. Dicit tamen « multi, » ut notet hos omnes non fore paucos, sed multos, q. d. Omnes dormientes, qui erunt multi, et pene innumeri, resurgent, sive tota multitudo dormientium, quæ plurima est, resurget. Sensus est, omnes qui mortui sunt resurgent. Sic tò *multi* capit pro omnes, *Rom. v, 15* : « Unius delicto multi mortui sunt ; » et *Matth. xxvi, 28* : « Qui pro vobis et pro multis effundetur. » Ita S. Augustinus, *XX De Civit. xi*, Theodoretus et alii. Licet ergo quidam opinati sint non omnes homines morituros, ac consequenter nec omnes a morte resurrecturos, nimirum eos qui vivent sub diem judicij : hos enim sine morte immutandos, et vivos transferendos ad vitam immortalem, cum obviam rapientur Christo judici in aera, uli videtur dicere Apostolus, *I Thessal. iv, 16*. Idem docent S. Chrysostomus, Theophylactus, OEcume-

nus, Theodoretus, S. Epiphanius, *haeres. 64*; S. Hieronymus, *epist. 148*, *Quæst. III*; Tertullianus, *De Resurrect. cap. xli et xlvi*; Origenes, lib. V *Contra Celsum* : tamen hi, omnesque alii Patres et Doctores consentiunt omnes qui mortui sunt, a morte resurrecturos in die judicij. Ita S. Hieronymus *ad Pammachium*, epist. 61, S. Augustinus, *Enchir. lxxxiv*, S. Gregorius, XIV *Moral. xxxi*, et alii passim. Ergo mortuos omnes homines esse resurrecturos est de fide. Id enim diserte asserit Christus alludens ad hunc Danielis locum, *Joan. v, 28* : « Venit, inquit, hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicij, » id est damnationis et gehennæ, ad quam justo Dei judicio damnabuntur. Et S. Paulus, I *Cor. xv, 22* : « Sicut, ait, in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. » Et mox vers. 51 : « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. » Denique si aliqui resurgent, ergo omnes. Non est ratio cur hic resurgat, non ille, cum omnium eadem sit conditio. Cum ergo angelus hic ait : « Multi evigilabunt, » non negat omnes, sed potius omnes comprehendit.

Nota : Dicit hic *multi* potius quam *omnes*, tum ad sermonis copiam, ne vocem *omnis* iteret ; dixit enim : « Omnis qui inventus fuerit scriptus in libro ; » tum propter sequentem distributionem, q. d. Multi ex mortuis resurgent ad gloriam, multi ad opprobrium æternum. Ita Maldonatus. Secundo, dicit *multi*, quia opponit hos multos paucis Judæis, qui tunc vivent et salvabuntur, uti dixi versus præcedenti, q. d. In fine mundi omnis fere populus tuus, o Daniel, id est plerique omnes Judæi tunc victuri convertentur ad Christum, salvabuntur, et resurgent ad gloriam : at hi omnes erunt pauci ; multi vero, imo plurimi erunt, qui ab omni sæculo in toto mundo mortui, tunc resurgent, alii ad gloriam, alii ad gehennam. Quocirca huc alludit S. Joannes, *Apocal. vii*. Ubi cum dixisset ex Judæis in fine mundi convertendos et salvandos fore 144 millia, puta 12 millia ex qualibet tribu, subdit vers. 9 : « Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, etc., stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. » Quod enim ibi dicit Joannes ex Judæis salvandos fore 144 millia, hoc Daniel hic dicit : « In tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. » Rursum, quod Joannes ibi dicit : « Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ; » hoc Daniel hic dicit : « Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam, alii in opprobrium. » Alludit, dico, non citat : nam Joannes de solis salvandis in die judicij loquitur, Daniel vero tam de reprobandis, quam de salvandis. Rursum, Joannes Judæis paucis in fine mundi salvandis, opponit multas gentes tum pa-

Plerique
Judei oc-
ciso Anti-
christo
conver-
tentur ad
Chris-
tum:

non om-
nes.

riter victuras et salvandas; Daniel vero paucis Iudeis tum victuris et salvandis, opponit innumera multitudinem hominum omnium prius mortuorum, qui tunc resurgent.

Hinc patet Iudeis a Deo et angelis revelatam fuisse resurrectionem mortuorum. Quod enim Rabbini aliqui putant Iudeos ab Antiocho oppressos hic vocari mortuos, eorumque liberationem vocari resurrectionem, insulsum est: nec enim Iudei tunc resurrexerunt ad vitam æternam; quod tamen de mortuis hisce dicitur. Sic et animæ immortalitatem, ac ex ea consequentem resurrectionem corporum per umbram cognoverunt gentiles. Demosthenes, cum fugeret Antipatrum, Architæ blande ei pollicenti vitam, si rediret, respondit: « Absit, ut vivere turpiter malim, quam honeste mori, postquam Xenocratem et Platonem audivi de animi immortalitate disserentes. » Ita refert Cardinalis Bessarion in *Apologia Platonis*.

Trismegistus in *primo Dialogo Pimandri*, ex animalibus ait solum hominem esse duplicitis naturæ, mortalis propter corpus, immortalis propter animam: additque «animum justi harmoniæ motione exutum ad cœlum ascendere, ubi una cum cœtu mentium beatarum laudat Deum, quo omnes illic fruuntur. » Eadem fuit sententia Ciceronis in *Somnio Scipionis*. Hinc fluxit opinio Elysiorum Camporum quos canit Virgilius, VI *Aeneid*. Didimus ille inter Brachmanas princeps ita scribit ad Alexandrum Magnum: « Non sumus hujus mundi incolæ, sed advenæ, nec ita in orbe terrarum venimus, ut in eo libeat consistere, sed transire: properamus enim ad larem patrium. » Plures citavi *Genes. xxxvii*, 35.

Mors æternæ vocationis opprobrium, cur? In OPPROBRIUM, — in mortem æternam: opponitur enim vitæ æternæ. Mors hæc vocatur opprobrium, quia ignominiosissima erit æque ac molestissima. «Gravissima pœnarum pudor est; impii enim resurgent ad pudorem et opprobrium æternum, » ait S. Chrysostomus, homil. 6 in *Epist. ad Ephes.* Si enim ingens pena est, cum dux coram rege proditionis convincitur; cum latro reus publice in furcam agitur; cum regia conjux publice ut adultera capite plectitur: quis erit pudor, cum reprobi coram toto mundo, quia læsa majestatis divinae rei, infames, incesti, proditores, damnabuntur ad æternas pœnas, ut cum teterimis dæmonibus in gehennæ carcere, pice, fumo et flamma vitam perennem agant? Qualis erit illa exprobatio Christi in die judicij ad reprobos? Ego vos pavi, lavi, vestivi, redemi meo sanguine: vos me esurientem, sitientem, nudum, afflictum non pavistis, non potastis, non vestistis, nulla re juvistis; ego pro vobis flagellatus, concisus, occisus sum: vos iterum vestris sceleribus me flagellastis, concidistis, occidistis; ite ergo, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

Audi Christum judicem exprobantem apud S. Augustinum, serm. 67 De Tempore: « Ego te, o

homo, de limo manibus meis feci; ego terrenis artibus infudi spiritum, ego tibi imaginem meam conferre dignatus sum; tu vitalia mandata contemnens deceptorem sequi, quam Deum maluisti. Cum expulsus de paradiso mortis vinculo propter peccatum tenereris, carnem assumpsi, in præsepio expositus, et pannis involutus jacui, infantæ contumelias, humanosque dolores pertuli, irridentium palmas et sputa suscepit flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Cur quod pro te pertuli, perdisti? cur ingrate redemptionis tuae munera renuisti? cur habitaculum, quod mihi in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti? cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa in qua quondam pependeram, afflixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quam illa in quam tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Et quia post omnia mala ad medicamenta pœnitentiae confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari: despexisti enim in judice veniam. »

Tunc dicent impii præ pudore et timore montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. Vide et exprobationem Christi judicis ad Elpidophorum, quam ei intentat Muritta diaconus apud Victorem Uticensem, lib. III *Persecut. Wandal.* recitavi eam, *Rom. vi*, 4. Errat ergo R. Saadias, qui solos justos et sanctos resurrecturos putat; et Iudei, qui solos Iudeos a Messia resuscitandos putant.

לְדָרֹן אָוֶל — Hebraice est lediron olam, quod Septuaginta, Vatablus et Pagninus vertunt, *in contemptum æternum*; Marinus in *Lexico*, *in reprobationem et abominationem æternam*, ut Deus, angeli et sancti eos exsecentur et abominentur perpetuo. Syrus et Arabicus vertunt: *in perditionem et ignominiam sociorum suorum in sæculum*; forte pro **לְרָאֹן** reon, legerunt **רַעֲיָה** reim, id est sociorum amicorum. Secundo, alii vertunt, *Secundo*. *In durationem doloris æternam*, quasi diron conflatum sit ex **דָּרָן** dor, id est duratio, et **רָאֹן** on, id est dolor. Tertio, alii vertunt, *in durationem concupiscentie*, vel *peccati æternum*, on enim non tantum dolorem, sed et concupiscentiam, et peccatum (quod omnis doloris est causa) significat. Quarto, Noster hic et *Isaïæ*, cap. ult., vers. ult., cum Chaldaeo diron vertit *satietas visionis*, quasi diron conflatum sit ex **שְׁבִיא** de, i. e. sufficientia, satietas, et **רָאֹן** raon, i. e. visio: visionem tam activam quam passivam intellige, hoc est, ut videant et videantur. Activam hic accipit Interpres noster, q. d. Resurgent alii in mortem et opprobrium, ut videant, id est ut sentiant et experiantur semper supplicia, opprobria et dolores mortis æternæ, ut semper moriantur, semper agonizent, et nunquam sint mortui. Passivam accipit *Isaïæ*, cap. ult., vers. 24, quia ibi additur « omni carni. » Ait enim: « Erunt (damnati) usque ad satietatem vi-

judicis
ad repro-
bos.

xron
quid?
Primo.

sionis omni carni , » q. d. Videbuntur ; eruntque probro et ludibrio omnibus hominibus ; aut, ut Forerius, R. David et alii , q. d. Erunt nauseæ et detestationi omnibus videntibus, ne videlicet ve- lint eos videre ob multitudinem vermium quibus scatebunt. Putat enim R. David *diron* deduci a נֶרֶד *dara*, quod ipse interpretatur *vermem*. Unde hic *diron olam* vertit, *vermem sempiternum*. « Ver- mis enim eorum non moritur, et ignis non extin- guitur , » *Isaiæ LXVI, 24.*

Hæc ruminans B. Isaias abbas, tom. II *Biblioth. SS. Patrum*, orat. 29, ita lamentatur : « Væ nobis, qui hic sine timore nos peccatis obstringimus ! quoniam illic nos ignis æternus excipiet, et tene- bræ exteriores, et vermis qui non dormit, et luctus, et stridor dentium, et coram angelis et crea- turis omnibus dedecus sempiternum.

« Væ nobis, quorum animæ confusæ, et a pœ- nitentia alienæ in resurrectione et horrendo illo gentium omnium judicio assumptis corporibus suis, cum fletu et stridore dentium in gemitus, et luctus, et cruciatus conjicientur acerbissimos ac sempiternos !

« Væ nobis, qui in isto peregrinationis exilio detestandas oblectationes consectamur, et para- disi deliciarum obliiti, contemnimus regnum cœ- lorum !

« Væ illis, qui aliis laborant, et sibi ipsis non prosunt.

« Væ nobis, qui cum assiduos conscientiæ nos reprehendentis stimulus sentiamus, non erubescim- mus, nec rationem actionum omnium nostrarum reddituri, Dei judicium formidamus ! »

Vers. 3. 3. Qui AUTEM DOCTI FUERINT, FULGEBUNT, etc. — Ex hoc loco docent Doctores corpora Beatorum tota fore lucida exterius et interius, ut tota luce penetrantur, sintque transparentia. Sic enim lux penetrat firmamentum et stellas, facitque eas to- tas et omnino lucidas : hocque erit ingens Beato- rum gaudium, quod seipsos suique partes inti- mas, æque ac sociorum perspicere poterunt, ita ut nihil lateat quod non videant. Ita docent D. Tho- mas, Richardus, Paludanus, Sotus Major, atque alii quos citant et sequuntur Franciscus Suarez, III part., tom. II, disput. 48, sect. ii, et Joannes Salas, I II Quæst. V, art. 5, tract. II, disput. 14, sect. xv. Neque lux hæc colori corporum officiet. Sic enim vitrum varios colores suscipit, et tamen lumine intime penetratur : quin et alia corpora crassa colorata sunt et lucida ; ac ratione coloris videntur in die, et ratione lucis in nocte, ut patet de noctiluca, nitedula, cicindela, lampyride, qui est vermiculus noctu lucens ut margarita, quo exemplo ad rem hanc confirmandam uti- tur *Cyrillus Hierosolymitanus*, *Catech.* 8, dum ait : « Justi splendebunt ut sol, et tanquam luna, sicut et splendor firmamenti : et prævidens istam hominum incredulitatem Deus, vermis parvulis lucidum dedit corpus, ut eo splendorent, ut ex apparentibus crederetur id quod exspectamus :

qui enim partem potuit præstare, poterit et totum ; et qui fecit ut vermis lumine splendoreret, multo magis hominem justum splendidum efficiet . »

Quæres, an alii hic sint justi, et alii docti : an alius splendor firmamenti, alius stellarum ?

Primo, Dionysius Carthusianus : Docti, inquit, sunt omnes justi. Hi enim sunt scientes Deum, ut dixit cap. præced., vers. 32; hique docti sunt a Spiritu Sancto pie et sancte vivere; sæpe tamen non sufficiunt ut alios doceant : unde his in sequenti hemistichio præponit doctores. Huc facit illud S. Leonis, serm. *De Epiphania*: « Quicumque, ait, in Ecclesia pie vivit et caste; qui ea quæ sursum sunt sapit, non quæ super terram, et cœlestis quo- dam modo instar est luminis. Et dum ipse sanctæ vitæ nitorem servat, multis viam ad Dominum quasi stella demonstrat. »

Verum obstat vox *autem*, cum ait : « Qui au- tem docti fuerint, » qua distinguit doctos ab aliis justis et sanctis, qui omnes, uti præcessit, evigi- labunt in vitam æternam. Unde S. Hieronymus *ad Paulinum* : « Vides, inquit, quantum inter se distent justa rusticitas, et docta justitia ; alii stel- lis, alii cœlo comparantur. » Hinc et Averroes dixit hominem doctum et hominem indoctum ita dif- ferre, ut de iis homo, sive natura hominis, non prædicetur æqualiter.

Secundo, alii melius putant hic distingui doctos Secunda- tam a doctis, quam a Doctoribus. Hos enim esse tres gradus Sanctorum, uti sapientia et merito , ita et præmio dispares. Sancti ergo simplices et indocti sunt quasi cœlum cœruleum, purum et pellucidum : docti vero sunt quasi splendor fir- mamenti, id est sicut candor, vel nubes candida quæ resplendet in cœlo cœruleo : doctores autem aliorum sunt lucentque quasi stellæ. Hi enim sunt tres uti lucis, ita et Sanctorum gradus. Audi et Rabbinos in *Midras tehillim*, in *Expositione Psal. XI*, ad vers. : *Quoniam justus Dominus et justitias dilexit : æquitatem vidi vultus ejus* : « Hi, inquiunt, justi sunt, de quibus dictum est *Daniel. XII* : Et intelligentes splendebunt sicut splendor cœli. Fu- turum siquidem est ut facies justorum fulgeant tanquam sol, tanquam luna, tanquam cœlum, tanquam stellæ, tanquam fulgura, tanquam li- lia, tanquam lampades. *Primo*, tanquam sol, si- cut dictum est *Judicum* cap. v : *Sicut egressus solis in fortitudine sua*. *Secundo*, tanquam luna, sicut dictum est *Psalm. LXXXV* : *Sicut luna præpara- rata in æternum*. *Tertio*, sicut cœlum, uti dictum est *Daniel. XII* : *Velut splendor cœli*. *Quarto*, tan- quam stellæ, sicut dictum est *Daniel. XII* : *Splen- descent ut stellæ*. *Quinto*, tanquam fulgura, sicut dictum est *Nahum* II : *Ut fulgura discurrant*. *Sexto*, tanquam lilia, sicut dictum est in *Psalm. LXVIII* : *Super liliis*. *Septimo*, tanquam lampades, sicut dictum est *Nahum* II : *Visio eorum tanquam lampadarum*. » Deinde totidem classes justorum hisce assignans, subdit : « *Prima diversitas* (vel clas- sis) est eorum qui ante faciem regis habitant, et

Andocto-
res præ
aliis jus-
tis lucc-
bunt ?
Prima
sen-
ten-
tia.

Sancti
indocti
lucent
ut cœ-
lum, doc-
ti ut
splendor
fir-
ma-
menti,
doctores
ut stel-
lae.

intuentur regem et faciem ejus, sicut dictum est : Habitabunt recti coram facie tua. *Secunda* est eorum de quibus dicitur : Beati qui habitant in domo tua. *Tertia*, eorum de quibus aiunt : Quis ascendet in montem Dei ? *Quarta*, de quibus dicitur : Beatus, quem elegisti, et appropinquasti. *Quinta*, de quibus dicitur : Deus, quis hospitabitur in tabernaculo tuo ? *Sexta*, de quibus dicitur : Quis habitabit in monte sancto tuo ? *Septima*, de quibus dicitur : Et quis surget in loco sancto ejus ? Quælibet autem harum diversitatum habet mansionem per se paratam in paradiso deliciarum. » Hisce totidem impiorum classes opponens, subdit : « Et e contra septem quoque habentur mansiones in gehenna pro impiis. Et sunt istæ : *Seol*, id est infernus; *Abadon*, id est perditio; *Ghe*, id est vallis, vel profundum; *Duma*, id est taciturnitas : *Zalmaveth*, id est umbra mortis; *Erets tach-tich*, id est inferior; et *Erets tzia*, id est terra sitiens. Hæ sunt septem mansiones impiorum, et septem justorum. Cuilibet autem juxta opera eorum, domus mansionum ipsorum. » Ita Rabbini rabbinice.

Tertia et genuina. *Tertio* et genuine, S. Hieronymus, Maldonatus, Pererius et alii per doctos intelligunt doctores, ut idem dicatur sequenti hemistichio quod dictum est priori, more Hebræo. Probatur, *primo*, quia hebræum מַשְׁכָּלִים maskalim, non tantum doctos, sed et docentes significat : non enim doctis, sed docentibus præmia dari convenit, ait Maldonatus. *Secondo*, quia plane alludit Daniel ad doctos tempore Antiochi et Antichristi, de quibus dixit cap. xi, 33 : « Et docti in populo docebunt plurimos; » in tanta enim persecutione doctorum omnium officium erat, docere et confirmare alios in vera fide; tunc ergo omnes docti erant et aliorum doctores, partim verbo, partim exemplo. *Tertio*, quia proprie non est aliis splendor firmamenti, quam stellarum et a stellis : nubes enim candida non est splendor firmamenti, sed lux et candor. Unde Septuaginta vertunt : *Et intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti, et a justis multis quasi stellæ in sæcula*. Id magis patebit in sequenti. Quanquam probabiliter censem Scholiastes in editione Septuaginta per Caraffam, Septuaginta, τὸ δίκαιων, id est justis, posuisse pro δικαιούστων, id est justificantibus, hoc est, ad justitiam erudientibus, ut habent Hebræa et Noster.

Nota *primo* : Docti sive intelligentes, puta qui veritatem intelligent, sacramque Dei nomen, ut ait S. Clemens, lib. V *Constit. Apost.* cap. vi, puta Deum, Deique legem, ut explicat Turrianus; hic intelliguntur non speculative tantum, sed et practice, quæ est scientia Sanctorum, *Sapient.* x, 10; et sapientia ac prudentia justorum, *Luce* i, 17, cuius passim meminit Sapiens in *Proverbii*. Hi ergo docti sunt ii, qui eruditi sunt in lege Dei, ea ratione ut eam in praxin deducant et observent, ita ut, quo sunt doctiores, eo sint et sanctiores. Hi fulgebunt præ aliis justis, uti splendor firma-

menti fulget præ ipso firmamento. Rursum iidem, qui actu non unico, sed crebro et continuo ad justitiam erudiant multos, sive, ut hebraice est מַצְדִּיקִים matsdike, id est qui justificant multos, id est qui sua doctrina et exhortatione, æque ac exemplo peccatores convertunt, eosque faciunt justos vel justiores; ac nominatim qui in tentatione ac persecutione alios in fide et justitia confirmant; sive publice in scholis, uti faciunt doctores; sive in templis, uti faciunt concionatores et catechistæ; sive privatim in confessione, colloquio, mensa, domo, etc.; hi fulgebunt quasi stellæ aliis præfulgentes, aliasque illuminantes, in perpetuas æternitates.

Angelus ergo hic proprie non loquitur de iis qui docent profana, aut humana jura, philosophiam, aut theologiam modo tantum speculativo atque scientifico; sed de iis qui ea ad praxin dirigunt, iisque quasi escis et setis, in discipulorum animos inducunt et inserunt Dei timorem et pietatem, uti faciunt viri religiosi, qui sacerdotes scientias hoc fine docent. Ili enim sacerdibus miscendo pia monita, documenta et exhortationes, auditores suos erudiunt et efformant ad justitiam, eosque justos et sanctos, æque ac doctos efficiunt. Nam, ut ait S. Dionysius : « Divinarum omnium perfectionum divinissima est, Dei cooperatorem esse in reductione animalium ad Creatorem; » estque angelicum opus alios purgare, Angelii illuminare, perficere. « Sancta quippe rusticitas cum est solum sibi prodest, et quantum aedificat ex vita alios purgare, illumina merito Ecclesiam, tantum nocet si destruentibus non resistat, » inquit S. Hieronymus *ad Paulum*. Hi ergo sunt Cherubini simul et Seraphini. Talis fuit S. Bonaventura doctor Seraphicus : tales decet esse omnes Doctores, Theologos, praesertim Religiosos. Porro Syrus vertit : Factores bonorum, et intelligentes lucent ut lumen firmamenti; et qui justificant multos, erunt fulgentes et stantes sicut stellæ in sæculum, et in sæculum sæculorum; Arabicus Anliochenus : Qui habent sensum (rationem) lucebunt ut lux cœli; et sicut justificant multos, erunt nitentes velut sidera, et perdurabunt in sæculum sæculorum; Arabicus Alexandrinus : Sensati et factores boni lucebunt ut lumen cœli; et qui justificati sunt plurimum, habebunt hoc (lumen) velut sidera, et perdurabunt in sæculum. Sanctorum ergo Doctorum gloria et claritas erit instar stellarum, in quibus lux est densior et ad res alias illuminandas efficacior; sic enim et hi, uti in omnium quos erudiunt ad justitiam, meritis quodam modo merentur : ita in eorum omnium coronis et ipsi coronabuntur, ait Dionysius Carthusianus. Et sicut in terris, cæteris quasi stellæ illustres præluxerunt per sapientiam et gratiam; ita in cœlo iidem pariter quasi stellæ radiantes præluebunt, per illustrem coronam et gloriam.

Nota *secundo* : Loquitur hic angelus de iis qui Doctores tum verbo, tum exemplo, praesertim constantiae, maxime in virtute, justitia, sanctitate, et lege Dei usque hic sunt qui alios

~~excitant ad mortem et martyrium~~ ~~ad constantiam et martyrium~~ alios docent et corroborant. Hi enim verbis et factis docent et ostendunt quam breves, viles et exiles sint omnes opes, deliciae et pompe terrene : nimurum eas esse meros fumos et bullas puerorum, quæ exterius turgidæ et magnæ videntur, cum interius sint inanes et vacuae, nec nisi aerem et ventum continent : pari enim modo mundanæ opes et honores, pompa sua externa quid magni ostentant, sed intus carent substantia, veritate et soliditate. Ili docent vera, solida et æterna bona esse in cœlis, quæ Deus promisit contemnentibus terrena. Hi verbis et factis S. Scripturæ docent quantum bonum sit virtus, Deique timor et amor, ac quantum malum sit peccatum, Deique immensi offensa et ira. Denique hi in persecutionibus reipsa docent tormenta omnia esse brevia et exilia præ magnitudine æternæ gloriae, quam certo exspectant, illudque Apostoli classicum, tam fortiter patiendo omnia tristia et dura, quam exhortando, cunctis insonant : « Non sunf condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis ; momentaneum enim et leve tribulationis nostræ æternum gloriae pondus operatur in nobis. »

Ita fecerunt SS. Sebastianus, Vincentius, Laurentius, primique Pontifices Romani : hæc enim est vera doctrina et sapientia Sanctorum. Alludit enim angelus ad Levitas Machabæos, aliasque doctores et martyres, qui fuerunt tempore Antiochi, eruntque tempore Antichristi, de quibus dixit cap. præcedenti, vers. 33 : « Et docti in populo docebunt plurimos, et ruent in gladio et in flamma ; » et vers. 35 (utrobique enim est in Hebreo eadem vox quæ hic, puta *maskilim*) : « Et de eruditis ruent, ut conflentur, et elegantur, et dealbentur. » Hi enim sunt doctores divini, ideoque fulgebunt ut stellæ in æternum. Imo aliqui, ut Alcazar supra citatus, vult de iis solis, puta de Mathathia et Machabæis, hic agi : et Maldonatus per doctos et doctores hos accipit eos, qui alios docent suo exemplo, præserlim martyres. Hoc est quod de iis sancit aitque Christus, *Matth. v*, 19 : « Qui fecerit et docuerit (legem et mandata Dei), hic magnus vocabitur in regno cœlorum. » Nam de aliis, qui verbo docent, vita dedocent, ait ibidem : « Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. »

Nota tertio : Majorem gloriam habehunt hi docti et doctores, quam plebeii, rudes et indocti, non tantum accidentalem, sed et essentialiem. Ratio est, quia hæc eorum doctrina, cum sit practica et affectuosa, majorem involvit charitatem, gratiam et spiritum : hoc enim impulsi alios docent, eosque eodem, puta Dei et cœlestium cognitione et amore, imbuunt : majori autem gratiae et charitati major a Deo promissa est, quasi merces, beatitudo et gloria essentialis. Alioqui, si quis plebeius et rufus, v. g. rusticus, ma-

jore prædictus sit gratia et charitate, quam doctor et concionator (quod non raro fit in iis qui toti speculationi aridæ, aut verborum concinnitati et flosculis student) majorem pariter quam doctor consequetur gloriam essentialem, etsi accidentalem doctoris lauream non sit obtenturus. Hi ergo Danielis docti et doctores fulgebunt : primo, majori lumine gloriae in anima ; secundo, majori gloria corporis ; tertio, propria aureola. Tres enim sunt aureolæ, scilicet Doctorum, Virginum et Martyrum, uti docent Doctores. Porro aureola hæc erit peculiaris gloria animæ et corporis, decor et corona instar stellæ : atque probabile est in martyribus fore, ut ait S. Augustinus, serm. 1 *De Omnibus Sanctis*, coronam in capite, et, ut Dominicus Soto docet in IV, disp. XLIX, in fine, in Martyribus claritatem toto corpore fore subrubeam et purpuream instar rosarum ; in Virginibus claritatem fore candidam instar liliorum ; in Doctoribus claritatem fore stellatam, et viridem instar lauri. Erit enim, ait Dominicus Soto, in corporibus Sanctorum color lucidus et lux colorata. Dos ergo claritatis Virginum erit albicans, Martyrum rubea, Doctorum viridis. Idem docet Josephus Anglesius, Quæst. *De Beatis*. art. vi, in fine. Similia de aureolis hisce docent Paludanus, in IV, dist. XLIX, Quæst. VIII, art. iv; S. Antoninus, III part. tit. XXX, cap. viii; Henriquez, tract. *De Fine hominis*, cap. xxvii, § 8; Bonaventura in *Breviloquio*, cap. ult.; Major, in IV, dist. XLIX, Quæst. XXIII, in fine. Addit Soto : Et forte Virgines gestabunt lilia, Martyres palmas, Doctores laureas aut virides ramos. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 1 *De Omnibus Sanctis* : « Floribus cœli nec rosæ, nec lilia desunt. Certent singuli ad utrosque honores amplissimas accipere dignitatem coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas : in cœlestibus castris pax et aries habent suos flores, » sed nostris præstantiores, nobisque incognitos, « quibus milites Christi coronantur. » Et S. Ambrosius, in cap. xii S. Lucæ : « Ubi, ait, integritas, ubi castitas, ubi religio, ubi fida sacrorum scientia, ubi claritas angelorum est ; illic Confessorum violæ, lilia Virginum, rosæ Martyrum sunt : sunt enim spinæ rosarum, quia tormenta sunt martyrum. »

Hac de causa Virgines beatæ cum liliis, Martyres cum rosis sœpe apparuerunt. Ita apparuit S. Agatha S. Dignæ, eique porrigo rosam et lilyum, eam ad martyrium et virginitatis bravium invitavit. Audi Eulogium, et ex eo Baronium, anno Domini 833. Cum Saraceni sœvirent in Ecclesiam Cordubensem, inter cæteros martyres virgo quedam adolescentula, merito et nomine Digna, Deo revelante et confortante, ad palmam processit. Paulo namque ante martyrium suum assistere sibi per somnum videt puellam, habitu et specie percomptam angelica, rosas et lilia manu gestantem. Quam cum de nomine causaque sui exploraret adventus : « Ego sum, inquit,

Aureola
Docto-
rum, Vir-
ginum,
Marty-
rum
qua?
Claritas
Marty-
rum erit
rubea,
Virgi-
num can-
dida,
Docto-
rum vi-
ridis.

B. Virgi-
nes cum
liliis,
Martyres
cum ro-
sis appa-
ruerunt.

Agatha olim propter Christum diris attrita sup-
pliciis, et nunc veni partem tibi purpurei mune-
ris hujus conferre : accipe libens donarium, et
viriliter age in Domino. Nam reliquias rosarum
et liliorum, quas in manu servo, post te ex hoc
loco datura sum migraturis. » Tali virgo sacra
visu ac munere illustrata, cum e dextra collo-
quentis rosam susciperet, magis humiliabat sese,
dicebatque cum lacrymis : « Nolite me Dignam
vocare, sed magis indignam, quia cuius meriti
sum, etiam nomine debo insigniri. » Et cum a
die revelationis suæ amore compuncta martyrii,
tacito cogitamine, quibus ad id posset indicis
adspirare, saepius ruminaret ; apertis silenter
œnobiis claustris, cum jam beatos pendere com-
perisset martyres, concito gradu judicem pe-
tens, cur fratres suos, præcones iustitiae trucida-
verit, assertione intrepida percunctatur : « An
quia, inquit, Dei cultores existimus, sanctamque
fideliter colimus Trinitatem, Patrem, et Filium,
et Spiritum Sanctum, unum et verum Deum fa-
tentes ; et omne quod ab hac credulitate dissen-
tit, non solum negamus, verum etiam detesta-
mur, maledicimur et confundimus, idcirco con-
fodimur ? » Hæc et his similia sancto et immacu-
lato ore disserente puella, nihil cunctatus arbiter
lictoribus decollandam committit, qui mox deli-
catis inferunt jugulam collis. Nec mora, conser-
natis corruens membris, equuleo deorsum versa
suspenditur, cæterisque trans flumen adsciscitur.
Hoc namque ordine hi tres advocati, Anastasius
scilicet presbyter, Felix monachus, et Digna virgo
beata eodem die dispariter ceciderunt. Hucusque
Eulogius.

Sub annum Domini 304, passa est Cæsareæ in
Cappadocia S. Dorothea virgo et martyr : cui, cum
duceretur ad supplicium Theophilus advocatus
præsidis irridens dixit : « Eia, tu sponsa Christi,
mitte de paradiſo sponsi tui rosas. » Et Dorothea
respondit : « Plane ita faciam. » Cum venisset ad
ictum percussoris, rogavit carnificem, ut permit-
teretur breviter precari : absolutaque oratione,
ecce puer ante eam apparuit ferens in orario tres
rosas elegantissimas (erat autem hiems; passa est
enim 6 februarii). Cui illa ait : « Obsecro te ut
feras ea Theophilo, et dicas ei : Ecce quod a me
petiisti, ut tibi de sponsi mei paradiſo transmit-
terem. » Ipsa autem percussa gladio perrexit ad
Christum. Interim puer rosas ad Theophilum de-
fert, dicens : « Ecce sicut promisit virgo Doro-
thea, ita transmittit tibi hæc de paradiſo sponsi
sui. » Eas excipiens Theophilus exclamavit :
« Vere Christus Deus est, et non est simulatio in
eo. » Unde captus, equuleo tortus, et gladio cæ-
sus, martyr ad Dorotheam in paradiſum evolavit.
Ita habet *Vita S. Dorotheæ*.

Similiter angelus, offerens S. Cæciliæ et Vale-
riano ejus sponso duas coronas e rosis et liliis
contextas, eos invitavit ad virginitatem et ad mar-
tyrium, uti habent *Acta Cæciliæ*.

Vis harum stellarum exempla? accipe : primo, Christus doctor doctorum, jam gloriōsus de seipso ait *Apocal. xxii*, 16 : « Ego sum stella splendida et matutina. » Secundo, Ecclesia, quæ est columna et firmamentum veritatis, apparuit S. Joanni, *Apocal. xii*, 1, quasi mulier habens in capite corronam « stellarum duodecim, » puta duodecim Apostolorum, qui Ecclesiæ doctores, et quasi stellæ præfulserunt, et præfulgebunt in æternum. Audi S. Chrysostomum, hom. *De Pentecoste*, sub fine torii III : « Quæ, ait, sunt tales stellæ sicut Apostoli? Stellæ in cœlo, Apostoli super cœlos. Quæ sursum sunt, inquit Apostolus, sapite, ubi Christus est in dextra Patris sedens. Stellæ de igne (ex sententia Platonicorum, juxta quam Poeta : Vos æterni ignes) insensibili, Apostoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obscurantur : Apostoli in die et in nocte suis radiis, hoc est virtutibus, effulgent. Stellæ, orto sole, obscurantur : Apostoli, sole iustitiae resplendente, sua claritate lucescunt. Stellæ in resurrectione cadent sicut folia : Apostoli in resurrectione rapientur in aera nubibus; et in illis quidem sideribus alius Antifer, alius Lucifer appellatur : in Apostolis autem nullus Antifer est, omnes Luciferi. Et ideo stellis majores Apostoli : et quicumque eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit; non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc quando de vita migrarunt. » Tertio, Moyses legislator et doctor veteris Testamenti præfulsit ut stella, dum facies ejus a Deo radios et quasi cornua lucis accepit, *Exodi xxxiv*, 29. Quarto, de Simeone, Oniæ filio, insigni doctore et pontifice, ait Ecclesiasticus cap. L, 6 : « Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsi in templo Dei. » Quinto, *Apocal. I*, 20 : « Septem stellæ, angeli (hoc est doctores et Episcopi), sunt septem Ecclesiarum » Asiæ. Sexto, S. Dominicus nobili cuidam matronæ in visu apparuit luculentam stellam in fronte gerens, cuius immodico splendore totus orbis irradiabatur, ut habet ejus Vita, lib. I, cap. I, et cap. ult. in fine. Septimo, S. Nicolaus Tolentinas, qui verbo et sancta austeraque sua vita multos erudit ad salutem, in cella sua dormiens vidi sidus radiantissimum : vigilans vero vidi stellam, quæ quotidie motu recto ipsum antecedebat usque ad altare; deinde stella hæc post mortem ejus, ipso die obitus quotannis ad tumulum ejus visa est. Idem sex mensibus ante mortem, qualibet nocte ante preces nocturnas audivit angelos suavissime canentes, ipsumque invitantes ad suum in cœlis consor-
tium; ita ut ipse ad eos aspirans diceret : Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Nimirum angelii amant doctores, utpote qui angelorum apud ho-
mines officio perfunguntur. Octavo, Abbas Poly-
chronius in *Prato spirit.* cap. vi, narrat de sancto quodam monacho, super cuius defuncti caput stella, quasi comes itineris apparere non destitit,

Docto-
rum stel-
laturum
exempla,
Primatum
Christi.
Secun-
dum,
Aposto-
lorum duode-
cim.

Tertiū,
Mosis.

Quar-
tu.,
Simeonis
filii
Oniæ.

Quin-
tum,
Episco-
porum
Asia sep-
tem.
Sextum,
S. Domi-
niici.

Septi-
mum,
S. Nico-
laï To-
lentina-
tis.

donec ipsum sepulturæ traderent, et cap. civ, narrat abbas Theodosius se vidisse stellam lucidissimam super caput Nonni presbyteri. Alius ibidem vidit eumdem Nonnum, extensis in cœlum manibus, orantem : « Lucebant autem manus ejus quasi lampades ignis. » Nono, in morte S. Thomæ Aquinatis, visa est viro cuidam religioso, stella incumbens monasterio, quæ eo animam exhalante in cœlum ascendebat : unde ipse, licet absens, S. Thomæ obitum æque ac gloriam cognovit. Ita refert Ferdinandus Castiglius in *Histor. Ordin. S. Domin.*, part. I, lib. III, cap. xxxiii. Vide dicta *Numer.* xxiv, 16 : « Orietur stella ex Jacob. » Decimo, B. Virgo Maria, id est domina, doctrix et stella maris, imo orbis, allegorice est mulier amicta sole, et coronata stellis duodecim, *Apocal.* cap. xii, ac toto corpore, totaque anima innumeris dotibus tam gloriæ quam gratiæ, quasi stellis lucidissimis coruscat, ut de ea vere cecinerit Poeta :

Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera cœlo.

Denique stellæ significant doctores et pastores esse oculos Ecclesiæ, sicut dux est oculus exercitus, et stella est oculus cœli. Hinc Demas insignis orator, mortuo Alexandro Magno, Macedonum doctore et ductore, eorum exercitum comparavit cum cyclope, cui effossus est oculus. Rursum stella cœlestis significat eos e cœlo a Deo doceri, duci, regi, ejusque instinctu et spiritu agi, ut auditorum corda illustrent, convertant, justificant. ad hoc enim vis humana non sufficit, sed divina requiritur.

IN PERPETUAS ÆTERNITATES. — Hebraice est, *in æternum et ultra*, id est in omnem æternitatem, et ultra eam, si quid esse aut fangi posset. Vide dicta *Exodi* xv, 18. Ecce quam modicus labor, quam modica passio, quantum parit gloriæ pondus. Quia doctores sunt « satores æternitatis beatæ, » ut ait S. Hilarius; hinc et ejusdem erunt messores. Maxima enim cœcitas et ignorantia quam homines trahunt ex Adamo, est, quod bona præsentia vilia, fluida et brevia præferunt veris, solidis et æternis : tantum enim intuentur pomparam et speciem æternam rerum, non res ipsas, instar puerorum, qui ex sapone et aqua bullas inflant, easque sectantur, quæ vento turgidæ mox tenues vanescunt in auras : ac instar canis Aesopici, qui carnem ore tenens, vidensque ejus umbram majorem, carnem dimisit, ut umbram caperet : ita homines bullas et umbras rerum sectantur, non res ipsas, ac proinde utrasque amittunt. Praeclare S. Augustinus, serm. 39 *de Temp.* : « Tota, ait, series Scripturarum nos a terrenis ad cœlestia erigi adhortatur, ubi vera et sempiterna est beatitudo, ad quam nisi per fidem catholicæ pacis, cooperante charitate Dei et proximi, neminem pervenire certissimum est. » O quam gloriosum est regnum in quo cum Christo doctore doctorum, regnant omnes Sancti, fulgent omnes

doctores ut stellæ, ut soles in perpetuas æternitates ! O Israel ! quam magna, quam diurna est domus Dei ! quam ingens locus possessionis ejus qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat ! O æterna sapientia Jesu amor noster ! doce nos, da ut et alios doceamus ad justitiam, ac tandem duc nos in Sancta sanctorum, ut ibi fulgeamus quasi stellæ in sæcula sæculorum.

4. CLAUDE SERMONES, ET SIGNA LIBRUM. — Hæc clausura et signatio significat, *primo*, longinquitatem prophetiæ, quod scilicet ea quæ in illa prædicuntur, post multa tempora sint eventura : ideo enim jussit eam signari angelus cap. viii, 26. Sic apud veteres liber obsignatus erat hieroglyphicum antiquitatis, ait ex Horo Pierius *hierogl.* 47, cap. xxxvi, eo quod in eo vel veteres sapientum disciplinæ, vel res gestæ, longæ posteritatis memorie commendentur, atque ita liber, ut ait Horatius : « Longum scriptori proroget ævum. » *Secundo*, ejusdem obscuritatem : quæ enim clausa sunt, obscura et impervia sunt. Hac de causa hæc eadem vidit S. Joannes in libro signato septem sigillis, *Apocal.* cap. v, 1. *Tertio*, ejusdem certitudinem : certa enim habentur quæ obsignata sunt, ut patet cap. viii, 26, q. d. O Daniel ! hæc omnia quæ capite decimo hucusque tibi revelavi, æque obscura sunt, ac longinqua et certa : quare sub figuris ea signa et claude, id est, conscribe ænigmatice, ut legentes non intelligent, q. d. Hæc non bene cognoscentur ante « tempus statutum, » scilicet legis novæ, ait Theodoreetus, in quo mysteria sacræ Scripturæ Christus aperiet : nec plene ante « tempus statutum, » quo ea quæ hic prophetata sunt, reipsa complebuntur, præsertim ea quæ de resurrectione bonorum et malorum, deque Doctorum gloria hic prædicuntur futura in fine mundi. Unde Pagninus vertit : *Usque ad tempus finis*; Septuaginta : *Usque ad tempus consummationis*. Quocirca prius plurimi pertransibunt et perlegent hasce prophetias, earumque multiplicem scientiam, id est, interpretationem afferent. Ita nimirum cum hæc scriberet Daniel, nemo ea intelligebat : post Antiochi tempus intelligi cœpta sunt quæ ad eum ejusque antecessores pertinent : ea autem que de Antichristo dicta sunt, necdum intelligentur ; intelligentur autem tempore Antichristi. Ita Maldonatus. Nam ut ait S. Irenæus : « Omnis prophetia priusquam compleatur, ænigma est ; cum autem completa est, manifestatam habet expositionem et intelligentiam. »

Ita veteres Ægyptii in foribus templorum pingebant sphinges, ut significant divina dogmata, oracula et mysteria abstrusa et abdita esse ; atque in arcanis duntaxat inter sapientes religionis cultores tractanda : et quia Augustus Cæsar erat silentii rerum sacrarum amantissimus, hinc sphinx ferebat sculptam in annulo quo litteras signabat. Erat enim sphinx monstrum, capite et manibus simile puellæ, corpore cani, alis avi,

Sphinx
ænigma
silentii
rerum
sacra-
rum.

unguis leoni, cauda draconi, voce homini; quod homines prætereunt difficultibus et inextricabilibus quæstionibus remorari ferebatur. Ita Pierius, *hierogl.* 1 et 7. Moraliter, docet hic Deus illud dogma Ptolemaei initio *Almagesti*: « Tuum consilium non committas nisi ei qui ipsum celaverit, » puta sapientibus et justis. « Justorum enim corda secretorum monumenta, ut ibidem ait Ptolemaeus.

Vers. 5.

5. **ER ECCE QUASI DUO ALII STABANT.** — Censet S. Hieronymus duos hosce viros stantes adversim in utraque fluvii ripa fuisse duos angelos, scilicet, principem regni Graecorum, et principem regni Persarum, qui Judæorum liberationi adversabantur, ut dixit angelus, cap. x, 13 et 20; tertium vero eis in ripa astantem fuisse angelum Hebræorum, qui a cap. x hucusque cum Daniele locutus est, quem verisimile est fuisse Gabrielem, ut colligitur ex cap. viii, vers. 16.

Aliter Alcazar in *Apocal.* x, 1, notat. 2; censet enim ipse hos duos viros in ripa stantes significare reges Austri et Aquilonis, hoc est Ægypti et Syriæ, qui bellorum tumultu Dei populum utrinque captum in maxima pericula, calamitates et ærumnas conjecturi erant, uti audivimus cap. præcedenti. Hi duo obsistunt angelo stanti super aquas, ne ad alterutram ripam evadat, hoc est, obsistunt Judæis (hos enim repræsentat ipse eorum angelus), ne ex hoc bellorum bivio manus alterutri evadant. Verum hæc spectant ad tempora Antichristi, uti patet ex prophetiæ decursu.

Vers. 6.

6. **ER DIXI** (scilicet ego Daniel: ita et Septuaginta; sed Hebræa jam habent וְיָמִין vaimer, et dixit, scilicet alter duorum angelorum stantium in ripa) **VIRO QUI ERAT INDUTUS LINEIS** (hoc est angelo Hebræorum, qui cum Daniele loquebatur, ut patet cap. x, 9), **QUI STABAT SUPER AQUAS FLUMINIS**, — puta Tigris, ut patet cap. x, 4: ibi enim degebat Daniel; idque ut designaret, primo, omnia imperia celerrime decurrere, uti velocissime decurrit Tigris; secundo, Judæos gentem suam, fluctibus aquarum, id est, ærumnis tribulationum et persecutionum, jactari.

USQUEquo FINIS HORUM MIRABILium, — quando hæ res mirabiles, quas prædixisti, evenient? **Se-**
cundo et potius, q. d. Quamdiu durabit, et quando finietur atrox illa persecutio Antichristi, quam tam operose et horride descriptsisti? Huic enim quæstioni respondet mox angelus dicens: « In tempus et tempora, et dimidium temporis. » Brevis enim tribulationis, si præsciatur, valde eam alleviat: unde propter electos breviauit Deus diem persecutionis Antichristi, ne illi succumbant, *Math.* xxiv.

Vers. 7.

7. **CUM ELEVASSET DEXTERAM ET SINISTRAM**, — cum, elevata manu dextera et sinistra, jurasset. Dextra elata solemus jurare: hic vero angelus etiam sinistram levat tum ob rei gravitatem, tum ad jura menti confirmationem. Juramentum ergo hoc significat Dei decretum de hisce oraculis rebus-

que futuris immutabile esse et irrevocabile.

QUIA IN TEMPUS. — Refer hæc ad *audiui*, q. d. Audivi angelum cum jurasset, dicentem: « Quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis, » id est per annum, et duos annos, et dimidium anni, hoc est, per tres annos cum medio durabit persecutio Antichristi, de qua quæris.

Alcazar in *Apocal.* xi, 2, not. 2, censet hic agi ad litteram de persecutione Antiochi: licet enim profanatio templi ab eo facta duraverit tantum tribus annis, ut dicitur I *Machab.* iv, 52, et testatur Josephus lib. XII *Antiq.* cap. x, alias xi, tamen profanatio urbis Hierosolymæ duravit tres annos cum dimidio. Tandiu enim ipse urbem et arcem Sion occupavit, et divinum cultum inhibuit, uti diserte docet Josephus in Prologo lib. *De Bello*, et cap. i. Consequenter quod dicitur hoc cap. vers. 12: « Beatus qui exspectat, et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque, » refert ipse ad arcis Sionis instaurationem, quæ ad majus templi præsidium et propugnationem fuit expiatum, uti liquet I *Machab.* iv, 60, et apud Josephum lib. XII, cap. x, alias xi. Verum passim Catholici, tam moderni quam veteres, hæc referunt ad persecutionem Antichristi, idque pluribus demonstravi cap. vii, 25.

ET CUM COMPLETA FUERIT DISPERSIO MANUS POPULI. — « Manus, » id est multitudinis: quia enim de bello agebat, militari usus est vocabulo, quasi dicat: Cum plurimi christiani dispergentur in solitudines et speluncas, ut cedant furori Antichristi, *Apocal.* xii, 6, tunc ea quæ hic prædicto, complebuntur; tumque Dei electi in tribulatione dealbabuntur quasi in igne, ut dixit cap. xi, et rursum hic dicit vers. 10. Theodoreus legit: *Cum perfecta fuerit dissipatio populi sanctificati, cognoscet sanctum*, scilicet Eliam prophetam, inquit, qui fideles fugientes Antichristum confortabit.

8. **ET EGO AUDIVI, ET NON INTELLEXI** (præsertim Vers. 8. id quod rogavi vers. 6, et quod iterum hic rogo): **QUID ERIT POST HÆC?** — Id est *Quis erit finis horum mirabilium?* Ita Hebræa et Theodotion. Unde sequitur:

9. **CLAUSI SUNT SIGNATIQUE SERMONES USQUE AD** Vers. 9. **PREFINITUM TEMPUS**, — q. d. Nemo hæc plene intelliget, donec adveniat tempus a Deo præfinitum, quo ea re ipsa evenient. Vide dicta vers. 4.

10. **NEQUE INTELLIGENT OMNES IMPII.** — Impii et Vers. 10. Antichristiani non intelligent hanc prophetiam, etiam cum viderint ea quæ hic dicuntur, evenire; quia prospera referent in Antichristi potentiam; et in hominum consilia; adversa in casum et fortunam aliasque causas naturales.

PORRO DOCTI INTELLIGENT, — q. d. Pii et sapientes christiani intelligent mysteria hujus prophetiæ, cum ea viderint impleri; quia nunc agnoscentes Dei providentiam levabunt capita sua, et cognoscet redemptionem suam appropinquare, Danielisque prophetiam impleri, uti in simili a Christo moniti fuerunt, *Math.* xxiv, 15.

Vers. 11. **11. A TEMPORE CUM ABLATUM FUERIT JUGE SACRIFICIUM, etc.** — Syrus vertit : *A tempore quo transibit oblatio (sacrificium), dabitur profanatio (abominatione) in corruptionem (desolationis), dies mille ducenti nonaginta; Arabicus Antiochenus : Eta tempore in quo mutatur sacrificium, dabitur in immunditiam, in desolationem, dies mille ducenti nonaginta; Arabicus Alexandrinus : Considerabunt in tempore quo transibit oblatio, et faciet malitiosus immunditiam et correptionem, dies mille ducenti nonaginta.*

A TEMPORE. — Porphyrius et aliqui catholici hæc intellexerunt de tempore Antiochi, qui sacra Judaica sustulit. Alius quidam putat hic designari tempus, quo Romanorum contra Judæos bellum duravit : si enim a 13 Neronis anno quo cœpit bellum hoc, usque ad secundum Vespasiani, quo debellata captaque est urbs, totaque Judæa, tempus numeres ; tres annos cum medio reperies. Verum, ex vers. 2, patet hic agi de fine mundi. Sicut ergo cap. ix, 27, prædictit Daniel fore abominationem desolationis in templo, in excidio per Titum, et rursum cap. xi, 13, in excidio per Antiochum Epiphanem : ita hic ait eamdem tertio fore in excidio per Antichristum, cuius illa duo priora fuerunt typus et præludium. Triplex ergo, sive ter repetita est hæc abominatione desolationis apud Danielem, *primo*, sub Antiocho ; *secundo*, sub Tito ; *tertio*, sub Antichristo.

Dico ergo, per *juge sacrificium* hic intelligi sacrificium Eucharistiae. Hoc enim est juge, quia in Missa quotidie per totum orbem in Ecclesia Christi offertur, sicut olim quotidie offerebatur juge sacrificium agni, *Exodi xxix*, 28. Unde Græca habent ἡδελεχιστός, id est *continuitas*, sive continuus Dei cultus. Significat ergo, quod Antichristus, cum plenus erit monarcha, auferet sacrificium Eucharistiae, ita ut nullus publice hoc facere audeat : ac consequenter tollet omnem publicum Dei cultum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Ireneus, lib. V; Primasius in cap. xi *Apoc.* et Hippolytus, tract. *De Consumm. sæculi*. Unde patet, cuius prodromi sint nostri hæretici Sacramentarii, qui non tantum sacrificii Missæ usum, sed et substantiam ac veritatem abolere et evertere moluntur. Porro, faciet id Antichristus *primo*, quia solus coli volet sacrificiis, precibus, etc. *Secundo*, ut aboleat locupletissimum passionis et redemptionis Christi monumentum ; hoc enim est Eucharistia. *Tertio*, ut fideles cibo hoc spiritali, qui fideles in tentatione et persecutione mire corroborat, privet ; itaque eos dejiciat, sibique subdat : Quare fideles tunc privatim in speluncis et locis abditis Eucharistiam celebrent, eaque se contra Antichristum communient, dicentque illud *Psalm. xxii*, 5 : « Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me, » ut olim fecerunt sub Decio et Diocletiano.

ET POSITA FUERIT ABOMINATIO IN DESOLATIONEM. — « Abominatio, » id est, idolum, puta Antichristus ipse, qui vice Christi coli volet ut Deus, idque in,

id est ad, « desolationem, » ut scilicet omnia bona Desolatio perdat et desolet. Ab hoc ergo tempore, et initio, usque ad finem persecutionis Antichristi, erunt dies mille ducenti nonaginta, id est, tres anni cum dimidio (uti dixi cap. vii, vers. 25); hi enim præcise faciunt dies 1278, sed ulterius excrescit persecutio per dies duodecim, scilicet usque ad dies 1290. Unde et S. Joannes, *Apoc. xi*, 2, docet Antichristum regnaturum per 42 menses, qui faciunt tres annos cum medio. Ita Theodoretus et Hieronymus, item Primasius, Beda, Anselmus, Aretas, Richardus, Rupertus et alii in *Apoc. xi*, de quo ibidem plura dixi.

Porro S. Ambrosius, lib. X in *Lucam*, Nazianzenus in *Scholiis super quedam Script. loca*, Damascenus, lib. IV, xxvii, et alii asserunt, quod olim Julianus Apostata in odium Christi aggressus est, id Antichristum perfecturum, scilicet, ut templum Salomonis rursum ædificet, et in eo sibi deitatis solium constituat, ibique ab omnibus adoretur quasi rex orbis, quasi Christus salvator hominum, quasi Deus denique omnium. Sed sive in hoc, sive in alio templo id faciat, clarum est et certum id eum facturum. Nam de eo ait Apostolus, *II Thessal. cap. ii*, 4 : « Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur : ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. » Vide ibi dicta.

Nota : Breve tempus statuit Deus huic persecutioni, ne sincret suos fideles tanta tentatione nimis diu premi et opprimi : erit enim immanis, et tanta, « ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, » *Matth. xxiv*, 24.

Aliqui censem totum tempus legis Evangelicæ vocari dies 1290, sive tres annos cum dimidio, id est dimidiæ hebdomadæ, quia, ut ait S. Joannes, nunc est novissima hora, cum jam venerit plenitudo temporum, nec sit jam nobis alia lex, alia Ecclesia, alias Christus exspectandus, q. d. Ab abominatione desolationis, id est ab eversione templi per Titum, usque ad finem mundi, erunt dies 1290, id est, explebitur ultima dimidia hebdomada ex illis 70, de quibus dixi cap. ix, 24. Verum hæc expositio nova, peregrina et hiulca videtur, tum quia angelus hic agit de tempore Antichristi, et fine mundi ; tum quia hæc sententia dimidiæ hebdomadæ ab aliis 70 divellit, iisque omnibus longe majorem efficit ; tum quia juxta eam angelus non 1290 dies, sed dimidiæ hebdomadæ dicere debuisse.

12. USQUE AD DIES MILLE TRECENTOS TRIGINTA QUINQUE. — Judæi aliqui diem pro anno accipiunt, sic que exponunt, q. d. A tempore quo vel ab Antiocho, vel ab Adriano Imperatore idolum positum fuit in templo, fluent anni 1335, quibus expletis, veniet Messias. Sed hoc figmentum redarguit chronologia : nam ab Antiocho usque ad nunc fluxerunt anni 1770 et amplius ; ab Adriano vero anni 1480 et amplius : et tamen eorum Messias needum comparet.

Vers. 12.
Dies
1335
qui ?
Prima
senten-
tia.

Antichri-
stus tol-
let sacri-
ficium
Missæ.

Cur?
Respon-
deo pri-
mo.
Secundo.
Tertio.

Secunda. Secundo, aliqui catholici censem angelum per tres numeros indicare tria tempora, scilicet per 1300 dies indicare totum tempus a Christo usque ad Antichristum; per triginta indicare totum tempus, quo regnaturus est Antichristus; per quinque ultimos indicare vitæ beatæ possessionem, et quidquid post finem temporis futurum est. Verum hæc nova expositio vel mystica, vel commentitia videtur.

Tertia. Tertio, Theodoreus opinatur per hosce dies, interempto jam Antichristo, Eliam prædicaturum, et conversurum eos qui lapsi fuerunt sub Antichristo. Sed fallitur: nam Elias occidetur ab Antichristo, ut patet Apoc. xi, 7.

Huc accedit Thomas Malvenda, lib. XI *De Antichristo*, cap. xix, qui censem tot dies, puta 1335 post mortem Antichristi superfuturos usque ad diem judicii; sive exponit, q. d. Beatus erit qui post mortem Antichristi, et post elapsos 1290 dies tyrannidis Antichristi, supervixerit alios 1335 dies: nam videbit Dominum in majestate venturum ad judicium; ut angelus hic Danieli revelet et significet, quod a morte Antichristi et restituzione iugis sacrificii usque ad diem judicii, præcise fluent 1335 dies, hoc est tres anni, et septem menses cum dimidio. Hic sensus non est improbabilis, sed novus, nec satis hosce dies cum 1290 immediate præcedentibus colligat et combinat; quod tamen videtur facere angelus.

Quarta. Dico ergo angelum respicere ad dies 1290, et vera vers. 11, quibus regnabit, et fideles persequetur Antichristus, atque fini persecutionis, puta morti Antichristi, superaddere 45 dies, q. d. Beati et felices erunt qui post mortem Antichristi vixerint: iis enim dabitur requies aliqua, et aliquod tempus quo possint commode animæ suæ salutem querere, et, si sub Antichristo lapsi sint pœnitentes; atque ad Deum gloriandum cœlestem aspirare. Ita Lyranus, Carthusianus, Pererius et alii. Hinc ergo non constat an a morte Antichristi usque ad diem judicii, finemque mundi præcise futuri sint 45 dies tantum: nam, ut ait S. Hieronymus, Daniel dicit post mortem Antichristi 45 diebus fore silentium et pacem; sed non negat plures fore dies, præsertim cum Ezechiel, xxxix, 9, post cædem Gog et Magog, qui cum Antichristo cædantur, ponat septem annos. Unde Sibylla, lib. III *Oracul.*, prædixit post Antichristum semi-nam viduam regnaturam, quæ aurum, argentum, æs et ferrum in mare projiciet, tumque seculatum finem mundi, et diem judicii. Vide dicta Ezech. Quocirca aliqui per 45 dies accipiunt 45 annos, quos dandos censem post Antichristum usque ad diem judicii, ut lapsi sub eo resipiscant. Si enim post occisum Christum a Judæis, dati sunt iis quadraginta anni ad resipiscendum, puta usque ad Titum et Vespasianum; cur non totidem et plures dentur toti orbi in fine mundi? Ita illi. Verum cum vers. 11 dies 1290 proprie capiantur pro diebus, non pro annis: ergo et hic, dum

iidem extenduntur ad dies 1335; porro 45 dies non sufficient ad convertendum lapsos, ad erudiendum infideles, ad restaurandas vel fundandas ecclesias toto orbe. « Beatus » ergo erit qui pervenerit ad dies 1290, non quod præcise die 1290 sit futurum extrellum judicium, quo Christus Sanctos et electos suos beabit, ut videtur dicere S. Hieronymus. Sic enim certo et determinate præsciri posset dies judicii, idque statim ab exordio regni et persecutionis Antichristi; nimurum exinde computando judicium præcise fore die 1290. Hoc autem repugnat illi sententiæ Christi: « De die autem illa et hora nemo scit, neque angelii cœlorum, nisi solus Pater, » *Math. cap. xxiv.* Sed « beatus » erit, eo quod tunc sacerdotes et concionatores e latebris suis prodeentes colligent fideles, et publice concionabunt, lapsosque sub Antichristo, per pœnitentiam Ecclesiæ restituent; infideles vero incitabunt ad fidem Christi capessendam, utpote qui tum videbunt se ab Antichristo fuisse delusos. Circa diem ergo 1290 refloscet Ecclesia, publicusque Dei cultus; quare « beatus » erit qui tunc vixerit, quia absque timore poterit Deum colere, eique reconciliari. Nam paulo ante, puta statim a morte Antichristi, ante diem 1290 magnus erit ubique timor et pavor retardans homines a fide et religione Christi profitenda; idque vel ob tot hominum plagas, strages et clades recentes, quæ superstites ita percellent, ut attoniti et emotæ mentis videantur: vel quia metuent ne supersint Antichristi principes et asseclæ, qui ejus persecutionem promoveant et instaurent: vel quia omnium animi erunt suspensi, non enim scient quænam futura sit religionis, Ecclesiæ et reipublicæ conditio vel mutatione: qui, qualesque futuri sint reipublicæ gubernatores et principes; quoniam rerum status inclinabit. Unde non audebunt se suamque fidem vel animum pandere aut profiteri: sed cum videbunt impios plane capita demittere et Episcopos et Doctores cervices erigere, ac publice et intrepide veram fidem concionari, ab eisque publicum christiana fidei exercitium restitui (quod fiet sub diem 45 a morte Antichristi); tunc ponentes pavorem et timorem, incipient de Deo deque salute sua cogitare, eamque facile per concionatores et sacerdotes zelosos, quos Deus tunc submittet, consequentur. Vide dicta Ezech. xxxix, 9.

Si quis malit sequi expositionem S. Hieronymi, ac dicere a nece Antichristi usque ad diem judicii et resurrectionis præcise fore 45 dies, sane apte exponet rō beatus, quia die 45 peracto, posterius die qui erit Paschatis, Christus electos suos qui in persecutione constantes steterint, vel lapsi pœnitentiam egerint, beabit et glorificabit. Atque ex ea deduces aliquid arcani et miri, nimurum Antichristum occidendum esse peractis Bacchanalibus primo die Quadragesimæ, ac deinde reliquos dies Quadragesimæ (ii enim præcise sunt 45) dandos lapsis ut pœnitentiant, ac se præparent

Post mortem Antichristi dabuntur 45 dies ad pœnitendum.

ad ultimum pascha quo resurgent, judicabuntur et beabuntur. Nam die eodem quo Christus surrexit, puta Paschatis, nos pariter resurrectos docent Lactantius, lib. VII, cap. xix, Anselmus in *Elucid.*, et alii quos citabo *Apocal.* xix, in fine.

Vers. 13. 13. **TU AUTEM** (Daniel), **VADE AD PRÆFINITUM** (vade ad mortem omnibus constitutam, q. d. Morieris, o Daniel! antequam hæc eveniant, sed suo tempore resurges); **ET STABIS IN SORTE**, — electorum et prædestinatorum. Secundo, « in sorte, » id est in ordine et gradu tuo, puta in gradu gloriæ, qui tibi dabitur pro mensura meritorum tuorum; quod Paulus ait: « Unusquisque in suo ordine. » Sicut enim alia claritas est solis, alia stellarum: sic erit et Beatorum, I *Corinth.* xv, 23 et 41, idque « in finem, » id est sub finem; vel, ut Vatablus

vertit, *in fine dierum*, puta in fine mundi, in generali resurrectione, et die judicii. Ita Theodoretus, Vatablus et alii. Aliqui sic exponunt, q. d. Vade, o Daniel! et usque ad præfinitum tempus æquo patientique animo feras tuam ignorationem hujus prophetiæ: cum enim tempus finitum erit, tu unus eris ex iis qui ad dies 1335 pervenient, id est qui erunt beati. Sed hic sensus, æque ut alii superius vers. 11 et 12 allati, alienior videtur. Porro Syrus et Arabicus vertunt: *Et tu, o Daniel!* vade ad finem, et quiesce, et surges in tempore tuo ad finem dierum.

Nota: Angelus cœlestem patriam vocat sortem, quia alludit ad ejus typum, puta ad terram Chanaan Judeis promissam, quæ eis sorte distributa est.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Susanna casta falso adulterii a duobus senibus accusata a Daniele puero liberatur et vindicatur.

1. Et erat vir habitans in Babylone, et nomen ejus Joakim: 2. Et accepit uxorem nomine Susannam, filiam Helciæ, pulchram nimis, et timentem Deum: 3. parentes enim illius, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. 4. Erat autem Joakim dives valde, et erat ei pomarium vicinum domui suæ: et ad ipsum confluabant Judæi, eo quod esset honorabilior omnium. 5. Et constituti sunt de populo duo senes judices in illo anno: de quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum. 6. Isti frequentabant domum Joakim, et veniebant ad eos omnes qui habebant judicia. 7. Cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, et deambulabat in pomario viri sui. 8. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, et deambulantem: et exarserunt in concupiscentiam ejus: 9. et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. 10. Erant ergo ambo vulnerati amore ejus, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum: 11. erubescabant enim indicare sibi concupiscentiam suam, volentes concumbere cum ea: 12. et observabant quotidie sollicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum: 13. Eamus domum, quia hora prandii est. Et egressi recesserunt a se. 14. Cumque revertissent, venerunt in unum: et sciscitantes ab invicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: et tunc in communi statuerunt tempus, quando eam possent invenire solam. 15. Factum est autem cum observarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri et nudiustertius, cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario: æstus quippe erat: 16. et non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, et contemplantes eam. 17. Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, et smigmata, et ostia pomarii claudite, ut laver. 18. Et fecerunt sicut præceperat: claueruntque ostia pomarii, et egressæ sunt per posticum, ut afferrent quæ jusserat: nesciebantque senes intus esse absconditos. 19. Cum autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, et accurrerunt ad eam, et dixerunt: 20. Ecce ostia pomarii clausa sunt, et nemo nos videt, et nos in concupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, et commiscere nobiscum: 21. quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, et ob hanc causam emiseris puellas a te. 22. Ingemuit Susanna, et ait: Angustiæ

sunt mihi undique : si enim hoc egero , mors mihi est; si autem non egero , non effugiam manus vestras. 23. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras , quam peccare in conspectu Domini. 24. Et exclamavit voce magna Susanna : exclamaverunt autem et senes adversus eam. 25. Et cucurrit unus ad ostia pomarii, et aperuit. 26. Cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per posticum, ut viderent quidnam esset. 27. Postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer : quia nunquam dictus fuerat sermo hujuscemodi de Susanna. Et facta est dies crastina. 28. Cumque venisset populus ad Joakim virum ejus, venerunt et duo presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam, ut interficerent eam. 29. Et dixerunt coram populo : Mittite ad Susannam filiam Helciæ uxorem Joakim. Et statim miserunt. 30. Et venit cum parentibus, et filiis, et universis cognatis suis. 31. Porro Susanna erat delicata nimis, et pulchra specie. 32. At iniqui illi jusserunt ut discooperiretur (erat enim cooperta), ut vel sic satiarentur decore ejus. 33. Flebant igitur sui, et omnes qui noverant eam. 34. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput ejus. 35. Quæ flens suspexit ad cœlum : erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino. 36. Et dixerunt presbyteri : Cum deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus puellis : et clausit ostia pomarii, et dimisit a se puellas. 37. Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, et concubuit cum ea. 38. Porro nos cum essemus in angulo pomarii, videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos, et vidimus eos pariter commisceri. 39. Et illum quidem non quivimus comprehendere, quia fortior nobis erat, et apertis ostiis, exsilivit : 40. hanc autem cum apprehendissemus, interrogavimus quisnam esset adolescens, et noluit indicare nobis : hujus rei testes sumus. 41. Credidit eis multitudo, quasi senibus et judicibus populi, et condemnaverunt eam ad mortem. 42. Exclamavit autem voce magna Susanna, et dixit : Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, 43. tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me : et ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt adversum me. 44. Exaudivit autem Dominus vocem ejus. 45. Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cuius nomen Daniel; 46. et exclamavit voce magna : Mundus ego sum a sanguine hujus. 47. Et conversus omnis populus ad eum, dixit : Quis est iste sermo, quem tu locutus es? 48. Qui cum staret in medio eorum, ait : Sic fatui, filii Israel, non judicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel? 49. Revertimini ad judicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam. 50. Reversus est ergo populus cum festinatione, et dixerunt ei senes : Veni, et sede in medio nostrum, et indica nobis : quia tibi Deus dedit honorem senectutis. 51. Et dixit ad eos Daniel : Separate illos ab invicem procul, et dijudicabo eos. 52. Cum ergo divisi essent alter ab altero, vocavit unum de eis, et dixit ad eum : Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius; 53. judicans judicia injusta, innocentes opprimens, et dimittens noxios, dicente Domino : Innocentem et justum non interficies. 54. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait : Sub schino. 55. Dixit autem Daniel : Recte mentitus es in caput tuum : Ecce enim angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium. 56. Et, amoto eo, jussit venire alium, et dixit ei : Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te; et concupiscentia subvertit cor tuum : 57. sic faciebatis filiabus Israel, et illæ timentes loquebantur vobis : sed filia Juda non sustinuit iniquitatem vestram. 58. Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait : Sub prino. 59. Dixit autem ei Daniel : Recte mentitus es et tu in caput tuum : manet enim angelus Domini, gladium habens, ut secet te medium, et interficiat vos. 60. Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna, et benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se. 61. Et surrexerunt adversus duos presbyteros (convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse

testimonium), feceruntque eis sicut male egerant adversus proximum, 62. ut facerent secundum legem Moysi : et interfecerunt eos, et salvatus est sanguis innoxius in die illa. 63. Helcias autem et uxor ejus laudaverunt Deum pro filia sua Susanna, cum Joakim marito ejus, et cognatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis. 64. Daniel autem factus est magnus in conspectu populi, a die illa, et deinceps. 65. Et rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum ejus.

Vers. 1. **1. ET ERAT VIR.** — Nota hoc caput et sequens non haberi jam in Hebræo, sed illa ex Theodotione se transtulisse affirmat S. Hieronymus. Olim ea exstisset in Hebræo patet ex Theodotione et Septuaginta, qui historiam Susannæ et Belis in sua translatione posuerunt trecentis annis ante Christum. Idem facit interpres Syrus, et Arabicus uterque, Antiochenus et Alexandrinus. Perperam ergo hanc historiam impugnavit Africanus (eum sequuntur nostri Novantes), cujus octo argumenta vel potius conjecturas bene refellit Origenes epistola ad eum scripta; utriusque epistolam e Greco conversam latine edidit, et suis in Isaiam Commentariis præfixit Leo Castrius. Quare hæc historia non tantum est vera, sed et canonica Scriptura, ut ostendi in Proœmio (1).

(1) Diversis momentis quibus hujus secundæ partis Danielis divina inspiratio propugnatur, addere juvat brevia quædam variarum Ecclesiærum testimonia, quibus omnes Protestantum et Rationalistarum difficultates facile solvi et expediri poterunt, cum e traditione præsertim eas eruere conantur.

Primo, Ecclesia Alexandriæ. — Clemens Alexandrinus, lib. I *Stromat.*, in summa veteris Testamenti, præsertimque Prophetarum, historiam Draconis ut Scripturæ partem profert. Idem infra, lib. IV, cap. xix, Suzannæ historiam historiis Esther et Judith conjungit. — Origenes, epist. ad *Africanum*, ex consensu omnium Ecclesiærum divinitatem fragmentorum Danielis sic statuit : « Scias igitur adhæc, quid nobis agendum sit, non solum de Suzannæ historia quæ in Greco Græcorum exemplari per totam Christi Ecclesiam circumfertur, licet apud Hebræos non exstet, nec solum de aliis, ut aiebas, partibus, quæ in fine libri (Danielis) sunt descriptæ, nempe de *Belo* et de *Dracone*, quæ pariter in hebreico Danielis textu desiderantur, sed de aliis innumeris.... » Idem in tract. *De Oratione*, num. 14, trium puerorum canticum in medium producit, et homil. 1 in *Levit.*, pro Suzannæ historia stat dicens : « Sed tempus est nos adversus improbos presbyteros uti S. Suzannæ vocibus, quas illi quidem repudiantes, historiam Suzannæ de catalogo divinorum voluminum desecarunt. Nos autem et suscipimus et opportune contra ipsos proferimus, dicentes: Angustiae sunt mihi undique. » — Didymus, quem se in Scripturarum interpretatione S. Hieronymum magistrum habuisse gloriabatur, his fragmentis veluti *Scripturarum testimonis* divinitatem Spiritus Sancti comprobat, lib. *De Spiritu Sancto*. — S. Athanasius, epist. 1 et 2 ad *Serapionem*, sicut in orat. I, num. 13, et orat. III, num. 30, contra Arianos Spiritus Sancti divinitatem hymno trium puerorum, et Filii cum Patre coæternitatem ex Daniele, cap. XIII, 42, statuit, quod idem facit S. Cyrillus eamdem doctrinam vindicando, *Thesaur. de sanct. et consubst. Trinit.* assert. 15.

Secundo, Ecclesia Jerusalem. « Si vero quisquam, inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus, omnes Prophetarum libros percursorerit, plurima de Sancto Spiritu testimonia

Nota secundo : Hæc historia cæteris Danielis historiis et capitibus est præponenda, ponendaque prima prophæstatim post caput primum; imo in Græcis codi- tia Danielis.

reperiet... Idem (Spiritus Sanctus) sapientem efficit Danielis animam, ut seniorum judex esset adolescens. Damnata fuerat casta Suzanna tanquam impudica... Verum adstitit auxiliator, Paracletus Spiritus, qui omnem intelligentem naturam sanctificat, » *Catech. 16 De Spiritu Sancto*, num. 29 et 31. Idem hymni trium puerum divinitatem vindicat, *Catech. II De Pœnit. et remiss. peccat.*, et *Catech. IX De Deo omnium condit.*

Tertio, Ecclesia Antiochenæ, Constantinopolitana, etc., etc., pro quibus stant : S. Chrysostomus, qui sæpe trium puerorum hymnum ut ad Scripturam divinam pertinentem citat, *Expos. in Psalm. cxiii, cxxii, cxl*, homil. 3 *in Matth. num. 5*, et hom. 3, num. 2; — S. Gregorius Nazianzenus, qui locum ex historia Suzannæ petitum : « Egressa est iniquitas, » etc., affert *orat. 36*, num. 3; — S. Hippolytus, qui eamdem historiam adducit his verbis : « Videamus ipsas Danielis voces, ac intelligamus nulla re nos Scripturam fallere, » *In Suzannam* vol. I; — S. Epiphanius, qui eamdem commemorat cum pluribus hymni versibus quos *afflatu Sancti Spiritus instinctos* tres pueros decantasse asserit, *Anchorat. cap. xxiii, xxiv, xxv*. — Illa prædecessorum suorum documenta confirmingant alii Orientis Patres : S. Asterius Amasiæ Episcopus, serm. *in Daniel Prophetam et Suzannam*; S. Ephrem, serm. *De reprehensione sui ipsius et de recte vivendi ratione*, et *Parænes. 44*; Theodoreetus, *Comment. in Daniel*, lib. III, cap. III, etc.

In ea re omnes Occidentalis Ecclesiæ Patres cum Orientalibus conveniunt : S. Irenæus, qui contra hæreticos decertat, his opponendo plurima loca ex historiis Suzannæ et Belis excerpta, *Contra hæres.* lib. IV, cap. v et xxvi; — S. Hilarius Pictaviensis, hujus admirabilis feminæ orationem explicat, *De Trinit.*, lib. IV, num. 7, 8, et tract. *in Psalm. LII*, num. 19. — His adde, Tertullianum, *De Jejuniis*, cap. VII et VIII; S. Cyprianum, *De Orat. Dom.*; S. Augustinum, qui sic ait : « *Divinæ lectiones, et sancta oracula* Dei, quæ insonuerunt auribus nostris, nidum faciant in mentibus nostris... Audivimus *de Suzanna* lectionem..., ædificetur pudicitia conjugalis... Si de femina tentata *Scriptura* testis est, numquid viros deseruit? » serm. 343, *De Suzanna*. — S. Fulgentius, epist. 14 *ad Ferrand.* — S. Ambrosius, lib. IV *De Spiritu Sancto*, cap. VI, et *De Jacob et vita beata*, lib. II, cap. IX et passim, etc., etc.

S. Hieronymus ipse, quem arroganter acatholici interpres ut suum in hoc puncto repetunt, hymno trium puerorum et Suzannæ historia ut Scriptura divinitus inspirata utitur, *Comment. in epist. ad Galat.*, Prolog. *in Habacuc Prophet.*, epist. 17 *ad Innocent.*, epist. 18 *ad Eustoch.* Multum insuper laudat Origenis *ad Africanum* epistolam super quæstione Suzannæ, eo quod dicunt in Hebræo hanc *fabulam* non haberi, contra quam, inquit, *doctam epistolam* scribit Origenes, *Catalog. Script. Eccles.* cap. LXXXIII. Denique idem totam præcedentium Patrum traditionem complectitur et resumit, manifeste dicendo hæc fragmenta in omnibus Ecclesiis Græcorum, Latino-

cibus, et apud S. Athanasium in *Synopsi*, et in versione Arabica ipsa est cap. i Danielis, atque in multis inscribitur *Daniel*, in quibusdam *Susanna*, in aliquo Διάρρησις Δανιήλ, *Judicium Danielis*: quia id quod narrat accidit in Babylone, Daniele existente puerō vers. 45. Unde hæc videtur fuisse prima prophetia Danielis, nam ex ea Daniel a populo magni fieri cœpit vers. 64.

Nota tertio: Hæc historia non videtur ab ipso Daniele, saltem in hoc ejus opere, fuisse conscripta; sed a quopiam Hebræo, qui in captivitate Babylonica, vel potius paulo post eam, scripsit chronica sive diaria regum Medorum et Persarum,

Transcripta est ex chronicis quæ eo tempore suæ genti, puta Hebræis, continilius ægerunt. Id patet ex vers. 66, ubi indicatur, quod

vi. *historia vel Susannæ, vel Belis, contigerit ante Cyrum, sub Astyage rege Medorum, qui fuit avus Cyri. Ex illis ergo diariis translata est in hunc librum Danielis, eique addita quasi appendix, quia a Daniele gesta et peracta est: atque hæc est causa, cur ad calcem Danielis sit rejecta: quin imo historiam Belis Septuaginta adscriperunt Habacuc prophetæ, uti dicam cap. XIV, 32.*

Vers. 5. 5. *Et CONSTITUTI SUNT DUO SENES.* — Ex hoc loco Africanus hanc historiam impugnabat. Quomodo enim, inquit, in Babylone Judæi habuissent suos judices, cum captivi essent, et omnino Babylonis subditi? Respondeo id factum fuisse indulgentia Chaldaeorum: permiserunt enim ipsi Judæis ut eas causas, quæ ad ipsorum legem pertinerent, ipsi judicarent. Idem permiserunt eis Romani, ut patet *Joan.* cap. XVIII, 31. Sic videmus Antuerpiæ Lusitanos et Italos mercatores suis suæ gentis habere magistratus et judices.

rumque, Syriorum et Ægyptiorum, ut veram Scripturam esse recepta, *Præfat. Comment. in Daniel.*

Cur igitur hic victoriam conclamant hæretici interpres? eo quod, inquit, S. Hieronymus historias Susannæ et Belis *fabulas* vocat; quam assertionem in thesibus publicis affirmant: *Les apocryphes faisaient-ils partie du canon*, etc.? Montauban, juin 1834. Sed in hoc graviter errant, verum et nativum vocis *fabulæ* sensum ignorando, quæ quidem significat *historiam, sermonem*, etc. Sæpe auctores Latini in eo sensu hanc vocem usurpant: vide Rob. Stephanum, *Thesaurus lingue latine*; Du Cange, *Glossarium*, verbo *Fabula*; Jacob Facciolati, *Totius latinitatis Lexicon*; Noel, Quicherat, etc., etc. Propterea S. Hieronymus eadem voce uti non dubitat, de historia Samsonis agens, quam etiam *fabulam* vocat, licet ut vere canonicam et divinitus inspiratam habeat.

Adde S. Hieronymum, cum sic loquitor contra Rufinum agendo, eum accusantem ut qui hæc fragmenta repudiasset, aperte dicere, se sensum Judæorum referre quin illo modo illum probet: « Non enim quid ipse sentirem, inquit, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi. » Qui plura desideraverit, videat *La Bible multilée par les Protestants*, Toulouse, 1847, pag. 182-202.

Ex his testimoniis judicare licet quanta sit Protestantum et Rationalistarum interpretum temeritas, qui tam futilibus moti rationibus hanc secundam Danielis partem ex sacrorum librorum catalogo expungere audent.

Tradunt Hebræi, et ex eis Origenes et S. Hieronymus, hos duos senes fuisse Sedeciam et Achab adulteros, indeque occisos, de quibus agit Jeremiah cap. XIX, 22. Pererius tamen, Maldonatus et alii id ipsum negant; qua de re dixi *Jeremie cap. XXIX.*

Vide hic quam luxuria sit glutinosa et usque ad senium et mortem homini adhærescat: « Luxuria, inquit D. Thomas, I II, *Quæst. LXXV*, art. 5, est maximæ adhærentiæ, et difficile ab ea potest homo eripi: insatiabilis est enim delectabilis appetitus. » Qui ergo lapsi sunt statim resurgent, ne, si iterum iterumque relabantur, ab hoc glutine se expedire non possint. Sane hic verum est illud S. Ambrosii: « Facilius reperi qui servaverint innocentiam, quam qui veram egerint pœnitentiam. » Rursum vere dixit Poeta

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Quocirca tales senes leviculi et petulantes merito comparantur pappo carduorum, de quo exstat hoc Eubuli ænigma:

Novi ego qui gravis est juvenis, cum vero senex est,
Evolut implumis leviter, terramque lassit.

Aposite horum duorum senum crimen adaptat Petrus Damianus, epist. *ad Cadiloum Antipapam*, Placentino et Vercellino Episcopis, qui Cadiloum Antipapam crearunt, eique Ecclesiam Romanam, quasi Susannam, invadendam et violandam tradiderunt. Sed Daniel, id est judicium et vindicta Dei eos persecuta, damnavit.

LOCUTUS EST DOMINUS: QUIDA, etc. — Ubi, et quomodo, an scripto, an viva voce Prophetæ alicius hæc locutus sit Dominus, non liquet.

Qui VIDEBANTUR, — qui erant in existimatione, in auctoritate regendi populum. Hoc enim inter alia significat δοκεῖν: unde δοκοῦντες vocantur viri honorati et illustres, *Galat. II, 2 et 6.*

6. Qui HABEBANT JUDICIA, — οἱ κρινόμενοι, qui judicabantur, puta litigantes.

8. ET VIDEBANT EAM. — Aspectus fuit causa concupiscentiæ; oculi enim sunt in amore duces. Et: « Ubi oculus, ibi amor; ubi manus, ibi dolor. » Hinc sapienter Job, cap. XXXI, 1: « Pepigi, ait, fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine. » Audivi matronam gravem et castam monentem confessarios, ut caverent ab aspectu et colloquiis longis feminarum: Ego enim, ait, certa sum non esse virum tam sapientem, tam sanctum, tam constantem, quem non flectam quo velim, si cum eo ad quadrantem horæ colloquar, isque oculos meos intueatur. Serpentini ergo sunt oculi, facies, corpora et colloquia feminarum. Praeclare S. Hieronymus, *ad Nepotianum* epist. 2: « Hospitiolum tuum, inquit, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas et virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige: ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec

Vers. 8.
Oculi
sunt
amore
duces.

Samsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomon potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier dejecerit. »

Apud eudem tomo IX, in *Regula Monachorum*, quæ inscribitur Eustochio facta Hieronymi nomine, cap. xviii : « Nihil periculosius viro quam mulier, nec mulieri quam vir; uterque palea, uterque ignis. »

S. Bernardus, serm. 65 in *Cant.* : « Cum femina, ait, semper esse et non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; et quod majus est, vis credam tibi? » Vide dicta *Genes.* xxxiv, 2, et *Num.* xxv, in fine.

Audi ergo sanum consilium Poetæ christiani qui prudenter æque ac eleganter ita ludit :

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?
Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

Nam, ut canit Ovidius, XIII *Metamorph.*:

Proh! quanta potentia regni
Est Venus alma tui!
Perque oculos perit ipse tuos, et suos.

Vers. 9. 9. EVERTERUNT SENSUM. — Amor enim cæcus est et rationem excæcat. Dixit Gentilis : « Amare et sapere vix Deo conceditur. »

UT NON VIDERENT COELUM. — Syrus : *Ut non in-tuerentur in cælum*; Arabicus : *Ne suspicerent cœlum*, ac consequenter ut non revererentur Deum cœli præsidem. Imo Maldonatus per cœlum accipit Deum ipsum. Sic enim videtur accipi *Matt.* xxi, 25 : « Baptismus Joannis unde erat? e cœlo? »

Dens vo-
cator cœ-
lum in-
creatum.

id est a Deo? Unde Angelus Caninius in *Nom. He-
cato-
braicis* docet Deum vocari *scamaim*, id est cœlum: est enim ipse uti mundus, ita et cœlum increatum. Hinc Atlantides, Africæ populi, primum, apud se regnasse Deum ἀύρανον, id est cœlum, gloriabantur. Sic *Luc.* xv, 21, ait Prodigus : « Pater, peccavi in cœlum. » Sic Poeta : « Cœlo gratissimus amnis : » « cœlo, » id est diis, qui cœlo continentur. I *Machab.* iii, 18 : « Non est differentia in conspectu Dei cœli (græce ἐναντίον τοῦ κύπελον, id est coram cœlo, id est Deo cœli rege) liberare in multis, et in paucis. » Et cap. iv, 10 : « Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri. » Vox enim *Dominus*, quæ subditur in Latinis, non est in Græcis. Sic Rabbini saepe dicunt : « Omnia esse in manu cœli, » id est Dei; item : « Sit timor cœli super vos; » et : « Nomen cœli frequens in ore vestro. » Sic « timor hominum excludit timorem cœli. » Sic *Jerem.* xvii, 12, dicitur : « Solium gloriæ altitudinis a principio, » q. d. Est Deus residens in solio cœlesti, qui puniet Sedeciam aliosque impios. Quinimo Plinius ita opus suum inchoat : « Mundum, et hoc quod nomine alio cœlum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur

cuncta, Numen esse credi par est. » Et Ovidius, VIII *Metamorph.*:

Immensa est, finemque potentia cœli
Non habet.

Est metonymia. Similis est, cum domus ponitur pro sobole domum incolente; ut,

Cum domus Assaraci victis dominabitur Argis.

Sic domus Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Josiæ, etc., vocatur ipsa eorum stirps et familia regia. Sic rursum de Susanna dicitur vers. 35 : « Quæ flens suspexit in cœlum, » scilicet ad Deum. Unde et sequitur hic :

NEQUE RECORDARENTUR JUDICIORUM JUSTORUM, — quibus Deus e cœlo occulta adulteria et scelera ulcisci solet. Hoc est quod ait Sapiens, *Ecli.* xxiii, 27 : « Non intelligit (cæcus adulter) quoniam omnia videt oculus illius (Dei), quoniam expellit a se timorem Dei. » Et vers. 26, adulter ait : « quis me videt? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. » Quærerit insipiens : « quis me videt? quem vereor? » Respondet ei S. Bernardus, serm. ad *Clericos*, cap. vi : « Esto nemo te videat, non tamen nullus. Videt te angelus malus, videt angelus bonus: videt te et bonis et malis angelis major Deus; videt accusator; videt testium multitudo; videt et ipse judex, cujus te oportet assistere tribunali; sub cujus sane oculis velle delinquere tam insanum est, quam horrendum incidere in manus Dei viventis. »

Impii ergo dicunt illud *Psalm.* xlvi, 7 : « Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob. » Et illud *Job* xxii, 13 : « Quid enim novit Deus? et quasi per caliginem judicat, nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, et circa cardines cœli perambulat. » Et illud *Psalm.* lxxii, 11 : « Quomodo seit Deus? et si est scientia in excelso? » Et illud *Isai.* xxix, 15 : « Quorum sunt in tenebris opera, et dicunt: Quis videt nos? et quis novit nos? » Nam, ut ait *Psalm.* ix, 26 : « Non est Deus in conspectu ejus; » hinc, quia caret Dei timore et pudore, « inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. »

Pii vero dicunt illud *Ecli.* xxiii, 28 : « Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. » Ita Moyses « invisibilem (Deum) tanquam videns sustinuit, » *Hebr.* xi, 27. Ita David *Psalm.* cxviii, 168 : « Servavi, inquit, mandata tua, et testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. » Ita Elias : « Vivit, ait, Dominus, in cujus conspectu sto, » III *Reg.* xvii, 1. « Beatus vir, » ait Ecclesiasticus cap. xiv, 22, « qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu (τὸν νοῦν, id est intellectu) cogitabit circumspectionem Dei. » Vide,

o homo! quid agas; Deus te circumspicit a capite ad talos, Deus introspicit mentem tuam et fundum cordis tui, Deus judicabit et damnabit te si pecces.

Vers. 10. 10. VULNERATI AMORE. — Septuaginta, κατανευγμένοι περὶ αὐτῆς, compuncti pro ea; Scholiastes, κακεντημένοι τῇ ἐπιθυμίᾳ σφεδρῶς, puncti concupiscentia vehementer.

Vers. 13. 13. ET EGRESSI. — Cum finxissent se domum ire, ut occultum vulnus concupiscentiae invicem celarent, essentque digressi, alia iterum via in eumdem locum redierunt, ut Susannæ tenderent insidias : tumque videntes se idem cogitare, et eodem conniti, invicem suam concupiscentiam confessi sunt. Ita sœpe adulteri adulterum, furfurem reprehendit, et, ut vulgo dicitur : « Laqueus laqueum capit. »

Vers. 15. 15. VOLUITQUE LAVARI IN POMARIO. — Discant hic castitatis amantes, quanta sint balneorum pericula, quamque parce et caute adeunda ; in iis enim insidiantur ipsis caro, mundus et dæmon. Ecce tibi, Susanna, dum balneum adis, simul castitatis, famæ et vitæ periculum adis. Legimus in veteris historiis, sœpius virgines, dum balnea adeunt, a dæmone fuisse correptas et possessas. Ut alia taceam, memorabilis fuit illa, quæ ad balneum vadens correpta a dæmone, Romæ ad Aquas Salvias invocatione S. Anastasii martyris ibidem sepulti, liberata et curata est, ut habent Acta publica, quæ recensem Cardinalis Baronius, tom. VIII, anno Domini 713. Quocirca S. Hieronymus, epist. 7 ad Lætam : « Mihi, ait, omnino in adulta virgine lavacra displicant, quæ seipsam debet erubescere, et nudam videre non posse. » Et ad Rusticum epist. 4 : « Balnearum fomenta non querat, qui calorem corporis jejuniiorum frigore cupit extinguere. » Hinc ipse laudat S. Paulam in Epitaph. quod cum aliis monialibus degens, balneis nunquam sit usa, nisi periclitans, ac necessitate coacta. Sicut enim theatra (ut ait Tertullianus, lib. De Spectaculis) loca esse solebant, in quibus pravus dæmon regnabat, ita et balnea. In Synodo Pictaviensi, anno Domini 593, Chrodielis monacha e regio sanguine, fugæ suæ e monasterio causam prætexuit, balnea in monasterio permissa. Cui abbatissa respondit se nec probare quod diceret, et se nescire an factum sit : quod si ipsa vidisset, cur abbatissæ non prodidisset ? S. Theodorus Siceota, sub anno Domini 608, reprehendit eorum morem, qui post S. Synaxin ad lavacra se conferebant, dicens : « Scitote Deum mihi indicasse eos valde peccare, qui post sanctam communionem ad balnea se conserunt, ut corpus lavent et curent. Quis enim unguento delibutus et aromatibus, eorum abstergit suavitatem ? Quis simul ac cum imperatore pransus est, ad balneum currit ? » Ita refert Eleusius in ejus Vita. Scribit Palladius in Lausiaca, cap. VIII, in Vita Ammonis discipuli S. Antonii, eum ita fuisse pudicum, ut Lycum fluvium transiturus,

se exuere noluerit, ne se nudum videret, ideoque subito ab angelo in adversam ripam fuisse translatum.

22. SI ENIM HOC EGERO, MORS MIHI EST. — rea ero Vers. 22. mortis corporalis : adulteræ enim ex lege lapidabantur. Ita S. Hieronymus et alii. Secundo et melius, mortem animæ hic accipias, q. d. Angustior undique, quia necesse est me in mortem vel corporis, vel animæ incidere : vos enim mihi minimi mortem corporis, si non fecero; Deus vero mortem animæ, si fecero, si videlicet vestræ cupiditati consentiam, vobisque sponte et volens commiscear, uti postulatis. Nam alioquin in hac vi, et metu infamiae mortis que poterat Susana dicere : Non consentio actui, sed patiar et tacebo, ne me infametis et adigatis ad mortem, uti dicam vers. 23; quanquam forte Susanna id vel non sciebat, vel non cogitabat. Sic enim honestæ castæque virgines putant se esse reas, seque consensisse lenonibus, si non clamore, manibus totisque viribus eis reluctantur et resistant. Omne enim suum decus ponunt in virginitate, quam gemmam incomparabilem aestimant.

23. SED MELIUS EST MIHI ABSQUE OPERE INCIDERE Vers. 23. **IN MANUS VESTRAS, QUAM PECCARE IN CONSPPECTU DOMINI.** — q. d. Melius est mihi mori corpore quam animo : satius est Dei, quam hominum præsentiam et offensam revereri. Nam, ut ait Christus, et ex eo S. Bernardus, serm. 3 De Annuntiat. : « Homines cum occiderint corpus, animæ non habent ultra quid faciant; ille autem timendus est, qui potestatem habet et corpus et animam mittere in gehennam. » Audiant hoc virgines, audiant christiani atque imitantur, dum a sociis ad obscena, ad illicita sollicitantur. Recte Chrysostomus, hom. De Susanna : « Susanna, inquit, aspernabatur quod audiebat, quia timebat eum quem nihil latebat; falsi enim testes possunt lœdere famam, non occidere conscientiam. » Deus autem utrumque potest. Adverte hic quam Dei omnia, etiam occultissima cernentis lucidissimos oculos revereri debeamus. Qua de re dixi Genes. v, 24, et Genes. xvii, 1.

Hinc apte vocata est Susanna hebraice, id est Susanna significat hebraice lily. lilium (ut lilium enim hebraice dicitur לִילֵי sco-san, a סְכָס, id est sex, quod sit hexaphillon : sex enim habet folia) ob castitatem; uti et Daniel, id est judecator Dei : quia hosce duos senes diaboli judices convicit et morte mulctavit.

In hæc Susannæ verba ita scribit Dionysius Carthusianus : « Peccatum est infinitæ fugibilitatis, quia Deus est infinitæ honorabilitatis, » q. d. Homo peccatum fugere debet infinito conatu et infinita fuga; quia Deus, quem peccatum offendit, infinite est honorandus; omnis pena, ut culpa vitetur, est subeunda; infinita fuga, ne nos peccatum comprehendat, est capessenda.

Huic Susannæ, in castitate et virtute similis fuit S. Susanna virgo neptis Caii Pontificis, æque ac Diocletiani Imperatoris, quæ maluit mori quam

violari. Dum enim matrimonium cum Maximiano Imperatore, cui eam despondere volebat Diocletianus, recusaret, eique virginitatem Deo voto promissam anteferret, ab eo occisa, nobile in fidei et virginitatis agone martyrium obiit, anno Domini 295, cujus memoriam annua celebritate recolit Ecclesia die 11 augusti. Hinc et allegorice Susanna typum gerit Ecclesiæ, ait S. Hieronymus in cap. II *Sophon.*, cujus castitatem corrumpere conantur hæretici, sed Daniel, id est Pontifex, eos convincit et condemnat.

**Major fort cas-
titas Su-
sannæ,
Lucre-
tie, ob
tres eau-
sas.
Prima.
Secunda.
Tertia.**

Nota : Longe purior, fortior et excellentior fuit castitas Susannæ, quam Lucretiæ Romanæ. Hæc enim in tribus defecit, parvumque ostendit animum. Primo, quod libidinem Tarquinii admisit, ne macularetur infamia, quam ei Tarquinius minabatur : consensit enim in adulterium, quod postea morte voluntaria luit; necem enim sibi concivit, ut ea ratione facinus quasi expiaret : disce, Lucretia : « Ante scelus castæ mors suæ beunda fuit. » Secundo, quo pluris fecit famam, quam pudicitiam et conscientiæ testimonium. Tertio, quod se occidit : hac enim ratione scelus non expiavit, sed scelus sceleri addidit. Ita S. Augustinus, lib. I *De Civit. cap. xviii et xix* : « Quod Lucretia, inquit, seipsam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit; non est pudicitiæ charitas, sed pudoris infirmitas. Unde ad oculos hominum quibus conscientiam demonstrare non poterat, illam pœnam quasi mentis suæ testem adhibendam putavit; sociam quippe facti se credi erubuit; si quod alias in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter. Non hoc feminæ christianæ fecerunt, quæ passæ similia vivunt; nec in se ultæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua; si, quoniam hostes in eis concupiscendo stupra commiserant, illæ in seipsis homicidia erubescenda committerent. Habent quippe intus gloriam castitatis, testimonium conscientiæ; habent autem coram oculis Dei sui; nec requirunt amplius, ne devient ab auctoritate legis divinæ, cum male devitant offensionem suspicionis humanæ. » Subdit deinde, docetque sanctitatem animi non amitti, si corpus per vim violetur; sicut amittitur corporis totiusque hominis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto. Sanctitatis enim propria sedes est anima, non corpus. Unde idem, *epist. 112*, docet hanc « violentiam non pro corruptionis turpitudine, sed passionis vulnere deputari. »

**Exem-
pla vir-
ginum
malen-
tium mo-
ri, quam
violari.**

Lucretia castiores et sapientiores fuerunt virginines, tam ethnicae, quam christianæ, quæ non post vitium, uti Lucretia, sed ne vitiarentur, seipso necarunt, cum aliud non viderunt effugium, aut neci obtulerunt. Ita Lacæna dum venderetur, præconi quid nosset quærenti : Libera, inquit, esse novi. Cumque emptor quædam ei injungeret non decentia liberam, dixit : Flebis qui talem possessionem tibi invideris; atque mortem sibi ipsa concivit. Ita virginæ Romanae traditæ Por-

senæ regi, duce Clælia fluvium vastum, atque vorticibus profundis periculoso, magno cum labore tranarunt, invicem sese tenentes, ac tandem ad suos in alteram ripam evaserunt, manifestum mortis periculum ob castitatem ultro subeuntes. Ita Micca Philodemi filia, a Leucio duce ad stuprum appetita, dixit malle se jugulari quam violari; ac tandem renitens a Leucio verberata, et in sinu patris jugulata est, testis est Plutarchus *De Virtut. mulier.*

Inter christianas Pithomena Alexandrina Romani civis serva, cum frustra ab eo sollicitaretur ad nefas, accusata ab eo quod christiana esset, ferventi pici immersa, vitam amittere quam pudicitiam violare maluit.

S. Dymphna a patre, Hiberniæ rege (quod illi nubere nollet, ut esset ei uxor, æque ac filia) obtruncata est in Geela, oppido Brabantiae, ubi ejus reliquias olim veneratus sum. Natalis ejus dies Martyrologio Romano adscriptus quotannis recolitur die 15 maii. Sic apud Græcos S. Thomas, a socero pariter ejus nuptias ambiente dissecta, quod martyr esse mallet, quam adultera et incesta, de qua noster Raderus in *Viridar. Sanct.* die 14 aprilis.

Maxelendis, virgo Cameracensis, cum propter votum virginitatis Harduini sponsi sui recusaret nuptias, interficitur : at illi excæcato post triennium visum restituit, anno Domini 670. Ita Sigebertus, Platina in *Dono*, et alii.

Memorabilis vero fuit S. Euphrasia Antiochena, quæ a milite amasio deprehensa, cum non posset evadere, dixit se docturam eum artem qua in bellis lædi non posset, si sibi parceret, utque ejus experimentum in se sumeret. Collum ergo suum inunxit, quod feriens ille statim amputavit. Ita dolo pio castitatem redemit sua morte. Ita Cedrenus et Nicephorus, lib. VII, cap. XIII.

Insignis quoque fuit Sophronia matrona Romana, quæ a Maxentio Imperatore appetita per nuntios, cubiculum ingressa, mucrone sibi mortem concivit, per nuntios significans tyranno : « Tales, inquit, magis placeant christianæ feminæ tyranno. » Ita Eusebius, lib. VIII *Hist. cap. xvii.*

Æque illustris fuit Digna, quæ capta Aquileia ab Attila, a barbaro ad stuprum rapta, quasi secreti cupida, in tabulatum fluvio Natisoni immensis condescendit. Inde ad Hunnum sequentem conversa : Sequere me, inquit, si vis me potiri, ac mox in flumen se præcipitavit. Ita Olaus in *Vita Attilæ*, et alii. S. Ambrosius, lib. *De Virgin.*, scribit S. Pelagiam cum matre et sororibus præcipitem se dedisse in flumen, ne a perseguente milite violaretur, eamque ut martyrem ab Ecclesia coli.

Huic plane conforme est quod Nicephorus Callista, lib. XIII *Histor. Eccles. cap. xxxv*, scribit : In prima direptione urbis Romæ ab Alarico, Gothorum rege, facta anno Christi 412, mulier quædam maximum exhibuit pudicitiæ specimen. Quod

namque et ætatis flore et formæ venustate præstaret, ex Alarici militibus juvenis quidam pulchritudine ejus, cum eam vidisset, captus, ad concubitum eam sollicitavit. Cum autem illa pia-culum id aversaretur, miles ense stricto mortem ei minatus, veluti cum amore concertans, per misericordiam summum tantum collum vulneravit : illa vero, cruore diffluens, jugulum ferro subdidit, melius sibi esse rata, ut cum pudicamente mortem oppeteret, quam cum alio viro concumberet. Et postquam ferocius barbarus illam aggressus est, plurimumque eam oppugnando nihil egit, ad castitatem ejus consternatus in Apostolicum D. Petri templum eam duxit, Ecclesiæque custodibus eam commendavit, sex illis aureis nummis datis, ut puellam viro suo conservarent.

Bernardus Scardeonius, lib. III *Hist. Patavinæ*, scribit quod Blanca Rubea Patavina uxor Baptiste a Porta, in præsidium Bassiani municipii Patavini cum viro profecta, anno Christi 1233, cum Acciolinus tyrannus, Patavio amisso, omnem belli vim in Bassianum convertisset, et proditione etiam cepisset, atque in ipsis portis Baptistam obtruncasset : Blanca quoque armis induta, fortiter pugnans, a militibus circumventa, captiva ad tyrrnum dicitur. Is forma ejus (quam augebant arma) motus, primo blanditiis, mox etiam vi adortus eam corrumpere tentavit : illa cum alia ratione effugere non posset, per fenestram se de-dit præcipitem. Semianimis ex casu vix tandem curatur. Curatam tyrannus denuo aggreditur, et quia consentire nolebat, servorum opera ligatam constupravit. Illa dolorem dissimulans, impetravit ab amicis ut ad levandum merorem et desiderium, aperto sepulcro mariti fœtidum cader- ver semel tantum aspicere posset. Morem illi gerunt. Aperto itaque sepulcro ubi jacebat, illa, magno emissio ejulatu, in sepulcrum sese præcipitavit, simulque tanta violentia lapidem impulit, ut una rueret, et Blancæ cervicem frangeret. Sic pudicitiam suam ulta, ex voto suo commune cum marito sepulcrum obtinuit.

Narrat Sophronius in *Prato spirit.* cap. CLXXXIX, mirum quid de muliere, quæ tentata ab adultero fidem servavit marito, ideoque ab adultero ditata est.

QUAM PECCARE. — Peccasset enim Susanna con-sentiendo et cooperando, puta commiscendo se senibus, quod ipsi petebant vers. 20; potuis-set tamen in tanto periculo infamiae et mortis negative se habere, ac permettere in se eorum libidinem, modo interno actu in eam non consen-sisset, sed eam detestata et execrata fuisset, quia majus bonum est fama et vita, quam pudicitia : unde hanc pro illa exponere licet. Itaque non tenebatur ipsa exclamare, uti docet Dominicus Soto, lib. V *De Just.* Quæst. I, art. 5, et Navarrus, *Manual.* cap. XVI, num. 4. Quod ergo exclamarit, nulloque modo libidinem eorum in se permi-

serit, actus fuit insignis et heroicæ castitatis : talis enim est malle mori, quam pollui. Proprie dicit « peccare : » nam peccare primitus dictum est, quasi pellicare, id est pellicem agere, aut cum pellice congredi.

24. EXCLAMAVIT (opem implorans contra lasci-vers. 24
vos senes) : EXCLAMAVERUNT ET — ipsi, utpote Susanna clamore jam prodi, ut eam accusarent; ne rei, sed vindices sceleris esse viderentur. A Susanna discant virgines, cum a lascivis tentan-tur, generose iis se opponere, clamare, manibus et pedibus obluctari : quæ enim hoc faciunt, raro vim patientur : difficile enim est plane obluctan-tem violare. Docet hoc Ambrosius *ad Virginem lapsam*, cap. IV : « Sed dices, inquit : Nolui hoc malum, violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna, cujus tu nomen falla-citer bajulas : Ego etenim inter duos presbyteros posita, inter duos utique judices populi, sola inter sylvas paradisi constituta vinci non potui, quia nec volui. Tu ab uno ineptissimo adolescen-tulo, et in media civitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia ulti voluisti violari ? quis denique voces tuas audivit ? quis obluctationes sensit ? »

25. ET CUCURRIT UNUS AD OSTIA POMARI, — ut illac vers. 25
ingressi fuisse viderentur, aut ea juvenem, quem ibi fuisse mentituri erant, evasisse dicerent, uti dicunt ipsi vers. 39. Ita Maldonatus.

27. SENES LOCUTI SUNT. — εἰπον τοὺς λόγους αὐτῶν, id vers. 27
est rationes suas exposuerunt, puta accusationem Susannæ cum suis indiciis et probationibus.

27 et 28. ET FACTA EST DIES CRASTINA, CUMQUE vers. 27
VENISSET, etc., — q. d. Cum postero die populus et 28.
ad virum illius Joakim convenisset. Ita ex Græco Vatablus et alii.

34. POSUERUNT MANUS SUAS SUPER CAPUT EJUS. — vers. 34
Hebræorum ritus erat, ut accusator et testes capit-
rei manus imponerent, ut significant se hoc ca-put accusare, et ad necem deposcere. Vide dicta Testes
Levit. XXIV, 14. Ecce senes, qui antea pudicitiae, reo ma-nus im-pone-bant, cur?

35. QUÆ FLENS SUSPEXIT AD COELUM. — Praclare vers. 35
S. Ambrosius, lib. *De Joseph*, cap. V : « Susanna, inquit, dum tacet in judicio, melius locuta est oraculo ; et ideo Prophetæ meruit defensionem, quæ propriæ vocis non quæsivit auxilium. » In silentio enim et spe erat forlitude ejus. « Suspexit ergo ad cœlum, » vultu et oculis loquens, dicens-que : « Ecce in cœlo testis meus, et conscient meus in excelsis, » Job XVI, 20. Et : « Ad te, Domine, levavi animam meam : Deus meus, in te confido, non erubescam. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos, » Psalm. XXIV. Non legimus Susannam unquam tam ardentes ad Deum preces emisisse, nec tam vehe-menter ad cœlum suspexisse, quam cum se vidit

Deus in etiam per miraculum. Rursum nota hic quod Deus sinat suos in arcta redigi, ut discant in eum sperare, eumque invocare: in arctis enim suis maxime adest Deus, eisque vicinissimus est, ut succurrat.

Vers. 41. 41. CONDEMNaverunt eam, — tum populus, tum judices, scilicet ut lapidaretur: lapidationis enim pena adulteris apud Judæos statuta fuit, uti ostendit Levit. xx, 10.

Nota hic priscam legem de pena mortis statuta adulteris. Aurelianus Imperator, militem qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, ita punivit, ut duarum arborum ramos infleteret, quas ad pedes militis ligaret, easdemque subito dimitteret, ut scissus ille utrinque penderet. Ita Nauclerus et alii, anno 276.

Constantinus Imperator, ad Catullinum rescribens, hanc contra adulteros legem statuit: « Oportuerat te, publici instituti respectu, confessione detectos legum severitate punire, nec frustra vitam differentium moratoria provocationes admittere, sed delatum adulterii crimen, et questionibus adhibitis approbatum, pari sceleris immanitate damnare. Quod deinceps in hujusmodi criminibus convenit observari, ut manifestis probationibus adulterio probato, frustratoria provocatio minime admittatur; cum pari similique ratione sacrilegos nuptiarum tanquam manifestos parricidas insuere culeo vivos, vel exurere judicantem oporteat. » Ita habetur leg. 4 Quorum appell. Cod. Theodos.

In Allemania Otto Comes impudentissimus adulterer, et pro adulterio a Constantiensi Episcopo excommunicatus, Dei judicio turpissime decollatur a militibus Ludovici Comitis, cuius uxorem publicis nuptiis, eo vivente, sibi nefandissime copulavit. Qui apud monasterium in praedio ipsius constructum a suis sepultus, jussu Constantiensis Episcopi ejicitur, et (ut scriptum est) ad sepulturam asini deputatur, anno Domini 1089, ait Baroni.

Sub annum Domini 995, Imperatrix Maria nomine, regis Aragonum filia, Ottonis III uxor, ob adulterium publice igne crematur, inquit Crantzius, lib. IV Histor. Saxon. cap. xxvi. Plura recensui Genes. xxxviii, 24, et Num. v, in fine cap.

Vers. 42. 42. ANTEQUAM FIANT. — Quanto magis hoc, postquam factum est.

Vers. 44. 44. EXAUDIVIT AUTEM DOMINUS VOCEM EJUS. — Disce hic quam efficaces sint preces reorum damnatorum ad mortem, praesertim injustam, quamque Deus orphanorum et afflictorum pater iis compatiatur et succurrat. Hac de causa rei morientes inuste, non raro suos judices citarunt ad tribunal Dei, illique intra tempus morientibus condicatum e vita sublati, illi se sistere debuerunt. Exempla plura protuli Jerem. xvii, 12.

Vers. 45. 45. SUSCITAVIT DOMINUS SPIRITUM SANCTUM, —

puta primo, spiritum prophetæ, quo illustratus Daniel cognovit senes falso accusare Susannam. Secundo, spiritum audaciæ et industriæ, ad revincendos hosce senes, et ad Susannam liberandam. Spiritus enim hic suggestus Danieli modum falsæ accusationis detegendæ, scilicet separandi senes, eosque seorsim examinandi, ut sibi invicem contraria dicerent, itaque ipsi seipso refutarent. Syrus vertit: Misit Deus subito spiritum suum sanctum super puerum parvum, cuius nomen Daniel; Arabicus: Commovit Deus spiritum sanctum in juvene nominato Daniel. Ex verbo suscitavit colligit Origenes apud S. Hieronymum jam ante Spiritum Sanctum Danielis animum occupasse, hic vero tantum excitasse eum ad heroicum hoc opus aggregendum: hoc enim innuit vox suscitavit. Ex hac Susannæ liberatione et similibus, Nyssenus, lib. VIII De Provident. cap. I, docet esse Numen Deique providentiam, quæ gubernat mundum, pios tuetur, impios detegit et punit.

PUERI JUNIORIS, — παιδάριον νεωτέρου, id est pueruli junioris. Sed certum est Danielem hoc tempore non fuisse puerulum: παιδάριον ergo diminutivum sumitur pro simplici παις, id est puer, hoc est juvenis. Hebrei enim carent diminutivis. Unde Daniel, cap. I, 3, vocatur Τὴν ieled, id est, ut Septuaginta vertunt, νεώτερος, id est juvenis. Erat enim jam eruditus in omni sapientia; facile ergo erat 24 annorum: haec enim non 1, sed 4, vel 5 anno ex quo Daniel venit in Babylonem, contigisse videtur, puta sub annum regni Joakim 7, qui fuit Nabuchodonosoris annus 4. Confirmatur: nam post annos 10, Daniel fuit sapientia et sanctitate celeberrimus, ita ut a Deo comparetur cum Noe et Job, ut patet Ezech. xiv, 14. Ergo erat tunc facile 34 annorum, non autem 24, uti volunt alii. Quis enim juvenis 24 annorum sanctitate cum Noe et Job comparetur?

Mirum ergo est S. Ignatium, epist. ad Magnesianos, et ex eo Theodoretum in cap. I Ezech., ac Torniellum dicere Danielem hoc tempore fuisse duodenem: nec enim decebat puerum duodenem esse judicem, nec populus pueru duodenni reclamanti, senesque ad judicium suum revocanti auscultasset. Tale est et illud quod ibidem ait S. Ignatius, Salomonem fuisse duodenem, cum judicium duarum meretricum puerarum pergit. Constat enim Salomonem tum fuisse regem, ac proinde facile 20 annorum fuisse: jam enim genuerat Roboamum, ut patet ex eo quod moriente Salomone, anno regni 40, successerat ei Roboam filius annum agens 41, ut patet III Reg. xi, 42, et cap. xiv, 21.

Vis mira per pueros, imo infantes veritatis indicia, et innocentiae judicia ac testimonia exhibita? Accipe Gregorium Turonensem, lib. II Hist. Franc. cap. I; narrat S. Brixium Episcopum Turonensem cum falso insimularetur fornicationis, quasi pater esset infantis, quem pepererat lotrix vestium ejus, dixisse: « Afferite infantem ad me. » Cum-

Daniel
erat 25
annorum
cum Su-
sanam
liberavit.

S. Ignatius
putat Da-
nielem
fuisse
duoden-
nem.

Infantes
judices
innocen-
tiae.

que allatus fuisset (erat autem infans triginta dierum), ait ad eum Episcopus : « Adjuro per Jesum Christum Filium Dei omnipotentis, ut si ego te generavi coram cunctis edicas. » Et ille : « Non es, inquit, tu pater meus. » Populo autem rogante, ut quis esset pater interrogaret, ait sacerdos : « Non est hoc meum ; quod ad me pertinuit, sollicitus fui ; vobis si aliquid suppetit, per vos querite. »

Sophronius in *Prato spirit.* cap. cxiv, narrat Danielem abbatem, qui rogante marito orans super uxore ejus, ei prolem impetraverat, cum impii ei detraherent, quasi ipse prolixus esset pater, puerulum interrogasse : « Quis est pater tuus, infans ? » cui infans : « Hic, » ostendens digito suo verum patrem. Erat autem infans 25 dierum.

Simile est in *Vita S. Brigidæ* virginis Scoticæ, quæ obiit anno 7 Justini Imperatoris senioris, hoc est anno a Christo nato 521. Femina quædam non minus impie quam impudenter se filium ex Episcopo Broone, qui S. Patricii discipulus fuit, suscepisse mentiebatur. Hanc S. Brígida cum accersiri jussisset, et ori ejus salutare sanctæ crucis signum impressisset, illico caput cum lingua procacis mulieris magno tumore inflatum est. Deinde simili modo infantis consignans linguam : « Dic nobis, ait, infantule, quis tuus pater est ? » Stupenda res, aperit os infantis, qui quondam Baláam asinæ loquendi præstítit facultatem, aitque parvulus : « Nequaquam Episcopus Broon, sed deformis et vilis ille homuncio, qui in populo extremo sedet loco, parens meus est. » Itaque omnes Deum laudarunt, et mulier egit pœnitentiam.

Tropologice et symbolice S. Augustinus, serm. 118 *De Tempore* : « In sancta, inquit femina (Susanna) tacente lingua pro ea castitas loquitur. Castitas enim Susannæ affuit in judicio, quæ Evæ defuit in paradiſo. Ibi enim pudori ejus consuluit, hic saluti. Ibi ne macularetur pudicitia, hic ne innocentia damnaretur. Castitas enim Susannæ et presbyteros impudicos convicit in paradiſo, et in judicio falsos accusatores obtinuit, bisque victrix reos facit testimonii, quos reos facit adulterii. Atque tandem judicem meretur castitas Danielém puerum juniorem, necdum pubescentis ætatis; multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cum judicem virginem promeretur. Secura enim est de victoria castitas, cui est judicatura virginitas. »

Vers. 46. 46. MUNDUS EGO SUM. — Ego non consentio in injustam necem Susannæ.

Vers. 48. 48. NEQUE QUOD VERUM EST COGNOSCENTES. — οὐδὲ τὸ σαφὲς ἐπιγνόντες, id est non satis cognita, discussa et explorata causa.

Vers. 50. 50. VENI, ET SEDE. — Dicunt hæc senes Danieli vel per sarcasmum, vel per adulationem, ut eum sibi concilient, ne scelus eorum prodat.

HONOREM SENECTUTIS, — senile munus et dignitatem judicandi : senum enim est judicare. In eis enim est prudentia, experientia et apathia, quæ necessaria tria ad sincerum judicium requiruntur. Hinc

Eccl. XLII, 4 : « Loquere, ait, major natu (senex), decet enim te. »

51. DIJUDICABO EOS, — ἀναχρισθῶ, examinabo.

Vers. 55

52. INVETERATE DIERUM MALORUM, — plene dierum malorum, qui dies tuos a pueritia usque ad senium, in luxuria et sceleribus transegisti, q. d. Inveteratae ætatis, æque ac malitiæ senex.

Vers. 56

NUNC VIENERUNT PECCATA TUA — ad cumulum et maturitatem, ut in hocce facinore prodantur et puniantur.

54. SUB SCHINO. — Schinus, sive lentiscus, est arbor magnitudine roboris, odore terebinthi, acinis dum maturescant rufis, ubi maturuerint nigris : sudat resinam, quam in Chio insula mastichen vocant. Indeque dicta est lentiscus, quod liquore hoc sive resina lentescat. Est trifera : ter enim quotannis profert fructus. Unde Cicero, *De Divin.* ex vetusto poeta :

Jam vero semper viridis, semperque gravata
Lentiscus, triplici solita grandescere foetu :
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Porro Hippocrates lentisci fructum vocat schinida, et arborem schinon. Ita Ruellius, lib. I, cap. xx.

Aliqui codices legunt, *sub cyno*, itaque legendum contendit Jacobus Constantius, qui ait cynum esse speciem lauri. Verum legendum esse *sub schino*, non *sub cyno*, docent S. Hieronymus, Africanus, Origenes, Romana Biblia et alia passim. Cynus enim fictilia est arbor, et Theophrasto, Plinio, Columellæ aliisque priscis incognita. Loca enim Plinii, et Ovidii, quæ pro cyno citat Constantinus, corrupta esse docet Antonius Nebrissa in *Quinquagena*, cap. XI.

55. SCINDET TE MEDIUM. — Græcum σχίζειν, pulchre alludit ad σχίσμα, q. d. Imminet tibi angelus, et minatur te scindere, actuque scindet, ni Deus impeniat, aut populus te lapidando præveniat, uti de facto prævenit : angelum enim intentasse eis mortem patet vers. 59.

56. SEMEN CHANAAN, — o homo Chananæ potius quam Hebræe, si mores et vitia species. Sic ait Ezechiel cap. XVI, 45 : « Mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus. »

57. SIC FACIEBATIS FILIABUS ISRAEL. — Opponit Daniel filias Israel filiabus Juda, qualis erat Susanna, quasi timidiores et faciliores ad consensum, fortioribus et constantioribus : Israelitæ enim, relicto Deo, ad idolatriam declinantes, proniores in venerem aliaque scelera effecti sunt. Nota : Non sola tribus Juda, sed et multi ex aliis tribubus cum ea abducti sunt in Babylonem, ibique servarunt tribuum discrimen, uti hinc liquet.

58. SUB PRINO. Prinus non est prunus, uti censuit S. Augustinus, serm. 242 *De Temp.*, sed genus ilicis : ilicis enim variae sunt species, et una ex qua nascitur coccus, de quibus Plinius, lib. XVI, cap. vi et VIII.

59. RECITE MENTITUS ES ET TU IN CAPUT TUUM. — Vide hic ut mendacium mendacem, dolus dolo-

sum justo Dei judicio perimat. Hoc est quod ait Christus : « Ex ore tuo judico te, serve nequam. » Quocirca justum eaque ac sapiens fuit judicium Alexandri Medicei primi ducis Florentiae. Cum enim quidam perdidisset bursam in qua erant sexaginta aurei, idque per praeconem proclamari jussisset, promittens inventori eam referenti decem aureos : inventor vero pauper quidam eam referens posceret decem aureos; ille habita re sua coepit tergiversari, dixitque in bursa fuisse septuaginta aureos, inventorem decem exmisso, si bique solvisse. Dux sententiam tulit : Bursa haec sexaginta aureorum non est ejus, qui se dicit bursam perdidisse septuaginta aureorum : ergo inventor eam retineat, donec verus ejus dominus reperiatur. Ita juste sua bursa privatus est, qui malitiose per mendacium inventorem calumnabatur, et furti arguebat.

Vide hic rursum quam apposite sententia criminis, et poena culpæ respondeat. Senex calumniam et necem struebat Susannæ in prino, quæ græce sectionem significat; hinc congrue a Daniele audit : « Manet angelus Domini gladium habens, ut secet te medium. » Sic Deus per ranas loquaces punivit murmur et blasphemias Pharaonis, per cinipes ejusdem fastum, per sanguinem Nili sanguinem infantium Hebræorum ab eo effusum, ut dixi *Exodi* VII et seq. Nimirum, per quod quis peccat, per hoc et punitur, ait Sapiens.

Denique in duobus hisce perversis senibus veræ sunt duæ istæ gnomæ Ptolemaei, initio *Almagesti*, prima : « Qui male operando vult celari, satis discoopertus est; » secunda : « Qui confidit in mendacio, cito deficiet; illud enim destituet eum. » Ac vetus Hebræorum dictum : « Mendacium debiles, veritas solidos habet pedes. » Et Arabum : « Mendacium est infirmitas, veritas est stabilitas. »

Allusio
est in
Græco,
non in
Hebræo,
unde?

Prima
respon-
sio.

UT SECET TE MEDIUM. — In Græco rursum elegans est paronomasia : nam a πρίονι dicitur πρίονα, id est secare; perinde enim est ac si dicas alteri : Vidi te sub malo; et ille respondeat : Eas ergo in malam crucem; vel : Vidi te sub cedro; et ille respondeat : Cædat ergo te carnifex. Atque haec causa fuit Africano et aliis suspicandi haec esse conflictæ; quia Hebræi vel Chaldæi in sua lingua non potuerunt uti his allusionibus. Verum Africano respondet Origenes et alii, in Hebræo alias a schino et prino fuisse arbores, in quibus Daniel hebraice per annominationem alludere potuerit ad vocem *scindendi et secandi*. Sed hoc simplici veritati et narrationi historiæ, atque integritati et fidelitati Interpretis derogare videtur, ideoque liberius dicitur quam par sit; alioqui enim et noster Interpretis melius in iisdem arboribus lusisset, hoc modo : Vidi te sub lentisco; non lente ergo, sed subito peribis. Vidi te sub ilice, illico ergo occideris. Hac tamen libertate in vertendo usi videntur Syrus et Arabicus. Nam pro sub schino, Arabicus vertit, sub arbore terebinthi; Syrus,

sub pistacio. Pistacium est nucis genus instar avellanæ, de quo Plinius, lib. XIII, cap. v : « In nucum genere pistacia nota; » vulgus pharmacopolarum vocatur *phisticorum*. Rursum, pro sub prino, Syrus vertit, sub malogramato; Arabicus Antiochenus, sub arbore mali; Arabicus Alexandrinus, sub arbore amygdali.

Dico ergo in Hebræo tunc temporis potuisse esse similem paronomasiam in iisdem arboribus, qualis jam est in Græco. Tunc enim plures erant voces Hebrææ, quam jam sint : jam enim non habemus alias præter illas quæ in Bibliis exstant. Secundo, esto non fuerint in Hebræo haec allusiones, ut nec sunt in interprete Latino; potuit tamen Græcus interpres fideliter et ad verbum vertens, talem paronomasiam in Græco invenire, qualis non erat in Hebræo. Idem sæpe fieri videntur in aliis translationibus, dum historia vel res ex una lingua ad aliam transfertur. Quod enim subdit Daniel : « Recte mentitus es in caput tuum, » rō recte idem est quod vere, non autem idem est quod apposite, vel allusive.

61. FECERUNT EIS SICUT MALE EGERANT, — talionis Vers. 61.
poena senes mulctarunt, juxta legem Deutero nom. XIX, 16.

62. INTERFECERUNT EOS, — lapidibus. Adultera Vers. 62.
enim lege veteri lapidabatur, ut patet *Ezech. XVI, 40*. Vide dicta *Levit. XX, 10* et 27.

Disce hic quam Deus, ut rhinoceros, castitatis et innocentiae sit index et vindicta. Ita Josephi castitatem ab hera tentatam, et falso infamatam declaravit, evexit, atque per Mosen toto orbe et omnibusque sæculis celebravit, Gen. XLIX et seq. Ita mulier falso adulterii accusata, et damnata, pla. a carnifice occidi non potuit, Deo ictum retundente, ideoque ab eo frustra sæpius, adeoque septies fuit icta: testis est S. Hieronymus, epist. ad *Innocentium*. Ita S. Agnes, Lucia, Theophila et aliæ quam plurimæ virgines inique ad leones, vel ad lenones damnatae, ab iis illæsæ angelo tutante permanerunt. Ita S. Cunegundis Henrici Imperatoris uxori falso adulterii insimulata, nudis plantis per candens ferrum illæsa ambulavit. Ita Narcissum Hierosolymorum Episcopum turpis et infamis criminis falso insimularunt tres perjuri testes: ac cum primus sibi incendium, secundum morbum regium, tertius cæcitatem imprecatus esset ni verum diceret; haec singula singulis uti optarant, Deo puniente, obvenerunt, uti refert Eusebius lib. VI *Hist. cap. vii*. Ita S. Marina, cum mutato habitu quasi vir inter monachos degeret, falso accusata a filia hospitis, quasi ei stuprum intulisset, monasterio ejecta, et ad poenitentiam perpetuam usque ad mortem damnata; cum post mortem sepelienda appareret non esse vir, sed femina, ac proinde stuprum non potuisse inferre; puella, quæ eam accusarat, a dæmonे correpta accurrit, crimenque falsi confessa, non nisi septimo die ad ejus tumulum liberata est, omnibus S. Marinæ castitatem æque ac patientiam ce-

Secunda
et vera.

Morali-
ter, Deus
castitatis
est index
dex.
Erem-

lebrantibus, uti habet ejus *Vita in Vitis Patrum*. Ita Fausta Constantini Magni uxor, Crispi privigni amore capta, cum ad libidinem eum sœpius provocasset, renuentem detulit ad maritum, illum sibi vim inferre voluisse. Credidit Constantinus, Crispumque necari jussit. Verum, post aliquot annos comperta veritate, Faustum capite mulctavit, filioque nomen et famam, licet sero, restituit: testis est Eutropius, Nicephorus et alii.

Verum his omnibus illustrius magisque appositum est, quod legimus in *Vita S. Elisabethæ reginæ Lusitaniae*, quæ cum falso esset accusata apud regem Dionysium, quod pedissequum quemdam adamaret; rex credulus pedissequum neci, puta incendio, destinavit, ut in fornacem calce ardentem projiceretur. Secreto ergo jussit præfectis fornacis, ut pedissequum quem postridie mane eo missurus erat, rogaturum an perfecissent id quod rex jusserset, illico in fornacem congererent. Itaque mane eo pedissequum mittit: ille in via audit pulsari ad Sacrum in ecclesia vicina; eo divertit, audit Sacrum unum, alterum et tertium. Interim rex, putans eum jam in fornacem conjectum, mittit alterum pedissequum prioris æmulum, qui eum æque ac reginam falso accusarat. Venit ille, rogat num peracta sint quæ rex jusserset: præfecti ex indicio a rege dato, putantes hunc esse quem rex fornaci destinarat, subito eum arripiunt et in fornacem intrudunt. Supervenit deinde finitis Missæ sacrificiis pedissequus prior, quem rex neci designarat, rogat fornacis custodes, an regis jussa compleverint; affirmant illi: redit pedissequus ad regem, idque renuntiat. Obstupescit rex, remque investigans reperit alium quem submisserat concrematum. Rogat ergo nuntium, ubi tam longas moras traxerit. Respondet ille se auditio pulsu rei sacræ interfuisse; eo quod pater moriens hoc ei monitum dedisset, ut sacrificiis omnibus quæ inchoari vidisset assistere, donec illa finirentur. Intellexit inde rex innocentiam reginæ et pedissequi, ac calumniam æmuli, justumque Dei judicium, qui necem quam illi insonti struxerat, in ipsiusmet sontis caput intorserit. Adhuc fornax illa calcaria in rei memoriam conservatur, ut a nostris Lusitanis oculatis testibus audivi. Idem refertur in *Chron. S. Francisc. part. II, lib. VIII, cap. xxviii.*

Vers. 63. 63. ET REX ASTYAGES.—Pererius putat hæc verba transponenda esse, et referenda ad finem cap. ix. Theodoretus vero ad finem cap. xii; hoc enim caput in Græco hic immediate præcedit. Verum hæc transpositio violenta est, et confusionem patit, atque Latino textui repugnat.

Sub Astyagenon contigit historia Susannæ. Secundo, alii putant historiam Susannæ contigit tempore captivitatis Babylonicae, puta tempore Astyagis et Cyri. Verum obstat quod Daniel erat puer, cum Susannam liberavit; ergo paulo post annum 5 Joakim (illo enim Daniel puer abductus est in Babylonem) hæc historia contigit; ergo ante captivitatem Babyloniam, quæ 70 an-

nos duravit, et soluta est per Cyrus ad finem vitæ et regni ejus, puta anno regni ejus 27 quo cepit Babylonem, et ex rege Persidis fecit se monarcham. (Minus ergo probabiliter Pererius censet Cyrus expugnavisse Babylonem anno 1 regni sui. Inde enim inter alia sequeretur Danielem vixisse 138 annos, ut ostendi in Procemio.) Nam Astyages regnauit ante Cyrus annis 38. His adde 27 annos Cyri, tantum habebis 65, ita ut adhuc 5 anni desint ad explendos annos 70 captivitatis. Unde sequitur quod anno 5 et 6 captivitatis Babylonicae, sive transmigrationis Jechoniæ, cooperit regnare Astyages, cum jam Daniel esset 34 annorum, ac proinde vir esset, non puer, ut hic dicitur; presertim cum hæc non initio, sed in fine regni Astyagis contigisse dicendum sit, si hanc expositionem sequamur. Sequitur enim: « Et suscepit Cyrus Perses regnum ejus. »

Dico ergo cum Lyrano, Hugone, Dionysio Carthusiano, Torniello et aliis, hæc verba referenda esse ad initium sequentis historiæ de Belo et draconе. Id ita esse clarissime docent Græca etiam correctissima Caraffæ, quæ ab hisce verbis ordiuntur cap. xiv. Idem facit versio Arabica utraque, scilicet Antiochena et Ægyptia, sive Alexandrina. Est ergo hic quasi titulus chronologicus historiæ sequentis, ut sciamus quo tempore ea contigerit, scilicet post mortem Astyagis sub Cyro. Similis titulus capiti iv præfigitur, cap. iii, vers. 98, ut ibi dixi. Porro videtur hic titulus ex diariis regum Persarum esse desumptus, et hoc translatus, æque ac tota sequens historia. Tò enim et rex Astyages, quasi ex abrupto hic inseritur, nec ullam cum præcedentibus habet connexionem. Videtur enim Judæus aliquis, Cyro et Persis eversa Babylonem jam plane dominantibus, in gratiam Cyri Judæis ita benevoli, et Persarum, eorum chronicæ sive diaria conscripsisse, atque sub eorum æra gesta tam in Perside, quam in Babylonie et alibi consignasse. Titulus ergo hic non est connectendus cum primis verbis cap. sequentis, uti patebit ibidem, sed eis quasi titulus præfigendus est. Translatus enim est hoc ex diariis jam dictis, in quibus cladebat præcedentes ibi historias, et simul sequentis, quæ hic ponitur, erat initium.

Nota: Astyages hic non est Darius Medus, filius Astyagis, et avunculus Cyri, ut volunt aliqui: huic enim Cyrus non successit nisi eversa Babylonem: hæc autem gesta sunt stante regno et rege Babylonis, ut patebit cap. sequenti, vers. 1. Astyages ergo hic fuit avus Cyri, cui in regno Medorum successit Darius filius; in regno vero Persarum successit Cyrus, nepos ejus ex filia. Licet enim Darius, utpote filius, in utrumque regnum, scilicet tam Persarum quam Medorum, jure gentium succedere debuisse; tamen cessit illi Cyro Persarum regnum, vel quia ipse adoptivus tantum erat Astyagis filius, ut vult Torniellus, vel quia ex pellice ejus erat natus, ut volunt alii; vel quia quietis amans Cyro nepoti suo animoso

Sed sa-
quens
Danie-
lis et
Belli.

Astyages
hic fuit
avus
Cyri.

et bellicosum Persidem concessit, concessurus et Medium post mortem.

Porro Astyagis mors, et Cyri in Perside regnum, ac Darii in Media, multis annis contigit ante excidium Babylonis. Illud enim peractum est per Cyrum in Perside, et Darium in Media jam regnantes; ita Hebræi in *Seder olam*, Lyranus in cap. ix *Daniel.*, Vatablus in cap. i *Daniel.*, Tornielius et alii. Imo idipsum diserte asserit III *Esdræ*, cap. v, vers. ult., et Josephus, XI *Antiq.* ii, ubi ait Cyrum post captam Babylonem, et laxatam Ju-dæorum captivitatem, mox Massageticō bello

periisse. Idipsum pluribus probavi, *Esdræ* i, 1.

Nota secundo: *Tò appositus est ad patres suos, etc.*, Naturali morte defunctus. significat Astyagem a Cyro non fuisse victum et cæsum, ut narrant Herodotus et Justinus, sed naturali morte fuisse defunctum, ita ut Cyrus quasi nepos ei jure hæreditario, non bellico, successerit. Rursum hinc patet hanc phrasim: *Appositus est ad patres suos*, non de solis salvatis et beatis dici: nec enim verisimile est Astyagem fuisse fidem, esseque salvatum. Sic *Genes.* xxv, 17, Ismael dicitur « appositus ad populum suum: » Ismaelis tamen dubia est salus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Daniel detegit dolum sacerdotum Belis, Belemque evertit. Secundo, vers. 22, draconem occidit, ideoque in lacu leonum mittitur, sed a Deo liberatur.

1. Erat autem Daniel conviva regis, et honoratus super omnes amicos ejus. 2. Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel: et impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, et oves quadraginta, vinique amphoræ sex. 3. Rex quoque colebat eum, et ibat per singulos dies adorare eum: porro Daniel adorabat Deum suum. Dixitque ei rex: Quare non adoras Bel? 4. Qui respondens ait ei: Quia non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit cœlum et terram, et habet potestatem omnis carnis. 5. Et dixit rex ad eum: Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? An non vides quanta comedat et bibat quotidie? 6. Et ait Daniel arridens: Ne erres, rex. Iste enim instrinsecus luteus est, et forinsecus æreus, neque comedit aliquando. 7. Et iratus rex vocavit sacerdotes ejus, et ait eis: Nisi dixeritis mihi, quis est qui comedat impensas has, moriemini. 8. Si autem ostenderitis quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemavit in Bel. Et dixit Daniel regi: Fiat juxta verbum tuum. 9. Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus, et parvulis, et filiis. Et venit rex cum Daniele in templum Bel. 10. Et dixerunt sacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras: et tu, rex, pone escas, et vinum misce, et claude ostium, et signa annulo tuo: 11. et cum ingressus fueris mane, nisi inveneris omnia comesta a Bel, morte morieris, vel Daniel qui mentitus est adversum nos. 12. Contemnebant autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, et per illum ingrediebantur semper, et devorabant ea. 13. Factum est igitur postquam egressi sunt illi, rex posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, et attulerunt cinerem, et cribravit per totum templum coram rege: et egressi clauerunt ostium: et signantes annulo regis abierunt. 14. Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetudinem suam, et uxores, et filii eorum: et comederunt omnia, et biberunt. 15. Surrexit autem rex primo diluculo, et Daniel cum eo. 16. Et ait rex: Salvane sunt signacula, Daniel? Qui respondit: Salva, rex. 17. Statimque cum aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamavit voce magna: Magnus es, Bel, et non est apud te dolus quisquam. 18. Et risit Daniel: et tenuit regem ne ingredieretur intro, et dixit: Ecce pavimentum, animadverte cujus vestigia sint hæc. 19. Et dixit rex: Video vestigia virorum, et mulierum, et infantium. Et iratus est rex. 20. Tunc apprehendit sacerdotes, et uxores, et filios eorum: et ostenderunt ei abscondita ostiola, per quæ ingrediebantur, et consumebant quæ erant super mensam. 21. Occidit ergo illos rex, et tradidit Bel in potestatem Danielis: qui subvertit eum,

et templum ejus. 22. Et erat draco magnus in loco illo , et colebant eum Babylonii. 23. Et dixit rex Danieli : Ecce nunc non potes dicere quia iste non sit Deus vivens : adora ergo eum. 24. Dixitque Daniel : Dominum Deum meum adoro ; quia ipse est Deus vivens; iste autem non est Deus vivens. 25. Tu autem , rex , da mihi potestatem, et interficiam draconem absque gladio et fuste. Et ait rex : Do tibi. 26. Tulit ergo Daniel picem , et adipem , et pilos, et coxit pariter : fecitque massas, et dedit in os draconis, et diruptus est draco. Et dixit : Ecce quem colebatis. 27. Quod cum audissent Babylonii, indignati sunt vehementer : et congregati adversum regem, dixerunt : Judæus factus est rex : Bel dextruxit, draconem interfecit, et sacerdotes occidit. 28. Et dixerunt cum venissent ad regem : Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te , et domum tuam. 29. Vedit ergo rex quod irruerent in eum vehementer : et necessitate compulsus tradidit eis Danielem. 30. Qui miserunt eum in lacum leonum, et erat ibi diebus sex. 31. Porro in lacu erant leones septem , et dabantur eis duo corpora quotidie, et duæ oves : et tunc non data sunt eis , ut devorarent Danielem. 32. Erat autem Habacuc propheta in Judæa, et ipse coxerat pulmentum, et intriverat panes in alveolo : et ibat in campum ut ferret messoribus. 33. Dixitque angelus Domini ad Habacuc : Fer prandium , quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. 34. Et dixit Habacuc : Domine, Babylonem non vidi, et lacum nescio. 35. Et apprehendit eum angelus Domini in vertice ejus , et portavit eum capillo capitis sui , posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. 36. Et clamavit Habacuc, dicens : Daniel, serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. 37. Et ait Daniel : Recordatus es mei, Deus, et non dereliquisti diligentes te. 38. Surgensque Daniel comedit. Porro angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. 39. Venit ergo rex die septimo ut lugeret Danielem : et venit ad lacum , et introspexit, et ecce Daniel sedens in medio leonum. 40. Et exclamavit voce magna rex, dicens : Magnus es, Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum. 41. Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum , et devorati sunt in momento coram eo. 42. Tunc rex ait : Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis : quia ipse est salvator, faciens signa et mirabilia in terra : qui liberavit Danielem de lacu leonum.

Vers. 1. 1. ERAT AUTEM DANIEL CONVIVA REGIS. — Hic rex Historia non fuit Cyrus, uti volunt Theodoretus et Ireneus, lib. IV, cap. xi, nec Astyages, ut videtur Balsasar. velle S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arianos*; sed Probatur primo. Evilmerodach, sive Balsasar. Probatur primo, quia hic fuit rex Babylonis adhuc stantis et florentis. Secundo, quia hic, utpote Babylonius, coluit Bel, Cyrus vero et Persæ non coluerunt Bel, sed soleū : imo Xerxes sepulcrum Beli destruxit, teste Strabone, lib. XVI. Tertio, quia Babylonii voluerunt regem hunc occidere, vers. 28, nisi eis traideret Danielem: hoc autem non ausi fuissent minari Cyro, utpote jam ab eo subacti ; nec etiam Nabuchodonosori , utpote potenti et terribili. Ita Torniellus, Pererius et alii.

Daniel erat tunc cum missus est in lacum leonum, non fuerit duorum. 72 annorum. Probatur xxx; fuit enim tunc ut minimum 72 annorum. Id patet primo, ex eo quod historia hæc contigerit sub Balsasare, qui cœpit regnare anno regni Nabuchodonosoris 45; illo enim anno Balsasar morienti patri successit; Daniel autem 20 erat annorum, antequam regnare inciperet Nabuchodonoso-

sor. Secundo, quia historia hæc contigit post regnum Astyagis, regnante jam Cyro, ut patet ex titulo, sive ex ultimis verbis capitinis præcedentis ; Astyages autem, ut ibi dixi, cœpit regnare anno captivitatis Babylonicae sexto , quo Daniel erat 34 annorum, regnavit vero 38 annis : jam adde 34 et 38, habebis annos 72 vitæ Danielis. Erat ergo Daniel 72 annorum, cum mortuus est Astyages, et regnare cœpit Cyrus, sub quo hæc historia contigit.

2. BEL. — Bel, sive Beel, Baal, Bal, et Belus fuit Nemrod, fundator et primus rex Babylonis, pater Nini, uti dixi *Genes. x.*, 10. De templo et idolo hoc Beli mira scribunt Herodotus, lib. I, qui Daniele vix 100 annis fuit posterior; Diodorus, lib. III, cap. iv; Strabo, lib. XVI, ubi inter alia docent statuam Jovis Beli auream fuisse longam pedes 40, ponderantem mille talenta Babylonica : cui dicatus erat crater ex auro talentorum 1200. Videatur hæc statua ex ære fuisse, sed tecta auro; aut certe ex aurichalco, id est ære aureo : Daniel enim eam vocat æream.

Tropologice, Belum et idola imitantur, primo, qui vestibus sericis et aureis exterius se ornant,

interius terream habent vel mentem, vel conscientiam, puta in luto et sordibus gulæ, libidinis, etc. versantur. Secundo, hypocritæ, qui foris aurei videntur, intus sunt lutei. Audi Billum in Antholog. :

Bel erat externe pulcherrimus, undique et ære
Tectus ; at intus erat nūl nisi vile lutum.
Qui Curiū simulat, cum sit nequissimus, illam
Cur ego non Belum juro vocare quemam?
Bel erit, exterius tumuli qui candidus instar,
Interius tantum vile cadaver habet.

ARTABÆ. — Artaba continet 72 sextarios, inquit Epiphanius, lib. *De Ponderibus et mensuris*, et Isidorus, lib. XVI *Etyalog.*; magna ergo copia similæ huic Beli idolo quotidie impendebatur. Triplex fuit artaba, scilicet Persica, capiens medimnum, et tres chœnices; Medica, capiens medimnum; Ægyptia, capiens quinque modios. Ita Pererius.

AMPHORÆ. — Amphora continebat 48 sextarios, sive scyphos majores, quorum quisque continebat viginti uncias aquæ aut vini, uti dixi in appendice Pentateuchi.

Vers. 12. 12. CONTEMNEBANT. — Corrige *confidebant*: græce enim est κατεφόρουν, id est despiciebant, scilicet periculum suæ fraudis et mortis.

Vers. 13. 13. ET CRIBRAVIT, — id est cribrando sparsit per totum templum, ne, si lapilli cineri immixti spargerentur, in eos pedibus impingentes venturi noctu sacerdotes fraudem persentiscerent, cineremque everterent. Cribrando ergo fecit ut solus purus tenuisque cinis per cribrum dilaberetur in pavimentum, quem sentire pedibus non poterant. Hinc Septuaginta vertunt, κατέρρωσσεν, id est straverunt cinere pavimentum. Ita Complutensia. Obscure ergo legit editio Caraffæ, *decusserunt templum*, q. d. Ex cribro cribrando decusserunt pulverem per totum templum, ita ut cribrum solum pulverem transmiseret; carbones vero, lapillos, et alia crassiora retineret, quod Plinius, lib. XVIII, cap. xi, et Columella lib. V, cap. vi, vocant, *cribro incernere*, vel *succernere*, hoc est cribrare. Itaque in hoc cinere nescientes vestigia pedum noctu impresserunt sacerdotes, ex iisque deprehensi sunt, quod scilicet ipsi comedenter escas idolo oblatas, non Bel: ideoque rex eos occidit, et idolum Beli per Danielem evertit.

Vers. 22. 22. ERAT DRACO. — Ita Romani in peste Romam advixerunt et coluerunt serpentem Epidaurium, quasi urbis Æsculapium, de quo vide Valerium Maximum, lib. I, cap. VIII. Notat S. Augustinus, lib. XI *De Genes. ad litt. xxviii*, diabolum uti solle forma serpentum ad decipiendos homines, permittente Deo, « ad primi facti memoriam commendandam, quod sit ei quædam cum hoc genere familiaritas, » quia scilicet in serpente decepit Adamum et Ewam, ibique vidit hanc fraudem sibi bene succedere. Hinc Pherecydes Syrus dixit dæmones e cœlo a Jove fuisse deturbatos, quo-

rum princeps dictus sit Ophioneus, id est serpentinus. Adde quod draco natura est cum monstrosa et horribili, tum fortis et robusta, tum pervigili et acerrima oculorum acie (unde draco dicitur ἄπὸ τοῦ δέρκεων, a *videndo*); quare quid divinum præ se fert. Ea de causa a priscis draconi assignata est custodia ædium, adytorum, oraculorum, thesaurorum, heroum infantiarum, usi de Hercule; imo et de Nerone fabulati sunt Poetæ. Hinc etiam draco priscis fuit symbolum prudentiae, sapientiae, imo et vaticinii, uti docet Carolus Paschalius, lib. IX *De Coronis*, cap. xv, sub finem. Quocirca ab Ovidio, lib. IX *Metamorph.*, draco vocatur « insomnis, » et lib. VII, « insopitus : » et a Valerio lib. II *Argonaut.* « vigil : » talis enim erat ille Colchicus custodiens vellus aureum, quod tam rapuerunt Argonautæ. Hinc et Cicero *Philip.* XIII: « An, inquit, is non reddet, qui domini patrocinium circumplexus, quasi thesaurum draco? » Denique dracones aliqui immanes sunt, adeo ut boves glutire soleant, unde et boas vocant; qualis fuit ille qui armenta et pastores traxit ad se vi spiritus absorbebat, quem pyramidem condescendere jubens exussit S. Hilarion, teste S. Hieronymo, in ejus Vita.

Maximus Tyrius, et ex eo Pierius, *hierogl.* 16, tradunt, tempore Alexandri, draconem fuisse quinque jugerum magnitudine. Hinc et draco in somnis visus matri portendit Alexandro Magno, uti et Scipioni, Augusto, Aureliano, Severo, aliisque, imperium amplum et illustre: uti refert Pierius, *hierogl.* 15. Rursum Plinius asserit, apud Indos et Æthiopes esse dracones viginti cubitorum. Audi eum, lib. VIII, cap. xi: « Elephantes fert Africa, etc., sed maximos India, bellantesque cum iis perpetua discordia dracones tantæ magnitudinis, ut et ipsos circumflexu facili ambiant, nexusque nodi perstringant. Commoritur ea dimicatio; victusque corruens, complexum elidit pondere. » Causam pugnae subdit cap. XII: « Elephantis frigidissimum esse sanguinem, ob id aestu torrente præcipue a draconibus expeti. Quamobrem in amnem mersos insidiari bibentibus, arcatusque illigata manu in aurem morsum defigere. » Non mirum ergo, si Gentiles et Babylonii, præ cæteris animalibus draconis inesse Numen putarint. Magis mira sunt quæ de draconibus scribit Plinius, lib. XXIX, cap. IV, scilicet: « Draco non habet venena. Caput ejus limini januarum subditum, propitiatis adoratione diis, fortunatum domum facere promittunt. Oculis ejus inveteratis, et cum melle tritis inunctos, non pavescere ad nocturnas imagines etiam pavidos. Cordis pingue in pelle dorcadum nervis cervinis adalligatum in lacerto, conferre judiciorum victoriæ. Primum spondylum aditus potestatum mulcere. Dentes ejus illigatos pellibus caprearum cervinis nervis, mites præstare dominos, potestatesque exorabiles. » Verum hæc fabulosa videntur, aut magica potius quam physica. Unde mox subdit Plinius:

Secunda.

Artaba triplex.

Vers. 12.

Vers. 13.

Vers. 22.

Diabolus utitur forma serpentinum, cur? Causa prima.

« Sed super omnia est compositio, qua invictos faciunt magorum mendacia, » etc. Hisce de causis diabolus in specie draconis vel serpentis apparere, pingi et coli voluit.

Scribit Dio in *Adriano*, eumdem Imperatorem in templo Jovis Olympii, quod Athenis sumptuosissime erexerat, posuisse pro numine draconem ex India deportatum.

Alexandrum impostorem, discipulum Apollonii Tyanæi, serpentem palam adorandum expusisse, eumque oracula dare finxisse; ideoque ad novum hoc oraculum vocale confluxisse Iones, Galatas, Cilices, quin et Romanos, uti Rutilianum qui praeerat Romano exercitui, narrat Lucianus in *Pseudomante*.

Draco pingitur ad pedes S. Sylvести, quia ipse, converso Constantino, dæmoni, quasi draconi, cultum in idolis ademit, eumque Christi cruce debellavit et calcavit. Quin et in actis S. Sylvesti mira narrantur, de dracone immani ab eo constricto et concluso, cuius memoria extat Romæ ad radices Capitolii, in templo quod vocatur, *S. Maria, libera nos de pœnis inferni*, de quo multa Baronius, tom. III, anno Christi 324, pag. 238.

Nec tantum ab ethnicis, sed et ab hæreticis voluit dæmon coli draconis vel serpentis specie. Ophitæ inde nomen acceperunt, quod serpentem alerent et colerent quasi Christum, qui eorum Eucharistiam lambebat, itaque sanctificabat, uti refert Epiphanius, *hæres.* 37, Theodoretus, lib. I *Hæret. Fabul.*, S. Augustinus, *De Hæres.*, ubi et addit, Ophitas dixisse Christum illum fuisse serpentinum, qui decepit Evam.

Porro S. Scriptura diabolum vocat et pingit quasi draconem, ob malitiam ejus et sævitiam, *Apocal. XII, 3, 9, 13; Isaiae XXVII, 1; Job XL, 20; Psalm. XC, 13; Psal. CIII, 26.* Ita refert S. Gregorius, hom. 19 in *Evang.*, in suo monasterio dæmonem in forma draconis apparuisse juveni cuidam sacerdotali morienti qui licentius vixerat, sed precibus monachorum fugatum abiisse. Et lib. IV *Dialog.* cap. xxxvii, idem recensens, ait juvenem vocatum fuisse Theodorum, qui hac visione totus fuerit ad Deum conversus; eumque post longæ ægritudinis purgationem et pœnitentiam, hac vita esse defunctum.

Denique ob causas jam dictas prisci censebant serpentes esse naturæ immortalis et divinæ, ait Philo Biblius. Hinc Taautus, *Ægyptiorum deus*, ait: *Hoc « spiritualissimum est omnium animal; et maxime igneum, longævum præterea, et senectam cum pelle deponens revirescit, et vix naturali nece conficitur. »* Hinc et Lampridius de Hellogabalo ita scribit: *« Ægyptios dracunculos Romæ habuit, quos illi Agathodæmonas appellant. »* Phœnices quoque *« serpentem felicem »* appellabant, ait Eusebius, lib. I *Præp. Evang.* VII. Quin et serpentibus tantum cultus tribuit gentilitas, ut *draconia* templa nominaret, teste Strabone,

lib. XIV, quod prima circa serpentes extiterint idololatriæ semina, et quod diabolus hanc speciem haberet in deliciis. Unde Horus Apollo, *hierogl. I*: *« Ægyptii, inquit, basiliscum ex auro conflatum diis circumponunt. »*

23. ECCE NUNC NON POTES DICERE. — Græca ha- Vers. 23.
bent: *Numquid et hunc dices esse æneum? vivit ecce et bibit.*

26. DIRUPTUS EST DRACO. — Non quod pix aut pili venenati sint, vimque naturalem dirumpendi habeant; sed quod boli ex ea massa dati hæserint firmiter angustissimæ gutturis et ventris viæ; eaque penitus obturata, nulloque exitu dato, neque devoratis, neque flatui, diruptus sit draco. Pix enim et adeps cum sint glutinosa et emplastrica, obturant viam cibi, implicata vero pilis multo tenacius hærent: sic ergo, impedito anhelitu et aspiratione, cibo hoc oppletus draco, crepuit. Ita Valesius lib. *De Sacra Philos.*, cap. LXXXI. Scribit enim Solinus, cap. XLIII, veris draconibus ora esse parva, et ad morsus non dehiscentia, sed arcas fistulas per qua strahunt spiritum et linguam exerunt: facile ergo hac massa picea illæ a Daniele oppleri potuerunt, itaque suffocari et crepare draco. Simili modo eversum et combustum est Mamæum, id est celebre illud Mamæ delubrum et idolum anno Domini 401, sub Arcadio imperatore a S. Porphyrio Gazæ episcopo jussu Dei, qui per os pueri Syri septennis Græca lingua, quam nunquam didicerat, loquenter edixit: *« Urite templum quod est intus usque ad solum; multa enim gravia in eo facta sunt et maxime hominum sacrificia. Hoc autem modo id adurite: Afferte picem humidam, et sulfur, et serum suillum, miscete hæc tria, et ungite portas æneas, et ignem eis immittite, et sic templum comburetur: alias enim non potest fieri; et postquam fuerit combustum, expurgato loco statuite illic sanctam ecclesiam. Testificor enim coram Deo, non posse aliter fieri: non enim sum ego qui loquor, sed qui est in me Christus. »* Cui Christi edicto obsequens S. Porphyrius, delubrum famosissimum combussit. Ita ex Actis S. Porphyrii, quæ conscripsit Marcus Diaconus Gazensis, narrat Baronius anno Christi 401.

Allegorice S. Chrysostomus, homil. 38 in I ad *Corinth.*: Sicuti, inquit, cibo hoc Danielis gustato, crepuit draco; ita, corpore Christi sorpto, tararus est diffissus, corpore hoc ventrem ejus rumpente, indeque remeante gloriose cum tot Sanctorum millibus.

ECCE QUEM COLEBATIS. — Ιδε τὰ σεβάσματα ὑμῶν: Ecce numina vestra, puta Bel et draco quæ colebatis, quam infirma, quam fallacia sunt!

30. MISERUNT EUM IN LACUM LEONUM. — Hinc patet Vers. 30.
Danielem bis missum fuisse in lacum leonum, sci- Daniel
bis mis-
sus fuit
in lacum
leonum.

Danielem bis missum fuisse in lacum leonum, sci- Daniel
bis mis-
sus fuit
in lacum
leonum.

An duo olim, teste S. Hieronymo præfatione in *Danielem*, fuerint putarint alium esse Danielem qui Susannam liberavit, et Bel destruxit, ab eo de quo primis duodecim capitibus actum est : hic enim fuit de tribu Juda, ut patet cap. 1, 3 ; ille vero Belis destructor videtur fuisse de tribu Levi. Hoc enim indicant Septuaginta in quorum versione olim initio capituli xiv, ita legebatur : *Vir quidam erat sacerdos nomine Daniel filius Abdæ, conviva regis, uti testis est S. Hieronymus præfatione in Danielem.* Verum ad hoc respondet primo, Dionysius Carthusianus ex Isidoro, Danielem fuisse ortum ex Levi quoad genus paternum, ex Juda quoad maternum. Secundo, et melius respondet Pererius, corruptam fuisse illam editionem græcam : nam jam id in ea non invenitur. Unde Ecclesia unum tantum agnoscit Danielem, eumque ex semine regum Juda prognatum. Vere Cyprianus, serm. *De lapsis* : « Quid gloriosius Daniele ? Quid illo ad facienda martyria in fidei firmitate robustius ? in Dei dignatione felicius ? qui toties et cum confligeret vicit, et cum vinceret supervixit. » Et Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. xxxv : « Quam, ait, insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expavit leones ! Fremebat bestiæ, et ille epulabatur. » Et S. Basilus, hom. *De laudibus jejunii* : « Daniel, ait, vir desideriorum, cum tres hebdomadas non edisset, nec vinum bibisset, demissus in lacum, etiam leones jejunare docuit. Neque enim leones dentes in illum impingere voluerunt, perinde quasi e lapide aut ferro concretus fuisse. Adeo sicut tinctura ferrum indurescit, ita jejunium viri corpus duraverat, ac leonibus insuperabile reddiderat. » Rursum in Daniele verum fuit illud S. Augustini, *Sentent.* 249 : « Nulla infelicitas frangit, quem nulla felicitas corruptit. »

Vers. 31. 31. DUO CORPORA ET DUE OVES, — duo integra corpora duarum ovium. Est hendyadis ; vel et ponitur pro *id est*. Secundo, simplicius et planius : « duo corpora, » puta vel animalium occisorum vel hominum ad mortem damnatorum, aut alias interemotorum : « et due oves, » vivæ. Prædam enim vivam pro esca ambit leo, ut eam unguibus suis discerpat. Nam due oves quotidie ad escam non suffecissent septem leonibus, ita feris et voracibus. Præter binas oves ergo data sunt eis alia duo corpora, vel cadavera. Unde Syrus vertit : *Duo corpora in die (quotidie) et duo arietes* ; et Arabicus Antiochenus : *Et erat cibus eorum singulis diebus tauri duo e bobus, et de ovibus, duo arietes.* Sic et Arabicus Alexandrinus.

Vers. 32. 32. ERAT AUTEM HABACUC PROPHETA IN JUDÆA. — Nota : Licet tempore excidii Hierosolymæ per Chaldeos, multi Judæi abducti fuerint in Babylonem, alii fugerint in Ægyptum, vel in alias regiones ; tamen nonnullos remansisse, vel rediisse in Judæam, inter quos fuit hic Habacuc.

An Ha-
bace hic
fuerit

Quæres : Fuitne hic idem cum Habacuc uno e duodecim minoribus Prophetis ? Affirmare viden-

tur S. Hieronymus, præfatione in *Habacuc*, Epiphanius et Dorothæus in *Synopsi*, Pererius et Pintus hic. Verum Torniellus et alii id negant, idque verius videtur. Nam noster hic Habacuc illo fuit posterior. Ille enim fuit ante captivitatem Babyloniam ; nam eam prædixit : hic vero post eam vixit sub Evilmerodach, nisi dicas eum ad multam ætatem vixisse. Si enim eum ponas hoc tempore fuisse 75 vel 80 annorum ; potuit esse unus idemque, unde tam hic quam ille vocatur Prophetæ. Hunc Habacuc historiam hanc scripsisse nonnulli autemant, eo quod olim Belis historia juxta Septuaginta hoc titulo prænotaretur : *Prophetia Habacuc filii Jesu de tribu Levi*, uti testatur S. Hieronymus, prolog. in *Danielem*.

PULMENTUM, — pultes.

IN ALVEOLO, — in cacabo similiive caveo vasculo. Arabicus vocat pilam, id est vas concavum ex ligno.

33. DIXITQUE ANGELUS DOMINI AD HABACUC : FER Vers. 33.

PRANDIUM QUOD HABES, IN BABYLONEM DANIELI. — Historiam Habacuc ita narrant Epiphanius et Dorothæus in *Vita Danielis* : « Cum Nabuchodonosor postremo venit Jerusalem cum exercitu oppugnaturus, Habacuc fugit in terram Ismaelitarum ; postea vero reversus est in terram suam. Et cum aliquando messoribus suis pulmentum præparasset, apud suos prophetavit, dicens : Proficiscor in terram longinquam, ac cito revertar ; si autem tardavero, fert me messoribus escam. Cum autem Babylone fuisse, et prandium dedisset Danieli, astitit messoribus vescentibus, nec quidquam dixit eorum quæ ipsi contigerant. Sciebat autem brevi reversurum populum Babylone : et biennio priusquam populus reverteretur, mortuus est, ac sepultus in agro suo. » Horum fides sit penes auctores.

35. ET APPREHENDIT EUM ANGELUS, etc., POSUITQUE Vers. 35.

EUM IN BABYLONE. — Angelus subito, et quasi in iectu oculi potuit transferre Habacuc ex Judæa in Babylonem, et eadem celeritate reducere : quia angelus qui movet solem, facit ut sol qualibet hora tantum spatii conficiat, quantum quis conficeret si una hora quinquages totum terræ globum circumcurreret. Angelus vero, movens firmamentum, facit ut quævis stella in æquinoctiali una hora conficiat 42 milliones milliarium, et amplius : hoc est, tantumdem ac si globum terræ circumvolaret bis millies, atque amplius. Vide dicta Genes. 1, 14.

36. TOLLE PRANDIUM QUOD MISIT TIBI DEUS. — Vers. 36.

Vere S. Cyprianus, tract. *De Oratione Dominica* : « Cum Dei, ait, sint omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Danieli in lacu jussu regis incluso prandium divinitus procuratur, et inter feras esurientes et parcentes homo Dei pascitur. » « Quid ergo, inquit idem tractat. *De Operæ et Eleemos.*, metuis ne operanti tibi et Dominum promerenti desit alimen-

Prophe-
ta
minor ?
Respon-
deo non.

Vers. 37. 37. RECORDATUS ES MEI, DEUS. — Ita Græca et Romana; male ergo Plantina legunt : *Recordatus est enim mei Deus.*

DILIGENTES TE, ἐξηντοῦνται, querentes te.

Vers. 40. 40. MAGNUS ES, DOMINE DEUS DANIELIS, — quem Daniel colit, quicque Danielem a leonibus libe-

rasti. Græca addunt : *Et non est alius præter te.*

41. PORRO ILLOS. — Talionem eis irrogat, uti Vers. 41.
fecit et Darius, cap. vi, 24; lex enim talionis justitiae et æquitati naturali maxime est consentanea. Unde eam non soli Judæi, sed et Babylonii, Persæ aliique Gentiles usurparunt.

CONCLUSIO ET VOTUM

AUCTORIS AD SS. PROPHETAS.

Prophetas docentes et tonantes audivimus; eos vestigando et explicando pari passu secuti sumus. Ad metam, Deo duce, pervenimus; Isaiam consolantem et exsultantem, Jeremiam querentem et gementem, Ezechielem terrentem et minitantem, Danielem sua symbola et monarchiarum ac regnorum ænigmata proponentem spectavimus, excussimus (quantum Dominus dedit), intelleximus, exposuimus. Patientiam Prophetarum cognovimus, finem Domini vidimus. Prophetias ipsi suas proprio sanguine obsignarunt, et martyres evaserunt. Propheta enim et in vita et in morte martyr, id est testis, imo præco veritatis usque ad martyrium sit oportet. Hoc est quod asserit princeps Prophetarum Christus Dominus : « Non capit Prophetam perire extra Jerusalem, » *Luc. XIII, 33*; et : « Vae vobis, Scribæ etc., qui ædificatis sepulcra Prophetarum, etc., et dicitis : Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum, etc., et vos implete mensuram patrum vestrorum, » me scilicet Christum occidite. « Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, etc. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, » *Matth. XXIII, 29*. Idem est ergo Propheta quod Martyr.

Vos itaque, o Isaia, o Jeremia, o Ezechiel, o Daniel! Domini Prophetæ fuitis, fuitis pariter et martyres; tuque, o Daniel! in lacu leonum his martyr exstisti. O quam fortiter bonam confessionem confessi estis, fidem servastis, cursum consummasti! O quam feliciter coronam vobis repositam, tam doctoralem quam agonalem, accepistis! Prophetæ vestræ congruæ a Deo ab æterno decreta fuit hæc laurea, ut martyrium per doctoratum mereremini, illoque hunc confirmaretis et ornaretis. Purpurea enim laurea viridantem interpungens et vermiculans condecorat et illustrat. Merces vestræ doctrinæ et concionis fuit purpura, non regum, sed martyrum. Merces sane magna nimis, præmium ingens et invidendum.

Fecistis me prophetæ vestræ doctoralis laureæ participem : facite, quæso, et martyrii, ut et ego

veritatem quam a vobis hausি, aliosque docui et conscripsi, sanguine meo obsignem. Nec enim ante perfectus et consummatus erit doctoratus hic meus, nisi hoc sigillo pariter claudatur et sanctiatur. A triginta pene annis vobiscum, et pro vobis lubens volensque continuum subeo martyrium Religiosæ vitæ, martyrium ægritudinum, martyrium studiorum et scriptorium; impetrare, obsecro, mihi pro coronide et quartum martyrium sanguinis. Exhausi pro vobis spiritus vitales et animales, exhaustam et sanguinem. Omnis laboris mei per tot annos exantlati, quo vos Dei gratia explicui, illustravi, et novo sermone loquentes et prophetantes effeci, ac vobiscum quasi prophetavi, vestrum mihi quasi Prophetæ stipendium, martyrium dico, a Patre lumen aequæ ac misericordiarum obtinet.

Tuque, o sanctissima Dei Genitrix! a benedicto Filio tuo idem posce, idem mihi impetra. Habui illud pene in manibus Lovanii, sepius urbe undique circumcessa ab hereticis, eam utpote praesidio omni humano nudatam, tantum non invadentibus et occupantibus; ac praesertim apud tuam ædem Aspericollensem, tot miraculis illustrem, cum in ea degens, ut peregrinos turmatim devotionis causa adventantes per confessiones, conciones, aliaque sacra officia pro modulo meo adjuvarem, anno 1604, ipso festo Nativitatis tue, ab Hollandico equitatu ex improviso in eam incurrente, cunctaque ferro et flamma vastante, circumseptus, tantum non captus sum et trucidatus. Verum sacrosanctæ Eucharistiae, quam ex tua æde (ne ab hereticis violaretur) mecum efferebam, atque tua ope, quam voto tibi nuncupato implorabam, mira providentia servatus sum; cum periculum omne quasi per miraculum a me discussisti. Credo ad majores labores quibus hæc laurea promerenda erat, me liberasti et distulisti. Si ita est, labores auge, duplica, protende, etiam usque ad cursus Biblici consummationem, ut, eo peractio, coronam hanc adipiscar: verumtamen eadem quam mihi ad tempus abstulisti, ne me, oro, defraudes, sed eam integrum, majoribusque meritis cumulatam suo tempore redde et restitue. Tibi enim, utpote matris æternæ Sa-

pientiae, matrique meae desudat omnis hic labor
meus.

O Pater æterne, qui ante sæcula nos prædestinasti conformes fieri imaginis Filii tui; qui in tempore a te præordinato me in sanctam ejus Societatem vocasti et adoptasti, tribue, obsecro, ut ipsi æque in cruce passionis, ac in luce doctrinæ et sanctæ actionis jugiter conformeret et configureret. Ipse enim est testis fidelis, Doctorum, Prophetarum, et Martyrum princeps. Exprime in me ejus exemplar, quod mihi in monte Calvariæ monstrasti.

O Domine Jesu, amor noster! per merita SS. Matris tuæ et Prophetarum, mihi largire id ipsum, quod tam enixe postulo: fac ut tuas, eorumque coronas partipem, quorum labores et munus participo. Dixisti et promisisti: « Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet. » Recepit Prophetas, non Prophetam, imo cum eis cucurri et prophetavi: recepi te principem Prophetarum in magistrum et sponsum animæ meæ: concede ergo et martyrii lauream prophetiæ a te decretam, quam tot annis, tot votis assidue efflagitavi et efflagito. Mille modis, quos in tuae providentiae thesauris reconditos habes, facillime eam mihi, etiam medios inter christianos, exhibere potes, uti pluribus exhibuisti. Theodosiana erant tempora, quando S. Joannes Chrysostomus ab Eudoxia, et æmulis Episcopis in exsilium necemque actus, aurei sui oris, liberæque increpationis præmium tulit martyrium; atque assiduis itineribus noctu diuque fame, siti, solis ardore, febri, aliisque ærumnis lenta, sed acri morte occumbere coactus, non semel, sed decies martyr, gloriose de hostibus suis, ipsaque morte triumphavit. Heracliana erant sæcula, quando S. Martinus Pontifex Paulum Constantinopolitanum Patriarcham monothelitam excommunicans, jussu Constantis Imperatoris a

Calliopa exarcho in Lateranensi ecclesia perfide captus, et ad Constantem missus, ei in faciem fortissime restitit: quocirca ab eo in Chersonam relegatus, fame et ærumnis confectus, nobile pro Christo et orthodoxa fide martyrium lætabundus et glorians obiit anno Christi 654, vere suorum infelicium temporum constans et gloriosa felicitas. Justinianæ erant tempora, non Neroniana, non Diocletianæ, cum Sylvesterius Papa in urbe christiana, inter christianos, a christianis tulit palmam martyrii. Similia fuere, cum Joannes et Felix Pontifices eamdem obtinuerunt, te utique dante, te procurante. Romam ecce me vocasti, ut Romæ inter medios prophetas et martyres degarem. Calco assidue terram rubricatam, et pene adhuc stillantem sanguine S. Pauli, et trecentorum millium martyrum; hos quotidie ocalis, auribus, animo specto, hi mihi martyrii sui sitim acuunt, hi ardoris sui flamas injiciunt; ut turpe aestimem, inter tot domesticos doctores martyres, externum doctorem, non martyrem versari. Impie ergo hoc meum votum qui imples in bonis desiderium servorum tuorum. Da, Domine, non inertem vitam, da nec inertem in lecto mortem: da potius cum Christo ut moriar ligno aut ferro, pulchramque petam per vulnera mortem. Scriptoris hujus et doctrinæ meæ unum hoc tantum sigillum restat; concede, quæso, illud, si non meis meritis, certe veritati tuae quam conscripsi. Indidisti mihi hoc desiderium jam olim ab ipso ingressu in hanc S. Religionem; reipsa ergo præsta et perfice in ingressu vitæ meæ, quod me tam cupide desiderare fecisti, ad tuam perrennem laudem, et Ecclesiæ tuae decus, ut verbo et exemplo sanciam tua oracula, doceamque etiam post mortem, et cum sanguine Abel posteris per omnia sæcula futura inclamem: VIVITE DEO, VIVITE CÖELÖ, VIVITE ÆTERNITATI. Hoc est enim omnis homo.

DOXOLOGIA

SAPIENTIÆ AETERNAE

EX EPITOME GESTORUM ET VISIONUM DANIELIS.



Danielis abstinētia et sapientia. I. Multifariam multisque modis locutus es, Domine, Prophetis : sed novissime per somnia et ænigmata locutus es Danieli, sapientissimo in filiis hominum.

Daniel cum tribus pueris in Babylone carne et vino abstinuit : ideo dedisti eis sapientiam, et Danieli prophetiam.

Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et ventri redditis : ac revelasti ea parvulis et abstinentibus.

Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te : sic decuit ut mater sapientiæ sit humilitas et abstinentia, ut qui jejunant ventre, pascantur in mente.

Visio statuorum regnum regnorum. II. Vedit rex statuam ex auro, argento, aere et ferro : sed lapis de monte abscissus ea committitur, id nūt.

Daniel quatuor regna hic portendi videt, iisque eversis quintum regnum regnum regnorum : quod in æternum non dissipabitur.

Hinc rex Danielem adoravit, et in sublime extulit : eumque constitut principem super omnes provincias Babylonis.

Aurea statua regis, quam res puentes puen- tis in igne manent. III. Rex auream statuam erexit, eamque colijussit ut numen : tres pueri idolum abominati sunt.

Pereant simulacra gentium : quæ sunt argentes pue- tum et aurum, opera manuum hominum.

Ecce enim Deus noster in cœlo, qui fecit cœlum et terram : ipse nos potest eripere de camino ignis ardantis.

Rex furens conjicit eos in fornacem succensam : orant martyres stantes in flammis.

Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium : sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie : o Domine ! victimam fiamus viva, placensque tibi.

Mox adfuit eis angelus, flamمام ignis excusit : fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.

Non tetigit eos omnino ignis : neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.

Benedicite ergo, omnia opera Domini, Domino : benedicite, angeli Domini, Domino.

Benedicite, cœli, Domino : benedicite, omnis Spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et æstus, Domino : benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, servi Domini, Domino : benedicite, Sancti et humiles corde, Domino.

Confitemini Domino quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

IV. Rex superbus vedit arborem proceram, audit : Succidite eam : cor ejus ab humano commutetur, cor feræ detur ei.

In sententia vigilum decretum est : donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum.

Daniel ait : Hæc est interpretatio : Ejicient te, o rex ! ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua.

Fœnum ut bos comedes, et rore cœli infundiris : septem tempora mutabuntur super te, donec cognoscas regnum Excelsi.

Mox sermo completus est, rex ejectus septem annos fœnum ut bos comedit : inde ad se reversus prædicavit magnalia Dei.

Quia potestas ejus potestas sempiterna : et omnes habitatores terræ apud eum in nihil reputati sunt.

Non est qui resistat manui ejus : qui gradientes in superbia potest humiliare.

V. Balsasar temulentus laudavit deos aureos et argenteos : mox videt manum scribentem in pariete : Mane, tekel, phares.

Cui Daniel : Deum qui habet statum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti : adversus Dominatorem cœli elevatus es :

Ideo Mane, numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud.

Nabu-
chodonos-
or in
bovem
commu-
tatur.

Balsasar
videt
Mane,
Tekel,
Phares.

Tekel, appensus es in statera, et inventus es minus habens.

Phares, divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.

VI. Daniel adorat Deum : ideo ab æmulis, frustra renitente Dario, conjicitur in lacum leonum.

Deus misit angelum suum, et conclusit ora leonum ; quia coram Deo justitia inventa est in eo.

VII. Daniel videt quatuor monarchias, quasi bestias : leænam, ursum, pardum, et monstrum habens decem cornua.

Antiquus dierum sedit : thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus.

Vestimentum ejus candidum quasi nix, fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus.

Millia millium ministrabant ei : et decies millies centena millia assistebant ei.

Hæ sunt myriades Seraphim et Cherubim : iudicium sedit, et libri aperti sunt.

Ecce cum nubibus cœli venit quasi filius hominis : et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum : omnes populi, tribus et linguae servient ei.

Suscipient regnum Sancti Dei Altissimi : et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum.

Regnum, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, dabitur populo Sanctorum Altissimi : cuius regnum sempiternum est, omnes reges et creaturæ obedient ei.

VIII. Daniel sub specie hirci sternentis arietem, vidi Alexandrum sternentem Darium.

Ab Alexandro descendit Antiochus Epiphanes : qui dejecit locum sanctificationis, abstulit juge sacrificium.

Usquequo, Domine, juge sacrificium, et sanctuarium et fortitudo conculcabitur?

Usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti, et mundabitur sanctuarium.

IX. Ecquando, Dominator Domine, complebuntur desolationis Jerusalem septuaginta anni?

Peccavimus, inique egimus : tibi, Domine, iustitia, nobis autem confusio facie.

Gabriel ad Danielem advolat : Audi, ait, vir desideriorum : septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt.

X. Ut ungatur Sanctus Sanctorum : ut occidatur Christus, ut finem accipiat peccatum, ut adducatur iustitia sempiterna.

Ecce vir vestitus lineis, accinctus zona aurea, facies ejus ut fulgur, oculi ut lampas ardens, brachia et crura ut æs candens : intellige, ait, vir desideriorum.

Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut affligeres te in conspectu Dei : exaudita sunt verba tua.

Hoc anno Darii et Cyri primo, Judæi Babylone liberabuntur.

Princeps autem Persarum restitit mihi : et ecce Michael venit in adjutorium meum.

XI. Audi bella inter reges Aquilonis et Austri, inter Seleucidas et Ptolemaeos.

Ex Seleucidis prodibit Antiochus : qui dabit abominationem in desolationem.

Populus autem sciens Deum suum obtinebit, et faciet : ac docti in populo docebunt plurimos.

Ex eis multi ruent in gladio, et in flamma, et in captivitate, et in rapina dierum : ut conflentur, et elegantur, et dealbentur.

Antiochus, et ejus antitypus Antichristus, in altum elevabitur : adversus Deum deorum loqueretur magnifica.

Erit in concupiscentiis feminarum : Deum Maoz in loco suo venerabitur.

Dominabitur thesaurorum auri et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti : per Libyam quoque et Æthiopiam transibit.

Figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum et sanctum : ibi cædetur, et nemo auxiliabitur ei.

XII. In tempore illo consurget Michael, qui stat pro filiis populi Dei.

Tunc salvabitur omnis fidelis et patiens, qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ.

Omnes enim qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium æternum.

Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad iustitiam erudiant multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Audite hæc, doctores; audite, martyres, hanc gloriam, has coronas ambiere, docendo orbem verbo et exemplo.

Stupet Daniel et orat : usquequo, Domine, finis horum mirabilium?

Elevavit angelus manus in cœlum, et juravit per viventem in æternum : quia in tempus et tempora, et dimidium temporis.

Beatus qui exspectat, et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque.

Tu autem vade ad præfinitum : et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum.

XIII. Susanna a senibus adulteris in arco deprehensa ingemuit : angustiæ mihi sunt undique.

Si enim hoc egero, mors mihi est : si autem non egero, non effugiam manus vestras.

Sed melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.

Flens suspexit ad cœlum : Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, tu scis quod falsum testimonium tulerunt contra me : et ecce morior, cum nihil horum fecerim.

Exaudivit Deus vocem innocentis, suscitavit spiritum Danielis pueri qui judicavit eos.

Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua : angelus Dei scindet te medium.

Semen Chanaan et non Juda, species decepit te

Daniel illæsus manet in lacu leo-num.

Regnum Dei, Christi et Sancto-rum.

Regnum Alexan-dri : An-tiochi de-solatio.

70 heb-domades.

Pugna angeli Judæo-rum cum angelo Persa-rum.

Bella in-ter Se-leu-cidas et Ptole-mæos.

Perse-cutio Antiochi et Anti-christi.

Gloria sancto-rum et docto-rum.

Susan-nam Da-niel li-berat, et senes condem-nat.

angelus Domini stat, ut secet et interficiat te.

Unus sub schino, alter sub prino, se eam vidisse peccantem mentitus est.

Lapidavit ergo eos populus, et Susannam innocentem liberavit.

Daniel evertens Bel et draconem occidit; idcirco Chaldaei conjiciunt eum in lacum leonum.

Cum leonibus lusit quasi cum agnis: dederunt confessionem sancto.

Habaeuc transfert Habaeuc cum cophino ex Iudea in Babylonem: Daniel, ait, serve Dei, tolle prandium, quod tibi misit Deus.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus: et mirabilia ejus filiis hominum.

Qui habet potestatem omnis carnis, qui occidit et vivificat; qui deducit ad portas mortis, et reducit.

Sperate in eum omnes qui timetis eum: protector est omnium sperantium in se.

Custodit eos quasi pupillam oculi sui, illæsus per ignem et aquam deducet eos.

Dominus pars hæreditatis meæ, portio mea in terra viventium.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæculo sæculorum. Amen.

SANCTISSIMÆ

TRINITATI INCREATÆ

ET CREATÆ IN CHRISTO JESU

TRINUM PROPHETARUM JUBILUM ET VOTUM.

I. En tibi, o S. Trinitas, novus et numerosus quaternorum Cherubinorum ternio, τριπλετροφόνως, triplici inquam quaternarum vocum choro te celebrantium, consonoque dissonarum linguarum concentu tibi cum Seraphinis jugiter acclamantium : « Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. » Hi sunt duodecim Prophetæ, tui præcones et musici, duodecim scilicet Apostoli, Evangelistæ, et Choraules veteris Testamenti, qui in ternos quaterniones, quasi ternos cœlestis musicæ choros, distributi te ambiunt, tibique famulantes circumstant, ac in quadriga Cherubica triplicata S. Triadis nomen et gloriam toto orbe discurrentes, concinendo circumferunt. Hisce ego, eos commentando, ἀντιφόνως cum alternante Seraphinorum choro succino : « Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis : plena est omnis terra gloria tua. » Suscipe hosce meos in tuos Prophetas labores : suscipe mea, exilia licet, tuæ Celsitudinis præconia. « De ventre enim matris meæ Deus meus es tu : in te projectus sum ex utero. » Ita « S. Ignatius, » tertius a S. Petro Antiochenus Episcopus, « visionem angelorum per responsorios hymnos sanctam Triadem laudantium vidit, et modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit; unde ad omnes Ecclesias ista traditio promanavit, et hæc est ratio hymnorum responsiorum, » ait Socrates lib. VI *Hist. cap. viii*, nimirum : « Felix beatorum mentium otium, juge piæ doxologiæ est negotium; quique semel in divinitatem se mersit animus, non nisi ejus deliciis et laudibus pascitur : » in quibus proinde recitandis et explicandis S. Trinitati sit omnis honor, Ecclesiæ decor, lectoribus sapor, mihi labor.

Hocce ergo Sanctissima Trinitas, et trina Unitas, unaque Deitas novum sit jubilum, quo tibi duodecim melodis Prophetarum, quasi musicorum, vocibus jubilo in novo hoc sancti anni jubilæo, quod tertium in vita hac mihi cernere agereque ad plenam culparum veniam, gratiam et sanctimoniam indulsisti : quo pariter ternos tuos, Prophetarum et Ecclesiæ hostes, inauditis pene a sæculo præliis et triumphis, per ternos reges tuis auspiciis protritos, vel subactos cernimus, gratulamur et jubilamus. Turcarum innumeras copias roburque formidabile, per Serenissimum Poloniæ regem SIGISMUNDUM III Jagellonidem, et S. Casimiri abnepotem, Moscorum et Tartarorum vindicem, tot cladibus attrivisti; ut, si cæteri principes ei suppetias tulissent, jam actum esset de Ottomanorum imperio. Porro excessit ille libens patrio et avito Sueciæ regno, ne fidem Deumque perderet : hanc tui causa exiguae ditionis jacturam, amplis illi in Moscovia, Polonia, Livonia, Walachia, Russia, Asia triumphis et imperiis centuplo fœnore compensasti.

II. Insuper reges præcipuos arcto inter se matrimoniorum vinculo colligasti, simulque omnibus idem studium hæresis seditionæ et rebellis extirpandæ aspirasti. Indidisti enim eis hanc sapientiam, ut clare cognoscerent enerve et imbelle esse regnum, in quo cives inter se de religione digladiantur, ubi hæretici pro sua perfidia usque ad mortem dimicant, perfideque non tantum cives, sed et principes suos produnt perduntque; fidei enim et religionis dissidium, necessario parit Ecclesiæ et reipublicæ dissidium, idque internecinum, ut rex orthodoxus regni sui dominus et rex non sit, quamdiu in eo talis grassatur hæresis et hæretici, qui et seditiones conflare, et Turcæ aditum patefacere, et vicinos principes ad bellum sollicitare solent. Qua ratione enim regi suo

fideles sint, qui Deo sunt injurii, blasphemi, infideles? Qua ratione principi fidem servent, qui fidem Christo et Ecclesiæ datam violarunt, et assidue ac pertinaciter violent, quique suam hanc perfidiam rebellione armant et propugnant? Non id ipsorum, non naturæ, non indolis, sed phrenesis, hæresis inquam seditiosæ et infidæ, est vitium. Aperuisti regum oculos, ut id liquido cernerent, ideoque singuli in Calvinismum, ut regni sui pestem insurgerent. Ita dedisti christianissimo Galliarum regi Ludovico XIII, S. Ludovici hæredi et æmulo, supra ætatem animos et vires, ut urbes et arces plurimas quas Hugonotti insederant, armata manu eis extorqueret, cæteras pene omnes ad dditionem cogeret, quod nemo majorum cogitare, nedum aggredi ausus fuerat; ut jam ipse Franciæ totius sit rex, qui ante triennium dimidiatus et precarius ejus tantum rex esse videbatur. Ita FERDINANDUM imperatorem invictum, spem et columen Germaniæ, tot tantisque victoriis, iisque continuis decorasti, ut te pro eo manifeste pugnante, illud Julii Cæsaris, imo vero propatru sui Caroli V imperatoris jure dicere possit: «Veni, vidi, vicit Christus.» Et illud Debboræ, *Judic. v*: «Nova bella elegit Dominus, portas hostium ipse subvertit, etc. De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.» Instar fulminis enim victor ejus exercitus, duce Bavarо, quasi redivivo Juda Machabæo, pervasit subegitque Austriam, Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Hungariam, Palatinatum utrumque, ex iisque hæreticorum patriarchas Hussitas, ac rebellionum faces Calvinistas, expulit et profligavit: qua in re suas quoque egregie præstitere partes insignes ex Italibz Belgisque duces, cum validis copiis ab optimo rege catholico opportune in auxilium submissi; ut jam Germania putidis et pestiferis membris resectis libera, redintegrari, revalescere, pristinasque vires et robur queat colligere: quibus in unum collectis roborata, non tantum Turcis resistere, sed et eos bello lacessere et invadere audeat, Hungariamque hæresis dissidio perditam, unitis Germanorum et vicinorum armis repeteret et recuperare valeat. Hæc eorum æterna erit gloria, hi immortales triumphi, hæc tropæa, quæ in omne ævum perennabunt. Agite, principes generosi, pergit magnis animis, opus felicibus adeo auspiciis coepit conficie, paribus studiis rebellem Calvini hæresin pene evulsam stirpitus ubilibet eradicate.

III. Quare procul absit a christiano fidelium pectore, ut hæreticos contra orthodoxum suum principem rebellantes adjuvare, aut fovere satagat. Qui enim hæreticos juvat, hæresin juvat et propugnat, ipsamque Christi fidem et Ecclesiam oppugnat. Qui rebelles juvat, rebellionem juvat et propugnat. Quocirca justo Dei judicio reddetur ei talio, ut in quo peccavit, in eodem puniatur, et ab hæreticis bello, a subditis rebellione exagitetur; ut, quod aliis fecit injuste, idem juste a suis patiatur. Sapienter Thucydides, lib. I: «Nullus princeps, inquit, a suis subditis juste puniendis arcendus est: et qui id facit, parem in se legem statuit, ne et ipse suos puniat delinquentes.» Ita gravem non tantum censuram, sed et vindictam Dei subiit Josaphat, pius alioqui rex Juda, quando oraculo Jehu castigatus audivit: «Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris; et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et præparaveris cor tuum ut requireres Dominum,» II *Paral.* xix, 2. Graviorem vero exceptit ab Eliezer propheta, in eum detonante: «Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis,» II *Paral.* xx, 37. Et tamen Josaphat Ochoziam adjuvarat, non in impietate, sed in re politica duntaxat, nimirum ad navigandum in Tharsis. Porro verissimum est istud, licet nonnullis paradoxum: «Christianorum de christianis parta, cadit victoria victa,» uti evidenter demonstrat in Politica pereruditus Christophorus Varsevicius in *Paradoxis*. Quamobrem sapientes consiliarii hoc suis principibus instillant principium: «Ut tuum regnum firmes et amplifices, omni studio cole pacem et fœdus cum vicinis christianis principibus. Horum enim amicitia tibi erit murus et antemurale.» Nam, ut ait rex sapientissimus: «Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma,» *Prov.* xviii, 19. Quin et Atticus Orator: «Præcipuum, inquit, boni principis opus est, amicos parare. Nullum enim majus boni imperii instrumentum, quam boni amici,» Plinius in *Panegyr.* Audiant christiani saluberrimum Anchisæ apud Virgilium, Romanos a civilibus bellis dehortantis, consilium:

Ne quæso, ne tanta animis assuescite bella,
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.

Ista ergo magnifica Dei sunt opera, qui principibus sibi fidelibus facit mirabilia magna solus; cui proinde tota Germania, tota Gallia, tota Polonia, imo totus orbis christianus ob tantas tamque recentes victorias, cum gratiarum actione canticum novum concinat, totoque hoc jubilæo cum Mose et Hebræis jubilet: « Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projicit in mare, » *Exod.* xv. Eia S. Trinitas, tribus virtutis tuae lanceis, tua inquam potentia, sapientia et gratia, trium hostium tuorum, pariter ac Prophetarum, Saracenorum inquam, Hæreticorum et Schismaticorum mentes cordaque feri et saucia, ut omnes sese tibi subdant, te agnoscant, credant, ament, glorifcent: « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Tunc tuæ Majestati et clementiæ vere et exultanter omnium gentium jubilis, illud regii vatis oraculum jubilabimus: « Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis. Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite: quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter, » *Psalm.* XLVI. « Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus, » *Psalm.* LXV. « Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus, » *Psalm.* xcvi.

IV. Tu rex sæculorum immortalis, invisibilis, gloriosus, qui lucem habitas inaccessibilem, per Verbum incarnatum te mundo pandere, apparere et cerni, ac loqui, versari, et convesci nobiscum dignatus es: per illud nos tibi reconcilias et unis: in illo divitias gloriæ tuæ nobis ostendis, « ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. » Christus enim dum nostram carnem assumpsit, nobisque consanguineus et cognatus, imo frater, fieri dignatus est, nos Deo concorporavit, ac S. Trinitatis affines effecit. Ipse ergo est salus nostra, honor noster, amor noster, deliciæ nostræ. Nimirum hoc « manifeste magnum est pietatis tuæ sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, » *I Timoth.* III. Hoc divini tui consilii arcanum prioribus generationibus incognitum, et æternis temporibus tacitum revelasti Prophetis, quasi aquilis cœlestibus, ut idipsum nobis discordi vocum concordia præcinerent. Hoc est Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens, Christus crucifixus, qui factus est nobis sapientia, justitia et redemptio. Hic est fidei nostræ axis, sapientiæ basis, sanctitatis apex, charitatis illicium, felicitatis centrum. Intonat de eo Michaëas cap. v: « Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te egredietur qui sit dominator in Israel: et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis. » Insonat Aggæus cap. II: « Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam; et movebo omnes gentes. Et veniet desideratus cunctis gentibus. » Consonat Malachias cap. II: « Statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis stabit ad videndum eum? » Succinit Zacharias cap. III: « Adducam servum meum Orientem. » Et capite IX: « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. » In Christo ergo, o increata S. Trinitas, tui vivam imaginem expressisti, et triadem creatam efformasti: quod admirans S. Joannes, *epist.* I, cap. V: « Tres sunt, inquit, qui testimonium dant (Verbo incarnato, Christo Jesu) in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unus sunt. »

Felix Bethlehem, felix Judæa, felix Jerusalem, quæ non tantum Prophetas, sed et ipsum Verbum incarnatum gignere, videre et audire digna fuisti; quæ divinis ejus pedibus calcata, ejus sermonibus, sudoribus, lacrymis, spiriis, quin et sanguine pretioso irrigata, eum hospitem, imo civem et filium, redemptorem et salvatorem habere meruisti; scilicet, « factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion. Quæsivimus locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ. Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, » *Psalm.* cxxxI. Ibi suam ipse fundavit Ecclesiam, ibi refulsi aurora legis novæ in splendoribus Sanctorum, Virginis Deiparæ, Apostolorum, Evangelistarum, ac primorum fidelium fide et charitate ardantium. Quocirca Christus sponsus hunc thalamum sibi adamans, indeque sponsam Ecclesiam alliciens: « Veni, inquit, de Libano (de Jerusalem et Judæa), sponsa mea: veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de ver-

tice Sanir et Hermon (utique Judææ montium), de cubilibus Ieonus, de montibus pardorum, » *Cant. iv.* Id ipsum præcinuit Zacharias cap. xiii : « In die illa erit fons patens (gratiæ et baptismi) domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra. » Et cap. xiv : « Stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem. Et erit in die illa, exhibunt aquæ vivæ de Jerusalem, etc. Et erit Dominus rex super omnem terram; in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. » Michæas vero cap. iv : « De Sion, ait, exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem. »

Infelices ergo et miseri christiani, qui a suis incunabulis exsulan, qui sanctam urbem, sanguine Christi purpuratam, qui aurora fuit Ecclesiæ, primumque ejus regnum a Turcis et Saracenis possideri, profanari et sacrilege pollui cernunt et tolerant. Non toleravit id Constantinus imperator qui loca sancta christianis restituit: cujus nutu et sumptu mater S. Helena Hierosolymam profecta, loca sancta religiose venerata in Bethlehem, monte Calvariæ et Oliveti, alibique regia magnificentia templa et basilicas exædificavit. Quare cœpit tum eo peregrinatio a fidelibus frequentari, confluentibus e toto orbe devotionis ergo christianis. Ipse S. Hieronymus, relicta Roma, in Bethlehem se transtulit, ut ad Christi incunabula viveret et moreretur; quem secuta S. Paula, magnum post se trahens nobilitatis Romanæ agmen, ibidem quatuor exstruxit monasteria, in quibus ipsa cum filia Eustochio Christi paupertatem, humilitatem et sanctitatem imitata, vitam egit religiosam et cœlestem. « Bethlehem ingressa, ait S. Hieronymus in *Epitaph. Paulæ*, et in specum Salvatoris ingrediens, me audiente jurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præsepi Dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem Virginem, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum quod factum erat, et jam tunc Joannis Evangelistæ principium dedicarent: In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est; mixtisque gaudio lacrymis loquebatur: Salve, Bethlehem, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit. Salve, Ephrata, regio uberrima, cujus fertilitas Deus est. »

Constantinum secutus Heraclius imperator anno Domini 628, cœlestibus de Cosroe Persarum rege potitus victoriis, crucem Christi ipsi erectam, Hierosolymam victor repertavit, ac deposito regali cultu, detractisque calceis, et plebeio amictu indutus, illam propriis humeris retulit in eum montem, quo eam Salvator tulerat; ac in eodem Calvariæ loco statuit, unde a Persis fuerat asportata. Ita S. Trinitatis Christique injurias ultus Heraclius hasce de Persis vindicias dedit, imo redidit Hierosolymæ. Jerusalem enim est civitas Dei electa, sancta et gloriosa, fundata in montibus sanctis, centrum et umbilicus mundi, urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ, paradisus orbis, quæ tanquam regia inter omnes urbes, velut caput in corpore, sicut sol inter astra effulget; quasi Ecclesiæ militantis Capitolium, triumphantis typus et præludium.

V. Post Constantinum et Heraclium Urbanus II Pontifex æternum decus et gloriam sibi peperit (unde et monumento ejus hoc elogium inscripserunt: « Urbanus II, auctor expeditionis in infideles »), cum Concilio apud Clarum Montem habito anno Domini 1095, ita principes Galliæ ad recuperandam Hierosolymam a Saracenis jam diu occupatam, animavit, ut non dubitarent mori pro illa civitate, in qua Christus pro nobis mortuus est. Quare effecit ut trecenta hominum millia nomen in militiam Christi dederint, signumque crucis suscepérint, atque inter illos multi principes, duces et comites: in quibus eminuit Godefridus Bullonii dux, præstantis animi, religionis et fortitudinis vir: qui quam facile Terra sancta a christianis recipi possit, ostendit, dum parvis copiis residuis Hierosolymam anno Domini 1099, expugnavit, feria sexta, hora qua Christus mortuus est, ipseque primus consensis muris urbem ingressus, primus deinde Hierosolymæ christianus rex, quasi novus David creatus, regnum in posteros sex reges, per lxxx annos propagavit, idque merito suæ virtutis, pietatis et modestiæ, qua, ut alia præterea, christianis principibus eum de more regio diadematè coronare satagentibus, humilitatis studio restitit, dictans: « Nolle se aurea insigniri in urbe sancta, in qua Christus Dominus pro nostra salute spineam tulisset: unde ea contentus, illique reverentiam exhibens, regiam respuit, regum optimus, lumen et speculum cæterorum, » ait Wilhelmus Archiepiscopus Tyri, lib. IX *Belli sacri*, cap. ix. Vivet, Godefride, vivet, Urbane, tua virtus et gloria, quamdiu sæculorum omnium vivet AETERNITAS.

Porro orationem Urbani, qua in Concilio Claromontano omnes ad bellum sacrum accendit, recitat idem Wilhelmus, in qua inter cætera ait: « Hæc igitur salutis nostræ incunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ possidet violenter, et captivitatis liberae filiis extremas imponit conditiones, quibus versa vice merito servire tenebatur: Saracenorum gens impia, loca sancta in quibus steterunt pedes Domini, jam a multis retro temporibus violenta premit tyrannide, subactis fidelibus et in servitutem damnatis. Ingressi sunt canes in sancta, profanatum est sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum, servit in luto et latere regale sacerdotium, princeps provinciarum facta est sub tributo civitas Dei. Templum Domini, de quo zelans Deminus vendentes ejecit, ne domus Patris ejus fieret spelunca latronum, facta est sedes dæmoniorum. Templum Domini, inquam, ut ait Mathathias, quasi vir ignobilis, vasa gloriæ ejus abducta sunt captiva. Civitas Regis regum, quæ aliis regulas intemeratae tradidit fidei, gentium superstitionibus cogitur invita deservire; sancta Resurrectionis ecclesia, requies dormientis Domini eorum fœdatur spurciis. Loca venerabilia, quæ Dominum in carne suscepserunt hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia, facta sunt gregum præsepia, stabula jumentorum. Accingimini ergo, et estote, filii, potentes, ut pugnetis adversus infideles; quoniam melius est mori nos in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. » Audite hæc, principes, audite, christiani, summi Pastoris vestri, Christi Vicarii lamenta, imo oracula.

VI. Urbani cœpta constanter prosecuti sunt succedentes ex ordine Pontifices, Paschalis II, Gelasius II, Callistus II, Lucius II, sed maxime Eugenius III, qui anno Domini 1143, urgente Ludovico rege Francorum, et S. Bernardo, expeditionem in Terram sanctam suscitavit, ac S. Bernardum ad omnes Galliæ et Germaniæ populos (qui eum ut Prophetam, vel Apostolum suscipiebant) in eam concitandos auctoravit; quare sequenti anno omnium consensu, S. Bernardus totius belli dux et princeps militiæ electus est. Verum satis visum est Eugenio, si ille tuba sacerdotali indiceret bellum, et tam verbis, quam litteris christianos ad id excitaret: quod illum felicissime sequentibus innumeris signis et prodigiis præstisset, testantur Acta vitæ ipsius, et Epistolæ ab eo conscriptæ, nec non et Otto Frisingensis; sed magis ipse rerum successus, dum non solum Ladicus rex celebrato apud Verzelacum conventu, crucem, quasi belli sacri insigne, ab eodem S. Bernardo sumpsit una cum multis regni sui principibus et optimatibus, quos tam ingens populi multitudo secuta est, ut vacuarentur urbes et castella; sed et ejusdem hortatu Conradus, Romanorum rex, generali apud Spiram conventu indicto, æque crucem una cum fratre suo Henrico, duce Noricorum, aliisque principibus et nobilibus plurimis (etiam Polonis, adeoque Henrico Boleslai regis fratre, teste Cromero lib. VI Polon.) accepit: quibuscum etiam signati sunt nonnulli Episcopi, atque inter alios ipse Otto Frisingensis, virtutibus et meritis clarus. Qui demum addit non solum ex Romano Imperio, sed etiam e vicinis regnis, putâ Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis fama ad sumendum crucem commotis, repente sic totum pene Occidentem siluisse, ut non solum bella movere, sed et arma quempiam in publico portare nefas haberetur. Utinam nunc iterum S. Bernardus, vel e cœlo idem classicum fidelibus canat!

Ludovicum et Conradum æmulatus est S. Ludovicus, Francorum gloria dicam, an sanctitas, an verius utrumque? qui in Palæstinam non tantum copias transmisit, sed ipse quasi earum dux, relieto avito solo et regno, per tot terrarum mariumque spatia, maximis impendiis, laboribus et conatibus, semel et iterum trajecit, ut eam Saracenis extorqueret, et christianis pristinis hæredibus assereret: sed cum peccatis fidelium exigentibus, id ipsum, quod tanto conamine, virtute et animo moliebatur, perficere non posset; mortem tamen in tam gloriosa expeditione oppetere anno Domini 1270 non dubitavit, fidensque cygnæum cecinit: « Introibo in domum tuam, Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo; » nimirum, « tendit ad astra per aspera virtus: » quin et operis tam christiani prosequendi et perficiendi decus filiis posterisque suo exemplo, æque ac testamento reliquit. Resuscita, Domine, hunc S. Ludovici zelum in catholicis regibus et principibus, præsertim Turcæ limitaneis et confinibus, ut unanimes in tantum opus conspirent; sed et remotiores excita, ut in partem tam gloriosi operis veniant, ac

nominatim S. Ludovici sequaces, hæredes, et cognomines, ut victoria arma ab hæreticis in Saracenos transferant, ac Francos, cæterosque otiani nescios opere tam sancto occupent, ne ipsorum ardor quietis impatiens in bellum vel civile, vel christianum, quo sese invicem collidant, turpemque dent maculam in gloriam suam, ac iram Dei in se concitent, erumpat; sed potius in Turcas, Tartaros et Saracenos, juratos S. Trinitatis Christique hostes, ad vitam et immortalem eorum gloriam, sese exerat. Hoc nomen christianissimum eis hæreditarium, hoc S. Ludovicus progenitor, hoc generosa indeoles et animi celsitudo, hoc S. Ecclesiae amor et fidei ardor, hoc victoriae et trophæa contra Christi perduelles cœlitus data, hoc præsules, hoc Pontifices, hoc fideles omnes jure suo ab eis efflagitant.

VII. Sapienter S. Catharina Senensis theodidacta (uti refert Raymundus Generalis Ordinis Prædicatorum, et ex ipso Ambrosius Catharinus in ejus *Vita*) Summos Pontifices, Gregorium XI et Urbanum VI, anno Domini 1375 et sequent., acriter ad bellum Turcis inferendum extimulavit. Cumque Pontifex regereret, illud in tot intestinis principum Italiae, aliarumque regionum dissidiis, importunum videri, institit illa: « Imo vero, inquit, nunc maxime opportunum est, adeoque nullum efficacius remedium ad dissidia hæc tollenda suppetit, quam si fœdus sanctum sanctiatur, quo omnes paribus animis in communes Christi et Christianorum hostes conspirent: ibi suos animos et impetus, suos pugnandi ardores irasque effundent, eaque ratione privatas ponent lites et odia. » Ita, ut alios taceam, Rogerius et Boemundus fratres, Siciliæ, Apuliae et Calabriæ principes, continuo inter se de principatu digladiantes, ab Urbano II fœdere belloque sancto conciliati, arma fraterna in Saracenos verterunt. Boemundus enim occupata Melphi, cupiditate gloriæ incensus, cum duodecim millibus delectæ juventutis Italicae in Terram sanctam profectus, sua hac virtute animique præstantia adeo fratrem Rogerium permovit, ut positis armis dixerit sibi omnia cum fratre deinceps fore communia, ac statim Tancredum filium pugnandi cupidum, belli comitem fratri tradiderit, ait Platina in *Urbano II*. Pari modo acerba Germanorum, Bavarorum, Belgarum, Polonorum dissidia sopita fuisse expeditione in Terram sanctam duce Conrado imperatore, narrat Otto Frisingensis, lib. I *De Gestis Frederici I Imperat.* cap. xxix. Sapienter Livius lib. II: « Bella externa, inquit, sedant domesticas seditiones. Externus timor, magnum concordiæ vinculum. » Idipsum pervidet metuitque Turca, quocirca omni ratione christianos principes a sese invicem divellere, ac inter eos lites et bella serere molitur: ea de causa dum vicinum aggreditur, cum remotioribus fœdus init, imo eos in vicinum concitat, itaque eum christianorum armis expugnat; quo facto remotiores gradatim eadem arte et fraude circumventos, ac ab aliis desertos aggreditur, occupat et subjugat. Fœdifragus enim ipse cum sit, fœdus initum, dum ei lubet, quæsita occasione abrumpit: cum ex adverso christiani, insidiosi fœderis nomine magis quam religione irretiti, vicinos ab eo invasos protegere non audeant, itaque ipsos ejus prædæ exponant, mox et ipsi ejus præda futuri. Norunt historiarum et rerum Turcarum periti, Turcam subinde jurare super libro smegmatico, itaque imposturam christianis facere, ac juramentum violare, dictitando se super libro ficto, non vero, ac proinde ficte, non vere jurasse. Quare jure ei regerant christiani: « Frangenti fidem, fides frangatur eidem. » Nimirum fœdifragus fuit Bajazetes, qui Venetis contra pacta Coronem, Methonem et Naupactum ademit. Bajazetem imitatus nepos Solymannus, qui anno Domini 1537, totis viribus Italiam aggredi destinabat, sed temeritate cuiusdam Veneti trierarchæ offensus, omnes iras et copias in Venetos sibi fœderatos effudit, Corcyra ipsorum insula longe lateque vastata, et insulis Cycladibus direptis, negotiatoribusque Venetis toto Turcico imperio cum universis eorum opibus et pecuniis in prædam datis; insuper eosdem Nauplii et Epidaurici concessione, ac duabus in Dalmatia arcibus, Nadino et Lubiana, multavit; Solymanni enim erat vox: « Dummodo regnem, nil moror: sicut in cœlo unus Deus, ita in terra unus Solymannus est colendus. » Solymannum patrem æmulatus Selymus, fœdus jurejuringando cum Venetis initum violans, eis Cyprum extorsit; quin et eis insultans: « Barba, inquit, mihi a Venetis apud Naupactum abrasa succrevit; ego vero eis brachium dextrum capta Cypro amputavi, quod nunquam recrescat. » Annon hæc societas leonina? Pari modo facere et faciunt cæteri. Cum enim ab origine fuerint sintque orbis prædones, toti opibus regnisque christianorum per fas et nefas inhiant. Interim lethargo quasi sopiti altum dormiunt christiani; quia quis-

que longe a se Turcam, et se ab ejus jugo, abesse autumat. Qua in re errant omnes gravissime. Idem censebant olim Constantinopolitani, Trapezuntii, Thraces, Bulgari, Bosnii, Servii, Hungari, cæterique; at jam a Turca capti, errorem suum vident, et serio, sed sero lugent. Turca in lime, et pene in visceribus est christianorum omnium, et illi eum a se remotum dictitant? O cæcitas! o stupor! Nuper tempore Pii V, inhiavit Cretæ, Venetiis, totique Italiae. Viennam semel iterumque obsedit, inhians Augustæ totique Germaniae. Ante triennium Poloniæ se unico prælio devoraturum pollicebatur. Imminet ergo, et pene incubat Italiae, Germaniae, Poloniae. Nunc silet, quia domesticis distinetur dissidiis; at occasionem præstolatur, ea data illico more suo imparatos Italos, Germanos, Polonos adorietur et opprimet. Utinam periculum hoc adeo quam certum est et præsens, conspiciant, et inito contra eum communis fœdere discutiant christiani, dum res est integra! ne sero cum cæteris jam a Turca occupatis suum torporem, suaque dissidia accusent et defleant. Nunc cum domi rebellione gravi variaque agitatur: cum in Persam omne exercitus robur transmisit; cum puer est, cum ducibus, consilio et ærario destituitur; cum principes catholici tot victoriis a Deo datis ad bellum sacrum invitantur, tempus est opportunum eum invadendi et profligandi: quod si præterire neglexerimus, sero pœnitentes illud requiremus. Nihil enim tam volucre est quam occasio: nihil levius, cum se offert, penditur; nihil magis, cum abiit, desideratur; nihil periculosius amittitur: nihil difficilius recuperatur. Porro quis dubitet Turcam Italiæ et Christianis imminere, cum Tunetanum regnum ab eo occupatum a Sicilia, Epirum et Macedoniam a Dalmatia, Forojulium a Dalmatia tenuissimo tractu videat disterni; cum Apolloniâ, Turcico oppido, Hydruntum regni Neapolis urbem, antea quoque a Turcis possessam, unius noctis spatio annavigari posse intueatur? Quid Hispanis, Italis, Gallis insidiosius Alligerio? Quid Fessa, Marocco, Biserta, et tota illa Afrorum vafrorum societate est infestius? An Gallia ergo expers? nequaquam. Maria quæ utramque ejus partem alluunt, adeo Turcicis sunt infesta latrociniis, ut non ora, non sinus, non portus aliquis tutus et iis non exploratus esse videatur. Quocirca Joannes ille Tarnovius Comes, qui saepius Poloniæ exercitibus victor præfuit, dictabat « omnia Polonica comitia perpetuam belli Turcici meditationem esse debere. » Idem dicas de comitiis Germanicis, Gallicis, Italicis, Hispanicis. Celebre est illud Græcorum apud Pachymerem, lib. V *Historiæ*: « Cum hostibus Crucis geratur bellum, ubi et Victoria laudabilis est, et Vinci salutare. » Item: « Pax colenda, ubi Dei jacturam non facimus: bellum gerendum, ubi religio periclitatur totaque res publica. »

Quapropter ut ad Pontifices sacri belli fœciales, imo tibicines redeam, Eugenii III pro Terra sancta zelum æmulati sunt Alexander III, Lucius III, Urbanus III, Gregorius VIII, Clemens III, Cælestinus III, Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, cui mox succedens Innocentius IV, testibus Platina, Onuphrio et aliis, legatos per Franciam et cæteras provincias misit, qui fidelibus suaderent militiam Christi suscipere, et S. Ludovici signa castraque in Terram sanctam sequi. Ad eamdam christianos incitavit Alexander IV, Urbanus IV, Nicolaus IV, Innocentius VI.

Eugenius IV vero Pontificatum iniens anno Domini 1431, in Turcas mari classem, terra exercitum legato Juliano Cæsarino Cardinale misit, ac duce Ladislao Poloniæ rege triginta Turcarum millia uno prælio inter Hadrianopolim et Danubium cecidit. Tunc quoque Joannes Hunniades a Ladislao Transylvaniæ præfectus, multos Amuratis exercitus delevit, Moldaviam recepit, maximam Serviæ et Bulgariæ partem victricibus armis percurrit.

Eugenio IV succedens Nicolaus V anno Domini 1447, vehementer instituit, ut bellum communis omnium Christianorum consensu in Turcas decerneretur, quos jam parare arma contra Constantinopolanos senserat: et ob eam Cardinalem Rutenum Constantinopolim miserat, qui imperatori et civibus auxilium polliceretur, si ad catholicam fidem, ut in Concilio Florentino promiserant, redire voluisserent; sed illis in schismate persistentibus, justa Numinis vindicta Mahomet Turcarum imperator Constantinopolim paulo post expugnavit anno Domini 1453, ac occiso imperatore Palæologo, crudelissime urbem ferro flammaque vastavit, teste Chalcondyla, lib. VIII, et aliis. Cujus rei labem Pontificati suo impactam, dum abolere coactis in Turcas copiis studet Nicolaus, arthriticis doloribus extinguitur.

VIII. Nicolai studiis insistens successor Callistus III, creatus Pontifex anno Domini 1455, illico

Turcis bellum indixit. Repertum est in scrinio ipsius hac de re votum, ante pontificatum hisce verbis futuri præsagis conceptum : « Ego Callistus Pontifex Deo omnipotenti voveo, et sanctæ individuæ Trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, et demum quibuscumque rebus potero, Turcas christiani nominis hostes sævissimos persecuturum. » Ea de causa illico prædicatores per totam Europam misit, qui christianos omnes ad arma contra Turcas concitarent; quin et per legatos Usumcassanum Persarum regem contra eosdem accedit. Ipse sedecim triremes Romæ ædificatas in hostem misit Ludovico Patriarcha Aquileensi præfecto, qui triennio maritima hostium Asianorum vexavit, insulas quasdam cepit, ac magnas clades hostibus intulit. Alfonsus autem rex et Burgundiæ dux crucis signum suscipientes, ituros se quoque in hostem profitebantur, vel armatos milites eo missuros. Jussit insuper Callistus in meridie campanæ sono fideles admoneri, ut orationibus eos juvarent qui contra Turcas dimicabant. Hac ratione parta fuit illustris illa de ipsis victoria. Christiani enim duce Johanne Vaivoda, adhortatore Johanne Capistrano Minorita apud Belgradum anno Domini 1456, sexaginta Turcarum millia ceciderunt, captis centum sexaginta bellicis tormentis; Mahometes tyrannus saucius, fuga salutem quæsivit. Ea victoria Pontifex festum, puta officium solemne, Transfigurationis Jesu Christi die sexta augusti instituit. Actum de crudelissimo hoste tunc fuisset, si christiani principes omissis intestinis odiis et bellis, terra ac mari tantam victoriam prosecuti fuissent, sicut Callistus monebat et urgebat. Verum, dum illi segniter rem agunt, Turca resumptis viribus Trapezuntem prius, imperatore interempto, Bosniam deinde rege capto atque interfecto, cepit. Prævidebat hæc e specula Callistus et gemebat, nec cessabat litteris et nuntiis principes christianos adhortari, ut in tantis malorum periculis oculos aliquando aperirent, frustra remedia deinceps quæsitueros, ubi jam hostis invaluisse : Platina, Onuphrius, Genebrardus, in *Chronol.*; Suarez, tom. I *De Relig.* lib. II, cap. v; Azor, tom. II, lib. I, cap. xv. Vide hic quam Pontificibus ex officio continua, et quasi hæreditaria fuerit cura sacri fœderis contra Turcas sanciendi.

Quapropter Callisto III succedens Pius II, magni animi, sapientiæ, facundiæ et zeli vir, conventu principum e tota Europa Mantua indicto, nervosa et efficaci oratione iisdem persuasit, ut bellum communi omnium decreto Turcis indiceretur. Verum decretum hoc infregerunt mox in testina bella, quibus Germani, Hungari, Britanni, Hispani, Itali in se mutuo arma verterunt. Stetit tamen in sententia animosus Pontifex, dumque classem, quæ passim in portibus superi inferique maris ad tantum bellum fuerat ædificata, atque Venetorum ducem belli socium Anconæ exspectat, diutina et lenta febri afflictatus moritur anno Domini 1464, Pontificatus 6, sepultus in basilica S. Petri, cum hoc elogio: « Pius II Pontifex Maximus, natione Tuscus, patria Senensis, sedit annos sex. Brevis Pontificatus ingens fuit gloria. Oppugnatoribus Romanæ Sedis intra atque extra Italiam restitit. Conventum Christianorum Mantua pro fide habuit. Catharinam Senensem inter Sanctas Christi retulit, etc. Cultor justitiæ et religionis. Admirabilis eloquio. Vadens in bellum quod Turcis indixerat, Anconæ decessit: ibi et classem paratam, et Ducem Venetorum cum suo senatu commilitones Christi habuit. »

Pio II suffectus est Paulus II, anno Domini 1464, qui accepto nuntio Turcas capta Epiro in Illyricum iter parare, legatos misit ad reges et principes, eos oratum, ut, compositis rebus suis, de bello Turcis inferendo ad propulsandam injuriam cogitarent.

Paulum II excepit Sixtus IV, anno Domini 1471, qui, ut christianos principes inter se dissidentes ad concordiam revocaret, et sacro in Turcas fœdere sociaret, Bessarionem Cardinalem Nicænum misit in Galliam, Rodericum Borgiam in Hispaniam, M. Barbum in Germaniam et Pannoniam; Oliverium Carafam maritimæ 24 triremium classi præfecit: hisce se juxxere 50 triremes Venetorum, 24 Ferdinandi regis Aragonum, adeo ut illis Turcæ ex Bosphoro in Ægæum obviam prodire non sint ausi. Smyrna tunc in Asia capta, incolæque omnes abacti. Constans fama est, christianos eo anno magnam Asiæ partem occupaturos fuisse, si ipsi mari, sicut Usumcassanus Persarum rex terra, Turcas vexare perrexissent. Mox cum Scodra, ditionis Venetæ oppidum, a Turcis oppugnaretur, Sixtus Scodranos commeatu et pecunia instruens, ad hosti resistendum animavit. Rursum cum Turca, Hydrunte in Salentinis repente vi capta, Italianam omnem incredibili terrore complessset, Sixtus comparata classe hostem retroredi compulit. Sub id tempus Cyprum

occuparunt Veneti , ne in Turcarum potestatem veniret : Mahometes maximis viribus Rhodum oppugnans , eam fortiter tuente magno Rhodiensium Equitum Magistro , re infecta discedere coactus est.

In Sixti IV morientis locum suffectus Innocentius VIII , anno Domini 1484 , omnes christianos principes frequentibus nuntiis hortatus est ut , mutuis dissensionibus et bellis compositis , fœderibus juncti , Turcarum vires toto jam orbe formidabiles retunderent . Zizimum Sultanum Bajazetis imperatoris fratrem excepit , ac ejus opera bellum Bajazeti inferre meditabatur : qui ut illud a se averteret , quotannis Romam quadraginta aureorum millia ad alendum fratrem submisit , atque Pontifici dono dedit ferrum lanceæ , quo latus Christi in cruce perforatum est , quod religiose in Vaticana S. Petri basilica asservatur et visitur . Igitur ad unum omnes ab Eugenio IV usque ad Alexandrum VI , ex ordine Pontifices , fœderi belloque sacro totis animi viribus incubuere ; nimirum Nicolaus V , Callistus III , Pius II , Paulus II , Sixtus IV , Innocentius VIII . Horum vestigiis institere Leo X , Adrianus VI , Paulus III , Pius IV , cuius opera Solymannus Melitensem obsidionem solvere coactus est .

IX. Atque ut cæteros taceam , horum , ac nominatim Pii II et IV , tam spiritus quam nominis hæres et æmulus Pius V , suis suorumque commodis neglectis , curas omnes ad publicam salutem convertens , bellum sociale cum rege catholico et Venetis iniit , ac de Turcis memorabilem illam apud Naupactum in sinu Lepantino victoriam retulit anno Domini 1571 , Græciam multaque alia iis erepturus , si ducum nationumque concordia constitisset , et expeditionem feliciter cœptam constanter prosecuta fuisset ; sed christianis accidit quod Mahabal a Cannensi pugna dixit Annibali : « Vincere scit Annibal , at victoria uti nescit . » Hoc ergo illustrium Pontificum Urbanorum , Eugeniorum , Callistorum , Piorum cæterorumque pene omnium ab Urbano II usque ad Gregorium XIII , illustre fuit opus , hoc decus : quorum proinde nomen et gloria in terra apud homines , æque ac in cœlo apud Deum et Angelos Sanctosque in omne ævum perennabit . Utique meminerant illi se pastores esse non urbis duntaxat , sed et universi orbis . Sciebant primas Pontificis curas esse debere , ut fidem , Ecclesiam , cultum et regnum Christi ubivis gentium propaget . Sciebant præsulis apostolici proprium esse munus , imitari S. Petrum , cæterosque Apostolos , qui vel per se , vel per suos universum mundum Christo subegerunt . Norant fideles , etiam infidelibus subditos , suas esse oves , sibi a Christo et B. Petro concreditas , ac proinde sui officii esse eas pascere , tueri , et in libertatem asserere . Quocirca muneri huic suo plene satisfacere sategerunt , esto voluntati eorum et voto exitus non semper responderit , sive Imperatorum Græcorum perfidia , sive quia promiscua , inops et imbellis fidelium turba devotione excita ad bellum concurrit ; sive quod eadem acephala fuit et carens idoneo duce ; sive quia inter duces concordia non constituit . Ad tantam enim expeditionem opus est uno summo , eoque insigni imperatore , lecto et veterano milite , ac ærario solido : quæ tria reges christiani hoc tempore facile præstare possunt . Auxilia deinde valida variae provinciæ et gentes ultro præbebunt . Sane christiani qui provincias Turcæ subditas incolunt , duramque serviunt servitutem ; quin et sola christiana Turcarum mancipia multis subinde partibus ipsos Turcas numero superant , uti oculati testes referunt ; adeoque hic Turca tria , ille decem , alias viginti possidet mancipia , quæ ut tyrannicum herile jugum excutiant , decertabunt usque ad mortem ; cum servitus Turcica eis ipsa morte sit acerbior . Exemplo sit Georgius Castriotus , qui anno Domini 1443 , Amuratis jugum excutiens , Epiri se principem constituit , ac solus cum suis Epirotis per omnem vitam ἀπονθόν πόλεμον cum Turca gessit , multasque et magnificas de eo victorias reportavit . Unde Turcis ita formidabilis exstitit , ut ab eis Scanderbegius , id est Alexander Magnus , sit nuncupatus , quin et solo ejus nomine auditio , eum scilicet adventare , illico velut viso fulmine diffugerent : de cujus gestis plane heroicis libri tredecim exstant . Coævus et quasi ei collega fuit Joannes Hunniades , cuius paulo ante memini , cognomento Fulmineus , Turcarum terror pariter et fulmen , qui variis præliis facile millionem Turcarum cecidit , cuius hoc erat axioma : « Turcam a Christianorum provinciis , puta ab Italia , Germania , Polonia , longius esse submovendum ; nec exspectandum donec ipse Christianorum regiones invadat , sed in Thraciam et Turciam Christianis esse transeundum , ibique cum eo configendum ; perinde ac Alexander Magnus cum Dario in Asia , Annibal cum Romanis in Italia , Scipio cum

Carthaginensibus in Africa dimicarunt. » Hunniadis et Scanderbegii , aequa ac Ladislai assecatae , imo successores sunt reges et principes Poloni et Hungari , qui , utpote Turcis et Tartaris contermini , cum eisque assidue belligerantes et triumphantes , pene soli rem hanc conficient , si quis eis portionem pecuniae ad tantum opus necessariae suppeditet , imo duntaxat prænumeret : facile enim ipsi eam deinde ex victorum spoliis , et provinciarum , quas subjugabunt , tributis refundent . Atque videtur Deus idipsum nupera eorum tam insigni victoria præsignificasse , adeoque inchoasse . Sane apud Turcas in fatis est , et certum quasi oraculum , suum imperium a Polonis evertendum . Quocirca haec præ aliis expedita viris sapientibus videtur ratio sine molestia , sine invidia , sine ambitione et discordia , quæ inter plures intercedere solet , omne hoc negotium absolvendi . Polonum euim principem ultro sequentur non solum Kosaki Turcarum terror , sed et plurimi nobiles Poloni , Hungari , Germani , Itali , Walachi , Moschi , etc. , suis expensis , spe gloriae vel prædæ illecti . Sane a Danubio ex Walachia , quæ Poloniæ adjacet , Constantinopolim usque non nisi decem dierum est iter . Quare idipsum animo designabat Stephanus Battoreus , sapiens aequa ac magnanimus Poloniæ rex , eaque de causa fœdus contra Turcam cum Philippo II Hispaniæ rege pepigerat , dictitans se Philippi in hoc bello fore stipendiarium : qui si vixisset , utique unus ille Turcam profligasset et imperio exuisset , præsertim Persa ex altera parte eumdem invadente . Polono enim et Persa ex fœdere in exitium Turcæ conspirantibus , Turca resistendo non est , sed succumbat et pereat oportet . Porro Polonis Turicum bellum pene est necessarium , tum ut Turcam longius a finibus suis submoveant ; tum ut perpetuos et furtivos Tartarorum incursus a sese in Turciam avertant , ibique cum utrisque aperto marte confligant , uti nuper feliciter et gloriose fecerunt . Poloni ergo et Germani cum auxiliis Summi Pontificis et regis catholici , Walachiam , Hungariam cæterasque provincias nuper a Turcis fraude sibi ereptas , facile recuperabunt .

X. Proh pudor ! proh scelus ! christiani in christianos ob terræ angulum , ob exile honoris punctum internecinis odiis et præliis inter se decertant . A christianis effunditur sanguis christianus , Christi sanguine redemptus : madent manus christianæ christianorum sanguine , et carnem christianam carni Christi consanguineam concidunt , mactant , discerpunt . Ubi fides ? ubi spes ? ubi charitas ? ubi philadelphia et amor fraternitatis ? Christiani uno Christo patre , una Ecclesia matre regenerati et alti ; una fide , una spe , una charitate consociati ; unius Dei , unius religionis vinculo et sacramento constricti , sese quasi lupi spoliant , laniant , excarnificant . Haec videt , et in sinu ridet Turca , ac quasi tigris Finnulos de gleba graminis inter se arietantes , occupat , rapit et devorat . Nimirum christianorum dissidia perdiderunt et Turcis prodiderunt Asiam , Græciam , Hungariam , aliaque opulentissima regna . Hoc est quod queritur Michæas : « Filius contumeliam facit patri , etc. , et inimici hominis domestici ejus . » Et Jeremias : « Omnes amici ejus spreverunt eam , et facti sunt ei inimici . » Et sponsa , *Cant. i* : « Filii matris meæ pugnaverunt contra me . » Prophetæ ad unum omnes non aliud pene vaticinantur , dolent et deplorent , quam exitium Terræ sanctæ , quod ipsa ob fidei , morum et animorum dissidia Chaldæis aliisque infidelibus tradenda sit ; atque omnes hortantur , orant et obsecrant , ut qua vitam corrigoendo , qua orando , qua armis propugnando , qua in unam fidem et sententiam conspirando , tantam Ecclesiæ et reipublicæ cladem avertant . Clamat Osee cap. v : « Clangite buccina in Gabaa , tuba in Rama , ululate in Bethaven . » Et Jeremias cap. vi : « Confortamini , filii Benjamin , in medio Jerusalem , et in Thecua clangite buccina , et super Bethacarem levate vexillum . » Idipsum non solis Judæis , sed et christianis insonant : magis enim Christianis quam Judæis suas scripsere prophetias ; atque Christianis Terra sancta magis propria , longeque sanctior , charior et venerabilior effecta est per Christum , B. Virginem , Apostolos , primitivos fideles , primamque Ecclesiam , quæ ibi nata adolevit , seque per totum orbem sparsit et propagavit . Quid ergo hæremus ? Quid moramur ? Prophetis obtemperemus , maiores nostros æmulemur : satagamus terram Christi , Christo asserere ; prima Ecclesiæ prædia illi restituere ; domicilium S. Trinitatis , sublatis exserandis sacrilegiis , illi reddere ejusque laudibus consecrare .

XI. Nunquam tanta rei bene gerendæ spes affulsit , quanta nunc . Videtur Deus eam ultro christianis offerre , et in manus dare , quando , ut alia taceam , Turcas animis cadere , copiis viribusque minui , internecinis agitari discordiis , pavidos regni sectæque suæ interitum exspectare ;

Christianos vero animosos hisce omnibus assurgere erigique conspicimus, quando catholicos principes oppressa vel suppressa rebellium hæresi dominari, arctoque inter se connubiorum vinculo foederari, ac universos zelo religionis agi accendique cernimus et gratulamur. Quid enim debellata pene rebellium hæresi superest, nisi ut ejus reliquias subigant, ac deinde ejus sororem, alteram, inquam, rehellis infidelitatis speciem, Mahometismum debellent? Ille jam effetus consenescit, et sponte sua ad interitum ruit: peregit suum ipse sæculum, suam vixit ætatem, magnam utique mille annorum, quibus stetit viguitque impia Mahometi lex, iisque elapsis occasum olim Mahomet ipse prædixit: jam ergo decrepitus occasui vicinus est: occidentem et prolabentem impellant duntaxat, et conjunctis manibus protrudant Christiani, et acta res est; illico ejus ruinam videbunt et exsultabunt. Et sane eam jam inchoatam conspicimus, dum assidua et Vatiniana eorum inter se dissidia, tumultus et seditiones intuemur: falli enim nescit et nequit æternæ Veritatis vox: «Omne regnum in se divisum desolabitur.» Concidunt sese invicem Turcæ, concisos occupent Christiani. Evigilent ergo, et occasione tam commoda utantur. Vetus sapientum fuit estque omen, Janizerorum potentiam indomitamque audaciam Ottomanicum perdituram imperium. Id jam in procinctu est. Ipsi Turcæ dum vident se destitui principe, milite, consilio, pecunia, concordia, animo, viribus, propalam profitentur de suo jam conclamatum esse imperio: ipsi Christianis ultro se offerunt, ac tantum non advocant. Tot Christianorum millia misere sub jugo Turcico gementia, passis manibus per sacra omnia opem nostram implorant, seque et fortunas omnes offerunt, ut jugum hoc excutiant. Hæc ipsa, a tam dira tyrannide et manicis ad pileum et libertatem vocata, si duntaxat eis arma sugerantur, ac ducem qui bellum inchoet videant, illico sequentur, ac pene sola rem conficient: quia in eam immane tributum quod Turcæ pendunt, conferent. Multi etiam inter Christianos, licet in fide heterodoxi, tamen quia principibus suis fideles, et quia Christi professores, lubentes præsentem occasionem arripiant, ut, si invitentur, in societatem belli ultro veniant; tum ut contra communem Christiani nominis hostem conspirent («Commune enim periculum concordia propulsandum est», ait Cornelius Tacitus), ejusque jugum quam longissime a se amoliantur; tum ut Christianum imperium propugnant et propagant, tum ut suas ditiones et fortunas ex opimis Turcarum spoliis augeant et locupletent.

Porro agitur hic non modo de amplissimo et ditissimo Ottomanorum imperio occupando, sed et de multorum millium, imo millionum animarum salute æterna: quæ sane sine impia crudelique socordia negligi nequit. Nunc enim magis quam unquam proclive et facile est Christianis, ut Turcæ adimant regna omnia suis majoribus per summum scelus erepta, ut Ecclesiæ sibique restituant Asiam, Hungariam, Græciam, Macedoniam, Thraciam, Armeniam, Galatiam, Cappadociam, Epirum, Cyprum, Bithyniam, Pontum, Syriam, Palæstinam (primas utique orbis provincias a SS. Petro et Paulo ad Christum conversas, eorumque et Ecclesiæ prima quasi prædia et patrimonia), Ægyptum, Africam, Æthiopiam, totumque Orientem. Quis hic dormitet? Quis non protinus evigilet? Quis non opes omnes et vires, omne ingenium et consilium in opus tantum tantique momenti offerat et conferat?

Quod si Persa (aut quis novus Tamerlanes, mundi terror, bellicosus et acer in armis) nobis otiantibus aut dormientibus, regiones illas præoccupet, uti cœpit, sane magno terrori evadet Christianis, eisque, utopte duplo jam potentior, in armis exercitatiōr, tot victoriis insolentior, formidabilius quam Turca imminebit? ut eum monarchiam Europæ ambientem, ab urbibus tecisque nostris submoveare non valeamus, quem a vicinis arcere non voluimus. Sane videtur Deus optimus maximus claris sue mentis indicis ostendere se velle, ut bellum hoc sacrum capessamus, cum occasiones undique tam evidentes illius conficiendi, quales a mille annis non dedit, modo suggerit, utoque offert: quas si elabi e manibus sinamus, nunquam amplius illæ redibunt: «Rerum occasiones tarditatem nostram et ignaviam non exspectant», ait sapienter Demosthenes, *Philipp.* I; sed nisi illico prehendantur, cum sese ostentant, diffugint, et irrevocabiles sunt: «Fronte capillata est, a tergo occasio calva.» Earum neglectum graviter ulciscetur justus omnium judex vindicque Deus, atque illos ipsos dorso nostro dabit in flagellum, quos nunc ultro in sinum offert, ut subjiciat. Ita Chananæos Judæis dedit in flagellum perpetuum, eo

quod ipsi eos subigere et delere, sicuti juss erat Dominus, omisissent, ac pacis foedera cum eis iniissent; uti videre est in tota Judicum historia: idque moriens eis prædixerat, et comminatus erat Josue, cap. xxiii, 13: «Ut sint, inquit, vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis. »

Ambabus ergo ulnis acceptemus et amplectamur præsens hoc tam liberale Dei donum; utamur occasione quam nobis in manum dat; subdamus Mahometanos nobis, ne cogamur eis colla subdere, eosque habere dominos, imo tyrannos et tortores, quos modo possumus habere subditos et supplices; Deo optimo maximo ad id tam manifestis ostentis vocanti pareamus, ne in die judicii tantæ occasionis, totque millium animarum salutis neglectæ, rigidam a nobis rationem reposcat rigidus munerum suorum, æque ac occasionum et honorum operum exactor Christus Dominus. Si paruerimus, Prophetas honorabimus, Prophetarum votis satisfaciemus, Prophetarum oracula adimplebimus; adeoque Prophetas, Christum Dominum, Deiparam, Apostolos, eorumque fidem et religionem, quasi exsules postliminio Terræ Sanctæ restituemus; Angelos sanctos miro gaudio afficiemus, Dei hominumque gratiam, et gloriam æternam nobis conciliabimus.

Pecunia, nervus belli, deesse non poterit, si quælibet urbs et provincia vel modicum conferat. Unus S. Ludovicus olim omnes belli sacri expensas per plures annos præstitit, nunc eas non præstabunt universi principes christiani illo longe ditiores? Præsertim si militaris pragmatica observetur, ut milites frugales sint in victu et vestitu, nec auro vel cyathis, sed ferro et hastis depugnant, uti faciunt Turcæ et Tartari. Quin et hostiles provinciæ, utpote divites et vastæ, si subigantur, exercitus nostros alent, uti priscorum Romanorum aluerunt. Ita anno elapso Asianus Bassa copias suas contra Ottomanos aluit ex ipsis provinciarum Ottomanicarum vectigalibus et tributis, idque copiose et splendide. Ita olim Alexander Magnus non nisi septuaginta talentis bellum orsus, spoliis hostium et gaza Darii se et milites omnes locupletavit. Idem fecere Julius Cæsar, Scipio, Pompeius, Annibal, Cyrus, Nabuchodonosor, ac nuper Saladinus, Tamerlanes, Ismael Sophus, cæterique magni duces, qui hostium opibus suos ditarunt, seque vel Asiæ, vel Europæ, vel orbis monarchas effecerunt. Soli pene Cosaki, si hæc præda illis offeratur, rem feli citer a se sæpius tentatam conficient, nec aliud stipendum depositent. Opes Asiæ offeruntur, spolia Orientis; quis ad manubias tam opimas non accurrat, imo advolet? Bessarion Cardinalis memoriæ prodidit Mahometem, qui duo imperia, duodecim regna, et trecentas urbes ipsamque Constantinopolim expugnavit, non nisi duos milliones annui census habuisse. Quis Christianorum regum non habet longe plures? Sed una Constantinopolis dedit ei prædam sedecim millionum. Porro facile erit Pontifici Maximo solidum belli sacri ærarium in annos aliquot erigere, si a singulis regibus et principibus Christianis corroget id quod quisque pro re tam pia, tam utili, tam sibi et toti Reipublicæ Christianæ necessaria volens lubensque conferet. Unus rex catholicus pro suo fidei zelo jam a 57 annis quotannis in Belgicum bellum, in unam inquam modicam provinciam, plures milliones expendit; quid non impendet in totum Orientem, ipsamque Jerusalem, cuius ipse se hæreditario jure regem indigit? Rex quilibet conferat millionem, Princeps vel Respublica quælibet aliquam millionis portionem, exsurget ærarium non tantum sufficiens, sed et abundans. Omitto ultroneas mercatorum aliorumque divitum in tam pium bellum oblationes, pensiones opimis beneficiis, eleemosynas fidelibus in Jubilæo in hanc rem a Pontifice indicendas: ex quibus multorum millionum summa conflabitur. Si quilibet ditiorum vel aureum conferat, ex tot divitum per totum orbem millionibus, quot aureorum milliones consurgent? Taceo dispensationum, privilegiorum, peccatorum aliorumque mulcas, quæ pie ad tam pium opus exigi queunt et applicari. Sane Innocentius III Pontifex quadragesimam reddituum partem Clericis omnibus in usum belli sacri indixit; regi vero Galliæ, et regi Angliæ ita scribit et præscribit, lib. II, epist. 239: « Tu ipse ad defensionem Terræ Sanctæ competentem in expensis tuis dirigas numerum bellatorum, quasi decimas saltem Christo persolvens, ita quod ex hoc divinam gratiam possis plenius promereri. » Idem rursum Clericis per triennium vigesimam reddituum partem, in eundem finem sub pena excommunicationis indixit. Euntibus vero ad bellum sacrum tributa, quin et usuras creditoribus debitas relaxavit: ac generalem inter Christianos toto orbe

pacem per quadriennum servandam sub poena anathematis sanxit. Paulus III, Carolo V in Africam contra Saracenos castra moventi, decimas omnium in Hispania beneficiorum attribuit. Pius V, pontificios redditus omnes in usum belli sacri, similiusque piorum operum contulit, ideoque illustrem illam de Turcis apud Naupactum victoriam retulit.

Jam vero dissensionis aut discordiae inter nationes et principes nunquam minus fuit periculum, quam hoc saeculo. Deus enim optimus maximus nobis dedit reges et principes mire catholicos, optimos, piissimos, Sedi Apostolicæ summe addictos et devotos (ut taceam omnes affinitate arcta invicem devinctos) cuius proinde distributionem, arbitrium et sententiam omnes prompte sequentur. Sic saeculo elapso Alexander VI Pontifex Indiarum limites divisit, propriosque statuit Hispanis et Lusitanis: hinc utrorumque mira in iis concordia. Haec ergo Sedes Apostolica sacræ hujus expeditionis, ut alias semper fuit, ita et nunc erit arbiter et judex; imo choragus, director, moderator. Haec cuique suas operas et provincias partietur. Haec spolia et lucra dividet. Haec lites omnes judicabit et componet. Haec novos principes et reges, si opus sit, instituet et creabit. Atque ista est propria hujus ævi gratia et felicitas, ad commune hoc Ecclesiæ negotium conficiendum uti maxime opportuna et accommoda, ita hoc fine a Deo provisa et donata. Denique obvia est concordiae ratio, si quisque seorsim loco sibi commodo communem hostem invadat, et quidquid ei adimit, jure belli occupet, sibique vindicet. Achilles Tarduccius, libello *Quod Turca vincibilis*, demonstrat Turcam a solis Hungaris vinci posse, quinquaginta Christianorum millibus in aciem productis. Suffragatur Anonymus illi additus, *De statu imperii Turcici*, qui per calculum arithmeticum ostendit bellum contra Turcam geri conficie posse quotannis quatuor auri millionibus; exercitu vero quadraginta millium peditum, et bis mille equitum, addita ea classe centum triremium. Rursum fœdus Christianorum principum a Leone X Pontifice contra Selynum sancitum, ac provincias cuique ad invadendum occupandumque attributas, recenset Fr. Guicciardinus, et ex eo Lazarus Sorantius in *Ottomano*, cap. cxviii; qui et addit Leonem decrevisse, ante omnia vim auri maximam congerendam, tum ex ordinariis principum contributionibus, tum etiam ut singulis Christianis certum aliquod tributum, hujus belli nomine imperaretur.

Porro experientia constat omnem in debellando huic usque Turca difficultatem constitisse in divisione et dissensione principum Christianorum, adeoque Reipublicæ Christianæ languorem tum prodiisse, et se prodidisse cum monarchia transiit in polyarchiam; sicut ex adverso Turcarum robur emicuit, cum polyarchiam Ottomanus in monarchiam transtulit; quo circa Turcæ, cum sit monarcha singulis regibus potentior, a Christianis resisti nequit, nisi ad monarchiam redeant, ut monarchæ infideli monarcham fidelem opponant. Et quis hic magis idoneus, quam Summus Pontifex? Bessarion Cardinalis sapientissimus asserebat, «Turcam simile esse lupo, qui cum sit pili concoloris, canes pilo discolores vel infinitos non metueret; paucis vero unius pili conspectis, fugam adorneret.» Ita prorsus Christianos principes, licet plurimos et potentissimos, si discordes sint, non metuit, sed ridet Turca; paucos si concordes sint, reformidat et fugit. Quin et Solymannus ipse, Caroli V æmulus et antagonista, ut Ferdinando imperatori Caroli fratre se potentiores ostenderet, ejus legato insultans dixit « se esse draconem unius capitum, sed multarum caudæ. » q. d. Christianorum imperium est polyarchicum, ideoque discors et imbecille: meum vero est monarchicum, ideoque concors et validum. Igitur in hoc bello subdant se principes Christiani, uti faciunt, Romano Pontifici; atque hac ratione monarchiam Christianam redintegrabunt, eamque Turcæ longe validiorem constituent, ac mari æque ac terra Turcam invadent: quod omnino faciendum censuit Carolus V. Porro ne quis fidelis vel haereticus ditiones principum eo tempore quo bellum sacrum capessunt, quovis titulo invaderet, Eugenius III cavit sub poena anathematis. Idem cavit Innocentius III, quem paulo ante citavi. Cavent et Principes foederati: foederis enim prima conditio est, ut, si quis unum invadat, cæteri omnes eum, quasi publicum Christi et Christianæ Reipublicæ hostem et proditorem persequantur, ac regno, principatu, dominio, opibus, rebusque omnibus privent et spolient. Det Deus, ut omnes omnino ad pristinam unionem et monarchiam ab eo sancitam, hoc Jubilæo revertantur!

Quapropter de felici belli exitu optime sperandum est, et vix dubitandum, præsertim, si, uti

Mose orante, Josue vincebat Amalec, ita et nos cum Machabæis Numinis opem, precibus, jejunii, sancta vita, bonisque operibus assidue nobis conciliemus : quarum rerum Jubilæum hoc illicium est, imo inchoatio et præludium. Sane hisce annis plures viri religiosi sanctitatis et prophetæ opinione celebres prædixerunt certo instare ruinam Turcici imperii, ac Christianos brevi potituros Terra Sancta.

Emitte, o Sanctissima Trinitas, ex alto, per Verbi tui incarnati acerbissimos dolores, crucem et merita, Spiritum tuum Sanctum, spiritum sapientiae, consilii, pietatis et charitatis, ut omnes fideles et principes in tua fide, cultu et amore concordes, studeant resistere, imo tuo regno subigere omnes Saracenos, paganos et infideles, ut tuum nomen et gloriam agnoscant et celebrent omnes gentes; ut omnis terra confiteatur nomini tuo sancto. Dilexisti, « Domine, portas Sion super omnia tabernacula Jacob. » Ut quid ergo, « Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt nomen sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam? » Terra in qua te laudaverunt patres nostri, tradita est alienigenis, qui assidue sacrilego ore blasphemant nomen tuum, et Christi tui. Locus in quo Christus operatus est salutem in medio terræ, possidetur ab antichristianis. Exsurge, Domine, vindica probrum tuum. Excita e Christianis Machabæos, qui gentes conterant et convertant, qui tibi tuam gloriam, Ecclesiæ suum regnum, Terræ Sanctæ avitam fidem et sanctitatem asserant, ac postliminio restituant. Excitasti nuper invictum Poloniæ regem, qui prælia hæc inchoaret tanta fortitudine, æque ac felicitate, ut unus ipse non solum omnes Turcarum vires sustinuerit, sed et assiduis præliis eos attriverit, fregerit, et ad pacem coegerit; plane utique protritus, si auxiliariis aliorum principum copiis opibusque suffultus, bellum hoc fuisse prosecutus. Sane Christianis regibus ipse unus, Deo auspice, viam prævivit stravitque, ac pariter ostendit quam facile communis ille Ecclesiæ hostis hactenus cunctis formidabilis, subigi, imo deleri et exterminari possit, si Christiani principes junctis animis malint bellum in ipsum capessere, quam inertis desidia, et privatuarum rerum respectu communibus incendiis deflagrare; si communibus viribus eum impetant, diversisque copiis et locis invadant, ut non tantum eum procul a suis finibus arceant, sed et plane profligent ac extirpent; si concordibus studiis in communi periculo quod quisque potest præsidii, id in medium conferat. Ita res Christiana beata, invicta, et æterna hac concordia est futura. Idipsum ergo ingere et persuade cæteris principibus, eosque sancto fidei et charitatis fœdere constringe, ut unanimes, læti et alacres constanter prælientur prælium Domini, prælium Christi, prælium Patris et Filii et Spiritus Sancti, ita ubique terrarum serviemus tibi humero uno, uno corde et ore; ubique tibi psallemus; ubique agemus Jubilæum, cum Terra Sancta, totusque orbis ad pristinam fidem, ad pristinum herum et dominum suum revertetur; ubique tibi in linguae mentisque jubilo, exsultantibus animis et vocibus jubilabimus : « Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. » Hocce fidelium, hocce meum unicum est votum, quod mihi ab olim, o SS. Trinitas, inspirasti et inspirare non desinis, ut assidue desiderem, et obsecrem te pro excidio mahometismi, hæresis et paganismi. Utinam triplicem trium horum tuorum hostium ruinam, ante mortem videre contingat, ut toto orbe sit unum Christi ovile et unus pastor! Tunc utique lætus occumbam, canamque et jubilabo cum S. Simeone : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum : quod parasti ante faciem omnium populorum : Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel. » Tunc pariter occinet S. Joannes suum illud : « Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendenter de cœlo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo, » Apoc. xxI. Tunc modulabitur Tobias illud cap. xiii : « Jerusalem civitas Dei, luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te, etc. Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus Alleluia cantabitur : Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, et sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam. Amen. » Tunc rursum psallet regius Vates : « Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit, » Psal. xlvi. « Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni. Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam, »

Psalm. XLVII. « Lætentur cœli, et exsultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus, » *Psalm. XCIV.* « Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ: adorate eum, omnes angeli ejus; audivit et lætata est Sion. Exsultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua, Domine, » *Psalm. XCVI.* « Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri, » *Psalm. XCVII.* « Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum, Alleluia, » *Psalm. CL.* Tunc exsultabit Isaias: « Laudate, cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus: jubilate, extrema terræ, resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus: quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur, » cap. **XLIV**, 23. « Ecce isti de longe venient (ad Jerusalem) et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi. Laudate, cœli, et exulta, terra; jubilate, montes, laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur, » cap. **XLIX**, 12 et 13. « Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui, etc. » cap. **LX**, 1 et 3. Tunc buccinabit Sophonias: « Lauda, filia Sion; jubila, Israel: lætare, et exulta in omni corde, filia Jerusalem. Abstulit Dominus judicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exsultabit super te in laude, » cap. **III**, 14, 15 et 17. Tunc jubilabit Zacharias: « Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, etc., quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines, » cap. **IX**, 9, 16 et 17.

Fac me voti mei, imo tui compotem, Jesu Christe Salvator, amor noster. « Hæc est enim, » sicut ipse Patrem pro nobis precando dixisti, « vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum, » *Joan. XVII*, 3. Ac vicissim Pater tibi promisit dixitque: « Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ, » *Psalm. II*, 7 et 9. Tu quoque, sancta Dei genitrix, Patris æterni filia, Verbi incarnati mater, Spiritus Sancti sponsa, quæ sola cunctas hæreses interemisti in universo mundo, has quoque nostri ævi interime. Assere tibi Terram Sanctam, quasi tuum natale solum; assere Hungariam, olim tibi clientem et supplicem, ideoque regnum Virginis nuncupatam; assere cæteras provincias: quia cunctarum es Regina et Domina. « Tu enim (ait S. Cyriillus, hom. 6 *Contra Nestorium*) es pretiosa margarita orbis terrarum: tu lucerna inexstincti luminis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, templum indissolubile, continens Eum qui nusquam contineri potest, Mater et Virgo. Per te Trinitas sanctificatur, per te crux pretiosa dicitur. Per te exsultat cœlum, lætantur angeli et archangeli, fugantur dæmones, et homo ipse ad cœlum revocatur; omnis creatura idolorum errore detenta conversa est ad notitiam veritatis, et in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ. Te adjutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Per te unigenitus Dei Filius, vera illa lux, effulsit sedentibus in tenebris et umbra mortis. Te Prophetæ prænuntiarunt, te Apostoli summis laudibus celebrarunt. » Dirige ergo universos, o inclyta maris stella, inter æstuantes hujus sæculi fluctus et turbines, recto cursu ad orthodoxam fidem, virtutem, sanctitatem, et tandem ad portum salutis æternæ: Monstra te esse matrem monstrantium se tuos cupere esse filios. Da per potentes tuas ad Filium preces nobis omnibus, **VIVERE DEO, VIVERE COELO, VIVERE ÆTERNITATI: DA CHRISTO FRUI, ILLI JUBILARE PER OMNIA SÆCULA.** Hoc est enim omnis homo. Amen.

ANNOTATIO

ADDENDA AD MINORES PROPHETAS.

Nonnulli novitii et rudiores theologi non capientes titulum Epistolæ Dedicatoriæ, quam Prophetis Minoribus præfixi : *Sanctissimæ Trinitati increatæ, et creatæ in Christo Jesu trinum Prophetarum jubilum et votum*; sed admirantes (ignorare enim facit admirari, ait Aristoteles) a me flagitarunt, ut illum concise obscurum fusius enucleem et explicem. Id ergo in eorum gratiam nunc facere aggredior, quia cum S. Paulo, insipientibus, æque ac sapientibus debitor sum.

Clarum est ex ipsis terminis et vocibus hic librum dedicari non uni, sed duplici Trinitati; priori increatæ, posteriori creatæ. Nec enim una eademque Trinitas potest esse increata, simul et creata, sicut idem non potest esse Creator et creatura: hoc enim implicat et contradictionem involvit.

Trinitas ergo increata est Deus in essentia unus, sed in personis trinus, scilicet Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus, quæ sunt tres personæ divinæ reales, et realiter a se mutuo distinctæ, quæ eamdem numero habent essentiam et divinitatem, ideoque per omnia omnipotentes sunt immensæ et æquales, eademque latræ adorandæ. Quocirca Seraphini, tum angelici, tum humani, puta Prophetæ omnes, ter quaternis vocibus trisagium: « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, » jugiter illis accinunt, uti in Dedicatoria mox subjicio. Hoc augustissimum et ineffabile Trinitatis mysterium, in S. Scriptura diserte expressum, contra Sabellium, Arium et Macedonium omni ævo constanter docuit et propugnavit Ecclesia. Idem in Conciliis OEcumenicis multoties est definitum, intentato arianis et sabellianis illud negantibus anathemate. Idem tradiderunt Apostoli in Symbolo, ac Patres Syri, Græci, Latini, quolibet ævo, ut S. Justinus, S. Ephrem, S. Epiphanius, S. Athanasius, S. Damascenus, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Gregorius, cæterique orthodoxi ad unum omnes, ut pluribus locis demonstravi, sed præcipue in Dedicatoria Prophetarum Majorum, ubi magna et mira, sed minora longe quam meretur, S. Trinitati dedi elogia; et in *Isaia* cap. vi, 3, ad illa: « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth; » ac *Rom.* xi, 33, ad illa: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! etc. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula, Amen; » et *Hebr.* xiii: « Qui (Filius) cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ; » et alibi sæpius: passim enim insector arianos et ebionæos, velut hæreticos juratos S. Trinitatis, et Christi Paulique hostes, ac blasphemos atheosque.

Trinitas creata in Christo est Christi sanctissima anima, caro et sanguis: hæc enim tria creata sunt, ac a Deo creatore Christi humanitati velut partes substantiales in incarnatione inditæ, cum « Verbum caro factum est. » Alludo enim ad illud I *Joan.*: « Quoniam tres sunt qui testimonium dant (quod « Jesus est Filius Dei, » ut dixi vers. 5) in cœlo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, et aqua et sanguis: et hi tres unum sunt. » Spiritus enim est sanctissima Christi anima; aqua est illa quam Christus e carne lateris sui cum sanguine moriens emisit. Ibi enim S. Joannes Trinitatem incretam assignat, Patrem, Verbum sive Filium, et Spiritum Sanctum: creatam vero, spiritum, aquam et sanguinem, quarum utraque testatur Christum esse Dei Filium et mundi salvatorem, uti ibidem fuse exposui. Simili modo Prophetæ omnes prophetant et docent Trinitatem utramque, puta mysterium S. Trinitatis et incarnationis Verbi, ut utrique prophetias suas ipsi dicasse videantur, ideoque utriusque ego illas dedicavi. Idque repræsentat imago S. Trinitatis in sinu gestans Christum crucifixum, cui singuli Prophetæ circumcirca sua oracula depromunt, quam Epistolæ Dedicatoriæ præfixi. Dedicatoria enim ad imaginem respicit, illamque explicat.

Porro Trinitatis nomen licet absolute positum ex usu fidelium soli increatae competit, si tamen addatur *ad creatae*, non nisi rei in tempore creatae, qualis est Christi humanitas, convenire potest, atque hoc modo nomen Trinitatis usurpat Patres, cum dicunt in anima humana esse imaginem S. Trinitatis, imo trinitatem participatam: quia in anima sunt tres potentiae, scilicet memoria, intellectus et voluntas (imo haec tria re ipsa idem sunt cum anima, si Philosophis non nullis credimus), sicut in essentia divina sunt tres personae divinae, scilicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus. « Eo enim ipso, ait S. Augustinus, lib. XIV *De Trinit.* cap. viii, imago Dei est mens, quo capax ejus est, ejusque particeps esse potest. Jam ergo in ea Trinitatem, quae Deus est, inquiramus. Ecce enim mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei. Haec enim quaedam appetit trinitas, memoriae, intelligentiae et amoris. » Et S. Isidorus, lib. VII *Etymol.* cap. iv: « Trinitas appellatur, ait, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi trinitas, ut memoria, intelligentia et voluntas, in quibus mens habet in se quamdam imaginem divinam Trinitatis: nam dum tria sint, unum sunt. » Et S. Bonaventura in I, *dist. xxiv*: « Trinitas dicitur, inquit, quasi *ter unitas*, vel *trium unitas*. » Hinc et S. Bernardus, serm. 11 in *Cant.*, de eadem agens: « O beata, ait, et beatificans Trinitas, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam a te infeliciter exsulat. Discedens a te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus! Heu me, qualem pro te commutavimus trinitatem! Cor meum conturbatum est, et inde dolor: dereliquit me virtus mea, et inde pavor: et lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error. Et quam dissimilem trinitatem, o animae meae trinitas exsulans, ostendisti. » Simili phrasi Plinius, lib. II, cap. xxxi, ait in parelio visos esse saepius trinos soles, et trinas lunas. Quid enim est trinus sol et trina luna, nisi trinitas solis et lunae? Si latine licet dicere trinas esse animae potentias, et trinas esse Christi incarnati partes, cur pariter non liceat dicere animam habere trinitatem trium potentiarum, et Christum trium partium.

Denique, si quis *ad et creatae in Christo Jesu*, ita accipiat et detorqueat, ut velit in Christo Jesu nihil esse nisi creatum; hic haereticus est, arianus et ebionita, hoc est judaeus vel judaizans. Christiana enim fides docet in Christo unam esse personam divinam, sed duas naturas, nimurum divinam, quam Christus ab aeterno a Patre accepit, juxta quam verus est Deus Patri ἑαστος et consubstantialis, ideoque in Trinitate increata secundus et medius; et humanam, quae in tempore creata est, cum ipse qua homo, conceptus est de Spiritu Sancto, et natus ex Maria Virgine. Primus id negavit impius Ebion, primus post Simonem Magum haeresiarcha anno Christi 74. Hic enim sacrilegus judaizans, cum Cerintho negavit Christum esse Deum, eumque merum hominem esse asseruit, quia Moysem praetulit Christo, ac legem Evangelio; ideoque S. Paulum Evangelii praeconem, legis apostamat nuncupabat. Unde illi coævus S. Ignatius, epist. ad Philadelphenses: « Si quis, inquit, dicat unum esse Deum, et confiteatur Christum Jesum, sed eum nudum esse hominem putet, non autem Deum unigenitum, sapientiam et Verbum Dei, sed solum anima et corpore constare censeat; hujusmodi serpens est fraudem et errorem praedicans in existuum hominum; et est ejusmodi inops sensu cognomento Ebion. » Et S. Epiphanius, *haeres.* 30, quae est Ebionis: « Quemadmodum, inquit, si quis copulasset sibi ornamentum ex diversis lapillis pretiosis, et vestem variegatam, et splendide se ornasset: sic hic (Ebion) vice versa quidquid horrendum est et perniciosum et abominabile, informeque et incredibile, et odio plenum, id a singulis sectis accepit, et se ipsum in omnes efformavit: Samaritarum enim habet abominationem, Judæorum nomen, Ossenorum vero et Nazaraeorum opinionem, Cherinthianorum formam, Carpocratianorum improbitatem, et Christianorum vult habere appellationem. » Et Eusebius, lib. III *Hist. cap. xxvii*: « Sed et alios, inquit, idem dæmon alia arte decepit, id est Ebionæos, qui interpretantur *pauperes* (Ebion enim hebraice פָּוֶר idem est quod *pauper*): Ebion enim revera fuit mentis inops et pauper, non tam ære et censu, licet id ipse jactaret, quam fide et sensu: vere enim pauperes sunt et egeni in scientia gloriæ Christi, quoniam quidem eum solum hominem putant, communi etiam nativitate ex viro et femina procreat. » Quocirca eum ut haeresiarcham et atheum acriter impugnant S. Irenæus, Tertullianus, S. Epiphanius, S. Augustinus, Theodoreetus, Philastrius, Cardinalis Bellarminus, Hosius, Gregorius de Valentia, Stapletonus,

Alfonsus a Castro, ac cæteri doctores orthodoxi prisci et moderni, qui contra hæreses scripserunt ; ut mirum sit hoc sæculo nonnullis in locis infamem et scelestum Ebionem, toties damnatum ; rursum ex orco esse revocatum , et monstruosam ejus hæresim jam diu sepultam, rursus in lucem prodiisse opera Judæorum et judaizantium cum insigni probro Christiani nominis, æque ac ingenti fidelium damno. Hoc ergo est opus, hic astus Satanæ, qui transfigurat se in angelum lucis, ut per Judæos Christum et Christianos supplantet, ac homines quasi pisces decipiat capiatque, et secum trahat ad æterna gehennæ incendia. Quocirca S. Joannes Apostolus adeo detestatus est blasphemum Ebionem , ut , cum casu balneum adiisset , intellectissetque in eo lavari Ebionem , illico cum suis aufugerit , dicens : « Festinate , fratres , egrediamur hinc , ne cadat balneum , et pereamus cum Ebione , qui intus est in balneo , propter ipsius impietatem , » uti narrat S. Epiphanius, *hæresi* 30

IN DUODECIM

MINORES PROPHETAS

COMMENTARIUS.



PROOEMIUM.

Prolegomena hic pauciora præmitto : quæ enim Prophetis majoribus præfixi , eadem minoribus serviunt. Rem ergo aggredior : studeo enim brevitati, ut totam S. Scripturam octo vel novem tomis complectar , quod viri sapientes postulant. Notat S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. cap. xix*,

et Ruffinus, *Præfat. in Oseam*, duodecim Prophetas minores dici respectu quatuor majorum, putantur Isaïæ, Jeremiæ, Ezechielis et Danielis, non eo quod minores iis sententiarum gravitate, et rerum verborumque majestate cedant; sed ob sermonis et librorum brevitatem. Potuissent et ipsi paria majoribus volumina scribere , si voluissent : per multos enim annos munere concionandi et prophetandi functi sunt, uti Oseas usque ad annum ætatis nonagesimum strenue hoc officio perfunctus est. Ex quo liquet eos multa vaticinando et concionando dixisse, quæ scriptis non tradiderunt; idque ex studio modestiae et humilitatis, ut minores essent et haberentur, nec majoribus æquarentur. Quo studio impulsus humilis S. Franciscus se et suos fratres Minores esse et nuncupari voluit. Unde cum cardinalis Hostiensis, qui postea creatus Pontifex, Gregorius IX dictus est , ab eo quæsisset utrum sibi placeret, ut fratres sui promoverentur ad Ecclesiasticas dignitates , respondit : « Domine , Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut majores fieri non præsumant. Si vultis ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum , et ad ecclesiasticas prælaciones nullatenus ascendere permittatis. » Ita refert S. Bonaventura in *Vita S. Francisci*, cap. vi. Eodem studio et spiritu actus S. Paulinus Nolæ episcopus, virnobilis genere, ingenio, virtute, sapientia et eloquentia, quam mire extollunt S. Hieronymus et Augustinus , rogatus ut scriberet in S. Scripturam, respondit se minus peritum esse, et indignum qui tam sublimes et divinos libros interpretaretur. Quare nunquam calamum huic operi admovere voluit, sed aliis minus sublimibus, epistolis et carminibus , quæ etiamnum existant, et viri doctrinam. æque ac modestiam, re-

ligionem, mundique contemptum testantur. Ita habet ejus *Vita*. Addit S. Chrysostomus, hom. 9 in *Math.* : « Multa, inquit, ex Propheticis perierunt monumentis; desides enim cum essent Judæi, nec desides modo, sed et impii, alia quidem perdiderunt negligenter , alia vero tum incenderunt, tum conciderunt. Et de profanitate quidem tali Jeremias refert , cap. xxxvi, 32 : De negligentia vero, IV *Reg. xxii*, legimus , quoniam post multum temporis vix Deuteronomii volumen sit repertum, defossum quodam in loco, ac pene delatum. »

Itaque maluerunt hi nostri Prophetæ , multis omissis, pauca tantum, nimirum præcipua capita suorum oraculorum et concionum conscribere, quæ Judæis dictorum a se et ab iis auditorum memoriam jugiter refricarent, quæque ipsi, æque ac posteri, præsertim Christiani , ob prolixitatem non fastidirent, sed ob brevitatem avide legerent. Verbo enim paucis, scripto toti consulitur posteritati : « Zacharias (et quilibet doctor) ait Tertullianus, lib. *De Idolol.* cap. xxiii, loquitur in stylo, auditur in cera : manus omni sono clarior, littera omni ore vocalior. » In hac ergo Prophetarum brevitate magna et prægnans est rerum copia, magnus dicendi nervus, magnum pathos, densus et multiplex sensus. Audi S. Hieronymum *Proœmio in Epist. ad Philemon.* : « Sed, ait, mihi videntur dum Epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientie latet. Si autem brevitas habetur contemptui, contemnatur Abdias, Nahum, Sophonias, et alii duodecim Prophetæ, in quibus tam mira, et tam grandia sunt quæ feruntur, ut nescias utrum brevitatem sermonum in illis demirari debeas, an magnitudinem sensuum. » Quocirca idem hic in *Proœmio*, *Oseam* vocat « commaticum , et quasi per sententias loquentem : » brevibus enim sententiis quasi per commata intercisis, multas magnasque res pathetice eloquitur; nimirum sapiens uti verum uno mentis cernit in ictu, ita idem enuntiat,

unoque dentis verbique dicit et dictat in ictu. Sed audi ipsummet S. Hieronymum : « Osee commaticus est, et quasi per sententias loquens. Joel planus in principiis, in fine obscurior. Et usque ad Malachiam habent singuli proprietates suas. » Et in *Prologo Galeato* : « Duodecim, ait, Prophetæ in unius voluminis angustias coarctati, multo aliud, quam sonant in littera, præfigurant. » Hic ergo verum est istud quod de apibus cecinit Virgilius in *Georgic.*:

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Nam, ut ait *Eccles. xi*, 3 : « Brevis, » græce μικρὰ, id est parva, « in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius; » hinc ista vox apum :

Magna etenim est nobis in parvo corpore virtus.

Paulus
corpo
Tydeus
animō
Hercu-
les. Ut Tydeo illi, pusillo mole corporea, sed mente gigantea, qui Tydeus fuit statura, sed animo Hercules, solertia Ulysses. Virtus enim compressa fit fortior, et maiores impetus plagasque adversariis infligit. Apostolus uti nomine, ita corpore Paulus fuit et pusillus; sed sapientia et spiritu excelsus, imo longolius : « Tricubitalis est, ait S. Chrysostomus, et eccllos sideraque transcendent. » Ita Prophetæ minores tricubitales sunt, si verba et sententias species; sed sapientia et sensibus æthera transcendunt. Egregie S. Paulinus, epist. 1, inter sex quas scripsit ad *Amandum* : « Sicut mellis, inquit, gutta idem sapit, quod totus favus, sic et in uno licet verbo stillicidium linguae vestræ, totum sanctæ animæ vestræ saporem refert. Nec ideo margarita vilis est quia exigua, sed ideo magis pretiosa, quia et in exiguo modo magnum pretium habet. Sed et granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen exstat in olere: ideo etiam brevis sermo vester, dulcedinem simul ac vigorem verbi cœlestis tenet. » Sic Alanus in *Anticlaudiano* laudat Symmachum urbis præfectum sub Theodosio imperatore a nervosa styli brevitate, dicens :

Symmachus in verbis parcus, sed mente profundus :
Prodigus in sensu, verbis angustus : abundans
Mente, sed ore minor : fructu, non fronde, beatus,
Sensus divitias verbi brevitatem coaretat.

Non dubitat Poeta muscam exiguum cum rege componere :

Dens in
minimo
eminet
maxi-
mus. An quisquam conferre negat cum principe muscam?
Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Tria parva, sed efficacia :

Vipera, si memini, prima est; formica secunda;
Tertia cui proprio nectare lucet apis,
Non te parve culex formica, aut vipera, non te
Vatis Bibilici clarior esset apis.

Porro Virgilius, lib. IV *Georg.*, apim esse, vel habere quid numinis asserit :

Esse apibus partem divinæ mentis, et haustus
Æthereos dixerunt : Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, etc.

Homines statura parvi, communiter magnanimi sunt. Cor membrorum minimum, ipsum tamen est quasi focus et arx corporis, et alterum quasi animal, primum vivens et ultimum moriens, vitæ, sensus et motus fons et origo : quin et animalia generosa, ut leo, parvum habent cor; quæ vero magnum habent, ut hyæna, lepus, cervus, asinus, panthera, mustela, timida et pavida sunt, ait ex Aristotele Plinius, lib. XI, cap. xxxvii. Adeo Deus et natura parvos et parva amant, et in parvis vasis sua cimelia recondunt : « Nulli enim parvus est census, cui magnus est animus, » ait S. Leo, serm. 1 *De Quadrag.* Quocirca Philosophus, interrogatus quid minimum esset simul et maximum; cum unus dixisset esse oculum, eo quod membrorum sit minimum, et tamen totum mundum, qui maximus est, visu comprehendat; respondit non esse oculum, sed cor, tum ob rationem jam allatam, tum quia cor non solum mundum, sed et ea quæ supra mundum sunt, adeoque res infinitas mente, amore et affectu complectitur, nec ulla re nisi Deo, qui immensus est, repleri et satiari potest. Denique cor humilitate minimum, virtute et gloria est maximum, uti docet Christus, *Matth. xviii*, 4, et cap. xix, 26.

Praeclare Sapiens, *Proverb. xxx, 24* : « Quatuor, ait, sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientioribus. Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. Lepusculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum. Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas. Stellio manibus nititur, et moratur in ædibus regis. » Sapienter quoque Manilius, lib. IV *Astron.* :

Nec contemne tuas, quasi parvo in corpore vires.
Quod volat, immensum est. Sic auri pondera parvi,
Exsuperant pretio numerosos æris acervos.
Sic adamas punctum lapidis pretiosior auro est.
Parvula sic totum pervadit pupula cœlum;
Quodque vident oculi, minimum est, cum maxima cernant:
Sic animi sedes tenui sub pede locata,
Per totum angusto regnat de limite corpus.

Gaudet ergo natura, æque ac Deus qui est natura naturans auctorque nature, magna, imo magnitudinem suam imminuere, contrahere et coarcicare ad parva, ut ibi unita densem, eoque magis resplendeat, quo in minori minor esse gestit. Quid majus microcosmo et universo? hoc tamen Deus totum collegit in homine, dum eum microcosmum effecit. Quid sublimius Verbo æterno, Dei Filio? hic tamen in infantili corpore integer inhabitare voluit, eique se adæquavit. Hoc est Verbum abbreviatum, portentum sacerdotum, de quo Apostolus, *Roman. ix*, 28, ait : « Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram. » Nam, ut de eodem vaticinatus est Isaías, cap. x, 12 : « Consummatio abbreviata inundabit justitiam. » Quid magnificentius Christo, vero Deo et homine, et tamen ipse in exigua Eucharistiæ hostia, imo in quolibet ejus puncto totum se sistit. Magnus ergo

esse cupis? Deum imitare: ab eo viam et modum grandescendi disce: humilia, abbrevia, coarctate, et magnus evades, Deoque similis. Sic angelus in punctum loci se contrahit: sic et anima tota est in qualibet corporis particula. Sic Orator convolvulum florem vocavit, rudimentum naturae, lilium facere condiscens: pari modo humilitas convolvula est rudimentum animae, qua ad apicem virtutum scandere condiscit. Denique aureum est istud Poetæ:

Quidquid præcipes esto brevis, ut cito dicta
Percipient animi dociles, teneantque fideles.

Et Cicero, I lib. *De Orat.*, oratori hoc dicendi dat præceptum: « Satius est minus quam nimis. Facilius enim cujusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhæret, » inquit Velleius Paterculus, lib. I. Hac de causa hi Prophetæ breves et contracti potius, quam fusi et prolixii esse maluerunt.

Argu-
mentum
minorum
Prophetarum. Argumentum minorum Prophetarum idem est quod majorum, nimirum arguunt idololatriam, aliaque Hebræorum peccata, quæ Jeroboam erigendo vitulos aureos, quasi deos in Dan et Bethel, invexerat, ad hoc, ut per schisma religionis, faceret et schisma regni decem tribuum a regno duarum, Judæ scilicet et Benjamin, ne videlicet decem tribus occasione sacrorum et cultus divini ex lege celebrandi in Jerusalem a se suoque regno ad duas tribus, et regem Roboam redirent, ut patet III Reg. XII, 26. Deus ergo, quasi pius pater, ad eos revocando misit Prophetas, qui tum decem tribus, tum duas reliquias hoc quoque idololatriæ contagio, ob vicinitatem et affinitatem decem tribuum, infectas, de hisce sceleribus corriperent, comminando eis captivitatem Assyriacam et Babyloniam; itaque eas ad avitam patrum fidem et pietatem revocarent, ac ad Dei cultum et amorem accenderent: qua de causa addunt vaticinia lætaque promissa de Christo, deque Ecclesia, Sacramentis, gratia, omnique felicitate ab eo afferenda in Novo Testamento: ideoque sæpe hi Prophetæ a Christo, Paulo et Apostolis citantur. Nam, ut sapienter ait S. Augustinus in *Sententiis*, num. 214: « Stultus est qui non credit denuntiationibus Prophetarum in paucis quæ restant, cum videat tam multa completa, quæ tunc non erant, quando prædicebantur implenda. »

Porro facillimum est, mutato tantum nomine, quæ Judæis hic ob idololatriam aliaque sceleris ad litteram intentant Prophetæ, tropologice applicare Christianis, atque animæ cuilibet, quæ per peccatum a Deo ad suas cupiditates abit, ac præsertim ad hæresin, cui passim hæc tropologice adaptat S. Hieronymus: nam, ut ipse ait in cap. XIV *Osee*, gulosi deus et idolum est venter, avari mammona, hæretici sua hæresis, suumque commentum et dogma, et ita de cæteris. Quocirca æque Christianis ac Judæis sua oracula dictarunt et consignarunt Prophetæ.

Jam vero Prophetæ minores numero sunt duodecim, instar duodecim Patriarcharum, et duodecim tribuum ad quas mittebantur. Fuerunt enim ipsi Patriarcharum suppares, imo sui ævi, duodecim Patriarchæ, duodecim tribuum duodecim doctores, duodecim Apostolorum duodecim prodromi et antitypi, imo veri Veteris Testamenti Apostoli et Evangelistæ.

Sunt 12
numero.

Merito ergo Ecclesiasticus celebrans heroes Hebræorum, hoc elogio duodecim hosce Prophetas celebrat et condecorat, cap. XLIX, 12: « Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo, » q. d. Ossium et sepulcri, ac per consequens ipsorum duodecim Prophetarum vires semper, grata et florida sit memoria; nomen et fama eorum cum sepulcris et monumentis ipsorum perennet, ut videantur reviviscere, et magis vivere defuncti, quam cum reipsa viverent; adeo eorum laus, deus et gloria promanet ad posteros, imo permaneat in æternum, ut quoties posteri inspexerint eorum ossa et sepulcra, toties eorum virtutum et oraculorum gloriosam memoriam renovent et celebrent, dignosque prædicent, quorum ossa inter Patriarchas et Apostolos, ad gloriam colestern resurgent in universalis hominum resurrectione. Est metalepsis: ossa enim ponuntur pro sepulcro, sepulcrum pro sepultis, puta pro ipsissimis Prophetis; nimirum contentum ponitur pro continente: et pullulare idem est quod semper vigere et florere. Causam subdit: « Nam corroboraverunt Jacob » in fide et pietate unius veri Dei et Messiae, quem prædixerunt venturum: « corroboraverunt, » inquam, tum vaticinando, tum suis meritis et precibus robur et auxilium Dei populo impetrando: « et redemerunt se in fide virtutis, » puta in fide non quali quali, sed valentissima et potentissima; vel « in fide virtutis, » id est in fidelitate maxime strenua et efficaci, « redemerunt, » id est liberarunt et immunes præservarunt « se » ab omni culpa, poena et calunnia: quia non nisi ea quæ Deus eis revelabat, fideliter et constanter prolocuti et vaticinati sunt. Simili enim phrasi de Josue, aliisque Judicibus Israel dicit idem Ecclesiasticus cap. XLVI, 13: « Et judices, quorum non est corruptum cor, qui non aversi sunt a Domino, ut sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, » hoc est, ut explicans subdit, « et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria. » Ossa ergo haec Prophetarum etiamnum pullulant, et pullulabunt usque ad finem mundi, dum ipsi per sua monumenta et oracula Christianis, Judæis, omnibusque gentibus assidue prædicant, et prædicabunt Messiae adventum, ejusque fidem, mores, spiritum, omnemque virtutem et sanctimoniam.

Mystice S. Bernardus, serm. 2 ad *Frates*, in *Mystica* illud: « Hæc est generatio quærentium Domum, quærentium faciem Dei Jacob, » docet om-

nes vere Religiosos, mystice esse Prophetas; eo quod perspicaci mentis acie eminus prospiciant superna, absentia et futura; quod eorum mens, cōgitatio et conversatio in cœlis sit, indeque ex summo cœlorum vertice, quasi aquilæ, exiguum hoc terræ punctum respiciant et despiciant; quod in altis æternitatis montibus commoretur, indeque sub se videant et rideant inanes honorum opumque pompas, reges et principes quasi formicas intueantur, regnorum ortus et occasus, rerum omnium vicissitudines, temporum gyros et circumvolutiones, cunctosque sacerduli turbines, flexus et reflexus, quasi bullas nascentes et mox denascentes, contemplentur. Hi nimis veri videntes, veri vates, veri mystæ sunt: cæteri cæcutientes, præsentia exigua conspicantur, futura licet maxima non prævident; « in terrenis lynxes, in cœlestibus falpæ. » « Magnum sane, inquit Bernardus, prophetandi genus, cui vos (Fratres suos alloquitur) deditos esse conspicio; magnum prophetæ studium, cui vos video mancipatos. Quid illud? Nempe juxta Apostolum, non considerare quæ videntur, sed quæ non videntur, sine dubio prophetare est. Ambulare in spiritu, ex fide vivere, querere quæ sursum, non quæ super terram, obliisci quæ retro sunt, extendi in anterriora, ex magna parte prophetare est. Alioqui quoniam modo, nisi per spiritum prophetæ, conversatio nostra in cœlis est? Sic nimis Prophetæ olim quasi non inter homines erant sui temporis, sed virtute et impetu quodam spiritus dies illos transilientes, exultabant ut viderent diem Domini; et videbant et lætabantur in ea. » Talis Propheta, talis videns erat regius Vates, sibi occinens: « Credo videre bona Domini, in terra viventium. » Talis S. Hilarion, teste S. Hieronymo, « qui monebat omnes præterire figuram hujus sæculi, et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo. » Talis Paulus, qui in tertium cœlum raptus exclamabat: « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Quod enim momentaneum est et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. » Et: « Fides est substantia rerum sperandarum; » ergo futurorum; « argumentum non apparentium, » ergo obscurarum et propheticarum. Fides est mente cernere bona cœlestia, quæ oculis non vides. Talis videns et videntium pater erat Abraham, qui « fide demoratus est in terra reprobationis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, cohæredibus reprobationis ejusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus. » Juxta fidem et prophetiam defuncti sunt Abel, Henoch, Noe, Isaac, Jacob, Joseph, « non acceptis reprobationibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam in-

quirere. Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem. Fide Moses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: aspicebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum. » Quare? « Invisibilem enim tanquam videns sustinuit. » Alii fidei et prophetæ heroes, res sperandas et futuræ gloriæ bravia speculantes, pro iis « distenti sunt, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. » Mystici ergo Prophetæ sunt, qui vita magis quam voce, singulis inclamat: « Deorsum corpora, sursum sint corda: despice terrena, cœlestia suspice. »

Jam QUÆRITUR PRIMO:— Ad quas gentes propriæ missi sunt hi Prophetæ; quibus populis prophetarunt? RESPONDEO: Aliqui Prophetarum vaticinati sunt duabus tribubus tantum, puta Juda et Benjamin, alii cæteris decem, alii utrisque: idque nominibus regum, sub quibus se prophetasse scribunt; aut nomine populi Juda, vel Israel, aut aliis modis et circumstantiis subbindicant, imo saepè idipsum clare exprimunt. Ubi recte notat S. Hieronymus in *Proœmio*: Quoties, inquit, ad decem tribus prophetia tenditur, sub his nominibus fere designantur, scilicet *Ephraim*, *Samaria*, *Israel*, *Joseph*, *Jezrahel*, *Bethel*, *Bethaven*, et interdum *Jacob*; cum vero ad duas tantum, tunc notantur nomine *Juda*, *Jerusalem*, *Benjamin*, *Domus David*, et aliquando *Jacob*. Porro decem tribus vocantur *Ephraim* et *Joseph*: quia primus eorum rex Jeroboam, et multi deinceps oriundi fuerunt ex tribu Ephraim, qui fuit filius Joseph Patriarchæ. Dicuntur eadem *Samaria* et *Jezrahel*: quia hæc duæ erant metropoles regni earumdem. Dicuntur *Israel* et *Jacob*: quia posterorum ejus major erant pars; unde quasi plures parentis nomen sibi appropriarunt, Jacob enim alio nomine vocatus est *Israel*, Gen. xxxii, 28. Dicuntur *Bethel*: quia in Bethel a Jeroboam erecti fuerunt vituli aurei, puta idola, quæ ipsi coluerunt. Unde et *Bethel* dicta est per antiphrasin *Bethaven*, id est domus iniquitatis: quæ enim tempore Jacob vocabatur eratque *Bethel*, id est domus Dei, Genes. xxviii, 19, a Jeroboam facta est *Bethaven*, id est domus idoli et peccati. Porro Prophetæ Israelitis, ob idola aliaque peccata, minantur excidium, et captivitatem Assyriacam, quam eis inflixit Salmanasar anno 6 Ezechiae regis Juda: Judæis vero minantur excidium et captivitatem Babyloniam, quam eis irrogavit Nabuchodonosor anno 11 et ultimo Sedeciæ; sub utraque vero repræsentant captivitatem stragemque extremam, quam eisdem inflixit Titus et Romani, ob occisum ab eis Christum. Illi ergo hæc facile est adaptare, mutato tantum nomine Salmanasar

Quibus propheta-tarunt?

et Nabuchodonosor in nomen Titi, et Chaldæorum in Romanorum.

Car ali- qui pa- tres suos nomi- nent, alii nant; quod ex traditione Hebræorum (quam retecant? Nota initio horum Prophetarum aliquibus Prophetis addi nomina patrum et avorum, aliis non addi. Causam discriminis nonnulli hanc assignent, alii nant; quod ex traditione Hebræorum (quam retecant? refert S. Hieronymus initio in *Sophoniam*, et S. Basilius in *Isaiæ* cap. i) patres et avi Prophetarum, qui in titulo eorumdem nominantur, fuerint quoque Prophetæ; cæteri taceantur, eo quod non fuerint Prophetæ. Sed hæc traditio incerta est et dubia, etiam ipsi S. Hieronymo; quin imo eam rejicit et confutat Paulus Burgensis Hebræorum doctissimus, in *Osee* cap. i. Facilior ergo et magis consona S. Scripturæ ratio est, nomina patrum addi iis, quibus ad distinctionem et notitiam addere ea opus fuit. Plures enim eodem loci erant tunc viri illustres et sapientes, qui vocabantur *Osee*, *Joel*, *Jonas*, *Sophonias*, *Zacharias*: hinc ut Prophetæ habentes eadem nomina ab illis secererentur, addiderunt nomen patris, dicendo: *Osee* filius *Beeri*, *Joel* filius *Phatuel*, *Jonas* filius *Amathi*, *Sophonias* filius *Chusi*, *Zacharias* filius *Barachiæ*. Hanc causam dat S. Chrysostomus initio Commentarii in *Isaiam*, Theodoreetus, initio Commentarii in *Joelem*, et S. Gregorius, homil. 2 in *Ezech.* Secunda causa est: patres aliquorum nominantur, eo quod fuerint nobiles, vel virtute, sapientia, officio et auctoritate illustres; horum enim nominatio Prophetis aliquam dignitatem et fidem apud populum conciliabat. Ita S. Basilius et S. Hieronymus in *Isaiæ* i. Hac enim de causa regibus et regali prosapia ortis, quales fuerunt *Isaias* et *Daniel*, patrum nomina (vel certe stirps regia) adjiciuntur. Adde nomina patrum aliquando juvare ad Prophetæ intelligentiam, et ad quædam mysteria significanda, quæ eleganter aperit S. Hieronymus in cujusque Prophetæ initiis, quæque inferius ex eodem recitabo.

Eædem causæ sunt, cur in aliquibus nomen patriæ recenseatur, puta in tribus, scilicet *Amos*, qui oriundus fuit ex *Thecua*: *Michæa*, qui ex *Morasti*: *Nahum*, qui fuit *Elcesaeus*. Ex patria enim quisque facile cognoscitur, et ab aliis secernitur. Quod ergo Rabbini nonnulli, ut *R. David*, censem eum cui patria non additur, fuisse *Hierosolymitanum*, commentum est, et falsum esse patet in *Jona*, cui patria non additur, qui tamen fuit *Gethæus*, non *Hierosolymitanus*, ut patet IV Reg. XIV, 25.

QUÆRITUR SECUNDO, — de tempore et ordine duodecim Prophetarum: Quando nimirum, et quo ordine prophetarint?

Quand pro- phe- tarint? Dico primo: Aliqui prophetæ non notant tempus quo prophetarunt, quia generales sunt eorum prophetiæ, et ad omnia spectant tempora. Tales sunt *Abdias*, *Joel*, *Nahum*, *Malachias*, *Jonas*. Alii tempus prophetiæ exprimunt, quia eam aptant certo tempori, aut ut ex tempore adjecto facilius et melius ipsa materia et series prophetiæ intel-

ligatur. Ita S. Basilius in *Isaiæ* i, et Ruffinus initio Comment. in *Osee*. Secundo aliqui tempus omitunt, quia brevitati student, æque ac obscuritati, ut videantur esse Prophetæ, non historici, ac lectoris studium exerceant et acuant. Ita Christophorus a Castro lib. VI *De Prophetis*, cap. vi. Tertio, continua est traditio, ait S. Hieronymus initio in *Osee*, et Ruffinus in cap. i *Joelis*, medios Prophetas qui tempus non præferunt in titulo, prophetasse sub illis regibus (saltem sub extremo illorum) sub quibus prophetavit præcedens Propheta, qui temporis titulum præfert, excepto fortasse *Joele*, qui non sub *Ozia*, *Joatham*, *Achaz* et *Ezechia*, uti *Osee*, qui *Joelem* præcedit, sed sub *Manasse* ab Hebræis prophetasse perhibetur: et *Habacuc*, qui pariter sub *Manasse* prophetavit, non sub *Joatham*, *Achaz* et *Ezechia*, uti *Michæas* et *Nahum*, qui *Habacuc* immediate præcedunt. Id patebit ex chronotaxi, quam mox subjeciam.

Dico secundo: Probabile est hosce Prophetas pene omnes in Bibliis ordine temporis quo prophetarunt, esse collocatos. Hunc enim ordinem dedit eis tam Synagoga in Bibliis Hebraicis, quam Ecclesia in Bibliis Latinis. Negat id S. Hieronymus hic in Prologo; sed locum ejus vitiatum esse, liquet ex Procemio ejusdem in *Joelem*: quare pro *apud Hebræos*, legendum est *apud Græcos*. Græci enim in ordine Prophetarum a Latinis dissentunt, sed Hebræi consentiunt. Quocirca ultimi fuerunt *Zacharias* et *Malachias*: hos enim fuisse ultimos patet ex lib. I *Esdræ* v, 1, et ex eorum titulo, in quo asserunt se prophetasse sub *Dario Hystaspis*, qui post *Cyrum* quartus fuit Persarum rex. Primus ergo, qui ante omnes, etiam ante *Isaiam*, prophetavit, fuit *Osee*. Ipse enim ita orditur: «Principium loquendi Domino in *Osee*, » cap. i, vers. 2; ita Eusebius in *Chron.*, S. Hieronymus et alii in *Osee* i, 2. Negant hoc nonnulli, ut Christophorus a Castro, censemque primum fuisse *Abdiam*; putant enim eum prophetasse tempore *Josaphat* et *Achab*. Hi enim exciderunt Idumæos, uti prædictit *Abdias*, ut patet IV Reg. iii, 4, et I Paral. xx, 1. Secundum esse *Jonam*, qui prophetavit excidium *Ninives*, quod factum est sub *Sardanapalo*, anno 8 *Azariæ* vel *Oziæ* regis *Juda*. Tertium esse *Osee*. Verum hunc ordinem minus verum videri ostendam in *Abdia* et *Jona*. Certe in omnibus Bibliis Hebræis, Græcis et Latinis *Osee* primus ponitur, quin et ante *Isaiam* collocatur a Septuaginta, qui tamen in aliis nonnullis ordinem invertunt. Nam in Bibliis Septuaginta duodecim Prophetæ hoc ordine collocantur: primo, *Osee*; secundo, *Amos*; tertio, *Michæas*; quarto, *Joel*; quinto, *Abdias*; sexto, *Jonas*; septimo, *Nahum*; octavo, *Habacuc*; nono, *Sophonias*; decimo, *Aggæus*; undecimo, *Zacharias*; duodecimo, *Malachias*. Deinde subnectuntur Prophetæ majores, *Isaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*; idque vel quia *Osee* tempore fuit primus; *Osee* autem

in eodem libro annexuntur cæteri minores : vel quia minores majoribus oraculorum et sententiarum pondere non cedunt, eosque numero superant : sunt enim duodecim, cum illi sint quatuor. Dux pene omnes : quia si initium cujusque Prophetæ spectes, puta annum quo quisque cœpit prophetare, præponendi sunt nonnullis Jonas et Nahum, et postponendus Joel. Hoc enim ordine cœperunt prophetare : *Primus* omnium fuit Osee; *secundus*, Jonas; *tertius*, Amos; *quartus*, Abdias; *quintus*, Michæas; *sextus*, Nahum; *septimus*, Joel; *octavus*, Habacuc; *nonus*, Sophonias; *decimus*, Aggæus; *undecimus*, Zacharias; *duodecimus*, Malaclias. Id ita esse patebit ex harmonia, sive chronotaxi, quam mox subjungam. Unde S. Chrysostomus, Præfat. in epist. ad Rom., probat in epistolis S. Pauli non servari ordinem temporis quo sunt scriptæ : Quia, inquit, is ordo non servatur in Prophetis. Jam vero voluit Deus prophetare per duodecim Prophetas, ut nemo de eorum veritate dubitare posset, utsi cum videt oraculum unius cæterorum omnium oraculis confirmari, totque habere testes, quot sunt Prophetæ. Blasphema enim et mendacissima apud Eusebium, lib. V *Histor.* cap. XIII, est Apellis vox : « Prophetias se ipsas redarguere; esse enim eas a se invicem discordes, mendaces, et sibi ipsis contrarias; » ac proinde a contrario spiritu et sibi repugnante editas.

Qui in minores Prophetas SS. Hieronymus, Cyrilus, Theodoreetus, Theophylactus, Ruffinus, non ille Aquileiensis antagonistæ Prophetae scriptæ seruent. Porro scripserunt in minores Prophetas SS. Hieronymi, nam stylus dissentit, et Gennadius, qui studiose opera Ruffini Aquileiensis colligit, hujus commentarii non meminit; alias ergo fuit hic Ruffinus ab illo. Scripsit et in omnes, uno Osee excepto, Remigius Altisiodorensis, qui vixit annum Domini 880, sub Carolo Calvo imperatore. Exstat in *Biblioth. SS. Patrum*. Item Rabanus, Rupertus, Lyranus, Hugo, Dionysius. Et novissime ac exactissime Christophorus a Castro, Gaspar Sanchez, et Franciscus Ribera, qui passim post litteralem, minutim singulorum moralem sensum persequitur. Brevissime scripserunt Emmanuel Sa et Joannes Mariana, qui punctim multa tangunt. Hos omnes magno laboris et temporis impendio a capite ad calcem perlegi, discussi, et in compendium redegi : ac pene decreveram post eos non scribere, juxta illud : « In sylvam ne ligna feras; ne sidera cœlo, lucem soli, noctuas Athenis addas; ut videare Sapientum octavus, tertius Cato, quintus Evangelista. » Verum multa alia ut hæc ederem impulerunt, nimirum, ut æquabili tenore commentarium in totam sanctam Scripturam pertexerem; sua enim cuique dicendi scribendique est methodus, ab aliis omnibus diversa et dispar : rursum ut multa propria adderem : S. Scriptura enim est abyssus, quæ nullis scriptis, vel commentaryibus exauriri, imo nec penetrari potest. Insuper, quia multa

docet, novaque affert ætas et tempus : proficit enim Ecclesia sapientia, ac velut aurora crescit sensim ad claram usque meridiem. Alioqui de me sentio et dico quod de se aiebat S. Bernardus, epist. 87, ad Ogerum postulantem a se institutionem recte vivendi : « Itane lanam quærit ovis a capra, molendinum aquam a furno, sapiens verbum a stulto? » Exstant hic Romæ in Bibliotheca Vaticana et Medicea versiones vetustæ Bibliorum duæ, Syriaca et Arabica; eaque duplex, Antiochena et Alexandrina, quas uti subinde citavi in Prophetis majoribus, ita et hic citabo. Utraque in Latinum idioma transtulit Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Sergius Risi Maronita, Archiepiscopus Damascenus, cui Arabicæ lingua materna est, Syriaca familiaris : ea enim utuntur Damasceni et Maronitæ in sacris. Citabo utramque in locis difficilioribus et illustrioribus ad Prophetas hosce vel illustrandos, vel locupletandos. Varietas enim hæc versionum antiquarum servit ad S. Scripturæ tum claritatem, tum copiam, quam ambiunt concionatores, quorum rogatu et commodo ad publicum bonum (cui omnes ad Dei gloriam consulere satagimus) hæc mihi edenda communicavit Illustrissimus Dominus Risi, cui proinde ea accepta referat lector. Nota est versio Pagnini, item Tigurina, quam Leo Hebreus, et Theodorus Bibliander, aliisque eorum Symmictæ Zuinglii asseclæ Tiguri in Helvetia concinarunt, eamque commentariis brevibus illustravit Franciscus Vatablus, regius Hebraæ linguae Parisiis professor; quæ, quia ab hæreticis edita est, multaque novat, et a Vulgata studio dissidet, ut eam tacite carpat et subruat, hinc sæpe lima et censura indiget.

Denique exstat Targum, id est Chaldaica paraphrasis in Prophetas (æque ac in cæteros Veteris Testamenti libros) cuius auctor est R. Jonatham filius Uzielis; sicut Targum Pentateuchi auctor fertur R. Aquila, qui chaldaice Onkelus dicitur; cæterorum vero R. Joseph cæcus. Verum hæc paraphrasis in cæteris libris præterquam in Pentateuco (ubi tamen aliquos quoque nævos habet, ut recte ostendit Bellarminus, lib. II *De Verbo Dei*, cap. III) corrupta est aliquibus in locis, et fabulis merisque thalmudistarum nugis de duabus Messiis, de tertio templo ædificando Judæis, de liberatione a captivitate Titi et Vespasiani, de lamentatione Dei, de ascensione Mosis in cœlum, de tabulis ex sapphiro throni divini excisis, etc., conspersa. Quocirca Franciscus Ximenius Cardinalis et Archiepiscopus Toletanus, in editione Bibliorum Complutensium profitetur in Proæmio se solum Targum edere in Pentateuco (1). Verum

(1) His Prophetarum minorum interpretibus addere opportunum videtur, saltem quos perlegere plus minusve utile judicamus :

Ex catholicis: Gasparis Sanctii *Commentaria in duodecim Prophetas minores*; Sororii *in duodecim Prophetas Commentaria* 1563; Joannis Merceri in Academia Parisiensi,

quia in cæteris libris nonnulla habet quæ valde favent Christianæ religioni, hinc illud ibidem quoque edidit Arias Montanus in editione Bibliorum Regiorum: ubi et Apologiam ejusdem scripsit Franciscus Lucas. Citabo illud frequenter ad versionis vel illustrationem, vel copiam, explosis fabulis Judaicis.

QUÆRITUR TERTIO, de phrasi et objecto Prophetarum, nimirum quo stylo utantur, et quod objectum spectent, quidque ad litteram significant?

Ununtur *parasi et
stylo
symboli-
co.* Dico, *primo*, omnes quidem Prophetas, sed præcipue hosce duodecim minores, abundare parabolis, symbolis, ænigmatibus; idque tum quia Prophetæ sunt, ideoque prophetice, id est obscure et ænigmatice, loquuntur; tum quia breves sunt et concisi: tum quia hoc poscit majestas Spiritus Sancti, ne hæc ejus oracula, quasi patula et omnibus perspicua, vilescant, sed velut arcana sapientia plena, cunctis sui venerationem, æque ac studium excitent: qua de causa Pythagoras, Heraclitus, Pherecydes, Plato et Ægyptii sua dogmata per symbola et ænigmata tradiderunt. Quocirca Origenes, hom. 7 in *Exodus*, cœlestia eloquia comparat cum manna, quod cum esset minutum et rotundum, plenum tamen erat interna suavitate, et vigore admirabili; et R. Moses apud Galatinum, lib. V, cap. vi: « Scito, ait, quod clavis intelligentiae universorum, quæ Prophetæ dixerunt, est intelligere parabolicas et metaphoricas similitudines, ac ænigmata. Scis enim apud Oseam, cap. xii, dictum esse: In manu prophetarum assimilabo; et apud Ezech. cap. xvii: Fili hominis, ænigmatiza ænigma, et paraboliza parabolam ad domum Israel. Scis rursus quod dicit Sapiens, Prov. xxv: Poma aurea in cancellaturis

professoris regis, *Comment. locupletiss. in Prophetas minores quinque priores*, 1695; Pauli de Palacio Coimbreensis *Explanationes in duodecim Prophetas minores, secundum litteralem, anagogicum, allegoricum et tropologicum sensum*, 1593; Petri a Figueiro *Comment. in duodecim Prophetas minores*, 1615; Petri Four. Ackermann *Prophetæ minores perpetua annotatione illustrati*, Viennæ, 1830.

Ex heterodoxis praeter *Œcolampodium*, Calvinum, etc., Caroli Mariae de Veiel *Expositionem litteralem duodecim Prophetarum minorum*, etc., Londini, 1680; Jo. Schmidii Theologi Argentoratensis, *In Prophetas minores Commentarium*, cum D. Friderici Balduini, theologi quondam Wirtenbergensis, *In tres posteriores Prophetas Commentario*, Lips. 1685, 1687, 1689; Polycarpi Lyseri *Prælectiones academicæ in Prophetas minores*, Lips. et Goslar. 1709, quas plurimi facit D. Calmetus, *Dictionnaire de la Bible*, tom. IV; Jo. Marckii *In Prophetas minores Commentarium*, seu *analysis exegistica*, etc., Amstelod. 1696-1701; *Prophetæ minores ex recensione textus hebræi*, etc., a Jo. Aug. Dathio, Hall. 1773; Joannis Tarnovii theologi Rostochiensis, *In Prophetas minores Commentarium*, Francof. et Lips. 1688 et 1706; Ern. Frid. Car. Rosenmüller *Scholia in Prophetas minores*, Lips. 1812; Francisci Jos. Valent. Dominici Maurer *Commentarium grammaticum, historicum, criticum in Prophetas minores, in usum maxime Academiarum adornatum*, Lips. 1840.

argenteis, verbum dictum secundum ambas facies suas. Cancellaturæ argenteæ sunt retiacula argentea, in quibus oculi sunt minutissimi, penetrabiles tamen visu. Est ergo sensus, quod verbum dictum secundum ambas facies suas, id est secundum interiorem et exteriorem (puta mysticum et litteralem sensum) est sicut pomum aureum in retiaculo argenteo: ac si dicat necessarium esse, ut sit sensus exterior pretiosus et bonus velut argentum, interior vero multo melior sicut aurum, necesse quoque est, ut sit aliquid in exteriori sensu quod ducat considerationem ad interiorem; quemadmodum pomum aureum vestitum retiaculo argenteo, cum procul respicitur, vel absque multo intuitu, totum videatur argenteum; cum habens visum accesserit provocatus argenti decore videbit profecto aureum pomum intus latere. Sic sunt verba Prophetarum.» Huc usque R. Moses. Exstat hic Romæ in picturis perelegantibus Bibliothecæ Vaticanæ hieroglyphicum prophetæ. Pingitur enim ipsa quasi matrona velatis oculis; dextra tenet gladium evaginatum et tubam; sinistra catenam, quæ e sole supereminente descendit, capiti imminet columba. Velati oculi significant prophetæ obscuritatem, tuba clangorem prædicationis, gladius minas necis, catena seriem providentiaæ omnes res et eventus inter se apte connectentis, quæ a sole, id est a Deo, derivatur: columba index est Spiritus Sancti qui locutus est per Prophetas. Vere ergo dixit S. Chrysostomus, hom. 23 in *Acta*: « Abyssus quæstionum S. Scriptura est. » S. Augustinus, serm. 11, *De verb. Domin. sec. Matth.*: « Scriptura ubi aperta est, famem pascit; ubi obscura fastidium levat. » Rursum: « Scriptura ubi diluescit, ibi dulcescit. » Vide Clementem Alexandrinum, lib. V *Stromat.*, ubi inter cætera docet, non tantum Græcos et Ægyptios, sed et barbaros hisce symbolis usos: « Aiunt, inquit, Idanthuram Scytharum regem (ut refert Pherecydes Syrus) Dario qui Istrum trajecrat bellum minitantem symbolum misisse pro litteris, murem, ranam, avem, jaculum et aratrum. Cum autem de iis exorta esset dubitatio, Orontopagas tribunus militum dicebat eos tradituros imperium, conjectans ex mure quidem domos, ex rana aquas, ex ave aerem, ex jaculo arma, ex aratro regionem. Xiphodres autem contra est interpretatus: dicebat enim: Nisi tanquam aves evolaverimus, aut tanquam mures terram, vel tanquam ranæ aquam subierimus, illorum tela non effugiemus: non enim sumus domini regionis. »

Hinc liquet quam profundum, sententious et elaboratum sit hoc exiguum Prophetarum opus, utpote in quo per symbola conscribendo et concinnando, duodecim Prophetæ tanto tempore desudarint: per omnem enim vitam non scripserunt aliud. Fertur Virgilius *vix* quindenos versus per dies singulos composuisse, ut eos toto die lamberet, relamberet, limaret et expoliret, ideoque

quælibet ejus verba plena sunt elegantiæ et doctrinæ. Quocirca parvo hoc suo poemate inter poetas primas tulit, jureque habetur poetarum princeps. Verum est illud Apuleii in *Floridis*: « Nulla res potest esse eadem festinata, simul et examinata; nec esse quidquam omnium, quod habeat et laudem diligentia, simul et gratiam celeritatis. » Idem ego in hisce meis commentariis solitaque brevitate consector, ut pauca scribam: sed succulenta, ac diu saepiusque per annos vinti quinque, quibus tertio hosce Prophetas in scholis pertractavi, librata, discussa et expensa.

Dico secundo, Prophetas aliquando ad litteram loqui de Cyro, Nehemia, Zorobabele, etc., qui Judæos e captivitate Babylonica reduxerunt in patriam; aut de Davide, Salomone, Ezechia, qui regnum Israelis evexerunt tam opibus et gloria, quam pietate et Dei cultu, allegorice vero de Christo; aliquando tamen ad litteram loqui de Christo, etsi cum allusione aliqua ad Ezechiam, Davidem, Zorobabelem, etc. Negabat id Theodorus Mopsuestenus judaizans et ebionizans (contendebat enim Christum non esse Deum, sed purum hominem), qui omnia augusta de Christo oracula ad litteram referenda esse censebat ad Aaronem, Zorobabelem, Davidem et Judæos; ab Apostolis vero et Evangelistis ea accommodari Christo sensu tantum allegorico, vel accommodatitio. Quod ejus dogma generatim recensetur et damnatur in Concilio OEcumenico V, quod fuit Constantinopolitanum II, act. v, ac particulatim in Concilio Romano sub Vigilio Papa, quod exstat in Bibliotheca Vaticana, indeque illud transcripsit Antonius Augustinus, et noster Prado, Proœmio in *Ezech. sect. III*, ac Turrianus, ut ipse refert commentans in lib. II *Constitut. Apost. cap. v*. Porro Concilium Romanum hæc affert exempla. *Primum Joel. II, 28*: « Effundam de spiritu meo super omnem carnem; » Mopsuestenus hoc interpretabatur de favore quo prosecutus est Dominus exercitum Zorobabelis, pugnantem contra Scythas. *Secundum Michæe v, 2*: « Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel: » Mopsuestenus per dominatorem hunc accipiebat Zorobabelem. *Tertium Malachiæ III, 1*: « Ecce ego mitto angelum meum; et statim veniet ad templum suum dominator: » Mopsuestenus per dominatorem accipiebat Esdram, vel quem similem, qui olim cultum Dei in templo Judaico restituit. *Quartum Amos IX, 11*: « In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, » etc.

Mopsuestenus: « Hoc loco, inquit, Amos redditum e Babylone prædictit, quando Zorobabel ex stirpe David regem habuerunt; Jacobus vero, *Actor. xv, 16*, hunc locum ad Christum transtulit, in quo res est ad exitum verum perducta. » *Quintum Zachariæ IX, 9*: « Ecce rex tuus veniet tibi; » Mopsuestenus hunc regem aiebat esse Zorobabel redeuntem cum suis e Babylone. Ita et alii nonnulli,

quorum ratio erat: Quia, inquietabant, gloriösius est Christo et Ecclesiæ præsignari personis et rebus, quam verbis. *Sextum Psalmi xv, 10*: « Non derelinques animam meam in inferno: » Mopsuestenus id ad litteram non de Christo, sed de populo Israel erupto ex periculis prædictum esse censebat. *Rursum illa Psalm. XXI, 18*: « Foderunt manus meas et pedes meos. Dederunt in escam meam fel. Diviserunt sibi vestimenta mea: » Mopsuestenus aiebat hæc ad litteram non de Christo, sed de Davide esse prædicta propter tyrannidem Absalonis, qui regiam urbem substantiamque pervaserat, et in terra omnia patris sui dinumeraverat; sed Evangelistam hæc ex eventu ad Christi traxisse personam. Quibus omnibus recitatis Vigilius Papa subjungit: « Qui hæc ita sapit, docet, credit aut prædicat, anathema sit. » De fide ergo est hæc loca ad litteram non de Davide, aut Judæo aliquo, sed de Christo esse intelligenda. Similiter in Synodo V generali, *act. v*, ubi damnatur Mopsuestenus, de eo ejusque erroribus ex Ecclesiastica historia Hesychii sic dicitur: « Prima elementa doctrinæ suæ ex Judaico vaniloquio incepti, codicem in prophetiam Psalmorum conscripsit, omnes de Domino (Christo) prædictiones abnegantem. » Quocirca jure D. Thomas, Præfatione in *Psalmos*, ait damnatum in V Synodo Theodororum Mopsuestenum, eo quod doceret in veteri Scriptura et Prophetis nihil expresse haberet de Christo, sed ex sola quadam accommodatione.

Porro cavendi hic moderni nonnulli, præser- De abu-
tim Concionatores, qui a Prophetis et Patribus su S. Scriptu-
degeneres, novum concionandi, novum Prophetas explicandi et pertractandi modum commenti
sunt. Ut enim apud populum plausum inveniant, ræ.
verba S. Scripturæ ad miro suos conceptus, sibi, ut videtur, ingeniosos et elegantes, violenter in-
flectunt et trahunt. Quapropter nec sensum litteralem S. Scripturæ et Prophetarum, nec mysti-
cum, qui litterali quasi basi et fundamento insiste-
re, ipsique apposite ex æquo respondere debet, sed ingenii sui speculationes parergas pro verbo
Dei populo proponunt, imo supponunt. Hi enim non Dei, sed sua sensa populo pro divinis ven-
ditant, ipsamque S. Scripturam in alienas, imo in ipsi contrarias subinde expositiones detor-
quent, ac proinde eam temerant, illique violen-
tas manus inferunt, quæ sane audax et gravis in
Deum, ejusque sacras Litteras est irreverentia et
injuria, grave probrum, et pene sacrilegium:
est enim ingens sacrarum Litterarum abusus et
profanatio.

Vis exempla? accipe. Exstat liber concionum, Exem-
qui asserit Davidem uxoria difficultate, utpote re plæ.
in hac vita molestissima, afflictum, quotidie pro
ea, proque uxore orasse. Probat id ex verbis
Psalm. XXXVII, 69: « Deus, in adjutorium meum
intende, » id est, inquit, Deus, in uxorem meam
intende, fac eam facilem et morigeram: uxor
enim vocatur « adjutorium viri, » ut patet *Genes.*

cap. n. 18 : « Faciamus ei (Adæ) adjutorium (puta Ewam) simile sibi. » Spectatum admissi risum teneatis amici. Alterum audivi, qui docebat S. Scripturam asserere Mosen mortuum esse in osculo Domini; quia nimurum *Deuter. xxxiv, 5*, in Hebræo dicitur : *Moses mortuus super os Domini* : ergo, inquit, in osculo Domini. At quis nescit os *Domini* in Scriptura significare dictum, jussum, præceptum Domini ? Quocirca Noster, Chaldaeus, Septuaginta, et alii passim vertunt, *jubente Domino. Tertius ex illo Thren. I, 15* : « *Torcular cal- cavit Dominus virginis filiae Iuda : idecirco ego plorans*, » probabat B. Virginem conceptam esse sine peccato originali. Hunc enim loci sensum dabat : Christus torcular passionis præcipue subiit pro B. Virgine, eique illius merita singulariter applicavit, curando ut præservaretur a peccato originali : idecirco ego Jeremias ploro, quod conceptus sim in peccato originali, licet in utero ab eo fuerim expiatus ; esto enim hac re sim superior cæteris hominibus, qui in hoc peccato nascuntur, inferior tamen sum B. Virgine, quæ in eo nec nata, nec concepta est. Hæc erat ipsi demonstratio : quasi vero hic de B. Virgine agatur, et non potius de impia Jerusalem, quæ a peccatis non fuit expiata, sed ob ea oppressa et excisa. Torcular enim hoc fuit excidii Jerusalem, non passionis Christi. At, inquires, conceptus hi lepidi populo placent, videnturque appositi et elegantes. Non audiat lepores hos Satyricus, ne sub- sannans exclamat : O lepidum, sed leporinum caput, quod ut plebis rudis et indoctæ aures mulceat, et se, et Sacram Scripturam facit fabulam, quod

Humano capiti cervicem jungit equinam.

Et alter :

Id sibi negotii credidit solum dari,
Populo ut placerent quas fecisset fabulas.

Lepores hi illepidi sunt, elegantæ inelegantes, facetiæ inficietæ, sales insulsi, fabulæ ineffabiles, imo infandæ. Quis philosophorum ferret, Aristotelem; quis oratorum, Ciceronem; quis theologorum, S. Thomam subtilibus explicationibus et commentis, in alios, et ab ejus mente alienos sensus torqueri ? Qui hoc auderet, falsarius apud omnes audiret. Quis ergo ferat S. Scripturam, quæ ipsius Dei ad homines est epistola, uti ex S. Augustino ait S. Gregorius lib. IV, epist. 84 ad *Theodorum*, in proprios conceptus, qui a mente Dei alieni sunt, rapi et distorqueri ? Quis rex sustineret præconem suas litteras, sua edicta, aliena a sua mente explicatione interpretantem ? sane in eum ut læsæ majestatis reum animadverteret. Et Deus sustinebit verbi sui præcones illud aliena, imo sibi adversa, interpretatione pervertere et adulterare ?

Damnavit Ecclesia Origenem, quod sui cerebri commenta fecerit S. Litterarum sacramenta, dum

Evæ ex Adami costa formationem spiritualiter, arbores paradisi angelicam fortitudinem, tunicas pelliceas humana corpora; et plura similia mystice interpretatus est, ac litteræ veritatem fugiens ad mysticos sensus configuit, symbolicus semper interpres, ait S. Hieronymus. Atque hæc una lapsus ejus fuit occasio. Præclare Cassiodorus, lib. *De Instit. divin. lect.* « *Origenes, inquit, ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo pejus.* » Quare sic legendus est, sicut Virgilius dum Ennium legeret, a quodam quid faceret interrogatus, respondit : « *Aurum ex stercore quæro.* »

Eadem damnat hæreticos, qui S. Scripturæ cerealum nasum assuunt, eamque in sua sensa volentem nolentemve flectere et trahere conantur. Quis pariter non damnet Orthodoxos, qui eidem Scripturæ sensum attexunt quem ipsa non habet, imo non patitur ? Hæresis est aliquid sacræ Scripturæ contrarium asserere : hæresis ergo est S. Scripturæ alienos ab ejus mente, et contrarios sensus affingere. Hoc enim est reipsa diserte contrarium dicere ejus, quod dicit et significare intendit S. Scriptura. Non enim S. Scriptura in syllabis et verbis, sed in sensu et sententia consistit. Quod enim est gladius ad vaginam, granum ad aristam, anima ad corpus, hoc est sensus geninus ad ipsa verba S. Scripturæ. Si hunc sensum tollis, et alienum substituis, ipsam Scripturam exanimas, imo pro anima propria quam ei avellis, spuriam ipsi substituis. Hac de causa idipsum ne fieret, gravi sanctione vetuit S. Tridentina Synodus, cuius verba mox recitabo, omnesque Patres. Unus omnium instar sit S. Hieronymus, qui scribens in cap. XIII Isaie, ubi ad litteram agitur de Babylonis excidio, taxat eos qui, posthabito litterali sensu, ad allegoricos et mysticos configuiunt, qui cum litterali non cohærent, nec ei superstruuntur : « *Audivimus, inquit, Medos, audivimus Babylonem et inclytam in superbia Chaldaeorum. Volumus intelligere quod fuit, et querimus audire quod non fuit.* » Et hoc dicimus, non quod tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quia spiritalis interpretatio sequi debet ordinem historiæ, quod plerique ignorantes lymphatico in Scriptura vagantur errore. » Audiant hoc conceptum aereorum architecti : sciant se nodum in scirpo querere, se mente concipere quod non est in rerum natura, se fabricare chimaeram : querunt enim sensum in Scriptura quem ipsa non habet, ac proinde in ea lymphatico vagantur errore. Hic ergo eorum conceptus non est veritas, sed error fanaticorum, ideoque furor, si credimus S. Hieronymo. Monet S. Paulus Timotheum epist. II, cap. IV, 2 : « *Prædicta verbum, argue, obsecra, increpa.* » Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prudentes auribus. » Pariter hi sanam doctrinam, puta sensum genuinum, non sustinent, sed eum quasi vulgarem fastidiunt, ac ut auditoribus, qui

prudentes habent aures, se accommodent, pruriunt mente pariter et lingua. Pruritus hic arguit judicium minus solidum, mentem levem, puerilem et curiosam, quæ talibus commentis et figuramentis pascitur; cum solidum in S. Scripturæ germano sensu pabulum habeat, illudque nau-seans rejiciat: perinde ut stomachi male sani, vento turgidi et cacoehymici, solidum utilèmque cibum fastidiunt, appetuntque cibos leves, fungosos, pravos et noxios. De Chrysippo argutiarum opifice vere dixit Cicero: « Chrysippi acumen in seipso frangitur et evanescit. » Ita acmina hæc aures plebis prudentes titillant, sed si discutiantur, minus vera, minus germana inventantur, et quasi fumi tenues vanescent in auras. Ubique enim verum est illud: Quæ nimis acuta et arguta, ea minus sunt solida, et non raro stolida. S. Scriptura pulcherrimas, æque ac acutissimas, difficillimas et obscurissimas habet sententias et sensus de qualibet virtute et vito; adeoque sensus ejus sunt conceptus ipsius Spiritus Sancti: ut quid ergo exiles homuncionum imaginationes, fuitiles saepe et nugaces consecutamur? Deus per Jeremiam, cap. xxiii, acriter increpat pseudo-prophetas, qui suis somniis prætendebant visiones et verba Dei: « Audivi, inquit, quæ dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in corde Prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? Propheta qui habet somnium, narret somnium, et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras? » Arguit Deus Prophetas, qui cum sui cerebri commenta populo venditarent, dicebant: Hæc dicit Dominus, jubet que ut eo, utpote falso, omissa, dicant: Hæc ego commentus sum, hæc ego somniavi, hæ sunt paleæ meæ; Dei vero verbum est ignis, et malleus conterens petras. Itidem dicant et hi: Hic est conceptus meus, hoc commentum meum, non Dei, non S. Litterarum. Apostolus jubet Timotheo pastori et prædicatori, epist. II, ii, 15: « Sollicite, inquit, cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis: » recte, inquit, non prave, non contorte, non ficte; nimirum ut primo sensum litteralem sanctæ Scripturæ genuinum tradas, deinde mysticum et moralem apposite illi inhærentem superstruas et quasi inædifices. Unusquisque, ait idem Paulus I Corinth. cap. III, videat quomodo superædificet; alii enim aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant; alii lignum, fœnum, stipulam. Sed hæc ignis in die Domini comburet: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Quocirca S. Hieronymus, in cap. XL Ezech.: « Eisdem, ait, lineis, et historia currit et tropologia; sed illa humilior est,

ista sublimior. » Idem, vel quisquis est auctor, in cap. III epist. II ad Corinth.: « Ille, ait, vere spiritualis intellectus est, qui non verisimilibus coloribus pulchrum mendacium pingit, sed virtute rerum ipsam rem exprimit veritatis. » Et S. Gregorius, hom. 4 in Evang.: « Tunc allegoriae fructus suaviter carpitur, cum prius post historiam in veritatis radice solidatur. » Denique existat hac de re grave justumque decretum sacro-sancti OEcumenici Concilii Tridentini, sess. IV, quod sic habet: « Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus torquens, contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctorum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ sint. Qui contravenerint per Ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur. » Et inferius, agens contra eos qui sententias S. Scripturæ ad fabulosa, vana, adulaciones, etc., detorquent, jubet « ut omnes hujus generis homines, temeratores, et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur. » Ad vigilent ergo Episcopi, eorumque vicarii, et idipsum strenue exsequantur, atque effrenem hanc novos S. Scripturæ sensus effingendi, imo in ecclesiis deprædicandi licentiam, coerceant, ideoque theatrales hosce mimos, comœdos, fabulones e sacris pulpitis deturbent, vel emendent, ut auctoritatis S. Scripturæ, quæ liber est ipsiusmet Dei, sint tutores et vindices, utque ab Ecclesia scandalum hoc et monstrum adeo foedum et infame exterminent; meminerint hujusce rei se Deo reddituros rationem, quam exactam ab eis in hora mortis ipse judex, utpote S. Scripturæ auctor et dictator, exposcat.

QUÆRITUR QUARTO: — Quis fuit habitus, quæ dispositio interna Prophetarum? Respondeo: PRIMA dispositio animæ fuit quies, tranquillitas et serenitas; per hanc enim anima liberatur ab omnibus turbatione et tumultu passionum et cogitationum distrahitentium in diversa, ac colligitur in seipsam, ut plane pleneque possit intendere revelationi divinæ, quæ est causa prophetiæ. Ita S. Basilius, proœmio in Isaiam: « Prophetarunt, inquit, puræ ac pellucidæ animæ, veluti specula facta divinæ operationis, quæ imaginem integrum et inconfusam, nullaque ex parte turbatam carnis affectibus, representabant. Nam omnibus quidem adest Spiritus Sanctus, verum in his qui puri sunt affectibus, peculiarem vim ostendit. » Quocirca S. Hieronymus in cap. XXVIII Matth.: « In veteri, ait, et novo Testamento hoc semper observandum est, quod, quando augustior aliqua apparuit visio, primum timor pellitur, ut sic mente pacata

Dispositio ad prophetiam prima, est quies mentalis.

possint quæ dicuntur audiri. » Ita Christus , se post resurrectionem revelans mulieribus , viam præmunit dicens : « Nolite timere, » *Matth. xxviii*; et Gabriel oraculum de Joanne Baptista nascituro datus Zachariæ, *Luc. i*, 13, animum ejus præparat abstergendo timorem, dicens : « Ne timeas, Zacharia. » Ubi Theophylactus auream dat regulam, et quasi indicem boni maliue spiritus : « Si mens, inquit, primum turbatur, et statim timor solvitur et iterum quiescit, revera divina visio est; si autem timor ac turbatio magis ac magis crescat, dæmoniaca visio est. » Hinc Cassianus et alii rerum spiritualium magistri docent hoc indicio consolationem angelicam ab illusione diabolica secerni et dignosci , quod angeli primo aspectu terreat, mox terrore absterto animam sedent et consolentur; ex adverso diabolus primo animam falsa consolatione mulceat, mox eamdem multis pavoribus et angoribus implicet.

SECUNDA dispositio fuit animæ a sensibus et sensibilibus abstractio, per cerebrum et assiduam orationem et meditationem. Hæc enim animam a rebus terrenis avellunt, et in Deum elevant, ut ejus inspirationi excipiendæ tota vacet et attendat. Rationem dat S. Augustinus, lib. X *De Trinit.* cap. iv, nimurum, quod anima, cum sit limitatae virtutis, non possit simul attendere rebus sensibilibus et divinis , præsertim cum hæc ab illis multum diversæ, et quasi contrariæ sint; quocirca cum attendit sensibilibus , parum ei restat virium , parumque attentionis quod impendat divinis; quo ergo minus attendit terrenis et corporalibus, eo magis potest attendere spiritualibus et cœlestibus. Quocirca Patriarchæ maxime prophetarunt, cum morti essent vicini, utpote quasi jam separati a curis, cogitationibus et affectibus hujus vitæ; uti prophetavit moriturus Jacob , *Genes. xl ix*, et Moses, *Deuter. xxxiii*. Vide de hac re S. Gregorius, IV *Dial. xxvi*. Ad hoc quoque juvat psalmodia; hæc enim mentem excitat elevatque ad sublimia. Unde Elæsus, IV *Reg. iii*, 15, postulaturus Dei oraculum, vocavit Psaltem : « Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini ; et ait : Hæc dicit Dominus, » etc. Huc quoque facit fuga voluptatum carnis et sensuum; hæc enim mentem valde deprimit, incrassat et inquinat, ut cœlestes illuminationes et influxus cernere, excipere, haurire et gustare nequeat. Quocirca Moses jejunio 40 dierum purgavit corpus et mentem, ad excipienda Dei oracula et præcepta in Sina, *Exodi xxxiv*, 28. Huc quoque confert solitudo. Quocirca Orpheus et Zoroastres multis annis vixerunt in solitudine, ut supernis intenderent. Talibus competit illud quod de Tiresia canit Homerus, et ex eo Plato in *Menone* :

Hic solus sapit, ast illi volitant velut umbræ:

TERTIA est sanctitas vitæ : licet enim Deus subinde impiis det donum prophetæ quasi obiter et per transennam; nam in die judicii , uti docet Chri-

stus, *Matth. vii*, 22, improbi nonnulli dicent : « Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? » atque talis fuit Caiphas, *Joan. xi*, 51, et Balaam, *Num. xxii*, 32, et Saul, I *Reg. xix*, 24, qui, cum essent impii, prophetaverunt; tamen donum prophetæ continuum, et quasi habituale non solet dare nisi Sanctis , uti videre est in hisce duodecim, qui omnes catalogo Sanctorum in Martyrologio adscripti sunt. Ratio est : *prima*, quod deceat tantum donum (Prophetæ enim sunt quasi os Dei) non dari nisi Sanctis : impii enim eo non tantum indigni, sed et ad id inepti sunt; *secunda*, quod sanctitas mentem elevet, disponatque ad Dei illustrationes hauriendas; *tertia*, quod Prophetæ mittantur a Deo ut sint concionatores, qui quasi mallei contundant saxeа hominum corda. Ad hoc autem sanctitas non vulgaris, sed eximia requiritur, puta ingens zelus, tum gloriæ divinæ, tum salutis animarum promovendæ. Nam qua ratione peccator convertat peccatorem ad vitam puram et sanctam? quomodo frigidus accendat frigidum? Calore et amore opus est, eoque ingenti, ut quis alium Dei amore inflammet; non aqua , sed ignis major minorem accedit. Præclare S. Chrysostomus, hom. in titulum Psalm. I : « Prophetæ, inquit, velut quidam pictores sunt virtutis; » virtus autem melius pingitur vita quam voce. Vivacior enim est imago morum, quam verborum. Quocirca Philo, lib. *Quis rerum divinarum hæres* : « Malum, ait, virum non est fas interpretem esse numinis, sed in solum sapientem hoc competit; quia is solus est instrumentum Dei, resonans ab eo contactum et pulsatum, invisibiliter. » Et Origenes, lib. III *Periarch.* cap. III : « Sanctæ, inquit, et immaculatæ animæ, si cum omni affectu omnique puritate se voverint Deo, et alienas se ab omni dæmonum contagione servaverint et per multam abstinentiam purificaverint, et piis sacrae religionis imbute fuerint disciplinis; participium per hoc divinitatis assumunt, et prophetæ, ac cæterorum divinorum donorum gratiam merentur. » Præclarus S. Basilius, proœmio in *Isaiam* : « Cum anima, inquit, omni virtutis studio dedita, vehementi in Deum amore perpetuam Dei memoriam sibi impressam servat, atque hac re primum apparat sese, ut Deum habeat velut inhabitantem, ex vehementissima in Deum intentione, et arcano amore numine afflata , digna prophetæ dono redditur, Deo divinam virtutem impertiente, animique oculos aperiente ad intelligentias quas velit speculationes. » S. Maximus, centuria I *De Charitate*, cap. xc : « Quemadmodum, inquit, sol exoriens et mundum illuminans, cum seipsum , tum res a se illuminatas demonstrat; ita quoque sol justitiae purgato animo exoriens , et seipsum videndum exhibit, et rerum quæ a se factæ sunt, et deinceps fiunt, rationes demonstrat. »

Quocirca S. Bernardus, lib. *De Interiori domo*, cap. lxix, in fine : « Certum, ait, signum tibi sit,

Prophe-
tia conti-
nua non
datur ni-
si Sanctis
ob tres
causas.

quæcumque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligenter, si ad theocraticos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi nondum merueris. Vis nosse quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? Jam non dicam, inquit, vos servos, sed amicos; quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis. Satage ergo Deum tuum intime, et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige teipsam ad temetipsam, et in solo divinitatis desiderio requiesce. » Prophetæ ergo Deo fuerunt familiarissimi, ejusque quasi secretarii, interpretes et præcones.

Humili-as ad re-revela-tionem Dei acci-pientiam maxime animam disponit.

Porro inter cæteras virtutes, animam disponentes ad illustrationem et revelationem Dei, prima et maxime necessaria est humilitas. Nam, ut ait S. Laurentius Justinianus, libro *De Connubio Verbi*, sub finem: « Cum humilitatis virtus animam compleverit, dejecerit, liquefecerit, tunc incipiet dilatari dilectione, irradiari veritate, repleri lumine, elevari spiritu. Hinc secretorum oritur revelatio, Scripturarum declaratio, futurorum cognitio, sensuum corporalium alienatio. » Humilitas enim subjicit et substernit mentem Deo, ut in eam illustrationes suas immittat. Unde S. Gregorius, lib. I *Dialog.* 1: « Mens, ait, quæ divino spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet, et humilitatem, quæ si utraque perfecte in una mente convenient, liquet quod de præsentia Sancti Spiritus testimonium ferant. » Hoc est quod ait Sapiens, cap. VII, 27: « Sapientia Dei per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit. » Quintimo id per umbram vidit, gentilis licet, Aristoteles, lib. *De Divinat. per somnum*, cap. I, dicens: « Si divinatio somniorum a Deo est, inconveniens est eam immittere quibuslibet, et non optimis viris. » Hac ratione posterioribus sæculis multi anachoretæ et Sancti spiritum propheticum adepti sunt. Audi Rufinum oculatum testem, *Præfatione in Vitas Patrum*, lib. II: « Vidimus, ait, apud eos multos Patres, cœlestem vitam in terra agentes, et novos quosdam Prophetas, tam virtutibus animi, quam vaticinandi officio suscitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem, ac prodigiorum deerat efficacia. Cur enim hi qui nihil terrenum, nihil carnale cupiunt, non accipient cœlestium potestatem? Nonnullos namque eorum ita ab omni malitiæ cogitatione ac suspicione vidimus defæcatos, ut nec si aliquid mali adhuc gereretur in sæculo, meminissent. Tanta in eis inerat tranquillitas animi, tantusque inoleverat eis bonitatis affectus, ut merito de eis dictum sit: Pax multa diligentibus nomen tuum, Domine; » et mox: « Tanta namque in eis fides est, quod etiam montibus ut transferantur valeat imperare, etc. Sunt ergo ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, et charitatis vinculo velut quædam germanitate constricti. Ad simulationem vero

virtutum certamen ingens exercent et agones; studet enim unusquisque clementior altero, benignior, humilior ac patientior inveniri; si quis autem sapientior cæteris fuerit, hic ita communis erga omnes et mediocris existit, ut secundum mandatum Domini, omnium minimus et omnium servus esse videatur. » Ecce qua ratione, quibus virtutibus Sancti illi donum prophetæ et miraculorum meruerunt et obtinuerunt; quin et hodie merentur et obtinent.

Denique quatuor sunt indicia, quibus verus Prophetæ et prophetia a pseudo-prophetæ falsisque oraculis secernitur et dignoscitur: *primum* est sanctitas; Prophetæ enim erant viri sancti; pseudo-prophetæ vero erant idololatæ, hæretici, impii, superbi, vani, luxuriosi, etc., ut etiamnum sunt; *secundum* est, quod vera prophetia conformis sit verbo Dei, fidei et doctrinæ Ecclesiæ, eique quasi judici se submittat: pseudo-prophetia vero utrique difformis est; quocirca nullius judicium aut censuram admittit; *tertium* est rei eventus; nam veræ prophetæ re ipsa eveniunt, falsæ neutiquam. Hoc signum dat Deus, *Deuter.* XVIII, 22. *Quartum*, vera prophetia utilis est ad ædificationem Ecclesiæ, prodestque pietati et moribus; pseudo-prophetia inutilis est, vana, curiosa, futile, imo noxia et pestilens. Ita S. Chrysostomus, hom. 19 in *Matt.*, et S. Petrus apud S. Clementem, lib. III *Recognit.* Accedunt non raro miracula, quæ vera et solida patrant Prophetæ, ficta vero et simulata pseudo-prophetæ.

Quatuor signa veri Prophetæ.

QUÆRITUR QUINTO:—Quisnam fuit habitus exterior Prophetarum? Respondeo *primo*: Nonnulli censent eodem sacro unctionis oleo ex eodem cornu, quo ex præscripto legis inungebantur sacerdotes et reges, inunctos quoque fuisse Prophetas. Verum hoc de unico duntaxat Elisæo legimus, scilicet eum jussu Dei unctum ab Elia, itaque auctoratum et quasi consecratum Prophetam. Ita enim Eliæ jussit Deus, *III Reg.* XIX, 16: de cæteris id non legimus; imo Isaías, cap. VI, 7, ait se constitutum Prophetam tactu Seraphini carbone ignito labia sua tangentis et purgantis; Jeremias vero voce divina, cap. I, 4. Eadem cæteri constituti et auctorati sunt Prophetæ. Accedit quod aliqui remote a Jerusalem et templo, imo in Samaria et Bethel apud idololatras prophetarint, ubi non erat oleum sacrum, quo ungí possent, nec idololatæ unctionem hanc permisissent. Quare non est verisimile omnes Prophetas oleo sacro unctos et consecratos fuisse. Ita a Castro, lib. IV *Proleg.* cap. V; quin et S. Chrysostomus, hom. 1 in *Epist. ad Rom.* initio ad illa verba: « Servus Jesu Christi, » et S. Augustinus, lib. I *Retract.* cap. XXVI.

Prophetæ an uncti oleo?

Secundo, vestis Prophetarum erat saccus, sive cilicium ex pilis hircorum, vel camelorum, vel equorum, etc., contextum. Patet id Isaiae XX, 2: « Solve, inquit, saccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis. » Et Elias erat « vir pilosus, et zona pellicea accinctus, » *IV Reg.*

Vestie-bantur saceo.

cap. xviii. Et Zacharias, xiii, 4, loquens de falsis Prophetis habitum verorum assumentibus : « Nec operientur, inquit, pallio saccino; » Septuaginta, *veste cilicina*. Ubi S. Hieronymus asserit Prophetas, cum prophetarent, induisse cilicium, ut populum incitarent ad pœnitentiam. Idem docet Clemens Alexandrinus, lib. III *Strom.* Ita S. Joannes Baptista, pœnitentiae præco, vestitus erat cilio e pilis camelorum, et zona pellicea, *Matth.* iii, 4. Porro sacco huic, sive tunicae saccinæ vel cilicinæ injiciebant pallium, uti patet de Elia, qui pallium suum injiciens Elisæo, eum ad se sequendum et prophetandum vocavit, imo vi divina compulit, *III Reg. xix*, 17. Idipsum tradit Origenes, homil. 13 *in Numer.* Incedebant ergo Prophetæ tali, vel simili habitu, quali jam Patres Capuccini, quasi contemptores mundi, et prædicatores regni vitæque cœlestis. Sic qui olim a gentilismo ad christianismum convertebantur, rejecta toga, pallium inducebant, quasi modestiæ professores, et mundi contemptores, uti Tertullianus se fecisse narrat et gloriatur lib. *De Pallio*. Subinde jussu Dei alia quoque oraculis suis conformia assumebant et inducebant, uti Jeremias, cap. xxvii, 2, jussu Dei induit catenas et vincula, ut repræsentaret instantem captivitatem, in qua vinciendi erant Judæi aliæque gentes a Chaldæis. Eadem de causa jesus est Ezechiel cap. xii, 3, assumere habitum transmigrantis, et incedere raso capite, cap. v, 1.

Victus et gestus Prophetarum quales? *Tertio*, victus Prophetarum fuit sobrius, adeoque vilis et asper; vox gravis, oculi in coelum suspicentes, imo suspensi, vita austera et insolita, incessus motusque omnis ad modestiam et pietatem compositus, factusque ad commovendos et compungendos duros Judæorum animos; ita ut viderentur esse homines novi et alterius saeculi, ac quasi angeli e cœlo venientes, et legati a Deo missi ad homines convertendos. Hoc est quod ait Isaías, cap. viii, 18 : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, et in portentum Israel. » Ita Amos cibus erant symcomori, id est ficus fatuae et insipidæ, ut patet cap. vii, 14; Ezechielis, cap. iv, 12, panis hordeaceus subcinericus et aqua; Danielis, leguminæ : ea enim ipse refutatis cibis regiis poposcit, ideoque meruit donum prophetiæ, ut patet *Daniel.* I, 17; Joannis Baptistæ locustæ et mel silvestre, *Matth.* iii, 4. Sic filii Prophetarum victabunt oleribus, ut patet *IV Reg.* iv, 39. Similis fuit victus et vita Christi et Apostolorum, juxta illud Apostoli : « Castigo corpus meum et in servitatem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar, » *I Corinth.* cap. ix, 27. Et : « Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, » *Rom. XIV*, 21. Apostolus enim fuit perfectionis magister, et magis opere quam ore docuit, non solum præcepta, sed et consilia Evangelica, quale est non bibere vinum, nec edere carnem. Hinc rursum ait : « Usque in hanc horam

et esurimus et sitimus, » *I Corinth.* iv, 11. Quocirca abstemium fuisse Paulum, et nunquam bibisse vinum censem Baronius anno Christi 36. Porro S. Hieronymus, *Contra Jovin.*, cap. x, cum dixisset homines initio mundi, toto tempore quod diluvium præcessit, abstinuisse carnibus, æque ac vino (eas enim post diluvium primum concessas Noe, *Gen. IX*, 3, qui et primus vitæ plantavit, vinumque ex ea elicuit), subdit : « Postquam Christus venit in fine temporum, et extremitatem traxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo : Bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare. Vinum enim cum carnibus post diluvium dedicatum est. » Sic Hegesippus, et ex eo S. Hieronymus, lib. *De Viris illustr.*, scribit de Jacobo fratre Domini : « Hic ex utero matris sue sanctus fuit, vinum et siceram non biberat, carnes nunquam manducavit. » S. Petrum lupinis, herbis et leguminibus victimasse tradit S. Gregorius Nazianzenus orat. *De amore pauper.* Sic et S. Marcum Alexandriæ cum suis Essæis quotidie jejunasse, ita ut vespere duntaxat pane et sale, aut herbis vescerentur ac aquam biberent, tradunt Eusebius, Josephus et Philo, lib. *De Essæis*. Rursum S. Hieronymus, epist. *ad Lucinum Bæticum* : « Utinam, ait, omni tempore jejunare possemus, quod in Actibus Apostolorum, diebus Pentecostes, et die Dominicæ apostolum Paulum, et cum eo credentes, fecisse legimus. »

Ex quibus locis Vincentius Consentinus, Doctor et Provincialis Ordinis Minimorum, libello hac de re edito probare contendit Christum et Apostolos nunquam carnes comedisse, et ad illud quod objici possit ex *Luc. XVIII*, 8 : « Manducate quæ apponuntur vobis, » respondet limitando, « quæ apponuntur, » scilicet vilia et modica, inter quæ carnes numerari nequeunt. Hoc cum grano salis accipiendum, nimirum hoc sensu, quod Apostoli abstinentiæ et ædificationis studiosi, utpote perfectionis magistri, vitarint, quantum honeste poterant, delicias, carnes et vina; non tamen ea religione et voto, quo faciunt Minimi. Nam si necessitas cogeret, aut si pietas et utilitas aliud suaderet, v. g. si invitati commode alium cibum habere non poterant, liberæ carnibus vescebantur. Hoc enim poscebat vita illorum Apostolica, ut per totum orbem discurrere, et cum omnibus agere vivereque possent, ut omnibus omnia fierent. Unde hoc eis permisum, imo præceptum est verbis jam citatis *Luccæ X*.

Denique mores, gestus et actiones omnes Prophetarum tales erant, ut viderentur esse homines tæ angelicæ terrestres. Ad hoc enim eos Deus mittebat in mundum, ut homines a terrenis cupiditatibus avocarent, et cœlestium desiderium eis imprimerent. Eadem de causa in mundum missus fuit S. Dominicus, qui quasi sui ævi Pau-

An Chil-
stus et
Aposto-
li come-
derint
carnes?

Prophetæ
tæ ange-
li terres-
tres.

lus e cœlo lapsus; et verbo et vita omnes, etiam Prælatos et Cardinales, ad mundi contemptum, ac Dei amorem incitabat. Quocirca præter alia, ter singulis noctibus acriter ad sanguinem sese diverberabat, ut peccata aliorum in suo corpore lueret; multas Albigensium persecutiones sustinuit, suaque patientia eos ab hæresi ad fidem convertit; zelo martyrii, salutis animarum, et gloriæ Dei flagrabat. Orabat adeo ardenter, ut spiritu in Deum elevatus elevaret et corpus in aere pendulum. Hinc proceres et plebeii eum ut virum divinum audiebant, et ut angelum Dei sequebantur, beatosque se existimabant, si vel eum contingere possent; plurimi in ejus disciplinam se dantes, eumque moribus exprimentes, orbi admirationi et saluti fuere. Circinatus enim ad illius normam Religiosus (quod de Philosopho dixit Tertullianus, lib. *De Pallio*), dum videtur, auditur; magis enim exemplo quam verbo loquitur et concionatur. Socius ei a Deo datus est S. Franciscus, qui proinde animo oculisque in cœlum intentus, non aliud vita et voce, habitu et vultu concionabatur, quam: « Ad cœlum, ad cœlum. » Audi S. Bonaventuram, in Vita ejus, cap. iv: « Evangelicus præco, inquit, civitates circuibat et castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi; quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. » Unde et fructum ingentem subdit: « Nam prædicationis ipsius fervore succensi quam plurimi, secundum formam a Dei viro acceptam, novis se pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum idem Christi famulus Ordinem fratrum de pœnitentia nominare decrevit. Convertebantur etiam virginis ad perpetuum cælibatum; inter quas virgo Deo charissima Clara, ipsarum plantula prima; tanquam flos vernans et candidus odorem dedit, et tanquam stella præfulgida radiavit. Multi etiam non solum devotione compuncti, sed et perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur: qui quotidianis succrescentes profectibus, usque ad fines orbis terræ celeriter pervenerunt; » et cap. xii: « Erat enim verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat; cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret; » et mox: « Tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium (Papæ scilicet, et Cardinalium) ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse, sed spiritus Domini loquebatur. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur et parvis, eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur et multis; omnis

etas, omnisque sexus properabat virum novum mundo cœlitus datum, et cernere et audire. » Ejus assecæ fuere S. Antonius de Padua, de quo auctor Vitæ ita scribit: « Videbatur quasi alter quidam prodiisse Elias, zelo Dei fervens, inflammatusque igne Spiritus Sancti ignitis sermonibus accendebat et urebat auditorum tepida, torpentina, frigida et obscura corda. » Item B. Petrus martyr, cujus hoc continuum concionis erat thema, e nostro Jona petitum: « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. » Et S. Bonaventura, S. Thomas, S. Bernardinus, S. Vincentius Ferrerius, aliique similes oratores cœlestes. Hosce sibi imitandos proponant nostri Prophetæ, concionatores inquam et doctores, qui Clerum et populum reformare, sanctificare, ad cœlum deducere contendant.

Homonymus et suppar S. Francisco Assisio fuit nostro sæculo noster S. Franciscus Xaverius, hoc anno Domini 1622 inter cœlites relatus, qui mente oculisque in cœlum defixus, non nisi cœlum cogitabat, aspiciebat, prædicabat, ac quasi homo cœlo lapsus ad cœlum omnes traducere satagebat. Hujus enim unius rei causa a Deo in mundum missus videbatur. Cœlestia enim jugiter non tantum contemplabatur, sed et reipsa gustabat et sapiebat, ut ineffabiles illas cœlitum delicias præcipere et prælibare videretur. Hinc illæ ejus voces: « Satis est, Domine, satis est, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » Hinc ardens ejus vultus instar Seraphini spirans amorem, imo ardorem divinum effulgorans. Hinc illa corporis ejus in oratione a terra elevatio, ut inter cœlum et terram suspensus, spiritu secum rapiente mollem corporis, in alta concenderet, ut videretur, quod ait S. Gregorius, *homil. 37*: « Angelorum chorus interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscripum lumen videre, incorruptionis perpetuae munere lætari. » Quapropter patria exsul parentibus amicisque orbus, quasi terræ hospes, et civis cœli, inter exferos, extremoque Indos vivere et mori ambivit, sciens utique eo se Deo vicinorem, quo a notis et amicis esset remotior. Deo ergo nixus, ejus unius amore instar fulgoris, imo instar angeli, tanta terræ marisque spatia, totumque Orientem evangelizando, celerrime pervasit; Xaverius enim (quod de S. Paulo Prophetarum et Apostolorum patriarcha ait Chrysostomus, hom. 2 *De ejus laudibus*) « in terra gradiens sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur. Passibili enim colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Quippe ut pennatus totum docendo pervolavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit; ac quasi jam cœlum possidens, tanquam cum ipsis jam incorporeis degredit, ita jugi mentis intentione vigilavit. Angelis

quidem diversarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi gubernavit populum, uti Paulus orbem, » et Franciscus « universum illuminavit » Orientem. « Quam hoc admirabile, cum ex terrena lingua sermo prosciens, velut oraculum, mortem fugavit, peccata dissolvit, tenebras infidelitatis discussit, atque mutatione mirifica terram convertit in cœlum ! Hac de causa ad confusionem et injurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quam ad bonorum oblectamenta properabat, mortem potius quam vitam appetens, paupertatem quam opulentiam, et multo magis laborem desiderans quam alii requiem post laborem ; studiosius pro inimicis orans, quam alii adversus inimicos. Convertebat enim orbem terrarum, quem nos pervertimus. Hujus rei studio non tantum urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates velut arenam vicia reputavit; sed et præ Christi dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam simile concupivit. Perfrui enim Christo, hoc illi vita erat, hoc mundus, hoc angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera. Præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur nihil asperum, nihil etiam suave reputabat. Sic despiciebat universa quæ cernimus, ut solet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos ac populos spirantes furorem velut quosdam culices aestimabat. Mortem vero et cruciatus, et mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Hunc enim amplectebatur libenter, et decorabatur vincitus catena magis, quam diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cœlum, ac libentius verbena excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt; dolores non minus quam præmia diligebat, cum ipsos utique dolores loco duceret præmiorum ; propterea enim illos et gratiam nominabat. Denique illi vivere Christus erat et mori lucrum. » Hucusque Chrysostomus de Paulo, nos de Xavero. Hæc apostolatus Pauli et Xaverii insignia, hæc prophetæ decora, hæc heroica virtutum facinora, quibus infidelitatis monstra, et vitiorum portenta ubique debellavit, imo in Evangelicæ veritatis et virtutum splendorem transmutavit, ac paucorum annorum spatio seipsum meritis, Europam et Indiam beneficiis, Societatem Jesu exemplis, orbem fama, Ecclesiam gloria, cœlum civibus sanctisque quos eo transmisit, implevit et decoravit. En tibi ideam veri Prophetæ, veri Apostoli.

Cœfus et Quarto, de cœtu Prophetarum legimus I Reg. filii Pro- x, 5, dictum Samuelis ad Saulem : « Cum ingress- pheta- sus, ait, fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendientium de excelso, et ante eos psalterium, et tympanum, et tibiam, et citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te

spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in aliud virum. » Hi Prophetæ erant viri religiosi, semoti a sæculo, vacantes Dei laudibus et psalmodiæ, ideoque psalterio, tympano, tibia et cithara, tum Deum laudabant, tum se invicem ad laudes Dei concinendas provocabant. Inter eos tamen erant aliqui Prophetæ proprie dicti, ut Elias, Elisæus, etc., IV Reg. vi, 1. Unde S. Hieronymus, epist. 4 ad Rusticum, Religiosos et monachos vocat filios Prophetarum. Horum enim in vita et moribus piis sunt imitatores et asseclæ, æque ac essenorum et therapeutarum, tum eorum qui apud Judeos ante Christum, tum eorum qui christiani extiterunt, quorum parens et dux fuit S. Marcus, de quibus Eusebius, Josephus, et Philo, lib. De Essæis.

Porro secedebant a populo Prophetæ, tum orationis et sanctitatis, tum auctoritatis causa. Nam, ut ait Tacitus : « Major est rebus ex longinquo honor, » et ut B. Petrus Damianus in epistolis, si- cut pictura si procul absistat, inhianter et cum cupiditate perspicitur ; si juxta sit, contemptibilis judicatur : ita ex secessu doctis et sanctis ori- tur apud omnes reverentia; ex adverso « minuit presentia famam. »

Porro, an aliqui e duodecim hisce Prophetis fuerint ex hoc cœtu Prophetarum, incertum est : certum est non omnes fuisse. Nam Amos, cap. i, 1, ab armentis raptus est ad prophetandum. Rursum eos certas non habuisse sedes et domos liquet, ex eo quod diversis in locis, urbibus et provinciis prophetarunt. Alii enim in Judæa, alii in Samaria, alii in Bethel, etc., prophetarunt. De Holda prophetissa legimus, IV Reg. xxii, 14, eam Hierosolymis habitasse « in secunda, » scilicet in media urbis parte ; Jerusalem enim in tres partes, quasi vicos et regiones, erat distributa : scilicet in primam, secundam sive medium, et tertiam, ut patet ex ejus chorographia. Tradunt Hebræi in secunda, utpote quietiori et securiori urbis parte, fuisse gymnasia, ibique habitasse viros litteratos et studiosos. Quocirca verisimile est ibi pariter nonnullos habitasse Prophetas.

Denique nominum Prophetarum etymologias et significata ita paucis perstringit S. Hieronymus, Etyma Propheta- tarum. Præfat. in Joelem : « Osee, ait, interpretatur ὄσεως, quem nos Salvatorem possumus dicere ; Joel Ἰω- χέανος, id est incipiens ; Amos ἀμαζων, qui apud Latinos portans dicitur ; Abdias δοῦλος Κυρίου, id est servus Domini ; Jonas πριστερά, id est columba ; Michæas ἡστής ὄν, quod apud nos sonat, quis quasi, aut quis velut ? Nahum παράχλωτος, id est consolatio ; Habacuc περιλαμβάνων, id est ample- xans, sive luctans ; Sophonias κεκρυμμένος Κυρίου, hoc est arcarius Domini ; Aggæus ἕρταῖος, quem nos festivum, sive solemnem possumus dicere ; Zacharias μνήμην Κυρίου, id est memoria Domini ; Malachiāς ἀγγέλος μου, id est nuntius meus. Quæ omnia quo sensu accipienda sint, in suis voluminibus disseretur. » Attextit deinde etyma quatuor majo-

rum Prophetarum: « Isaias, ait, οὐτηρία Κύριον dicitur, id est *salus Domini*; Ezechiel κράτος Κύριον, id est *robur Domini*; Jeremias ὑψηλὸς Κύριον, id est *excelsus Domini*; Daniel ἔχων με Κύριος, id est *judicavit me Dominus*. »

Denique mores, vitam et mortem singulorum Prophetarum scripserunt S. Epiphanius, Isidorus, et Dorotheus, quem multi censem fuisse Episcopum Tyri, et martyrem sub Juliano Apostata. Verum Baronius utrumque negat, recteque ostendit Dorotheum hunc alium esse a Dorotheo, qui fuit presbyter (non Episcopus) Tyri, martyrque a Juliano effectus est annum agens ætatis 107, de quo in Martyrologio die 5 junii. Consentit Bellarminus *De Script. Eccles.* asseritque Synopsin hanc Dorothei de vita Prophetarum plenam esse fabulis. Nam Priscam uxorem Aquilæ ponit inter 72 Christi discipulos, facitque Episcopum Colophonæ. Imo omnes quos S. Paulus in Epistolis suis nominat aut salutat, facit discipulos Christi. Vide de *Synopsi* Epiphani et Isidori Bellarminum, libro citato; Baronium et Possevinum, in *Bibliotheca*.

Finis et fructus Prophetarum. — Quis sit scopus, quis usus, quis fructus Prophetarum? Respondeo: Finis est enarrare nobis ipsa sensa et arcana mentis divinæ: fructus, docere nos sapientiam divinam, æque ac vitam cœlestem; docere nos sapere secundum Deum, sapere divina, vivere Deo, ex Deo, cum Deo. S. Carolus Borromæus, Italiæ et nostri ævi fulgor et fulgur, asserebat hanc esse basin vitæ sapientis et sanctæ, nimirum semper et ubique tendere ad Deum, ut omnes actiones et passiones nostræ incipient, dirigantur et desinant in Deum: Si vis, inquit, proficere in vita christiana, perfici in doctrina, virtute et spiritu Christi, hæc tria observa: *Primum*, quotidie incipere et inchoare te existima, ut scilicet eo fervore quotidie servias Deo, ac si eo die primum ei servire inciperes; *secundum*, in mente semper habeto Deum, et jugiter cogita te in ejus præsentia versari: spectaculum enim facti sumus mundo et angelis et hominibus; *tertium*, effice ut omnia tua opera tendant ad Deum. Ita habet auctor *Vite S. Borromæi*, lib. VIII, cap. XVIII: « Indicabo tibi, o homo, ait Michæas, cap. VI, 8, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo, » ut quasi altior terra, major homine, cœli civis, par angelis cum Deo ambules, cum Deo jugiter verseris et agas, ex Deo omnes tuas cogitationes, sermones et actiones haurias, metiaris et dirigas. Sollicitudo hæc ambulandi cum Deo multa magna que complectitur, magnorum et heroicorum operum est parens, ut in Michæa ostendam. Prophetæ ergo sunt « os et oraculum Dei, » per quos secreta sua, sensa et placita mundo Deus revelavit, præsertim quid credere, sperare, amare, agere debeamus, ut vitam beatam assequamur. « Mul-

tifariam, ait Paulus *Hebr.* I, 1, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. » Et Zacharias, *Luc.* I, 70: « Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. »

Prophetæ ergo non ex se, sed ex Deo locuti sunt, fueruntque os ejus et lingua. Quocirca docent ipsi nos sapientiam Dei, « scientiam sanctorum, » et prudentiam justorum, ut eamdem et alios doceamus, ac cum Joanne Baptista paremus Domino plebem perfectam. D. Thomas, I part. *Quæst.* I, art. 1, querit an præter scientias naturales necessaria sit alia revelata et supernaturalis; ac respondet omnino eam necessariam esse, quam deinde ponit basim totius Scripturæ sacrae, et Theologiae, totiusque doctrinæ et vitæ christianæ. Causam a priori assignat, quod finis noster et beatitudo supernaturalis sit, quam lumen naturale, ratio et scientia naturalis non cognoscunt, non attingunt; ac proinde ad eam ejusque viam demonstrandam, necessarium est lumen revelatum et supernaturale: fini enim supernaturali media supernaturalia danda et coaptanda sunt. Multa subtiliter de natura, de elementis, de animalibus, de homine, de vita œconomica et politica disseruerunt gentilium philosophi, sed hæc omnia intra naturæ fines consistunt, terræ limites non excedunt: aliis ergo doctoribus opus qui viam in cœlum, iter ad Deum nobis commons-trent: « Narraverunt, inquit Psaltes, *Psalm. cxviii*, mihi iniqui fabulationes: sed non ut lex tua. » Quæ Plato, quæ Pythagoras, quæ Socrates, quæ philosophi omnes de mundo, de moribus, de beatitudine scripserunt, fabulæ sunt, si cum lege tua, o Domine, si cum oraculis, cum Prophetis tuis comparentur: « Vani, ait » Sapiens, cap. XIII, 1, « sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: » hanc autem Dei scientiam enuntiant Prophetæ. Ipse enim Deus per Osee, cap. XII, 10, proclamat: « In manu (in oraculo) Prophetarum assimilatus sum. » Diserte vero Baruch veram sapientiam investigans, cap. III, 14: « Audi, ait, Israel, disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ et virtus, ubi sit lumen oculorum et pax. Ubi sunt principes gentium, etc., qui in avibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum: exterminati sunt, et ad inferos descendunt; viam autem disciplinæ ignoraverunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ et Theman, et fabulatorum, et exquisitores prudentiae et intelligentiae: viam autem sapientiae neciserunt. Non est qui possit scire vias ejus: sed qui scit universa, novit eam, et adinvenit eam prudentia sua. Hic est Deus noster: hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam (per Prophetas) Jacob puero suo, et Israel dilecto suo.

Tria ad proficiendum in virtute media.

Post hæc, » ut ore tenus hanc sapientiam doceret homines, « in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, » cum scilicet « Verbum caro factum est. »

Hic ergo fuit error, hæc caligo vitæ humanæ, quod mortales quasi talpæ, terram et terrena tantum saperent, divina vero, iterque ad divinam beatitudinem ignorarent. Quin imo hic error etiamnum multos tenet christianos, qui vitam suam instituunt secundum prudentiam politicam et humanam, secundum rationes naturales et temporaneas, ut honeste, decore, honorate, sapienter inter homines vivant, ut suam ætatem commode transigant, eaque transacta cum Augusto Cæsare morituro dicant: Sat commode, sat decore personam nostram egimus: valete et plaudite. Interim non considerant, non provident, non consulunt animæ suæ, saluti suæ, æternitati suæ. Ad hunc scopulum allidit, dissilit et perit major hominum pars. Deus ergo huic malo mederi, huncque errorem dispellere volens, misit Prophetas, qui quasi videntes ea quæ remota, cœlestia, futura et æterna sunt, ex alta prophetie specula, quasi e cœlo, speculantes ostendant nobis viam ad salutem, erudiant nos sapere et vivere secundum rationes, non naturales, terrenas et temporaneas, sed supernaturales, cœlestes et æternas, quæ conscriptæ sunt viventes in mente Dei, quæque solæ mentem satiant et beant. Verissimum enim est illud Augustini, *epist. 39*: « Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miseriae, spem beatitudinis inanem. » Hoc est quod Zacharias de filio S. Joanne Baptista, qui Prophetarum fuit ultimus, finisque legis et prophetiae, ac Evangelii Christique lucifer, canit: « Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum: per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitabit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. » Quapropter Prophetæ fuerunt quasi stellæ noctem orbis illuminantes, imo quasi soles mundi. Nam, ut ait Origenes, S. Scriptura et verbum Dei, quod præferunt Prophetæ, est sol non corporalis hic et materialis, sed spiritualis et intelligibilis, mundum universum illustrans. Quantum ergo cœlum superat terram, quantum sol lumine et fulgore vincit candelam et lampadem, tantum oracula S. Scripturæ et Prophetarum superant sapientiam et dogmata omnium philosophorum. Viderat S. Petrus in transfiguratione Christi, communis oculis corporeis gloriam Christi, vocem audierat suis auribus: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: ipsum audite, » et tamen hanc ipsam visionem recensens, *epist. II,*

cap. I, 17, prophetæ postponit: oculus enim perstringi potest, auris falli; sed prophetia perstringi aut falli nequit: « Hanc vocem, inquit, nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Ethabemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. » Lucifer est clarior illa Christi doctrina, puta fulgor Evangelii, succedens nocti tenebrarum gentilismi et judaismi, ducensque ad claram meridiem beatæ æternitatis et visionis Dei. « Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spíritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. »

Quocirca cœlesti luce hic opus, ut cœlestes Dei voces, cœlestes hosce doctores capiamus et intelligamus. Ea propter cum D. Thoma meditatione et oratione magis quam studio hic nitendum et utendum. Hinc S. Bernardi hoc fuit axioma: « Mens hominis sapientis qui Deum diligit, non est in terra, sed in cœlo: » quia semper cœlestia considerat et desiderat. S. vero Augustinus in *Psalm. LXIV*: « E cœlis, ait, misit ad nos epistolas Pater noster, ministravit nobis Scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium; quia peregrinationem nostram diligendo ad hostes facies posueramus, et dorsum ad patrīam. » Et S. Gregorius, lib. IV, *epist. 84 ad Theodorum medicum*: « Imperator, ait, celi Dominus, hominum et angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit; et tamen, gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo, quæso, et quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardenter ad æterna suspires, ut mens vestra ad cœlestia regna majoribus desideriis accendatur. Tanto enim tunc major ei erit requies, quanto modo ab amore conditoris sui requies nulla fuerit. » Ita S. Bernardus, totus meditatione deditus, « confessus est aliquando sibi meditanti, vel oranti sacram omnem velut sub se positam et expositam apparuisse Scripturam, » ait auctor *Vitæ ejus lib. III, iii*. De S. Francisco scribit S. Bonaventura, in *ejus Vita, cap. xi*: « Ad tantam, ait, mentis serenitatem indefessum orationis studium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, ut quamvis non habuerit S. Litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunde miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, et ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. » Unde et Doctor quidam theologus, admirans ejus responsa, dixit: « Vere theologia sancti Patris istius, puritate ac contemplatione tanquam alis in altum subiecta, est quasi aquila volans: nostra vero scientia ventre graditur super terram.

Nec absonum, si vir sanctus Scripturæ a Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam, veritatem ipsarum descriptam gasteret in opere; et per Spiritus Sancti unctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde. »

Meditatio ergo, oratio et sancta vita sunt claves S. Scripturæ et Prophetarum: et hi vicissim claves sunt cœlorum. Nam Prophetarum et « Scripturarum lecſio cœlorum est reseratio, » ait S. Chrysostomus, homil. 2 *in verba Isaiae*: « Vidi Dominum, » etc. Idem, conc. 3 *De Lazaro*: « Fieri, ait, non potest ut quisquam salutem assequatur, ni perpetuo veretur in lectione spirituali. » Ex quo infert, non tantum monachos, sed et laicos conjugatos debere lectioni S. Scripturæ vacare, idque eo magis, quo majoribus quam monachi distractionibus, temptationibus et periculis implicantur. « Unde necesse est, inquit, indesinenter a Scripturis armaturam sumere. » Additque: « Ubicumque fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque inhabitantibus accedit consolatio: quia ipse etiam sacrorum librorum aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Rursum sive in sanctimonia perstiterimus, ex libris reddimur tutiores firmioresque. Quod si accesserit sacra lectio, non aliter quam in sacris adytis rebus divinis vacans anima, sic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipsa per illas Scripturas colloquente. » Et inferius: « Memento eunuchi reginæ Aethiopum (*Act. viii*) qui, cum esset homo barbarus innumerisque distentus curis, nec intelligeret quæ legebat, legebat tamen in curru sedens Isaiam prophetam: quod si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domini versans. Magna adversus peccatum munitio est Scripturarum lectio; magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio, magna solutio, perditio, etc. Sicut mordent conscientiam, ita non parum afferunt utilitatis animis eorum qui mordentur. » Auctor *Imperf.* in S. Matth., homil. 27, Prophetas nuncupat angelos et paronymphos Christi. « Ecce, ait, omnes Prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, et angeli sunt vocati; sicut scriptum est (*Act. vii*): Qui accepistis legem in præceptis angelorum, et non custodistis. » Etsuperius: « Prophetæ est, de Christo prædicare. Prophetæ est, pro merito conversationis et fidei prophetiam accipere. Prophetæ est, beneficium a Deo accipere. Prophetæ est, verbum ante tempus significare de Christo. Prophetæ est, ut ipse de Deo prophetet. » Et homil. 41: « Via est Christus, quæ dicit ad vitam. Et viæ dicuntur omnes Prophetæ, et omnes Apostoli: hæ enim omnes viæ ducunt ad Christum: Christus autem ad Patrem; sic generalis et publica via est diabolus, quæ dicit ad mortem: et viæ sunt omnes professiones sæculi istius, ut puta professio philosophiæ (vanæ, gentilitiæ et erroneæ) una est via: professio militiæ via altera, mundialis dignitas, altera. » Quo-

circa S. Chrysostomus, homil. in tit. Psalm. L: « Prophetæ, ait, velut quidam pictores sunt virtutis ac militiæ, qua contra peccata et diabolum decertamus. » Idem, homil. 4 in cap. I *Isaiae*, initio, docet prophetias esse oracula divina, ac litteras e cœlis delatas. Unde, homil. 4 in cap. VI *Isaiae*, asserit « silentium Prophetarum esse signum iræ divinæ. » Idem in cap. VIII *Isaiae*: « Deus, ait, confecit medicamentum prophetiæ, delinquentes erudiens præscientiam pœnarum, non item doctrice experientia earum; ut si quidem resipiscerent comminationibus auditis, experimentum evitarent intentati supplicii. »

Porro, in Prophetis non est quærenda eloqua-tia, sed sapientia. Audi memorabilem historiam, quam in hoc argumento sibi in juventute obvenisse narrat S. Hieronymus, scribens ad Eustochium *De custodia Virgin.*: « Post noctium, in Flagella-tur S. Hierony-mus quod profanós le-geret, non S. Scripturam.

quit, crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memet ipsum reversus, Prophetas legere cœpisset, sermo horrebat incultus: et quia lumen cœcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderebat, etc., raptus in spiritu ad tribunal judicis pertrahor, etc. Interrogatus de conditione, christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » Subdit deinde se acriter flagellatum, donec promitteret et juraret: « Domine, si unquam habuero codices sœculares, si legero, te negavi. » Qua de causa idem S. Hieronymus proœmio in lib. III *Comment. in Amos*: « In explanatione, ait, S. Scripturæ non verba composita et oratoriis floribus adornata, sed eruditio et simplicitas quæritur veritatis; » nimis hisce sublimibus Prophetarum mysteriis congruit illud Manili: « Ornari res ipsa vetat, contenta doceri. » Et illud Fabii: « A philosopho si afferat eloquentiam, non aspernor; si non afferat, non admundum efflagitem. Res magnæ seipsis ornatae sunt, non indigent fuco ut amentur. » Et S. Basilios, Græcorum facundissimus, ad Diodorum: « Lectio-nis, ait, in affectata et incomposita simplicitas de-cora mihi videbatur, et conveniens professioni christiani hominis, cuius est non ad ostentationem magis scribere, quam ad publicam utilita-tem. » Rursum S. Hieronymus ad Damasum, q. d. « Scio, ait, hæc molesta esse lectori, sed de Hebraicis litteris disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, neque ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est rivulus, neque aures Quintiliani flosculis, et scholarum declamatione mulcenda: pedestris et quotidiane similis, et nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione fron-descat. »

Obscuritas Prophetae. Porro tanta est obscuritas et profunditas Prophetarum, ut singulae pene eorum sententiæ ænigmata videantur: nimur prophetia obscuritatem in sua ratione et essentia includit: eam ergo affectant Prophetæ. « Mira, » inquit S. Augustinus, lib. XII Confess. XIV, « profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris. » In iis itaque verum est illud auctoris *Imperf.*, apud S. Chrysostomum, homil. 4: « Sicut in celo celiatur Deus, sic in Scriptura absconditur. » Et sicut hoc ccelum omnes homines vident, Deum autem inhabitantem cernere nequeunt; sic et sacras Litteras omnes fere legunt, non tamen omnes Deum veritatis in arcanis sensibus latentem intelligunt, nisi sapientiae lumine illustrati. Quocirea Origenes assidue versabat, meditabatur et scrutabatur S. Scripturas, indeque orbis doctor et pene oraculum evasit, qui utique major exstisisset, si minori affectu plausus orbis excipiens, minor esse voluisse. Audi de eo S. Hieronymum ad *Marcellam*, epist. 10: « Ambrosius, quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros vere Adamantius et Chalcenterus noster explicavit, in quadam epistola quam ad eundem de Athenis scripserat, refert, nunquam se cibum Origene præsente sine lectione sumpsisse: nunquam iniisse somnum, nisi unus e fratribus sacris Litteris personaret: hoc diebus egisse et noctibus; ut et lectio orationem exciperet, et oratio lectio nem. Quid nos ventris animalia tale unquam fecimus, quod si vel secunda hora legentes invenerit, oscitamus, manu faciem defricantes contineamus stomachum; et quasi post multum laborem, mundialibus rursum negotiis occupamur. » Perdius et pernox in S. Litteris fuit Origenes; at nimis ingenio et studio suo confisus in errores justo Dei, qui excelsa deprimit sternitque, judicio prolapsus, suo malo nos docuit non altum sapere, sed cum metu et reverentia ad Deum Neique libros accedere, ipsi fidere, nobis ipsis diffidere: ab ipso humili prece assidue poscere, ut in sacra sua adyta, sensaque mentis suæ nos introducere dignetur.

Jam pene a quadraginta annis sacro huic studio incumbo, a triginta annis non aliud ago, quin et continue S. Litteras doceo: et tamen sentio quam parum in eis profecerim, longe plura me ignorare quam didicerim; imo quo profundius eas scrutor, eo majorem sapientiae abyssum intueor. Ut clare videam verum hic esse vetus Sapientis dictum: « Cum consummaverit homo, tunc incipiet. » O æterna veritas, et vera charitas, et chara claritas, Deus meus et omnia, cui suspiro die ac nocte, illumina tenebras meas (quas in dies in me maiores deprehendo) fulgore lucis tuae, irradia menti meæ in splendoribus Sanctorum, ut in lumine tuo videam lumen; quo et alios pari-

ter illuminem, et tui amore inflammem. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, tu qui mentes et linguas infantium facis disertas. « Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre lumen, apud quem non est transmutatio, nec vivisitudinis obumbratio. » Profiteor palam dicoque cum S. Augustino, lib. I Confess. cap. XVI: « Ecce, tu Domine, rex meus et Deus: tibi serviat quidquid utile puer dedici; et tibi serviat quod loquor, quod scribo, et lego, et numero. » Tibi enim et tuæ gloriæ, tuæque Ecclesiæ usibus labore, scribo, vivo, non mihi, nec meis. Fave ergo, et cœptis meis radiis tui favoris benignus aspira. Hominum judicia aut plausus non moror: tibi enim soli placere cupio, et displicere timeo, dicoque cum Apostolo: « Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die. Sed neque me ipsum judico: qui autem judicat me, Dominus est. » Et cum S. Hieronymo, Præfat. libri II Comment. in *Osee*: « Optarem illud mihi contingere, quod Titus Livius scribit de Catone, cuius gloriæ neque profuit quisquam laudando; neque vituperando quisquam nocuit; cum utrumque summis prædicti fecerint ingeniis. Significat autem Marcum Ciceronem, et Caium Cæsarem, quorum alter laudes, alter vituperationes supradicti scripsit viri. Dum enim vivimus, et in vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, et nocere æmularum opprobria. Postquam autem reversa fuerit terra in terram suam, et tam nos qui scribimus, quam eos qui de nobis judicant, pallida mors subtraxerit, et alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis virens sylva succedit, tunc sine nominum dignitate, sola judicantur ingenia, non honorum diversitate, sed operum merito. » Si quid in me meisque dictis et scriptis est veritatis, virtutis, pulchritudinis, totum quantum tuum est, o Sacro-sancta Trinitas, quæ es prima, increata et fontalis veritas, virtus, pulchritudo. Ergo non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Omnia enim nostra bona, tua sunt dona. Si quid vero in me meisque est erroris, vitii, deformitatis, ut plurimum est, totum ex me est, totum mihi deputo, in me recipio, et supplex veniam posco. Tibi itaque laus, tibi decus omnis boni; mihi dedecus omnis mali, et confusio faciei meæ: tibi benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus Deo nostro in omnia sæcula sæculorum. Amen. Dixisti, Domine, tuis Apostolis et Prophetis, eorumque asseclis et interpretibus: « Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi, » Matth. cap. v, 13. Dixisti, ac dicendo sanxisti et effecisti. Nam, ut ait ibidem S. Hilarius: « Apostoli sunt rerum celestium prædicatores, et æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes. » Da, Domine, ut eorum adinstar simus et nos cœli prædicatores, et æternitatis satores, ut instar salis

mentes hominum terrenas et insulsas condiamus, eisque incorruptionem imperfiamur; ut quicumque hæc legunt, ex sanctorum oraculorum tuorum cognitione, ex tuarum promissionum minarumque gravitate et pondere, illecebrosas terræ cupedias despiciant, ac cœlestium bonorum amore, et beatæ æternitatis desiderio studioque effi-

caci accendantur. Hoc unum specto, hoc unum postulo, huc omnis mea lectio et scriptio, huc omnis labor desudat, ut sanctum nomen tuum sanctificetur, tuaque sancta voluntas fiat sicut in celo, sic et in terra; ac sanctum tuum regnum gratiæ, gloriæ et felicitatis sempiternæ, ubi tu eris omnia in omnibus, nobis adveniat. Amen.

CANONES IN XII PROPHETAS MINORES.

Præter canones quos majoribus Prophetis præfixi, hos minoribus pene proprios accipe.

CANON. I. Prophetæ in nominibus propriis hominum vel urbium, alludunt ad eorum significata, tum ad elegantiam, tum ad vim et energiam; quo circa Noster Interpres saepe pro ipsis nominibus hebraicis, eorum significata reddidit. Tale est primo, *Osee i, 6*, ubi *Osee*, cum jussu Dei filiam ex fornicaria genuisset, a Deo audit: « Voca nomen ejus Absque misericordia, » hebraice לֹא רָחוּמָה Lo rachuma. Hoc ergo erat nomen proprium filiæ. Verum quia lo rachuma significat absque misericordia, ac significatum hoc urget hic Deus, dicens: « Quia non addam ultra misereri domui Israel; » hinc Interpres solerter vertit, « Absque misericordia. » Ibidem, vers. 9, cum *Osee* rursum ex ea genuisset filium, audit: « Voca nomen ejus, Non populus meus; » hebraice מִי לֹא lo amni. Hoc ergo erat nomen proprium filii. Verum Interpres perspicax vidensque ad nominis significatum alludi, recte vertit: « Non populus meus. » Sequitur enim: « Quia vos non populus meus, et ego non ero vester. » Sic cap. x, 5: « Vaccas, inquit, Bethaven coluerunt habitatores Samariæ. » Jero boam enim vaccas, sive vitulos aureos colendos erexit in Bethel, quod hebraice idem est quod domus Dei, *Genes. xxviii, 17*. Verum quia Jero boam ibidem collocavit idola, hinc *Osee* et Prophetæ Bethel vocant Bethaven, id est domum idoli, q. d. Vos Bethel mutastis in Bethaven, id est vos ex domo Dei fecistis domum idoli et dia boli.

Secundo, tale est *Michææ*, cap. i, 10: « In domo pulveris pulvere vos conspergite. » Pro pulveris hebraice est אֲפַר Aphra, quod est nomen proprium urbis. Verum quia aphra significat pulv rem eoque alludit Propheta, hinc eleganter vertit Noster: « In domo Aphra, » id est « pulveris, pulvere vos conspergite. » Et vers. 11: « Transite vobis habitatio Pulchra, » hebraice סְפִיר Sapir, quod est nomen urbis; sed significat pulchram. Et mox: « Non est egressa quæ habitat in Exitu, » hebraice in Saanan, quod est nomen urbis, sed

exitum significat. Et vers. 12: « Infirmata est in bonum quæ habitat in Amaritudinibus; » hebraice in Maroth, quod est nomen urbis; sed significat amaritudines, q. d. Quæ habitat in Maroth, id est in amaritudinibus, juxta nomen suum infirmata et amaricata est. Et vers. 14: « Dabit, etc., domos mendacii in deceptionem regibus Israel, » hebraice אֲכֹזֵב Aczib, quod est nomen urbis, sed significat mendacium, eoque alludit dicens לְאַכְזָב leaczab, id est ad mentiendum et decipiendum reges Israel.

Tertio, tale est *Zachar. III, 8*: « Adducam ser vum meum Orientem, » hebraice תְּסֵמֶח Tsemach, quod est nomen Christi; sed significat germen nascens, et oriens ex terra virgine, uti Christus ex matre virgine sine patre natus est.

Quarto, tale est *Gen. xxvi, 20*, ubi Isaac ex jur gio pastorum puteum vocavit « Calumniam, » hebraice פָּתָח Esec. Hoc ergo erat nomen proprium putei. Et vers. 21, alium ob similem causam vocavit « Inimicitias, » hebraice שִׁנְנָת Sitna. Et vers. 22, tertium vocavit « Latitudo, » hebraice רְחֻבוֹת Rechobot, « dicens: Nunc dilatavit nos Dominus. » Et vers. 33, quartum vocavit « Abundantiam, » hebraice שְׁבָעֵת Sabea. « Unde nomen urbi impositum est » Bersabee, q. d. Puteus sat uritatis et abundantiae.

Quinto, tale est *Il Reg. viii, 1*: « Tulit David Frenum tributi de manu Philistium; » hebraice *Tulit David Metheghamma*, quod est nomen proprium loci, vel urbis, significatque *Frenum tributi*.

Sexto, tale est *Il Reg. xi, 19*: « Adeo datus filius Saltus; » hebraice: *El chanan ben iaare*, quod fuit nomen proprium viri unius ex fortibus Davidis: sed *El* idem est quod Deus, *chanan* de dit, *ben* filius, *iaare* saltus.

Septimo, tale est *Proverb. xxx, 1*: « Verba congregantis filii Vomentis; » hebraice: *Verba Agur filii Iake*. Agur enim fuit vir et doctor, filius Iake, qui verba sequentia dictavit; sed *Agur* significat congregantem, *Iake* vomentem.

Octavo, tale est *I Paral. iv, 22*: « Qui stare fe-

cit solem virique Mendacii, et securus, et incendens. » Hebraice est, *Joakim, et viri Kozba, et Joas, et Saraph* : quæ sunt nomina propria virorum; unde ea retinuerunt Septuaginta. Sequitur enim : « Qui principes fuerunt in Moab. » Sed *Joakim* idem est quod stare faciens, *Kozba* est mendacium, *Joas* securus, *Saraph* incendens. Ibidem, cap. II, 55 : « *Cinæi* venerunt de Calore patris domus Rechab. » Hebraice : *Cinæi* venerunt de *Chamath* pater domus Rechab. Ita Septuaginta, Pagninus et Tigurina; sed *Chamath* hebraice significat calorem.

Nono, tale est nomen Petrus; nam S. Petrus in Syria syriaco nomine a Christo vocatus est *Cephas*, cum prius vocaretur *Simon*, *Ioan.* cap. I, 42; sed quia syriace *Cephas* idem est quod græce et latine *Petrus* et *Petra*, scilicet super quam Christus ædificavit Ecclesiam; hinc a S. Matthæo cap. XVI, 18, et veniens Romam a Romanis deinceps vocatus est Petrus: sicut Saulus vocatus est Paulus: *Saulus* enim est nomen Hebræum, *Paulus* Romanum.

Decimo, tale est quod Job cap. ultimo, vers. 14, de tribus filiabus Job dicitur: « Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertiae Cornustibii. » Hebraice : *Et vocavit nomen ejus Jemima*, id est diem, aut pressius Diariam (*Jom* enim est dies; inde *Jemina* est diaria), et nomen secundæ *Retsia*, id est Cassiam, et nomen tertiae *Kerenhaphuc*, id est Cornustibii. Hæ ergo tres filiæ proprie a Jobo vocatae sunt *Jemima*, *Ketsia*, *Kerenhaphuc*; sed Interpres nominum eorum significata reddidit; quia ad ea allusit Job. Audi Nicetam: « Ideo, inquit, primam filiam Diem nominavit, quod ab obscurissima ærumnarum nocte ad felicitatem restitutam divinitus, quasi ad diei aspiciendam lucem, esset revocatus; secundam Cassiam appellavit, quod jam similis odoris quadam suavitate bonorumque voluptate frueretur; tertiam Amaltheæ cornu (sic enim vertunt Septuaginta) vocavit, quod vitam deinde vixerit omni bonorum genere perefluentem. » Et Olympiodorus, atque ex eo Vatablus. Filias, ait, ita vocavit in monumentum utriusque fortunæ, prosperæ et adversæ, quasi jam ex tenebris ad diem et lucem, a foetore sterquilinii, in quo sederat, ad fragrantiam; ex sordibus sanici et ulcerum, ad nitorem et elegantiam rediisset. Unde pro *cornu stibii*, R. Abraham vertit, *cornu*, vel *robur immutatum* (hoc enim significat Hebræum *haphuc*), scilicet ex infirmitate et adversitate in hanc fortitudinem et felicitatem, priori et pristina longe majorem. Tropologice Olympiodorus: Dies sumus, inquit, cum lucifer Domini ortus fuerit in cordibus nostris; Cassia, cum suavis Christi odor progressu virtutum evadimus; *Cornu stibii*, vel *Amaltheæ*, cum spiritualium charismatum ubertate complemunt, et ad perfectionem properamus. Symbolice, S. Gregorius per tres hasce Jobi filias accipit tres status generis hu-

mani. Qui enim lux fuimus conditi, et nunc redempti, inquit, sumus Cassia, id est fragrantes fortitudine, patientia et poenitentia, erimus aliquando Cornu stibii in clangorem et exultationem æternæ laudis assumpti. Ita ipse in verba citata *Jobi* cap. XLII.

CANON. II. Metonymia crebro utuntur Prophetæ, æque ac Poetæ (utrique enim sunt vales); metonymia enim inter omnes figuræ et schemata est elegantissima. Sic civitas capitul pro civibus, Samaria pro Samaritis, Jerusalem pro Hierosolymitis, idolum pro idololatriis, templum pro sacerdotibus, schola pro discipulis, Bacchus pro vino, peccatum Jerryboam pro cultu vitulorum aureorum, Isaías pro suis oraculis, Vulcanus pro igne, cælum pro cœlitibus, terra pro terrigenis, Ceres pro frugibus, bene moratæ urbes pro bene moratis incolis, mors pallida pro mortuis pallidis, sidera pro cœlo, penates pro domo, os pro vultu, cuspis pro telo, ignis pro incendio, arx pro urbe, acies pro oculis, Mars pro bello, vertex pro capite, Tellus pro terra, Neptunus pro mari, Pluto pro inferis, unda pro flumine, oliva pro oleo, toga pro pace, merces pro merito, peccatum pro supplicio, meritum pro præmio. Juxta hoc schema Trojam in Latio consignat Virgilius, dum ita canit :

Non Xanthus tibi, non Simois, non Dorica castra
Desuerint, alias Latio jam partus Achilles,
Natus et ipse Dea.

Ubi Latinum Achillem vocat Turnum, Dorica castra Rutulos, Xanthum et Simoenta, Anienem et Tiberim, etc.

CANON. III. Ablativi, infinitivi gerundia suis verbis juncta, eorumdem significationem adaugent, et actionem complent, simulque important et indicant modum, quo ea fieri et peragi solet. Sic *videndo videre*, est clare et dilucide videre; quia visio fit media luce. *Audiendo audire* est recte audire et percipere; quia auditio fit auribus excipiendo, et mente retinendo verbum quod profertur. Sic *ore loqui*, vel *loquendo loqui*, est cordate vel præmeditate loqui: quia vere verbum oris est id, quod corde, id est mente, præconcipitur et præcogitatur.

CANON. IV. *Oculus corporis* significat oculum mentis, puta intellectum: sic et auris significat aurem mentis, puta voluntatem, quæ jussa audit, iisque obedit. Sic *Matth. XIII, 9*, dicitur: « Qui habet aures audiendi, audiat, » q. d. Qui habet voluntatem obsequenter et morigeram, hisce meis dictis obsequatur et obediatur. Geminatio enim ejusdem vocis, puta *auris* et *audiendi*, significat perfectionem et complementum actionis, uti dixi Canon. III.

CANON. V. Metalepsis est crebra apud Prophetas hosce minores, qua verbum, vel nomen sumitur, non præcise pro eo quod significat, sed pro eo quod inde consequitur: ut *Osee* cap. II, 24: « Exau-

diam cœlos, et illi exaudient terram, » hoc est, ego respondebo cœlis in siccitate tacite petentiibus pluviam, qua terram sibi subjectam irrigent, nimis eos ipsos nubibus complendo; et vicissim cœli respondebunt terræ sitienti et petenti pluviam, illam in eam distillando. Ex responsione enim intelligitur postulatio: hanc enim illa consequi solet; nemo enim respondet nisi rogatus: « Et terra exaudiet triticum et vinum, et oleum; et hæc exaudient Jezrahel, » q. d. Jezrahel, id est semen et populus Dei, puta Israelitæ petunt triticum, vinum et oleum, illisque quasi dicunt: Eia, date nobis copiam vestri, cibate et pascite nos; hæc vicissim dicunt terræ: Eia, esto fecunda, parturi nos, ut satiemus Jezrahel; terra rursum invocat cœlum: Eia, da mihi pluviam, ut germinare possim triticum, vinum et oleum. Cœlum denique invocat Deum: Eia, Domine, imple me nube, rore et pluvia, ut ea distillem in terram, eamque fecundem. Deus exaudit cœlum, dando ei nubes et pluviam: cœlum exaudit terram, distillando ea; terra deinde exaudit triticum, vinum et oleum, germinando et producendo ea: hæc denique exaudiunt Jezrahel, copiose germinando et nascendo, dandoque se Jezraheli in messem et cibum. Itaque omnium votis satisfit a Deo, qui omne animal implet benedictione; sed debito ordine et gradatione jam dicta.

CANON. VI. Prophetæ minores mira quadam harmonia majoribus concinunt; quia easdem pene res prænuntiant quas majores, puta captivitatem Assyriacam et Babyloniam, adventum Messiae, Ecclesiæ sacramenta, etc. Voluit enim Deus oraculi sui tot testes dare, ut nemo de eo dubitare possit, cum idem omnes prænuntient, ac in omnibus consonent, in nullo dissonent. Hoc enim invincibile veritatis, veræque divinationis est argumentum, quo passim utuntur S. Augustinus *Contra Manichæos*, et Tertullianus *Contra Marcionem*, ut probent auctoritatem tam novi quam veteris Testamenti, ac utriusque auctorem fuisse Deum, ex eo quod per omnia unum alteri pulchra et discordi quadam concordia, velut voces diversæ et discordes in musico concentu, consouet et consentiat. Sicut enim umbra consentit, et adamus sim correspondet corpori, sic et vetus Testamentum novo. Hinc minores Prophetæ majoribus sunt quasi supares: quod enim hi fusi et fluentius, hoc illi concisius et nervosius dicunt. Ita Michæas suppar et æmulus est Isaiæ, imo ad verbum subinde idem cum eo dicit; ut cum cap. iv, 1, ait: « Et erit in novissimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium, » et cætera usque ad vers. 4. Eadem pene ad verbum habet Isaias cap. ii. Rursum quod Michæas de castris Sennacherib ait cap. v, 1. « Nunc vastaberis, filia latronis, obsidionem posuerunt super nos; » hoc idem de iisdem ait Isaias cap. xxxiii, 1. « Væ qui prædaris, nonne et ipse præ-

daberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? » etc. Sic quod ait Osee cap. x, 8: « Et dicent montibus, Operite nos; et collibus, Cadite super nos; » hoc Isaias cap. ii, 19, dicit: « Et introibunt in speluncas petrarum, et in voragini terræ a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis ejus, cum surrexerit percutere terram. » Sic prophetia Abdiæ contra Idumæos, eadem est cum prophetia Jeremiæ contra eosdem cap. XLIX, 14 et seq., ut patet conferenti utramque. Sic quod ait Nahum cap. i, 15. « Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem, » totidem verbis habet Isaias cap. LII, 7. Sic quod ait Zacharias cap. ix, 9. « Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator; » iisdem verbis recenset Isaias cap. LXII, 11. Similia sunt perplura.

CANON. VII. Apud Prophetas, præsertim minores, creber est sarcasmus, id est hostilis irrisio, vel jocus cum amaritudine: qualis est ille Pyrrhi ad Priarium jamjam occidendum apud Virgilium, *Aeneid.* II:

—Referes ergo hæc, et nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia facta,
Degeneraque Neoptolemum narrare memento.

Talis est Proverb. cap. i, 25: « Despexistis omne consilium meum, etc. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis evenerit. » Sic regem Babylonis a Cyro cæsum irridet Isaias, cap. XIV, 12: « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? » Et Ezechiel regem Tyri, cap. XXVIII, 12: « Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti, etc., donec inventa est iniqitas in te: et ejeci te de monte Dei, et perdidisti te, o Cherub. » Talis est illa gentium vox de Jerusalem: « Lapidetur, et aspiciat in Sion oculus noster, » Mich. cap. IV, 11.

CANON. VIII. Creber quoque est myctermus, id est subsannatio, sive irrisio cum suspensione nasi, ac risus Sardoniæ, de quo Cicero lib. VII, epist. 26 ad *Fabium Gallum*: « Videris, inquit, mihi vereri, ne, si istum habuerimus, rideamus γέλωντα σαρδώνιον, significans futurum, ut, si Cæsar rerum potiretur, multis arridere atque applaudere cogarentur quæ magnopere displicerent: ποντίον enim græce significat nasum, qui index est iræ et irisionis. Unde Plinius lib. XI, cap. XXXVII: « Et altior (nasus) homini tantum, quem novi mores subdolæ irrisioni dicavere. » Hinc nasum suspendere, est tacite et vafre irridere. Unde Horatius, lib. I *Serm. satyr.* 6:

Naso suspendis adunco.

Et Persius, *satyra 1 De Horatio*:

Callidus excusso populum suspendere naso.

Idem, *satyra 5*:

Disce, sed ira cadat naso, rugosaque sanna.

Et Martialis, lib. I, Epigram. 32 :

Et pueri (dicaces) nasum rhinocerotis habent.

Hinc nasutus vocatur qui docte novit alios irridere.
Unde Martialis, lib. XIII, Epigram. 2 :

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus.

Ita Cicero subsannat Verrem, comparans eum verri, id est porco, *act. III* : « Homines, ait, negabant mirandum esse, jus tam nequam esse verrinum. » Verres enim et hominem, et suem significat; ac jus tam civile est, quam suillum. Et *act. VI* : « Siculi, ait, Sacerdotem exsecrabantur, qui verrem tam nequam reliquisset. » Nam C. Sacerdos Sicilie prætura abiens, successorem reliquerat Verrem; et sacerdos, id est mactator, reliquit verrem, id est suem, quam non mactavit, utpote victimam foedam et diis ingratam. Talis est *Michææ cap. VI*, 3 : « Popule meus, quid faci tibi? aut quid molestus fui? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, et de domo servientium liberavi te, et misi ante faciem tuam Mosen et Aaron, et Mariam? » *q. d.* Quid mali tibi feci, o Israel! anne summa mea beneficia quæ in te contuli, maleficia æstimas, et ut talia mihi improperas? Liberavi te ex Ægyptio carcere, deduxi per Mosen usque in Chanaan: hæcne mihi objicis? non habes aliud quod mihi objicias. Similis est *Osee cap. VII*, 16 : « Reversi sunt ut essent absque jugo, facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum a furore linguæ suæ. Ita subsannatio eorum in terra Ægypti. » Et *Amos cap. II*, 13 : « Ecce ego stridebo subter vos sicut stridet plaustrum onustum feno. » Et *cap. IV*, 12 : « Quapropter hæc faciam tibi, Israel; postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, » *q. d.* Occurre, si potes, Deo te invadenti, cum illo manus consere, vim vi propulsa, si vales. Et *Isaiæ cap. LVII*, 13 : « Cum clamaveris, liberent te congregati tui, » *q. d.* Reliquisti me, o Sion! vade ergo ad Deos tuos: in tribulatione eos inclama, illi liberent te.

CANON. IX. Solent Prophetæ post oracula excidii et cædium, subjungere carmen funebre, sive epitaphia, vel ad majus pathos, vel ad leniendam oraculi atrocitatem. Ita Michæas, *cap. II*, 4, Samariæ excindendæ hoc pangit carmen funerale: « In illa die sumetur super vos parabola, et cantabitur canticum cum suavitate dicentium: Depopulatione vastati sumus, pars populi mei commutata est. Quomodo recedet a me, cum revertatur qui regiones nostras dividat? » Simile Babylonii et Balsasari pangit Isaias, *cap. XIV*, 4. Et Ezechiel Tyro, *cap. XXVI*, 17: « Quomodo, inquit, peristi, quæ habitas in mari, urbs inclyta? » etc. Et Ægypto, *cap. XXXII*, 19. Et Jeremias Hierosolymæ in Threnis. Porro primum orbis et commune Patriarcharum epitaphium exstat, *Gen. V*, 3: « Vixit Adam nongentis triginta annis, et mortuus est. Vixit Seth nongentis duodecim annis, et mor-

tuus est, » etc. Ita David Sauli et Jonathæ occisis hunc planetum planxit, *II Reg. I*, 19: « Incliti, Israël, super montes tuos interficiuntur: quomodo ceciderunt fortis? Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, etc., quia ibi abjectus est clypeus fortium. Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inannis. Saul et Jonathas amabiles, et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores. » Solebant enim in hoc carmine defunctorum virtutes et victorias decantare. Unde Virgilius, *Ecloga V*, Daphnidis, id est Cæsar, vel Quintilii Vari, cædem deslens, hoc ejus epitaphium, imo apotheosim canit:

Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen,
Daphnis ego in sylvis, hinc usque ad sidera notus.

Et paulo ante :

Daphni tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri, sylvæque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subjungere tigres
Instituit (quia Cæsar sacra Liberi patris ex Armenia
Romam translulit), Daphnis thyasos inducere Baccho,
Et foliis lenta intexere molibus hastas, etc.

Nimirum epitaphia hæc duplici fine inventa sunt. *Epitaphiorum* Prior est, ut viventibus sint mortis specula, eos que moneant vitam hanc esse comediam, in qua quisque personam agit vel rustici, vel regis, vel Prima. Pontificis, donec finiatur actio comica, vel tragicæ. Posterior, ut iisdem sint virtutum exempla Secunda, et incitamenta. Ita Virgilius, *XI Aeneid.* :

Ita, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus.

Idipsum ad vivum in seipso repræsentavit moriens Augustus Cæsar, uti refert Suetonius in ejus Vita. Nam astantibus dixit: « Satisne belle, amici, personam nostram egimus? » Illis respondentibus: « Belle: Valete ergo, inquit, et plaudite; » ac reducta cortina animam exhalavit, significans vitam hanc esse fabulam, in eaque se egisse personam Imperatoris: eam se nunc in morte ponere, ac in terram, e qua formatus erat, redire; posteris autem fortunati imperatoris effigiem relinquere, ut jure singuli ei succedentes sibi acclamari optent: « Augusto felicior, Trajano melior. » *Tertio*, epitaphia hæc sunt heroïcorum facinorum decora, æque ac defunctorum monumenta, ut vivant in memoria charorum et posterorum; itaque æternitatem nominis consequantur: hanc enim ex instinctu naturæ optat et ambit homo, quod ipsum signum est immortalitatis et æternitatis animæ, ac resurrectionis; nisi enim ipsa æterna esset, non ambiret æternam sui memoriam; nam ideo in mentibus hominum semper vivere exoptat, quia in seipsa semper vivit sentique, et gaudet se vivere in mentibus aliorum. Adde, cum natura hoc æternitatis desi-

Quarta.

derium animis hominum inseverit, sequitur ipsos æternos esse. Natura enim nihil facit frustra, nec appetitus frustraneos inserit, aut a se insertos frustrari patitur. Denique *quartam* causam assignat S. Augustinus, scilicet ut pro defunctis fidelibus oretur. Audi eum, lib. *De Cura pro mortuis*, cap. iv : « Non ob aliud, ait, Memoriæ, vel monumenta dicuntur ea, quæ insignita sunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtraherentur, in memoriam revocant, et admonendo faciunt cogitari. » Et mox : « Cum itaque recolit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, ei occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. » Pergit deinde ostendere hæc monumenta non tantum esse vivorum solatia, sed et mortuorum adjumenta. Iisdem de causis quotidie in Martyrologio legimus sanctorum eo die defunctorum agones et triumphos.

CANON. X. Prophetæ minores, quia concisi sunt et patheticæ, hinc affectibus abundant, eosque alternant et miscent, ut nunc peccatoribus minentur iram Dei, nunc blandiantur, nunc terreant, nunc consolentur, nunc irascantur, nunc misereantur, nunc fulminent, nunc gemant, nunc rideant, nunc plorent; perinde ut videmus homines in ira, mœrore, gaudio, vel desperatione constitutos, hosce affectus alternare; loquuntur enim quæcumque affectus varii et inter se pugnantes, puta nunc ira, nunc spes, nunc timor, nunc mœror, vicissim exsurgentes suggerunt. Hac de causa abundant hyperbatis, aposiopesibus, emphasisbus aliisque figuris patheticis, quæ vel indignationem, vel misericordiam concitant; hinc etiam sententiæ sequentes, subinde immediate precedentibus non sunt connexæ; sed eas quæ multo ante præcesserunt, respiciunt: ut Michææ cap. vii, 5, ῥο Nolite credere amico, non cohæret cum eo quod præcessit: « Nunc erit vastitas eorum, » sed cum eo quod superius dixit, vers. 2 : « Periit sanctus de terra, etc., vir fratrem suum ad mortem venatur. »

CANON. XI. Omnes Prophetæ pro fine et scopo habent Christum, in eumque toti collimant. Quocirca sæpe ad eum avolant; et quod observatione dignum est, omnes, excepto Jona et Nahum, expresse in Christo desinunt, in eoque oracula sua finiunt, quasi ei coronidem operis sui assignantes.

Proprietæ
in Chri-
sto.

Primus enim Osee, cap. ult. vers. 6, ita Christum pingit: « Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilyum, et erumpet radix ejus ut Libani. » Secundus Joel, cap. iii, 18, ita concludit: « Et erit in die illa (Evangelii): stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, etc. Et Dominus commorabitur

in Sion. » Tertius Amos, cap. ix, 11 : « In die illa, inquit, suscitabo tabernaculum David (puta regnum et Ecclesiam Christi), quod cecidit: et reædificabo aperturas murorum ejus, etc., ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos. » Quartus Abdias ita desinit: « Et ascendent saltores in montem Sion judicare montem Esau, et erit Domino regnum. » Quintus Michæas ita finit: « Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum? etc. Revertetur et misericordia nostri: deponet iniquitates nostras, et projicit in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis. » Christus enim est veritas et misericordia, olim promissa Abrahæ et Patribus. Sextus Habacuc ita clare in Christo exultans conquiescit: « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo, » cap. iii, 18. Septimus Sophonias, cap. ultim. vers. 9 : « Tunc, ait, reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. Ultra flumina Æthiopæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi. » Et vers. 14: « Lauda, filia Sion; jubila, Israel; lætare et exulta in omni corde, filia Jerusalem, » etc. Octavus Aggæus ita concludit: « Ego movebo cœlum pariter et terram. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel (in Christo ex te nascituro), fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus; et ponam te quasi signaculum, quia te elegi. » Zorobabel enim hic repræsentat Christum, quasi pater filium. Nonus Zacharias, cap. ult. vers. 7 : « Et erit, ait, dies una, quæ nota est Domino, non dies, neque nox, et in tempore vesperi erit lux. Et erit in die illa: Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem. Et erit Dominus rex super omnem terram; in die illa erit Dominus unus, et erit nomen ejus unum. » Decimus Malachias ita finit in Elia, qui secundum Christi adventum præcurret: « Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum. » Undecimus Daniel pari modo, cap. xii, 2, oracula sua obsignat resurrectione et judicio Christi: « Multi, inquit, de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Duodecimus Isaias simili argumento librum terminat: « Assumam ex eis, inquit, in sacerdotes et levitas, dicit Dominus: quia sicut cœli novi et terra nova, quæ ego stare facio coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato, » etc. Decimus tertius Ezechiel, cum novam Jerusalem, puta Ecclesiam

Christi, descripsisset, in ea desinit, dicens : « Et nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem. » *Decimus quartus Jeremias*, Threnos ita claudit, cap. iv, 20 : « Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris: cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus. » Ita Prophetæ, Apostoli, Sanctique omnes quodlibet opus in Christo incipiunt, in Christo finiunt et desinunt, eique quasi centro cordis sui dicunt cum S. Nazianzeno : « A te principium, tibi desinet : » uti S. Paulus omnes omnino epistolas suas orditur a Jesu Christo, et pene omnes in eodem terminat. Vides hic, ut finis legis et Prophetarum, æque ac Apostolorum et Sanctorum, sit Christus. Sicut enim is qui aliquid vehementer amat, de eo crebro cogitat, loquitur, somnians: sic et Prophetæ quasi divini amoris sauciati vulnere, quo futurum Messiam ardebat, omnes suos cogitatus, verba et facta eo flectebant, ut illum quærerent, illum sonarent; illius denique, in quo uno salus et redemptio mundi posita erat, vitam, mores et mysteria, ubicumque commode possent, repræsentarent.

CANON. XII. Verba S. Scripturæ et Prophetarum diversos, imo contrarios subinde habent sensus, idque quia a diversis, imo contraria sentientibus proferuntur; vel diversas, imo contrarias causas, effectus aut fines respiciunt. Exemplum illustre est *Joan.* cap. xi, 50, ubi Caiphas de Christo ait : « Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat. » Quibus verbis Caiphas intendebat significare expedire Judæis, ut Christum neci darent, ne Romani Judæam, quæ Christum quasi Messiam regem Judæorum Cæsari oppositum colebat, invaderent; quod sane politicum, scelestum et diabolicum erat consilium. Verum Spiritus Sanctus qui movebat linguam Caiphæ, non cor, ut ait S. Chrysostomus, per hæc ejus verba longe aliud intendebat significare, nimirum expedire ut Christus pro salute populi moreretur, ac morte sua redimeret Judæos, omnesque gentes; quod non intelligebat Caiphas. Unde subdit S. Joannes : « Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex (ideoque caput Ecclesiæ veteris) anni illius prophetavit (materialiter, non formaliter) quod Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. »

Sic IV *Reg.* VIII, 10, Hazael consulens Elisæum, rogansque an Benadad rex Syriæ a morbo revallesceret, necne, ab eo audit : « Vade, dic ei : Sanaberis: porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur. » Si sanabitur, quomodo morte morietur? An vero jubet Propheta Hazaeli, ut regi suo mentiatur? Absit. Itaque duo contraria significat hic Propheta, quorum utrumque erat verum. Prius, morbum regis non esse lethalem; unde ait: « Sanaberis, » scilicet quantum est ex parte morbi, q. d. Morbus tuus non est lethalis,

morbo tuo non morieris; idque erat verum: posterius, « morte » tamen « morietur, » scilicet non naturali, sed violenta: nam Hazaël regnum ambiens, et invadens, vers. 15: « Tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem ejus, » itaque suffocavit eum prætextu refrigerationis: « Quo mortuo, regnavit Hazaël pro eo. »

Similis antiphrasis est III *Reg.* cap. xxii, 13, ubi Micheæas Propheta consultus ab Achab rege Israel, an oppugnatio urbis Ramoth sibi foret prospera, necne, respondet: « Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis, » q. d. Quia vis ascendere, ascende, optoque ut prosper hic sit ascensus, urbsque tibi tradatur: verumtamen per prophetiam scio contrarium eventurum: scio enim quia ibi occideris, uti paulo post occisus est. Est ergo ironia; ut notant ibidem Abulensis et Vatablus.

Huc facit quod scribit Ambrosius Catharinus in *Vita S. Catharinae Senensis*, lib. II, cap. xxviii et xxix, ipsi a Deo revelatos esse duos sensus illius orationis Christi in horto: « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, » *Matth.* cap. xxvi, 39. Sensus, inquam, novos et diversos, imo in speciem contrarios vulgari expositioni. Prior est, q. d. Pater mi, illico da mihi bibere calicem passionis, illum enim avidissime sitio; da ut illico patiar et moriar: ardor enim meus patiendi nullas patitur moras, ne quidem horæ, vel instantis unius: fac ergo ut illico per me transeat, ac deinde a me transeat calix iste ut, per passionem meam abolita morte et peccato, illico redimam genus humanum, itaque ad te revertar, ut te fruar, mi Pater. Hoc enim Christus optabat secundum spiritum: optabat enim accelerare et absolvere opus redemptionis nostræ, ad quod a Patre erat missus. Unde ipse ait: « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur, » *Lucæ* cap. xii, 50. Et paulo ante passionem: « Desiderio desideravi hoc passcha manducare vobiscum. » Voluit dare exemplum S. Ignatio, Laurentio, Vincentio, aliisque generosis martyribus desiderandi crucis, et ambiendi martyria. Secundum carnem tamen optabat contrarium, nimirum, « transeat, » id est auferatur a me calix passionis. Porro hi duo sensus se invicem compatiuntur: poterat enim Christus unum orare secundum carnem, alterum secundum spiritum. Si poterat, probabile est eum fecisse. Nam si Apostolus ait, I *Corinth.* xiv: « Orabo spiritu, orabo et mente; » multo magis Christus orans carne, oravit et spiritu: spiritus autem desiderium erat contrarium desiderio carnis: caro ergo hisce verbis optabat transferri a se passionem, spiritus vero optabat eam accelerari, et celeriter pertransire. Posterior sensus illius orationis S. Catharinae revelatus est hic: Videbat, inquit ipsa, Christus Dominus mul-

tos fore ingratos suæ passioni , mansuros in peccatis , ac damnandos , hic erat ei summus dolor , huncque vocat suum calicem , q. d. Transeat a me calix iste , id est , amove a me hunc dolorem , hoc tormentum , puta hunc numerum damnandorum : fac ut omnes meæ passionis ita sint participes , ut salventur. Et si hoc Christus absolute et efficaciter orasset , utique impetrasset ; quia Pater nil negat Filio : sed maluit Christus ex reverentia se conformare Patris voluntati et iustitiae , ideoque subjunxit : « Verumtamen non sicut ego volo , sed sicut tu . » Ita S. Catharina. Hosce S. Catharinæ Senensis sensus citat et sequitur inter alios noster Ludovicus de Ponte , *Meditatione de oratione Christi in horo*. Verum hec sobrie accipienda sunt , nec imitanda , nisi ex Dei revelatione , vel aliunde constet illos sensus intentos fuisse a Spiritu Sancto. Quia in re peccant multi concionatores , qui ex cerebro suo fingunt sensus S. Scripturæ , saepè ipsi litteræ et menti Spiritus Sancti contrarios , contra quos egredi superius , *Quæst. III.*

Simili modo vox carnis afflictissimæ est illa Job , maledicentis diei suo , cap. iii , 2 : « Pereat dies in qua natus sum ; » vox vero spiritus est : « Nudus egressus sum de utero matris mee , et nudus revertar illuc. Dominus dedit , Dominus abstulit. Sicut Domino placuit , ita factum est. Sit nomen Domini benedictum , » Job cap. i , 21. Sic vox carnis est illa *Jeremiæ* , cap. xx , 14 : « Maledicta dies in qua natus sum , etc. Quare de vulva egressus sum , ut viderem laborem et dolorem , et consumerentur in confusione dies mei ? » Vox vero spiritus : « Cantate Domino , laudate Deum : quia liberavit animam pauperis de manu malorum . » *Ibidem* , vers. 13. Sic saepè aliud caro nostra orat , aliud per eamdem orationem petit et impetrat Spiritus Sanctus. Nam , ut ait Apostolus , *Rom. cap. VIII* , 26 : « Quid oremus sicut oportet , nescimus , sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitis inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda , scit quid desideret spiritus : quia secundum Deum postulat pro sanctis . » Pari modo in Scriptura solerter secernendæ sunt sententiae fidelium et piorum , a sententiis dictisque infidelium et impiorum , ut *Ecclesiastæ* cap. iii , 19 : « Unus interitus est hominis et jumentorum , et æqua utriusque conditio , etc. , et nihil habet homo jumento amplius . » Quæ verba S. Gregorius , lib. IV *Dialog. iv* , Olympiodorus et alii interpres , censem dicunt a Salomone , non in persona propria , sed in persona Epicureorum , negantium animæ immortalitatem. Sic in libro Job solerter distinguenda sunt verba Job a verbis Eliphaz , aliorumque amicorum ejus : illa enim probantur a Deo , haec improbantur , Job cap. ult. vers. 7. Simili modo in Evangelio S. Joannis , secernenda sunt verba Judæorum Christo credentium , a verbis incredulorum. In eadem enim turba alii credebant Christo , alii non credebant. Unde con-

traria sentiunt et dicunt : illi enim probant , hi improbant dicta Christi. Quare videndum quid cuique sit tribuendum. Hoc canone multas solvemus antilogias , multa loca in speciem contraria conciliabimus.

CANON XIII. Hebreum **כִּי** , id est *quia* , *quoniam* , saepè non causam significat , nec rationale est , sed exceptivum , vel adversativum , vel sermonis inchoativum , vel encliticum , et ornatus duntaxat gratia additum. Hinc primo , *ki* , id est *quoniam* , ponitur pro *quamvis* , *Psalm. LXXVII* , 20 : « *Quoniam* , » id est *quamvis* , « percussit petram , et fluxerunt aquæ , etc. Numquid et panem poterit dare , aut parare mensam in deserto ? » *Habacuc* cap. II , 18 : « Quid prodest sculptile , *quia* , » id est *quamvis* , « sculpsit illud fector suus ? »

Secundo , *ki* , id est *quoniam* , est nota asseverationis , et capitur pro *sane* , *certe* , *enimvero* , *Psalm. XVII* , 30 : « *Quoniam* , » id est *enimvero* , « in te eripiar a tentatione . » *Psalm. LI* , 13 : « *Quoniam* , » id est *sane* , « si inimicus meus maledixisset mihi , sustinuissem utique . »

Tertio , *ki* saepè est nota initii sermonis , et periodum inchoat , uti videre est in *Psalmis*. Sic *Lucæ* cap. I , 61 , dicitur : « Et dixerunt ad illum : Quia nemo est in cognatione tua , qui vocetur hoc nomine . » *Osee* cap. XI , 1 : « Quia puer Israel , et dilexi eum . »

Quarto , *ki* , id est *quia* , ponitur pro *quod* , *Luc. II* , 13 : « Sicut scriptum est in lege Domini , *quia* , » id est *quod* , « omne masculinum adaperiens vulvam , sanctum Domino vocabitur . »

Quinto , *ki* , id est *quia* , sumitur pro *porro* , *ad hæc* , *insuper* , *Sophon. cap. III* , 9 : « *Quia* , » id est *insuper* , « tunc reddam populis labium electum . »

Sexto , *ki* ponitur pro **וְנִ** *ascer* , relativo , id est *qui* , *Gen. IV* , 25 : « Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel , quem (hebraice *ki* , id est *quia*) occidit Cain . » *Exodi* XIII , 17 : « Non eos duxit Deus per viam terræ Philistium , quæ (hebraice *ki* , id est *quia*) vicina est . »

Septimo , *ki* , id est *quia* , est adversativum , capiturque pro *sed* , *II Reg. XVI* , 18 : « Nequaquam , *quia* , » id est *sed* , « illius ero , quem elegit Dominus . »

Octavo , *ki* est nota temporis , significans *quando* , *cum* , *Gen. cap. IV* , 12 : « Cum (hebraice *ki*) operatus fueris eam , non dabit tibi fructus suos . »

Nono , *ki* est exceptivum , idem valens quod *nisi* . *I Reg. XXX* , 17 : « Et non evasit ex eis quisquam nisi (hebraice *ki*) quadringenti viri . » Est apocope , **כִּי** *ki* enim ponitur pro **כַּנְנָה** *kiim* , id est *nisi* .

Decimo , *ki* , cum geminatur , est disjunctivum , significans *aut* , *vel* , ut *III Reg. cap. XVIII* , 17 : « Aut (hebraice *ki*) in diversorio est , aut in itinere , aut certe dormit » vester Deus Baal.

Undecimo , est negativum , significans *ne* , *non* , *Isai. cap. XXX* , 21 : « Hæc est via , ambulate in

ea, et non (hebraice *ki*) declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram. »

CANON XIV. Post schisma Jeroboam et decem tribuum a duabus, earumque rege Roboam, usque ad captivitatem Babylonicam, distinguuntur hæc duo nomina, *Israel* et *Juda*. *Israel* enim decem, *Juda* duas tribus significat. Post captivitatem vero Babylonicam, *Israel* et *Juda* pro eodem accipiuntur; scilicet pro duabus tribubus, tum quia in his solis perstitit familia et nomen Israelis, id est Jacobi Patriarchæ: cæteræ enim tribus toto orbe dispersæ fuerunt, tum quia multi fideles e decem tribubus junxerunt se Judæ. Tribus ergo *Juda* cæteras decem, quæ *Israel* vocabantur, complexa est. Ita S. Cyrillus, Ribera et Arias in cap. XII *Zachariæ*, 1. Sic Zacharias, pater Joannis Baptiste, canit: « Benedictus Dominus Deus *Israel* », id est Judæorum. Sic Christus ait se missum ad oves quæ perierunt domus *Israel*. Sic Evangelistæ sæpe nominant *Israel*; nec alium intelligunt, quam populum Judaicum, utpote qui solus ex stirpe Israelis restabat, eratque hæres promissionum Abrahæ et *Israel*, id est Jacobo, a Deo factum.

CANON XV. Verba activa Hebræorum sæpe non actionem et effectum, sed agendi virtutem, vim et potentiam significant. Sic Christus, *Joan.* 1, vocatur « agnus, qui tollit peccata mundi : lux quæ in tenebris lucet, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », scilicet quantum in se est, q. d. Christus in se habet virtutem tollendi peccata, dispellendi tenebras, et illuminandi omnem hominem, nimurum, nisi ipse oculos claudat et lucem hanc videre nolit, ut multi infideles et impii fecerunt, et faciunt. Simili modo dicimus: Hic ignis urit; hæc aqua humectat, id est, habet vim urendi, humectandi, etc., etiamsi sæpe nil urat, nec humectet. Ita intellige illud *Marci* cap. ult.: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit », scilicet quantum est ex natura et vi fidei et baptismi; si nimurum is qui credidit, leges et præcepta fidei, ac spiritum baptismi acceptum sequatur, et exsequatur in servandis Christi mandatis. Et illud *Joan.* cap. VI, 55: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam », scilicet quantum est ex vi Eucharistie; cui tamen peccator obicem suis peccatis ponere potest, eamque elidere. Sic sæpe Scriptura cum enarret opera Dei, magis significat ea quæ facere potest, quam quæ re ipsa facit, ut: « Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigant », *Psal.* CIII, 32: « Qui præcipit soli, et non oritur, et stellas claudit quasi sub signaculo », *Job* cap. IX, 7. Et clarius vers. 6: « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur », hoc est, concutere et commovere potest. Sic Zacharias, cap. XII, 12, dicit quod omnes familie Judæorum, videntes Christum in cruce confixum, plangent, id est jure plangere pote-

runt et debebunt. Quem enim ad planctum non moveat Deus in cruce fixus? etiamsi de facto multi increduli eum non planxerint, sed subsannarint. Et *Amos*, cap. VIII, 10: « Convertam, ait, omnes festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planetum, et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium. » Non est necesse omnes sacco indui, aut omnia capita decalvari; sed sensus est, q. d. Tanta erit clades, ut merito ornes possint saccum induere, et caput decalvare. Et *Isaiæ* cap. IV, 1: « Apprehendent septem mulieres virum in illa die. » Id factum nusquam legimus; sed sensus est, q. d. Tanta erit cædes virorum, ut vix unus maritus septem mulieribus reperiatur, ac consequenter ut septem mulieres pro uno marito certare possint, vel debeant, si more gentis suæ nubere velint.

CANON XVI. Prophetæ, præsertim Zacharias, sæpe utuntur apologis, tum ad obscuritatem, quæ propria est prophetæ, tum ad elegantiam, tum ad excitandam auditorum torpentium, imo oracula Dei aversantium iisque adversantium, attentio nem: sieut Demosthenes judicium oscitantium attentionem excitavit, narrando fabulam mulionis, de umbra asini in ardente sole contendentis cum asini conductore. Ea enim curiositas hominum, ut ad fabulas et res novas aures arrigant, ad graves et serias demittant, velut iniquæ sortis aselli. Insignis apodus est Joas filii Gedeonis, dictatus ab eo contra Sichimitas qui regem sibi crearant spurium et tyrannum Abimelech, *Judic.* cap. IX, vers. 8: « Ierunt, ait, ligna, ut ungerent super se regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, et super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, et impera nobis. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri? Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, et impera super nos. Quæ respondit eis: Si vere me regem vobis constitutis, venite et sub umbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani, » sensus est, q. d. Vos, o Sichimitæ, elegistis vobis in regem Abimelech parricidam et tyrannum, quasi rhamnum, qui proinde vos punget et cruciabit. Justo ergo Dei judicio vobis eveniet, ut lis et bellum inter vos et Abimelech concitetur, quo et vos ipsum conficiatis et ipse viciissim vos, ut utrique pereatis. Tyrannus enim in suos, etiam nobilissimos, si, ut communiter fit, ob tyrannidem ei litem moveant, exitium immittit; quo tamen et ipse afflatur pariter, interitque, uti in plerisque tyrannis visum est. Ve-

Apologis
utitur
Zacha-
ria.

Et *Joas*.

rus Propheta fuit Joas, nam Sichimitæ et Abimelech se invicem confecerunt. Similis apolodus est Joas regis Israel ad Amasiam regem Juda, se provocantem ad bellum : « Carduus, ait, Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens : Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus quæ sunt in Libano, et conculcaverunt carduum. » Apologum explicat dicens : « Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum : contentus esto gloria et sede in domo tua : quare provocas malum ut cadas tu et Judas tecum ? » IV Reg. cap. xiv, 9. Similis est Zachar. cap. xi, vers. 2 : « Ulula, abies, quia cecidit cedrus, » q. d. Ululate, plebeii, quia ceciderunt magnates; et vers. 1 : « Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuos, » hoc est, aperi, o Jerusalem, portas tuas Tito et Romanis, qui domos tuas cedrinas comburent. Idem, toto cap. v, eleganti apologeto describit captivitatem Judeorum in Babylone, per mulierem impositam amphoræ, et ab alis milvinis translatam in Sennar, id est in Babylonem. Plurimi similes sunt apud Zachariam et cæteros Prophetas, quos paulo post inter Hieroglyphica, vel ænigmata, ordine recensebo.

CANON XVII. Prophetæ subinde alludunt ad fabulas gentilium et poetarum, tum quia hæ fabulæ apud Gentiles erant tritæ et celebres; tum quia subinde non tam fabulæ, quam ænigmata, aut mythologiæ sunt, ad morum informationem compositæ; quales sunt fabulæ Æsopi, quæ magnam sapientiam et prudentiam continent: ethicam enim docent per appositæ rerum fictiones et fabulas. Hinc celebris fuit apud veteres theologia πυθηνή, id est *fabulosa* (et mythologi habitæ sunt philosophi, imo theologi) de qua Fulgentius librum scripsit, ejusque meminit S. Augustinus, lib. VI *De Civit. cap. v*, et Eusebius, lib. III *Præpar. cap. ii*. Sic Malachias, cap. iv, 2, dicens : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiae, et sanitas in pennis ejus, » alludit ad fabulam phœnicis; quia phœnix symbolum est et ænigma solis, qui radiis suis quasi pennis vestitur, iisque vitam et sanitatem cunctis viventibus impertit. Sensus ergo est, q. d. Orietur Christus, qui a morte redivivus quasi phœnix, id est quasi sol salutaris, radiis gratiæ et gloriæ suæ, velut pennis contingens justos mortuos et sepultos, eos a morte ad vitam suscitabit, sanabit, beabit et glorificabit. Sic *Judith* xvi, vers. 8, dicitur : « Nec filii Titan percusserunt eum, » Holofernem. Ubi alluditur ad fabulam Titani, quos poetæ fabulantur fuisse gigantes coeli et terræ filios, ac bellum gessisse cum Jove, ab eoque fulmine adactos in Tartara; de quibus Virgilius, VI *Eneid.* :

Hic genus antiquum terræ, Titania pubes;
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo.

Non quod fabulas poetarum approbet S. Scriptura, sed ut loquatur more vulgi, ejusque sermone

rem veram significet; quia « non bene possumus intelligere quod dicitur, nisi per ea vocabula quæ usu didicimus, et errore combibimus, » ait S. Hieronymus, in cap. v *Amos*, vers. 8, et S. Gregorius, lib. IX *Moral.* cap. vi, præsertim quando fabulæ ex S. Scriptura ortum ducunt, ut Pererius aliquæ viri docti censem fabulam Titanum originem accepisse ex historia et factis gigantum, *Genes.* vi, 4, et xi, 4. Filii ergo Titan, per catachresin vocantur bellicosissimi et robustissimi gigantes, quales poetae nuncupant, censemque fuisse Titanes. Unde explicando subdit Scriptura, *Judith* cap. xvi, 8 : « Nec excelsi gigantes opposuerunt se illi : sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum. » Ita S. Hieronymus, in cap. iii *epist. ad Galat.* sub initium. Sic Isaias, cap. xxxiv, 14, alludit ad fabulas Onocentaurorum et Lamiarum, ut ibi dixi. Sic *Job* cap. xlvi, 14, filia Job, quæ hebraice et a Nostro vocatur *Cornu stibii*, a Septuaginta nuncupatur *Cornu Amaltheæ*, quam poetæ fingunt esse capram altricem Jovis. Sic *Job* xxi, 33, dicitur : « Dulcis fuit glareis Cocyti; » glareæ est terra prope fluvium, arenosa et lapidosa. Cocyteus est fluvius in Arcadia, a Styge palude fluens, quem inferorum esse fluvium poetæ finxerunt, eo quod in illam paludem multa cadavera conjiciebantur, ut cito exederentur. Veterum enim sepultra erant juxta flumina, ut cadavera flumine consumerentur, eoque purgaretur aer. Sensus ergo est, quasi dicat : Impio bene convenit cum sepulcro; nihil enim ibi mali sentit, sed in eo dulciter et suaviter quiescit, ut Poetæ fingunt defunctos quiescere in Cocyte. Mystice S. Gregorius: Impius, ait, dulcis est Cocyte id est diabolo et inferno, qui morte et poenis improborum gaudet et pascitur. Alludit itaque *Job* ad fabulam tritam Cocyti: dictus enim est Cocyteus ἀπὸ τοῦ κωκύτου id est *lugere*; luctus enim convenit mortuis. Hinc Cocyteum fingunt vicinum Acheronti. Audi Virgilium, lib. VI *Eneid.* :

— Tenent media omnia silvæ,
Cocyteusque sinu labens circumfluit atro.

Et Claudianum :

— Presso lacrymarum fonte resedit
Cocyteus, Acheron tacitus obmutuit undis.

Rursum Virgilium, VI *Eneid.* :

Acheron omnem Cocyte eruciat arenam.

Ubi Servius ad physiologiam hoc pigmentum pertinere ait, quod qui caret gaudio, sine dubio tristis est: tristitia autem vicina luctui est, qui ex morte procreatur; recte ergo in Cocyteum per Stygem arenas eructare suas Acherontem fingit Virgilius. Quocirca jure hæc quasi fabulosa ridet Cicero, *Tuscul.* I: « Dic quæso, ait, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocytei fremitus, transvectio Acherontis, mento sumnum aquam attingens siti enectus Tantalus? » Sic *Amos*, cap.

v, 8, ait de Deo : « Facientem Arcturum et Orionem. » Ubi alludit ad fabulas poetarum; ex illis enim imposita sunt nomina stellis. Unde Virgilius :

Arcturum, pluviasque Hyadas geminosque Triones;
Armatumque auro circumspicit Oriona.

CANON XVIII. Ex titulo prophetiae s^aepe colligere licet qualis sit futura, an tristis, an l^aeta, an mixta. Nam cum titulus ejus est **מִשְׁמָה** massa id est onus, vel pondus, signum est evidens tristem fore. Onus enim significat pondus grave et importabile vindictae et p^oenae, ex certo et irrevocabili Dei decreto inferendum impiis, ut duram eorum cervicem premat et curvet, vel frangat, qui Dei patientiam exspectantem eos ad p^oenitentiam contempserunt, et in sceleribus suis obdurati perstiterunt. Unde s^aepe significat plenum urbis et gentis excidium, ut : « Onus verbi Domini in terra Hadrac, et Damasci requies ejus, » *Zachar.* cap. ix, 1 : « Onus verbi Domini super Israel, » *Zachar.* cap. xii, 1. Onus domus Achab, quo excisa est ejus familia, IV *Reg.* ix, 25. Vide *Jerem.* xxiii, 33 et seq. Cum vero titulus prophetiae est « visio, » vel certe « verbum Domini, » tunc ordinarie l^aeta est « et prospera pollicetur, sive post comminationem meliora promittit, » ait S. Hieronymus in cap. xxiii *Jerem.* sub finem. Cum denique titulus est : « Onus visionis, » ut *Isai.* xxii, 1 : « Onus verbi Domini, » ut *Malach.* cap. i, 1, tunc partim tristis est, partim l^aeta. Hic canon S. Hieronymi crebro verus est, non tamen semper. Nam visio exhibita Jeremie, cap. i, et Joeli, cap. i, et Amos, cap. i, et Nahum, cap. i, nil fere l^aetum habet, sed omnia tristia, ac proinde onus includit, uti recte advertit Ribera, *Ose.* cap. i, 1. Porro solus Abdias prophetiam suam inscribit, et vocat Visionem : Nahum vero, Habacuc et Malachias eam inscribunt Onus; cæteri omnes Prophetæ minores eam inscribunt Verbum Domini. In decursu tamen prophetiae, illum subinde visionem nuncupant, ut ejus certitudinem indicent. Visus enim omnium sensuum est certissimus. Unde Theophrastes apud Rhodiginum, lib. X, cap. xxviii, visum scite appellavit formam sensuum : quia scilicet experimenta illorum ille solus quasi actuat, perficit et certificat. Et S. Augustinus, lib. X *Confess.* cap. xxxv, experientiam sensuum, et eorum quasi fidei resolutionem, in visu sitam esse docet; quocirca omnes sensus quasi oculatos exhibentes, dicere solemus : Vide ut sapiat, vide ut sonet, etc. Et Aristotelis gnome est lib. II *Metaphys.*, finem contemplationis esse veritatem visam; unde et beatitudo nostra consistit in visione Dei : Prophetæ ergo abstracti a cæteris rebus, et mentis intuitum figentes in contemplatione unius simplicis veritatis, habuerunt prægustum quemdam et initium beatitudinis, juxta illud Apostoli, I *Corinth.* xiii : « Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, » quæ verba citans S. Augustinus, lib. I

De Trinitat. cap. viii : « Hie, inquit, nobis contemplatio promittitur, actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum. »

CANON XIX Differunt prophetia et extasis. Prophetæ enim s^aepe viderunt futura sine extasi; subinde tamen fuerunt alienata sensibus, raptique in extasim, uti contigit Adæ, Gen. ii, 21, Abrahæ, Gen. xv, 12, S. Petro, *Actor.* x, 10, et S. Joanni in *Apocalypsi* (quæ extases ordinarie factæ sunt, fiuntque per angelos : hi enim sunt administrari Dei); omnibus enim hisce locis græce est **ἔξασις**, quæ proprie est raptus mentis alienatae a sensibus in aliquid sublimius. Unde S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. xxii, docet in extasi mentem a sensibus avulsam dormire mundo, sed laboriosius vigilare Deo. « Est ergo extasis dormitio vigilans, seu vigilia dormiens, » juxta illud *Cant.* v : « Ego dormio, et cor meum vigilat, » q. d. Sensus meus dormit, sed mens vigilat. Nota : S. Thomas, Quæst. XIII *De Verit.*, art. 2, ad ult., et II II, Quæst. CLXXV, art. 3, ad 1, et in II *Corinth.* xii, lect. 1, docet quod excessus mentis, extasis et raptus aliquando contingat sine alienatione mentis a sensibus, nimurum cum quis exterioribus sensibus et rebus utitur, sed tota ejus intentio divinis contemplandis et amandis vacat, qua ratione S. Dionysius, cap. iv *Divin. nom.* asserit quod divinus amor extasim facit : amor enim transfert amantem a se in Deum amatum. Anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat; magis est ergo in Deo, quam in seipsa. Unde S. Bonaventura, tract. *De Gradibus contempl.* : « Extasis, ait, est, deserto exteriori homine, sui ipsius super se voluptuosa quædam elevatio, ad superintellectualem divini amoris fontem. » Aliter vero et secundum magis usitatam significationem : « Fit, inquit S. Thomas, dictus excessus mentis, extasis et raptus, cum aliquis etiam actu ab usu sensuum et sensibilium rerum abstrahitur ad aliqua supernaturaliter videnta; idque per abstractionem a sensibus externis ad imaginariam visionem, vel ab imaginatione quoque ad intellectualem; et hoc iterum aut per intelligibiles immissiones, aut secundum quod intellectus videt Deum per essentiam. » Quod S. Thomas censet concessum S. Paulo in raptu, II *Corinth.* xii, 2; sed contrarium est verius, scilicet S. Paulum non vidisse Dei essentiam, ut ibidem ostendi. Cæteris vero ut Adæ, Abrahæ, S. Petro et S. Joanni, censet extasim contigisse per abstractionem a sensibus, sed cum imaginaria visione, quod verum est, et liquet ex locis citatis Scripturæ. Ordinarie enim mens in cognitione utitur phantasmibus; unde licet rapiatur, habet tamen comites cogitationes phantasie.

Porro opera dæmonis, imo vi morbi, posse aliquem alienari a sensibus, raptique in extasin quasi naturalem, docet noster Delrio lib. II *Disquis. Magic.* Quæst. XXV, ubi refellit Cardanum, qui asserit, « cum libeat, posse quempiam vi naturali rapi; » et Bodinum, qui censet « in ejus-

Exstasis
differt a
propheta.
tia.

modi extasi animam reipsa migrare de corpore. » Denique S. Augustinus, lib. XII *De Genesi ad litter. cap. xxvi* : « Cum rapitur, inquit, anima ad ea visa, quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, omnino a sensibus corporis avertitur, amplius quam in somno solet; sed minus quam in morte. » Nam in somno non ita avertitur a sensibus, quin illi levi sono, motu pulsuque evigilent; in extasi autem nullum motum, sonum pulsumque, etiamsi acrius vellicetur aut pulsetur, sentit: in morte vero avertitur non tantum a sensibus externis, sed etiam internis, imo a toto corpore, ita ut illud amplius non informet, nec animet aut vivificet.

Lingua
Dei ad
animam.

Jam vero linguam, qua loquitur Deus animæ, et anima Deo, pie explicat S. Bernardus, serm. 45 in *Cantic.*: « Verbum et anima, inquit, habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentesque indicent. Verbi lingua, favor dignationis ejus: animæ vero, devotionis fervor. Elinguis est anima atque infans, quæ hunc non habet, et non potest illi esse sermocinatio cum Verbo: ergo cum hujusmodi linguam suam movet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Vivus est enim sermo Dei, et penetrabilior omni gladio ancipi, et pertingens usque ad divisionem animæ. Et rursum cum suam linguam anima movet, Verbum latere multo minus potest, non solum quia ubique præsens, sed quia nisi ipso stimulante, devotionis lingua minime ad loquendum movetur. Verbo ergo dicere animæ: Pulchra es, et appellare amicam, infundere est unde amet, et se præsumat amari. » Et S. Gregorius, lib. V *Moral.* xx, explicans illud *Job*, cap. iv, 12: *Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus*: « Venas, inquit, superni susurri auris cordis furtive suscipit, quia subtilitatem locutionis intimæ afflata mens, et raptim et occulte cognoscit: nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat: occultatur autem ut audiat, et audit ut occultetur; quia et subtracta a visibilibus, invisibilia conspicit; et repleta invisibilibus, invisibilia perfecte contemnit. » Cum ergo loquitur Deus animæ, et illa loquentem audit; non duæ actiones sunt, sed una eademque, quæ ut a Deo proficiscitur, vocatur *locutio*; ut recipitur in homine, vocatur *auditio*. In phantasia loquitur Deus per Angelos, in mente per se. Solus enim ipse illabi potest immediate intellectui et voluntati, quod facere nequit Angelus. Angeli autem in phantasia loquuntur, per motum humorum et spirituum animalium, in quibus deferuntur internæ rerum species: nimirum ita illos commiscendo et componendo, ut hanc illam speciem, et consequenter rem quam volunt, phantasie, et per phantasiam intellectui repræsentent. Varios locutionis Dei et Angelorum modos recenset S. Gregorius, XVIII *Moral.* II.

CANON XX. Prophetia omnis cum sit supernaturalis, exposcit pariter lumen supernaturale, quod

vulgo propheticum vocatur: sicut enim ad visionem corporalem tria requiruntur, scilicet *primo*, objectum emittens sui speciem in oculum; *secundo*, lumen objectum illuminans; *tertio*, ipsa visio, puta oculus recipiens speciem, et per illam objectum illuminatum inspiciens et videns, eaque ratione visionem in se eliciens et producens; ita pariter ad visionem propheticam requiruntur tria, scilicet *primo*, objectum, puta res futura quæ prævidetur; *secundo*, lumen propheticum mentem Prophetæ elevans, ut quasi ex alto eminus rem futuram videat; *tertio*, ipsa visio et cognitio rei futuræ. Porro lumen propheticum non est aliud quam ipsa Dei illustratio et revelatio, sive locutio interna qua mentem Prophetæ illustrat, eique revelat futura; quæ partim Dei est, quatenus a Deo immittitur, partim Prophetæ, quatenus in ejus mente recipitur, imo in ea, et per eam vitaliter concurrentem a Deo producitur, qua Dei est, vocatur *illustratio*; qua Prophetæ est, vocatur *visio*, *auditio*, *cognitio*, ut dixi in fine *Can. XIX*. Lumen ergo hoc, sive illustratio est instar coruscationis, vel fulguris spiritalis mentem perstringens et illustrans (juxta illud *Psalm. LXXVI*, 19: « Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. ») Et illud *Psalm. CXLIII*, 6: « Fulgura coruscationem, et dissipabis eos »), qua mens certo cognoscit rem futuram quæ a Deo revelatur, et simul eam non a dæmone, sed a Deo revelari, ut fit in actu fidei: illius enim objectum materiale est res revelata, formale revelatio divina, vel ipse Deus revelans. Ideo enim fide credo Deum esse trinum et unum, quia Deus ipse, qui est prima veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, id revelavit. Quocirca Prophetæ excipientes Dei revelationem, fide divina tenebantur credere tam sua oracula, quam illa sibi revelata esse a Deo.

Lumen
propheti-
cum quod?

Similes illustrationes, quasi coruscationes sentiunt saepè viri spirituales, præsertim vacantes orationi et contemplationi, quibus mens eorum partim illustratur ad clarius et sublimius cognoscenda attributa Dei, vaticinia Prophetarum, aliaque mysteria fidei et Scripturæ: partim amore Dei rerumque coelestium afflatur et accenditur. Similes sentiunt subinde peccatores, cum Deus eis immittit cogitationes et illuminationes pias de morte, de judicio, de brevitate vitæ, de vanitate concupiscentiarum, de inferno, de cœlo, quibus clare vident se male et imprudentur agere, ac in periculo salutis versari, ideoque timore et dolore percelluntur, qui eos impellit ad pœnitentiam viæque mutationem. Porro istæ illustrationes menti non sunt liberæ, sed necessario in ea recipiuntur, cum Deus illas ei immittit: perinde ac *Est ne-
cessa-
rium,
non libe-
rummen-
ti.*

rumque virtutum actus in se concipiat et effor-
met. Illustrationes enim, quas intellectui, et pii
impulsus affectusque, quos voluntati Deus im-
mittit et indit, sunt gratiae prævenientes, et exci-
tantes mentem peccato vel torpore sopitam, ut
evigilet, et iis libere cooperetur, itaque in se ac-
tus pœnitentia, timoris, amoris et heroicarum
virtutum producat. Pro talibus ut scilicet crebro
eas nobis immittat Deus, continue orare debe-
mus. Ex iis enim omnis noster profectus et salus
optanda? pendet. Ita pro iis orat Psaltes *Psalm. XII*, 4: « Il-
lumina, ait, oculos meos, ne unquam obdormiam
in morte: ne quando dicat inimicus meus: Prevalui aduersus eum. » *Psalm. XVII*, 19: « Quo-
niā tu illuminas lucernam meam, Domine: De-
us meus, illumina tenebras meas. » *Psalm. XXXIII*, 6: « Accedite ad Deum, et illuminamini. » *Psalm. LXVI*, 5: « Deus misereatur nostri, et be-
nedicat nobis: illuminet vultum suum super
nos. » *Psalm. LXXXV*, 5: « Illuminans tu mirabili-
ter a montibus æternis. » *Isai. cap. LX*, 1: « Surge, illuminare, Jerusalem: quia venit lu-
men tuum, et gloria Domini super te orta est. » *Luc. cap. I*, 79: « Illuminare his qui in tenebris,
et in umbra mortis sedent. » *Joan. cap. I*, 9: « Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem
venientem in hunc mundum. » *Ephes. cap. V*, 14:
« Exsurge qui dormis, et illuminabit te Christus. » *Psalm. XXVI*, 1: « Dominus illuminatio mea et
salus mea, quem timebo? » *Job cap. XI*, 17: « Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad ves-
peram: et cum te consumptum putaveris, orieris
ut lucifer. » *Psalm. XCVI*, 4: « Illuxerunt fulgura
ejus orbi terræ. » *Ezech. cap. I*, 13: « Hæc erat
visio discurrens in medio animalium, splendor
ignis, et de igne fulgur egrediens. Et animalia
ibant et revertebantur in similitudinem fulgoris
coruscantis. » *Job cap. XXXVI*, 29: « Si voluerit,
etc. fulgurare lumine suo desuper. » *Psalm. LXXXIX*,
17: « Sit splendor Domini Dei nostri super nos:
et opera manuum nostrarum dirige. » *Isai. cap.*
LVIII, 11: « Implebit splendoribus animam. » *Habac. cap. III*, 4: « Splendor ejus ut lux erit. » *Baruch cap. IV*, 2: « Ambulabimus per viam ad
splendorem ejus. »

In anima moribus, vel mania, non est divi-
nandi. CANON XXI. Ex dictis patet errare veteres Philoso-
phos, qui censuerunt divinationem fieri natura-
liter: nam in anima inesse vim fatidicam, puta
virtutem divinandi, præsertim dum ea morti vi-
vis divi-
nandi. Ratio eorum erat, quod anima
habeat aliquid divinitatis, sitque quasi divinæ
particula auræ: creata enim est ad imaginem Dei;
ergo et divinationis Deo propriæ est particeps. Ita
censuit Plato dialog. *De Natura*: « Quod, inquit,
dementiae humanæ Deus divinandi vim dederit,
illud argumento esse potest, quod nemo dum
sanæ mentis est, divinum et verum vaticinium
ullum assequitur; sed cum vel somno prudentis
vis præpedita est, vel oppressa morbo, vel divino

aliquo raptu a sua sede dimota, fieri divinatio
solet. » Et in *Apolog. pro Socrate*, ex ejus mente
asserit eos qui proximi sunt morti solere divi-
nare. Et Aristoteles, in *Problem. sect. XXX*, probl.
I: « Multi, inquit, propterea quod ille calor sedi-
mentis in vicino est, morbis vesanie implicantur,
aut instinctu lymphatico infervescunt: ex quo
Sibyllæ efficiuntur, et Bacchæ, et omnes qui di-
vino spiraculo instigari creduntur, cum scilicet id
non morbo, sed naturali intemperie accidit. » Si-
milia habet Cicero, lib. I *De Divinat.* additque ra-
tionem: « Cum est, inquit, somno sevocatus ani-
mus a societate et contagione corporis, tum me-
minit præteriorum, præsentia cernit, futura pro-
videt. Jacet enim corpus dormientis ut mortui,
viget autem et vivit animus. Quod multo magis
faciet post mortem, cum omnino ex corpore ex-
cesserit: itaque appropinquante morte multo est
divinior. » Quocirca concludit triplicem esse di-
vinationem; « omnem enim divinandi vim a Deo,
a fato, et a natura dimanare. » Et lib. II: « Sæpe
audivi, ait, poetam bonum neminem sine in-
flammatione animorum exsistere posse, et sine
quodam quasi afflato furoris. » Nam

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.
Impetus ille sacræ semina mentis habet.

Idem censuit Porphyrius, uti refert Jamblicus,
lib. *De Myster. Egypt.* § *De somnis divinis*. Vide-
tur huic sententiae favere S. Augustinus, lib. XII
Confess. citatus a S. Thoma, I part. *Quæst. LXXXVI*,
art. 4, ad 2: « Anima, inquit, habet quamdam
vim sortis, ut ex sui natura possit futura cognos-
cere; et ideo quando retrahitur a corporis sensi-
bus, et quodam modo revertitur ad seipsam, fit
particeps notitiæ futurorum. » Sed recte eum ex-
cusat, mentemque ejus explicat ibidem D. Tho-
mas, dicendo animam separatam a sensibus fieri
aptam et dispositam, ut recipiat impressiones
Dei, Angelorum, vel dæmonum, ac per eas acci-
piat notitiæ futurorum, quam non habet ex
seipsa; et hoc duntaxat velle S. Augustinum.
Adde, quæsivi hæc verba studiose in S. Augus-
tino, nec hactenus ea reperi potui. Illud tantum
reperi lib. IV *Confess.* cap. III, et lib. VII, 6, ma-
thematicos planetarios subinde divinare, et fu-
tura prædicere, non arte, sed sorte, puta casu,
quod verum est, nec ad rem præsentem facit,
imo ejus oppositum insinuat: inter multa enim
quæ prædicunt, subinde casu verum tangunt,
dicuntque; ergo non naturæ vi, non artis certi-
tudine, sed sortis casu conjectant verumque at-
tingunt, quasi aleatores rei futuræ.

Hæc Philosophorum sententia est erronea, et
repugnans non tantum S. Scripturæ, sed et Phi-
losophiæ. De fide enim est prophetiam esse opus
divinum, et prænotinonem futurorum conting-
tium esse dotem propriam Deo, adeoque esse no-
tam et indicem divinitatis. Nam, ut ait Tertullia-
nus, *Apolog. xx*: « Testimonium divinitatis est

veritas divinationis. » Unde Deus cum idolis certans : « Annuntiate, inquit, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos, » *Isai. cap. xli, 23.* Et S. Petrus, *epist. II, cap. I* : « Omnis, inquit, prophetia propria interpretatione non fit : non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. » Hinc et Prophetæ omnes passim hunc titulum oraculis suis praefigunt : « Verbum Domini : Hæc dicit Dominus, » etc. Prophetia ergo est verbum a Deo præscitum et prædictum, non ab homine. Ratio physica est, *Dei reue-* *prima*, quia futura contingentia sunt plane inde-*lans rem* terminata : determinabuntur enim ab agente li-*futuram* bero; cum scilicet voluntas libera in tempore fu-*turo*, libere ad alteram contradictiorum partem se determinabit. Ergo impossibile est ut homo, dæmon, vel angelus ea determinate præsciat et præcognoscat; sed id est virtutis et omniscientiæ divinæ, quæ infinita mentis suæ acie et vi prævidet quid libera voluntas tali tempore, loco et circumstantiis sit electura et determinatura. *Se- cunda*, mens humana pendet a phantasia et sensibus. Nihil enim est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu, ut ait Aristoteles. At futura contingentia nullo sensu percipi possunt : ergo nec ab homine intelligi queunt, non magis quam a cæco colores videri. *Tertia*, quod non exsistit vel in se, vel in sua causa, ab homine et angelo cognosci nequit. At futura contingentia nec in se, nec in suis causis adhuc futuris et indeterminatis, exsistunt. Ergo ab homine et angelo prænoscii nequeunt. Ita S. Augustinus, lib. *De Divinat. dæmon.*, et S. Thomas, *II II, Quæst. IV, art. I, ad 3.*

Maniaci quomodo divinum?

Porro argumentum Platonis et Ciceronis tan-*tum probat animam, cum morti vicina separatur a sensibus, aut cum amore, vino, igne, mania, bile, etc., incalescit, excitari et acui, ut quasi se supra se attollat, videatque et cognoscat ea quæ alias non videret et cognosceret; sed intra terminos et limites naturæ. Unde tunc præsagit ea, ad quæ vel ipsa bilis et humor inclinant, vel quorum causas et principia videt, vel quæ spiritus animales excitati et fervidi naturaliter ei suggerunt, ut patet in poetis. Quocirca viri prudentes simili praxi utuntur, cum carmen, orationem aut concionem, vel quid aliud componere volunt : curant enim ut corpus et caput igne, somno, veste, etc., incalescat, itaque calente cerebro sua componunt. Calor enim excitat spiritus animales, qui excitati multos et insignes conceptus suggerunt; sed deinde defervescente calore, ea relegunt, seligunt, judicant, digerunt. Ingenium enim in calore consistit, judicium in frigore. Unde juvenes ingenio et inventione pollent, senes judicio et censura, utpote qui habent sedatas passiones, frigidosque affectus. Adde sæpe in maniacis immiscere se dæmonem, et sugerere ea quæ remota sunt, vel futura : illa enim præsciunt ex probabili et subtilli conjectura causarum*

præcedentium. Hac enim conjectandi vi et sagacia mens eorum acerrima, præ homine prædicta est : sanctis vero in morte suggerunt subinde angeli, vel Deus oracula de futuris, uti contigit Jacobo, *Genes. XLIX*, et Mosi, *Deuter. XXXIII*. Altera Philosophorum ratio, petita ab imagine, non concludit. Anima enim est imago Dei naturalis, non supernaturalis : quocirca naturaliter tantum naturalia Dei attributa repræsentat, et participat; qualia sunt intellectus, voluntas, memoria, cognitio, amor, libertas, etc., non vero supernaturalia, qualis est prævisio futurorum continguum, vis patrandi miracula, charitas, gratia, gloria, beatitudo, etc. Adde, anima habet aliquid divinationis uti et divinitatis, dum ex signis et causis præviis præsagit futura naturaliter, sed sagaciter.

CANON XXII. Prophetæ et scriptores hagiographi, dum ad certas provincias et gentes prophetant aut loquuntur, consuetudines, ritus, leges, merces, etc., quin et multas voces illis gentibus proprias consulto usurpat, ut eis se accommodent, utque melius res suas eis dilucididas faciant. Ita S. Hieronymus in Abdiā scribit eum usurpare vocem Assyriacam *Sepharad*, id est *terminum*, quam ipse in textu Abdiæ vertit *Bosphorum*, quia de Assyriis erat sermo. Sic Daniel, *cap. II, 3 et seq.*, multa ponit Babylonica nomina musicorum instrumentorum, æque ac Magistratum, uti sunt Satrapæ, Signæ, Adargazæ, Gedrebaæ, Detrabaæ, Tiphthaæ. Sic Job, quia in Arabia vixit, et arabice liber ejus primitus conscriptus fuit, hinc multas voces, æque ac consuetudines arabicas usurpat, uti testatur S. Hieronymus in ejus Prologo. Idem ad *Algasiæ*, *epist. 151, Quæst. X*, scribit Apostolum « humanum diem » nominare ex Cilicum lingua (erat enim ipse Cilix puta Tharsensis), dum dicit *I Corinth. cap. IV, 3* : « Mihi pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die. » Tale quoque esse καταθρεψέτω, *Coloss. cap. II, 18*. Vide ibi dicta. Additque : « Multa sunt verba, quibus juxta morem urbis provinciæ suæ familiarius Apostolus utitur. » Rursum Prophetæ sæpe alludent ad historias et gesta sui temporis, quæ tunc omnibus erant nota; nunc autem sunt incognita, eaque de causa subinde nobis obscuri sunt.

CANON XXIII. Prophetia proprie est de tempore futuro ; per catachresin tamen ad præteritum quoque et præsens sese extendit. Unde Homerus, *Iliad. I*, ait Chalcantem vatem nosse omnia, præterita, præsentia et futura. Quod imitatus Virgilius, *IV Georgic.*, ait :

Novit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Exempla dat S. Gregorius, *hom. I in Ezech.* : « Prophetia, ait, de futuro est : Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, *Isaiæ VII*. Prophetia de præterito : In principio creavit Deus cœlum et terram.

De illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo. Prophetia de præsenti, *I Corinth. XIV* : Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus : occulta enim cordis ejus manifesta fiunt, etc. Quod recte prophetia dicitur, non quia prædictit ventura, sed quia prodit occulta. Ventura etenim res occultatur in futuro tempore; præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde : » utriusque ergo notitia est paris virtutis, puta non humanæ, sed divinæ. Sic Eli-sæus Propheta absens vidit Giezi potentem et accipientem pecuniam a Naaman : « Nonne, inquit, cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tibi ? » *IV Reg. V.* Addit S. Gregoriūs Prophetas præteritis ventura permiscere, itaque fecisse Mosen, « ut dum implentur ea quæ de futuro prædiceret, ostenderet etiam quia de præterito vera dixisset. »

Octo mo-
di pro-
phetiae.

CANON XXIV. Ex prædicto *Can. XIII*, S. Gregoriūs eadem hom. *I in Ezech.* colligit octo prophetæ modos et species. *Prima* est : « Aliquando, inquit, spiritus prophetæ ex præsenti tangit animum prophetantis, et ex futuro nequaquam tangit. » Dat exemplum : « Sicut Joannes Baptista, venientem Dominum videns, ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi ; sed cum jam moriturus esset, missis discipulis requirebat dicens : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ? In quibus verbis ostenditur, quia in terris quidem venisse Redemptorem neverat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descederet, dubitabat. Ex præsenti enim prophetæ spiritu tactus fuerat, qui humanitatem mediatoris videns, et divinitatem ejus intelligens, confitebatur agnum qui peccata mundi tolleret. Sed tactus ex futuro non fuerat, quia adventum illius in inferno nesciebat. »

Secunda : « Aliquando vero prophetæ spiritus animum prophetantis ex futuro tangit, atque ex præsenti non tangit, sicut aperte libri Geneseos historia testatur, cum Isaac Esau filium suum ad venandum misit, cui minorem filium Rebecca ad benedicendum supposuit, qui hædinis pellibus induitus, paterno palpatui corpus fraternum finxit. Cui ille minori filio tanquam majori benedictionem dedit, quæque ei essent longe futura nuntiavit : sed quis esset qui coram se assisteret, scire non potuit. Prophetæ ergo spiritus ex futuro animum prophetantis tetigit, atque ex præsenti non tetigit, quando caligantibus oculis pater et ventura prædicebat, et præsentem filium nesciebat. »

Tertia : « Aliquando prophetantis animum ex præsenti, pariter et ex futuro tangit; quod ex eodem libro Geneseos liquido docemur. In illo quippe scriptum est quia, cum ad vitæ jam terminum propinquaret Jacob, et duos filios Joseph fecisset assistere ante eum, ut ex benedictione illius possent longe post futura promereri, cui

majorem ad dexteram, minorem vero posuit ad sinistram. Cumque ille oculis senectute caligantibus nepotes suos, quis prior, quisve esset minor, humano visu discernere nequaquam posset, ductis in obliquum brachiis, dexteram manum minori, sinistram majori imposuit. Quod dum corrigere filius vellet, ait : Non ita convenit, pater : quia hic est primogenitus; audivit : Scio, fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos, et multiplicabitur; sed frater ejus junior major illo erit. Prophetiæ ergo spiritus ex præsenti, pariter et ex futuro, prophetantis animum tetigit, dum Jacob et ventura nuntiabat, et eos quos corporeis oculis videre non poterat, ante se positos per spiritum discernebat. Sic Abiæ Prophetæ animum prophetiae spiritus et ex præsenti, atque ex futuro tetigerat, cum caligantibus oculis eam, quæ se esse aliam simulabat, et uxorem Jeroboam esse cognovit, et quidquid ei futurum esset aperuit, dicens : Ingredere, uxor Jeroboam; hæc dicit Dominus Deus Israel : Quia operatus es male super omnes qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum, idcirco ego inducam mala super domum Jeroboam. Ex præsenti ergo, atque ex futuro pariter prophetantis animus tactus fuerat, qui et ingredientem deprehendere potuit, et ei ventura nuntiare. »

Quarta : « Aliquando autem ex præterito, et ex præsenti, atque ex futuro pariter tangitur animus prophetantis : sicut Elisabeth venire ad se Mariam conspiciens, quia incarnatum Verbum gestaret in utero, agnovit, eamque jam Domini sui matrem vocavit, dicens : Unde hoc mihi, ut venniat mater Domini mei ad me ? De cujus conceptione per angelum quoque ad Joseph dicitur : Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Quæ videlicet Elizabeth dicit : Beata quæ credidisti, quoniam perficiuntur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. Dicens enim : Beata quæ credidisti, aperte indicat quia verba angeli quæ dicta ad Mariam fuerant, per Spiritum agnovit; atque subiungens : Perficiuntur ea quæ sunt dicta tibi a Domino, quæ eam in futuro sequentur prævidit. Simil ergo de præterito et præsenti, atque ex futuro per prophetæ spiritum tacitum est, quæ et eam promissionibus angeli credidisse cognovit; et matrem nominans, quia Redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit. Et cum omnia perficienda prædiceret, quid etiam de futuro sequeretur, aspexit. »

Quinta : « Aliquando vero prophetæ spiritus ex præterito tangit animum, nec tangit ex futuro; sicut in Paulo Apostolo aperte ostenditur, qui discipulis diecit : Notum vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Unde aliis quoque discipulis

dicit : Secundum revelationem notum factum est mihi sacramentum. Qui tamen hoc ipsum Evangelium quod per revelationem cognoverat, cum Hierosolymam prædicaturus ascenderet, ait : Ecce ego alligatus spiritu vado in Jerusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans. »

Sexta : « Aliquando prophetæ spiritus tangit ex futuro, nec tangit ex præterito, sicut in Elisei facto scriptum est quia, cum unus ex filiis Prophetarum materiam succideret, huic ferrum securis in aquam cecidit, qui exclamavit : Heu, heu, Domine mi, et hoc ipsum multuo acceperam. Dixit autem homo Dei : Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, et misit illud, natavitque ferrum. In quo videlicet prophetæ facto cognoscitur, quia qui requirit ubi ceciderat, quid esset facturus noverat : sed tamen cum requirit, constat quia, ubi ferrum cecidisset, ignorabat. Prophetæ ergo spiritus Elisei mentem ex futuro tetigerat, sed ex præterito non tangebat, qui et ferrum ex profundis demersum, quia revocaturus esset ad superficiem scire potuit; sed ubi ceciderat omnino nescivit. »

Septima : « Aliquando prophetæ spiritus in præsenti ex parte tangit, et ex parte non tangit. Quod Petri Apostoli historia testatur, cum missi ad eum a Cornelio milites, ei sunt per spiritum nuntiati. Scriptum quippe est : Et dixit spiritus ei : Ecce viri tres querunt te. Ad quos ille descendens, et requirens dixit : Quæ causa est propter quam venistis? In cuius verbis ostenditur quia camdem causam per spiritum non audierat, quam a militibus requirebat. In præsenti ergo mentem Petri spiritus ex parte tetigerat et ex parte non tetigerat, qui et adesse milites dixit, et pro qua causa venerant, tacuit. »

Octava : « Aliquando spiritus in futuro ex parte tangit, et ex parte non tangit; sicut Prophetarum filii de auferendo Elia ad Elisæum dicunt : Numquid nosti quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Quo tamen ablato sese per diversa dispergunt, eumque in rupibus et vallibus quærunt. In futuro ergo eorum mentem prophetæ spiritus ex parte tetigerat, et ex parte non tangebat, quando eum quem tollendum noverant, non inveniendum quærebant. Ex parte itaque tacti sunt, atque ex parte non tacti, qui et sciebant quod tolli posset, et nesciebant quod inveniri non posset. Idem quoque Eliseus per prophetæ spiritum de futuro ex parte tactus est, et ex parte non tactus, cum regi Israel diceret : Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, et stetisset, iratus est contra eum vir Dei et ait : Si percussisses quinques, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem; nunc autem tribus vicibus percutes eam. Qui itaque noverat quia toties percuteret Syriam, quoties percussisset terram; sed cum ei diceret : Percute terram, quoties eam percussurus esset ignorabat : quippe et indignatus est terram tertio

fuisse percussam; profecto constat quia de futuro ex parte tactus fuerat, et ex parte non tactus, qui Syriam percuti prædixit, sed terram amplius percuti voluit. »

CANON XXV. « Aliquando, inquit ibidem S. Gregorius, prophetæ spiritus Prophetis deest, nec semper eorum mentibus præsto est, quatenus cum hunc non habent, et hunc agnoscant ex dono habere cum habent. Unde Eliseus cum flentem Sunamitem mulierem a suis pedibus per Giezi puerum avelli prohiberet, dixit : Dimitte illam; anima enim ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi. Sic quoque cum eum Josaphat de futuris requireret et prophetæ ei spiritus deesset, psalmum fecit applicari, ut prophetæ ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque ejus animum de venturis repleret. Vox etenim psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, ut intentæ menti vel prophetæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat. »

CANON XXVI. « Aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur, inquit ibidem S. Gregorius, ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt, et se hæc ex prophetæ spiritu dicere suspicantur; sed quia sancti sunt, per Spiritum Sanctum citius correcti, ab eo quæ vera sunt audiunt, et semetipsos, quia falsa dixerunt, reprehendunt. » Ita Nathan, inquit S. Gregorius, Propheta fuit, quia occultum Davidis adulterium et homicidium ei revelavit et redarguit; sed prædicens Davidi fabricam templi, quasi Deus illud a Davide vellet ædificari, erravit. Unde mox de errore admonitus a Deo, eum correxit : « Qua in re inter Prophetas falsos ac veros ista distantia est, quia Prophetæ veri si quid aliquando per suum spiritum dicunt, hoc ab auditorum mentibus per Spiritum Sanctum eruditæ citius corrigunt. Prophetæ autem falsi et falsa denuntiant, et alieni a Sancto Spiritu, in sua falsitate perdurant. »

CANON XXVII. Hæ voces « non amplius, non ultra, » in Scriptura et Prophetis sæpe non significant æternitatem, sed longitudinem temporis, scilicet rem illam non fore longo admodum tempore, etiamsi postea futura sit, scilicet post hominum tum viventium mortem et memoriam: tunc enim videtur fore quasi aliud novumque sæculum, ad quod non se extendit vulgaris hominum sermo, uti nec vita, vel memoria. Sic de ortu Christi ait Isaias, cap. II, 4 : « Nec exercebuntur ultra ad prælium, » quia nascente Christo fuit pax universalis in orbe, eaque duravit diu. Sic idem, cap. xxiii, 12, ait de Tyro : « Non adjicies ultra ut glorieris. » Et Ezechiel de eadem, cap. xxvi, 13 : « Sonitus cithararum tuarum non audietur amplius. » Et versu 14 : « Non ædificaberis ultra, » scilicet ad longum tempus: nam postea reædificata est, et pristinam gloriam resumpsit; unde ab Alexandro Magno rursum

vastata est. Simili modo « æternum, sæculum, generatio generationis, » sæpe non æternitatem absolutam, sed temporiam et humanam, hoc est longum tempus denotant, ut cum lex Mosis dicitur fore æterna. Vide *Can. IV* in *Pentateuch.*

CANON XXVIII. Verba Hebræorum nunc actum perfectum, nunc continuatum, nunc inchoatum, nunc destinatum duntaxat significant; v. g. *credo*, nunc significat credere destino, nunc credere incipio, nunc credere pergo, et in fide confirmo, nunc plane et perfecte credo, ut alibi ostendi. Rursum, id fieri dicitur, quod aptum est et proclive ut fiat: atque id facere dicitur quis cuius faciendi potestatem habet, ut *facio* sit idem, quod *possum facere*. Sic *Job*, cap. IX, 7, ait: « Qui præcipit soli, et non oritur, » id est præcipere potest; et vers. 6: « Qui commovet (id est ad nutum commovere potest) terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. » *Amos*, cap. IX, 5: « Qui tangit terram, et tabescet, » *tangit* id est ita tangere potest, ut tabescat. Plura vide apud Salmeronem, *Prolegom.* XX, quin. II, *Can. XII*. Sic Prophetæ dicunt sub Christo abolenda omnia peccata; justitiam, pacem, sanctitatem, omnemque virtutem toto orbe germinaturam: quia scilicet hoc natum erat fieri, atque Christus id ipsum, quantum est ex parte sua, effectit. Dedit enim nobis lytrum sanguinis sui, et gratiam suam potentem et copiosam, qua quisque omnia peccata abolere, omnesque virtutes menti inserere potest, si ea uti, eique cooperari velit, esto multi ea non aboleant, nec virtutes inserant, quia Christi gratiam respnuunt, vel negligunt. Rursum, non simul et semel id fit, sed sensim, crescente anima, æque ac Ecclesia, in fide et virtutibus.

CAN. XXIX. Dicitur conditor, vel auctor rei, qui illam ornavit et auxit, etsi eam primus non fecerit. Sic Alexander Magnus dicitur conditor Alexandriæ, quia eam jam diu conditam auxit et decoravit, eique nomen suum indidit. Sic Nabuchodonosor de Babylone ait, *Daniel.* cap. IV, 17: « Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ego ædificavi? » id est amplificavi et decoravi: nam Babylon diu ante condita est a Nemrod, *Gen. cap. X, 10*. Sic Romulus dicitur condidisse Romam, cum tamen de Evandro, qui ante Romulum fuit, dicat Virgilius, *Aeneid.* VIII:

Tunc rex Evandrus Romanæ conditor arcis.

Sic sæpe in Scriptura dicitur ædificasse locum, vel urbem, qui eam collapsam, dirutam, vel vastatam reædificavit aut restauravit.

CANON XXX. Dativus sæpe apud Hebræos per paragogen redundant, ut *Cant.* cap. I: « Si ignoras te (hebraice, *tibi*), o pulcherrima inter mulieres, egredere; » ubi te et *tibi* redundant. Ibidem, cap. II, 10 et 13: « Surge et veni: » hebraice: *Surge tibi, veni tibi.* Sic Hebræi dicunt: *Vade tibi*, id est vade, abi. Sic *Isai.* cap. VI, 8: « Quem mittam, et quis ibit nobis? » Nonnulli censem *re*

nobis per paragogen addi ornatus causa; ut et *re* *sibi*, *Isai.* cap. LIX, 16: « Salvavit sibi brachium suum; » esto alias istorum locorum sit sensus magis genuinus, ut ibidem dixi.

CANON XXXI. In Prophetis sæpe est climax, id est scala, sive gradatio ad orationis tum elegantiam, tum energiam. Talis est *Ose.* cap. II, 21: « Exaudiam cœlos, et illi exaudient terram; et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum: et hæc exaudient Jezrahel. » Talis est *Joel.* cap. I, 4: « Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus: et residuum bruchi comedit rubigo. » Talis est illa quæ septies iteratur *Amos*, cap. I et II: « Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum. » Similis est illa beati Petri Damiani, serm. *De S. Andrea*: « Solum cor hominis capax est rationis et mysteriorum Dei. Cor est in pectore, anima in corde, mens in anima, fides in mente, Christus in fide; et hoc esse puto quod ait Apostolus, habitare Christum per fidem in cordibus vestris. » Et illa S. Gregorii, homilia 29 in *Evang.*: « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: nam de cœlo venit in uterum, de utero venit in praesepi, de praesepi venit in cruem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum. » Porro « Gradatio, inquit Ciceron ad *Herenn.* lib. IV, « est, in qua non ante ad consequens verbum descenditur, quam ad superius consensum est, hoc modo: Nam quæ reliqua spes libertatis manet, si illis et quolibet licet, et quod licet possunt, et quod possunt audent, et quod audent faciunt, et quod faciunt vobis molestum non est. »

CANON XXXII. Paradoxa crebra sunt apud Prophetas. Tale est *Ose.* cap. I, 2: « Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum. » Et *Ose.* cap. XIII, 14: « Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne. » Et *Jon.* cap. I, 2: « Erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. » Et *Michæ.* cap. V, 2: « Ex te (o Bethlehem) mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis: » si enim egressus ejus est ab æterno, quomodo fiet in tempore? Tale est: « Qui totum cupit, totum perdit; dimidium ergo plus est toto, » de quo dixi *Habac.* cap. I, 15. Sic *Zacharias*, cap. V, 8, vidit impietatem quasi mulierem amphoræ inclusam, ferri in Babylonem. Et cap. IX, 17, vinum germinans virgines, cum vinum incitet ad libidinem. Maxime vero paradoxa dicunt, cum vaticinantur de Christi incarnatione, vita, passione, resurrectione, Ecclesia, missione Spiritus Sancti. Tota enim œconomia vitæ Christi plena est paradoxis, æque ac doctrina et philosophia ejusdem. Quid enim magis apud mundi sapientes paradoxum et incredibile, quam « humilitas exaltat, paupertas ditat, jejunium satiat, in luctu sita est consolatio, in cruce gaudium? » Hæc tamen Christus palam edicit: « Omnis qui se

humiliat, exaltabitur. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, etc.; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, » *Matth. cap. v, 1 et sequent.* « Prophetæ » enim fuerunt « viri portendentes, » ut ait Zacharias cap. III, 8, et « portentum Israel, » ut ait Isaias cap. VIII, 18. Sic Cicero scripsit sua, aut potius stoicorum paradoxa, id est admirabilia, inquit, et contra opinionem omnium, nimirum hec: Solum honestum esse bonum, virtute prædicto nihil deesse ad beate vivendum; æqualia esse peccata, et recte facta (sed hoc non tam est paradoxum, quam error exploratus stoicorum) solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum; solum sapientem esse divitem.

CANON XXXIII. Pleræque omnes veteris Testamenti prophetæ adimpletæ sunt vel ante Christum, vel per Christum. Excipio pauculas de Gog, Magog, Antichristo, judicio et fine mundi, quæ exstant *Ezech. xxxviii et xxxix, Daniel. vii, 25, et cap. xi, 36 et sequent., et cap. xii.* Nonnulli tamen ex iis divinarunt adhuc futura, *primo*, per accomodationem, uti Proclus Episcopus Constantinopolitanus Theodosio Juniori contra Scythas pugnant accommodavit ea quæ Deus intentat Gog et Magog (nam hi erant Scythæ et Tartari), *Ezech. cap. xxxiv, 42*; quia ex plagiis cœlitus in Scythes immissis, probabiliter conjectabat eorum excidium, uti refert Socrates, lib. VII *Histor. cap. xlII.* Secundo, per omen divinum, ut cum S. Antonius, S. Franciscus, S. Martinus, Clodovæus et alii, quorum exempla recensui *Isai. cap. viii, 20*, jussu vel instinctu Dei, ex lectione Prophetarum, vel S. Scripturæ primo occurrente acceperunt normam vivendi, vel didicerunt eventum belli, aut alterius rei futuræ. Dixi, *instinctu Dei*, quia alioqui id facere est superstitionis, et tentatio Dei. Tertio, per novam prophetiam. Ita Joachim Abbas Floriacensis scribens in *Isai. cap. xiii et seq.*: Onus Babylonis, ait, tangit Romam; Chaldæorum, Allemaniam; Philistinorum, Lombardos; Moabitarum, Græcos; Tyri, Siculos; Ægypti, Francos, etc., uti dixi in fine *Proæmii in Isaiam*. Verum in omnibus ipse obscurus et ænigmaticus est, in nonnullis falsus et fallens; esto a multis habitus sit Propheta. Ita sæculo præcedenti Hieronymus Savonarola per oracula Amos, Zachariæ et Danielis, vaticinatus est adversa et prospera, quæ intra centum annos eventura erant Florentinis; quod Turcarum imperator occupaturus esset Italiam et Romam, ac futurus Christianus, æque ac cæteri Turcæ et Saraceni, quod Pontifex cathedram e Roma translaturus esset Hierosolymam; quod brevi venturus esset Papa angelicus, qui totam Ecclesiam reformaret, quæ ita asseveranter asserebat, ut diceret ea sibi revelata esse a

Deo, et multos audientium visuros illa re ipsa compleri. Sed experientia docuit in plerisque eum a vero aberrasse, et illusum fuisse, ac Florentiam paulo post expugnatam; unde tandem ipse misero fine vitam conclusit. Vide Ambrosium Catharinum, lib. *De Prophetiis Savonarolæ*, et Raphaelem Volaterranum lib. V *Geogr. in fine*. Similis est liber propheticus, qui circumfertur nomine Methodii Martyris, sed falso: nam libri auctor non est Methodius Martyr, Olympiæ in Lycia Episcopus, et postea Tyri; sed Methodius Cyrenæs: in quo cum citetur Magister Sententiarum et alia non satis rationi consona, videri possit hic liber ab aliquo magno nebulone compitus, ait Salmeron tom. I *Proleg. vii, sub finem*. Duxi Veteris Testamenti; nam in Apocalypsi, quæ est prophetia Novi Testamenti, multa prædicuntur adhuc futura, uti in ea ostendam; sed in ea multi errant, dum oracula ejus generalia, et totam Ecclesiam spectantia, ad particulares homines, vel eventus detorquent. Egi Romæ cum quodam, qui integrum volumen talium divinationum, vel potius imaginationum conjecturalium in Apocalypsin conscripserat, ac nominatim quinam futuri essent Pontifices et Cardinales, ex ea se colligere jactitabat. Vere Comicus: « Amant sibi somnia singunt; » et sunt qui indigent helleboro.

CANON XXXIV. Multum valet ad genuinum sensum S. Scripturæ capiendum, capitum, sententiæ et vocum ejus apta vel conjunctio vel dispunctio, systole, vel diastole. Exemplis res erit clara. *Eccles. cap. xxiv, 20*, multi Codices legunt: « In plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi. » Et ita etiam legitur in *Officio Eccles. B. Virginis ad Nonam*, sensu obscuro et difficile, quem Romana Biblia illustrant aliter dispungendo, nimirum sic: « Quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi. » In plateis enim plantantur platani, non cinnamoma et balsama. Sic I *Reg. iii, 2*, multi legunt: « Oculi ejus (Heli) caligaverant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. » Quid hoc? Ergone extincta lucerna in tenebris melius videbat Heli, quam in luce, ea splendente? ergone noctuæ similis erat Heli, et noctiluca? Rem elucidant Romani Codices, dum ita legunt et dispungunt: « Oculi ejus caligaverant, nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini. » Est periphrasis noctis, q. d. Cum adhuc arderent lucernæ, et Samuel dormiret, apparuit ei Dominus: noctu enim ardebant lucernæ in tabernaculo, mane extinguebantur. Ita S. Hieronymus. Sic *Agg. cap. ii*, versus primus referendus est ad finem capititis primi: alioqui enim manifeste pugnat cum versu secundo, qui proxime sequitur, ut patet intuenti. Similem diastolen esse *Jerem. cap. xxviii, 1*, censem S. Hie-

ronymus et alii, ut ibi dixi. Talia nonnulla sunt, quæ suis locis annotavi.

Ubi nota : Distinctio moderna capitum S. Scripturæ non est facta a Prophetis, nec a Patribus Græcis aut Latinis, sed iis posterior et recentior est, uti fuse docet Sixtus Senensis, lib. III *Biblioth.*, in methodo partitionis. Excipio Psalms, qui singuli seorsim dictati et scripti sunt. Patres enim citant S. Scripturam per citationem non capitum, sed historiarum, vel materiarum. Sic S. Augustinus dicit se scripsisse Commentaria a principio Genesis usque ad ejectionem Adæ de paradiſo, quod nos diceremus, in tria prima capita Genesis. S. Gregorius ait se scripsisse in librum Regum, a principio usque ad unctionem Davidis regis, quod nos diceremus, in quindecim prima capita lib. I *Regum*. Sic Elias Levita, *Præfat. in Masor.* ait olim legem totam, puta Pentateuchum, fuisse unum *Pasuc*, id est unum tractatum sine incisione, vel divisione. Hinc S. Hilarius, scribens in *Matthæum*, eum distinxit in Canones XXXII, et Ambrosius S. Lucam divisit in LXIV titulos, Beda vero in xciii capita; licet Sixtus Senensis suspicetur hanc divisionem ab aliis esse factam. Ammonius Alexandrinus, vel, ut alii volunt, Eusebius Cæsariensis aut Tatianus, pro numero materiarum concordiae Evangelicæ, distribuit S. Matthæum in capita cccl, Mareum in cccccv, Lucam in cccxlv, Joannem in ccxxxii. Porro in interpretibus Græcis a sexcentis annis, puta Eu-thymio, OEcumenio, Areta, Andrea Cretensi, Suida, in Novo Testamento capitum distributio invenitur similis nostræ, sed ea paulo major. Ergo paulo post illud tempus videtur facta ea capitum divisio, quam nunc in Bibliis cernimus. Unde illa utuntur S. Thomas, Alensis, Albertus, S. Bonaventura, illisque coœvi. Denique veteres libros æstimabant numero versuum, non capitum; versus autem constabat sex dictionibus. Sic S. Hieronymus, *Præfat. in Homil. Origen. super Cant.* ait Origenem scripsisse in Cantica versus fere viginta millia. Idem, *De Script. Eccles.*, ait Nazianzenum omnia opera sua conclusisse versibus triginta millibus. Et *Apolog. in Ruffinum*, ait Hilarium mutuatum ex Origene versus prope quadraginta millia, seipsum vero, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse quotidie versus mille. Ita Sixtus. Non mirum ergo si divisio hæc subinde minus apta aut commoda sit, uti suis locis annotavi.

CANON XXXV. Euphemismus Græcis est boni omnis captatio; Rhetoribus est figura, qua nomina, vel res mali ominis in boni commutant, aut certe avertunt et deprecantur; ut Terentius in *Andria*: « Si evenerit (quod Dii prohibeant) discessio. » Hæc non raro occurrit in Scriptura. Sic enim maledictionem et blasphemiam ob sui enormitatem et exsecrationem, non audent suo nomine nominare, sed per euphemismum eam contrario nomine vocant *benedictionem*, ut : « Benedixit, »

id est maledixit, « Naboθ Deum et regem; » III *Reg. cap. xxi*, 13. « Benedic, » id est maledic, « Deo, et morere, » *Job cap. II*, 9. Sic in jumento exsecratorio dicunt : « Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat; » sed per euphemismum silent malum quod quis sibi imprecatur, quasi rem tristem et mali ominis. Sic milites Davidis a Nabal tondente oves petunt alimoniam, dicentes per euphemismum : « In die enim bona venimus, » I *Reg. cap. xxv*, 9. Huic vicinus est *Charientismus*, id est urbanitas, lepor et festivitas sermonis; quæ figura est rhetorices, qua dura dictu gratius proferuntur, ut si interrogantibus num quis nos quæsierit, responsum detur : « Bona fortuna, » exinde intelligitur nos neminem quæsisse. Sic roganti matri : Audio filium meum in bello esse captum, estne verum? respondent amici ejus dolorem festive levantes : Non; est redemptus: quo tacite significant eum fuisse captum et male habitum, sed jam esse redemptum. Sic Cicero, *Pro lege Manilia*, ne diceret consulares fasces esse captos, dixit esse redemptos. Sic sanatum esse vulnus libentius auditur, quam illatum; instauratam esse domum, quam dirutam; supplemento novo refectas esse legiones, quam occisis militibus imminutas. Sic ait Isaias, cap. XL, 1 : « Consolamini, consolamini, popule meus, etc. : quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniqitas ejus, » quo tacite significat eam fuisse malam et iniquam. Sic sapiens illa mulier Thecritis, festive Absalonis scelus et fratricidium in se suosque filios transtulit, ut ei a Davide veniam impetraret, II *Reg. cap. XIV*, 6. Sic Nathan Propheta, ut regem Davidem de adulterio et homicidio Uriæ corriperet, usus est apologeticus; qui pauperi oviculam rapuit et mactavit, ut in ejus enormitate rex videret immanitatem sui flagitiæ, II *Reg. cap. XII*, 2. Atque hic est modus commodissimus corripiendi magnates, qui opibus et titulis superbi, non ferunt se aperte et in fronte reprehendi. Charientismi illustres exstant in epistola Valerii ad Ruffinum, qua ei suadet ne ducat uxorem, tom. IX *Operum S. Hieronym.* Sic enim habet : « Paccuvius flens ait Ario vicino suo : Amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima uxor mea se suspendit, postmodum secunda, jam nunc tertia. Cui Arrius : Miror te in tot successibus lacrymas inventisse. Dii boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit! Da mihi et de arbore surculos, quos seram. Timeo ne et te oporteat arboris illius surculos mendicare, cum jam inveniri non poterunt. Cato Uticensis dixit : Si absque femina posset esse mundus, conversatio nostra non esset absque diis. Phoroneus rex ait Leontio fratri suo : Ad summam felicitatem nihil mihi deesset, si uxor mihi semper defuisset. Metellus Mario respondit, cum ejus filiam dote divitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere noluit : Malo meus esse, quam suus. Cui Marius : Imo ipsa tua

erit. At ille : *Imo virum oportet uxoris esse. Logisticum est enim : Talia erunt subjecta, qualia permiserint prædicata. Lais Corinthia petivit a*

Demos hene centum talenta pro consensu. At ille suspiciens in cœlum, ait : Non emo tanti pœnitere. »

HARMONIA CHRONOLOGICA

DUODECIM PROPHETARUM.

Hoc est, tabula chronologica, per annos mundi et Christi consignans oracula duodecim minorum Prophetarum, conformis et subalterna illi, quam quasi probabilem tum Pentateucho, tum Prophetis majoribus præfixi. Scio varios varie hæc consignare, omnesque probabiliter : sed paucis annis, quibus una chronologia ab alia distat, additis, vel demptis, hæc tabula cuilibet computui et chronologiæ serviet.

Reges Juda sibi continuo succedentes, sub quibus prophetarunt Prophetæ.

Ozias, vel Azarias regnavit annis	52
Joatham	16
Achaz	16
Ezechias	29
Amon	2
Josias	31
Joachas mensibus	3
Joakim annis	11
A Joakim anno 11 finito, puta ab ejus cæde, et filii ejus Joachin transmigratione in Babylonem, incipiunt anni 70 captivitatis Babylonice, de quibus Jeremias, cap. xxv, 11. Unde hinc annos prophetiæ suæ inchoat, et consignat Ezechiel in tota sua prophetia, ut ibidem dixi.	
Joachin mensibus	3
Sedecias annis	11
Anno 11 Sedeciae, Nabuchodonosor Jerusalem et regnum Juda evertit, anno regni sui	18
Regnavit post excisam Jerusalem Nabuchodonosor annis	26
Universim enim regnavit annis	44
Et successit ei filius Evilmerodach, sive Baltassar, qui regnavit annis	34
Baltassarem, capta Babylone, occidit Darius Medus et Cyrus.	
Itaque post Baltassarem in Babylone regnavit Darius Medus anno	1
Post Darium, Cyrus jam Monarcha regnavit annis	3
In anno 3 Cyri finiuntur prophetiæ Danielis, qui ultimus omnium quatuor majorum Prophetarum prophetavit.	
Cyro successit Cambyses regnans annis	8

Cambysi post Magos (qui paucis mensibus regnarunt) successit Darius Hystaspis, qui regnavit annis

36

Dario successit filius Xerxes, qui regnavit annis

20

Xerxi successit filius Artaxerxes, a manu una longiore altera cognominatus Longimanus, qui regnavit annis

40

ANNO MUNDI 3136, ante Christum 814, qui fuit a diluvio annus 1479, a nativitate Abrahæ annus 1187, ab exitu Hebræorum ex Ægypto annus 682, cœpit regnare in Jerusalem et Juda Ozias sive Azarias rex, regnavitque per 52 annos sub quo prophetavit Osee, Jonas, Amos et Isaías. Itaque Osee, qui fuit primus omnium Prophetarum, cœpit prophetare sub initio regni Oziæ. Nam Isaías, qui eum secutus est, cœpit prophetare sub annum 17 Oziæ, ut habet Eusebius in *Chronico*, qui fuit annus ante Christum 797. Jonas vero cœpit ante annum 14 Oziæ, uti mox ostendam. Insuper sub Ozia rege cœperunt Olympiades.

Annus enim 40 Oziæ, qui fuit ante Christum 774, fuit annus primus Olympiadis 1. Ante Olympiades autem omnia apud Gentiles scriptores et historicos sunt incerta. Ab Olympiadibus enim cœpit apud eos historiæ fides. Audi Eusebium in *Chronico* ad Olympiadem 1 : « Ab hoc tempore Græca de temporibus historia vera creditur : nam ante hoc, ut cuique visum est, diversas sententias protulerunt. » Unde Varro apud Censorinum, *De Die natali*, cap. 21, duplicum ponit sæculorum ordinem : priorem a diluvio ad primam Olympiadem, eumque vocat μυθικὸν, id est *fabulosum*; posteriorem ἱστορικὸν, id est *historicum*. Prophetæ ergo nostri antecesserunt omnem Gentilium historiam et sapientiam, æque ac Romam. Roma enim condita est anno 23, post inchoatas Olympiades, uti passim docent chronologi.

Olym-
piades
cœperunt
anno 40
Oziæ.

Osee ergo, sub initia regni Oziæ, jussu Dei duxit uxorem fornicariam, et ex ea procreavit duos filios et unam filiam; primum nominavit Jezrahel; secundam filiam, *Lo rachuma*, id est *Absque misericordia*; tertium, *Lo ammi*, id est *Non populus meus*; ut tam factis, quam verbis portenderet sanguinem Jezrahel brevi vindicandum super domum Jehu; ac Israelem ob forni-

Osee
quando
cœperit
prophetae.

cationem cum idolis, aliaque scelera gravissime sine misericordia puniendum; atque cum vitulo aureo quem colebat in Dan et Bethel, transferendum in Assyriam. Post Oziam perrexit Osee prophetare sub Joatham, Achaz et Ezechia, ut ipse ait cap. I, 1; sed quid præcise sub hoc illo rege prophetarit ignoramus: quia ipse, ut et alii minores Prophetæ, sua oracula per annos regum sigillatim non consignant, uti consignant Jeremiah, Ezechiel, Daniel et subinde Isaías. Porro sub hisce regibus Osee prædictum Christum, devicta morte et inferno, die tertia resurrectum; Synagogam Judæorum, tanquam adulteram, a Deo repudiandam; Ecclesiam vero ex Gentibus, Christo per fidem sponsandam in sempiternum; denique Synagogam diebus multis fore sine rege et lege, sine sacerdotio et sacrificio, exspectantem Messiam, ad quem in fine mundi convertetur.

Jonas.

Paulo post Osee prophetavit Jonas contra Ninivæ, nimirum regnante in Juda Ozia, in Israel Je-roboam, ut patet IV Reg. XIV, 25. Quare necesse est Jonam prophetasse primis 14 annis regni Oziae: illis enim duntaxat cum Ozia regnavit Je-roboam. Ipse enim vita et regno decessit anno 14 Oziae, ut colligitur ex IV Reg. XV, 1, juncto cum cap. XIV, 23. Eodem tempore in Latio regnabat Procas Sylvius, avus Romuli, et in Assyria Sardanapalus, qui videtur fuisse rex Ninives a Jona conversus ad pœnitentiam. Jonas ergo præcessit Amos paucis annis, Amos enim cœpit anno 25 Oziae, ut jam dicam.

ANNO MUNDI 3161, ante Christum 789, qui fuit Oziae regis annus 25, cœpit prophetare Amos. Cœpit enim « ante duos annos terræ motus » (ut ipse ait cap. I, 1) qui contigit anno 27 Oziae. Prophetat autem vindictam Dei in Damascum, Philistæam, Tyrum, Edom, Ammon, Moab, Judam et maxime contra Israel, id est de cœm tribus, quibus ob idolatriam aliaque flagitia excidium per Assyrios intentat. Adhæc, tenebras e solis eclipsi, meridie futuras per totum orbem in passione Christi; ac per eum tabernaculum Davidis collapsum restaurandum vaticinatur. Insuper in Bethel prædicat captivitatem et excidium Israelis. Quocirca ab Amasia sacerdote idolorum accusatur rebellionis, ac tandem vecte per tempora transfixus, martyr occumbit.

Abdias.

Paulo post Amos cœpit prophetare Abdias, qui Idumæis excidium per Chaldæos prædictit, eo quod ipsi perpetui fuerint Judæorum hostes.

ANNO MUNDI 3188, ante Christum 762, cœpit regnare in Juda Joatham, filius Oziae, sub quo cœpit prophetare Michæas, ut ipse ait cap. I, 1. Prædictit autem initio Samariæ et Israelis excidium per Assyrios.

ANNO MUNDI 3198, ante Christum 751, qui fuit regni Joatham 11, Roma condita est a Romulo, qui in ea regnavit annis 29. Quocirca solerter et apposite notat S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. xxvii*, hosce Prophetas cœpisse prophetare sub

Roma quando condita.

exordia urbis Romæ, quia eorum oracula Romanis, et Gentibus Christi fidem amplexuris scribabantur. Audi eum: « Ezechias quippe rex Juda eo usque regnavit, ac per hoc per ea tempora, isti velut fontes prophetæ pariter eruperunt, quando regnum defecit Assyriorum, cœpitque Romanorum; ut scilicet quemadmodum regni Assyriorum primo tempore exstitit Abraham, cui promissiones apertissimæ fierent in ejus semine benedictionis omnium gentium; ita in Occidentalis Babylonis exordio, qua fuerat Christus imperante venturus, in quo implerentur illa promissa oracula Prophetarum, non solum loquentium, verum etiam scribentium in tantæ rei futuræ testimonium solverentur. Cum enim Prophetæ nunquam fere defuissent populo Israel, ex quo ibi reges esse cœperunt, in usum tantummodo eorum fuere, non Gentium. Quando autem ea Scriptura manifestius prophetica condebatur, quæ gentibus quandoque prodesset, tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc civitas, quæ Gentibus imperaret. »

ANNO MUNDI 3220, ante Christum 730, cœpit in Juda regnare Ezechias; sub hujus annum 7 vel 8, cum jam eversa esset ab Assyriis Samaria, et Israel abductus in Assyriam anno 6 Ezechiae, ita ut sola restaret intacta Jerusalem et Juda, Michæas, cap. III, 12, prædictit quod Jerusalem a Chaldæis exscindetur: « Sion, inquit, quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum. » Vide *Jerem. xxvi*, 18.

Sub idem tempus prophetavit Nahum *Nahum* Ninives, eo quod Ninivitæ post prædicationem Jonæ, in pristina sclera relapsi essent, ut dicam Proemio in *Nahum*.

ANNO MUNDI 3230, ante Christum 720, Ezechias in regno agebat annum decimum: sub hunc annum edidit Michæas illustre illud oraculum, cap. V, 2, de Christo in Bethlehem nascituro, uti ibidem ostendam.

ANNO MUNDI 3234, ante Christum 716, Ezechias agebat annum regni 14; sub hunc annum Michæas protulit prophetiam illam, cap. IV, 1, de Ecclesia in Sion a Christo instituenda, uti ibidem demonstrabo.

ANNO MUNDI 3249, ante Christum 701, cœpit in Jerusalem et Juda regnare Manasses rex impius, sub quo probabile est prophetasse Joel: quia *Joel*. ipse soli Judæ (quasi Israele jam vastato anno 6 Ezechiae) vaticinatur excidium ob idolatriam, et ob occisos ab eis Prophetas, quod factum est tempore et jussu Manassis. S. Hieronymus tamen, Eusebius et alii permulti censem Joelem prophetasse longe anterius, scilicet paulo post Osee, sub Ozia rege. Porro Joel prædictit Judææ instare vastitatem per noxias bestias, et hostes Chaldæos, quos sub specie locustarum, erucarum et bruchorum depingit; ideoque hortatur omnes et præsertim sacerdotes ad planctum, jejunium et orationem; et conversis magnam pollicetur prosperitatem, dandum Doctorem justitiae, Spiritum

Sanctum effusum iri super credentes, invocantes Dominum salvos fore. Denique diem judicii prænuntiat, ac graphicè describit ejus horrorem, et prodigia prævia; locum quoque significat, nimirum in valle Josaphat peragendum esse.

Habacuc. Sub Manasse etiam prophetavit Habacuc, qui pariter Manassi, ac toti Judææ ob impietatem extremam cladem per Chaldaeos prænuntiat.

ANNO MUNDI 3306, ante Christum 644, cœpit regnare in Juda Josias: sub quo prophetavit Sophonias, ut patet cap. I, 1, æque ac Jeremias: quos secuti sunt Ezechiel et Daniel, qui prophetarunt sub Joakim filio Josiæ. Quocirca hi soli Judæ, ut pote Israele jam sub Ezechia vastato, comminatur Dei vindictam: « Scrutabor, » inquit Deus per Sophoniam, cap. I, 12, « Jerusalem in lucernis; » atque in typo excidii Jerusalem, æque ac Ninives, orbis excidium, diemque horribilem judicii graphicè depingit.

Novem Prophetæ jam recensiti prophetaverunt ante excidium Jerusalem, et ante captivitatem Babyloniam: nam hæc contigit sub Joakim et Sedenzia filiis Josiæ. Cæteri tres qui sequuntur, puta Aggæus, Zacharias et Malachias, prophetarunt post captivitatem Babyloniam, postque redditum Judæorum ex Babylone, qui contingit anno 1 monarchiæ Cyri. Quocirca,

ANNO MUNDI 3433, ante Christum 517, qui fuit annus 2 Darii Hystaspis, Tarquinii Superbi Romanorum septimi et ultimi regis, annus 27, ait

Aggæus. S. Hieronymus, cœpit prophetare Aggæus, ac Judæos hortari ut templum a Chaldais combustum reædificant. Aggæi oraculis excitati Jesus pontifex et Zorobabel dux, cum populo templi fabricam ordiuntur, quibus Aggæus promittit tum frugum copiam, tum majorem fore hujus templi, quam prioris Salomonici gloriam: Christum enim ex Zorobabel nasciturum, hoc templum sua præsentia, concionibus et miraculis condecoraturum.

Eodem anno, sed bimestri post Aggæum (puta mense 8, Aggæus enim mense 6) cœpit prophetare **Zacharias.** Zacharias, Aggæi adjutor, stimulans populum ut, postpositis privatis suis commodis et domibus, fabricæ templi insistat. Unde vidit virum metientem civitatem, cap. II, 1, et Jesum pontificem templi, cap. III, et candelabrum templi, cap. IV.

ANNO MUNDI 3434, ante Christum 516, qui fuit annus 3 regni Darii Hystaspis, Zacharias, cap. V, vidit amphoram, in qua sedebat mulier nomine *Impietas* per aerem raptari in Babylonem. Et cap. VI, vidit quatuor quadrigas, repræsentantes quatuor imperia, et monarchias sibi invicem ex ordine successuras, ac post eas Christum Christique regnum: « Ecce, inquit, vir, Oriens nomen ejus. »

ANNO MUNDI 3435, ante Christum 515, qui fuit

annus 4 Darii Hystaspis, Zacharias, ut ipse asserit cap. VII, 1, rogatus an pristina captivitatis jejunia, ea jam soluta, adhuc servanda forent? respondet ea commutanda in festivitates præclaras, ac Judæos hortatur, ut in fabrica templi animose pergent. Unde cap. IX, monet ne timeant Philisteos, eo quod hi ipsis a Deo sint subjugandi, ac rursum promittens Christum: « Ecce, ait, Rex tuus veniet tibi justus et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et pullum filium asinæ. »

ANNO MUNDI 3437, ante Christum 513, qui fuit annus 6 Darii Hystaspis, perfecta est templi fabrica; in cuius dedicatione Aggæus et Zacharias cecinerunt alleluia. Ita Epiphanius et Dorotheus in eorum Vita. Quocirca Zacharias, sequentibus annis, vaticinatur ea quæ cap. X, et deinceps enarrat, nimirum summam urbis et templi fore felicitatem per Machabæos pontifices, duces et vindices populi, ac præsertim per CHRISTUM qui in eo versabitur, et victimam pro hominibus se offeret Deo, ideoque a Juda vendetur Judæis 30 argenteis; percutietur ut pastor, et dispergentur oves: denique, perfossis manibus, affigetur cruci. « Qui sunt, inquit, plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagiatus sum in domo eorum qui diligebant me, » Zachar. XIII, 6. Quocirca per Christum effundendum spiritum gratiæ, et fontem baptismatis super habitatores Jerusalem omnesque gentes ad Christum et Ecclesiam concursuras prædictit et promittit.

ANNO MUNDI 3467, ante Christum 483, qui fuit annus Darii Hystaspis 36 et ultimus, Aggæum et Zachariam diem obiisse tradunt Hebræi in *Seder Olam*, et innuunt S. Epiphanius et Dorotheus in eorum Vita.

ANNO MUNDI 3487, ante Christum 463, cœpit in Perside regnare Artaxerxes Longimanus, filius Xerxis, sub cuius annum 5 vel 6 prophetat **Malachias.** Prophetarum omnium ultimus, contra vitia sacerdotum et populi, præsertim quod contra legem uxores alienigenas duxissent. Nam anno sequenti, puta 7 Artaxerxis, venit Esdras in Jerusalem, omnibusque persuasit ut eas repudiarent. Insuper prædictit Malachias sacrificia Judæorum a Deo repudianda, ac eorum loco oblationem mundam Eucharistiæ a Christo sanciendam, quæ ubi vis gentium toto orbe offeratur et sacrificetur: denique Christum venturum ad templum quasi angelum Testamenti, ejusque præcursorum fore minorem angelum, scilicet Joannem Baptistam: Eliam vero venturum ante secundum Christi adventum, qui convertet corda patrum ad filios.

Ex dictis patet hosce duodecim Prophetas viçissim et successive prophetasse per 300 annos; tot enim fluxerunt ab Ozia rege Juda usque ad Artaxerxem Longimanum.

Mala-
chias.

Proph-
tarunt
300 per
annos.

HIEROGLYPHICA

E DUODECIM MINORIBUS PROPHETIS EXCERPTA.

EX OSEE.

Cap. I, 2. « Vade, sume tibi uxorem fornicatum, et fac tibi filios fornicationum. » Ad litteram jubet Deus Prophetæ, ut ducat meretricem in uxorem, indeque procreet filios qui a matre infamis vocentur filii fornicationum, id est filii fornicariæ et meretricis : idque ad hoc, ut repræsentet idolatriam Israelis. Osee enim repræsentat Deum, uxor meretrix Synagogam, filii Israelitas. Unde explicans subdit : « Quia fornicans fornicabitur terra a Domino, » q. d. Quia incolæ terræ, puta Israelitæ, a Deo apostatabunt, et colent idola quasi amatos suos.

Vers. 3 et 4. « Et peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrahel; quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu. » Jezrahel, id est semen Dei, repræsentat Israel, qui erat populus Dei. Osee ergo jubetur a Deo primogenitum suum vocare Jezrahel, ut per eum repræsentet stragem posterorum Jehu, regum Israel, q. d. Succidam posteros Jehu ob idolatriam, et quia ipsi Jezrahel, id est pios Israelitas, Deum verum colentes persecuti sunt, sicut succidi stirpem Achab in Jezrahel ob idolatriam, et quia ipse in Jezrahel pium Naboth occidit. Unde subdit : « Et conteram arcum Israel in valle Jezrahel. »

Vers. 6. « Et peperit filiam. Et dixit (Dominus) ei : Voca nomen ejus, Absque misericordia. » Causam subdit, scilicet ut suo nomine repræsentet, « quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliviscar eorum. »

Vers. 8 et 9. « Et concepit, et peperit filium. Et dixit : Voca nomen ejus, Non populus meus, » ut hic filius suo nomine Israeli assidue in os ingreditur, « quia vos non populus meus, et ego non ero vester. »

Cap. III, 1, 2 et 3. « Dilige mulierem dilectam amico et adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel. Et fodi, » id est pretio conduxi, « eam. Et dixi ad eam : Dies multos exspectabis me; non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te. » Quid hoc symbolum significet, explicat subdens : « Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim; et post hæc revertentur et quærerent Dominum, etc., in novissimo dierum. »

Cap. VI, 3. « Quasi diluculum præparatus est egressus ejus; et veniet quasi imber nobis temporaneus et serotinus terræ. » Christi adventum,

eiusque gratiam et Evangelium recte denotat per symbolum auroræ; sicut enim hæc post longam noctem, lucis et diei omnisque boni est initium et causa, ita et Christus : atque per symbolum imbris temporanei, qui sementem rigat; ac serotini, qui messem impinguat et maturat; pari enim modo Christus et semen gratiæ, et messem bonorum operum, ac gloriæ æternæ in nobis operatur.

Cap. IX, 9. « Profunde peccaverunt sicut in diebus Gabaa, » q. d. Sicut Gabatae gravissime peccaverunt, enormi stupro occidentes uxorem Levitæ, illudque insano bello contra cæteras omnes tribus defendantes, quo proinde usque ad internacionem cæsi sunt, *Judic. xix et xx*; ita nunc Israelitæ gravissime peccant stupro spirituali, id est idolatria: quia illam pertinacissime retinent et tuentur, ideoque exscindentur ab Assyriis.

Vers. 13. « Ephraim Tyrus erat fundata in pulchritudine, » q. d. Israel cum Deum coleret, erat pulcherrimus, opulentissimus et fortissimus, ut est Tyrus, quæ in rupe sita, et mari cincta, pulcherrima est, opulentissima et inexpugnabilis, omniumque gentium accolis et opibus, quasi regina coronatur. At jam cum Deum dereliquit, vastabitur et perdetur ut Sodoma.

Cap. X, 1. « Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei, » q. d. Israel vitis est frondibus luxurians, et in eas totam se effundens; hinc similes parit foetus, folia nimis inania, non solidos fructus, q. d. Israel frondibus abundat, fructu vacuatur: quia opes resque externas consecutur, internum vero in mente pietatis cultusque Dei fructum negligit: fructus ergo ejus est ventris, non mentis; carnis, non spiritus, puta opes, fruges, luxus, indeque consequens impietas et idolatria.

Vers. 11. « Ephraim vitula docta diligere tritum. » Idem dicit metaphora vitulæ; quod prius dixit per metaphoram vitis, q. d. Ephraim diligit tritum, id est fruges et opes, ideoque amat laborem triturandi, id est colendi idola: quia per ea se putat hasce fruges nancisci. Hinc facta est pinguis et obesa: sed ego collum ejus pingue et crassum domabo, faciamque ut Assyrii in illud inscendant, eumque frenent et regant, uti eques frenat et regit equum. Hoc est quod ait: « Ascendam super Ephraim. »

Cap. XI, 3 et 4. « Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: et nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. » Funiculi Adam sunt amor et

beneficentia, quibus allici trahique solent homines ad redamandum : illex enim et magnes amoris est amor.

Cap. XIII, 3. « Idecirco (quia scilicet vitulos aureos coluerunt, meque Deum ad iram concitauerunt, excindam eos per Assyrios : unde tunc) erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario, » id est de camino, qui in aere mox dispellitur et evanescit : pari enim modo ipsi in captititate dispergentur.

Vers. 7 et 8. « Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum (ab Assyriis enim quasi pardis in Assyriam ducentur). Occurrat eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jecoris eorum. » Solent enim leones et ferae prædam findere et lacerare usque ad cor, illudque cum jecore primo devorare, q. d. Pari modo ego cor, id est mentem, et jecur, id est appetitum et concupiscentiam, Israelitarum tristissimis cogitationibus, anxietatibus, melancholiis, pavoribus, et miceroribus affligam, et quasi disruptam.

Vers. 14. « Ero mors tua, o mors : morsus tuus ero, inferne. » Christus moriens fuit mors mortis, quia moriendo mortem occidit : momordit vero infernum, cum post mortem eo descendit, et patres ex ipso eduxit, ac vires inferorum et dæmonum confregit.

Cap. XIV, 6 et 7. « Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lumen, et erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt (diffundent se) rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani. » Israelis, id est fidelis et justi, fecunditatem, gratiam et felicitatem comparat primo, rori et irrorationi; secundo, lilio; tertio, cedro, pino aliisque arboribus Libani proceris, latis et odoratis; quarto, olivæ pingui et fertili. Addit quinto: « Convertentur sedentes in umbra ejus; » sexto: « Vivent tritico; » septimo: « Germinabunt quasi vinea; » octavo: « Memoriale ejus sicut vinum Libani, » q. d. Israelitæ, id est fideles verique christiani, abundabunt omni annona spirituali verbi Dei et sacramentorum, præsertim Eucharistiæ; ideoque florebunt et crescent omnibus virtutibus, bonis operibus et meritis.

EX JOELE.

Cap. I, 4. « Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo, » q. d. Una clades alteri succedit, sequens antecedentem continua serie excipit: Assyri assiduis incursionibus populantur et vastant terram Israel. Loquitur enim de Assyriis figurate, quasi de locustis et bruchis, agros et vineas depascentibus, dicens: « Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit. »

Cap. II, 25. « Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos, » q. d. Pristinam cladem et vastitatem nova pace et ubertate sarciam et compensabo.

Vers. 28. « Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestreæ. » Id factum in Pentecoste, Act. II.

Vers. 30. « Et dabo prodigia in cœlo, et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi, » in fine mundi; « antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, » puta dies judicii.

Cap. III, 2. « Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi. » In valle enim Josaphat, que est prope Jerusalem, fiet judicium, ac super eam sedebit in nube gloriosa Christus Judex.

Vers. 13. « Mittite falces, quoniam maturavit messis: venite et descendite, quia plenum est torcular. » Messis est consummatio sæculi: tunc enim angeli quasi falce demetent homines, impiosque prement quasi in torculari, « in valle concisionis, » id est in gehenna inferni.

Vers. 18. « In die illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egreditur, et irrigabit torrentem spinarum, » Hebraice, *torrentem Setim*. Ligna Setim erant imputribilia: unde ex eis facta erat arca, et tabernaculum; hinc significat Ecclesiam triumphantem et Beatos, q. d. In cœlo omnia erunt plena dulcedinis, suavitatis et gaudii, et per beatissimos rivos, id est choros laudantium Deum, aquæ voluptatum decurrent; et fons, id est lumen gloriae, et visio beatifica de throno Dei egreditur, irrigans et beans omnes electos.

EX AMOS.

Cap. III, 3. « Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis? » q. d. Sic ego non ambulabo cum Israele, quia ille mecum non convenit, sed cum idolis.

Vers. 4. « Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? » q. d. Sic Deus rugire non desinet contra Israel, donec eum quasi prædam capiat et laniet per Assyrios.

Vers. 5. « Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? Numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit? » q. d. Sic Deus laqueum Assyriorum, quem quasi aucepit tetendit Israeli, non auferet, donec eodem Israelem capiat et strangulet.

Vers. 6. « Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet? » Sic Deo clangente per Amos, ac indicente prælium et stragem, merito expavescat Israel. Unde hæc omnia hieroglyphica explicans, et applicans subdit: « Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Quia non

facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? »

Vers. 12. « Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auricule: sic eruentur filii Israel qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et in Damasci grabato, » q. d. Sicut pastor leoni ex ove devorata eripit duo crura, sic pauci Israelitae evadent manus Assyriorum, iisque viles et inutiles, scilicet pauperes, et ægri macie morboque confecti, qui in plaga, id est latere et angulo, lecti decumbunt, vel in Samaria, vel in Damasco.

Cap. iv, 13. « Formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen ejus. » Est hypotyposis potentiae et magnificentiae Dei.

Cap. v, 5. « Bethel erit inutilis. » Hebraice, *Bethel erit in Aven*, q. d. Domus Dei fortis fiet domus vanitatis, doloris et diaboli.

Vers. 19. « Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus: et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber, » q. d. Samaritæ ex uno periculo in aliud, ex uno hoste in alium, v. g. ex Phul, in Teglatphalasar, ex hoc in Salmanasar incident.

Cap. vii, 1. « Ecce factor locustæ in principio germinantium serotini imbris, et ecce serotinus post tonsionem regis. » Locustæ sunt Assyrii, factor est Deus, imber serotinus est Jeroboam, tonsio regis est vastatio Israelis facta a Benadad, q. d. Post vastitatem Israeli inflictam a Benadad, res Israelis per Jeroboam regem reflorescere ceperunt: sed ecce mox Deus immisit Phul et Assyrios, qui quasi locustæ eas depascerent.

Vers. 4. « Et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus: et devorabit abyssum multam, et comedat simul partem, » q. d. Post Phul, qui mille talentis a Manahen rege Israel acceptis, sine noxa abiit, Deus justo suo judicio immisit Israeli « ignem, » id est Salmanasar, qui ignito quasi ardore et impetu eum invadens, devoravit « abyssum multam, » id est magnam multitudinem populi, puta tribum Ruben, Gad, et dimidiam Manasse, trans Jordanem humili loco quasi in abyso habitantes: « Et comedat simul partem » Israelis selectam, scilicet tribum Nephtali, Aser et Zabulon, cis Jordanem commorantes.

Vers. 7 et 8. « Et ecce Dominus stans super murum litum (calce incrustatum, id est elegantem et firmum) et in manu ejus trulla cæmentarii. Etdixit Dominus ad me: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel: non adjiciam ultra superinducere eum. » Trulla est cura et providentia, qua Deus murum Israelis calce illinivit, id est, speciosum, æque ac fortem et hostibus invictum effectit, quamdiu Israel Deo

fidelis adhæsit. At nunc cum infidelis ad vitulos aureos deflexit, Deus deponit trullam, id est curram ejusdem, sinitque eum invadi ab Assyriis, et ruere in interitum.

Cap. viii, 1 et 2. « Ecce uncinus pomorum. Et dixit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel, » q. d. Sicut uncino poma ex arbore carpuntur, sic per Assyrios carpati Israelitas, et in captivitatem abducantur. Ita S. Hieronymus. Mystice, poma sunt homines, quos uncinus, id est mors, carpit; nunc hunc, nunc illum, donec omnes colligat.

Vers. 8. « Ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti, » q. d. Sicut Nilus exundans opplet totam Ægyptum, eamque abluit et everrit secum in mare, in quod defluit; ita Assyrii operient terram Israel, omnesque ejus opes et incolas in cumulum colligent, eosque secum abducent in Assyriam.

Cap. ix, 1. « Vidi Dominum stantem super altare, et dixit (angelo): Percute cardinem, et commoveantur superliminaria. » Jubet hic Deus angelus, ut convulso cardine, evertat templum, ob avaritiam et scelera populi.

Vers. 11, 12, etc. « In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, etc. Ut possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes, etc., et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt, » q. d. Regnum Davidis collapsum restaurabo per Christum, faciamque ut ipse per fidem possideat Idumæam omnesque gentes, tanta donorum spiritualium ubertate et felicitate, ut montes et colles vina et mella fundere videantur. Patet *Actor* cap. xv, vers. 16.

EX ABDIA.

Vers. 18. « Erit domus Jacob ignis, et domus Joseph flamma, et domus Esau stipula, » q. d. Judæi et Israelitæ subigent sibi Idumæos, sicut ignis subigit sibi stipulam. Unde explicans subdit: « Et succendentur in eis, et devorabunt eos. »

EX JONA.

Cap. ii, 1. « Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, et tribus noctibus. » « Sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus, » *Matth. xii, 40*. Post triduum piscis « evomuit Jonam in aridam, » vers. 11. Sic Christus post triduum ex inferis redivivus et gloriosus resurrexit.

Cap. iv, 6. « Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, etc., et lætatus est Jonas. Et paravit Deus vermem, et percussit hederam, et exaruit, etc. Et percussit sol super caput Jonæ, » etc. Tropologice, docet Deus omnes res et spes humanas esse umbram hederæ, quam subito vermis adversitatis eredit, tumque homines in

ea recumbentes ferit sol angoris et tribulationis. Qui ergo sapit, non in creatura aliqua, sed in creatore spes resque suas deponat. Ille juge præbebit umbraculum, ille jugis certusque erit protector.

EX MICHAEA.

Cap. iv, 1 et 2. « Et erit in novissimo dierum, mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles : et fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad dominum Dei Jacob : et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus : quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. » Est hieroglyphicum Ecclesiæ, quam Christus inchoavit in Sion. Hæc est enim civitas in monte posita, quam eminus intuentur omnes gentes, et ad eam confluunt, ut discant legem Dei et Christi, ac juxta eam vitam christianam et sanctam ineant in pace, concordia et gaudio Spiritus Sancti. Unde subdit : « Et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones : non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subitus vitem suam ; et subitus fitum suam, et non erit qui deterreat, etc. : et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in æternum. »

Vers. 8. « Et tu turris gregis nebulosa (hebraice *ophel*, quæ erat turris altissima juxta templum, ideoque intuentibus apparebat caliginosa), filia Sion, usque ad te veniet : et veniet potestas prima, regnum filiæ Jerusalem. » q. d. Tu, o Sion, quæ turribus Ophel, gregis, et aliis celsis et nebulosis excelsa es, nebulosa et munita, felix eris et beata. Nam ad te primo veniet Christus, ipse primo in te regnabit, prima ejus potestas et imperium tibi ab eo communicabitur, nimirum priscum et avitum regnum Davidis, qui regnavit in Sion et Jerusalem, ipse quasi ejus filius et hæres suscipiet, et restaurabit, ac fortissimum efficiet, non corporale, sed spirituale, illudque tibi consignabit. Ecclesia enim quæ cœpit in Sion, quasi regina regis Christi, dominatur omnibus christianis toto orbe dispersis. Unde subdit vers. 13 : « Surge et tritura (hostes tuos infideles, eosque tibi subige), filia Sion : quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas, et communies populos multos, et interficies (hebraice *חַרְמָה hacharamti*, id est quasi analhemata consecrabis) Domino rapinas eorum, et fortitudinem eorum Domino universæ terræ. »

Cap. v, 2. « Et tu Bethlehem (sita in regione) Ephrata (id est frugifera et fertili), parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur (Christus) qui sit dominator in Israel : et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis. » Egressus Christi duplex symbolum est duplicitis nativitatis Christi. Prior fuit in cœlo æterna, in qua Christus genitus est a solo Patre, fuitque ἀπότελος. Posterior est tem-

poralis, in qua Christus natus est in Bethlehem ex Virgine Deipara, fuitque ἀπότελος.

EX HABACUC.

Cap. iii, 4. « Cornua in manibus ejus, » q. d. « Manus, » id est potentia, operatio et vindicta Dei est cornuta, id est valida, acris et penetrans. Mystice, cornua sunt anguli et clavi in manibus Christi crucifixi. Nam « ibi abscondita est (divinitas et) fortitudo ejus. » Unde quasi in triumphum, « ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus, etc. Incurvati sunt colles (puta reges et principes) mundi ab itineribus æternitatis ejus. » In quemcumque enim locum pedem suum intulit Christi æternitas, et aeterna Majestas circumiens orbem, et evangelizans per Apostolos, illum, ejusque principes sibi suæque fidei et cultui subjugavit.

EX SOPHONIA.

Cap. iii, 1. « Væ provocatrix, et redempta civitas, columba. » Columba symbolum est stoliditatis : quia ablatis pullis e nido, ad illum tamen revertitur, q. d. Væ Hierosolymæ, quæ stolida est et excors ut columba : nam cum a me ex Aegypto, et alias sœpe sit redempta et liberata, ipsa tamen mei obliviscitur, ad idola pergit, itaque me ad iram provocat.

Vers. 8. « In igne zeli mei devorabitur omnis terra. » Hic ignis zeli apparuit in Pentecoste; quando Spiritus Sanctus in linguis insedit Apostolis, per quos consumpsit et devoravit omnem terram gentilium et gentilismi. « Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno. » Labium electum est lingua fidelis et christiana, qua omnes gentes ab Apostolis conversæ invocant nomen Domini, eique serviant humero uno, id est unanimiter, summa concordia et charitate. Unde de iis subdit :

Vers. 17. « Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit : gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, » id est in tui amore silenter et gaudenter conquiescat, « exultabit super te in laude, » laudando tuam fidem, constantiam, patientiam, martyrium, etc.

Vers. 18. « Nugas, qui a lege recesserant, congregabo. » Nugas vocat nugaces, leves et viles Judæos, qui a lege recesserant, quos Christus in Sionem, id est in suam Ecclesiam, congregavit et adunavit.

EX AGGÆO.

Cap. ii, 7 et 8. « Adhuc unum modicum, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus : et implebo domum istam gloria. » Desideratus est Messias, qui fuit gloria

templi secundi, dum illud sua præsentia, doctrina et miraculis condecoravit. Commota sunt cœlum et terra, dum prodigia stupenda ediderunt in ejus nativitate et morte, quibus quasi clamabant se stupere hanc creatoris sui exinanitionem et dignationem, ac homines ad similem stuporem, gratitudinem, amorem et laudem Dei provocabant. Unde explicans subdit : « Magna erit gloria domus istius novissimæ, » id est templi Zorobabelis, « plusquam primæ, » puta templi Salomonis.

Vers. 24. « In die illa, dicit Dominus exercituum : Assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus : et ponam te quasi signaculum, quia te elegi. » Signaculum, id est sigillum, vel annulus signatorius, quia hic omnia obsignat et custodit, ac litteris et edictis regiis dat fidem : unde regi est ad manum, ejusque dactilo inseritur : hinc symbolum est amoris, fidei, auctoritatis, honoris, excellentiæ, quæ Deus contulit Zorobabeli, dum ex ejus stirpe fecit nasci Christum, quem statuit suum in orbe Legatum, Regem, Doctorem, Prophetam, Pontificem, Redemptorem, ut legem Evangelicam, salutem et reconciliationem a Deo decretam, omnibus sibi creditibus promulgaret, et reipsa conferret : « Hunc enim Pater signavit Deus, » *Joan. vi, 27.*

EX ZACHARIA.

Cap. i, 8. « Ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo (in valle, v. g. ad ripam Euphratis, cui adjacet Babylon) : et post eum equi rufi, varii, et albi. » Hic vir fuit S. Michael custos Synagogæ : insidet equo rufo, quasi vindex, fusurus sanguinem hostium populi Dei : stat inter myrteta, id est inter Prophetas piosque Judæos, qui in profundum captivitatis et ærumnarum in Babylone fuerant demersi. Sequuntur eum equi et equites rufi, id est angeli præsides gentium, quæ persecutæ fuerant Judæos : et albi, id est angeli præsides gentium Judæis benevolarum : et varii, id est angeli præsides gentium variantium affectum, ut nunc Judæis essent amicæ, nunc inimicæ. Omnes hi, perlustratis regionibus sibi commissis, dicunt gentes omnes in pace degere. Unde orat Michael, ut eadem Judæis detur : « Usquequo, inquit, tu non misereberis Jerusalem? iste jam septuagesimus annus est» desolationis urbis et templi.

Vers. 18, 20 et 21. « Ecce quatuor cornua, etc. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros, etc. Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam persingulos viros, et nemo eorum levavit caput suum : et venerunt isti deterrere ea, ut dejiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu super terram Juda. » Quatuor cornua sunt quatuor gentes degentes ad quatuor mundi plagas, quæ vexarunt Judæos, scilicet ab oriente Ammonitæ, ab occidente Phi-

listini, a meridie Idumæi, ab aquilone Assyrii et Chaldæi. Porro quatuor fabri, sunt quatuor angelii tutelares Judææ, qui hasce gentes et timore perculerunt, et percussas prostraverunt.

Cap. ii, 5. « Ego ero ei (Jerusalem, et magis Ecclesiæ), ait Dominus, murus ignis in circuitu, » q. d. Instar muri ignei cingam et tuebor Ecclesiæ, ne quis hostis eam invadat : sicut Cherub flammeo gladio tuetur paradisum, *Gen. iii.* Unde subdit : « Et in gloria ero in medio ejus, » q. d. Intrinsecus civibus ero consolationi, et gloriæ : forinsecus vero hostibus, instar muri ignei ero terrori et vastitati.

Vers. 8 : « Hæc dicit Dominus exercituum : Post gloriam misit me ad gentes. » Est vox Christi, q. d. Olim ego Dei Filius, gloriam meam ostendi in Jerusalem et Judæis : nunc mittere a Patre in carnem, ut majorem gloriam ostendam in Ecclesia et gentibus christianis. « Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. »

Cap. iii, 3 : « Et Jesus pontifex, filius Josedec, erat induitus vestibus sordidis : et stabat ante faciem angeli. Qui respondit, et ait ad eos qui stabant coram se (angelos inferiores), dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniuriam tuam, et indui te mutatoriis, » q. d. Abstuli a te peccata tua, et restituvi tibi pontificatum, ideoque pro vestibus sordidis reddo tibi stolam pontificiam, ut deinceps tempulum cultumque meum instaures, in eoque pontificatu fungaris. Allegorice, Jesus filius Josedec repræsentat Jesum Christum, ob peccata nostra sputis et plagis in passione sordidatum, sed die tertia resurgentem, et stola gloriæ circumdatum.

Vers. 8. « Audi, Jesu sacerdos magne, tu, et amici tui qui habitant coram te, quia viri portententes sunt, » hebraice *viri portenti*, q. d. Tu, o Jesu, Zacharia, Aggæe, etc., estis Prophetæ, et tam verbis, quam factis portenditis Christum, ejusque Ecclesiæ. Unde subdit : « Ecce enim ego adducam servum meum Orientem, » hebraice *תְּמַחַ* *tsemach*, id est germen oriens ex Virgine et radice Jesse, puta Christum.

Vers. 9. « Quia ecce lapis, quem dedi coram Jesu : super lapidem unum septem oculi sunt. Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus. » Lapis hic angularis et fundamentalis templi, id est Ecclesiæ, est Christus. Septem ejus oculi, sunt septem angeli primarii protectores Ecclesiæ : sculpturæ, sunt vulnera et stigmata Christo in passione incisa, per quæ abstulit iniuriam terræ, ut sequitur.

Cap. iv, 2 et 3. « Vidi, et ecce candelabrum aureum totum : et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud ; et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus. Et duæ olivæ super, » id est juxta, « illud : una a dextris lampadis, et una a sinistris ejus. » Candelabrum repræsentat lucidissimam Dei provi-

dentiam, qua futurum erat ut mox candelabrum materiale, id est templum a Judæis reædificaretur. Lampas est ipsa divinitas et mens divina omniscia. Septem lucernæ lucentes instar oculorum, sunt septem angeli primarii, ministri et executores divinæ providentiae, præsertim in hac templi fabrica. Sic enim eas explicat angelus vers. 10, dicens : « Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. » Septem infusoria, id est calami concavi instar canarium et fistularum, per quos oleum e lampade derivabatur et desluebat in septem lucernas, totidem calamis insistentes, significant varias divinæ providentiae rationes, modos et influxus, quas septem angelis administris suis communicat, ut eas exsequantur. Duæ olivæ, sunt Jesus pontifex et Zorobabel princeps, qui adstant candelabro representanti Deum Deique providentiam, ut eam exsequantur, templumque reædificant, ac Ecclesiam, æque ac rempublicam Judæorum instaurant. Ita enim explicat angelus vers. ultimo dicens : « Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ. »

Allegorice; candelabrum est Ecclesia, lampas est Christus, oleum est Christi sanguis, merita et gratia. Hæc enim Christus per septem Sacra-menta, quasi infusoria, influit in septem lucernas, id est in omnes fideles et Ecclesias. Duæ olivæ, sunt SS. Petrus et Paulus, qui Christo assistunt quasi primipili in fundanda et exornanda Ecclesia. Item Elias et Henoch in fine mundi, qui Judæos gentesque omnes ad Christum convertent; itaque consummationem et culmen imponent Ecclesiæ, tam militanti, quam triumphanti.

Vers. 7. « Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum, » q. d. Quis tu, o Sanaballat potens et superbe, ut resistas Zorobabeli in fabrica templi? complanare, deprime tuam potentiam et superbiam. Non enim valebis Zorobabel em Deo nixum impedire, quo minus templum consummet. Mystice: Quis tu, o Satan potens et superbe, ut Zorobabelis filio, id est Christo et christianis, resistas in erienda et propaganda Ecclesia? complanare: illi enim te calcabunt, et, te invito, Ecclesiæ fabricam consummabunt.

« Et educet lapidem primarium, » qui in culmine emineat, q. d. Zorobabel culmen templo imponet illudque consummabit. « Et exæquabit gratiam gratiæ ejus, » q. d. Faciet Zorobabel ut gratia consummationis templi, gratiæ inchoationis ejusdem commensuretur, et quasi ex æquo respondeat. Unde explicans subdit: « Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficiunt eam. »

Vers. 10: « Quis enim despexit dies parvos? » Dies parvos vocat, quibus parva et exilia templi fundamenta jaciebantur a pauperibus Judæis, ita ut non viderentur ad culmen posse deduci, multo minus æquare magnificentiam prioris templi a Salomone ædificati.

« Et lætabuntur, et videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel, » q. d. Videbunt mox Zorobabel perpendiculo dimetientem et perficiensem fabricam templi, tumque lætabuntur quasi in die magno et mirabili. Lapis enim stanneus est, qui funem perpendiculi distendit, ut recta et ad libellam fabrica mensurari et assurgere possit.

Cap. v, 2. « Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, et latitudo ejus decem cubitorum. » Volumen hoc continebat furta, perjuria et scelera impiorum, æque ac pœnas cuique pro mensura scelerum debitas, et imminentes: hinc volat et quasi involat in fures, perjuros, etc., præsertim qui opes a Dario aliisque datas pro fabrica templi, in suos usus sacrilege convertebant. Quocirca visum fuit egredi ex templo, vel circa illud volare: unde et ei in mensura fuit par. Tabernaculum enim Mosis, quod erat instar templi, longum erat viginti cubitis, latum decem; tantumdem longum et latum erat hoc volumen. Ita explicat Zacharias dum subdit: « Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur; et omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur. »

Vers. 6, 7, 8, etc. « Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in universa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc est impietas. Et projectit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os ejus. Et levavi oculos meos, et vidi: et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum, et habebant alas quasi milvi; et levaverunt amphoram inter terram et cœlum. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basem suam. » Amphora est mensura peccatorum, qua impleta Deus ea castigat et vindicat. Oculus omnium impiorum in eam respicit: quia impii non nisi ad suas cupedias et scelera respiciunt, itaque eam sensim adimplent, qua impleta, talento plumbi ipsa oblegitur; quo significatur gravis Dei ultio et sententia, quæ impietatem amphoræ, id est mensuræ pœnarum, culpis parium, adæquat et includit ut eam evadere nequeat. Impietas est idolatria, aliaque crimina. Duæ mulieres sunt Nabuchodonosor et Nabuzardan, qui quasi milvi alati celerrime et rapacissime impietatem cum amphora, puta impios Judæos qui jam mensuram scelerum suorum impleverant, transtulerunt in Babylonem, ut ibi quasi in sua sede et regno commoretur impietas, tam quoad culpam, quam quoad pœnam. Vide dicta Zachariae, cap. v.

Cap. vi, 1. « Et ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium; et montes, montes ærei. » Quatuor quadrigæ sunt quatuor mo-

narchiæ, quarum una alteri continue successit : hæ prodierunt e duobus montibus, id est e celsitudine et arcana profunditate divini consilii et providentiæ, cuius duæ sunt partes, quasi duo montes, scilicet sapientia et potentia, sive prædestinatio et exsecutio, utraque fortis et efficax instar æris, adeo ut nemo eis reluctari potuerit, aut possit.

Vers. 2 et 3. « In quadriga prima equi rufi, et in quadriga secunda equi nigri, et in quadriga tertia equi albi, et in quadriga quarta equi varii et fortes. » Equi rufi significant primam monarchiam Chaldæorum, qui rufa veste, id est purpurea et coccinea, amiciebantur; quippe erant rufi, id est crudeles et sanguinarii, præsertim in Judæos. Nigri significant secundam monarchiam Persarum : nigror repræsentat pavorem et horrorem, quem incusserunt Judæis sub Cambyse, et sub Assuero marito Esther per dolos Aman. Albi significant Græcos, qui albati incedebant, ait Cyrillus, qui in Judæos fuerunt clementes et benevoli. Varii significant Romanos, quorum varium fuit regimen, nunc monarchicum, nunc aristocraticum, nunc democraticum.

Vers. 6. « Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis, » q. d. Persæ aggressi sunt et vastarunt impiam Babylonem. Unde de iis subdit, vers. 8 : « Qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum (Septuaginta, furorem) meum in terra Aquilonis, » puta in Babylone, quæ aquilonaris est Judæa.

« Et albi egressi sunt post eos. » Quia Alexander et Græci successerunt Persis, eosque cum suo rege Dario profligarunt juxta Babylonem. « Et varii egressi sunt ad terram Austri, » q. d. Augustus et Romani invaserunt Ægyptum, quæ Judææ est ad austrum, eamque devicto apud Actium Antonio et Cleopatra (quæ ultima ex Græcis, puta Ptolomæis, fuit Ægypti regina) sibi subjugavit, eaque ratione, extinctis plane Græcis, eorum monarchiam ad se transtulit.

Vers. 11. « Sumes aurum et argentum, et facies coronas duas, » unam pontificiam, alteram ducalem ; « et pones in capite Jesu filii Josedec, sacerdotis magni, » ut signifies deinceps pontifices fore duces et principes Judæorum : ac magis, ut allegorice Jesus filius Josedec, id est justitiæ Dei, repræsentet Jesum Christum fore summum orbis Pontificem, æque ac regem. Unde de eo subdit : « Ecce vir Oriens (Chaldæus, *Messias*) nomen ejus : et subter eum orietur, » multitudo fidelium et sanctorum. « Et ædificabit templum, » id est Ecclesiam tam militantem, quam triumphantem, « Domino : et ipse portabit gloriam, » etc., gloriose resurgens, et ascendens cum triumpho in cœlum, ibique residens ad dexteram Patris, quasi Rex regum et Dominus dominantium.

Cap. viii, 3. « Et habitabo in medio Jerusalem, et vocabitur Jerusalem civitas veritatis, et mons Domini exercituum, mons sanctificatus. » Jerusa-

lem typus est Ecclesiæ, quæ est columnæ et firmamentum veritatis, ac mons sanctitatis, tam doctrinæ, quam vitæ divinæ. Unde subdit :

Vers. 7. « Ecce ego salvabo populum meum de terra Orientis, et de terra Occasus solis. » Hoc est quod Judæis ait Christus de gentibus : « Multi venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum, » Matth. viii, 11. Unde et subdit Zacharias, vers. 23 : « Apprehendent decem, id est multi, homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi (id est confitentis Deum, et credentis in Christum eumque prædicantis, puta Apostoli, virique Apostolici) dicentes : Ibumus vobiscum : audivimus enim quoniam Deus vobiscum est. »

Vers. 19. « Jejunium quarti (mensis), et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi, erit domui Juda in gaudium, et lætitiam, et in solemnitates præclaras. » Hæc fuerunt symbola jejunii quatuor temporum, quod usurpat Ecclesia, uti docet S. Leo. Vide dicta Zachar. viii, 19.

Cap. xi, 12 et 13. « Et dixi ad eos : Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam ; et si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos : et projeci illos in domo Domini, ad statuarium. » Zacharias hac actione sua symbolica, per visionem ipsi, ut videtur, in mente a Deo objecta et efformata, repræsentavit venditionem Christi, qua Judas eum vendidit triginta argenteis; quod proinde per ironiam vocat decorum, id est vile et infame pretium. Unde jussu Dei projectit illud in templo, ut eo a statuario, id est a figulo, emeretur ager in sepulturam peregrinorum, Matth. xxvii, 3.

Cap. xiii, 1. « In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ. » Fons hic est Christus in cruce lancea et clavis perforatus, ex quo scaturivit Baptismus, Eucharistia cæteraque Sacramenta, ac omnis gratia : quibus abluitur peccator, et menstruata, id est peccatrix. Peccatum enim est menstruum, id est sordes et virus animæ. Unde hunc fontem explicans subdit :

Vers. 6. « Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum (puta in Judæa et Jerusalem) qui diligebant me, » q. d. Has plagas mihi inflixerunt mei cives et cognati, puta Judæi, qui erant populus colens et diligens Deum, et consequenter me. Ego enim sum Deus, et Dei Filius.

Vers. 7. « Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. » Est vox Dei Patris, qua significat suo decreto occidendum esse Christum, q. d. Jubeo tibi, o framea, o glacie (sub quo claves, lanceam, flagella, et omnia mortis instru-

menta, per synecdochen intellige), ut ferias et occidas Christum, qui est vir cohaerens mihi, et pastor quem dedi meis fidelibus, ut ipsi ejus morte redimantur. « Percute ergo pastorem, et dispergentur oves. »

Cap. xiv, 4. « Et stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem : et scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem, et ad occidentem prærupto grandi valde; et separabitur medium ad aquilonem, et medium ejus ad meridiem. » Symbolum est Christi ex monte Oliveti ascendentis in cœlum, indeque mittentis Apostolos in quatuor mundi plagas. Anagogice, Christo ibidem considente ad judicium, findetur totus mons, ut impios, æque ac Antichristum, absorbeat, mittatque in tartara.

Vers. 6 et 7. « Et erit in die illa : Non erit lux, sed frigus et gelu. Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies, neque nox, et in tempore vesperi erit lux. » Ad litteram dies hic fuit tempus persecutionis Antiochi Epiphanis, qua Judæis afflictis dies videbatur non esse dies, sed nox. Verum vespere, id est in fine persecutionis, successit lux, id est lætitia et consolatio, per victorias Judæ et Machabæorum. Anagogice dies judicii, qui soli Deo est notus, ita erit horridus, ut sub illud tempus sol obscurandus sit, et stellæ de cœlo casuræ : sed vespere, id est in fine ejus, succedet Sanctis lux beatitudinis et gloriæ æternæ.

Vers. 8. « Et erit in die illa : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem : medium earum ad mare Orientale, et medium earum ad mare novissimum : in æstate et in hieme erunt. » Alludit ad fontes Gihon, qui ad Occidentem; et Cedron, aliasque qui ad Orientem cingebant et decorabant Jerusalem. Per hos intelligit Machabæos, qui suis præliis et victoriis, quasi fontes aquas vivas consolationis, lætitiae, et rerum abundantiae attulerunt Judæis. Parabolice significantur Apostoli, qui e Jerusalem exeuntes in totum orbem emanarunt aquas gratiæ et doctrinæ Evangelicæ. Anagogice significantur gaudia Beatorum ex visione Dei, quasi ex fonte manantia. Unde huc alludens S. Joannes, Apocal. xxii, 1, in descriptione cœlestis Jerusalem : « Et ostendit mihi, inquit, fluvium aquæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, et agni, » etc.

Vers. 16. « Et omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus, quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum, et celebrent festivitatem tabernaculorum. » Tenuiter id factum a Machabæis, qui Idumæos, Philistæos aliasque vicinas gentes coegerunt ad suscipienda sacra Judaica, eorumque festa colenda. Plene id factum ab Apostolis, qui omnes gentes converterunt et induxerunt ad celebranda festa Christiana, adumbrata per Judaica; ac præsertim ut mystice agant festum tabernaculorum, nimirum ut quasi pere-

grini degant in hoc mundo, tanquam in tabernaculo ; ac fide, spe et charitate jugiter contendant ad patriam cœlestem.

Vers. 20. « In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino, » q. d. Machabæi phaleras equorum, aliasque manubias hostium consecrabunt Deo, quasi victoriæ auctori. Idem facient de suis spoliis et opibus principes, reges et imperatores conversi ad Christum : quorum primus fuit Constantinus, qui proinde ad litteram clavum sanctum, quo crucifixus est Christus, imposuit freno equi sui, tum ad ostendendam suam fidem et pietatem in Christum, tum ut ejus ope communitus in præliis, victoria potiretur.

« Et erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari, » q. d. Ob victorias Machabæorum, multi confluent ad sacrificandum Deo : hinc plurimos adducent lebetes ad coquendas carnes victimarum, quos deinde relinquunt templo, Deoque consecrabunt : ita fiet ut tot sint lebetes sanctificati, quot phialæ ; ac lebetes in nitorem et sanctitatem philarum quasi transeant. Mystice, lebetes sunt corda fidelium, in quibus igne charitatis excoquitur quidquid carnale est, ut fiant sancta instar thymiamatis quod est in phialis, jugiter exhalantia incensum orationis et laudis Deo. Hinc de S. Magdalena canit Ecclesia :

Fit ex lebete phiala,
In vas translata gloriæ,
Ex vase contumelæ.

q. d. Prius erat lebes concupiscentiæ, deinde facta est phiala continentiæ et pœnitentiæ.

EX MALACHIA.

Cap. i, 11. « Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda. » Hebraice מִנְחָה mincha, id est sacrificium farreum, puta farinæ et panis, Levit. ii, quod erat typus Eucharistiæ, quæ hic ad litteram significatur, et prædictur in lege nova fore non tantum sacramentum, sed et sacrificium.

Cap. iii, 1. « Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos queritis, et angelus testamenti quem vos vultis. » Duos hic angelos prænuntiat Malachias, unum communem et priorem, qui sit præcursor posterioris. Hic est S. Joannes Baptista, qui fuit angelus, id est legatus, Christi; idque ante faciem ejus, id est coram eo : quia Christum præsentem populo ostendit, et digito demonstravit. Alterum angelum testamenti, puta Christum, qui fuit angelus, id est legatus, Patris ad sanciendum novum testamentum, id est fœdus inter Deum et homines. Hic post Joannem concionantem, et præsertim incarceratum, venit ad templum, ibique prædicavit et miracula patravit, quibus compro-

bavit se esse angelum testamenti, puta Messiam. Unde de eo sequitur : « Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus ? Et quis stabit ad videndum eum ? » q. d. Ecce ego Malachias eminus in spiritu eum adventantem conspicio. Et quis comprehendat, imo quis appendat, ponderet et penetret pro dignitate, uti meretur, ejus in carnem advenientis dignationem, charitatem, potentiam, sapientiam, majestatem, gloriam ? Quis vero coram tanta majestate consistere queat ? quis tantam lucem irretortis oculis intueri valeat ? Quis hominum impurorum coram tanta puritate, imo igne conflante et purificante, illæsus consistat ?

Vers. 2. « Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum, » q. d. Christus instar ignis conflabit, et instar herbæ saponariæ, qua fullones expurgant pannos, emundabit ab omni peccato et immundicie, suos fideles, præsertim sacerdotes.

Vers. 3. « Et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum; et quasi argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia, » q. d. Christus quasi aurifex igne divino excoquet suos sacerdotes, ut niteant instar argenti, et splendeant instar auri, itaque justa et sancta Deo offerant sacrificia. Aaronici enim sacerdotes fuerunt terreni, Christiani vero sunt argentei et aurei.

Cap. iv, 1. « Ecce dies veniet succensa quasi calinus : et erunt omnes superbi, et omnes facientes impietatem stipula : et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem et germen. » Dies hæc est dies judicii, « succensa » igne, tum conflagrationis mundi, tum gehennæ, tum acris examinis et judicii divini, in qua impii cum omni sua gloria, opibus, deliciis et pompis funditus exscindentur, et comburentur ut stipula, cujus nulla radix superest, aut germen; ita tamen ut illæsi ipsi semper perdurent in igne, ad pœnam continuam et æternam.

Vers. 5 et 6. « Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam et percutiam terram anathemate. » Hinc patet Eliam Thesbitem, ut habent Septuaginta, cum Henoch venturum ante diem judicii, ut Judæos convertat. Elias ergo cor, id est mentem, fidem et devotionem patrum erga Christum venturum reducit, imprimetque filiis, ut cor, id est mens, fides et devotio filiorum erga Christum jam præsentem, imitetur et sequatur cor, id est mentem, fidem et spem patrum ; ne veniens Christus ad judicium, incolas terræ terrenis bonis affixos perdat anathemate, id est pleno excidio et exterminio ; sed credentes in se salvet beatque.

ÆNIGMATA.

EX OSEE.

Cap. i, 10 et 11. « Et erit in loco ubi dicetur (dicebatur) eis : Non populus meus vos ; dicetur eis : Filii Dei viventis. Et congratulabuntur filii Juda et filii Israel pariter. Et ponent sibi caput unum, et ascendent de terra. » Est ænigma vocationis Judæorum et Gentium ad fidem et salutem per Christum. Hi enim antea non erant populus Dei, sed per fidem in Christum facti sunt populus Dei, et filii Dei, verique Judæi et Israelitæ, cum scilicet unum caput sibi posuerunt Christum, et cum eo ascendere cœperunt mente et conversatione sancta de terra in cœlum.

« Quia magnus dies Jezrahel, » q. d. Celeberrimus et felicissimus erit dies ille, quo Jezrahel, id est semen et filii Dei antea dispersi, per Christum unigenitum Dei Filium congregabuntur in unam Ecclesiam, nunc militantem, postea triumphaturam in cœlis.

Cap. ii, 15. « Dabo vallem Achor (id est turbationis) ad aperiendam spem, » q. d. Turbatio et desperatio erit occasio, et initium spei : ubi

omnia videbantur perdita et desperata, ibi affulget spes salutis. Deus enim in arctis extremisque difficultatibus maxime adesse solet, suisque aperire viam ad evadendum.

Vers. 21 et 22. « Exaudiam cœlos, et illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum : et hæc exaudient Jezrahel, » q. d. Dabo cœlis pluviam, quam tacite poscunt, ut eam communicent terræ, quæ per eam fecundata dabit triticum, vinum et oleum, quo alatur Jezrahel, id est populus Dei : Jezrahel enim poscit triticum, etc., triticum poscit terram fecundam, terra fecunda poscit pluviam e cœlo. Horum omnium votis satisfacit Deus, dum facit ut cœlum impluat terræ, ex eaque producat fruges, ad alendum Jezrahel.

Cap. v, 1. « Laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor. » *Speculationem* vocat populum speculandum, sive speculationi et custodiae sacerdotum et procerum commissum, q. d. Vestrum erat speculari, præmonere, itaque avertere pericula a populo : at vos pro specula eidem facti estis laqueus, quia verbo et exemplo eum idolis implicastis et illaqueastis, itaque in

ruinam et exitium egistis : perinde ac venatores reti capiunt et illaqueant feras et aves in monte Thabor.

Vers. 7. « Devorabit eos mensis; » Aquila, neomenia, id est nova luna, puta novus rex, novum imperium, quæ sub luna, cum luna, et instar lunæ mutantur et innovantur.

Cap. vi, 3. « Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos. » Ad litteram *primus* dies, est captivitatis Assyriacæ; *secundus*, Babylonicae; *tertius*, redemptionis et libertatis per Cyrus, et multo magis per Christum. Allegorice *primus* dies fuit passionis Christi, *secundus* sepulturæ, *tertius* resurrectionis, quo scipsum, nosque in seipso a morte ad vitam Christus suscitavit. Tropologice, q. d. Cito Deus pœnitentem sua gratia vivificat; et patientem in tribulatione cito consolatur et liberat.

Vers. 5. « Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei, » q. d. Judæi erant duri ut marmora: conatus ergo sum eos dolare et scalpere per Prophetas, assidue eos tundens et pulsans, nunc minando, nunc blandiendo, adeo ut Prophetas tot oraculis, verbis et concionibus fatigari et quasi enecarim; sed frustra: scalpra enim mea hebetavi, et Prophetas meos tantum non occidi; at ipsi marmora manent, sculpi scalpique nolunt.

Cap. vii, 8. « Ephraim factus est subcinericus panis, qui non reversatur, » qui non invertitur, ideoque ab igne aduritur, q. d. Israel, quasi panis subcinericus, manet in suo cinere et sordibus idolatriæ, nec se ab iis avertit, ut per pœnitentiam redeat ad Deum: quocirca igne Assyriaco sensim comburetur et consumetur. Unde subdit: « Comederunt alieni robur ejus, » puta, fruges et opes ejus diripuerunt et devorarunt Assyrii: « et ipse nescivit, » ipse non adverit se consumi, et tendere in ruinam.

Cap. viii, 7. « Ventum seminabunt, et turbinem metent, » q. d. Sicut qui serit ventum, metit turbinem, quem causat ventus in terram jactus et conclusus: ita qui seminant idolatriam, superbiam aliaque scelera, metent turbinem calamitatum et ærumnarum, quarum causa est idolatria, superbia, etc. Unde affini adagio idem explicans subdit:

« Culmus stans non est in eo, german non faciet farinam, » q. d. Sicut ex vento seminato nasci nequit culmus consistens, germanque crescens in granum quod faciat farinam: ita et ex idolatria et superbia nasci nequit aliquid boni, quod operantem pascat et reficiat; sed potius omne malum, quod eum cruciet, affligat; et mille molestiis curisque exagit.

Vers. 8. « Israel factus est in nationibus quasi vas immundum, » puta matula, in quam Assyrii aliæque gentes suas sordes conjiciant: ita S. Hieronymus.

Vers. 9. « Israel est onager solitarius sibi, » q. d.

Israel jugum Dei et legis excussit: vult esse liber-sibique, ut lubet, vivere, instar asini feri et sel vestris.

Cap. ix, 8. « Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus est, » q. d. Propheta qui debebat esse speculator populi, versarique cum Deo, et ex ejus ore loqui, hic factus est populo laqueus ruinæ: quia suis falsis oraculis et doctrinis populum induxit in exitium et ruinam.

Vers. 14. « Da eis, Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia, » q. d. Inflige Israelitis pœnam raram et acrem, scilicet sterilitatem et orbitatem, ut vel filios non concipient, vel si conceperint, lactare et educare nequeant, idque quia in filiis superbierunt, iisque sacrilege abusi sunt, immolando eos Moloch.

EX JOELE.

Cap. ii, 20. « Eum qui ab Aquilone est, procul faciam a vobis. » Scilicet Nabuchodonosorem et Holofernum, qui ex aquilonari plaga, puta Chaldaea et Assyria, veniunt, avertam ab Israele. Mystice, diabolum avertam a fidelibus. Ipse enim est frigidus aquilo, qui suo frigore omnia bona desiccat, acediam et torporem piorum operum inducit.

EX AMOS.

Cap. i, 3. « Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum: eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad, » q. d. Obtria, id est multa, sclera Damasci, sed maxime ob quartum, quia scilicet crudeliter sœviit in Israelitas, puta Galaaditas, triturando eos quasi triticum, non parcam ei; sed pariter in eum sœviam, et acriter eum puniam.

Cap. vi, 13. « Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiae in absinthium? » q. d. Equi et bubali sequuntur naturæ ductum: unde nil faciunt naturæ repugnans, v. g. ut equi currant in petris, ut bubali indomiti jugo domentur, et arent. At vos, o Israelitæ, naturas rerum invertitis; quia facitis naturæ repugnantia: nam justitiam in injustitiam, virtutem in vitium, dulcedinem in amaritudinem convertitis.

Cap. ix, 6. « Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, » id est thronum, ad quem sancti e terra ascendunt; « et fasciculum suum super terram. » *Fasciculum* vocat colligationem trium elementorum, aeris, aquæ et terræ. Mystice, fasciculus Dei est Ecclesia, fide, lege et charitate Dei constricta et colligata: Ecclesia, inquam, tum mixta et militans, tum electa et triumphans.

EX MICHÆA.

Cap. i, 7. « Quia de mercedibus merefricis con-

gregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur, » q. d. Quia Samaria suas opes colligit ex idolatria (hæc enim est meretricatus spiritalis), hinc eadem ad idololatras, puta ad Assyrios raptore devolventur.

Vers. 15. « Adhuc hæredem adducam tibi quæ habitas in Maresa. » Est sarcasmus : *hæredem* enim vocat Assyrios, qui vastabunt et hæreditabunt Maresa cæterasque urbes Judææ. Unde subdit : « Usque ad Odollam veniet gloria Israel, » q. d. Gloria Israel propulsa, quasi ab Assyriis, qui ejus urbes capient, fugiet usque ad Odollam, quæ est in finibus Judææ, ibique cadet et extingueatur, cum Odollam capiet Assyrius. Ergo tu, o Samaria, æque ac tu, o Judæa, « decalvare et tendere (in signum extremi luctus) super filios deliciarum tuarum (Septuaginta, *super filios tuos delicatos*) dilata calvitium tuum sicut aquila, » quæ senescens toto corpore deplumatur et decalvatur : « quoniam captivi ducti sunt ex te. »

Cap. vi, 10. « Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena, » q. d. Adhuc ignis cupiditatis, toties a nobis Prophetis repressus et restinctus, quasi sopitus reviviscit, inardescit et increscit, nimirum thesauri qui ex iniquitate comparantur, et usus mensurarum quæ justo sunt minores, sed ira Dei plenæ; quia quod eis deest in pondere, hoc Deus supplebit et implebit sua vindicta onereque supplicii.

EX NAHUM.

Cap. i, 10. « Quia sicut spinæ se invicem complectuntur; sic convivium (id est cœtus convivarum, sive convivæ) eorum pariter potentium : consumentur quasi stipula ariditate plena, » q. d. Convivantes et compotantes Assyrii, qui in symposiis instar coronaæ e spinis contextæ et implexæ, sibi invicem in orbem sociantur, dum mensas et vina coronant; hi, inquam, ab angelo et a Medis, quasi stipula aridissima comburentur et consumentur.

Cap. iii, 16. « Plures fecisti negotiationes tuas, quam stellæ sint cœli; bruchus expansus est, et avolavit, » q. d. Sicut bruchus sole calente alas expandit et avolat; ita merces et opes tuæ, o Nînive, quæ numero certant cum stellis, persequente te Chaldaeo, a te ad eum avolabunt.

Vers. 17. « Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris; sol ortus est, et avolaverunt, » q. d. Sicut locustæ tam magnæ, quam parvæ, nocturno frigore torpentes, solis radiis excitatæ et calefactæ avolant; ita tui duces et milites, o Nînive, qui te custodiebant, veniente Chaldaeo aufugient.

EX SOPHONIA.

Cap. i, 7. « Præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. » Hostia, pro peccato im-

molanda divinæ vindictæ, est impia Jerusalem. Sacerdotes, eam immolaturi, sunt Chaldæi, quos Deus ad hoc vocavit et « sanctificavit, » id est auctoravit, designavit, et quasi consecravit ministros et executores suæ justitiae et sententiæ.

Vers. 12. « Scrutabor Jerusalem in lucernis, » q. d. Scrutabor Judæos in speluncis se abdentes, per Chaldæos, qui eos ubique investigabunt, ut occidant, vel capiant. Unde subdit : « Et visitabo (puniendo) super viros defixos in fæcibus suis; » puta in peccatis suis, q. d. Sic ut vinum jugiter residens in fæcibus suis fitolidum, vapidum et insipidum; ideoque ab œnopolia ab iis depromitur, et in aliud vas transfertur; ita Judæi, in Judæa degentes in otio et rerum abundantia, lasciviunt et luxuriant, putent et fœtent; quocirca eos inde transferam in Babylonem.

Vers. 15 et 16. « Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis, dies tubæ et clangoris. » Dies hæc ad litteram est dies excidii Jerusalem per Chaldæos. Allegorice est dies mortis et dies judicii. Unde de ea subdit : « In igne zeli ejus devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram. » Deus enim judex et vindex, quasi zelotes impulsus zelo justitiae, honoris et amoris sui, ad vindicandum injurias sibi irrogatas, acriter puniet Judæos et fideles qui quasi sponsæ ab eo adamatae, eo spreto, cum creaturis adulteratæ sunt.

EX ZACHARIA.

Cap. x, 4. « Ex ipso (Juda) angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exactor simul. » Hæc sunt quatuor ænigmata principis, puta Machabæorum, et mystice Apostolorum. Princeps enim, primo, est angulus reipublicæ, utpote qui omnia ejus latera stringit, continet et roboret; secundo, est quasi paxillus, quia ex ipso omnium subditorum fortunæ, res et spes pendent, quasi ex paxillo; tertio, est quasi arcus, hostes reipublicæ sternens et profligans; quarto, est exactor, id est victor qui vicit leges, jura et tributa imponit.

Cap. xi, 1. « Aperi, Libane, portas tuas, et comedat ignis cedros tuas, » q. d. Aperi, o Jerusalem, portas tuas Tito et Romanis, qui domos tuas cedrinas comburent. Libanus enim est ænigma Jerusalem et templi, tum quia ex cedris pinisque Libani erant constructa; tum quia ut Libanus arboribus, ita Jerusalem populis abundabat.

Vers. 2. « Ulula, abies, quia cecidit cedrus. » Ululate, plebeii, quia ceciderunt magnates, qui vos protegebant; illis ergo cadentibus, cadetis et vos. Unde explicans subdit : « Quoniam magnifici vastati sunt. »

Vers. 7. « Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, et alteram vocavi Funiculum : et pavi gregem. » Duæ virgæ pastorales, sive duplex

pedum significat duplex regimen Dei. Primo enim rexit Judæos amore, sceptro quasi decoris, per promissa et beneficia, deditque principes et pontifices benevolos et beneficos; quales fuerunt ante Zachariam Moses, Josue, David, etc., post eum Machabæi, et maxime Christus. Verum quia Judæi his recalcitrarunt, hinc fracto sceptro decoris assumpsit sceptrum funiculi, quo cœpit eos regere terroribus, minis, vinculis et flagellis, præsertim post Christum, ac tandem plane eos abjexit, tradiditque vastandos Tito et Romanis, uti in sequentibus docet Zacharias.

Vers. 15. « Et dixit Dominus ad me : Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti, » id est improbi, qui gregem neglit, imo expilat, ut se unum passat et ditet. Hujus vasa, id est instrumenta, sunt machæra, vel culter ad jugulandum oves : baculus ad confringendum earum crura ; laqueus ad eas strangulandum ; cithara, quam neglectis oviibus pulset, ut se oblectet. Unde subdit :

Vers. 17. « O pastor et idolum, derelinquens gregem, » q. d. Tu, o stulte et improbe pastor, non es pastor, sed umbra et idolum pastoris. Habes nomen et pedum, sed curam et vigilantiam pastoris non habes. Tales fuere Jason et Menelaus tempore Machabæorum, atque Annas, Caiphas et scribæ tempore Christi. Talis erit Antichristus in fine mundi, qui volet adorari ut idolum et numen.

Cap. XII, 2. « Ecce ego ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu. » Alludit ad profanationem templi factam sub Antiocho, adeo ut in eo comensationibus et scortationibus vacarent, ut patet II Machab. vi. Quocirca templum jam non erat templum, sed popina, ganea et domus crapulæ, ita ut in ejus superliminari tituli loco scyphus, quasi insigne computationis

et crapulæ, exponi potuerit, et forte re ipsa expensis sit, q. d. Græci et nonnulli Judæi ex domo Dei fecerunt domum crapulæ; ego faciam ut quasi ebrii in illam impingant, utque a Machabæis cædantur, et jam non vino, sed sanguine suo inebrientur; propinabo eis calicem tremoris, stuporis et soporis (hæc enim omnia significat hebreum **לְעַר raal**), ut eo consopiti æternum somnum dormiant.

Vers. 3. « Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis; omnes qui levabunt eum, concione lacerabuntur. » Alludit ad palæstram Gentilium, quam impius Jason in Jerusalem induxit, in qua certabant disco, id est massa plumbea, vel saxeæ, quis scilicet eam altius elevare, vel longius projicere posset, qua sæpe lacerabantur manus levantium, imo ipsi levantes subinde opprimebantur, q. d. Certant Græci, ut Judæos, quasi discum et lapidem oneris e Judæa in Græciam projiciant; sed ego faciam ut ab eodem per Machabæos lanientur et opprimantur.

EX MALACHIA.

Cap. IV, 2. « Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae, et sanitas in pennis ejus; et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento. » Alludit ad ænigma phœnicis; hujus enim sunt pennæ. Phœnix enim est avis solaris, quia symbolum est solis, q. d. Christus ex morte redivivus orietur vobis, o justi, quasi phœnix, id est quasi sol justitiae post occasum exoriens, qui suis radiis, quasi pennis expansis, vobis irradians, a morte vos resuscitabit, ac gloria beatitudinis et dote agilitatis donabit, ut vegeti, læti et felices exsiliatis, sicut exsiliunt vituli bene pasti et saginati.

ADAGIA.

EX OSEE.

Cap. II, 6. « Sepiam viam tuam spinis, » hoc est impediam ne curras ad tuos amasios, puta ad idola.

Vers. 9. « Liberabo lanam meam et linum meum. » Auferam a te vestes laneas et lineas, quibus abuteris ad cultum idolorum. Significat creaturas invite servire impietati, ideoque ab impiis quasi captivari, quia creatæ sunt et destinatae ad hunc finem, ut serviant piis in cultu Dei. Ab hac captivitate liberat eas Deus, dum illas impiis adimit, et transfert ad pios vel homines, vel usus.

Vers. 13. « Visitabo super eam dies Baalim. » Pecunia eum ob cultum Baal.

Vers. 14. « Lactabo eam, et ducam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. » Seducam eam ab amasiis, et solus cum sola agam, eique ab blandiar.

Vers. 19. « Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et miserationibus. » Assumam te mihi in sponsam cum summa misericordia, aequa ac justitia, qua te tuebor, et hostes tuos prosternam.

Cap. III, 1. « Diligunt vinacia uvarum. » Peccator relicta uva pingui et plena, id est vero summoque bono, diligit vinacia, id est folliculos uvæ passæ, puta picta et ficta bona, falsas delicias, falsos honores, falsas opes, falsa gaudia.

Cap. IV, 2. « Sanguis sanguinem tetigit. » Cædes cædibus adduntur, peccata peccatis cumulantur.

Vers. 11. « Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor, » id est rationem, judicium, mentem, spiritum hominemque dementant et infatuant.

Vers. 15. « Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda, » habens Dei templum, Deoque quasi dedicatus et intimus. « Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israel. » Israel ut vacca lasciviat, Juda in Dei lege consistat ut leo.

Cap. v, 3. « Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me, » q. d. Ego sum cordiognostes, ideoque video intimas Israelitarum cogitationes, desideria et propensiones in fornicationem et idolatriam. Unde sequitur : « Quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel : quia spiritus fornicationum in medio eorum. »

Vers. 5. « Respondebit arrogantia Israel in facie ejus, » q. d. Arrogans fastus Israelis, Deique contemptus publica clade sternetur et punietur; haecque humiliatio et poena ostendet ejus scelera; eiique interroganti : Cur adeo punior? in faciem non voce, sed facto et reipsa respondebit : Quia tam arrogans fuisti, q. d. Poena respondebit culpare; poena culpam prodet totique orbi demorabit. Unde sequitur : « Et Israel et Ephraim ruerunt in iniuitate sua. »

Vers. 12. « Ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo (Hebraice teredo) domui Juda, » q. d. Uti tinea molli lentoque, sed certo morsu corrodit vestem, ac teredo lignum; ita ego corrodam et consumam Israelitas et Judæos.

Vers. 14. « Ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda, » q. d. Laniabo Israelitas quasi leæna, et Judæos quasi leunculus.

Cap. vi, 6. « Misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta, » q. d. Requiero internam pietatem, non externam; actus, non cæremonias; victimas mentis, non carnis; cordis, non oris.

Cap. vii, 4. « Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente. » Sicut adulterandi libido adulterando increscit, magisque accenditur: ita libido colendi idola in Israelitis, ipsa eorum cultura magis increvit, et incensa est instar fornacis, quam succedit pistor; ita ut viderentur in idola furere et insanire.

Vers. 11. « Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor. » Sicut columba stolida sinit sibi pullos auferri, et ad eumdem nidum reddit; rursum, ob escam in retia se dat, sinitque se capi: ita Israelitæ stolidi implorant opem deorum et Assyriorum, a quibus vident se sensim spoliari et vastari, agique in exitium.

Vers. 16. « Facti sunt quasi arcus dolosus. » Videbantur Jehu et Israelitæ, everso Baal, studia sua directuri ab stabiliendum Dei cultum, sed ecce resilierunt ad colendos vitulos Jeroboam.

Cap. viii, 4. « Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes extiterunt, et non cognovi, » q. d. Reges Israel fecerunt schisma a domo David, et regnarunt in Israel non me auctore, sed populo

tumultuante, et deficiente a Roboam. Ego enim unum institui regnum, puta Juda, non Israel; ego sum auctor unius Synagogæ et regni, non duplicitis; odi enim divisionem et schisma, præsertim tendens ad idolatriam.

Cap. ix, 4. « Sacrificia eorum quasi panis lugentium, » q. d. Israelitæ idololatræ, et inerentes in captivitate offerunt et comedunt victimas immundas et illegitimas, æque ac lugubres et funestas, quale est epulum funebre.

Vers. 10. « Facti sunt abominabiles, sicut ea (idola, et merefrices Beelphegor, id est Priapi obscenissimi) quæ dilexerunt. »

Cap. x, 12. « Seminate vobis in justitia (Hebraice, justitiam, id est opera pia, justa et sancta), et metite (id est certo metetis) in ore misericordiæ. » Hebraice, *juxta os misericordiæ*, scilicet Dei. Os symbolum est capacitatatis et amplitudinis, q. d. Amplissimam a Deo recipietis mercedem, gratiam et misericordiam, tantam scilicet, quanta decet os, id est amplitudinem misericordiæ Dei.

« Innovate ergo vobis novale, » q. d. Cor vestrum, evulsis vitiorum spinis et loliis, quasi novale, id est, novum agrum Deo præparate, ut in eo ipse serat copiosa suæ gratiæ et misericordiæ semina.

Vers. 13. « Arastis impietatem, iniuitatem messuistis, » q. d. Haec tenus arastis, et seminasti impietatis semina et opera, ideoque poenas iniuitati debitas messuistis: « Ac comedistis frugem mendacii, » q. d. Paucas tenuesque comedistis fruges, ideoque mendaces et fallaces; quia spem magnæ segetis, quam dabant in germine, in messe non præstiterunt.

Cap. xi, 9. « Deus ego et non homo, » q. d. Homo regitur ira, ego iram moderor et rego; homo offensus spirat vindictam, ego misericordiam; hominis cogitationes sunt naturales, terrenæ et depressæ; meæ sunt supernaturales, cœlestes et transcendentes omnem angelorum intellectum; homo est inconstans et mutabilis, ego constans et immutabilis.

Vers. 12. « Circumdedit me in negatione Ephraim, Judas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis fidelis, » q. d. Cum Ephraim, id est decem tribus, abnegavit Dei cultum, et colluit vitulos aureos, tunc Judas, id est duæ tribus, Deo fideliter, cum sanctis sacerdotibus aliisque fidelibus adhæsit, ac quasi descendit cum Deo; Deus enim parte sui regni et Ecclesiæ ab Ephraim quasi spoliatus, descendere et deprimi videbatur; illi tamen in hoc descensu et contumelia, fidelis comes et assecla fuit Judas. Judas ergo fidem et amicitiam suam stabilem Deo in hac persecutione et tribulatione probavit. Vulgo enim fieri solet illud Poetæ :

Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Cap. XII, 1. « Ephraim pascit ventum et sequitur aestum, » q. d. Israel facit rem futilem, perinde ac si quis ventos vellet pascere et regere, quasi oves; imo rem noxiam, perinde ac si quis perseveretur aestum; eum enim non comprehendet, nec laedet, sed potius ab eo laedetur et uretur. Colit enim idola vana et noxia, in iisque spes suas reponit; ob quae vastabitur et comburetur.

Vers. 7. « Chanaan in manu ejus statera dolosa, » q. d. Israel jam non est Israel, sed Chanaan, id est mercator fraudulentus; in manu enim ejus est statera dolosa; quia per iniqua pondera et mensuras decipit ementes et vendentes, ac iniqua lucra aucupatur.

Vers. 11. « Si in Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes, » q. d. Si GalAADITAE, id est Israelitae, experti sunt suos deos esse « idolum, » id est rem vanam et noxiam, ideoque se cum iis excisos esse, et in vanum abiisse; ergo frustra eosdem colunt Judei in Galgal: pariter enim sentient eos esse idolum, id est rem vanam et noxiam, cum eoque exscindentur et evanescent.

Cap. XIII, 9. « Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum, » q. d. Excidium tuum tibi tuisque sceleribus ascribe, non mihi meaque saevitiæ; ego enim tantum tibi auxiliari possum, idque desidero, si pœnitere et ad me redire velis. Tuum ergo exitium habes ex te, ex me vero non nisi auxilium.

Vers. 11. « Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea, » q. d. Non est quod spores auxilium a regibus tuis, Jeroboam et posteris ejus; quia sicut eos tibi iratus dedi, ita et iratus auferam, tradamque una tecum Assyriis. Id fecit Deus in Hosee ultimo rege Israel.

Cap. XIV, 3. « Dicite ei (Deo quem offendisti): Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, » id est da veniam, gratiam omneque bonum, quod rursum per gratiarum actionem a nobis accipias. Unde subdit: « Et reddemus vitulos labiorum nostrorum, » puta laudem et hymnodiam labiis nostris expressam. Prescribit Propheta Israeli pœnitenti formulam confessionis et deprecationis.

Vers. 10. « Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet haec? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis, » q. d. Soli sapientes, id est fideles et justi, intelligunt vias legesque Domini, ac in eis ambulant recte in coelum; cæteri, infideles scilicet et impii, insipientes sunt: quia vias Dei practice non cognoscunt, nec in eis ambulant, sed in eis impingunt, corruuntque in scelera, ac deinde in supplicia, puta in gehennam.

EX JOELE.

Cap. I, 15. « A a; diei, quia prope est dies Domini, » puta dies excidii Samariæ, et typice totius mundi, q. d. Instat extrema clades urbi et

orbi, « et quasi vastitas a potente veniet. » Unde de eodem ait cap. II, 1: « Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini; quia prope est dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis; quasi mane expansum super montes, populus multus et fortis, » q. d. Sicuti summo mane sol expandit spargitque radios in montes, eosque præoccupat; ita Assyrii summa celeritate advolarunt, et præoccuparunt montes Israelis, antequam eos adventare scirent et sentirent Israelitæ.

Cap. II, 3. « Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma; quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum, » q. d. Exercitus Assyriorum ita omnia vastabit, ac si ignem cuncta afflantem ante se præferret, et post se exhalareret, ita ut terram, quæ antea erat florens quasi paradiſus, redigat in solitudinem et vastitatem. Hinc

Vers. 10. « A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli: sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. » Hæc propriæ sententias in fine mundi; sed impropre facta sunt in excidio Israelis; quia scilicet Israelitis pavore percussis, cœli et terra inverti, concurti et obscurari visa sunt. Est hypallage.

EX AMOS.

Cap. V, 7. « Qui convertitis in absinthium iudicium. » Qui injustas, amaras et acerbas fertis sententias in pauperes et innocentes, itaque eos quos juvare et consolari debebatis, exacerbatis et mœrore conficitis.

Vers. 9. « Qui subridet vastitatem super robustum. » Qui ludens et quasi subridens immittit plagas in robustos, quibus eos vastat et concusat.

Vers. 11. « Pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis; vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum. »

Vers. 13. « Prudens in tempore illo (excidii, considerans justum Dei iudicium et vindictam) facebit, quia tempus malum est. »

Vers. 23. « Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tue non audiam. » Quia Deus quærit cantica cordis, non oris; planetum mentis, non vocis.

Vers. 24. « Et revelabitur quasi aqua iudicium, et justitia quasi torrens fortis, » q. d. Dei justa vindicta vos obruet, instar torrentis longe lateque exundantis, qui omnia secum convolvit et abripit.

Cap. VI, 1, 4 et 5. « Vœ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ! optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Is-

rael. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege. Qui canitis ad vocem psalterii. Bibentes vinum in phialis, etc., et nihil patiebantur super contritione Joseph (populi sui). Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium (in captivitatem Assyriacam), et auferetur factio lascivientium. Juravit Dominus Deus in anima sua, » etc.

Vers. 12. « Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum majorem (decem tribus) ruinis (excidio pleno et perpetuo), et domum minorem scissionibus, » id est duas tribus scindet et carpet; sed non delebit: quin imo post 70 annos captivitatis Babylonicæ, eas sibi et patriæ restituet.

Cap. vii, 14 et 15. « Non sum Prophetæ, et non sum filius Prophetæ, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros. Et tulit me Dominus cum sequer gregem, et dixit Dominus ad me: Vade, propheta, ad populum meum Israel. » Ita stulta et ignobilia mundi elit Deus, impletque suo spiritu, ut confundat nobiles et sapientes.

Cap. viii, 11. « Et mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, » q. d. Redigam Israel in obsidione Samariæ ad tantas angustias, ut Prophetas, quos antea sprevit, undique conqueratur, ut ex iis sciscitur oraculum de futuro obsidionis eventu, an et quomodo manus Assyriorum possit evadere.

Cap. ix, 7. « Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi filii Israel. » Quia sicut Æthiopes colore, ita vos moribus atri estis, deformes, obdurati et immutabiles.

EX ABDIA.

Vers. 3 et 4. « Dicis(o Edom) in corde tuo: Quis detrahet me (ex rupe in qua securus habito) in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, et si intersidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. »

EX JONA.

Cap. ii, 9. « Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquent, » q. d. Qui colunt idola, quique voluptates suas a Deo vetitas sectantur, derelinquent Deum, a quo omnem misericordiam et omne bonum exspectare debent.

Cap. iii, 4. « Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. »

EX MICHAEA.

Cap. i, 5. « Quod scelus Jacob? nonne Samaria? et quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem? » q. d. Samaria quasi metropolis, quæ decem tribus debebat esse dux fidei et religionis, facta est eisdem dux idololatriæ, æque ac Jerusalem Judæ, sive duabus tribus.

Vers. 8. « Super hoc plangam, et ululabo: vadam spoliatus et nudus; faciam planctum velut draconum, et luctum quasi struthionum, » q. d. Miserabiliter et inconsolabiliter plangam excidium Samariæ.

Vers. 10. « In domo Pulveris (hebraice in Aphra) pulvere vos conspergite, » q. d. Aphra, urbs Samariæ, recte vocatur Aphra, id est pulvis; quia in pulverem ab Assyriis est redigenda. In ea ergo quasi in domo pulveris, vos, o Samaritæ, pulvere vos conspergite, et lugete excidium ejus et vestrum.

Cap. ii, 13. « Ascendet pandens iter ante eos: dividet et transibunt portam, et ingredientur per eam: et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum, » q. d. Christus præbit pandetque viam fidelibus suis in Ecclesiam, tum militarem, tum triumphantem.

Cap. iii, 6. « Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione: et occumbet sol super Prophetas, et obtenebrabitur super eos dies, » q. d. Quia vos, o pseudoprophetæ, non lucem, id est veritatem, sed noctem et tenebras, id est mendacia, prophetastis, prædicendo impiis pacem, id est prospera; idcirco puniam vos, faciamque ut visiones, id est prophetæ vestræ, vertantur in noctem, tum falsitatis, ut omnibus appareat eas fuisse tenebras, id est errores et figmenta; tum calamitatis et excidii. Redigam enim vos in eas angustias, ut sol vobis pavidis et attonitis occumbere, diesque in meridie obtenebrari videatur.

Vers. 8. « Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, judicio et virtute, ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum. » Doctori et concionatori necessaria sunt hæc tria: *primo*, fortitudo, id est libertas, et constantia docendi et arguendi peccata et peccatores potentes; *secundo*, judicium, id est veritas, æquitas et discretio; *tertio*, virtus, id est efficacia dicendi.

Vers. 10. « Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniuitate, » q. d. Qui domos magnificas in Jerusalem ædificatis ex injustis vectigalibus, donis, usuris, contractibus, fraudibus, rapinis et oppressionibus pauperum. Unde explicans subdit: « Principes ejus in muneribus judicabant, » etc.

Vers. 12. « Propter hoc causa vestri (ob vestras rapinas et sceleras), Sion quasi ager arbitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum, » q. d. Demoliar Sionem, et in ea domos vestras; quia eas ædificatis ex rapinis et sanguine pauperum. Urbs enim plectitur propter cives; et templum igni destinatur propter impios et sacrilegos indigenas. Satius enim est illud dari igni, quam sceleri; excidio, quam sacrilegio; hosti Chaldæo, quam idololatriæ et homicidæ Judæo.

Cap. vi, 3 et 4. « Popule meus, quid feci tibi, aut

quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra *Egypti*, et de domo servientium liberavi te: et misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam? » q. d. Estne hoc maleficium quod mihi imputas, nimurum beneficium, quo te e carcere *Egyptiaco* redemi, et ex mancípio effeci ingenuum et liberum? Est mycterismus.

Vers. 8. « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium (justitiam), et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. » Sicut reus supplex et sollicitus ambulat cum iudice, a quo veniam et vitam petit: et sicut famuli solliciti ambulant cum dominis suis, a quibus victimum et omnia bona sperant.

Vers. 14. « Humiliatio tua in medio tui. » In te residet tam culpa, quam pena afflictionis tuae.

Cap. vii, 1. « Vae mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ! non est botrus ad comedendum, » q. d. Heu mihi: nam ego Michæas prædicatione mea excolui vineam Juda; sed oleum et operam perdidisti: vix unum alterumve converti: diabolo et idolis cedunt botri grossi et plurimi, Deo et mihi pauculi acini. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Vers. 4. « Qui optimus in eis est, quasi paliurus; et qui rectus, quasi spina de sepe, » q. d. Optimus inter Judæos, nocens est et aculeatus, pungitque et lœdit ut paliurus et spinæ: cogitate ergo quales sint cæteri, quales pessimi.

Vers. 5. » Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, » q. d. Uxori ne reveles secreta tua; prodet enim te, utpote infida et garacula: « Nam inimici hominis domestici ejus. »

Vers. 8 et 9. « Ne lœteris, inimica mea (o semula Idumæa), super me (Jerusalem, quæ vastata sum a Chaldaëis), quia cecidi; consurgam, cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est. Iram Domini (captivitatem 70 annorum in Babylone) portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam iudicet: educet me in lucem (in libertatem per Cyrus, et magis per Christum), videbo justitiam ejus, » justam vindictam in Chaldaëos, aliosque fidelium tyrannos.

Vers. 18 et 19. « Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuae? Revertetur et miserebitur nostri: deponet iniurias nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris a diebus antiquis, » q. d. Tu, o Domine Deus, vere et fideliter præstabis libertatem per Cyrus et magis per Christum, Jacobo, id est Jacobæis, sive Judæis, quam misericorditer olim promisisti, et jurasti Abrahæ cæterisque Patriarchis, te daturum posteris eorum.

EX NAHUM.

Cap. i, 9. « Non consurget duplex tribulatio, »

id est, ut Septuaginta: *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione*, q. d. Deus idem scelus non punit bis; ita S. Cyrillus et Theophylactus.

Vers. 15. « Ecce super montes pedes (gressus, adventus: hujus enim symbolum et causa sunt pedes) evangelizantis et annuntiantis pacem: celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua: quia non adjicet ultra ut perfranseat in te Belial, universus interierit. » Belial hic ad litteram est Sennacherib: allegorice est diabolus: tropologicæ est peccatum: anagogice est mors, quæ tolletur in resurrectione, qua sublata Beati in cœlo celebrabunt perenne festum et jubileum.

Cap. ii, 11. « Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum? » Ubi est Ninive, quæ erat lustrum leonum, id est tyrannorum, qui prædabantur omnes gentes, earumque spolia et opes distribuebant suis catulis, id est filiis et optimatibus? q. d. Eversa est et expilata a Chaldaëis, sicut ipsa evertit et expilavit alias.

Cap. iii, 1. « Vae civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena! non recedet a te rapina, » q. d. Vae civitati Ninive, quæ tota est sanguinaria, mendax, plena rapinis et prædis: quia sicuti prædata est, et laceravit alias gentes, sic pariter ipsa lacerabitur, eritque prædæ Chaldaëis.

Vers. 4. « Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, et gratæ, et habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, et familias in maleficiis suis, » q. d. Exscindetur Ninive ob idolatrias suas, superstitiones et beneficia, quibus infecit et imbuit omnes gentes sibi subjectas.

Vers. 8. « Numquid melior es Alexandria populum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu ejus: cuius divitiae, mare: aquæ, muri ejus: *Ethiopia*, fortitudo ejus, » q. d. Ne fidas tuis viribus et opibus, o Ninive: nam Alexandria quæ te est fortior et opulentior, utpote adjacens mari et aquis cincta, iis se tutari non poterit, sed capietur a Chaldaeo: pariter ergo ab eo capieris et tu.

EX HABACUC.

Cap. i, 6 et 8. « Ecce ego suscitabo Chaldaëos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, etc. Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis, etc. Volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. » In pardo notatur Chaldaeorum sævitia, in lupo voracitas, in aquila rapacitas, in omnibus velocitas.

Vers. 13 et 14. « Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem? » q. d. Cur permittis, o Domine, Nabuchodonosorem quasi balænam impune grassari, nosque quasi pisciculos tyrannice opprimere et deglutire? Cur nos quasi lumbricos sinis ab eo injuste calcari et proteri?

Vers. 16. « Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit refi suo : quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. » *Sagenam et rete vocat arma, vires et castra Nabuchodonosoris, quibus quasi retibus ipse illaqueabat, et capiebat gentes instar piscium, q. d.* Ipse sibi suisque viribus, non Deo, ascribit suas victorias. Unde eas habet pro numine : quocirca ipse ut Deus, in statua aurea quam erexit, *Daniel. cap. III, coli et adorari voluit.*

Cap. II, 1. « Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, » q. d. Ego disputans et argumentans cum Deo, cur sinat impios Chaldæos vastare populum Dei : ut meam thesin quasi munitionem propugnem, stabo vigil in excubiis, ut argumenta Dei excipiam, ea que aliis argumentis, si possim, repellam et refellam.

Vers. 2 et 3. « Et respondit mihi Dominus, etc. Apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit : justus autem in fide sua vivet, » q. d. Tandem Deus puniet Chaldæos, et e Babylone liberabit Judæos, scilicet post 70 annos : quare si moram fecerit, exspectate eum, quia certo veniet, idque brevi. Nolite ergo in ista mora esse impatientes, increduli, et diffidentes de hisce Dei promissis ; sed in eorum fide et spe vestram captivitatem, et ærumnas generose sustentate, alacresque vivite.

Vers. 6. « Væ ei qui multiplicat non sua ! usquequo et aggravat contra se densum lutum ? » q. d. O miser Nabuchodonosor, cur rapis alienas opes ? quid enim hæ sunt aliud quam densum lutum, quo te opples et aggravas ?

Vers. 11. « Quia lapis de pariete clamabit, » q. d. Lapidès, ligna et tigna quæ rapuisti, vel ex rapto emisti, ad superba tua palatia exstruenda, propalam omnibus inclamabunt tuam avaritiam et rapinam, ideoque te juste a Deo puniri, vastari et disperdi.

Vers. 18. « Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fector suus, conflatile, et imaginem falsam ? » q. d. Quid in idolo tui Beli confidis ? Hoc enim non est numen, sed numinis imago falsa, quam plastes finxit : « Dominus autem in templo sancto suo : sileat a facie ejus omnis terra. »

Cap. III, 16. « Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum, » q. d. Veniant in me omnes ærumnæ, omnes morbi, omnes afflictiones, ut in die illa horrenda excidii Babylonis, communem Chaldaeorum cladem evadam, et ascendam ad populum accinctum ad iter, cum eoque sospes redeam in Judæam. Allegorice, ut in die excidii mundi, dieque judicii sim securus, et ascendam ad populum electorum, jam accinctum ad iter in cœlum.

Vers. 18. « Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo, » id est liberatore et salvatore meo, tum e Babylone, tum mystice a peccato et gehenna : « Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum, et super excelsa mea deducet me vitor, » in Jerusalem tum terrestrem, tum cœlestem, « in psalmis canentem. »

EX SOPHONIA.

Cap. II, 9. « Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorpha, siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in æternum. » Est periphrasis extremæ vastitatis et desolationis, qua Moab et Ammon regiones olim florentes per Chaldaeos convertendæ erant in spineta, et acervos salis instar Sodomæ. Causam subdit, vers. 10 : « Hoc eis eveniet pro superbia sua ; quia blasphemaverunt, et magnificati sunt super populum Domini, » hebraice *magnificarunt*, scilicet os et linguam, subsannando Judæos cum vastarentur a Chaldaëis, et blasphemando, ac dicendo quod Deus eorum non potuisset eos contra Chaldaeos tutari. Quocirca « horribilis, » hebraice *terribilis*, erit « Dominus super eos, et attenuabit omnes deos terræ, et adorabunt eum viri de loco suo omnes insulæ gentium. » Hoc impletum est per Evangelium Christi et prædicationem Apostolorum.

Vers. 13, 15, etc. « Ponet speciosam (Niniven) in solitudinem, etc. Haec est civitas gloria habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo : Ego sum, et extra me non est alia amplius : quomodo facta est in desertum cubile bestiæ ? » q. d. Nineve, urbs illa inclyta, superba et gloria, orbis domina, a Chaldaëis vastabitur, ita ut in ea deinceps non habitent homines, sed bestiæ et feræ.

EX AGGÆO.

Cap. I, 6. « Seminastis multum, et intulistis parum ; comedistis, et non estis satiati ; bibistis, et non estis inebrati ; operuistis vos, et non estis calefacti ; et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. » Causam dat, vers. 9 : « Quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam, » q. d. Quia vos prætulistis vestras domos et commoda Deo, indeque neglexistis fabricam templi, ut illud maneret desertum ; hinc Deus punit vos sterilitate et penuria, ut agri, horrea, vineæ et cellararia vestra sint arida, deserta et squalida, nec vos satient aut reficiant. Unde, vers. 11 : « Vocavi, inquit, siccitatem super terram, et super montes et super triticum, et super vinum, » etc.

EX ZACHARIA.

Cap. I, 12. « Et respondit angelus Domini, et

dixit : Domine exercitum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es ? iste jam septuagesimus annus est. » Hi 70 anni sunt desolationis, sive excidii Jerusalem et templi, qui inchoantur anno 18 Nabuchodonosoris, et finiuntur anno 2 Darii Hystaspis, quo haec dixit angelus : ac proinde diversi sunt ab annis 70 captivitatis Babylonicae. Hi enim finiuntur anno 1 Cyri, et inchoantur anno 11 Joakim, vel, ut alii, anno 3 ejusdem.

Cap. II, 6. « O, o, fugite de terra Aquilonis, » puta de Babylone, quae est confusio errorum et vitiorum, ideoque rursum brevi capietur et vastabitur a Dario Hystaspis. Tropologice, fugite de mundo, qui plenus est pompis, vanitatibus, erroribus, concupiscentiis, aerumnis, periculis.

Cap. III, 2. « Numquid non iste torris est erutus de igne ? » q. d. Jesus filius Josedec, rediens a captivitate, est quasi torris ustulatus et fuliginosus, e fornace Babylonica erutus, id est miser, squalidus et pauper. Cur ergo tu, o Satan, ei adversaris, ut eum plane comburas et disperdas, ne templum cultumque meum quasi pontifex restauaret ?

Vers. 10. « In die illa, etc., vocabit vir amicum suum subter vineam, et subter ficum, » q. d. Tempore Christi et Evangelii erit summa pax, laetitia et communicatio, ut fideles inter se bona habeant communia, in iisque conviventur, tum corporaliter, tum potius spiritualiter in Eucharistia, vita, doctrina et gratia Christi. Ipse enim est nostra vallis et fucus.

Cap. VII, 13. « Et factum est sicut locutus est (Deus), et non audierunt : sic clamabunt, et non exaudiam, » q. d. Lege talionis par pari referam : ipsi me vocantem noluerunt audire, vicissim ego quoque eos in necessitate me invocantes non exaudiam.

Cap. IX, 1. « Domini est oculus hominis, et omnium tribuum Israel, » q. d. Deus est « oculus, » tum activus, et videns omnes gentes, aequo ac tribus Israel, iisque providens : tum passivus et visus, q. d. Deus est objectum oculi : Deus est in quem oculum intendunt omnes homines, ab eo sperantes opem et omne bonum. Sic Aegyptii Deum et numen, sive providentiam, pingebant quasi oculum baculo insistentem. Baculus significat sceptrum, puta dominium et potestatem regiam ; oculus, vigiliam et providentiam Dei.

Vers. 9. « Exulta satis, filia Sion ; jubila, filia Jerusalem. Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ. » Rex est Christus, qui in die Palmarum, quasi rex certo debellaturus dæmones, peccata et mortem, triumphans ingressus est Jerusalem, vectus asina, Matth. XXI, 5.

Vers. 11. « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinculos tuos de lacu, in quo non est aqua, » q. d. Tu, o Christe, merito et pretio san-

guinis tui, quo sancivisti novum fœdus inter Deum et homines, liberasti Patres in limbo detentos, ut tecum resurerent, et ascenderent in cœlum.

Vers. 13. « Et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, o Græcia, et ponam te quasi gladium fortium. Et Dominus Deus super eos videbitur, et exhibet ut fulgur jaculum ejus : et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine Austri, » q. d. Apostoli ex Sione, id est e Judæa oriundi, erunt quasi gladius fortis, arcus, jacula fulgurantia, lapides fundæ, tubæ et turbines Dei, quibus Græcos, id est omnes gentes, clangore et potenti virtute Evangelii prosternet, sibique subjiciet. Unde de iisdem subdit :

Vers. 16. « Quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus, q. d. Apostoli erunt quasi lapides sancti, in titulum et trophyum victoriae, de toto mundo partæ, erecti et elevati ; ut quisquis eos viderit, vel nominari audierit, cogitet et stupeat tantam eorum gratiam et vim, qua pauci totum orbem Christo subegerunt.

Vers. 17. « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? » q. d. Apostoli eorumque assecæ tantæ erunt virtutis, tantaque patrabant, non vi sua, sed ope Dei, qui omne suum bonum et pulchrum eis communicabit, scilicet S. Eucharistiam, quæ eos quasi frumentum alet, roborabit ; et velut juvenes, agiles, electos et validos reddet ; ac quasi vinum cœleste, eos virginis, cœlestes et angelicos efficiet.

Cap. X, 3. « Posuit eos quasi equum gloriæ suæ. » « Eos » scilicet Machabæos pugnaces et Victoriosos. Mystice Apostolos. Sic equus gloriæ Christi fuit S. Paulus ; unde de iis subdit, vers. 5 : « Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio : et bellabunt, quia Dominus cum eis. » Et vers. 12 : « Confortabo eos in Domino, et in nomine ejus ambulabunt. »

Cap. XII, 6. « In die illa ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, et sicut facem ignis in feno : et devorabunt ad dexteram et ad sinistram omnes populos in circuitu, » q. d. Ponam Machabæos quasi caminos et faces, qui omnes gentes in circuitu succendant, sibique subjiciant. Allegorice, dabo Apostolos, qui instar ignis totum mundum amore Dei inflammabunt.

Vers. 8. « Et erit qui offenderit ex eis in die illa, » ut resurgat fortior, « quasi David : et domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum, » q. d. Judæi qui metu Antiochi a fide apostatarint, videntes Machabæorum victorias, animos resument, et fortiores resurgent instar Davidis post lapsum. Rursum proceres et posteri Davidis erunt validi quasi angeli Dei. Hoc verum in Machabæis, verius in Apostolis et Christianis.

Vers. 10. « Effundam super, etc. Jerusalem spiritum gratiæ et precum, et aspicient ad me quem

confixerunt. » Est prophetia de Christo in cruce spinis, clavis et lancea confixo, quem Iudei pii aspexerunt cum intimo dolore et compassionem, precantes Deum, ut tam indignam Filii sui et Messiae necem averteret, et ulcisceretur.

Vers. 11. « In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon, » q. d. Magno planctu plangent mortem Christi; sicut olim planxerunt necem Josiae, qui occisus est in Mageddo, juxta Adadremmon urbem, ita dictam a copia malogranatorum.

EX MALACHIA.

Cap. 1, 3. « Dilexi Jacob, Esau autem odio habui. » Quia scilicet Jacobeos e Babylone in patriam reduxi, Idumæos autem in captivitate reliqui. Unde explicans subdit: « Posui montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti. » Et vers. 4: « Isti ædificabunt, et ego destruam, et vocabuntur termini iniquitatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum. » Allegorice Jacob, id est sanctos et electos, dilexi, et elegi ad vitam aeternam: Esau, id est impios et reprobos, odio habui, et damnavi ad gehennam. Vide dicta Rom. ix, 13.

Vers. 6. « Filius honorat patrem, et servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus; et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? »

Vers. 14. « Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debilem Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, et nomen meum horribile in gentibus. » Deo enim summo et optimo, summa et optima sunt danda, præsertim quæ illi voto promissa sunt.

Cap. II, 7. « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. » Angelus, id est nuntius et legatus, ut veritatem Vatablus, quem scilicet Deus legat ad homines, ut eis suam voluntatem et legem enuntiet.

Cap. III, 6. « Ego Dominus, et non mutor. » Sum immutabilis, ideoque non revoco mea decreta, promissa et minas.

Vers. 14 et 15. « Dixistis: Vanus est, qui servit Deo; et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ecce nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem. » Est vox impiorum negantium numen et providentiam Dei, eo quod videant pios in hoc mundo deprimi, impios exaltari. Hisce respondeat Propheta: « Et attendit Dominus, et audivit hosce sermones impiorum providentiam Dei impugnantium, et piorum eam defendantium: « Et scriptus est liber monumenti, » id est memorie, « coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus, » q. d. Deus in memoria et mente sua, quasi in libro conscripsit omnium hominum dicta et facta, eaque in die judicii leget, et cuique pro merito præmium vel pœnam decernet: præmium, scilicet timentibus et assidue cogitantibus Dominum. Nam « hi erunt mihi, ait, Dominus exercituum, in die qua ego facio, » id est faciam, scilicet judicium, « in peculium, » hoc est populus peculiaris, peculiariter a me electus, dilectus et exaltatus; quem omnibus meis bonis beabo et glorificabo, « et parcam, » id est miserebor, indulgens et munificus ero « eis, sicut pareit vir filio suo servienti sibi. » Quocirca in die judicii, « videbitis quid sit » differentiæ « inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei. »

COMMENTARIA

IN

OSEE PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Osee uti oraculis, factis et moribus, ita et nomine præfigurat, imo repræsentat Christum, uti quod Jo- notat S. Hieronymus et Leo Castrius hic. Osee sue, Je-sus, uti enim idem est quod Josue et Jesus, id est salva-tor : unde Josue ante vocatus est Osee, ut patet

Numer. XIII, 17. Sicut ergo Josue in ducatu et regimine populi, Isaias in prophetia et gestis, ita pariter et Osee sua voce et vita repræsentavit Christum : ac proinde hi tres idem nomen, puta Jesu, prætulerunt. Ab eadem enim radice יְהוָה hoscea est imperativus hiphil, a radice יְשָׁאָה, significans salva. Apposite, Osee enim optat oratque Dominum, dicens : Salva nos, Domine, ab Assyriis, Chaldaeis, et præsertim a peccato et morte per Messiam, quem missurus es. Huic optioni respondit Deus mittendo Jesum, id est Salvatorem postulatum.

Fuit ergo ipse juxta nomen suum Osee, id est salvator, quia salutem populi sui qua orando, qua prædicando, qua sanctæ vitæ exempla dando procuravit, æque ac Josue pugnando : de quo ait Eccles. cap. XLVI, 1 : « Qui fuit magnus secundum, nomen suum in salutem electorum. » Ac proinde uterque typus fuit Jesu Christi. Hinc et noster hic fuit filius Beeri, id est putei mei; quia ex Deo quasi puteo hausit aquas doctrinæ cœlestis, quas in Judæos, velut agros aridos effunderet, juxta illud Isaiæ XII : « Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris. » Ita S. Hieronymus hic, et epist. 131 ad Ruffin.

Porro Osee tam ad Juda quam ad Israel, sive decem tribus prophetat : unde utriusque reges in titulo præfigit.

Synchro-nos Isa-iæ, imo Proph-e-tarum primus. Osee fuit synchronos Isaiæ, ait S. Hieronymus, imo ante Isaiam Prophetarum primus, ut patet cap. I, 2; Osee ergo cœpit prophetare sub initium regni Oziae vel Azariæ, ante Olympiades, et ante

Romam conditam, cum Albæ regnaret Procas Sylvius, avus Romuli. Itaque Osee prænuntiat Israel, id est decem tribus exscindendas ab Assyriis, quod primum regnum suum Jeroboam, ejusque posteros in idolatria vitulorum aureorum secuti sint : Judam vero ab hac Assyriorum clade immunem servandum, quod Prophetarum vocibus obtemperans resipuerit, secutusque suum regem Ezechiam idola abjecerit, templumque purgarit, licet postea ad eam redierit; ideoque sub Sedecia a Chaldaeis vastatus sit. Quocirca Christum salvatorem et consolatorem ei alisque fidelibus miseris et afflictis, qui sunt veri Israëlitæ in spiritu, esto non in carne, promittit. Primo ergo prædictit Israelitarum carnalium excidium et reprobationem, ac spiritualium Israelitarum, præsertim Gentilium, vocationem et electionem; idque reipsa repræsentat, dum Dei jussu dicit uxorem mereetricem, ex eaque gignit proles, quibus dat nomina, primo, « Jezrahel; » secundo, « Absque misericordia; » tertio, « Non populus meus: » « quia, inquit, vos non populus meus, et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos; dicetur eis : Filii Dei viventis. » Secundo, continua oratione idolatriam aliaque peccata populi acriter insectatur, minando ei Dei plagas et excidium tantum, ut « dicant montibus : Operite nos; et collibus : Cadite super nos. » Tertio, Dei clementiam, gratiam et gloriam pœnitentiibus promittit. Hinc ait, cap. XIII, 14 : « Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. » Et cap. XIV, 6 : « Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, » etc. (1).

(1) Duæ commodissime hujus libri partes constituantur, quarum prior capitibus tribus parabola continua uxoris adulteræ populi Israelitici defectionem a cultu Dei perfidiæque pœnas sistit; altera vero, reliquis undecim capitibus, plura continet minora oracula, quæ parum inter se cohærentia videntur (attamen Maurer, *Hosea*, cap. I, diversis et continuis regni Israelitici vicissitudinibus, satis feliciter accommodare tentat). In hac posteriori parte, nullo allegoriæ involucro Israelitarum scelera castigantur, intermixtis mox pœnarum comminationibus, mox etiam feliciorum temporum promissionibus. Juxta

An angelus de ibi inducitur, ad litteram esse Osee prophetam. Censem Alcazar, *Apoc. v*, 2, angelum fortē, qui quo *Apo-*
cal. v? De angelo enim hoc ibidem ita legimus: « Et vidi angelum fortē prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? » Quibus verbis alludit Joannes ad illud, *Osee xiv*, 10: « Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis: prævaricatores vero corrulent in eis. » Liber enim ille signatus, *Apoc. v*, contineat vias tam piorum, qui legem Domini sequendo beantur, quam impiorum, qui eam spernendo damnantur. Jure autem Oseas nuncupatur angelus fortis, tum ob robur animi, quo primus concionando perfregit glaciem duricordium Judæorum, et profligavit idola ac vitulos aureos; tum quia Epiphanius in ejus Vita scribit eum verborum suorum vi, ingentem querum in duodecim partes divisisse, ut probaret Dominum venturum cœlitus in terram, hocque fore signum adventus ejus: « Si quercus, inquit, in Selom findatur a seipsa in portiones bis senas, et fierent totidem quercus. Et accedit ita. » Hæc apposite dicuntur, veraque sunt in sensu non litterali, sed mystico. Nam ad litteram angelus ille, *Apocal. v*, non fuit homo, sed verus et proprie dictus angelus, ut ibidem ostendi.

Est com-
matics,
quia pa-
theticus.
Porro patheticus est Osee, ideoque commati-
cus, ut ait S. Hieronymus, hoc est concisus. Agit enim personam Dei, qui quasi sponsus sponsam Synagogam deperiens, eamque in adulterio deprehendens, gravissimos concitat affectus, hinc

Rosenmuller (*Proœm. in Hoseam*), et Hengstenberg (*Christologie*, th. III, s. 6, 7), ea oracula delecta, ut credibile est, ex multo pluribus per satis longum annorum spatium edidit vates, compendii modo ipse extrema viæ ætate scripsit. Porro, cum sint inter se sine ullis temporum notis, aut argumenti distinctione connexa; minime mirum est, inquit Lowthius, « si Hoseam perlegentes nonnunquam videamus in sparsa quædam Sibyllæ folia incidere. » Verumtamen cujuslibet oraculi veros limites, initia et fines, ex ipsius argumenti diversitate, sollicite comparata cum diversis itidem rerum Israeliticarum viçissitudinibus, elicere conabimur.

Ne quis vero miretur nostrum vatem potissimum versari in severis comminationibus gravique castigatione scelerum, præ oculis habere necesse est quam maximam perversitatem hominum quibuscum viveret, et quidem per omnes tunc ordines turpiter grassantem. De qua vide Calmeti *Dissertat. minorum Prophetarum Commentar. præviam*: *Sur l'état de la religion des royaumes de Juda et d'Israël, depuis leur séparation*; Rosenmuller, *Proœm. in Hoseam*; Maurer, *In Hoseam Commentarium*, cap. i, pag. 2-7.

indignationis et minarum; inde amoris et zeli. Inde pariter obscurus est, tum quia affectus plene non eloquitur, sed per aposiopesin ob pathos incidit; tum quia verum est illud Poetæ: « Brevis esse labore, obscurus fio; » tum quia profundus est. « Osee propheta quanto profundius loquitur, tanto operosius penetratur, » ait S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. xxviii* (1).

Denique Osee obedientia et viæ sanctitate illustris ab Ecclesia Sanctorum catalogo adscriptus est 4 julii. Vide Epiphanium, Dorotheum et Isidorum, in *Vita Osee*.

(1) Dicendi genere utitur gravi et pathetico, pleno fervoris et audacie. Quanquam vero sermonum suorum argumentum universum sit satis apertum, vix tamen alius vates Hebreorum æque est difficilis et involutus, quod tunc ex ipsa rerum natura, inquit Rosenmuller, utpote qui multum a nostra cognitione remotas historias, parunque ex monumentis illorum temporum exploratas innuat, cum etiam ex ipsa styli indole derivatur. Cum enim ex antiquissimis sit Hebreorum vatibus, stylus quoque ejus incorruptam sermonis vetustatem exprimit, pristinam generis sententiosi brevitatem retinens, a qua prophetæ inferiores aliquid, judice Lowthio, remiserunt. Sæpe ex uno in aliud argumentum, ex uno in aliud tempus personam, non per viam, sed veluti per saltum transilit. Obtruncata sententia lectorem suspensum, ejusque prudentiae, quod deest, supplendum relinquit. Res quidem quas tractat, magna lectissimarum imaginum varietate illustrat; sed cum similitudines usurpatas vel auditoribus explicandas relinquat, vel statim significatas deserat, multum de illarum elegantia et concinnitate lectorem nunc fugere necesse est. Vide de stylo poetico Osee Lowthium, *De Poesi sacra Hebr. prælect. xxi*, et Eichorn (*Einleit. iv*, § 555), qui ex omnibus recentioribus criticis Osee poeticam indolem magnificentius extulit.

Præter illos interpres qui minores Prophetas omnes vel ex ipsis plures commentariis illustrarunt, sunt etiam qui seorsim et data opera Osee illustrando incubuerunt; quorum potissimos accipias ex acatholicis interpretibus: Joannis Brentii *Commentarius in Hoseam*, Hagenœ, 1560, Tubing. 1580; Hieronymi Box *Commentar. in Hoseam Prophet., christianæ philosophiæ præceptis accommodata*, etc., 1581-1587; Jacobi Matthæi *Prælectiones in Hoseam*, 1590; Amandi Polani a Polansdorf *Analysis libri Hoseae Prophetæ*, 1599; Hieronymi Zanchii *Commentarius in Hoseam*, 1609; Salom. Gesneri *Hoseas illustratus*, 1601-1614; Balthasaris Meisner *Hoseas novo commentario per textus analysi in ejusdem exegesin*, etc., 1620; Andr. Riveti *Comment. in Hoseam*, 1625; Sebast. Schmidt *Comment. in Hoseam*, etc., 1687; Joannis Henrici Ursini *Hoseas commentario litterati enucleatus*, 1677; Joan. Henr. Manger *Comment. in Hoseam*, 1782; Lud. Jos. Uhland *Annotat. historico-exeget. in Hoseam*, 1785-1787; Christ. Theoph. Kuinoel *Hoseæ oracula hebraice et latine perpetua annotatione illustravit*, 1792; *Hoseas Prophet. Introductionem præmisit*, verlit et commentatus est Joh. Christ. Stuck. Lips. 1828.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubetur Osee uxorem ducere fornicariam, et fornicationis ex ea filios procreare, ut hoc suo facto et connubio repræsentet Synagogam, puta Israelitas, religionem et fidem uni Deo datam violasse, et ad idola quasi adulterinos deos declinasse. Obedit Propheta, et meretricem dicit, ex eaque gignit tres proles, quarum primæ dat nomen Jezrahel, id est, Semen Dei; secundæ, Lo rachuma, id est, Absque misericordia; tertiae, Lo ammi, id est, Non populus meus, quibus Israelis impietatem, ideoque punitionem et repudium, velut in quotidiana imagine Judæis objicit; quæ deinde fusius per sequentia capita prosequitur. Denique, vers. 10, promittit spiritualem Israelem innumerabilem fore populum Dei et filios Dei viventis (1).

1. Verbum Domini, quod factum est ad Osee filium Beeri, in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, Ezechiæ regum Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel. 2. Principium loquendi Domino in Osee : et dixit Dominus ad Osee : Vade, sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum : quia fornicans fornicabitur terra a Domino. 3. Et abiit, et accepit Gomer filiam Debelaïm : et concepit, et peperit ei filium. 4. Et dixit Dominus ad eum : Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, et visitabo sanguinem Jezrahel super dominum Jehu, et quiescere faciam regnum domus Israel. 5. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel. 6. Et concepit adhuc, et peperit filiam. Et dixit ei : Voca nomen ejus Absque misericordia ; quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivione obliiscar eorum. 7. Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo : et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus. 8. Et ablactavit eam, quæ erat absque misericordia. Et concepit, et peperit filium. 9. Et dixit : Voca nomen ejus Non populus meus ; quia vos non populus meus, et ego non ero vester. 10. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, et non numerabitur. Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos ; dicetur eis : Filii Dei viventis. 11. Et congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter : et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra; quia magnus dies Jezrahel.

Vers. 1. 1. VERBUM DOMINI QUOD FACTUM EST AD OSÆ FILIUM BEERI. — Est hic titulus prophetæ, præfixus non ab Esdra (uti alii putarunt) qui post captivitatem restituisse et restaurasse dicitur codices S. Scripturæ; sed ab ipsomet Osea, uti et tituli cæterorum Prophetarum ab ipsismet, pro-

phetiis eorum præfixi sunt, quibus testabantur se esse earum auctores, seque eas a Deo per revelationem accepisse, cui proinde omnes credere et fidem adhibere debeant. « Verbum » ergo idem est quod oraculum, prophetia, sermo Domini, ut vertit Chaldaeus. Addit Cajetanus in illud *Lucæ* III : « Factum est verbum Domini super Joannem : »

(1) In hac prima actione ænigmatica, proposita signo, PRIMO, turpitudo idolatriæ exhibetur sub figura matrimonii cum fornicaria initu : ubi occurrit, primo, præceptum Prophetæ datum de ducendo scorto in uxorem, et applicatio fit ad scortationem spiritualem Synagogæ; secundo, exsecutio præcepti, 3.

SECUNDO, gravitas et successio pœnarum exhibetur sub schemate prolum ex hoc matrimonio natarum, ubi repræsentatur, primo, sub schemate filii, *Jezrahel* appellati, extinctio stirpis regiae Israelitarum, seu familie Jehu, et secuta tum perturbatio, tum depopulatio sub Teglathphalassare, 4, 5; secundo, sub schemate filiæ, Absque misericordia nuncupata, extinctio regni et translatio populi Israelitici in captivitatem sub Salmanasare, salvo tamen

Judæ regno contra Sennacherib defenso, 6, 7; tertio, sub schemate filii, Non populus meus, nominati, juxta quosdam excidium regni Judæ et captivitas Babylonica; sed probabilius juxta alios arctissimum illud communionis vinculum, quo Deus cum populo Israelitico fuerat conjunctus, penitus esse disrumpendum, simulque plenam gentis stragem et regni excidium.

TERTIO, reparatio damni per Ecclesiam Christi exhibetur sub figura Israelis, etiam Gentiles in Deum credentes complexi : ubi opponitur, primo, paucitati, multitudo filiorum, 10; secundo, exhæredationi, adoptio in prolem, 10; tertio, divisioni Judæ et Israelis, adunatio sub uno capite Christo, 11.

Divina, inquit, inspiratio, instructio et missio, vocatur verbum Domini : verbum ergo non tantum prophetiam, sed et missionem sonat. Hoc enim Dei verbo mittebantur ad populum, eique haec Dei oracula edicere jubebantur. Hoc ergo constituebantur legati Dei, prophetae, doctores et praecones ad populum. Cur prophetia nunc vocetur *verbum*, nunc *visio*, dixi Can. I in prophetas majores.

AD OSEE FILIUM BEERI. — Hebræi, et ex eis Lyranus, Arias et Guadalupensis censem hunc Beeri esse Beera, qui fuit princeps tribus Ruben, ac a Teglathphalasar captus ductus est in Assyriam, I Paral. v, 6. Verum obstat ratio temporum, nam Osee et pater ejus Beeri diu præcesserunt Teglathphalasar. Osee enim cœpit prophetare initio regni Oziæ : Teglathphalasar vero invasit Samariam, ex eaque captivos abduxit anno Oziæ 52, ut patet IV Reg. xv, 27 et 29. Accedit quod S. Epiphanius, Dorotheus et Isidorus, in Vita Osee, asserunt Osee fuisse oriendum ex tribu Issachar, non Ruben. Quare fabulosum est quod tradit R. David, et ex eo Vatablus, Osee et caeteros Prophetas, qui nomen patriæ non præferunt, fuisse Hierosolymitas (1).

Allegorice S. Hieronymus : Osee, inquit, id est Jesus, est filius Beeri, id est putei mei, hoc est Dei Patris. Deus enim Pater non est cisterna nunquam plena, nunc vacua et sicca; sed est quasi puteus perennes vivasque scaturiens aquas, tum generationis Filii, tum sapientiæ, et bonorum omnium, quæ suo Filio communicavit et jugiter communicaat, quibus ipse per Osee aliosque Prophetas et Apostolos, Judæorum et Gentium siccitatem rigat, humectat et fecundat.

(1) Non solum temporis ratio id non admittit, ut Beeri idem fuerit ac Beera, sed nec nominis consentit terminatio, nec ulla probabilis suadet causa, nec refutationem meretur, inquit Rosenmuller, quod itidem Hebræi tradunt, Osee patrem et ipsum prophetam fuisse, ex regula nimirum inter illos pervulgata quidem, sed precaria prorsus, qua prophetam patrem habuisse judicatur, cuius pater in ipso exordio memoratur; opinantur enim vaticinandi facultatem hæreditario quodam jure a majoribus in posteros passim derivari. Nullo firmiori argumento nititur, quod vatem nostrum produnt Hierosolymis esse oriundum, eo quod natale solum ipsius in libro suo silentio prætermittatur. Rosenmuller illud vix in dubium recte vocari posse existimat, Osee gente Israelitam fuisse, et in regno Samariæ sive decem tribuum vixisse, eo quod perpetuus sit scelerum et superstitionis Ephraimitarum insectator. Verum e contra satis probabiliter asserit Maurer, nec gente Israelitam fuisse, nec si fuerit oriundus a Judæis, patriæ fines identidem transgressum Israelitas adiisse, aut saltem sedem stabilem inter illos constituisse : « Reperiuntur enim, inquit, in aliis quoque Judæis genere prophetis orationes multæ dictæ in populos exteriores, quos nunquam illi adierunt. » Credit idem Maurer genus a Judæis duxisse Hoseam, et in probationem assert et evolvit indignam et saepè idololatricam agendi rationem Israeliticorum vatuum qui principibus addicti, ad omnia paucissimis exceptis, erant parati : vide *Commentar. in Hoseam*, cap. i.

Aliter Leo Castrius : Beeri, inquit, idem est quod *in lumine meo*. Significat ergo Jesum, qui quasi lumen de lumine, est Verbum a Patre et in Patre existens. Verum sic dicendum fuisse בָּאֹור Beori, non Beeri, ut recte advertit S. Hieronymus.

IN DIEBUS OZIAE, JOATHAN, ACHAZ, EZECHIAE REGUM JUDA, ET IN DIEBUS JEROBOAM FILII JOAS REGIS ISRAEL.

— Nominat reges tam Juda quam Israel, quia tam contra Judam, quam contra Israel, id est decem tribus, prophetat, magis tamen contra Israel; unde toties nominat Ephraim, Israel, Bethel, Bethaven, quæ non nisi Israel, id est decem tribus, significant. Ita S. Hieronymus, Athanasius in *Synopsi*, et Eusebius in lib. *De Appellationibus librorum propheticorum*. Hinc patet primo, has prophetias, licet breves, successive tamen et per longum tempus fuisse dictas, deinde scriptas; secundo, Osee fuisse primum Prophetarum, uti mox ostendam, ac diutissime prophetasse, nec tantum prædictisse, sed etiam vidisse excidium decem tribuum a se prædictum; hoc enim contigit anno 6 Ezechiæ. Ita S. Hieronymus et Ruffinus. Quocirca tradunt Hebræi Osee prophetando superasse annos 90, quibus multa dixit quæ non scripsit; multa etiam a populo rebelli perpessus, confessionis, id est lenti, sed longi martyrii palmam obtinuit.

Annis
90 pro-
phetavit
Osee.

JEROBOAM. — Hic non fuit primus rex Israel, qui schisma fecit sub Roboam, III Reg. XII, 20; sed eo longe fuit posterior, nimil fuit pronepos Jehu regis Israel, cui Deus, IV Reg. x, 3, promiserat regnum usque ad quartam generationem, itaque præsilit. Nam Jehu successit filius Joachas, huic Joas, huic Jeroboam hic, huic Zacharias, quem regno ac vita spoliavit Sellum : in quarto ergo rege suæ prosapiæ, puta in Zacharia, defecit stirps regalis Jehu, IV Reg. xv, 10.

Nominat Osee præter reges Juda etiam Jeroboam regem Israel, ut significet se tam, imo magis contra Israel, quam contra Judam prophetare. Sed cur e regibus Israel solum nominat Jeroboam, omittens Zacharium, Sellum, Manahem, Phacee, Phaceam et Osee, qui in Israel regnarunt eo tempore quo in Juda regnabant Ozias, Joathan, Achaz et Ezechias? nam anno 6 Ezechiæ, qui fuit annus 9 Osee, eversum est ab Assyriis regnum Israel. Respondeo : Varii varias dant causas, sed vera et genuina est, ut Propheta indicet se non extremo, nec medio tempore regni Oziæ vel Azariæ (utpote qui 52 annos regnavit), sed ejus initio prophetare cœpisse. Nam anno Jeroboam regis Israel 27, cœpit in Juda regnare Ozias; Jeroboam autem regnavit 41 annis : unde sequitur ultimos tantum 14 annos Jeroboam concurrere cum primis 14 annis Oziæ, quibus simul regnarunt, Jeroboam in Israel, Ozias in Juda, quibus necesse est prophetasse Osee; cœpit enim cum uterque simul regnaret. Vide IV Reg. XIV, 23, et IV Reg. XV, 1. Tunc quoque, puta paulo post Osee, prophetare cœpit Amos sub utroque hoc rege, ut ipse ait cap. i, 1. Ita Arias, Ribera et a Castro. Ex dictis sequitur Osee pro-

Cœpit
99 annis
ante ex-
cidium
Sama-
ria, et
224 ante
excidium
Jerusa-
lem.

Vers. 2.

phetasse excidium Samariæ et regni Israel fere nonaginta annis (tot enim sunt ab initio regni Oziæ usque ad 6 Ezechiæ (1), quo capta est Samaria) antequam illud contingenteret : excidium vero Jerusalem et Juda prædictum circiter 224 annis (tot enim sunt a 1 anno Oziæ usque ad ultimum Secundum, quo eversa a Chaldaeis est Jerusalem) antequam eveniret. Nam excidium Jerusalem postrius fuit excidio Samariæ 134 annis. Ita tempestive Deus peccatores præmonet de imminentि plaga, datque significationem ut fugiant a facie arcus, eumque pœnitendo evadant, ne querantur se serius esse monitos. Ita centum annis ante diluvium jussit Noe fabricare arcum, et monere homines de instantे diluvio. Hinc rursum sequitur Osee cœpisse prophetare paulo ante Isaiam. Nam Isaias cœpit anno 17 Oziæ, uti habet Eusebius in *Chronico*.

2. PRINCIPIUM LOQUENDI DOMINO IN OSEE. — Duplex hic est sensus litteralis : *Prior*, q. d. *Primo omnium ante Isaiam, Joelem aliquo Prophetas locutus est Dominus ipsi Osee, vel ad Osee. Unde sequitur Osee fuisse primum omnium Prophetarum. Negat hoc Christophorus a Castro; sed assentunt S. Hieronymus, Rupertus, Haymo, Vatablus, Albertus, Hugo Cardinalis, Dionysius hic, et S. Basilius ac Rufinus in Isaiæ cap. I.* Idque confirmant Hebræa, prout nunc punctantur. Sic enim habent : *Principio locutus est Dominus per Osee*, ut vertit Vatablus. Jam enim punctant *דָבַר* *dibber*, id est *locutus est*, in præterito, cum Noster et Septuaginta legerint in infinitivo *dabber*, id est *loquendi*. Favet insuper nostra versio. Nam « principium loquendi Domino (subaudi fuit) in Osee, » idem est quod, principium loquendi Dominus sumpsit fecitque in Osee, sive primo loqui cœpit in Osee.

Secundus sensus est, q. d. Hoc est principium quo Dominus cœpit loqui cum Osee, scilicet illud quod sequitur : « *Sume tibi uxorem fornicationum*, » etc. Ita quoque explicat S. Hieronymus, Theodoreetus, Haymo, Hugo, Lyranus, a Castro et Vatablus, qui rursum sic vertit : *Initio quo locutus est Dominus per Oseam, dixit ad ipsum Oseam : Vade, sume tibi uxorem*, etc., q. d. Adverte, o lector, et admirare quare principium oraculis suis dederit Deus, nimis jubendo Osee ducere meretricem, ut hoc ipso meretricios populi mores repræsentaret et carperet.

(1) Juxta Rosenmuller, quem sequitur d'Allioli, probabilius est Osee prima oracula edidisse extremis imperii Jeroboamici annis, ultima autem ineunte Ezechiæ regno, et consequenter per quadraginta fere annos Prophetam illum egisse, et æquales sibi in regno Judæi Isaiam Michæamque habuisse. Ab hac computandi ratione discedit tamen Maurer : « Nam, inquit, si extremis Jeroboamici annis provinciam Hosea accepit, posuit ineunte Hiskiæ imperio, sequitur eum sexaginta circiter annos (ab anno 784 ad annum 722 ante Christum) partes suas egisse (alii annos quadraginta numerant, nescio quem computandi modum secuti). »

Verum hoc sensu cæteri omnes Prophetæ idem principium usurpare potuissent, ac pari modo dicere : Principium loquendi Domini in Isaia, Abdia, Joel, etc. Jam autem nemo alias hoc dicit, sed solus Osee. Signum ergo est eum non tantum hunc sensum, sed vel maxime priorem, qui soli ei competit, exposcere (2).

DOMINO, — id est *Domini*; utrovis enim modo ex Hebræo veritas, significantius tamen *Domino* : τὸ enim *Domino* significat causam et auctorem principii loquendi, q. d. Dominus principium et quasi fundamentum oraculorum suorum dedit, et jecit in Osee.

In OSEE, — interius inspirando illi ea quæ faceret et diceret populo. *Secundo*, « in, » id est *ad Osee*, ut vertunt Septuaginta, Vatablus et alii. *Tertio*, « in, » id est *per Osee ad populum*. *Quarto*, « in, » id est *cum Osee*. Hæc enim omnia significat Hebræum *beth* præpositionis.

VADE, SUME TIBI UXOREM FORNICATIONUM, — id est multis fornicationibus deditam et infamem, insignem fornicariam, publicam meretricem vel in taberna, vel in lutanari, vel alio loco corpus pro turpi lucro cuilibet prostituentem. Simili hebraismo vocatur vir sanguinum, vir dolorum, vir misericordiæ, vir virtutis, is qui valde est sanguinolentus, valde dolens, insigniter misericors, insigni virtute præditus. Jubetur ergo Osee ducere famosam meretricem, eamque sibi legitimo copulare matrimonio, ac filios ex ea procreare, ut hoc symbolo quasi verbis et sermone reali, carpat apostasiam et idolatriam populi sui. Prophetæ enim hic Deum refert, uxor fornicaria Synagogam, id est populum Israel sive decem tribuum, ut patet ex sequenti ; fornicatio enim hic, et passim apud Prophetas significat peccata, præsertim idolatriæ, qua Israelitæ, relicto Deo sponso suo, licentioris vitæ desiderio, idolis voluptatibusque suis quasi amasiis adhærebant. Ita enim explicat Prophetæ, dum mox causam hujus sui connubii a Deo præcepti subnectens, subdit : « Quia fornicans fornicabitur terra, » id est quia Israelitæ valde addicent se idolatriæ, prono et communi impetu proruunt ad colenda idola, q. d. Ego Deus te, o Osee, habere volo uxorem fornicationi hactenus addictissimam, ut designem uxorem meam, puta Synagogam, mystice fornicariam, id est idolatram esse et fore, ut quod cœpit esse sub Jeroboam, deinceps sit magis. Ita S. Hieronymus, Chaldæus et alii.

Errant ergo illi qui censem hoc loco juberi Prophetæ ut fornicetur, ut scilicet accedat ad meretricem manentem meretricem ; ita ut eam non ducat in uxorem. Unde colligunt fornicationem esse licitam. Hic enim est error manifestus, quem Græcis attribuit Alfonsus a Castro, lib. VII *Contra*

Primus
error,
Osee non
jubetur
fornica-

(2) Verum Jonam nostro anteriorem fuisse, inquit Rosenmuller, evicerit II Reg. XIV, 25; neque dubium est Joelem et Amosum suorum vaticiniorum plura ante Hoseam edidisse. Cf. Aurivillii *Dissert.*, pag. 597.

Hæres. verbo *Fornicatio*; fornicatio enim non tantum in novo, sed et in veteri Testamento jure naturali et divino fuit prohibita, uti ostendi in fornicatione Thamar, *Genes. cap. xxxviii*, 16, ex communi Patrum et Interpretum sententia. Et fusius, *I Corinth. vi*, 9.

Denique jubet Deus Prophetæ: « Sume tibi uxorem; » ergo jubet ut eam matrimonio sibi copulet, non ut cum ea fornicetur. Ita passim Patres et interpretes.

Dices: S. Thomas, *I II, Quæst. C*, art. 8, ad 3, et *II II, Quæst. CLIV*, art. 2, ad 2, Cajetanus et nonnulli Thomistæ dicunt Osee fornicatum esse, et tamen non peccasse, quia Deus matrimonii rerumque omnium dominus cum eo dispensavit, eique dedit potestatem et jus in corpus mereficiis. Hæcque omnia putant significari verbis Dei ad Prophetam, quibus ait: « Sume tibi uxorem; » non matrimonii, sed « fornicationum. »

An Deus possit dispensare ut fornicatio sit licita? Respondeo: Disputant theologi an Deus dispensare possit in lege naturæ, puta in *Decalogo*: ac varii varie respondent. *Primo*, Occam in *II, Quæst. XIX*, ad 3, et 4 dubium, Gerson in tract. *De Vita spirituali*, lect. I, coroll. 10, in *Alphabete* 61, l. E, et Almainus, tract. *III Moral. cap. xv*, asserunt Deum in omni omnino præcepto Decalogi et legis naturæ posse dispensare; imo Occam ait Deum posse præcipere odium Dei, facere que ut illud non sit malum, sed bonum. Ratio eorum est: Omne peccatum, inquiunt, ideo est peccatum, quia voluntate Dei prohibitum est. Si ergo Deus velit ut aliquid non sit peccatum, hoc ipso non erit peccatum.

Secunda est S. Bonaventuræ in *I, disp. XLVII*, *Quæst. IV*, Scoti in *III*, *disp. xxxvii*, *Quæst. I, § Hic dicitur*, et Gabrielis in *III*, *disp. xxxvii*, *Quæst. I, art. 2, conclus. 1*, Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ, non vero primæ, puta posse in iis quæ tangunt proximum, non vero in iis quæ tangunt Deum.

Tertia est Durandi in *I, disp. XLVII*, *Quæst. IV, num. 16*, Deum posse dispensare in præceptis affirmativis secundæ tabulæ, non vero in negativis.

Verum dico Deum in nullo præcepto legis naturæ directe et formaliter posse dispensare. Ratio est, quia lex naturæ continet et præcipit id quod natura sua et intrinsece bonum est: quocirca quæ contra eam fiunt, natura sua et intrinsece mala sunt, non quia voluntate Dei prohibita, sed quia suapte natura contraria et dissentanea sunt naturæ et rationi naturali. Sicut enim res possibles sunt possibles, non quia Deus voluit eas esse possibles, sed quia ex se non implicat contradictionem ut esse possint; eodem modo opera contra legem naturæ suapte natura sunt mala, non quia Deus voluit ea ut mala prohibere, sed quia ex seipsis naturæ rationali, ut rationalis est, contraria sunt et repugnantia. Cum ergo Deus non possit pro voluntate sua mutare naturas rerum,

non poterit etiam mutare legem naturæ, ut, quod illa dictat esse conveniens rationi esseque bonum, Deus decernat non esse conveniens esseque malum. Quocirca nullus, ne Deus quidem, facere potest ut odium Dei sit bonum, vel licitum (hoc enim repugnat non tantum rationi et naturæ, sed et ipsi divinitati), ut furari, mœchari, mentiri liceat: furari enim est accipere rem alienam, invito Domino; mœchari est turpiter uti femina non sua, sed aliena; mentiri est contra mentem loqui et fallere. Hæc autem intrinsece et natura sua ita mala et prava sunt, ut nequeant esse bona et honesta. Quocirca Deus uti hæc non potest suadere, ita nec facere, nec præcipere, multo minus velle et efficere ut sint honesta et licita. Hinc patet falsam esse primam sententiam, ejusque fundamentum. Non enim ideo fornicatio est mala, quia Deus ita vult, eamque odit; sed potius ideo eam odit, quia ipsa in se suaque natura est inhonestata et turpis. Sicut ergo creaturæ suam existentiam habent a voluntate Dei, suam vero possibilitatem habent ab ipsa natura Dei; posito enim quod sit Deus omnipotens, naturaliter sequitur et quasi resultat quod possit creare hominem, equum, etc., ac consequenter quod illæ creaturæ sint possibles, quæ sine Deo essent impossibilis: ita pariter lex positiva, tam divina quam humana, pendet et fit a voluntate Dei, lex vero naturalis derivatur a lege æterna, quæ est in mente et ratione Dei. Ita S. Thomas, Cajetanus, Richardus, et ex iis Gabriel Vasquez, *I II, disp. CLXXIX, num. 12*. Indirecte tamen et materialiter potest Deus in iisdem dispensare, nimirum mutando materiam rei præceptæ, itaque eam subtrahendo legi naturæ et obligationi Decalogi. Hoc autem fere fit in præceptis duntaxat secundæ tabulæ, non vero primæ, uti dixerunt auctores secundæ sententiae. Explico: Potest Deus mihi dare jus in bona, corpus et vitam alterius, et tunc licite potero illi eripere bona, quod alias fuisset furtum; uti corpore alterius, quod alias fuisset mœchatio; occidere alterum, quod alias fuisset homicidium. Sic Deus jussit Hebræis, *Exodi XII, 36*, ut spoliarent Ægyptios, quia hoc ipso eis dedit bona Ægyptiorum, fecitque ut illa jam non essent Ægyptiorum, sed Hebræorum; quocirca Hebræi ea occupantes, non aliena, sed sua occuparunt; sua, inquam, ex donatione Dei, qui est summus omnium, imo vitæ necisque dominus. Sed hic dedit Osee jus in corpus fornicariæ, et hoc ipso fecit ut illa esset sua uxor, non aliena. Quocirca utens ea Osee non est fornicatus, sed actu materiali in conjugio illi quasi suæ uxori est copulatus. Sic si Deus alicui præciperet, vel permitteret ire ad lupanar, ibique copulari merefici semel duntaxat, ad prolem ex ea suscitandam, illa copula jam non esset fornicatio, sed esset actus conjugii temporarii; copularetur enim non alienæ, sed suæ, ac consequenter uxori saltem temporariæ ex dispensatione Dei. Deus enim potest remittere obligationem, qua se uxor ma-

rito in conjugio ad perpetuam fidem obligavit, ideoque potest dispensare in matrimonii vinculo, ac facere ut non sit perpetuum, sed temporarium, quod induit scilicet ei libuerit; præsertim quia potest educationem prolixi, ob quam matrimonium requirit perpetuitatem, vel negligere tanquam ejus dominus, vel aliis modis procurare. Ita olim dispensavit cum Iudeis in matrimonio, cum eis permisit dare uxoribus libellum repudii, quo vere solvebatur matrimonium, ita ut uterque conjux quasi liber et solutus posset cum alio aliud conjugium contrahere. Sicut ergo tunc maritus quilibet tempore, imo post primam copulam poterat uxorem repudiare; ita posset et nunc copulari semel cum una, ac mox illam dimittere, si Deus pari modo nunc cum illo dispensaret.

Censet ergo S. Thomas, Osee jussu et dispensatione Dei cum fornicaria copulatum fuisse tantum copula temporali (ideoque eam copulam per catachresin vocat fornicationem), non vero matrimonio stabili et perpetuo. Itaque opinatur hanc Osee uxorem fuisse temporariam, et matrimonium cum ea temporarium, scilicet ad aliquos actus generationis, et ad tres proles ex ea generandas; deinde dimisisse illam, itaque solutum fuisse temporarium cum ea matrimonium. Ergo docet S. Thomas Osee accessisse ad fornicariam, non tanquam ad concubinam, sed tanquam ad uxorem, licet temporariam tantum; censet enim Deum cum eo dispensasse, ut ad tempus duntaxat cum ea contraheret, eaque uteretur ut sua; censet ergo Osee non esse fornicatum, sed usum matrimonio licet temporali tantum. Verba ejus sunt: « Osee accedens ad uxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non est mcechatus, nec fornicatus; quia accessit ad eam quæ sua erat secundum mandatum divinum, qui est auctor institutionis matrimonii. » Quomodo vero hic ejus actus matrimonii vocetur *fornicatio*, explicat II II, *Quæst. CLIV*, art. 2, ad 2: « Osee, ait, non peccavit fornicando ex præcepto divino, nec talis concubitus proprie fornicatio debet dici, quamvis fornicatio nominetur (dum dicitur: Sume tibi uxorem fornicationum) referendo ad cursum communem, » quo scilicet communiter a vulgo vocatur *fornicator*, qui cum fornicaria ad tempus copulatur, et expleta libidine eam deserit. Unde liquet D. Thomam docere quod Osee hic non sit fornicatus, sed cum fornicaria quasi sua uxore, concedente et dispensante Deo, ad tempus sit copulatus. Verum verius est quod passim censemt alii Doctores et Interpretes, scilicet Osee non temporarium, sed stabile et perpetuum cum fornicaria iniisse conjugium. Ideo enim jubetur eam ducere uxorem; atque ex sequentibus patet eum per quatuor, imo plures, annos illi cohabitasse; nam dicitur ex ea tres proles genuisse, easque deinde per eam lactasse et educasse. Quo fit ut nulla hic fuerit dispensatio, sed sola iussio Dei; licite enim poterat Osee fornicariam in uxorem

accipere, sed non tenebatur; ut ergo teneatur, jubet et obligat eum Deus.

Instabis: Uxor hæc fornicaria repræsentat Synagogam idololatrantem: atqui hæc post connubium cum Deo initum rediit ad sua idola; ergo et hæc fornicaria post connubium cum Osee rediit ad suas fornicationes; alioqui enim non ex æquo repræsentaret Synagogam, nec typus responderet antitypo. Respondeo: Simile per omnia non est simile; sed in eo tantum, in quo collocatur similitudo; quocirca non est necesse in allegoriis et typis, ut omnes circumstantiae temporis, modi, actionis, etc., respondeant rei significatæ, sed eæ tantum in quibus fit repræsentatio, et comparatio significantis cum significato, puta typi cum antitypo. Ita hic jubetur Propheta ducere fornicariam, ut per hoc repræsentet Synagogam esse fornicariam. In eo ergo tantum ponitur hic comparatio et similitudo, quod, sicut Propheta dicit fornicariam, ex eaque gignit proles, quæ a probro matris vocantur filii fornicationum, id est fornicariæ: ita Dei uxor, id est Synagoga, sit fornicaria, id est idololatria, similesque sibi gignat et educet filios, puta idololatras. Nec enim hæc res licite aliter repræsentari potuit. Non enim potuit Deus præcipere Prophetæ fornicationem, ut ad fornicariam accederet tanquam non suam, sicut Synagoga idola colebat et deos, non suos; aut ut post copulam et proles remitteret eam ad lupanar et ad sua stupra; hoc enim fuisset peccatum. Erat ergo hic matrimonium Osee cum fornicaria (etiam ex sententia S. Thomæ, saltem temporarium), ac consequenter filii fornicationum vocantur filii ex matrimonio hoc nati; ideoque vere non erant filii fornicationum, sed tantum hoc nomine vulgo censebantur et nominabantur, ob præcedentes ante connubium matris fornicationes. Simpliciter ergo et in genere jubetur hic Propheta per uxorem fornicariam repræsentare Synagogæ idololatriam, abstrahendo a tempore et loco, ubi et quando; an ante connubium cum Deo, an post eam perpetraret. Adde Iudeos post hanc Osee prophetiam, puta post punitionem et excidium a Chaldeis illatum, postquam puniti et penitentes connubium cum Deo per Esdram renovarunt, amplius non rediisse ad sua idola, sicut uxor hæc Osee post connubium cum eo, non legitur rediisse ad suas fornicationes. Verum est majorem esse speciem fornicationis, et consequenter similitudinis, si cum D. Thoma quis dicat non stabile, sed temporarium fuisse matrimonium; sed ex altera parte, res ipsa turpior et magis inhonesta appetit, videtur enim revera esse fornicaria copula, et simulatum tantum matrimonium.

Errat, secundo, Haymo, qui uxorem fornicationum interpretatur uxorem, quæ post matrimonium ex priori fornicandi habitu rursum cum aliis procis fornicetur, id est adulteretur, ex eisque gignat filios, qui proinde vocantur filii fornicationis, Osse Secundus, non ascensit sibi filios adulteri-

<sup>nos, sed tionis, id est ex adulterio nati, quos Propheta
suos pro-
creavit.</sup> jubeatur sibi asciscere et educare, æque ac matrem retinere et alere. Hoc enim fuisse non tantum infame, sed et scandalosum, ideoque illicium; visus enim fuisse Propheta uxorem in adulteriis fovere, eisque consentire. Unde edicit Sapiens: « Qui tenet adulteram, stultus est et impius, » *Proverb. xviii*, 22. Vide Sanchez, lib. X *De Divortio*, disput. xiii. Quocirca infamis, et publicum orbis probrum fuit Claudius Imperator, eo quod ejus uxor Messalina publice scortaretur. Ita Suetonius in *Claudio*, et M. Antoninus Philosphus ob Faustinam conjugem, quæ in continuis stupris versabatur; cumque de ea re moneretur, amicique suaderent ut eam repudiaret, si nolle occidere, effeminate respondit: « Si uxorem dimittimus, reddamus et dotem, » dotis nomine significans Imperium, quod ab Antonino Pio patre Faustinæ, ita volente Adriano Imperatore, adoptatus acceperat. Ita Julius Capitonius in *Antonino*.

<sup>Tertius,
Osee non
duxit
idolota-
tram.</sup> Errant, tertio, Lyranus et Burgensis, qui fornicationem hic mystice accipiunt pro idolatria, putantque Osee hic juberi ut ducat uxorem fornicationum, id est gentilem et idololatram. Ratio corum est, quia hæc uxor repræsentat Synagogam idololatrantem: ergo ipsa quoque uxor fuit idololatra. Respondeo negando consequentiam. Idem enim non repræsentatur per idem, sed per simile: atque Prophetæ solent repræsentare idolatriam per fornicationem; quia hæc illius ap-tissimum est symbolum, speculum et imago. Ita S. Hieronymus, Theodoreus, Haymo, Hugo et passim interpretes. Quocirca cum Deus Prophetæ ait: « Sume tibi uxorem fornicationum, » fornicationem litteraliter ut sonat accipit; cum vero hujus jussionis causam et symbolum subdit, explicatque dicens: « Quia fornicans fornicabitur terra, » fornicationem mystice accipit pro idolatria; quia illam symbolice per veram et realem fornicationem uxor Prophetæ repræsentari jussérat.

Quæres, an vere et realiter hæc gesta sint, an vero tantum per visionem imaginariam; sive, an revera Osee duxerit fornicariam, ex eaque genuerit filios fornicationum, an vero Deus idipsum tantum in imaginatione illi repræsentarit, ut videretur sibi eam ducere, et ex ea gignere; quomodo somniantes videntur sibi facere ea quæ somniant? Visionem tantum fuisse censem Chaldaeus et Rabbini nonnulli, quos sequuntur Originis sectatores, teste Rufino, Haymo, Isidorus, Burgensis et Vatablus. Imo S. Hieronymus idipsum censem scribens in *Ezech. iv*. Et hic in *Proemio*: « Osee, ait, audiens a Domino: Accipe uxorem fornicariam, non frontem rugat, non mœrorem pallore testatur, non verecundiam mutato genarum rubore demonstrat; sed pergit ad lupanar, et scortum ducit ad lectulum. Et non initiat illam pudicitiae matronali, sed se luxuriosum et nepo-

tem probat. Qui enim adhæret meretrici, unum cum ea corpus efficitur. Quis sapiens, et intelliget ista? » ac post ea respondet, infertque hæc typice et singulariter esse interpretanda. Ratio ergo fundamentalis hujus sententiæ est hæc, quia res turpis et indigna fuisse, si vir sanctus et Propheta duxisset scortum (1).

Verum longe verius est quod communiter censem alii omnes Patres et Interpretæ, rem hanc non per visionem, sed realiter esse peractam. Ita Theodoreus, Cyrillus, Hebræi, Arias, Hugo, Dionysius et alii hic, ac S. Augustinus, libro III *De Doctrina Christi*, cap. xii, et lib. XXII, *Contra Faustum*, cap. xxiii, S. Basilius in *Isaiæ viii*, Irenæus lib. IV *Contra hæres*, cap. xxxvii, S. Thomas loco citato et alii passim; imo idem censem hic S. Hieronymus, ut videbit qui verba ejus accurate expenderit. Ait enim more suo historiam hanc ad antitypum esse referendam, id est Osee duxisse fornicariam, non ex ejus amore et libidine, sed ut Christi et Ecclesie conjugium repræsentaret. Hoc ergo, non aliud voluit, cum dixit, hoc Osee factum typice et figuraliter esse interpretandum.

(1) Interrogantibus utrum vates proferat rem gestam, an fictam, recte Rosenmullerus respondet, ait Maurer, « nos minime ignoramus nihil fuisse priscis hominibus familiarius, quam ut animi cogitata et consilia factis et actionibus declararent, gestibusque pro verbis uterentur; qua de re nemo subtilius doctiusque disseruit Guil. Warburton in opere quo divinam Mosis legationem demonstravit (*The divine legation of Moses demonstrated*, lib. IV, sect. iv, vol. III); » et in probationem adducit exemplum Idanthuræ Scytharum regis, non litteras, sed symbolum ad Darium mittentis, ut significaret se exercitum contra eum ducturum. « Eiusmodi vero actionem symbolicam, pergit Rosenmuller, simplicem esse oportere, brevissimo temporis spatio absolvendam, et paucissim signis gestibusque circumscriptam, quis non videt? Longe diversa est ratio eorum quibus Hoseas populi Israelitici scelera et pœnas adumbrasse legitur. Fac enim, quæ hoc capite memorantur, vere gesta esse, fieri profecto per rei naturam non potuit, ut ea singula, matrimonium a Prophetæ initium, trium liberorum unius post alterum ortus, filiokla ablactatio, eodem tempore contingent. Illa autem per plurium annorum spatium producenda signa nihil sane apud populum effecissent, nec ad eum erudiendum admonendumque quidquam valuerint. » Unde concludit adumbrari populi Israelitici mores ac fata narratione allegorica matrimonii cum uxore adultera initi. Nihil enim usitatius esse prophetis, quam rationem quæ Deo cum populo Israelitico intercedebat, *conjugii* imagine sistere, quis nescit? Dei amore et curam pro isto populo comparant cum amore, quo maritus fertur in conjugio a se amatam; illius vero impietatem et idolorum studium cum scortatione et adulterio, quo fidem marito datam ac debitam fallat libidinosa uxor: vide *Isai. liv*, 5; *Ezech. xiii* et *xvi*.

Hanc sententiam amplectitur Ackermann, *Osee i*, post Petrum de Figueiro, qui dicit, S. Hieronymum non attente legisse qui ipsum in hac re varie locutum fuisse ferunt. Nam quæ fuerit ipsius hac de re sententia, tum in *Proemio* hujus libri apertissime docet, tum in *Ezech. cap. iv*, ad illa verba: « Et dixit Dominus: Sic comedant, » etc.; et *Isai. cap. viii*, ad illa verba: « Ecce ego et pueri mei, » et in *Comment. ad vers. 8*.

Ratio hujus sententiae est, quia hoc exigit simplex narratio praecepti divini et facti, puta obedientiae Prophetae; alias enim cum visio est, solet id exprimere, vel signo aliquo indicare Scriptura, ut patet Apocal. I, 4; Ezech. XL, 1, et alibi. Adde: Nominatur hic maritus, scilicet Osee; uxor, scilicet Gomer; uxorius mater, scilicet Debela; tres ejus proles, scilicet Jezrahel, Lo ammi, Lo rachuma, quae omnia significant non esse parabolam, sed veram historiam. Causa est, quod populus in idolis et peccatis suis obdormierat, itaque ordinarias increpationes et monitiones Prophetarum spernebat, imo non audiebat; voluit ergo Deus reali et portentosa prophecia, jubendo scilicet Prophetae ducere forniciariam, ex eaque proles procreare, populum in peccatis dormientem a somno scelerum excitare, et commovere ad pœnitentiam. Eadem de causa jussit Isaiae, cap. xx, ut ipse, cum esset vir nobilis et magnæ auctoritatis, nudus per urbem Jerusalem media luce discurreret, ut hoc portento omnium oculos in se converteret, ac reipsa daret eis typum et speciem imminentis spoliationis et execidii, itaque populum ad lamenta converteret. Eadem de causa jussit Ezechielem, cap. iv, stercore boum vesci, ut eo instantem urbi famem et cladem praemonstraret (1).

Ad argumentum respondeo Dei iussionem et auctoritatem abstersisse ab hoc Prophetae connubio omnem infamiae et turpitudinis maculam, praesertim quia assumebatur ad prophetiam et rei futuræ sacramentum. Adde non esse turpe, sed sanctum et honestum, forniciariam ducere hoc fine, ut ipsa vitam turpem cum honesta, fornicationem cum matrimonio commutet; imo confessarii solent et debent concubinariis suadere ut concubinatum in connubium vertant.

Ita S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faust.* cap. LXXX, respondet manichæis impugnantibus vetus Testamentum, et objicientibus illi quod in eo fornicatio Prophetæ sit imperata. Respondet enim S. Augustinus: Non imperata est fornicatio, sed meretrix relicta fornicatione in castum et sanctum

(1) Interpretes qui veram historiam a vers. 1 ad vers. 9, narrari asserunt, provocant: *primo*, ad textus perspicuitatem, ex eo enim nihil aliud conspicitur, quam veram narrari historiam: exponitur præceptum Dei, Prophetæ obsequium, nomen mulieris cum nominibus filiorum, quæ omnia sensum historicum comprobant. Adde cum Maurer verbo וְתַלְלֵךְ oueteled, peperit, vers. 3, oppositum est לְ to. ei, ex quo perlucere videtur, intelligendos esse liberos procreatos a vate. *Secundo*, ad repetitionem præcepti, cap. III, 1 et seqq. *Tertio*, ad scopum et intentionem Dei, volebat enim turpitudinem idolatriæ, non modo verbis exaggerare, sed facto etiam repræsentare, ut eo magis percellerentur obstinati animi. *Quarto*, ad obsequium Prophetæ, qui statim obediit Domino, nec ullum apposuit indicium, sola prædicatione hæc fuisse a se expedita. Hæc posterior sententia nobis etiam longe probabilius videtur. Cæterum, inquit Ackermann, optime nobis de hac controversia pronuntiassæ videtur J. Mariana in not. ad vers. 4: « Utrumvis sequi liberum est lectori. »

conjugium assumpta est, de quo mox plura.

Idem gentilibus respondet hic S. Hieronymus, eisque similia gentilium exempla opponit: « Qua ratione, inquit, prædicent virum eruditissimum Xenocratem, qui Polemonem luxuriosissimum juvenem, et inter psalterias atque tibicines et impudicas mulieres ebrium, et hedera coronatum fecit obedire sapientiæ, et adolescentem turpissimum mutavit in sapientissimum philosophum? Cur Socratem ad cœlum levent, qui Phædonem, ex cuius nomine Platonis liber est, de lupanari, ob crudelitatem et avaritiam domini, multorum libidini servientem, in Academiam transtulerit? Et quidquid illi de philosophiæ magistris responderint, nos ad Prophetæ defensionem referemus. »

ET FAC TIBI FILIOS FORNICATIONUM. — Tò fac non est in Hebræo, nec in Septuaginta, nec in Syro, nec in Arabico. Sic enim habent: *Accipe tibi matrem fornicationum, et filios fornicationum.* Unde primo, aliqui « filios fornicationum » proprie accipiunt filios ex fornicatione procreatos, quos velut testes fornicationis maternæ, Osee cum matre jubeatur ut suos recipere, alere, et quasi adoptare, quæ ingens erat ignominia et pœna Prophetæ, idque ad hoc, ut per haec representaret pari modo Synagogam peperisse filios idololatras, quos tamen Deus quasi Patriarcharum suosque filios, cum ignominia et dolore alat in Jerusalem. Ita explicant Theodoretus, Hugo, Lyranus et Arias.

Verum hos filios non fuisse adoptivos, sed naturales; nec antea genitos, sed a Prophetæ ex fornicaria generandos, patet ex seq. Ait enim: « Et abiit (Osee), et accepit Gomer filiam Debela, et concepit et peperit ei filium, » etc. Vox ergo fac, licet expresse non sit in Hebræo, tamen subauditur; imo includitur in voce accipe. Accipere enim ex uxore filios, Hebræis idem est quod suscipere et procreare. Verbum enim נָרְךִּ lacach, id est accipio, sumo, tollo, apud Hebræos est amplissimæ significationis. Ita S. Hieronymus, Augustinus, Basilius, Vatablus et alii superius citati.

Secundo, Ribera censet vocari « filios fornicationum, » id est fornicariæ, quia erant filii matris idolatriæ. Verum hoc superius refutavi. Idolatria enim est fornicatio mystica, non litteralis, de qua hic agitur.

Dico ergo, filii procreandi ab Osee ex legitimo Tertia et cum fornicaria conjugio, vocantur *filiis fornicationum*, id est filii matris, quæ antea tota fornicationibus fuit dedita. Hanc enim suam turpitudinem et infamiam prolibus afflabat mater, quæ fuerat publica meretrix; nec eam matrimonium subsequens apud populum detergere et delere poterat. A matre ergo proles infamiae notam et fornicationis nomen sortiuntur. Ita S. Hieronymus et alii jam citati.

Adde, vocantur hi *filiis fornicationum*, quod et ipsi in fornicationem futuri sint proclives, hoc-

Fili fornicationum qui?

Prima expositio.

que vitium, hancque libidinosam indolem una cum natura a matre fornicaria sint hausturi et sucturi. Hoc enim apte respondet rei significatæ. Hi enim filii libidinosi significant Judæos mystice libidinosos, id est in idola proclives, unde iis æque ac matri exitium intentat cap. II, 4, dicens: « Filiorum ejus non miserebor, quia filii fornicationum sunt. » Ita Emmanuel Sa, Mariana et Pineda, lib. I *De Rebus Salomon*, cap. IV, num. 3. Simili enim phrasi in Scriptura, vocantur filii obedientiæ, diffidentiæ, superbiæ ii qui in obedientiam, diffidentiam, superbiam sunt valde propensi, adeo ut ex ipsa obedientia, diffidentia, superbia geniti et procreati videantur. Unde Syrus verit: *Sume tibi mulierem quæ fornicatur, et filios qui fornicantur; quia fornicando fornicabitur terra de post Dominum, a Domino.*

Ubi moraliter nota vitia parentum, præsertim matrum, transfundi in filios; vitiata enim matre, vitiatur semen, quod vitiat prolem quæ ex semine formatur. Quocirca sponsis qui querunt sponsas, valde inquirendum est, non tam an sponsæ sint opulentæ et pulchræ, quam an sint castæ, honestæ, virtuosæ, ne, si sint incestæ, inhonestæ, vitiosæ, similes generent proles. « Justi ergo mores, ait Antiphanes philosophus, sunt peculiūm præstantissimum, et dos omni auro nobilior. »

Id ita esse docent physici et medici, ipsaque ratio et experientia. Hac enim de causa passim in libris Regum, Salomonis, Abiæ, Josaphat, Manassis aliorumque regum matres studiose nominantur, quia a matre pendet indoles et educatio prolium vel in bonum, vel in malum; et qualis est mater, talis est et proles; præsertim quia proles sequitur affectum et amorem, quem magis in matre, quam in patre experitur. Causam dat Aristoteles, lib. IX *Ethic.* VII. Magis, inquit, a matribus amantur proles, quia generatio earum laboriosa est, et magis sciunt eas esse suas. Ita Spartani, teste Plutarcho in *Apophthegm. Lacon.*, continentes fuerunt, fortisque in bellis et laboribus, quia matres habebant viragines, quæ ex institutione Lycurgi continentiae, laboribus et duritie tam se, quam proles assuefaciebant. Unde Gorgonius, Leonidæ uxor, cuidam sibi exprobranti: « Vos Spartanæ solæ viris vestris imperatis; » respondit: « Quia solæ viros parimus. » Hinc filius meretricis vocatur is, qui habet mores meretricios. Ita Saul Jonathan filium suum pro Davide intercedentem, vocat filium « mulieris ultra virum rapientis, » I *Regum*, cap. XX, 21, id est filium meretricis, q. d. Meretricius es, quia mater tua fuit meretricix. Aut q. d. Non videris filius meus, sed filius adulteræ, quia Davidem hostem meum amas quam me; quasi mater tua non ex me, sed ex Davide te genuerit, ideoque Davidis amorem tibi ingeneraverit. Ita Agrippina Neronis mater in libidines fuit effusa, adeo ut et Neronem ad sui incestum provocaret,

ideoque quale libidinis et crudelitatis monstrum, Neronem, orbi dedit? Ita ex Cornelio Tacito Sabellicus, lib. II *Enn.* VII.

Heliogabalus Imperator, græcæ meretricis filius ab ea suam spurcitatem et obscenitatem hausit. Ita Lampridius et Rhodiginus, lib. XI, cap. XIII.

Quin et Salomon, trecentarum uxorum maritus, et septingentarum pellicum concubinus, matrem habuit Betsabee adulteram.

Semiramis Ninum filium ad stuprum compellavit, ideoque ab eo imperfecta est, si credimus Cresiæ, quem citat Sabellicus, lib. I *Enn.* I.

S. Aphra martyr, antea meretrix (quæ a Narciuso Hierosolymorum Episcopo a turpi et immundo quæstu revocata fuit), matrem habuit Hilariam, quæ solis lenociniis sibi victimum comparabat. Ita habet ejus Vita.

Venus incesta incestuosissimi Jovis fuit filia, ait Ovidius lib. X *Metamorph.*

Julia, Cæsaris Augusti filia, libidinum paternarum fuit æmula, teste Suetonio in *Augusto*. Hac de causa, æque ac ob ignominiam, spuri jure canonico arcentur sacerdotio, suntque irregulares; sacerdotium enim angelicam puritatem requirit.

Simili modo infantes dum sugunt, nutricum indolem, affectus, et vitia una cum lacte sugere et imbibere, multis exemplis ostendi *Gen.* XXI, 7.

Denique filios matribus quam patribus similiores naturam efficere solere, tum corpore, tum moribus, docent Aristoteles, lib. *De Gener. anim.* cap. IV, et in *Probl.* lib. X, cap. XII, ac Hippocrates, *De Genitura*. Quocirca pium æque ac prudens est nonnullarum urbium institutum, ut impudicarum matrum spuriæ proles per magistratum a matribus avellantur, ne matres vitiata in semine filiorum indolem, magis vitiata educatione pravoque exemplo corrumpant; ac gravibus matronis alendæ traduntur, quæ depravatam nativitatem gravi severaque institutione castigent et reformat; quales videmus Romæ in hospitali Sancti Spiritus et in monasterio Sanctæ Catharinæ de Funariis. Simili modo in aliis urbibus spuriotrophia erecta et dotata sunt.

Quæres, quibus de causis voluit Deus ut Prophetæ fornicariam duceret, ex eaque filios procrearet? Respondeo: Litteralis causa primaria est ea, quam paulo ante dedi, ut nimur hoc quasi vivum speculum daret Judæis, in quo clare conspicerent et contemplarentur suam turpititudinem et idololatriam. Secundaria fuit charitas, ut scilicet fornicariæ pudori et conscientiæ consuleret, dum eam commutat in uxorem. Ita S. Augustinus lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXX: « Quid, ait, adversum clementiæ Veritatis (qua Christus, qui est veritas, dixit Pharisæis: Meretrices et publicani præcedent vos in regno celorum)? quid inimicum fidei christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum conjugium commutetur? Et quid tam incongruum et alienum a fide Prophe-

Cur Osee
jussus
duerca
fornica-
riam?
Prima
causa.

Secunda.

tæ, quam si non crederet omnia peccata impudicitiae dimissa esse in melius commutata? Itaque cum meretricem Prophetæ (Osee) fecit uxorem, et ad vitam corrigendam mulieri consultum est, et figuræ sacramentum, de quo mox loquemur, expressum. » Subdit deinde ibidem, et fusius cap. LXXXIX, manichæos carpsisse hoc factum Osee, non quia infame, sed quia ipsi matrimonia damnabant, malebantque liberi fornicari, quam prole gravare uterum uxoris, et se onere illam alendi; ideoque fingebant Deum, sive divinæ substantiæ partem, in prole quasi ligari et vinculis constringi.

Tertia.

Insuper voluit hic Deus Prophetæ obedientiam exercere æque ac patientiam, « ut quanto illa (uxor) sordidior est, tanto sit propheta patientior, qui tales uxorem duxerit, » ait S. Hieronymus; præsertim quia Osee erat juvenis, virgineus, sanctus, et in flore ætatis, æque ac puritatis et virtutis, dum meretricem duxit; fuit enim hæc prima ejus prophetia quam habuit initio regni Osiæ, ac deinde prorogavit vitam per annos 52 Osiæ 16. Joathan, totidem Achaz, pervenitque ad tempora Ezechiae. Juvenis ergo, dum duxit fornicariam, fuerit oportet.

Allegoriæ.

Allegorica causa est, ut Osee per connubium cum fornicaria repræsentaret simile, sed mysticum, idque duplex, Christi conjugium: *Prius* cum carne nostra, quæ erat fornicaria, id est caro peccati, quam depurata sibi univit et despondit per incarnationem. Ita S. Ambrosius, lib. II *Apolog. David.* cap. x, mystice explicat non tantum hoc Osee connubium, sed et Davidis adulterium. « Ad Prophetam, inquit, dictum est: Vade, accipe tibi uxorem fornicariam. Dominus jubet cum ea quæ fornicaria fuerit, esse conjugium, cuius conjugii fructus est Christus. Namque filio qui ex fornicatione (id est ex uxore Osee quæ antea fuerat fornicaria) est natus, a Domino nomen impositum est Jezrahel, quod est divina generatio. Si ergo pia illa copula fornicariæ, etiam ista utique pia societas adulteræ copula est, » etc. Et mox: « Ex disparibus copulis contubernium pium factum est, quando scilicet Verbum caro factum est, non sunt legitima consortia divinitatis et carnis. Suscepit carnem Deus, assumpsit animam, per inusitatam nec legitimam incarnationem consortium fecit esse legitimum, ut sit Deus omnia in omnibus. » Unde nomen filii est Jezrahel, id est semen Dei, vel brachium Dei. Christus enim est brachium, id est virtus, Dei, ut eum vocat Isaias cap. LIII, 1. Christus etiam est semen Dei, quia non ex semine viri, sed ex Spiritu Sancto conceptus et natus est. Quocirca Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. xviii et xix: « Dei Filius, inquit, ex Patris Dei semine, id est Spiritu, ut esset hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda sine viri semine, vacabat enim viri semen apud habentem Dei semen. » Et cap. xix: « Quid est ergo? Non

ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. » Ita et Leo Castrius, qui tamen perperam contendit hunc sensum solum esse litteralem, et alios omnes excludit. Obiter hic nota Spiritum Sanctum propriæ non esse semen Dei. Deus enim nullum ex se semen decidit, uti facit homo; impropre ergo et per catachresin Tertullianus Spiritum Sanctum vocat semen Dei, quia scilicet ipse, divina virtute a Patre et Filio accepta, fecit in Virgine, quod in uxore facit semen viri: vocatur ergo « semen, » quia fuit loco et vice seminis: formavit enim et organizavit corpus Christi in Virgine, ut embryonis corpus in utero matris ex ejus semine et sanguine coagulat, coagmentat, format et organizat semen virile.

Posterior Christi connubium est cum Ecclesia, quod Osee suo hic repræsentat. Ita S. Ambrosius, lib. *De Salomone*, cap. v: « Meretrix, inquit, ista Ecclesiæ typus est, aliquando in gentibus constituta, idolorum cultibus vitiata, quam vanæ superstitionis stupra polluerant, quam falsorum deorum adulteram fecerat multitudo; lascivisque ac turpes incompositis motibus saltus, nemorum et lucorum inulta lustrabat, dedita luxuriæ, pompæ gentilium mancipata. Hanc posteaquam Dominus noster Jesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem et criminis accepit et nominis. » Ita et S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXXIX, ac S. Prosper, lib. *De Prædictionibus et promissis*, xv, part. II, imo S. Paulus, Rom. cap. ix, 24. In hujus rei typum Moses duxit uxorem Æthiopissam, Num. XII, 1, « contra quam, inquit S. Hieronymus in Proœmio, Aaron et Maria, carnale sacerdotium Judæorum et prophetia litteræ serviens, mussitant, et offendunt Deum. Quæ dicit in *Cantico cantici*: Fusca sum et formosa, filiæ Jerusalem. » Christo ergo venienti in mundum dixit jussitque Pater: « Sume tibi uxorem fornicariam, » puta Ecclesiam ex gentibus, ex eaque procrea filios, qui sint filii fornicationum, id est matris gentilis; sed ex patre, utpote Filio Dei, sint et ipsi filii Dei, ex quibus multi ad pristinam matris fornicationem sunt reddituri, id est concupiscentias suas secuturi et peccaturi, ideoque a Deo puniendi et rejiciendi.

Mira sane misericordia et dignatio fuit Osee ducentis fornicariam, sed longe major Christi carnem et Ecclesiam nostram arctissime sibi unientis et despondentis, ut eam depuraret, sanctificaret et glorificaret, et quasi divinam redderet, tumque Osee, id est Jehu et salvatoris nomen adeptus est. Ita Osee æmuli et Christi sectatores sunt, qui ad dura, vilia et abjecta quævis sese demittunt, et quoslibet labores et dolores subeunt, ut animas cum concupiscentiis fornicantes, sordidas et horridas convertant, purasque efficiant, et ad Deum sponsum reducant.

Unde tropologica causa est, ut hoc exemplo Tropologia doceret Deus Osee, id est prædicatores, confessio-

sarios, aliosque zelo proximorum flagrantes abducere animas a Satana, carne et peccato, easque per pœnitentiam et castimoniam despondere Christo, uti Paulus Corinthios despondit, epist. II, cap. XI, 2. Anima enim peccatrix est fornicaria, imo adultera, gignitque filios fornicationum, id est opera luxuriæ, gulæ, superbiæ.

Unde S. Hieronymus in Proœmio, per fornicariam hanc tropologice accipit S. Magdalenum, quam pœnitentem sibi Christus despondit: « Hæc, inquit, est meretrix et adultera, quæ in Evangelio pedes Domini lavit, crine detersit, et confessionis suæ honoravit unguento. » Et inferius: « Hæc est meretrix de qua loquitur Dominus ad Judeos: Amen dico vobis, meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei. Ista meretrix (Rahab, Josue II) exploratores meos duos, fortissimos juvenes, quorum alterum in circumcisione misi, alterum ad gentes, humanitate suscepit, abscondit studio, levavit in tectum, operuit lini stipula. Quæ cæsa persecutionibus, et lota in baptismate immutat colorem, et de tetro in album vertitur. »

QUIA FORNICANS FORNICABITUR TERRA. — Hoc est, impense et continuo fornicabitur Israel, id est decem tribus. De his enim loquitur, non de Juda, ut patet ex seq. Nam futurum junctum participio vel gerundio ejusdem verbi, Hebræis significat actus vehementiam et continuationem, sive consuetudinem. Fornicationem hic mysticam intellige, puta idolatriam; hic enim Deus symbolum sive parabolam applicat, et explicat, q. d. Jussite, o Osee, ducere fornicariam, et ex ea generare filios fornicationum, ut per hoc Judæis representem, quod ipsi pari modo mystice fornicabuntur, id est amabunt colentque idola, me vero Deo relieto.

Vers. 3. **3. ET ABIT, ET ACCEPIT GOMER FILIAM DEBELAIM.** — Perperam Hugo et Dionysius per diastolen legunt *de Belaim*, quasi *Belaim* sit nomen proprium loci, ex quo oriunda fuerit Gomer. *Debelaim* enim unam esse vocem, eamque Hebræam patet ex Hebræo. *Debelaim* ergo est nomen matris Gomer, ait S. Hieronymus, et Rupertus, licet aliqui velint esse nomen patris ejusdem. Notat uxorem ex nomine et stirpe, ut sciamus hanc esse historiam, non visionem. Suspiciatur Sanchez *Debelaim* quoque fuisse fornicariam, tum quia facetur nomen mariti ejus, tum quia talis fuit ejus filia Gomer; nam, « sicut mater, ita et filia ejus », ait Ezechiel cap. XVI, vers. 44. Apposite uxor vocata est Gomer, et parens *Debelaim*; Gomer enim hebraice idem est quod consummatio vel consumptio; *Debelaim* idem est quod duæ massæ ficuum aridarum; quo significatur consumendam et vastandam esse Synagogam: « Quæ consummata in fornicatione atque perficia filia voluptatis, quæ frumentibus suavis videtur et dulcis », ait S. Hieronymus, eo quod animo et corpore idolis et voluptatibus servierit. *Debelaim* enim, id est *ficus geminæ*, sym-

bolum est voluptatis et dulcedinis geminæ. Unde Vatablus: « Gomer, ait, significat consumptio nem, et *Debelaim* palatas duas, quibus animi et corporis voluptates intelliguntur, quæ pariunt consumptionem et interitum, » juxta illud Apostoli: « Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. » Potest quoque hæc gemina voluptas accipi, spiritus et carnis, sive ambitionis et ventris, puta gulæ et libidinis. Ex his enim duabus oritur omnis concupiscentia, omne peccatum, omissis ruina hominum. Est ergo elegans hic gnomus: Gomer est filia *Debelaim*, id est corruptio est filia ficuum, puta est filia voluptatis, pœna est filia culpæ; hæc enim quasi mater illam parit: uti enim ficui et pomo vermis, ita et amoris ac voluptati dolor, putor et pudor innascitur. Præclare Valerius, lib. IX, cap. 4: « Campana ait, luxuria invictum armis Hannibalem, suis ille cebris amplexata, vincendum romano militi tribuit. »

Tropologice, corruptio est filia voluptatis.

Denique Arias per geminas ficias ad litteram accipit geminum regnum Hebræorum, scilicet Israel et Juda, utrumque enim idolis et cupediis suis erat deditum, ideoque excidio a Deo addicatum. Licet enim hæc prophetia capituli primi proprie et primario ad Israel (hunc enim vocat Jezrahel, vers. 4) dirigatur, tamen secundario et consequenter ad Juda Israelis æmulum et associam quoque dirigitur.

4. Voca nomen ejus JEZRAHEL. — Osee jubetur a Vers. 4. Deo primum filium suum ex fornicaria uxore genitum vocare Jezrahel, ut per eum Hebræis repræsentet cladem imminentem Jezraheli, id est Israeli, sive decem tribubus.

Jezrahel hebraice quadruplex habet etymon, et significativa quatuor significat. *Primo*, *Jezrahel* dicitur quasi זְרַעַל zera el, id est semen Dei. *Secundo*, quasi זְרֹעָל zeroa el, id est brachium Dei. *Tertio*, quasi זִירָעֵל iizze ra el,asperget malum vel contritionem Deus. *Quarto*, quasi זָרָעֵל zara el, id est sparget vel disperget Deus, scilicet Israelitas, ut captivi eant in Assyriam, et spargantur per totum orbum. Rursum Jezrahel notat Israel, imo idem est cum Israel, si litteram י commutes in ו, et י in נ affine.

Nota: Jezrahel erat urbs regalis, et metropolis decem tribuum, ait S. Hieronymus, eratque terminus tribus Manasse et Issachar, sita in pede montis Gelboe ad Occidentem, insigni turri et specula, qua per totam Galilæam usque ad Carmelum, Thabor, Libanum, ac ultra Jordanem patebat prospectus illustris. Juxta hanc urbem erant campi amoenissimi et fertilissimi, ac vallis vastissima, quæ plusquam decem millibus passuum tendebatur, quæ ab urbe vicina, vallis Jezrahel dicebatur; sicut vicissim urbs a valle fertilissima dicta est Jezrahel, id est semen Dei, quod semen in messe uberrimum, puta centuplum redderet, ut videretur esse semen Dei, et a Deo benedictum. Ante urbem erat vinea et ager

Nabot, qui adhuc temporibus Borchardi et Bre-dembachii ostendebatur, ut ipsi scribunt in *Descriptione Terræ sanctæ*. Porro Deus jubet Osee, ut suum primogenitum ab hac urbe et valle vocet Jezrahel, ut per eum repræsentet Israel. Unde cau-sam nominis subdit dicens :

QUONIAM ADHUC MODICUM, ET VISITABO SANGUINEM JEZRAHEL SUPER DOMUM JEHU. — « Jehu » nominat, quia ejus posteri tum regnabant in Israel, erantque propagatores idololatriæ. Regnabat enim tunc Jeroboam, qui fuit tertius a Jehu : Jehu enim successit Joachas filius, huic Joas, huic Je-roboam, huic Zacharias, qui occisus est a Sel-lum, in eoque stirps Jehu excisa est.

Ex verbis Osee liquet, et omnes fatentur alludi hic ad historiam Achab, Jezabel, Nabot et Jehu. Jezabel enim, uxor Achab, per calumniam curavit occidi Nabot in Jezrahel, ut ejus vineam ibi-dem sitam invaderet et possideret. Quocirca Deus per Eliseum unxit Jehu in regem, jussitque ei ut hoc scelus eodem in loco vindicaret. Jehu ergo occidit Jezabel, et curavit eam sepeliri in agro Jezrahel. Insuper omnes filios Achab jussit occidi in Samaria; eorumque capita ad se mitti in Jez-rahel, IV Reg. cap. IX et seq.

Prima explicatio. Jam primo, Arias verba textus sic explicat, q. d. Voca, o Osee, filium tuum Jezrahel, id est bra-chium Dei, quia sicut ego Deus brachio meo in Jezrahel effudi sanguinem Jezabel et filiorum ejus, ita eodem effundam sanguinem postero-rum Jehu, quia Achabo et Jezabeli similes sunt in scelere. Hic sensus alienior videtur. Sanguis enim Jezrahel in genitivo hic accipiens est, quasi sanguis Jezrahelis, velut personæ cujus san-guis effunditur; non in dativo vel ablativo, quasi sanguis Jezrahele ut brachio, vel instrumento effusus.

Secunda. Secundo, Theodore tus quem sequitur noster Emmanuel : Jezrahel, inquit, id est semen Dei, est Israel, qui est populus Dei, puta decem tri-bus. Sanguis autem in Scriptura vocatur homi-cidium, et per catachresin quodvis enorme pec-catum et scelus, quale hic est idololatria, præ-serlim quia idololatræ non raro fundebant san-guinem occidendo pueros, aliasque homines, eosque immolando Moloch, Baal, aliisque idolis: atque semper occidebant animas tum suas, tum suorum. Hic sensus mysticus potius videtur, quam litteralis.

Tertia. Tertio, Rupertus, Vatablus et Antonius Fer-nandius in *visione I*, lect. 3, exponunt, q. d. Puniam sanguinem Jezabelis et filiorum ejus a Jehu effusum in Jezrahel, quia licet, me jubente, id fecerit, tamen ipse in illa cæde non tam studuit meæ voluntati quam suæ ambitioni servire : ut scilicet, occiso semine regio, ipse regnum invaderet, et quasi tyrannus regnaret. Hic sensus non satis respondet Scripturæ, quæ ob hoc factum laudat Jehu, eique regnum promittit usque ad quartam generationem, IV Reg. IX et seq.

Quarto, Christophorus a Castro : Jezrahel, inquit, Quarta: est Israel, ejusque primus rex Jeroboam, cæteri-que ejus reges : q. d. Vindicabo sanguinem Jez-rahel, id est Israelitarum, effusum per Jeroboam et cæteros reges, præsertim oriundos e familia Jehu, eo quod ipsi pios Israelitas renuentes ire in Dan et Bethel ad adorandos eorum vitulos au-reos, occiderunt. Id enim fecisse Jeroboam pa-tebit cap. v; quocirca evertam domum Jehu, to-tumque regnum Israel. Verum hoc incertum est: nusquam enim legimus quod Jehu renuentes adorare idola occiderit. Hic tamen sensus uti et alii jam recensiti, quasi accessorii et partiales lo-cum habere et admitti possunt, sunque proba-biles. Sed querendus est sensus principalis et genuinus.

Dico ergo, quia verba Prophetæ manifeste al- Quinta ludunt ad stragem domus Achab editam a Jehu et ge-nina.

in Jezrahel, eique similem minantur; hinc pri-mus et principalis sensus hic est, q. d. Ego Deus, o Jehu, elegeram te ut idololatriam invectam a Jeroboam, et promotam ab Achab et Jezabel in Israel, everteres; ideoque te regem constitui, jussique ut occideres et sepelires omnes posteros Achab, idque in valle Jezrahel, eo quod ipse in eadem fidelem meique cultorem Nabot intereme-rat. Quod si id non faceres, sed eis occisis fove-res nihilominus eorum idolâ, scires te similem horribilem, imo horribiliorem, Dei vindictam experturum. At tu quasi vecors et temerarius, hujus severæ ultionis Dei contra Achab, cuius ipse minister et carnifex fueras, oblitus, in eumdem lapidem impegisti, eadem idola coluisti. Hoc est enim quod dicitur, IV Reg. cap. x, 29 : « De-levit itaque Jehu Baal de Israel; verumtamen a peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos. Visitabo » ergo « sanguinem Jezrahel super domum » tuam, hoc est, domui tuæ similem plagam et stragem inducam, qualem tu meo jussu induxisti super domum Achab in Jezrahel. Itaque, sicut tu filiorum ejus omnium sanguinem effudisti, ita et omnium tuorum effundetur, omnesque posteri tui regno et vita spoliabuntur; ac paulo post puta post quadraginta annos, totus Israel qui te in idololatria secutus est, vel occidetur, vel captivus abducetur in Assyriam. Quocirca ut hoc Israeli-tis, o Osee, repræsentes, jubeo ut filium tuum voces Jezrahel, eisque explices ideo eum vocari Jezrahel, ut meminerint Jezabelis, et filiorum Achab occisorum et sepulchorum in Jezrahel ob idololatriam, sciantque se ob eamdem causam pari modo occidendos, ut quoties nominarint vel audient nominari nomen filii tui Jezrahel, toties eis recurrat et redeat in mentem strages domus Achab, facta in Jezrahel, et eorum similis pro-pediem facienda, quam ego hic per te eis intento. Ita Mariana et alii. Unde Jezrahel, æque ac So-doma, proverbialiter significat ingentem vindic-tam, ingens excidium, ait Sanchez.

Ubi nota : Pro *visitabo* Syrus vertit, *ulciscar*, hebraice est פָּקַדְתִּי *pakadt*, quod valde generalis et angustæ est significationis; nec tantum vindicare, ulcisci et punire significat, sed in genere idem est quod requirere, recensere, impunere, inducere. Sensus ergo est, q. d. « *Visitabo*, » id est requiram, « sanguinem Jezrahel super domum Jehu, » dicamque: Cur tu, o Jehu, effudisti sanguinem domus Achab in Jezrahel? nonne id fecisti meo jussu, quia idololatriæ erant, et idololatriæ duces in Israel? Quare ergo tu non es veritus eadem idola colere et propugnare? Esto ergo eis similis in pœna, quibus fuisti similis in culpa, illorum sanguis a te effusus est; tuus quoque effundatur: stirps illorum excisa est, et tua exscindatur. « *Visitabo* » ergo, id est requiram et recensebo ac annumerabo supplicia domus Achab domui tuæ, dicamque: Ecce Achab peccavit in tot tantisque idolis et sceleribus, tu, o Jehu, in totidem peccasti. Quocirca sicut Achab tot plagis, omniumque (puta septuaginta) filiorum strage punivi, ita et totidem plagis te puniam: ac sicut numerum culparum, ita et plagarum Achab, tibi tuæque domui annumerabo et accensebo, hoc est, inducam et infligam.

Hic est sensus principalis, cui tamen cæteri annexi et connexi sunt. Itaque secundam Theodoreti expositionem et quartam Christophori a Castro hic jam addas, hoc modo, q. d. Quia tu, o Jehu, instar Achab, piorum Israelitarum Deum verum colentium, tuosque vitulos aureos spernentium, qui erant Jezrahel, id est semen, hoc est populus, Dei, sanguinem effudisti; et quia omnes Israelitas ad sanguinem, id est ad enorme scelus idololatriæ, compulisti, ideo instar Achab sanguinem tuorum omnium effundetur. Et sicut sanguinem Nabot ab Achab effusum, in Achabi domo omnem ejus stirpem occidendo ultus sum, ita et sanguinem fidelium a te et tuis effusum in tua familia, eam evertendo, ulciscar: grave enim crimen, et in cœlum clamans vindictam est occasio innocentis, præsertim fidelis et sancti. Nam, ut ait S. Augustinus in *Psalm. ix*, explicans illud: *Sedet in insidiis*, etc., *ut interficiat innocentem*, « innocentem interficere est ex innocentem facere nocentem, » quæ est perversio tam justitiae, quam naturæ.

Dices: Sanguis posterorum Achab effusus est in Jezrahel, non ob ejus idololatriam, sed quia ipse ibidem effuderat sanguinem Nabot, ut ejus vineam occuparet. Ergo hæc non recte adaptantur sanguini posterorum Jehu effundendo ob idololatriam. Respondeo antecedens esse falsum. Hæc enim strages inducta est domui Achab ob idololatriam, ut diserte dicitur, IV Reg. cap. xxi, 22, 26; determinatio vero loci, quod scilicet fieret in Jezrahel, facta est ob occisum ibidem Nabot, qui erat idolorum hostis, et unius veri Dei cultor.

Nam ad idololatriæ pœnam hæc omnia spec-

tare, patet ex eo quod ea de causa jubeatur Ossee ducere fornicariam, et gignere filios fornicationum, ut idololatriam Israelitarum repræsentet. Unde ait: « Quia fornicans fornicabitur terra, » mystice scilicet cum idolis; ideoque ei sanguinem et exitium intentat.

Huc pertinet explicatio quam ex Chaldæo afferrunt Haymo, Hugo et Albertus, quæ talis est: *Visitabo*, id est imputabo sanguinem domus Achab a Jehu effusum in Jezrahel, ipsi Jehu ejusque domui, eo quod ipse eadem idola coluerit, ob quæ filios Achab occidit, ejusque stirpem evertit; ac proinde opere ipso ostendit se inique et injuste occidisse idololatras; nec tam paruisse Dei jussui, quam secutum esse suam ambitionem et tyrannidem, ut dixit Vatablus, cum ipse æque ac illi fuerit idololatra. Itaque sanguis Jezrahel contra ipsum revertetur, et in ejus domum recurret; meruit enim ipse qui inique idololatras occidit, ut ejus, utpote pariter idololatræ, domus et stirps tota similiter exscindatur, ut, sicut ipse idololatras gladio punivit, ita et ejus idololatria gladio puniatur et succidatur. In Jezrahel pulchra est annominatio ad ejus etymon, q. d. *Visitabo* sanguinem Jezrahel, id est seminis et populi Dei, puta piorum Israelitarum, quos afflixerunt et occiderunt Achab (ut patet IV Reg. cap. ix, 7), et Jehu, super eorum domum et familiam, eroque eis Jezrahel, id est לְעֵזֶר יְהוָה iizza ra el, id est inducens malum et contritionem Deus, puta conteram et evertam eos.

Denique Septuaginta et post eos Arabicus, plane aliter vertunt, nimirum: *Ulciscar sanguinem Israel super domum Juda*. Suspicio cum S. Hieronymo in eis typographicum esse mendum, et pro *Israel* legendum esse *Jezrahel*, ac pro *Juda* *Jehu*. Sic enim habent Hebræa, Chaldæa, Latina et Syrus. Perperam ergo Leo Castrius ex versione Septuaginta et ex eo quod non dicit Propheta: *Visitabo vitulos Jeroboam*, sed: « *Visitabo sanguinem Jezrahel super domum Juda*, » contendit hæc ad litteram accipienda esse de excidio Judææ et Hierosolymæ per Titum. Sensum enim esse, q. d. Sanguinem Jezrahel, id est Christi (hic enim dicitur Jezrahel, id est semen Dei, quia non ex semine viri, sed ex Spiritu Sancto est conceptus) a Judæis occisi ulciscar super Juda, evertendo Jerusalem et Judæam per Romanos. Perperam, inquam: nam ex toto contextu liquet hic agi de idololatria Israel, ejusque punitione per Assyrios, non de excidio Judæ per Titum. Hic ergo ejus sensus mysticus est et allegoricus, isque congruus, non litteralis.

Moraliter disce hic, quam severe puniat Deus illos, qui Dei judicia et castigationes impiorum non aestimant, nec propter eas ad Dei timorem et vitæ mutationem inducuntur, sed eadem peccata perpetrant, ob quæ vident alios a Deo castigari, imo se jussu Dei alios castigasse, quales sunt impii principes, judices, praetores, prælati, præ-

Allego.
rice.

Moraliter.

dicatores, etc., qui ea quæ in aliis puniunt, ipsi met perpetrant. Hac enim de causa excidium minatur Deus domui Jehu, quod peccata Achab, quæ per eum castigaverat, non devitarit. Qui enim tam manifestis et acribus divinæ vindictæ exemplis non emendantur, merentur ut eamdem subeundo, aliis statuantur in exemplum.

Simili modo et sensu dixit Lamech, *Genes. cap. iv, 24*: « Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies, » q. d. Si Cain qui unum occidit, septuplum, id est multipliciter, punitus est, ergo ego Lamech, qui duos occidi, quique pœnam Caini vidi, nec tamen ab ejus peccato abstinui, septuagies septies, id est longe gravius et multiplicius puniendus sum. Ita S. Chrysostomus ibidem. Sic et Ezechiel, cap. xvi, ut et alii Prophetæ, Judæ intentat excidium, eo quod habuerit legem et tabernaculum Dei (ideoque vocat illum Oolla, ac consequenter debuerit castigare idolatriam Israelitæ sive decem tribuum (quas proinde vocat Ooliba), et tamen hoc adeo non fecerit, ut etiam dum videret Israelem puniri et exscindi a Deo, nihilominus in ejus scelere et idolatria persistenter. Talibus merito intonat Apostolus, *Rom. cap. ii, 1*: « Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ judicas. Existimas autem hoc, o homo, qui jūdicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei? » Et vers. 21: « Qui ergo alium doces, te ipsum non doces, qui prædictas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis, » etc.

ET QUIESCERE FACIAM REGNUM DOMUS ISRAEL. — Id est, abolebo et evertam regnum Israel, sive decem tribuum. Ita Vatablus. *Domum* vocat tribum et gentem; Hebræi enim sub Roboam in duas quasi tribus et gentes fuerunt divisi, scilicet in Israel et Juda. Præstítit id Deus paulo post hanc prophetiam, sed sensim et paulatim. Hæc enim prophetia facta est ultimis annis Jeroboam, qui fuit pronepos Jehu, et pater Zachariæ. Zacharias autem tantum sex mensibus regnavit, occisus a Sellum: ac paulo post regnum Israel invasit Phul rex Assyriorum, eique tributum indixit: deinde Teglathphalasar, qui cepit et translulit in Assyriam tribum Ruben, Gad, et dimidiā Manasse. Denique Salmanasar, qui anno 9 Hosee ultimi regis Israel (qui erat annus 6 Ezechiae regis Juda) Samariam cepit, totumque regnum Israel evertit. Post Jeroboam ergo et Zachariam circiter 40 anno (mendose codex S. Hieronymi habet 49), eversus et captus est Israel. Vide historiam, *IV Reg. xv* et seq.

Vers. 5. 5. ET INILLA DIE CONTERAM ARCUM ISRAEL IN VALLE JEZRAHEL. — *Arcum* vocat robur, vires, arma, milites Israelitarum, sive decem tribuum. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Haymo, Lyranus, Hugo et alii. Male ergo Arias per *Israel* accipit

duodecim tribus, puta tam *Juda* quam *Israel*.

Quæres, quando et quomodo in valle Jezrahel contritum sit regnum Israel? nihil enim de eo in Scriptura legimus. Aliqui per Jezrahel accipiunt Samariam: ad illam enim confluxit totus populus, imminente Assyrio, ibidemque ab eo victus et captus est. Verum nusquam « *vallis Jezrahel* » capitur pro Samaria, præsertim quia Samaria sita erat in monte, non in valle. Melius ergo alii censent ex hoc loco Prophetæ, ante excidium Samariæ et gentis, Israelitas de more collatis signis conflixisse cum Assyriis in vicina valle Jezrahel. Hæc enim longissime patet, et aptissima erat conflictus. Ibi ergo superati et cæsi sunt Israelitæ ab Assyriis, qui deinde victoriam prosecuti Samariam obsederunt, et everterunt cum toto regno. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoreetus, Haymo et alii interpres. Unde Borchardus, Breidembachius, et ex eis Adrichomius in *Descriptione Terræ sanctæ*, de hac valle ita scribit: « *Vallis Jezrahel* lata duobus milliaribus (sed multo longior) quæ et planities Galilææ. In valle hac seu planicie intermedia magni et multi habitu sunt conflictus. Hic enim pugnavit Gedeon contra Madianitas, *Judic. vi* et *vii*. Et Saul contra Philistæos, *I Reg. xxxi*. Item Achab contra Syrios, *III Regum xx*, et postea Tartari ibi confixerunt contra Saracenos. »

Porro apte Deus statuit ut Israel in Jezrahel cæderetur. Est enim magna vis et emphasis in verborum et rerum tum vicinitate, tum allusione, q. d. Olim, o decem tribus, eratis Israel, id est populus dominans Deo, cum pietatem vestri patris Jacobi secuti uni Deo servientes, ab eo impenetrabatis benedictionem et omne bonum quod petebatis, qua de causa Jacob vocatus est Israel, *Genes. cap. xxxii, 28*. Eratis pariter tunc Jezrahel, id est semen et populus Dei. At nunc Deo rebelles et apostatae: cum ad idola deflexisti, non estis Jezrahel, id est semen Dei, nec Israel, id est dominantes Deo; sed Deus jamjam dominabitur vobis, quasi hostis dominans, sæviens et grassans in urbe quam capit et vastat.

Ipse ergo cædet vos per Assyrios in valle Jezrahel, tum quia ibidem cæsa est stirps Achab idolatriæ, quem vos imitati estis; tum quia huic loco apte convenit triplex etymon Jezrahel, quod recensui initio capit. Eo enim alludit, quasi dicit: In hac valle sentietis Jezrahel, hoc est: *primo*, זְרוּאֵל zeroa el, hoc est brachium Dei, vos feriens et occidens; *secundo*, quia ibidem erit Jezrahel, hoc est לִיזָרְעָא iizza ra el, id est asperget in vos malum et contritionem Deus; *tertio*, ibidem erit Jezrahel, id est אַלְזָרָא zara el, hoc est dispergens vos Deus in Assyriam omnemque ventum et plagam orbis. Alium sensum affert Leo Castrius: Vallis, inquit, Jezrahel, id est seminis Dei, puta Christi, est Jerusalem; quia Christus in Jerusalem docuit, vixit, crucifixus et mortuus est: q. d. Adhuc modicum, id est post parvum tempus, scilicet 40 post Christi crucem anno, « visi-

tabo sanguinem Jezrahel, » hoc est Christi a Judeis crucifixi, « super domum Jehu, » id est super decem tribus, « et conteram Israel, » id est Judaeos omnes tam ex decem, quam ex duabus tribubus, « in valle Jezrahel, » id est in Jerusalem per Titum. Succreverant enim post captivitatem decem tribus ex residuis captivitatis, itaque tam regnum Israel, quam Juda deletum est a Tito et Romanis. Verum hic sensus non est litteralis, ut ipse contendit, sed allegoricus et mysticus isque appositus. Si enim Deus sanguinem Jezrahel, id est Israel, vindicavit tam atrociter in domo Jehu; quidni atrocissime vindicaret sanguinem unigeniti Filii sui in gente Judaica, tam perfide et scelerate ab ea trucidati?

Tropologice, pari modo vindicabit Deus et puniet christianos impie viventes, qui, ut ait Apostolus, *Hebr. cap. x, 29*: « Filium Dei conculcaverint, et sanguinem testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt, et spiritui gratiae contumeliam fecerint. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. »

6. ET CONCEPIT ADHUC, ET PEPERIT FILIAM. — Quia Israelitae duri erant et obstinati, hinc multis Prophetarum ictibus tundendi erant. Priori ergo filio et oraculo tristi additur hic secundum oraculum et portentum, æque triste et minax, imo tristius et minaci; quasi secundus aries, qui ferrea eorum pectora feriat et quatiat. Audi S. Cyrillum, lib. VI *Glaphyrorum*: « S. Oseas, inquit, meretrem duxit uxorem, neque infames deprecatus est nuptias, et passus est se esse patrem infamium liberorum, quorum nomina fuerunt, Non populus meus, Non consecuta misericordiam. Prophetarum prædictionibus adversabantur Israelitæ, neque recipiebant, neque legebant legem Dei. Jubebat ergo Deus facere ea quæ velut picturæ essent rerum futurarum, ut velut in tabula quadam futura plane et aperte depingerentur, ut in aures et in oculos vel nolentium incurrent, ut qui saperent diligenter potiora: ut quos possent ab impietate abducerent. » Quoties enim Israelitæ has proles prophetæ, toties seipso quasi in imagine intuebantur; et quoties eas nomine suo compellabant, toties seipso suaque fata sibi a Deo decreta nuncupabant et recensebant; v. g. cum vocantes hosce pueros dicebant: *Veni huc Lo rachuna*, id est *Absque misericordia*; ades dum *Lo ammi*, id est *Non populus meus*, tacite sibi ipsis dicebant et cogitabant: « Mutato nomine de te fabula narratur. » Tu es quem puer hic repræsentat, tui ille personam gerit. Tu ergo es non populus Dei, tu es absque misericordia, quem Deus rejecit et reprobavit.

FILIAM. — Filia hæc idem repræsentat quod primus Osee filius Jezrahel, scilicet Israelis sive decem tribuum vastationem. Sed cur primus est filius, secunda filia? Respondeo, causa physica est, quia solent conjuges nunc filios, nunc filias generare. Causa symbolica est *prima*, ut repræ-

sentet tam viros, quam feminas, utpote idololatriæ participes, hac clade involvendas; *secunda*, filia repræsentat infirmitatem et debilitatem Israelitarum, qua ob peccata non tam viri, quam feminæ facti, Assyriis non potuerunt resistere: ita S. Hieronymus, Chaldaeus, Cyrillus, Haymo, Hugo et Rabbini; *tertia*, hi tres filii repræsentant idem, scilicet Israelitarum cladem et excidium, sed simul repræsentant hujus cladis tres quasi partes et gradus. Itaque *primus* Jezrahel repræsentat stragem stirpis Jehu, uti expresse dicitur vers. 4: nam regnante ea stirpe validum adhuc et quasi masculum erat regnum Israel. Jehu autem stirps excisa est in Zacharia abnepote, quem occidit Sellum tyrannus. *Secunda* filia repræsentat statum debilem et infirmum, quem habuit regnum Israel post Zachariam sub Sellum, Manahen et Phacea regibus Israel, quando Salmanasar multis rapinis, cladibus et captivitatibus ita attrivit et attenuavit regnum Israel, ut jam inclinaret ad ruinam. *Tertius* filius repræsentat plenam gentis stragem et regni excidium sub Phacee penultimo, et sub Hosée ultimo rege Israel Ita Isidorus Clarius et R. David. Phacee enim rex impius et crudelis centum Judæorum millia occidens, et Jerusalem cum Rasin rege Syriæ obsidens, concitavit in se suumque regnum Israel iram Dei, ejusque excidium acceleravit, ut prædictus Isaías, cap. VIII, 6 et seq. Possent quoque tres hæc proles repræsentare tres reges Assyriorum, scilicet Phul, Teglatphalasar et Salmanasar, qui vastarunt et carpserunt regnum Israel, donec Salmanasar, capta Samaria, illud plane evertit.

ET DIXIT (Deus) **EI** (Osee): **Voca Nomen ejus, ABSQUE MISERICORDIA**, — ut per hanc prolem significet Israelitas misericordia Dei indignos et incapaces, justo Dei decreto certo exitio esse destinatos; unde explicans subdit: « Quia non addam ultra misereri domui Israel; » Septuaginta: *Non addam ultra ut diligam eos*, q. d. Sæpius antehac Israelitis ob peccata afflictis et pœnitentibus misertus sum, dum eis nisi Gedeonem, Samsonem, Davidem, aliosque reges et judices, sive vindices populi: at nunc quia peccandi et idololatriandi finem nullum faciunt, et quia in sceleribus suis sunt obstinati et impœnitentes, eorum amplius non miserebor, sed sine ulla spe veniæ aut misericordiæ, tradam eos gladio et igni Assyriorum.

Hebraice pro *Absque misericordia* est, לֹא רָחוּם, *Lo rachuma*. Hoc ergo fuit nomen proprium filiæ Osee. Censem Arias τὸ *lo*, id est *non*, scilicet miserebor, ad Israel sive decem tribus spectare; τὸ vero *rachuma*, id est *misericordiam consecuta*, spectare ad Juda; de quo subdit: « Et domui Juda miserebor: » quia Juda ex captivitate rediit, non Israel. Verum hoc subtilius est, quam solidius; τὸ enim *lo rachuma* unicum est nomen, unumque significat, scilicet Israelis derelictionem a Deo: quare τὸ *lo a rachuma* divelli nequit. De Israele

Cur filia,
non filia?
liu?

enim proprie hic agitur, non de Juda; obiter vero tantum additur illud : « Et domui Juda miserebor, » ut per hoc Israelis pœna augeatur, dum se solum exitio destinatum, sibique vindictam, Judæ vero vicino et fratri suo misericordiam parari audit.

SED OBLIVIONE OBLIVISCAR EORUM. — Hebraice בְּנֵי נָסָא לְהַבְּנָה ki nasa essa lahem, quod varie vertitur : Hebræum enim נָסָא nasa varia significat, scilicet portare, tollere, elevare, parcere.

Quocirca primo, Chaldaeus vertit : *Si résipuerint parcendo parcam eis.* Sed haec versio repugnat nomini, *Absque misericordia.*

Secundo, Vatablus vertit : *Tollendo tollam eos a facie mea.*

Tertio, R. David : *Elevando elevabo super eos, scilicet, hostes Assyrios.*

Quarto, Septuaginta non verbo tenuis, sed sensum reddentes vertunt : *Adversans adversabor eis, vel potius, ut alii legunt, aversans aversabor eos.*

Quinto, alii : *Exportando exportabo eos in captivitatem.*

Sexto, alii : *Decipiendo decipiam eos, vel seducendo seducam eos.* Hebræum enim *nasa*, si scin habeat punctum in dextro cornu, significat seducere, decipere.

Septimo, Noster et alii vertunt : *Obliviscendo obliviscar eorum,* id est plane et omnino obliviscar eorum ; eradam eos ex mea memoria, ut nunquam amplius velim de eis cogitare aut loqui. Hebræum enim *nasa* per *he* significat oblivious. Litteræ enim *aleph* et *he* apud Hebræos sunt commutabiles, et sæpe una pro alia ponitur.

Nota catachresin. In Deo enim proprie nullius rei est oblivio, utpote qui summa pollet sapientia, cuique omnia et præterita et futura objective semper præsentia sunt : dicitur tamen oblivious, cum abjicit, negligit, et derelinquit aliquem, ita ut hominibus videatur ejus esse oblitus. Sicut ergo irasci dicitur, cum punit ; recordari, cum benefacit ; dormire, cum differt vel pœnam, vel præmium : ita oblivious, cum negligit et abjicit. Pulchre S. Augustinus, lib. I Confess. cap. IV : « Amas, inquit (o Domine), nec æstucas, zelas, et securus es ; pœnitet te, et non doles, irasceris et tranquillus es ; opera mutas, nec mutas consilium. »

Moraliter ingens est pœna peccatoris, cum Deus illius obliviousit : quia signum est ejus impenitentiae et obstinationis, æque ac derelictionis et reprobationis divinæ. Talis ergo nihil gratiæ, nihil sapientiæ, nihil boni exspectare potest a Deo, a quo, quasi a sole, omnis lux et omne bonum dimanet necesse est. Causa hujus obliviousis Dei est, quod peccator prius obliviousatur Dei ; quæ ei omnium malorum est causa. Unde ut hanc sui oblivionem Deus populo excusat, clamat per Jeremiam, cap. II, 32 : « Numquid obliviousetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ ? populus vero meus obli-

tus est mei diebus innumeris. » Et Isaias, cap. XVII, 10 : « Oblita es Dei Salvatoris tui. » Et cap. LI, 13 : « Oblitus es Domini factoris tui. » Et cap. XLIV, 21 : « Memento horum Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu : formavi te, etc., ne obliviouscaris mei. » Ex adverso orat Psaltes, Psalm. XIII, 4 : « Usquequo, Domine, obliviouseris me in finem ? » Et Psalm. XLI, 10 : « Quare oblitus es mei ? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus ? » Porro hanc pœnitentiam inflict Deus peccatori juste et congrue : qui enim obliviousit Dei, lege talionis meretur vicissim ut Deus ejus obliviousatur.

Vis ergo ut Deus tui non obliviousatur, sed jugiter recordetur ? noli ejus obliviousi, sed jugiter ejus recordare, semper eum ante oculos et in mente habe. Hinc beatæ Catharinae Senensi hoc dogma dedit Christus : « Filia, recordare mei, et ego recordabor tui. De me semper cogita, et ego de te pariter cogitabo ; » ita habet ejus Vita. Quocirca S. Dominicus suis edicebat, « ut continuo cum Deo, vel de Deo loquerentur. » Et S. Thomas Aquinas dicere solebat : « Religiosus non est, qui non semper in mente habet Deum. » Hoc est quod clamat Propheta, Isai. LXIII, 7 : « Miserationum Domini recordabor. » Et Jeremias, cap. LI, 50 : « Recordamini procul Domini. » Ita Jonas in ventre ceti, cap. II, 8 : « Cum angustiaretur, ait, in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea : » et mox Deus vicissim ejus recordatus, « dixit pisci, et evomuit Jonam in aridam. » Rursum Psaltes fructum hujus memoriæ significat, dum ait Psalm. LXXVI, 4 : « Memor fui Dei, et delectatus sum. » Et Psalm. CXIII, 12 : « Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis. » Ergo cum Isaia, cap. XXVI, 8, assidue dicamus : « Domine, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. »

7. ET DOMUI JUDA MISEREBO. — Quia Juda licet Vers. 7. aliquos habuerit impios reges, et nonnullos e populo, multos tamen habuit fideles et pios reges, quos secutus est populus : ut Josaphat, Oziam, Ezechiam, Josiam et præsertim David, cui Deus promisit et juravit, Psalm. LXXXVIII, misericordiam et regnum stabile, ac Christum ex ejus semine nasciturum. Israel vero cum omnibus suis regibus a primo Jeroboam, usque ad ultimum Hosee per annos 256, continue coluit idola, puta vitulos aureos in Dan et Bethel, ideoque Deus ejus misereri noluit, sed eum funditus excedit ; secundo, quia ex Juda nasciturus erat Christus, ita enim decreverat Deus ; unde subdit : « Et salvabo, » etc. Nota : In Deo nulla est passio, sed sola omnisque virtus. Misericordia ergo qua virtus, est in Deo, non qua passio. Misericordia enim in Deo est affectus benevolentiae, quo cupit succurrere misericordie nostræ, eamque levare et tollere, vel certe mitigare. In ho-

Misericordia
qua virtus,
est in Deo,
non qua
passio.

minibus vero est virtus, et simul est passio, concitans teneritudinem animi, compassionem et sensum miseriæ alienæ, lacrymas, planctum, etc., quæ in Deo esse nequeunt. Deus enim est ἀπαθής et impassibilis. Quocirca vere Lactantius, lib. *De ira Dei*, cap. xvi, reprehendit eos qui nullum animi motum, nullum affectum putant esse in Deo, ac subdit: « Et quia sunt aliqui affectus qui non cadunt in Deum, ut libido, timor, avaritia, mœror, invidia, omni prorsus affectu eum vacare dixerunt; his enim vacat, quia vitiorum affectus sunt; eos autem qui sunt virtutis, id est ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna, proprios, et justos, et veros habet. »

Unde et Ecclesia orat: « Deus cui proprium est misereri semper et parcere, » etc. In Deo ergo est verus et proprius actus misericordiæ, æque ac charitatis, sapientiæ, aliarumque virtutum. Deus enim cum sit vita, habet hosce actus vitales virtutum; sed hi non sunt in eo accidentia, ut sunt in nobis, sed sunt idem cum ejus essentia. Hæc enim cum sit immensa, et infinitæ virtutis, perfectionis et activitatis (est enim ipsa actus quidam immensus et efficacissimus), in se continet et absorbet omnes actus virtutum, qui in angelis et hominibus sunt divisi et discreti, quia finiti et terminati. Sicut ergo mare absorbet omnia flumina, nec iis augescit vel intumescit, quia vastum est et quasi immensum, ut ejus respectu flumina sint instar guttæ, quam illico sorbet; ita et divinitas est mare, quod omnes dotes et perfectiones sorbet, aut potius in se continet. Rursum, sicut divina essentia ob sui immensitatem eadem est cum Patre, et eadem cum Filio, et eadem cum Spiritu Sancto, quæ sunt tres personæ distinctissimæ et realiter diversæ, ita multo magis eadem essentia divina identificatur cum intellectu, voluntate, amore, aliisque potentiis et actibus divinis, tum circa se, tum circa creaturas. Cum enim ipsa quaquaversum plene et plane sit infinita, hinc nihil prorsus ei addi potest; quia quidquid cogites vel optes, jam ante in ipsa exstitit, illudque ipsum communicat creaturis sine ulla sui imminutione vel mutatione. Tanta enim est in ipsa omnis boni plenitudo, ut nulla fingi possit accessio; tanta firmitas, ut nulla diminutio. Quidquid ergo in tota multitudine angelorum, hominum, et creaturarum omnium sparsim habetur boni; id totum in Deo est collectum in simplicem unitatem, idque sine limitatione et infinite. Hinc fit ut Deus per simplicissimam suam essentiam formaliter sit sapiens, justus, misericors, etc., adeoque sit ipsa sapientia, bonitas, justitia, misericordia, etc. Ipsa ergo essentia Dei per se præstat sola, quod in creaturis præstant bonitas, sapientia, misericordia, aliæque plurimæ et diversissimæ virtutes, sed modo eminentissimo et illimitato. Quis jam non amet hoc bonum in quo omne bonum? imo quis

amet aliud bonum, quod cum eo comparatum umbra est, et potius privatio boni quam bonum?

Et SALVABO EOS IN DOMINO DEO SUO.—Id est per Dominum, ope et viribus non ipsorum, sed Domini. Nota hebraismum: Hebræi enim de se loquuntur in tertia persona, ac si de aliquo alio loquerentur. Sic dicitur *Genes. cap. xix, 24*: « Dominus pluit super Sodomam ignem a Domino, » id est a se ipso. Et *Num. cap. xii, 7*: « At non talis servus meus Moses, qui, etc., palam Dominum, » id est me, « videt. »

Chaldæus verit: *Salvabo eos per verbum Domini Dei sui*, id est per Dei promissionem fidelem et firmam, qua salutem a se promissam reipsa præstabit. Mystice per verbum, id est per filium suum, qui ex Judæis carnem assumet et homo nasceretur, q. d. Salvabo eos per Jesum, id est salvatorem mundi. Ita S. Hieronymus et S. Hilarius, lib. IV *De Trinit.* sub finem. Imo Leo Castrius ad litteram putat Prophetam hic loqui de Christo, qui salutem attulit Judæ, id est credentibus, et repulit Israel, id est incredulos. Verum patet ex dictis, hæc allegorica esse, non litteralia. Porro licet hæc verba sint generalia et communia toti Sanctæ Trinitati, tamen mystice appropriari possunt Filio: illi enim appropriatur salus, liberatio et redemptio. Quæres, de qua salute Judæ ad litteram loquitur hic Propheta? Primo, S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Theodoretus, Rupertus, Lyranus, Hugo et Vatablus putant eum loqui de ea qual liberavit Ezechiam, et duas tribus a manu Sennacherib, occidendo in ejus castris una nocte per angelum 185 millia Assyriorum, lib. IV *Reg. cap. xix.*

Secundo et potius, loquitur Propheta de salute, quam Judæis attulit Cyrus liberans eos e captivitate Babylonica. Hæc enim longe major magisque optata, jucunda, plena, et universalis omnium fuit salus: et in hac recte Juda opponitur et anteponitur Israeli, qui nunquam ex captivitate Assyriaca rediit. Ita iidem auctores paulo ante citati (1).

Nota: Duas tribus, scilicet Juda et Benjamin, sub Cyro eos laxante ex Babylone rediisse in Judæam, certum est ex I *Esdrae*, cap. i. Idem de decem tribubus quæ ante duas abductæ erant in Assyriam, scilicet eas inde rediisse in Samariam, censem S. Cyrilus in *Osee xi*, Theodoretus et Theophylactus in *Osee iii*. Verum contrarium, scilicet has ex Assyria nunquam rediisse, patet ex hoc loco, et ex III *Reg. cap. xvii, 23*, et ex Josepho lib. XI *Antiq. cap. v*. Estque communis

(1) Quam sententiam illa ratio videtur confirmare, quod cum dixisset Deus vers. 4, regnum Israel esse delendum, et quidem absque misericordia, nunc opponit regni Judæ meliorem conditionem, qua post exsilium fruituri sint cives ejus. Illam vero populus non est consecutus strepitu militari, sed Cyri atque Darii benevolentia, quorum Deus mirifice affectis animos in Judaicum populum.

S. Hieronymi hic et in *Malach.* II, Catholicorum
æque ac Hebraeorum omnium sententia.

An de-
cem tri-
bus ex
Assyria
redie-
rint?

Dices, eas reddituras prædictit hic Osee, vers. 11, et cap. XI, 8 et seq., et cap. XIII, 9, et cap. XIV, 6, ac Ezechiel cap. XXXVII, 16 et 22, et Jeremias cap. L, 4, ac Tobias cap. XIV, 6, dicens : « Prope erit interitus Ninive : et fratres nostri qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam. » Respondeo : Osee, Jeremias, Ezechiel loquuntur de reditu et libertate spirituali (non corporali) quam multi ex Israelitis, æque ac ex Judæis, adepti sunt per fidem in Christum, de quo plura inferius. Tobias vere loquitur de reditu Judæorum non in Samariam, sed in Jerusalem. Ait enim : « Domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur : ibique revertentur omnes timentes Deum, et relinquent gentes idola sua, et venient in Jerusalem, et inhabitabunt in ea. » Fateor tamen non paucos ex Israelitis sive Samaritis, excisa Ninive ubi detinebantur captivi, fugisse in Jerusalem, ibique cum Judæis in templo coluisse Deum ; et hoc videtur innuere Tobias, cum post excisam Niven statim subjungit : « Et fratres nostri, qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam. » Verum hæc reversio fuit privata paucorum fūgentium, non communis et publica, quia nec auctoritate publica Assyriorum vel Chaldaeorum, nec communi consilio et conspiratione Israelitarum peracta est (uti Judæorum reversio e Babylone facta est auctoritate Cyri, et communi populi consensu, duce Nehemia et Esdra); sed quisque vel mansit in Ninive, vel rediit in Judæam, vel alio migravit, prout cuique libuit, vel commodius fuit. Simili modo anterius non pauci Israelitæ fideles et pii, fugientes idololatriam Jero-boam et cladem Israeli instantem, ex Samaria fugerunt in Judæam, ibique sedem fixerunt, ut patet II *Paral.* XI, 56, et cap. XV, 9, et cap. XXX, 1, et ex Josepho lib. VIII *Antiq.* cap. III. Hi cum Judæis in Babylonem abducti, indeque cum iis reducti, postea valde multiplicati sunt. Multi etiam in ipso excidio Samarie profugerunt in vicinam Judæam. Multi etiam pauperiores relictæ sunt in Samaria, ad eam colendam, cum cæteri ducentur in Assyriam; sicut in excidio Judææ et Hierosolymæ, Chaldaeæ in ea reliquerunt aliquos Judæos, ut essent vinitores, agricolæ, etc., ut patet IV *Reg.* cap. ult. 12. Unde his, puta ex Zabulon et Nephtalim prognatis, prædicavit Christus *Matth.* IV, 13, et ex his plerosque Apostolos elegit, ut patet *Psalm.* LXVII, 28, et *Isaiæ* IX, 1. Hinc et Anna prophetissa, quæ erat ex tribu Aser, habitabat in Juda et Jerusalem, *Luc.* cap. II, vers. 36.

Vers. 8.

8. ET ABLACTAVIT EAM.—Hæc ablactatio filiæ typice significabat pari modo Israelitas privandos esse lacte, id est doctrina, oraculis, promissis, lege, gratia, omniisque favore et consolatione Dei; ita S. Hieronymus, Haymo, Lyranus et Vatablus, ac jugi captivitati tradendos, in qua Gentilium

cibis, moribus et ritibus sustentarentur. Ita Ru-pertus et a Castro.

8 et 9. ET CONCEPIT, ET PEPERIT FILIUM (puta ter-tiam prolem). Et DIXIT EI (scilicet Deus Osee, ut patet vers. 4) : VOC A NOMEN EJUS, NON POPULUS MEUS. — Nomen ergo tertiae prolis erat לְעֵמִי Lo ammi, id est Non populus meus. Jam primo, Rufinus et Albertus putant hanc prolem significare duas tribus, puta Judæos in Babyloniam captivitatem a Deo abjectos; Vatablus et Arias eosdem a Tito et Romanis plane excisos. Verum hoc cap. vaticinatur Propheta excidium Israelis, sive decem tribuum; non duarum, sive Judæorum. De his enim paulo ante contrarium dixit vers. 7, nimirum : « Domui Juda miserebor, et salvabo eos. » Secundo, alii putant hic significari Cuthæos, id est Assyrios, qui ex Cuth aliisque locis a Salmanasar translati sunt in Samariam, cum ipse inde Israelitas in Assyriam abduceret. Cuthæi enim non fuerunt populus Dei, quia cum Deo Israel coluerunt idola Assyriorum, ut dicitur IV *Reg.* XVII, 41. Verum Cuthæi non fuerunt Isralitæ, sed Gentiles. Pergit ergo Propheta prophetae de excidio et vastitate Israclis, sive decem tribuum, earumque omnimodam abjectionem et reprobationem a Deo, tertiae hujus prolis nomine repræsentare jubetur, quod scilicet Israel amplius non sit futurus populus Dei, sed gentium et idolorum, atque inter gentes victurus, ibique prole et robore crescens, quasi puer masculus in gentilismo vir fortis et robustus sit evasurus. Ita S. Cyrillus, S. Hieronymus, Theodoreetus, Chaldaeus, Rupertus, Haymo et alii. Sic ex ad-verso Isaías, cap. VIII, 3, a Deo jubetur vocare filium suum, *Sear Jasub*, id est reliquæ convertentur; ut significet reliquias Judæorum ad Deum et Christum convertendas, ut ibidem dixi. Talia nomina prophetica, et quasi omina a Deo indita, crebra sunt in Scriptura, ut : « Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, » *Matth.* XVI, 18. Sic Christus Jacobum et Joannem vocavit Boanerges, id est filios tonitrui, tonantes scilicet et fulminantes. Sic Isaías, cap. VIII, 1, nomen pueri Emmanuelis dicit fore : « Acceler a spolia detrahere, festina prædari. » Simili schemate dixit Poeta :

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Et Virgilius, *eclog. IV*, Julium Cæsarem 23 vulneribus in curia confossum vocat Daphnidem, ejusque apotheosin canit :

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes, et sidera Daphnis.
Ipsa sonant arbusta : Deus, Deus ille Menalca.

Porro gentiles sæpe ab eventu vel præsenti, vel futuro nomina accipiebant, vel commutabant. Sic apud Græcos, teste Cicerone, lib. *De Orat.*, Tyrta-mus, postea ab eloquentia Euphrastes, tandem a divinitate loquendi Theophrasti nomen invenit.

Plato prius vocatus Aristocles. Philosophorum Homerus, qui ab avo Aristoclis nomen acceperat, a pectoris latitudine, vel potius a latissima felicissimi ingenii ad disputandum copia, Plato fuit appellatus, teste Plutarcho in *Platon.* Apud Romanos ille Tyrius, qui prius Malchus (quod prisca Hebræorum et Phœnicum lingua regem sonat) dicebatur, demum Longino Cassio præceptor suo id volente, a regum purpura Porphyrium se transnominavit. Ita Porphyrius in *Vita Plotini.* Ita et Imperatores recens creati nova accipiebant vel nomina, vel cognomina. Severus Afer, ut populo Romano placeret, Pertinacis; Julianus, ut militibus voluptuariis satisfaceret, Commodi cognomen accepit. Ita Herodianus, lib. II. Sic nunc in sacramento Confirmationis cuique licet nomen suum permutare; quin et in ingressu Religionis multi illud permuntant, ut v. g. apud Franciscanos Francisci, apud Dominicanos Dominici, apud Benedictinos Benedicti nomen accipiant, ut fundatorum Ordinis sui virtutes cum nomine semper ante oculos ponant, easque æmulari et moribus exprimere conuentur.

QUIA VOS NON POPULUS MEUS, ET EGO NON ERO VESTER. — Hebraice, *ego non ero vobis*, scilicet, Deus, gubernator, tutor, provisor, nutritor, pater, mater, uti hactenus fui. Quanta sit felicitas et benedictio esse populum Dei, Deumque habere patrem; ex adverso quanta sit infelicitas non esse populum Dei, Deumque habere hostem, fuse describit Moses in *Levitico*, toto cap. xxvi, et in *Deuter.*, toto cap. xxviii. Mystice tres proles sunt tres gradus peccatorum. Mystice haec tres proles significant tres gradus peccati, et tres gradationes peccatoris, quibus sensim ruit in gehennam. Prima enim proles Jezrahel, id est semen Dei, scilicet perditum et effusum, ac quasi occisum, ut dixit vers. 4, significat *primum gradum peccati*, quo peccator suis illecebris intentus negligit et non curat monitiones, conciones, inspirationes Dei, ideoque Deus illas suamque gratiam sensim ei subtrahit. Hinc descendit ad *secundum gradum*, qui est impenitentia et obstinatio, ut sit absque misericordia. Inde ruit ad *tertium*, ut non sit e populo Dei, sed a Deo reprobatus trudatur in gehennam.

Vers. 10. **10. ET ERIT NUMERUS FILIORUM ISRAEL QUASI ARENA MARIS, QUÆ SINE MENSURA EST, ET NON NUMERABITUR.** — Hic alio transit Propheta, et a tristibus ad læta de more se convertit. Unde Hebrei et Lyranus hic inchoant caput secundum. Quocirca minus recte Theodoretus et Cyrillus haec connectunt præcedentibus per exaggerationem hoc sensu, q. d. Firmum manet manebitque meum decretum de excidio Israelis, etiamsi ille cresceret ut arena maris, fieretque innumerabilis. Nam contrarium significat *non erit*, et quæ sequuntur. Itaque hoc loco assurgit Propheta ab Israele carnali ad spiritualem, a bonis terrenis ad cœlestia et divina. Ne quis enim objiciat, dicatque: Quomodo, o Propheta, prædicis Israel perdendum et exscin-

dendum, cum Deus Abrahæ promiserit semen ejus, puta Israelem, fore instar arenæ maris innumerabilem, *Genes.* xxii, 17; occurrit et respondeat, id verum ratumque esse et fore, sed in Israele spirituali, non carnali.

Quæres, quando et per quem impleta sit haec prophetia? **Primo**, Hugo censem impletam esse per Ezechiam, qui in *Paral.* xxx, unde quaque Israelitas evocavit ad colendum Deum in Jerusalem; item per Josiam, qui instituit solemne pascha, ad quod tam Israelitæ quam Judæi undique confluxerunt. Hi ergo tunc caput unum sibi constituerunt, scilicet pium regem Josiam, vel Ezechiam.

Verum Ezechias convocabat Israelitas initio regni sui, cum nondum esset excisa Samaria, nec dispersi Israelitæ. Osee autem loquitur hic de Israelitis jam dispersis, imo rejectis, a Deo rursum congregandis; Josias vero post excisam Samariam eos dispersos quidem congregavit, sed paucos; at Osee ait eos fore innumeros.

Secundo, Ruffinus, Theodoretus et Hugo putant impletam esse sub Cyro; tunc enim Israelitæ mixti Judæis, duce Zorobabele, e Babylone redierunt in Jerusalem. Verum et hi perpauci fuerunt.

Dico ergo **PRIMO** prophetiam hanc impleri cœptam esse a Christo, qui tam Israelitis quam Judæis per se evangelizavit; prædicavit enim in Galilæa et Samaria, ac nominatim in terra Zabulon et Nephtali, ut ait S. Matthæus, cap. iv, 15; indeque suos evocavit et collegit Apostolos. Rursum paulo post Samaria per Philippum recepit verbum Dei, quocirca eo missus est S. Petrus et S. Joannes, *Act. cap. viii.* Adde, in dies plures ex Israel convertuntur. Denique omnes Israelitæ convertentur in fine mundi, ut ait Apostolus *Rom. xi*, 26, tuncque perfecte implebitur haec Osee prophetia. Ita S. Hieronymus et Christopherus a Castro hic. Verum quia hi Israelitæ sunt eruntque pauci, nec possunt dici innumerabiles, hinc

Dico **SECUNDO**, sub Israelitis intelligi quoque gentiles conversos ad Christum, in iisque perfecte impleri hanc prophetiam. Hi enim sunt innumerabiles, et hi sunt veri Israelitæ secundum spiritum, non secundum carnem; quia secundum fidem sunt filii Abrahæ et Israelis, et consequenter benedictionis et bonorum a Deo utrique promissorum hæredes. Per fidem enim cooptantur in familiam Abrahæ et Israelis; ideoque vocantur et coram Deo sunt filii Israel, sicut filii adoptati civiliter, vocantur et sunt filii et hæredes adoptantis. Sensus ergo est, q. d. Licet dixerim Israelitas secundum carnem exterminandos et projiciendos a Deo, tamen promissio Abrahæ facta, *Genes. cap. xxii*, 17, qua ait: « Benedic tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et velut arenam, quæ est in littore maris; » non excedet nec erit irrita, quia eorum loco in familiam

Abrahæ succedent et adoptabuntur alii qui ex gentibus credent in Christum, eruntque filii Abrahæ secundum fidem et spiritum; hi enim erunt instar arenæ maris quasi innumerabiles. Id ita esse patet primo, quia Apostolus, *Roman. ix.* 25, diserte hunc Osee locum explicat de gentibus, ex eoque contra Judæos probat non solum Judæos, sed et gentes Christi vocationis et gratiæ participes fore: « Quos et, inquit, vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus, si-
cut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi. » Deinde Israelitas, sive Judæos quoque vocandos et salvandos per Christum, sed paucos, non innumerabiles, probat ex Isaia dicens: « Isaias au-
tem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquæ salvæ fient, » etc. Quid clarius?

Dices: Osee verba ad litteram intelligenda sunt de Israelitis naturalibus, Apostolus vero per analogiam et similitudinem tantum accommodat ea gentibus; quia uti Israelitæ, ita et Gentiles non erant populus Dei, sed a Christo vocati facti sunt populus Dei, uti explicant S. Chrysostomus, Theophylactus et Christophorus a Castro. Verum hoc dici nequit. Nam *primo* Apostolus didac-
tice loquitur, et contra Judæos scholastice argumen-
taatur, probatque ex hoc loco Osee gentes
vocandas a Christo; ergo de gentibus vere et pro-
prie locutus est Osee. Alioqui enim respondissent
Paulo Judæi, hocque ejus argumentum elusis-
sent dicendo: Osee loquitur de Israelitis tantum,
non de gentibus; ergo tu, o Paule, perperam et
falso trahis, imo de'orques ejus verba ad gentes.

Secunde, quia Apostolus clare alibi docet benedi-
ctionem Abrahæ et Israeli promissam, ac bona quæ Israelitis eorum posteris per Christum pro-
mittunt Osee aliique Prophetæ, non pertinere ad carnales Israelitas, sed ad spirituales, id est ad credentes tam ex Gentibus, quam ex Israelitis; optimus autem interpres Prophetarum est S. Paulus. Audi eum clare id pronuntiantem, *Rom. ix.* 6, itaque solventem et explicantem similia veteris Testamenti loca a Judæis objecta: « Non autem quod exciderit verbum (promissio posteris Abra-
hæ et Israeli facta) Dei; non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine, » etc.; et *Galat. iii.* 6: « Abraham credit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Cog-
noscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ (di-
cens): Quia benedicentur in te omnes gentes. Ig-
tur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli-

Abraham. » Ergo hæc Osee promissio pertinet ad gentes Israeli fidem imitantes et credentes in Christum.

Tertio, hæc est communis Patrum expositio; scilicet, per Israel hic tam intelligi gentes, quam Israelitas naturales ad Christum conversos. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Ruffinus, Haymo, Hugo, Albertus et alii hic, ac S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. LXXXIX; et sæpe alibi, Cyprianus, lib. I *Testimon. contra Judæos*, cap. xix; Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.* cap. xvi; Irenæus, lib. II, cap. iv; Prosper, lib. II *De Vocab. Gentium*, cap. xviii; Primasius, Anselmus et S. Thomas in *Rom. ix.*

Denique id ipsum verba sequentia plane si-
gnificant, quibus ait eos qui aliquando non erant
populus Dei, vocandos filios Dei viventis, con-
gregandos in unam Ecclesiam sub uno capite
Christo, ascensuros de terra, foreque hunc mag-
num diem Jezrahel; quæ omnia magis gentibus
fidelibus, quam Israelitis convenientiunt.

ET ERIT IN LOCO UBI DICETUR (id est dicebatur Vers. 10.) tam a Deo, quam ab hominibus, ita Vatablus; unde Septuaginta vertunt, *ubi dictum est*) EIS: NON POPULUS MEUS VOS; DICETUR EIS: FILII DEI VIVENTIS. — Locum hunc intellige non Chaldaeam, in quam abducti erant Judæi, uti vult Albertus; nec Jerusalem et Judeam, uti censem Haymo et Hugo; sed quemcumque locum in toto orbe ubi fuerint fideles et credentes Christo. Ita ex Chaldaeo S. Hieronymus et S. Augustinus, lib. I *ad Simplic.* Quæst. II, imo S. Petrus, *epist. I.* cap. ii. Scribens enim christianis dispersis per Bithyniam, Pontum, Galatiam, Asiam, etc., quibus ipse evangelizaverat, graphicèque explicans hæc Osee verba, ait: « Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. » Locus ergo hic est Ecclesia Christi ubivis gentium et toto orbe dispersa.

Filiatio
Dei quæ
et quant-
ata?

FILII DEI VIVENTIS. — Maxima est hæc hominis dignitas et sublimatio, per quam sumus divinæ consortes naturæ, ait S. Petrus. Vere S. Leo, serm. 6 *De Nativit.*: « Omnia, inquit, dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, et homo Deum nominet patrem. » Quocirca idem, serm. 1 *De Nativit.*: docet hominem debere imitari Deum Patrem, ejusque mores induere, ut vitam agat divinam, non terrenam, non animalem: « Agnosce, inquit, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenerare conversatione redire; » et serm. 6: « Genus electum et regium regenerationis sue respondeat dignitati: diligat quod diligit pater, et in nullo ab auctore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus illud *Isaiae* cap. i: Filios enutrixi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me; » sed sequatur illud Christi, *Matth. v.*: « Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus

est. » Hi ergo « non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt; » similes unigenito Dei, cui Pater ab æterno dixit: « Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Porro rō viventis habet emphasin, q. d. Non sunt deorum mutorum et mortuorum, non idolorum; sed Dei veri et viventis filii, qui est ipsa vita divina et increata, eamque illis aspirat et communicat.

Nota: In hac generatione et filiatione pater est Deus, semen est gratia præveniens, mater est voluntas ei consentiens et cooperans, proles est homo justus, anima est charitas. Rursum exemplar hujus filiationis est filiatio Verbi Dei; sicut enim Deus Pater ab æterno genuit filium sibi consubstantialem et æqualem per omnia, ita illius adinstar in tempore gignit filios, qui per gratiam sint id quod Filius Dei est per naturam. Nostra ergo filiatio est imago filiationis divinæ. Hoc est quod ait Apostolus, Rom. viii, 29: « Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; » et vers. 14: « Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. » Id ipsum probat subdens: « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et glorificemur. »

Porro, ut hanc Dei adoptionem profundius inspiciamus, ambiamus et suspiciamus, notandum est in ea non tantum animæ infundi gratiam, charitatem, aliaque dona Spiritus Sancti, sed etiam ipsum Spiritum Sanctum, qui est primum et increatum donum, quod Deus donat hominibus. Potuisse Deus in justificatione per gratiam et charitatem infusam nos tantum facere justos et sanctos, illaque magna fuisse Dei gratia et beneficentia, etiamsi nos in filios suos non adoptasset; sed hac non contentus, voluit nos ita facere justos, ut simul faceret et adoptaret in filios. Rursum hanc adoptionem facere potuisse, dando nobis solam charitatem, gratiam et dona creata; gratia enim est participatio divinæ naturæ in summo gradu, quantum scilicet deitas a creatura non tantum naturaliter, sed et supernaturaliter participari potest. Majus itaque priori fuisse hoc Dei beneficium. Verum eo non contenta immensa Dei bonitas, voluit simul nobis dare seipsam, ac per se nos sanctificare et adoptare. Quocirca Spiritus Sanctus sponte sua se annexuit suis donis, gratiæ et charitati, ut quandocumque ea infundit animæ, simul cum eis et per ea infundat seipsum personaliter ac substantialiter, juxta illud Apostoli: « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, » Rom. v, 5. Quocirca Apostolus eum vocat spi-

ritum adoptionis: « Non enim, inquit, accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimoniū reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; Si autem filii et hæredes, hæredes quidem Dei. cohaeredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et glorificemur, » Rom. viii, 15; et: « Qui cumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei, » ibid. vers. 14; et: « Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater, » Galat. iv, 6. Hæc ergo est summa Dei nostri dignatio, æque ac nostra summa dignitas et exaltatio, qua recipientes charitatem et gratiam, simul recipimus ipsam personam Spiritus Sancti, quæ se sponte charitati et gratiæ inserit et annexit, ac per ea nos inhabitat, vivificat, adoptat, deificat, agitque ad omne bonum. Vis majora? Accipe. Spiritus Sanctus, descendens personaliter in animam justam, secum adducit cæteras divinas personas, Patrem et Filium, utpote a quibus separari nequit. Tota ergo Trinitas personaliter et substantialiter venit ad animam quæ justificatur et adoptatur, in eaque quasi in suo templo manet et inhabitat, quamdiu illa in justitia perdurat, juxta illud I Joan. iv, 16: « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo; » et I Cor. vi, 17: « Qui adhæret Domino, unus spiritus est. » Hoc est quod Christus moriturus in divinissima illa oratione ad Patrem rogavit et impetravit, dicens: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, » Joan. xvii, 21, ut scilicet Spiritum Sanctum unum et eumdem participant, et in ipso uniantur, et per ipsum cæteris personis divinis; itaque in ipso omnes unum sint, quia Spiritus Sanctus, qui ab omnibus participatur, et qui in omnibus est, unus et idem est. Unde omnes in unica re individua unum sunt, scilicet in Spiritu Sancto, sicut tres personæ divinæ unum sunt in una natura divina, eaque singulari et individua. Ita explicat S. Cyrillus, lib. XI in Joan. cap. xxvi, S. Athanasius, orat. 4 Contra Arian., et ex eis Toletus. In justificatione ergo, et adoptione animæ infunditur gratia et charitas, ac cum iis Spiritus Sanctus, totaque deitas, et SS. Trinitas, quæ se hisce suis donis substantialiter quasi annexuit et inclusit, ut nos sibi substantialiter uniat, sanctificet, deificet et adoptet; qua adoptione primo accipimus summam dignitatem filiationis divinæ, ut reipsa non tantum accidentaliter per gratiam, sed et quasi substantialiter per naturam simus filii Dei, et quasi dī: Deus enim suam naturam realiter nobis communicaet et donat; secundo, per eamdem quasi filii accipimus jus ad hæreditatem cœlestem, puta ad beatitudinem omniaque Dei Patris nostri bona: tertio, per eamdem nanciscimur miram dignitatem operum et meritorum, ut scilicet opera nostra quasi filiorum Dei substantialium, ut ita dicam,

Fit per
Spiritum
Sanctum
qui per
sonaliter
datur fi-
liis Dei.

maximæ sint dignitatis, valoris et pretii, ac plane commensa et condigna suo præmio, puta æternæ vitæ et gloriæ coelesti, utpote quasi procedentia ab ipso Deo spirituque divino, qui nos inhabitat, ad eaque nos impellit, iisque cooperatur.

Ex dictis sequitur *primo*, quod justitia inhærens, sive gratia justificans, per quam sanctificamur et adoptamur in filios Dei, non sit una simplex qualitas, ut quidam imaginantur, sed multa complectatur, scilicet remissionem peccatorum, fidem, spem, charitatem, aliaque dona, ac ipsum Spiritum Sanctum donorum auctorem (ac consequenter totam S. Trinitatem). Hæc enim omnia in justificatione infusa accipit homo, ut ait Concilium Tridentinum, sess. VI, can. vii.

Deum substantialiter Sequitur *secundo*, falli eos, qui in justificatione et adoptione censemunt dari Spiritum Sanctum dunque novo modo taxat quoad sua dona, non autem quoad suam do inesse substantiam et personam. Contrarium enim docet *justo*.

S. Bonaventura in I Sent. dist. xiv, art. 2, *Quest. I*, qua tota ostendit Spiritum Sanctum non tantum in effectu, sed etiam in propria persona, quasi donum increatum justis dari, ut sit eorum perfecta possessio. Idem docet Magister Sententiarum, lib. I, dist. xix et xv, ex S. Augustino et aliis. Et Scotus, Gabriel, Marsilius ibidem. Idem clare asseverat S. Thomas, I part. *Quest. XLIII*, art. 3 et 6, et *Quest. XXXVIII*, art. 8, ubi ostendit Spiritus Sancti nomen proprium esse donum, quia ipse donatur omnibus justis. S. Thomam sequuntur ejus discipuli, ac nostri PP. Vasquez, Valentia, et maxime Suarez, lib. XII *De Deo trino et uno*, cap. v, num. 8, 11, 12, qui inde infert, quod Spiritus Sanctus novo modo secundum substantiam suam incipiat præsens esse in anima justi, quo ante non erat, citatque pro hac sententia S. Leonem, S. Augustinum, S. Ambrosium, adeoque eam certam esse asserit, ut contrarium dicere censeat esse errorem. Probatque ex S. Scriptura: I Cor. vi, 19: « Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, quem habetis a Deo. » Rom. v, 5: « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » I Joan. iv: « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » Joan. xiv: « Quem mittet Pater in nomine meo. » Et vers. 17: « Apud vos manebit, et in vobis erit. » Et vers. 23: « Ad eum veniemus, et mansio-nem apud eum faciemus. » Et Joan. XVI, 7: « Si abiero, mittam eum ad vos. » Rationem dat Suarez, num. 12: « Quia, inquit, dona gratiæ vi sua et quasi connaturali jure, postulant realem ac personalem præsentiam Dei in anima, per talia dona sanctificata: quia si per impossibile fingamus, Spiritum Sanctum non esse alias realiter præsen-tem intra animam, eo ipso quod anima talibus donis afficeretur, ipsemque Spiritus Sanctus veniret ad eam per præsentiam personalem, et maneret quamdiu gratia in illa duraret. » Simili modo, inquit, Verbum præsens est humanitati Christi, ut, si per impossibile antea non fuisset illi præ-

sens, jam per unionem hypostaticam illi fieret personaliter et intime præsens. Addit deinde rationem moralem, quod scilicet per gratiam fratrum perfectissima amicitia inter Deum et hominem, quæ postulat præsentiam amici, puta Spiritus Sancti, qui manet in anima amici sui, ut illi intime uniatur, in eaque tanquam in templo suo resideat, colatur, ametur et adoretur.

Ex hac communicatione ipsiusmet personæ Spiritus Sancti et divinitatis, sequitur animæ summa cum eo unio, elevatio, et quasi deificatio, ac consequenter adoptio perfectissima, scilicet non tantum per gratiam, sed et per substantiam divinam: quia per eam non tantum jus ad hæreditatem Dei Patris, sed et naturæ divinæ participationem, ipsumque Spiritum Sanctum ac Dei filiationem, non tantum accidentaliter, sed quasi substantialiter, eo sensu quo paulo ante dixi, adipiscimur. Sicut enim apud homines proprie pater dicitur, qui naturam suam filio communicat, sic Deus, dando nobis cum donis et per dona Spiritum Sanctum, naturam suam divinam communicat, eoque modo proprie et perfecte nos facit et adoptat in filios. Unde S. Basilius, hom. *De Spiritu Sancto*, ait Sanctos propter inhabitantem Spiritum Sanctum esse Deos. Dic-tum enim est illis a Deo: « Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes, » indeque probat Spiritum Sanctum esse Deum. « Necesse est enim, inquit, divinum esse Spiritum, et ex Deo esse, qui diis divinitatis est causa. » Jam sicut prioris adoptionis per gratiam causa formalis est ipsa gratia, ita hujus secundæ adoptionis, quæ fit per communicationem ipsius Spiritus Sancti, causa formalis est ipse Spiritus Sanctus animam justi in-habitans, medium vero est ipsa gratia.

Sequitur *tertio*, quod adoptio nostra licet in se una sit, virtute tamen sit duplex. *Prior* est, qua adoptamur in filios Dei per charitatem creatam, et gratiam animæ infusam. Hæc enim est summa participatio divinæ naturæ. *Posterior* est, qua per gratiam adipiscimur ipsum Spiritum Sanctum ejusque naturam divinam; ac per eum quasi deificamur, et in filios Dei adsciscimur. Porro utraque hæc adoptio hic inchoatur per gratiam, sed in cœlo perficietur et solidabitur per gloriam æternam, qua hæreditatis Dei possessionem reipsa nanciscemur (idque firme et immobiliter, sine ullo timore vel periculo eam unquam amittendi), Deoque intime uniemur et fruemur per visionem beatificam, qua novo modo Deus seipsum substantialiter animæ beatæ communicabit, illique intime et suavissime illabetur, seque insinuabit. De hac ait Apostolus, Rom. VIII, 23: « Ipsi intra nos gemimus adoptionem (id est adoptionis, puta hæreditatis ad quam adoptati sumus, pos-sessionem) filiorum Dei exspectantes. » Et S. Joannes, Apoc. XXI, 3: « Ecce, ait, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum

Deus. » Et vers. 7 : « Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. »

Sequitur *quarto*, quod, sicut Christus est Filius Dei naturalis, tum qua Deus per generationem æternam; tum qua homo per unionem hypostaticam; ita nos simus filii Dei adoptivi, sed longe nobilioris, quam sunt filii adoptivi hominum. Illi enim nihil physicum recipiunt a patre adoptante, sed tantum denominationem moralem, per quam jus ad ejus hæreditatem consequuntur: nos vero recipimus a Deo gratiam, et cum gratia ipsam Dei naturam, ut sicut apud homines pater proprie dicitur, qui alteri communicat suam naturam humanam, generatque hominem; ita Deus dicitur pater non tantum Christi, sed et noster: quia naturam suam nobis communicat per gratiam, quam Christo communicavit per unionem hypostaticam, ut ejus fratres nos efficeret, juxta illud *Rom. VIII*, 29 : « Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. » Et *Joan. I*, 12 : « Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, etc., sed ex Deo nati sunt. »

Moraliter, ex his disce quantum et quam inestimabile sit filiationis et adoptionis divinæ beneficium. Pauci illud tantæ dignitatis esse sciunt, quantæ jam esse ostendi: pauciores illud pondabant eo pondere quod meretur. Sane quisque in se illud venerabundus admirari deberet, ac doctores et prædicatores illud populo, eo modo quo jam exposui, explicare et inculcare, ut fideles et sancti sciant se esse templo animata Dei, seque Deum ipsum in corde portare: ac proinde divine cum Deo ambulent, et digne cum tanto hospite conversentur, qui ubique eos comitatur, ubique adest, ubique intuetur. Merito Apostolus, *I Cor. VI*, 19 : « An nescitis, ait, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro. » Et S. Leo, serm. 1 *De Nativit.*: « Agnosce, ait, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenerare conversatione redire. Memento cujus capit is et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Per baptismatis sacramentum Spiritus Sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, et diaboli te iterum subiucere servituti; quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te judicabit, quia misericordia te redemit. » Et S. Augustinus, serm. 24 *De Tempore*, tomo X : « Prima, ait, nativitas ex masculo et femina: secunda nativitas ex Deo et Ecclesia. Ecce ex Deo nati sunt. Unde factum est, ut habitaret in nobis. Magna mutatio: ille factus caro, iste spiritus. Quid est hoc? qualis dignatio fratres mei? Et erigite animum ad speranda et

capienda potiora, nolite adjicere cupiditatibus sæcularibus. Pretio empti estis: propter vos Verbum caro factum est, propter vos qui erat Filius Dei, factus est filius hominis, ut qui eratis filii hominum, efficeremini filii Dei. » Idem in *Psalm. LIII*: « Filii, ait, hominum sunt, quando male faciunt; quando bene, filii Dei. Hos enim facit Deus ex filiis hominum filios Dei, quia ex Filio Dei fecit Deus filium hominis. Vide quæ sit illa participatio divinitatis! Filius enim Dei particeps nostræ mortalitatis effectus est, ut mortalis homo fiat particeps divinitatis suæ. Qui tibi promisit divinitatem, ostendit in te charitatem. »

Audi et S. Cyrillum Hierosolymitanum, *cathech.* 7 : « Hoc itaque, ait, cognoscentes spiritualiter conversemur, ut adoptione Dei digni efficiamur. Qui enim spiritu Dei ducuntur, isti sunt filii Dei, etc. Ne forte et illud nobis dicatur, si filii Abraham essetis, opera Abraham faceretis. Si enim eum patrem vocamus, qui opus cuiusque sine personæ acceptance judicat, non sine timore, incolatus seu peregrinationis nostre tempus transigemus, non diligentes mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Qui enim diligit mundum, non est dilectio Patris in illo. Itaque dilectissimi Patrem cœlestem per opera glorificemus, ut videant opera nostra bona, et glorificant Patrem nostrum qui in celis est. Omnem sollicitudinem nostram in illum projiciamus: scit enim Pater noster, quibus opus habeamus. »

Audi et S. Ambrosium, lib. V *De Fide*, cap. III: « In quibus, inquit, Deus Filium suum ad imaginem suam cernit, eos per Filium adsciscit in gratiam filiorum: ut quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem filii in adoptionem vocemur. » Et mox: « Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Quod si ille secundum plenitudinem majestatis suæ perfectus est, nos autem perfecti secundum virtutis accendentis profectum. »

Hoc est quod admirans stupensque christianis inculcat S. Joannes, *epist. I*, cap. III, 1: « Videte, ait, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est. » Cogita in humanis quanta sit dignitas esse filium principis, regis, imperatoris (hic enim filius hoc ipso dignior est cæteris omnibus totius regni hominibus), et scito idem in divinis esse, censeri filium Dei. Esse ergo filium Dei in immensum amplius est, quam esse regem, pontificem, imperatorem, dominum cœli et terræ; imo quam esse angelum, archangelum, cherubinum, seraphinum. Quam ergo hæc filiatio Dei ambienda, quam suscipienda, quam sollicite conservanda, et, si amissa sit, recuperanda! Quantæ pro ea a quibet justo gratiæ Deo agendæ? Quanta fiducia, amore et reverentia ipse justus cum Deo, quasi

filius cum patre, jugiter agere et versari debet? Nimirum cum Noe, Enoch, Abraham, in generatione sua sit perfectus, ambuletque cum Deo; et angelis potius sit familiaris, quam hominibus. Vere S. Cyprianus, lib. *De Spectaculis*: « Nunquam, inquit, humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei. Dejicit se de culmine generositatis suæ, qui admirari aliquid post Deum potest. » Idem, tract. *De Orat. Nomin.*: « Quando, ait, Deum Patrem dicimus, quasi filii Dei agere debemus; ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat et ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare, ut qui cœlestes et spiritales esse cœpiimus, non nisi spiritalia et cœlestia cogitemus et agamus. »

Vers. 11. **11. CONGREGABUNTUR FILII JUDA ET FILII ISRAEL.** — Tum naturales, puta Judei et Israelitæ, qui convertentur ad Christum, ait S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Vatablus, Arias et a Castro; tum filii Juda et Israel secundum spiritum, puta gentiles, qui familiæ Judeæ et Israelis accensebuntur, in eamque transibunt, imitando Abrahæ fidem in Christum, itaque erunt ejus filii adoptivi: « congregabuntur, » inquam, in unam Christi Ecclesiam. Scio S. Augustinum locis citatis et Lyranum hæc duo distinguere, et per Israel accipere gentes, per Judam Judæos: ex adverso S. Hieronymum et Rupertum per Judam accipere gentiles, per Israel Judæos ad Christum conversos. Sed puto hac distinctione opus non esse; cum enim per Israel et Juda fundamentaliter intelligentur veri Israelitæ et Judæi, qui ad Christum convertentur; symbolice vero et mystice gentiles ad Christum convertendi, qui tam Judæis quam Israelitis conversis in una eademque Ecclesia associabuntur; non video ad quid, vel quomodo in Gentibus fidelibus ea distinguere debeamus, aut possimus. Quocirca censao in gentibus Israel a Juda non secerni; sed gentes tam Judeæ, quam Israeli fidi et credenti in Christum associari et accenserí, ac proinde eas tam Juda, quam Israel vocari.

ET PONENT SIBIMET CAPUT UNUM. — Puta Christum ducem et ductorem, ejusque vicarium Romanum Pontificem (1).

ET ASCENDENT DE TERRA. — Alludit ad redditum e captivitate Babylonica, uti notant Chaldaeus, Theodoretus et Hugo, q. d. Ut olim Judæi in Babylone depressi, et quasi mancipia curvato collo et capite incidentes, dum per Cyrum liberi effecti sunt, inde erecto capite lætabundi exierunt et ascenderunt in Jerusalem: ita e simili captivitate

(1) Intelligit ipse Rosenmuller cum Hebræis per *caput unum* Messiam: « Hoc principe, inquit, et noster vates et Ezechiel, cap. xxxvii, 22, et Michæas, cap. ii, 13, non Serubabel, ut quidam nugantur, sed *regem* eumque longe potentissimum sapientissimumque a Davidica stirpe oriundum innuere non est cur dubitemus. Nec aliter Hebræi. »

spirituali, qua sub peccato et dæmonis potestate incarcerati, tenebantur Judæi, Israelitæ et gentes, per Christum liberabuntur, indeque exibunt, et alacres ac lætabundi ascendent pergentque in terram promissam, puta in Jerusalem, id est in Ecclesiam tum militante in terris, tum per eam ad triumphantem in cœlis.

Vocatur hic transitus ab infidelitate, gentilismo et judaismo, ad fidem et Ecclesiam ascensus, primo, quia fuit e tenebris et carcere in lucem et civitatem, puta in Ecclesiam sublimem, et in admirabile lumen Dei, ut ait S. Petrus; secundo, quia fuit transitus a servitute in libertatem; servi enim curvi, depresso et quasi descendentes; liberi vero cervice erecta, et quasi ascendentes incedunt.

Tertio, vox ascendere notat christianorum vitam non esse terrenam, uti est infidelium; sed cœlestem, eosque a terris mente et conversatione condescendere in cœlum: « Nostra enim conversatio in cœlis est, » ut ait S. Paulus.

Quarto, addit Lyranus et Ribera, voce *ascendendi* significari incrementum et propagationem fidei et Ecclesiæ, q. d. *Fideles ascendent de terra*, id est crescent sensim, lateque se per universum orbem spargent et propagabunt instar fontis, qui e terra exsiliens eructat aquas, sed modicas, quæ tamen partim continua fontis eructatione, partim aliorum fontium et rivulorum confluxu ita crescunt, ut ingentem lacum vel flumen efficiant. Sic *ascendere pro crescere* capit, *Jerem. xlvi*, 7, ubi de Pharaone, ejusque copioso exercitu dicitur: « Quis est iste qui quasi flumen ascendit, et velut fluviorum intumescunt gurgites ejus? Ægyptus fluminis instar ascendit, et velut flumina movebuntur fluctus ejus, et dicit: Ascendens operiam terram. » Et de Nabuchodonosoris copiis, cap. xlvi, 2: « Ecce, inquit, aquæ ascendunt ab Aquiloni, et erunt quasi torrens inundans, et operient terram. » Sic Ezechiel, cap. xix, 3, ait: « Eduxit unum de leunculis suis, et leo factus est; » pro eduxit hebraice est *ascendere fecit*, id est exaltavit eum et promovit in regem. Et Psaltes, *Psalm. xcvi*, 9: « Nimis exaltatus es, » hebraice *nimis ascendisti* (o Domine) super omnes deos, hoc est præ omnibus gentium diis tuum robur et gloriæ exaltasti et dilatasti.

QUIA (hebraice **כִּי**, quod sœpe non est causal, sed assertivum et admirativum, idemque valet quod *sane*, *equidem*, *profecto*) **MAGNUS EST DIES JEZRAHEL.** — « Magnus, » id est celeberrimus, jucundissimus et felicissimus. Sic Romani magnos dies vocabant eos qui magnis molestiis, longisque laboribus et miseriis finem dabant, ideoque erant lætissimi, optatissimi et faustissimi. Sic de hoc eodem Osee die, puta de diebus Messiæ, cœnicit Sibylla apud Virgilium, *ecloga iv*:

Incipient magni procedere menses.

Sic Mathematici **Magnum annum** vocant eum,

Magnos
dies
Jezrahel
quis?

quo septem planetæ, expletis propriis cursibus, sibi concordant, de quo Cicero, lib. II *De Natura Deorum* : « Magnus, inquit, annus est, qui tenet duodecim millia quingentos quinquaginta quatuor annos, post quos Platonici dicebant omnium rerum fore redditum et revolutionem. » Ita Christus reduxit magnum annum, dum omnia reparavit, et ad primævam originem et felicitatem reduxit. Ex adverso dies parvi vocantur dies humiliationis, paupertatis et angustiæ, *Zachar.* IV, 10: « Quis, inquit, despexit dies parvos? » quibus scilicet Zorobabel parva et exilia jecit novi templi fundamenta.

Jam *Jezrahel*, id est semen Dei, vocatur populus Dei, sive Ecclesia ex Judæis, Israelitis et gentibus congregata, cuius caput est Christus, quem Apostolus, *Galat.* VI, 16, vocat « Israel Dei. » Sensus ergo est, q. d. Evidem magnus, illustris, faustus, admirabilis, et terque quaterque beatus erit ille dies, illud saeculum, quo Israelitæ et Judæi tum naturales, tum mystici et adoptivi, puta gentiles conversi ad Christum, antea dispersi et errabundi, congregabuntur in unum, ut fiant *Jezrahel*, id est unus populus, una Ecclesia, puta filii Dei viventis, ut ponant sibi unum caput Christum, et ascendere incipient de terra in cœlum. O quam felix, quam novus et nunquam visus, quam clarus et glriosus erit, quantamque mutationem singulis fidelibus totique orbi inducet dies ille, quo lo ammi fiet ammi, id est non populus meus, fiet populus meus; quo lo rachuma fiet rachuma, id est ea quæ erat absque misericordia, plena erit gratia et misericordia Dei. Ita Albertus, Haymo, Hugo, Lyranus et Vatablus. O quam salutaris, augustus, cœlestis et beatus erit dies ille, saeculum illud quo nascetur, prædicabit et regnabit *Jezrahel*, id est Filius Dei, puta Christus Dominus, qui *Jezrahel*, id est semen benedictum, puta plurimos filios fideles, sanctos et glriosos Deo paruit per prædicationem et cœlestem vitam, tum suam, tum Apostolorum suorum! Ita S. Hieronymus, Rupertus, Albertus, Leo Castrius, Emmanuel et Mariana.

Hinc dies hic *Jezrahel* accipi potest dies Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi, ac Pentecostes, sive missionis Spiritus Sancti, et prædicationis Apostolorum per totum orbem. Hisce enim omnibus Christus operatus est et operatur indies salutem nostram, nosque Deo generavit et generat; unde Haymo magnum diem *Jezrahel* interpretatur totum tempus christianismi, puta totum quod fluxit a Christo, fluetque ad finem mundi; toto enim hoc tempore generatur et propagatur *Jezrahel*, id est Ecclesia, sive populus Dei.

Hinc primo, Leo Castrius hic, et S. Cyrillus in *Glaphyris*, lib. V, hæc intelligunt de die Incarnationis et Nativitatis Christi: Magnus, inquiunt, dies *Jezrahel*, quia de *Jezrahel*, id est de semine Dei, puta de Spiritu Sancto conceptus est Filius

Dei; de quo dixit Psaltes: « Hæc dies quam fecit Dominus; » et Paulus: « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; » et Jeremias, cap. xxxi, 22: « Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum; » et Isaïas, cap. IX, 6: « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. » Quin et Sibylla apud Virgilium, *ecloga* IV, de eo ita canit:

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto,
Chara deum soholes, magnum Jovis incrementum.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina.

Secundo, magnus erit dies *Jezrahel*, quo scilicet in cruce dirissima passurus et moriturus est Filius Dei « pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum, » ait S. Joannes, cap. XI, 52. Hi enim sunt *Jezrahel*, id est, « semen cui benedixit Dominus, » *Isaiæ* LXI, 9, de quo idem Isaïas ait cap. VI, 13: « Semen sanctum erit id, quod steterit in ea. »

Tertio, magnus erit dies *Jezrahel*, quo scilicet semen Dei, id est Christus, resurget et revivisces. « Magnus, inquit Rupertus, erit dies, et magna illustratio seminis Dei, quod est Christus; seminis, inquam, resurgentis ex mortuis, cum quo consurgentis utique ascendunt de terra, faciendo quod ait Apostolus: Si consurrexitis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Sic nimirum prima ascensione facta, quæ est resurrectio prima, tandem ascendent corpora quoque de terra, quæ erit resurrectio secunda; et sequentur caput suum sicut membra capiti conjuncta, et sicut ipse Christus expressit dicendo: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. »

Hinc quarto, magnus dies *Jezrahel* erit dies iudicii et resurrectionis, quo Christus judex discernet semen Dei a semine diaboli, puta electos a reprobis, illosque ad beatam et gloriosam vitam evocabit, secumque ducet in cœlum ad triumphum æternum. Ita Cyrillus: « Magnus, ait, revera dies Christi, quo omnes vita functos excitat, et descendet quidem de cœlo, sedebit autem super throno gloriæ suæ, et reddet unicuique juxta opera sua. » Unde de hac die ait Joel, cap. II, 11: « Magnus dies Domini, et terribilis valde: et quis sustinebit eum? » et vers. 31: « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, quia in monte Sion et in Jerusalem

erit salvatio, sicut dixit Dominus et in residuis, quos Dominus vocaverit. » Hi ecce adsunt dies Jezrahel.

Rursum Jezrahel significat brahium Dei. Ita hi omnes dies sunt Jezrahel, id est dies et opera magni brachii, id est magnæ virtutis et potentiae divinæ: ita Arias. Simili modo magnus fuit dies Madian, quo scilicet Gedeon contrivit Madianitas, et ab eorum jugo Hebræos liberavit, qui dies fuit typus hujus diei Christi redemptoris nostri, de quo proinde canit Isaías, cap. ix, 4: « Jugum oneris ejus et virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris ejus (pula diaboli, o Christe) superasti, sicut (Gedeon) in die Madian. » Ubi nota: In hac eadem valle Jezrahel Gedeon Madianitas prostravit, ut dicitur *Judic.* vi, 33, ut plane eo alludere videatur hic Propheta. Vide quæ de die Madian dixi *Isaiæ* ix, 4.

Hic est ergo magnus dies Jezrahel, quo per Christum incarnatum magnum illud mysterium vocationis et adoptionis fidelium peractum est, quod in omnibus suis epistolis Apostolus ita stupeat et admiratur. Unde *Ephes.* II, 11, gentes ad gratiarum actionem et jubilum excitans: « Meumores, inquit, estote quod aliquando vos gentes, etc., eratis sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, et promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. » Et mox: « Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei. » Hinc rursum attonitus exclamat: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus? » *Rom.* XI, 33.

Tropologice: Magnus dies Jezrahel Ecclesiæ est, quo multi ad illam conversi facili sunt Jezrahel, id est semen, hoc est filii, Dei. Talis fuit

dies quo Constantinus Magnus conversus convertit orbem sibi subjectum. Magnus dies genti vel urbi est, quo ab haereticorum vel Turcarum jugo liberata, transiit in libertatem filiorum Dei, et in regnum Christi, ut illum jugiter recolere debeat, ac gratulabunda cum Psalte canere: « Hæc dies quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in ea. » Sic magnus dies fideli animæ est, quo baptizata et fidelis effecta est; quo relapsa in peccatum per poenitentiam ad Dei gratiam rediit; quo e sæculi turbinibus ad statum perfectionis a Deo evocata est, quo professionem emisit; quo sacerdotio initiata est, etc. Hisce enim diebus vel simpliciter, vel excellentius facta est Jezrahel, id est semen sive filia Dei, ut merito illos quotannis recurrentes eum ingenti gratiarum actione, laude et jubilo celebrare debeat, ac canere cum B. Virgine: « Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Fecit potentiam in brachio suo. »

Sic magnus dies Jezrahel fuit, quo Judith occidens Holofernem, patriam liberavit, quem proinde Hebræi annuo festo celebrarunt, ut patet *Judith* cap. ult., vers. 31. Sic magnus fuit dies Jezrahel, quo Esther Judæos neci destinatos eripuit, quem proinde annuo festo phurim, id est sortium, recoluerunt posteri, *Esther* cap. IX, 26 et 31. Sic magnus fuit dies Encæniorum, id est dedicationis templi, tum factæ primitus per Salomonem, III *Reg.* VIII, tum restauratæ per Esdram, I *Esdræ* VI, et postea per Judam Machabæum, I *Machab.* IV, 52. Sic magnus fuit dies cæsi a Juda Nicanoris, annuumque festum, I *Machab.* VII, 49. Sic magnus fuit dies cœlitus dati Aaroni, et sub Juda Machabæo recuperati ignis sacri, quo comburendæ erant victimæ, II *Machab.* I, 18. Sic magnus dies, imo annus, fuit quinquagesimus, puta jubilæus, *Levit.* XXV.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet Deus argui Israelem de idololatria et ingratitudine: quod nimis vinum, frumentum, linum, etc., quæ acceperut a Deo, accepta tulerat idolis, unde se ea ablaturum minatur, quodque visitabit super eum dies Baalim. Hinc secundo, prædictit Israelis poenitentiam; ac consequenter, vers. 14, promittit quod eum lactabit, ducet in solitudinem, et loquetur ad eorū ejus, eritque vir ejus. Denique, vers. 18: Perculiam, inquit, cum eis fœdus, etc. Et sponsabo te mihi in sempiternum. Et seminabo eam mihi in terra, et miserabor ejus, quæ fuit Absque misericordia.

1. Dicite fratribus vestris: Populus meus; et sorori vestræ: Misericordiam consecuta.
2. Judicate matrem vestram, judicate: quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus,

(1) Persistit Propheta in imagine supra proposita, quam tamén, ut recte observat Maurer, aliter exprimit, quan-

doquidem quæ Deum inter et populum intercedebat ratio in superiori capite, conjugii imagine adumbrata erat

auferat fornicationes suas a facie sua, et adulteria sua de medio uberum suorum. 3. Ne forte exspoliem eam nudam, et statuam eam secundum diem nativitatis suæ : et ponam eam quasi solitudinem, et statuam eam velut terram inviam, et interficiam eam siti. 4. Et filiorum illius non miserebor : quoniam filii fornicationum sunt : 5. quia fornicata est mater eorum, confusa est quæ concepit eos : quia dixit : Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum. 6. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet. 7. Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos : et quæreret eos, et non inveniet, et dicet : Vadam et revertar ad virum meum priorem : quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. 8. Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal. 9. Idcirco convertar, et sumam frumentum meum in tempore suo, et vinum meum in tempore suo, et liberabo lanam meam et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus. 10. Et nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus : et vir non eruet eam de manu mea : 11. et cessare faciam omne gaudium ejus, solemnitatem ejus, neomeniam ejus, sabbatum ejus, et omnia festa tempora ejus. 12. Et corrumptam vineam ejus, et ficum ejus : de quibus dixit : Mercedes hæ meæ sunt, quas dede-runt mihi amatores mei : et ponam eam in saltum, et comedet eam bestia agri. 13. Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, et ornabatur inaure sua, et monili suo, et ibat post amatores suos, et mei obliscebatur, dicit Dominus. 14. Propter hoc, ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem : et loquar ad cor ejus. 15. Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor ad aperiendam spem : et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. 16. Et erit in die illa, ait Dominus : vocabit me : Vir meus ; et non vocabit me ultra Baali. 17. Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum. 18. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum bestia agri, et cum volucre cœli, et cum reptili terræ : et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra : et dormire eos faciam fiducialiter. 19. Et sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et in miseratio-nibus. 20. Et sponsabo te mihi in fide : et scies quia ego Dominus. 21. Et erit in die illa : Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram. 22. Et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum : et hæc exaudient Jezrahel. 23. Et seminabo eam mihi in terra, et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia. 24. Et dicam non populo meo : Populus meus es tu; et ipse dicet : Deus meus es tu.

Vers. 1. 1. DICITE FRATRIBUS VESTRIS. — Hæc videntur pertinere ad finem capituli primi; unde S. Hieronymus, Lyranus, Vatablus et alii hæc connectunt cum cap. I, et caput secundum inchoant a verbis proxime sequentibus : « Judicate matrem. » Plane enim alludit ad tres proles Osee, scilicet, *Jezrahel*, *Lo ammi*, et *Lo rachuma*, quasi *Jezrahel*, id est Semen Dei, loquatur fratri suo *Lo ammi*, id est Non

vatis, hic vero conjugii imagine sistitur ipsius Dei. Adde quod in his saepius leguntur figuratis admixta propria.

PRIMO ergo, ut adulteram conjugem ab amentia revo-ret, justitia poenæ imminentis ostenditur, proportione indicata, *primo*, inter personas delinquentes, scilicet Synagogam, tanquam matrem, 2, 3; et Israelitas tanquam filios, 4; *secundo*, inter delictum et poenam, quia succedit, *primo*, evagationi ad idola et idololatras velut amasios, interruptio viæ, 5, 6; *secundo*, procationi alienæ, repulsa data ab amasiis et a Deo, 7; *tertio*, possessioni bonorum a Deo datae, sed perperam idolis ascriptæ, ablatio eorum-

populus meus, et eum consoletur, eique congra-tuletur de tam felici mutatione, qua a Deo jam factus sit *Ammi*, id est populus meus; itemque sorori suæ *Lo rachuma*, id est Absque misericordia, quod jam sit *rachuma*, id est misericordiam consecuta : unde ex Hebræo si pro puncto *tsere* substituas *chiric*, ut pro *אֲחִיכֶם* *achechem* legas *אֲחִיכָּמָן* *achichem* vertas : *Dic fratri vestro*,

dem et cultus simul publici religionis, 8-12; *quarto*, diu-nitati idololatriæ, longinquitas poenæ, 13.

SECUNDO, afferit jam novam rationem, qua velit perfidos ad officium reducere, velle se inquiens post severitatem blanditias et beneficia adhibere, promissis, *primo*, singu-lari cura Dei tum per se, tum per legatos, 14, 15; *secundo*, conversione ad Deum et abjectione idololatriæ, 16, 17; *tertio*, immunitate ab omnibus malis, 18; *quarto*, initio et confirmato matrimoniali fœdere cum Deo, 19, 20; *quinto*, benedictione uberiore, maledictionem convertente in bonum, 21-24

æque ac dic sorori vestræ; sed eodem res redit, sive in singulari, sive in plurali vertas, fratri, vel fratribus; sorori, vel sororibus; tuæ, vel vestree: singula enim hæc filiorum nomina, licet voce sint singularia, significatione tamen et representatione sunt pluralia; significant enim semen Dei, et populum Israeliticum, in quo hominum erat multitudo et pluralitas.

Hinc patet fratres et sorores hic vocari eos, quos cap. I, 10, vocavit filios Israel, et filios Dei viventis. Jam cum ex dictis cap. I, pateat hos tres Osee filios significasse primo, Israelem, sive decem tribus, ob impietatem a Deo desertas; secundo, gentes paris impietatis et idololatriæ; sed quæ æque ac Israelitæ postea per gratiam Dei ad Christum conversæ, factæ sunt populus Dei, et misericordiam consecutæ; hinc sensus hujus loci est, q. d. O vos viri Juda, qui estis fidelis Dei populus, nolite abjecere decem tribus et gentes, qui fratres vestri sunt per Dei prædestinationem, vocationem et gratiam, per quam ad Christum sunt conversi; vocate ergo eos, Populum meum, et Misericordiam consecutum, qui olim erant et vocabantur: Non populus meus, et Absque misericordia. Nam τὸ δικτε φατρίβος, scilicet Israelitis, est vox Judæ. Hic enim fuit frater Israel; quia duæ tribus erant fratres duodecim tribuum: aut, si mavis, est vox Jezrahelis; hic enim fuit frater *Lo ammi* et *Lo rachuma*. Jam per Juda aut Jezrahel intelligit primos fideles Christo credentes. Hi enim fuerunt ex Juda et ex Israel: hi enim mire gavisi sunt, cum viderunt Samaritas, Galilæos et gentes ad Christum converti: iisque quasi jam fratribus suis in Christo et Ecclesia applaudebant, eosque vocabant fratres et populum Dei, ac misericordiam consecutum, uti eos vocat S. Petrus, epist. I, cap. II, 10, et S. Paulus, Rom. cap. IX, 25.

Hunc sensum exposcent nomina *Ammi*, id est Populus meus; et *Rachuma*, id est Misericordiam consecuta; his enim plane alludit ad finem capituli primi, ubi Israelitis jam conversis ad Christum hæc nomina indidit. Ita censem S. Hieronymus, Albertus, Hugo, Haymo, Lyranus, Isidorus, Vatablus et Arias. Audi S. Hieronymum, qui ita explicat, q. d. « O homines tribus Juda, nolite desipere decem tribuum salutem; sed eam quotidie et sermone, et voto, et litteris ad pœnitentiam provocate; quia frater vester appellatur et soror; frater, ex eo quod dicitur: Populus meus; soror, ex eo quod appellatur: Misericordiam consecuta. » Deinde aliter explicat, hæc applicando Judæis: « Qui, inquit, in Christum creditis, et estis tam ex Judæis, quam ex gentibus, dicte fractis ramis et priori populo, qui projectus est: Populus meus, quia frater tuus est; et: Misericordiam consecutæ, quia soror tua est; cum enim intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israel salvus fiet. » Additque tropologicæ: « Hoc idem nobis præcipitur, ne hæreticos penitus desperemus; sed

provocemus ad pœnitentiam, et illorum salutem germanitatis optemus affectu. »

Verum quia in Bibliis Latinis et Græcis hæc dividuntur a fine capituli primi, ita ut ab his incipiatur caput secundum, hinc juxta hanc distinctionem aliter hæc explicanda sunt, cum Chaldæo et Christophoro a Castro, nimirum ut spectent ad sequentia: « *Judicate matrem*, » quasi Propheta hic redeat ad initium cap. I, ac per eum jubeat hic Deus Prophetis, et piis quibuslibet viris Israelitis, ut, dum adhuc retinent nomen populi Dei, et misericordiam consecuti, plebem Israeliticam matrem suam, cujus singuli ipsi sunt membra ac filii, judicent, id est moneant, et coarguant; ne, si in sua impietate perseveret, et sibi et filiis interitum pariat. Unde Chaldæus vertit: *Prophetæ, dicite fratribus vestris: Popule mi, convertimini ad legem meam, et congregationis vestræ miserebor*. Sensus ergo est, quasi dicat: Vos, o Prophetæ, dicite fratribus vestris, scilicet iis qui sunt veri Israelitæ, id est Dei cultores, qui proinde sunt et vocantur *Ammi*, id est Populus meus; et sororibus vestris, scilicet mulieribus quæ sunt veræ Israelitides, ideoque sunt et vocantur *Rachuma*, id est Misericordiam consecuta; ut judicent, id est arguant, et increpant matrem suam, scilicet Synagogam, sive cœtum Israelitarum colentium idola; eique denuntient ex me et meo nomine, quod ipsa jam non sit uxor mea, nec ego maritus ejus: auferat ergo fornicationes, id est idololatrias suas, ut mereatur ad me redire, et in gratiam thorumque recipi. Unde Syrus vertit: *Vocate fratres vestros, Populum meum, et sorores vestras Misericordiam consecutas, inite judicium (judicate) cum matre vestra*; et Arabicus Antiochenus: *Dicite, Popule meus, fratri vestro et sorori vestræ dilectæ, et judicium decernite ad matrem vestram*; et Arabicus Alexandrinus diversis verbis, sed eodem sensu: *Dicite fratribus vestris (Judæis infidelibus): Vos non populus meus; et sorori vestræ, quod non est Misericordiam consecuta: inite judicium cum matre vestra*.

SORORI VESTRÆ. — Hebraice est *iod* plurale, בָּנֹתִים *laachotechem*; unde Vatablus, Pagninus et alii recentiores vertunt, *sororibus vestris*. Sed eodem res redit, sive in singulari, sive in plurali vertas, ut paulo ante ostendi. Congruentius tamen noster Interpres vertit in singulari, quia una erat filia Gomer, nomine *Lo rachuma*, soror *Jezrahel* et *Lo ammi*, filiorum Osee: ad illam enim alludit. Porro *iod* istud additur voci huic etiam in singulari, ut patet *Cant. VIII, 8*: « *Quid faciemus sorori nostræ?* » hebraice לְאַחֲרֹתֵינוּ *laachotenu*.

2. JUDICATE MATERM VESTRAM. — Hic proprie Vers. 2 juxta S. Hieronymum et alios permultos, quos paulo ante citavi, incipit caput secundum. Hic enim redit Propheta a seculo Christi de more ad suum, et ad suos Israelitas, puta ad sui sæculi depravatos mores, scilicet ut Israelitas qui toti idololatriæ dediti ruebant in exitium, increpat et ab ea revocet.

Quæritur, quænam hæc mater? Aliqui accipiunt Judam et Jerusalem, sive Synagogam duarum tribuum, quasi hic Propheta increpet duas tribus, sicut primo cap. increpavit decem; ita Ribera, ut sensus sit, q. d. Vos, o pii Judæi, qui pios Israelitas vocatis fratres, et pias Israelitides sorores; arguite Jerusalem et Synagogam, sive cœtum populi, qui in ea est, quæ est quasi mater vestra (ad vos enim loqui cœpi), arguite, inquam, eam, eo quod jam cœperit imitari decem tribus, et cum esset uxor cultrixque Dei, iterum se adulteriis, id est idolatriæ sordibus inquinavit: ne idem illi faciam quod feci decem tribubus; scilicet ut eam repudiem et abjiciam. Hoc enim facere plane cogito et desino.

Melius alii per matrem accipiunt Samariam, sive Synagogam Israelitarum. Alludit enim ad Gomer uxorem Osee, quæ fornicando repreäsentabat idololatriam Israel, uti dixi 1, 2. Jubet ergo Propheta ut *Ammi* et *Rachuma*, id est fratres et sorores, puta fideles Israelitæ et Israelitides, arguant hanc matrem suam de infidelitate et idolatria; unde vers. 4, ait: « Et filiorum illius non miserebor, quia filii fornicationum sunt: quia fornicata est mater eorum, » ubi plane notatur Gomer ejusque filii, id est, Israelitæ impii. Denique vers. 13 et 14, expresse nominantur ejus filii, scilicet *Jezrahel*, *Lo ammi*, *Lo rachuma*. Pergit ergo Propheta hic insectari Israelis idola. Jam sensus est idem quem paulo ante dedi; illum ergo repte et applica, mutato tantum nomine Juda in Israel. Ita S. Hieronymus, Chaldaeus, Albertus, Hugo, Arias et alii. Hinc patet Prophetam hic increpare Israelitas idololatras sui ævi, non autem Judeos qui erant futuri tempore captivitatis Babylonice, ut vult Theodoretus; multo minus Judeos futuros tempore Christi. Allegorice tamen hæc recte iis adaptes hoc sensu, quasi scilicet hic veri Israelitæ, puta Apostoli, jubeantur increpare Synagogam, eo quod Christum sponsum suum non recipiat nec agnoscat. Ita Haymo et Vatablus.

Judicare Nota: Pro *judicate*, alii vertunt *litigate*, id est judicio contendite, litem ei intentate; **Vatablus**, *expostulate*. Judicare ergo hic non est sententiam ferre, sed accusare, sive partes accusatoris agere; hoc enim significat hebræum **רִבּוּ** *ribu*. Est catachresis, vel metonymia; ponitur enim causa pro effectu, antecedens pro consequente; scilicet accusatio pro judicio, sive lata sententia: hæc enim certo ferenda est in reum certum et confessum, puta in publicos idololatras Israelitas, sicut ex lege *Deuter.* cap. XIII, 6, certa et lata erat sententia mortis, puta lapidationis, in adulteram. Sententia ergo de jure lata, et per judicem certo ferenda, habetur moraliter quasi jam lata.

Septuaginta vertunt **ριψόντες**, id est *judicamini* cum matre vestra, eodem sensu; qui enim judicio contendit cum parte adversa, uti facit actor sive accusator cum reo, hic dicitur cum eo judicari,

id est in judicio disceptare, in judicio agitari et ventilari, ut a judice sententiam vel favorablem, vel adversam excipiat. Aliter a Castro: *judicamini*, inquit, id est vos invicem arguite et increpate. Sed prior expositio est genuina, eamque exposcit vox hebræa *ribu*, et consensus cæterorum interpretum.

UT AUFERAT FORNICATIONES SUAS A FACIE MEA; ET ADULTERIA. — Tritum est in Scriptura apud Prophetas, fornicationes et adulteria vocari idolatriam, ejusque actus, præsertim sacrificia, quia per hæc anima, vel gens, relicto Deo sponso suo, copulatur idolo et dæmoni, quasi fornicario et adultero. Fornicatio ab adulterio distinguitur quasi genus a specie: fornicatio enim est copulatum cum soluta, quam cum conjugata; adulterium, cum conjugata tantum. Aliter S. Hieronymus. « Fornicaria, inquit, est quæ cum pluribus copulatur; adultera, quæ unum virum deserens, alteri jungitur. » **Hiuc Psalm. LXXII**, cum Psaltes dixisset vers. 25. « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? » pro quo Hebræus, S. Hieronymus et Aquila habent: *Quid mihi est in cœlo? et tecum nolui in terra*, scilicet habere alium sponsum, amicum et adjutorem, ut exponit Theodoretus, et, ut Chaldaeus, socium; Arnobius legit: *Quid mihi restat in cœlo, et a te quid volui super terram?* q. d. Ego Christus in terra positus, ita cœlestem vitam egi, ut cum in cœlum ascendero, nihil mihi supersit, quod in terra positus non impleverim: nil enim præter te, o Deus meus, volui super terram; nihil ergo in terra relinquo nisi obedientiam et adimpletionem voluntatis tuæ; nihil in cœlo nisi amorem et cultum tui: tu enim es omne quod in cœlo et in terra volo et adamo. Subdit vers. 27: « Quia ecce qui elongant se a te peribunt: perdidisti (perdes) omnes, qui fornicantur abs te, » qui scilicet a te sponso suo, tuaque fide, amore et cultu desciscunt adhærendo idolis vel creaturis, quasi adulteris. « Quorum anima, inquit Arnobius, alterum dicit Deum (quasi maritum), aut a veritatis et sanctitatis conjugio se falsitate et iniquitate commiscet. » Quocirca subdit et infert Psaltes vers. 28: « Mihi autem adhærere Deo bonum est, » græce προσκληθέω, id est, mihi agglutinari Deo bonum est. Triplici vinculo, inquit S. Bernardus, anima colligatur Deo: *primo*, honestate et promissione, quasi fune; *secundo*, timore inferni, quasi clavis, de quo dicitur *Psalm. CXVIII, 120*: « Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui, » *tertio*, amore, quasi glutino.

A FACIE MEA, — est emphasis, q. d. Non pudet te, o impudens meretrix et adultera, quod me vidente, et in oculis meis forniceris. Scis me zelotypum, et non metuis ne te in flagranti delicto confodiam, siderem aut fulmine afflem?

ET ADULTERIA DE MEDIO UBERUM SUORUM. — Per hæc grammaticæ intelligit illecebras et signa adulterii: puta omnem ornatum et gestum meretri-

cium. Solent enim meretrices nuda ostentare ubera, caue onerare floribus, gemmis, bullis, unguentis, philtris et amatoriis carminibus, ut amasios in sui concupiscentiam illiciant. Denique contrectatione uberum inchoatur, accenditur et expletur libido. Jam per haec litteraliter intelligit ornamenta faciei, capitis, pectoris, bullas, annulos, torques, aliaque quæ ad ubera gestabant in honorem idolorum, ac præsertim medallia et imagines idolorum, quas e collo suspensas, vel in lamina cælatas ad pectus deferebant. Id ipsum poscit sponsus a sponsa, sed sancto et casto amore dicens, *Cant. viii*: « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » q. d. O sponsa, cor tuum æque ac brachium mei imagine obsigna, mei imaginem cæla et gesta tam in bullis appensis ad cor, id est ad pectus, quam in armillis appensis ad manus et brachia, ut hæc tibi jugem mei memoriam et amorem refricent et ingerant, ut assidue non aliud quam me cogites et ames.

Vers. 3. **3. NE FORTE EXPOLIEM EAM NUDAM, ET STATUAM EAM SECUNDUM DIEM NATIVITATIS SUÆ.** — *Diem nativitatis* Israelis vel Synagogæ, vocat ortum vel propagationem primam gentis Israelitice in Egypto : in Mose enim et cum Mose quasi orta est Synagoga, crevit et adolevit, ac quasi pubes desponsata est Deo, quando in Sina per Mosen a Deo legem, et cæremonias, et ritum sacerorum, quibus Deum coleret, accepit. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Rupertus, Haymo, Hugo et alii. Paulo aliter Arias : censet enim ortam Synagogam in Chaldæa, cum Abraham ejus parens ibidem ortus est. Verum ibi non tam gens ipsa, quam gentis pater, puta Abraham, ortus est.

Nuditatem vocat, tum inopiam et paupertatem Israelis in Ægypto, ubi affligebatur, vivebat et vicitabat quasi mancipium Ægyptiorum; tum infirmitatem et impotentiam ejusdem, qua quasi inermis et imbellis, carensque duce, se tutari non poterat, ideoque Pharaoni erat in prædam et rapinam; tum quod destitutus lege, religione, tabernaculo, Prophetis, a Deo quasi derelictus et nudus, omnique ueste tam corporali, quam spirituali destitutus videretur. Sensus ergo est, q. d. In Ægypto Israel natus est nudus, miser, pauper, imbellis, abjectus, informis; carens rege, duce, lege, religione, synagoga, republica, imo Deo, omniisque bono, expositus prædæ et neci, ac infanticidio Pharaonis. Ego ejus miserrimi commiseratus, eum per Mosen collegi, liberavi, eduxi, armavi, spoliis Ægyptiorum ditavi, manna pavi, lege et sacris instruxi, in synagogam et rempublicam efformavi, mibique eam despondi. At illa jam dives facta, luxuque abundans, lascivire et recalcitrare cœpit, fornicari et idola colere, me aspernari. Itaque moneo ut pristinæ suæ conditionis, meæque beneficentiae memor resipiscat, alioqui eam derelinquam, sinamque revolvi in primævam infantiae suæ miseriam et nuditatem :

ut sit sine opibus, sine rege, sine lege, sine Deo; ut vastetur et spolietur ab Assyriis, omnibusque bonis et rebus suis nudetur. Hoc est quod subdit : « Ponam eam quasi solitudinem; » « eam, » scilicet terram, et consequenter gentem Israel : desolatio enim gentis est desolatio terræ; et vicissim desolatio terræ est desolatio gentis. Quocirca Osee aliisque Prophetæ de Israele nunc loquuntur quasi de gente, nunc quasi de regione et terra. Unde subdit : « Et statuam velut terram inviam; » Hebræa et Septuaginta, *terram sine aqua*; Chaldæus, *terram desertam*: hæc enim est invia. « Et interficiam eam siti, » q. d. Faciam eam arenem et siticulosam, ita ut siti eneatur tam terra, quam gens quæ eam incolit. Cum enim agri et prata carent aqua, itaque sitiunt et arescant, nullas dant fruges, nullam segetem, nullos fructus, nulla germina, ac consequenter jumenta et homines tunc suo pabulo potuque destituti, sitiunt et tabescunt (1). Hoc idem schema Synagogæ, quasi puellæ recens natæ, nudæ et miseræ, a Deo vestitæ, ditatæ et despontatæ, ac deinde lascivientis, adulterantis et idololatrantis; ideoque a Deo rursum derelinquendæ, ac per Chaldæos denudandæ et vastandæ, graphice et fuse proponit Ezechiel, cap. xvi, et Jeremias, cap. ii. Vide ibi dicta. Tropologice, par modo Deus gentes et animas sui olim cultrices, si eo spreto ad hæresin aliaque scelera deflectant, omnibus suis gratiis, beneficiis et donis denudat; itaque facit ut incultæ et inutiles jaceant ac redigantur in solitudinem; punitque eas siti, id est desiderio voluptatum, quas obtinere nequeant; ut instar Tantali sitientes aquas videant et tangant, sed eas ore contingere et haurire nequeant. Rursum siti, id est desiderio felicitatis, quam assequi non possunt: vera enim et solida felicitas solis justis a Deo destinatur et obtingit.

Secundo, sicut in locis aridis sunt feræ, quæ venenum ab immodico aestu trahunt virulentissimum, uti sunt serpentes et dracones, eorumque variæ species; ita anima arida et sitiens non parit nisi cupiditatum feras et vitiorum venena.

Tertio, terra arida generat monstra; unde de Libya dicitur : « Semper Libya aliquid mali af-

(1) Durior videtur Rosenmuller et Ackermann transitus a matre ad terram, cum **ארץ arets** non expresse legatur, et sequens, *interficiam eam siti*, non conveniat terræ, quæ non occiditur, sed homo in ea constitutus. Quare, inquit, sicut precedens **כירום keoum**, *sicut dies*, verendum est *sicut in die*, subintelecta prepositione **ב b**, **be**, **in**, ita etiam eadem prepositio subintelligenda videtur in vocibus **כמדבר camidbar**, *sicut desertum*, et **כארץ ציה keerets**, *tsea sicut terra arida*. Accedit Prophetam perstare in metaphora mulieris, quam tunc, cum primum nata esset, in deserto versatam innuit. Itaque verte : *Ne ponam eam tanquam in deserto, collocemque eam velut in terra arida, quam siti*, quæ fame acerbior esse solet, *interficiam*. Quam tamen interpretationem minus rectam judicat Maurer, eo quod **ם ים iom** adverbialiter sumitur in multis Scripturæ locis.

fert; » et de Africa : « Semper Africa aliquid novi parit. » Rationem dat Aristoteles, lib. II *De Gener. animal.*, cap. v, quod, cum regio sit aestuans et arida, paucos habeat fontes, ad quos sitis levandæ causa congregantur animalia et feræ, ibique inter se commiscentur, itaque e commixtione diversarum specierum generentur monstra; et e monstrorum commixtione nova rursum procreentur monstra, foetusque biformes, imo trifomes et quadriformes. Ita anima, cum relicto sponso Dco, vagatur per opum, honorum, deliciarum amores, innumera parit peccatorum monstra, ut videre est in aulis, civitatibus, imo et collegiis clericorum et monachorum, in quibus dominatur ambitio, avaritia, gula, libido, etc. Ita Sanchez.

Vers. 4. **4. ET FILIORUM ILLIUS NON MISEREBOR** (Notat parabolice filios Gomer, puta Jezrahel, « Non populus meus, Absque misericordia, » et per eos ad litteram intelligit Israelitas idololatras, Synagogæ idololatrantis filios, uti dixi cap. I. Horum dicit Deus se non misertur; sed eos per Assyrios excisurum) : **QUONIAM FILII FORNICATIONUM SUNT**, — id est quia imitati sunt matrem suam in idolorum cultu, quem ab ea didicerunt et imbiberunt. Alioqui enim si sola mater peccasset, filiique innoxii fuissent et pii, sola mater merita fuisset supplicium, non filii : « Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur; et filius non portabit iniquitatem patris, » uti sancit Deus *Ezech. cap. xviii*, 20. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus et Lyranus. Nota: Per matrem intelligit Synagogam, id est primores et senes Synagogæ; hos enim quasi duces, juniores et populus in idolorum cultu sequebantur. Unde subdit: « Quia fornicata est mater eorum, » q. d. Principes suo exemplo, institutione et jussu docuerunt, imo compulerunt populum secum fornicari et idola colere.

Vers. 5. **5. CONFUSA EST QUÆ CONCEPIT EOS.** — *Primo*, Rupertus et Albertus: « Confusa est, » inquit, confusione non verecundiæ, sed ignominiæ; quia in peccato (adulterii, id est idolatriæ) deprehensa est.

Secundo et melius, confusa est, quia spe sua frustrata est; quia id quod sperabat non obtinuit. Sperabat enim luxuriari cum suis amasiis, id est idolis et idololatris, ab iisque ditari: sed Deus ei iter ad illos interclusit. Hoc est enim quod subdit: « Quia dixit: Vadam post amatores meos; » sed a Deo viam intercipiente audit: « Sepiam viam tuam spinis. » Sic ait Apostolus: « Spes non confundit, » id est non frustratur hiantem et sperantem; sed eum certo deducit ad rem speratam. Sic saepe Psaltes orat, dicitque: « In te, Domine, speravi, non confundar in æternum; » id est spe mea non excidam, sed certo a te assequar quod a te spero. Spes enim et sperans pudebit et confunditur, cum spe sua deluditur, nec rem speratam assequitur.

QUI DIXIT: SEQUAR AMATORES MEOS. — Meretrix hæc, ait S. Hieronymus, « in tantam venit impudentiam, ut audiret per Jeremiam: Facies meretricis facta est tibi, impudorata es tu. An non est hoc duræ frontis, et meretriciæ impudentiæ, ut in suo scelere glorietur, et dicat: Sequar amatores meos, vadam ad idola, quæ mihi et ad victimum, ut ad vestitum necessaria præbuerunt? » Ita quoque Theodoretus, Haymo et Vatablus.

Alii per amatores intelligunt ipsos gentiles, quorum idola Israel colebat, sperans ab eis protectionem et auxilium contra hostes; ut suis agris et bonis secure frui, indeque honeste, imo laute vivere posset. Ita Chaldæus, Haymo, Hugo et Isidorus nec male. Nam Prophetæ amatores vocant tam idololatras, quam eorum idola, ut patet *Ezech. cap. xvi*, 36. Sed eodem res redit: ab idolis enim, quasi diis, alimoniam, ab idololatria amicitiam et subsidia sperabant Israelitæ.

QUI DANT PANES MIHI (Hebraice, *panem meum*: per panem Hebræi significant quemlibet cibum, quodlibet obsonium, quavis delicias), **ET AQUAS MEAS** (tum fontium, tum pluviarum, ad irrigandam et fecundandam terram: nam de potu mox sequetur), **LANAM MEAM ET LINUM MEUM** (ex quibus vestes laneas et lineas mihi meisque conficiam), **OLEUM MEUM** (quo utar ad cibum, ad lumen et ad unctionem), **ET POTUM MEUM**, — tum vini, tum siceræ, quæ fiebat nunc ex aqua in farina tritici et hordei elixa et cocta (qua etiamnum utuntur Transalpini, vocantque *cerevisiam*); nunc ex contusis pomis, pyris, cerasis aliisque fructibus; quin et ex herbis, salvia, cichorea, origano, etc., et ex radicibus, atque ex incisione arborum: inde enim lacryma copiosa stillans potum dat, uti fit in Brasilia, quæ proinde multis in locis alio non utitur potu.

6. PROPTER HOC. — Hic versus et proxime *Vers. 6.* quens recto ordine collocandi essent immediate ante vers. 14: « Propter hoc, ecce ego lactabo eam. » Sic enim omnia optime cohærent. *Primo* enim Deus, sponsæ scelera recensens, ei pœnam infligit; illa afflita de more configit ad suos deos; sed Deus viam sepit et intercludit: illa ergo pœnitens ad Deum revertitur: Deus misericors eam pœnitentem et revertentem excipit, dicitque: « Propter hoc, ecce ego lactabo eam. » Hic enim est rectus ordo, quem passim videmus servari in reconciliatione conjugum. Quocirca nonnulli hos duos versus, sextum scilicet et septimum, parenthesi intercludendos censem. Est enim hic vehemens pathos sponsi Dei, indignantis sponsæ ob adulteria; in quo proinde affectus ex vehementia et copia inciduntur, miscentur et turbantur.

SEPIAM VIAM TUAM SPINIS. — Syrus: *Sepiam viam tuam spinis*, scilicet Arabica, quæ acuta, densa et multa est in Palæstina. Sensus est, q. d. Quia tu, o Synagoga, confugis ad deos gentium; quia frumentum, lanam, linum omneque bonum petis, non a me, sed a tuis amasiis, puta idolis et

idololatris; idcirco ego tibi viam ad eos intercludam, nimis tot calamitatibus te premam, tanta hostium incursione et obsidione te cingam, ut ad tuos amasios egredi, opemque ab eis poscere non valeas. Fecit hoc Deus, cum in Samariam immisit Phul, Teglahphasar et Salmanasar reges Assyriorum. Hi enim suis copiis omnes vias ita obsidebant, ut Israelite neque in Syriam, neque in Aegyptum, neque in Ammonitidem, Damascum, Idumaeam profugere possent (1).

Moraliter Deus obstruit vias peccatorum. Moraliter, Deus sepit et obstruit vias peccatoribus, cum eos a peccatis, morbo, ærumnis, odiis, persecutionibus (hæc enim sunt sepes et maceria, quibus Deus iter eis ad peccata intercludit) cohibet, vel ipsas occasiones peccatorum aufert: quæ ingens est Dei misericordia, licet peccatori suas delicias concupiscenti, ingrata et exosa. Ita Adamo superbienti, et ex ligno scientie boni et mali ambienti omniscientiam atque divinitatem, Deus sepivit viam, ponens ante paradisum Cherubim, cum flammeo et versatili gladio, qui eum aditu paradisi prohiberet, ne ad lignum scientie boni et mali posset accedere. Ita sepit viam libidinosis, dum occultas eorum libidines orbi pandit et prodit; percutiens eos lue Gallica, ut publice confundantur, subeantque gravem cruciatum æque ac ignominiam et infamiam: hæc enim est sepes et maceria, qua a peccatis cohibentur, vitamque emendant. Sic sepivit viam Israelitis fornicantibus cum filiabus Moab, occidendo 24 millia, Num. xxv, 9; et Sodomitis, afflando eos igne cœlesti, Gen. xix. Ita sepit gulosis viam ad delicias et vina, dum eos paupertate vel morbo affilit, ut ad omnem cibum nauseent; uti fecit filiis Israel, desiderantibus carnes pro manna, Num. xi, 20 et 34. Sic sepit avaris viam ad lucra, dum merces per naufragium perdit, aut per piratas et latrones diripit. Sic ambitionis sepit viam ad honores, dum eis patronorum, per quos promoveri sperabant, favorem et gratiam aufert; ut eis sint odio, quibus antea erant in deliciis; dum eis æmulos opponit, dum eis alios majori pollentes dexteritate, prudentia, gratia anteponit, uti quotidie in aulis et sæcularium, et Ecclesiasticorum principum fieri videmus. Hæc sunt sepes, hæc maceria, quæ assidue eis inclamat: « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium, » imo spinas et cruces?

Audi S. Gregorium, lib. XXXIV *Moral.* cap. ii, et hom. 36 in *Evang.*: « Spinis electorum viæ sepiuntur, dum dolorum punctiones inveniunt in hoc quod temporaliter concupiscent. Quasi interposita maceria vis eorum obviat, quorum ni-

(1) Est in hac sententia subita personæ mutatio stylo poetico usitatissima. Præcedenti versu de scortatione Israelis in tertia persona loquebatur, nunc per apostrophen illum ipsum compellat: « Sepiam viam, » etc. Imago desumpta est a vineis, quæ obstruebantur sepe viva et maceria e lapidibus congestis. Vide eamdem imaginem, Job xix, 8; Thren. iii, 7 et 9.

mirum desideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profecto animæ amatores suos querunt, et non inveniunt; dum sequendo malignos spiritus, nequaquam eas quas appetunt, hujus sæculi voluptates apprehendunt. Tunc dicit: Vadam ad virum meum priorem (id est ad Deum), quem tunc mens uniuscujusque desiderat, cum multiplices amaritudines, velut quasdam spinas inventit in iis delectationibus, quas temporaliter concupiscit. Nam dum adversitatibus mundi, quem diligit anima, morderi cœpit, tunc plenius inteligit quanto illi cum priori viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas prava pervertit, plerumque adversitas corrigit, » uti correxit filium prodigum fame pereuntem, *Lucæ* cap. xv, 17.

ET SEMITAS SUAS (quibus ad idola et idololatras currebat) NON INVENIET, — utpote spinis a me obseptas. Est enallage personæ, crebra apud Prophetas. Transit enim a secunda persona in tertiam, a *tuas* in *suis*. Unde explicans subdit:

7. ET SEQUETUR AMATORES SUOS, ET NON APPRE- Vers. 7.
HENDET EOS, — q. d. Implorabit opem idolorum et gentium, quibus religione et fœdere se devinxit; sed non obtinebit, tum quia ipsæ vias medias spinis a me interclusas transire non poterunt; tum quia sine me imbelles sunt, et invalidæ ad opitulandum. Quocirca Synagoga, omni eorum spe destituta, ad se et ad Deum redibit et dicet: « Vadam et revertar ad virum meum priorem (ad Deum), quia bene mihi erat tunc magis quam nunc. » Comparat deos gentium amatoribus, eo quod Synagogam comparaverit merefici (2).

Tropologice, hoc dicit et sentit anima pœnitens, dum videt se a suis amasiis, id est sociis, vogligea luptatibus, applausibus derelictam et deceptam. Tunc enim damnat illas, et ad Deum, in quo antea veram experta est requiem et gaudium, recurrit. Ita ad Christum recurrit Magdalena, filius prodigus, S. Paulus et S. Matthæus, et alii. Pulchris apologis fallaciam harum amasiarum declarat Damascenus in *Historia Barlaam et Josaphat*, cap. XII et XIII.

8. ET HÆC NESCVIT, — redit ad vers. 5; eo enim Vers. 8. hæc pertinent, uti dixi initio vers. 6, q. d. Synagoga coluit deos, dicens: Hi dant mihi panes, aquas, lanam, linum, oleum, et tam impudens fuit, ut nesciret, id est non recognosceret, me illi hæc dedisse, quin et argentum et aurum, quod ipsi dedi, consecravit Baal, ex eisque fecit simulacra Baal. In voce *nescivit*, est catachresis: sciebat enim Synagoga se habere hæc a Deo; sed *nescivit*, id est scire noluit, non agnovit, ita se gessit ac si nesciret. Ita Vatablus. Sic Terentius in *Andria* ait: « Tu ædepol si sapis, quod scis nescies, » id est nescire te simulabis.

Tropologice S. Hieronymus: Panis, inquit, hæc Tropologice.

(2) Ex quo intelligimus, inquit S. Hieronymus, quod providentia Dei sæpe nobis accidunt mala, ne habeamus ea quæ cupimus, et variis calamitatibus hujus sæculi ac miseriis ad Dei servitutem redire cogamur.

reticorum est luctus perpetuus; aqua, cœnosa doctrina, qua etiam baptizatos suffocant; lana et linum, simulata sanctitas et munditia, quia veniunt in vestimentis ovium; oleum est adulatio, unde dicitur: Oleum peccatoris non impinguet caput meum; potus, S. Scriptura, quam illi pervertunt.

QUÆ FECERUNT BAAL. — « Baal » est dative causus, ut patet ex articulo hebræo, *lamed*, לְבָאָל, q. d. Quæ fecerunt, id est obtulerunt, et accepta tulerunt ipsi Baal, quasi eorum auctori et datori; vel quæ dedicarunt ipsi Baal. Sic facere Latinis idem est quod sacrificare; unde τὸ οὐρανός, non tantum ad argentum et aurum, sed et ad frumentum, vinum et oleum referri potest; hæc enim faciebant, id est offerebant et libabant Baal; vide Ezechiel. cap. xvi, 17. Secundo, « quæ fecerunt, » id est ex quibus fabricarunt et ornarunt « Baal. » Unde ex Hebræo verti potest, *aurum fecerunt Baal*, q. d. Ex auro Dei, et a Deo accepto, fabricarunt idolum Baal (1); facere enim aurum, vel argentum, est illud cælare, polire, aut in vas vel effigiem aliquam efformare: infectum enim dicitur, quod rude est et impolitum. Audi Isidorum, lib. XV, cap. xvii: « Tria sunt genera argenti, et auri, et æris: signatum, factum, infectum. Signatum est quod in nummis est; factum est quod in vasis et signis; infectum, quod in massis, quod et grave dicitur, id est massa. »

Tropologice, peccatores suas cupiditates faciunt suos deos. Unde S. Hieronymus in Psalm. LXXX, 10: *Non erit in te Deus recens*: « Cui Deus, ait, venter est, Deus ei recens est: quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: vidi et concupivi mulierem, libido mihi deus est. Unusquisque enim quod cupidus est, et veneratur, hoc illi deus est. » Ita fornicatores corpus, vires, opesque quas a Deo acceperunt, mancipant suis veneribus. Unde Syrus vertit, ex eo (auro et argento), *fecerunt Baal*; Arabicus, *conflavit ea Baal*. Porro Baal, sive Baalim, sive Bel, Bal, Belus, erat Jupiter Belus, qui fuit deus primus Chaldæorum, de quo plura dixi Genes. cap. x, 9, et Daniel. cap. XIV, 2.

Tropologice Origenes, hom. 2 in Cant., per aurum accipit sensum et intellectum; per argentum facundiam et gratiam sermonis; quæ dum ad vanam gloriam, vel ad lucra sectanda, non vero ad Dei gloriam et animarum salutem expendimus, tunc ea Baalim offerimus. « Dedi, inquit Origenes, vobis sensum et rationem, qua me Deum et sentire possetis, et colere: vos autem sensum et rationem, quæ in vobis est, ad colenda dæmonia transtulitis. » Simile est Ezech. cap. VII, 20, vide ibi dicta. Glossa vero ex Haymone: « Per vinum,

(1) Ut sic hæc verba intelligamus suadet, inquit Manner, qui infra cap. VIII, 4, legitur locus parallelus: « Argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut intirerint.

inquit, lætitia spiritualis signatur, quam non in hoc sæculo, sed in Deo habere debuerunt; per oleum, sensus illuminatio; per argentum, nitor eloquii; per aurum, præceptum dilectionis Dei et proximi: in quibus omnibus non Deum, sed dæmones venerabantur. » Similia habet S. Gregorius, III part. *Pastor.* admon. 25.

9. IDCIRCO CONVERTAR, ET SUMAM FRUMENTUM MEUM. V. 15. 9.

— Convertar ab amore in odium, a beneficentia in vindictam; convertar, inquam, ab alimonia, qua tam liberaliter eam alui, dedique frumentum, vinum, etc., ad puniendum eam sterilitate et fame; ut ex prophetia hac, et ipsa ejus experientia discat, sciatque meum esse frumentum et vinum, illaque a me dari, non ab idolis: « Sumam » ergo, « et auferam frumentum meum in tempore suo, » puta in tempore messis, « et vinum meum in tempore suo, » puta in tempore vindemiae, q. d. Faciam ut parum frumenti in messe, et parum vini in vendemia colligant, aut si multum collectum sit, evanidum sit, parumque det panis et vini; aut certe incendio, grassatione hostili, aliove modo illud disperdam.

ET LIBERABO LANAM MEAM ET LINUM MEUM. — « Liberabo, » scilicet, quasi e captivitate, qua detinentur ab iniquo vel injusto possessore. Unde Chaldæus vertit: *Detrahām vestem sericam et byssinam, quam dederam ei ad operiendum ignominiam suam*; Septuaginta: *Auferam linteamina et vestimenta mea, ne tegant ignominiam ejus: ignominiam*, id est nuditatem; hanc enim significat Hebreum לְרוּעָה erva, et hæc est turpis et ignominiosa, q. d. Spoliabo et nudabo eam vestibus, nudamque ignominiose ad ludibrium exponam, ut ab omnibus rideatur et illudatur. Est prosopopœia; tanquam enim lana et linum invite servirent ingratias et impiis idololatris, quasi injustis possessoribus; inde ea dicit se liberaturum. Ergo τὸ liberabo significat quod creaturæ coacte serviant impiis, superbis et ingratis; Deus enim eas creavit ad hunc finem, ut homini servirent ad cognoscendum et amandum Deum, earum creatorem et largitorem. Quocirca dum hoc suo fine, ad quem conditæ sunt, privantur, imo contra Deum assumuntur ad superbiam et luxum, naturaliter id ipsum aversantur, captivantur, et vim patiuntur, ac re ipsa dolerent, gernerent, et de injuria protestarentur, si sensum haberent. Hoc est quod ait Apostolus, Rom. cap. VIII, 20: « Vanitati enim creatura subjecta est, non volens; sed propter eum qui subjecit eam in spe. » Et mox: « Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. »

Deus ergo creaturem ita gementes sub hac servitute liberat, dum impiis eas aufert, et piis eas tradit, aut facit eas sibi suoque obsequio, ad quod conditæ sunt, et ad quod naturaliter propendunt, totoque naturæ pondere feruntur, impendi.

Audivi in Belgio celebrem concionatorem, qui

calumniatoribus nonnullis objectantibus Clericos et Religiosos quosdam laute vivere, pro concione respondit, *primo*, hanc esse calumniam et mendacium; *secundo*, esto id verum esset, non esse iniquum, sed secundum ordinem rerum: Deus enim creavit creaturas ut servirent piis, non impiis; famulis, non hostibus. Quocirca, inquit, si panis, si vinum, si ova, si perdices loqui possent, clamarent: Comedant nos viri sancti, servi Dei nostri, non comedamur ab inimicis Domini nostri. Substantia nostra, caro nostra incorporetur sanctis, ut in iis ad gloriam resurgat, non peccatoribus: in illis enim resurget ad gehennam. Quæ enim creatura non malit esse in cœlo et gloria, quam in inferno et igne?

Hac de causa in fine mundi, et maxime in die judicii, omnes creaturæ, quasi vindices creatoris sui, insurgent in impios, eosque disperdent. Hoc est enim quod ait Sapiens, cap. III, 21: « Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulguris, et tanquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur. Et a petrosa ira mittentur grandines, et flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti, dividet illos. »

Vers. 10. 10. ET NUNC REVELABO STULTITIAM EJUS; — Septuaginta, *immunditiam*; Vatablus, *turpiditudinem*; Paginus, *spurcitiam*; Chaldaeus, *ignominiam* ejus (1). Proprie hebræum נְבָלֹת nablut significat rem stolidam et stultam: unde de Nabal marito stolido apposite dixit Abigail uxor David: « Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal; quoniam secundum nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo, » I Reg. cap. xxv, 25.

Porro *stultitia* Israelis sive decem tribuum (de his enim loquitur, ut ante dixi) erat hæc, quod relicto Deo optimo patre et provisore, a quo percipiebant frumentum, vinum, linum, omniaque bona, colerent muta et surda idola, eisque suum frumentum, vinum, etc., ascriberent, et accepta referrent: quæ sane ingens erat stoliditas, ingratitudo et impietas. Hanc revelaturum se toti orbi minatur hic Deus, idque reipsa præstitit, cum Israelem bonis omnibus nudavit; eumque prædæ, captivitati et irrisioni Assyriorum (quorum deos Israel colebat) exposuit.

Similis est stultitia cujusque peccatoris, utpote qui creaturam Creatori, terram cœlo, diabolum Deo, infernum paradiso, peccatum sanctitati, malum bono præfert.

Vers. 11. 11. ET CESSARE FACIAM OMNE GAUDIUM EJUS. — Quia cessare faciam omnes fruges ejus; item omnia sabbata, omnesque dies festos ejus, ut se-

(1) Alii vertunt, *fæditatem ejus*, et explicant de fœditate nudati corporis. Quidquid sumas, notatur summa ignominia, qua afficiendi sint Israelitæ, sumpta imagine a marito, qui uxorem suam adulteram denudat, et sic abominationi et risui omnium exponit.

(Ackermann.)

quitur; in his enim feriari, gaudere, et recreare se solent Judæi æque ac Christiani.

12. ET CORRUMPAM (Vatablus, *devastabo*, tum per grandinem et procellas, tum per Assyrios) VINEAM EJUS ET FICUM (q. d. Non tantum uvas et ficus, sed et ipsas vineas, ipsasque ficuum arbores excindam et demoliar (2). Causam subdit): DE QUIBUS DIXIT: MERCEDES (meretricatus, id est culturæ idolorum) HÆ, MÆ SUNT, QUAS DEDERUNT MIHI AMATORES MEI, — q. d. Exscindetur, quia fruges et opes quas ego ei dedi, ipsa ingrate et stolidæ acceptas retulit suis idolis.

ET PONAM EAM IN SALTUM. — Ribera ex Hebræo, Chaldaeo et Septuaginta contendit legendum, *ea*, scilicet vineam et ficum; Romana vero legunt, *eam*, scilicet Synagogam, et terram Israel; hæc enim ab Assyriis vastata, data est bestiis terræ devoranda; huic enim continue loquitur, eamque peccati coarguit. Minus ergo genuine S. Hieronymus, Theodoreus et Lyranus Jerusalem ejusque excidium hic significari volunt; nam, ut dixi, agit hic Propheta de decem, non de duabus tribubus. Septuaginta pro יְהוּיָאָר, id est saltum, vel sylvam, legentes יְהוּיָאָד, id est testimonium, vertunt, *ponam eam in testimonium*, ut scilicet toti orbi attestetur quanta sit Dei in sceleratos ira, justitia, potentia et vindicta.

13. ET VISITABO SUPER EAM DIES BAALIM, — q. d. **Vers. 13.** Puniam « dies, » id est peccata illis diebus, puta idolorum festis, commissa, quibus ornabat se, coluitque Baalim, id est varios gentium deos, festivis sacrificiis et vestibus, uti sequitur. Ita Chaldaeus, Haymo, Hugo et Vatablus. Nota: Baal hebraice, *primo*, significat dominum a radice בָּאַל baal, id est dominatus est: inde *secundo*, significat sponsum et maritum; maritus enim est caput et dominus uxorius suæ, I Cor. cap. XI, 3; hinc *tertio*, gentiles suum Jovem vocabant Baal, quasi dominum cœli et terræ. Baal in plurali habet Baalim, quasi dicas, multi domini, multi mariti, multi dii: hos multos opponit solitudini, et singulari Baal, ut mox dicam.

Aliter S. Hieronymus, q. d. Faciam ut illis ipsis festis diebus, quibus colebat Baalim, puniatur et excindatur. Sic tropologice, dies Baalim sunt, quibus quis servit Veneri, Mammonæ, spiritui superbiæ et ambitionis, quasi Baalim, id est amasiis, dominis et heris, imo diis suis. Hos Deus visitat, cum peccatorem punit lue venerea, pauperate, amissione honoris et status.

Rursum visitat dies Baalim, cum peccatorem

(2) *Ficus* et *vitis* mentionem facit, sive, inquit Rosenmuller, quod ficus et uvæ gratissimus sunt hominibus post frumentum cibus; sive, inquit Ackermann, quia vineta et ficeta, quorum fructus ceu regioni Palæstinensi familiares et nobiles, per synecdochem pro reliquis suavibus et amoenis hoc loco connumerantur. Aliqui non sine verisimilitudine putant, hic in communione mentionem fieri vitis et ficuum, quia in aliis Scripturæ locis deliciis promissis aut concessis addi solent. Cf. *Isai. xxxvi, 16.*

licet pœnitentem punit tribulationibus, rebus adversis, desolationibus, et præsertim tentationibus pristinorum peccatorum, ad eum quasi ad veterem amicum recurrentium; uti S. Maria Ægyptiaca totidem annos, puta 17, quod peccarat, obscenis cogitationibus tentata fuit. Idem passim aliis contingit. Vide S. Bernardum, serm. 3 et 4 in *Cantic.*

QUIBUS ACCENDEBAT INCENSUM (scilicet Baalim, puta idolis) : ET ORNABATUR INAURE SUA ET MONILI SUO, — quasi meretrix, quæ se adornat et fucat amasiis suis. Judæi autem in festis cultiores in duebant vestes, ad cultum festi et idoli sui; uti et faciunt christiani, sed in honorem Dei et Sanctorum quorum festa colunt.

Vers. 14. 14. PROPTER HOC, ECCE EGO LACTABO EAM.— Difficile est rō propter hoc: quæ enim est causa, imo quæ consequentia et connexio dicere: Uxor adulterata est, ideoque puniam et perdam illam, propterea lactabo eam. Primo, aliqui sic connectunt et exponunt, q. d. Quia Israel tam graviter peccavit, quia tam graviter errat et delirat, quia in tantis versatur animæ miseriis et periculis salutis, ut mihi miserationem potius moveat, quam iram et bilem; hac de causa ego post ejus castigationem, iram in misericordiam vertam; et ostendam ei divitias potentiae et misericordiae meæ; nimurum lactabo eam, et loquar ad cor ejus; itaque eam ad me convertam et reducam: ita Riberia; secundo, Lyranus hæc connectit cum initio capititis: « Dicite fratribus vestris, Populus meus; et sorori vestræ, Misericordiam consecuta. »

Verum dico esse hic hysterologiam, uti ostendi versu 6. Hæc ergo verba, « propter hoc ecce ego lactabo eam, » referenda et connectenda sunt cum vers. 6 et 7. Sic enim omnia ordinate cohærent et fluunt. Sensus ergo est, q. d. Dixi, vers. 6 et 7: « Sepiam viam ejus spinis, » vexabo et castigabo eam; ne scilicet sponsa mea Synagoga, gentes et deos alienos adire et colere possit; unde ipsa in se revertetur, pœnitensque vitæ prioris, dicet: « Vadam et revertar ad virum meum priorem. Propter hoc, » quia scilicet ipsa pœnitens ad me redit: « ecce ego lactabo eam, » q. d. Ego priorum ejus scelerum oblitus, eam redeuntem excipiam, quasi sponsus amantissimus, et in ejus amplexus ruam, ut ruit pater in amplexus filii prodigi ad se redeuntis, *Lucæ cap. xv* (1).

Præclare S. Bernardus, serm. 83 in *Cant.* docet

(1) Sic verisimilius Maurer statuit ordinem sententiarum: Quod populus meus deos alienos sectatur, iisque se debere opinatur, quæ mihi debet, quibus fruitur bona, propterea depellam eum ad calamitatem, vers. 7-9; propterea eum omnibus quæ dedi bonis nudabo, civitatem ejus subvertam, terram vastabo, vers. 10-15; propterea, adhibita in eo severitate, clementiam quoque adhibeo, a miseria vindicatum ad me denuo colendum invitabo, volentem pristinis ac multo majoribus ornatus beneficiis. Falluntur igitur qui לְקַנֵּן taken, hoc loco verumtamen significare putant. Debet idem profecto significare quod significat vers. 9, id est idcirco, propterea.

tantum esse sponsi Dei nostri amorem, ut anima quantumcumque vitiis corrupta, adhuc per amorem castum et sanctum possit redire ad nuptias et thalamum sponsi: « Magna, inquit, res est amor, sponsæ res et spes unus est amor. Hoc sponsa abundat; hoc contentus est sponsus; nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. Hinc ille sponsus, et sponsa illa est. » Et inferius: « Quidni amet sponsa, et sponsa amoris? Quidni ametur amor? » Vide sequentia.

ECCE EGO LACTABO EAM. — Ruffinus: « Lactabo, » inquit, id est dabo manna Hebræis in deserto; manna enim dicitur lac, quia lacti erat simile in colore et sapore. Verum hoc manna olim dederat Deus; hic autem ait, « lactabo, » in futuro. Rursum, lactare hic non significat lac dare, vel lacte nutrire; sed est verbum frequentativum, derivatum a primitivo lacio; cuius significatio patet ex compositis allico, illico, pellico, et ex frequentativis lacto, illecto, delecto: lactare ergo idem est quod allicere, suadere, pellicere, et velut lacte dato inescare, decipere et capere, uti docet Festus Pompeius, lib. X. Sic vulgo dicimus: Herus meus hac spe me lactat, magnis promissis lactor, etc. Sic Prov. 1, dicitur: « Si te lactaverint, » id est pellicere et seducere voluerint, « peccatores, ne acquiescas eis. » Et hoc significat hebræum פָתָח patha; unde græcum πειθω, id est suadeo, persuadeo. Quocirca Septuaginta vertunt, ἐγὼ πλανῶ σὺ τὸν, ego seduco eam, et ponam eam quasi desertum; Vatablus, ego pellicium eam; Syrus, ecce decipio eam; Arabicus Antiochenus, errare faciam eam; Arabicus Alexandrinus, perdam eam; alii, ego inescabo eam, sicut pisces et aves data esca inescantur, itaque capiuntur. Jam primo, Theodoreus et Theophylactus hoc in malam partem accipiunt, atque ex Septuaginta hunc dant sensum, quasi dicant: Ecce ego faciam eam seduci, et erroribus implicari, ac labi; ut ducatur in captivitatem (in Assyriam), et captivam factam his omnibus bonis faciam destitui. Verum hæc in bonam accipienda esse, et significare læta promissa, non tristia et minas, docent passim alii interpretes; et patet ex sequentibus. Ait enim: « Loquer ad cor ejus; dabo ei vinitores ejus; canet ibi juxta dies juventutis suæ; vocabit me, Vir meus: auferam nomina Baalim: percutiam cum eis foedus: sponsabo te mihi in sempiternum. » « Lactabo ergo eam, » id est suadebo, alliciam, et quasi pio dolo inescabo, et decipiam eam; ut ultro idola sua contemnat, et mihi quasi sponso Deo suo se totam addicat et mancipet. Unde Chaldaeus vertit: Ecce ego subjiciam eam legi, et operabor illi miracula, et grandia facinora, qualia edidi illi in deserto. Hoc est quod ait Ezechiel cap. xxxvi, 26: « Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. »

Tropologicæ, ita Christus lactabat S. Magdalena, ut opes, delicias, veneres, et quidquid est ter, quo-

modic- in mundo fastidiret; ut famam et judicia Phari-
tet Deus sœorum contemneret, qui putabant eam non tan-
suos ? tum deceptam, sed et insanam, cum in publico
convivio Christi pedes lacrymis lavit, et capillis
tersit. Sic lactavit Deus SS. Antonium, Hilario
nem, Franciscum, Claram, totque nobiles et di-
vites, qui, spretis sœculi oblectamentis, religio-
sam et austera pœnitentiae vitam amplexi sunt,
et in dies amplectuntur, quos mundani deceptos,
imo fatuos aestimant. Ita lactatus S. Paulus dice-
bat: « Domine, quid me vis facere? » *Actor. ix.*
Et: « Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. »
Et: « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me
Christus. » Ita lactavit primos christianos et mar-
tyres, ut dulcedine divinæ consolationis, et amore
Christi pro eis crucifixi illecti, imo ebrii procur-
rerent ad martyria, ambirent ignes, bestias, cru-
ces; ac in ipsis catastis, craticulis et ignibus ex-
sultarent, tyrannisque et tortoribus insultarent,
uti videre est in *Vita S. Ignatii, Laurentii, Vincen-
tti, Agathæ*, et aliorum plurimorum.

Israel ductus in solitudinem, quia? **ET DUCAM EAM IN SOLITUDINEM.** — Alludit, primo, ad sponsam adulterantem, quæ turbis sese infe-
rens, et per multorum adulterorum cubilia et lu-
panaria divagata, tandem pœnitens a marito do-
mum reducitur, quasi in solitudinem; ut ibi sola
cum solo marito degat. Secundo, alludit ad Syna-
gogam Hebræorum, quæ in Aegypto turbis Aegyp-
tiorum et idolorum, puta Apis, Isidis, Osiridis,
Canopi, Hammon, et aliorum plurimorum com-
mixta, jussu Dei a Mose educta est in desertum
Sina; ibique a Deo legem, tabernaculum et reli-
gionem accipiens, in sponsam, id est Ecclesiam
et rempublicam ab eo electa et assumpta est. Sen-
sus ergo est, q. d. Sicut olim te, o Israel, vagan-
tem, et meretricantem cum turba gentilium et
deorum Aegypti, inde eduxi in solitudinem; ita
pariter nunc ex turba Assyriorum, Medorum,
Chaldæorum, Persarum, Parthorum, inter quos
captivus et dispersus divagaris, nunc horum,
nunc illorum deos colens, ducam te in solitudi-
nem, qua itur in Judæam et in Jerusalem, ut per
illam te in patriam sedem et religionem, quasi
in solitudinem reducam. Erant enim Judæi in
Judæa a gentibus separati; imo post excidium,
Judæa erat solitudo. Hoc est quod ait Ezechiel
cap. xx, 34: « Educam vos de populis, et con-
gregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, etc.
Et adducam vos in desertum populorum, et ju-
dicabor vobisecum ibi facie ad faciem; sicut ju-
dicio contendi adversum patres vestros in deserto
terræ Aegypti: » qui locus huic nostro persimilis
est, eumque explicat. Ita Chaldæus, Haymo et
alii.

Tertio et potius, ducam eam in solitudinem, hoc
est, ducam Synagogam, puta Israelitas, ab ido-
lolatria Aegyptia et Assyria, æque ac a supersti-
tione Judaica, ad Ecclesiam Christi, in qua quasi
sponsus solus cum sola segregata jam a pris-
tinis amasiis et peccatis, et a multitudine ac tu-

multu sœculi, cum illa agam blande et secreta;
illam protegam, illi miracula faciam, qualia olim
feci Hebreis in deserto.

Nota: Hunc locum R. Salomon et Judæi acci-
piunt de solo reditu ex captivitate Babylonis: tunc enim multi Israelitæ cum Judæis redierunt
in Jerusalem, nec deinceps nominarunt aut co-
luerunt Baalim: sed quieti et læti Deo vero ser-
vierunt. Christiani vero permulti, ut Hieronymus,
Cyrillus, Ruffinus, Theodoretus, Theophylactus,
Lyranus, Vatablus, Arias, Ribera et alii hæc ac-
cipiunt de redemptione hominum e captivitate
diaboli, facta per Christum.

Verum medium sententiam ego sequor, dico-
que Prophetam alludere ad redditum e captivitate
Babylonica, eumque obiter perstringere; sed sub
eo quasi tenui typo, potius significare redditum e
captivitate diaboli, per redemptionem Christi. Ita
Theodoretus: « Hæc, inquit, typice et adumbrate
sub Zorobabel acciderunt: expresse vero, et ve-
ritate ipsa, ubi Christus se hominem fecit. » Idque
patet ex verbis et promissis Prophetæ, quæ au-
gustiora sunt, quam ut Israelitis, iisque paucis e
Babylone cum Judæis redeuntibus, convenient. Talia sunt: « Arcum et gladium, et bellum con-
teram de terra, et dormire eos faciam fiducialiter. » Nam Judæi, Babylone redeuntes, mox ser-
vierunt Persis, Græcis, Romanis. Et: « Sponsabo
te mihi in sempiternum. » Et: « Dicam non po-
pulo meo: Populus meus es tu; et ipse dicet:
Deus meus es tu. » Quod Apostolus, *Rom. cap. ix, 25*, et *S. Petrus, II epist. cap. 1, 10*, de populo
christiano explicant.

Quæres, cur Ecclesia vocetur *solitudo*, cum in
ea sit gentium multitudo? Respondeo, primo, quia
ipsa coluit unum Deum, qui solus verus est Deus,
ideoque est Baal, vel Baali, vers. 16. Hunc enim
opponit Barlim, id est multis amasiis, dominis,
et diis quos Israel coluit in Aegypto et in Assyria.
In Ecclesia ergo est solitudo Dei, et consequenter
solitudo fidei, et solitudo religionis, cum apud
idololatras et hæreticos sit multitudo et confusio
uti deorum, ita et errorum et sectarum. Hoc est
quod ait Apostolus, *Ephes. cap. iv, 5*: « Unus Do-
minus, una fides, unum baptisma. » Hinc conse-
quenter Ecclesia est sola, id est una, cum hære-
tici et idololatræ plurimas, sibique invicem con-
trarias habeant synagogas et congregaciones.

Secundo, quia, sicut Deus Hebræos duce Mose **Scundus.**
deduxit per mare Rubrum mersis Aegyptiis, in
desertum Sina; ibique eos in suam Synagogam
efformavit, dando legem et sacerdotium; ita et
christianos per mare Rubrum sanguinis Christi
in baptismō, mersis peccatis et vitiis, deducit in
Ecclesiam; ibique eis dat suas leges et sacra.

Tertio, sicut Hebræos in deserto aluit manna, **Tertia;**
et aqua ex petra; ita christianos in Ecclesia alit
Eucharistia, aliisque sacramentis et gratiis, ac
consolationibus spiritualibus.

Quarto, sicut Hebreis in deserto dedit victo- **Quarta.**

*Ecclesia
voatur
solitudo,
cur?*

*Prima
causa.*

riam contra Amalec, Og, Sehon aliosque hostes; ita christianis in Ecclesia dat victoriam contra dæmones, carnem et mundum.

Quinta. Quinto, sicut Hebræos per desertum duce columna ignis per noctem, et nubis per diem, protexit ab æstu et procellis, eosque illuminavit et deduxit in terram promissam: ita christianos in Ecclesia per desertum hujus vitæ deducit, duce Spiritu Sancto, qui in adversis eos illuminat et inflammat, in prosperis protegit et humiles facit, ut securi tendant in terram viventium, promissam in cœlis.

Mora-
liter, de
bono so-
litudinis. Tropologice, Deus vere pœnitentes deducit ad solitudinem, ibique eos divinis donis exercet et perficit, ubi scilicet separati sunt ab omni sæculi, illecebrarum, et hominum turba et tumultu. Ita Magdalenam separavit a turba, fecitque ut se sequeretur in solitudinem; ac post mortem et resurrectionem deduxit eam in solitudinem, montemque vicinum Massiliæ, ubi in Bauma peccata pristina deflens, cum Christo et angelis versabatur, vitam angelicam magis quam humanam agens. Sane, qui e peccatis emergere, vitamque serio emendare et mutare volunt, necesse est ut a turba declinent, et in solitarium locum, saltem ad tempus se recipient; ubi et pristina vicia descendant, et occasiones peccatorum distractio- numque declinent; et meditationibus sanctis, piisque exercitiis insistentes, discant qua ratione et modo vitam corrigere debeant; denique ubi a Deo visitentur, illuminentur et corroborentur in hoc melioris vitæ proposito. Nam, ut ait Job cap. iv, 22: « Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus. » Loquitur enim Deus, ait S. Dionysius lib. *De Divin. nom.*, aut per lumen quoddam, aut per inspirationes internas, raro vero per vocem sensibilem. Ut quis ergo eum audiat, recipiat se in solitudinem et silentium, ubi mentem et aures a rebus aliis avulsas introvertat, et ad Deum qui in centro cordis est reflectat: ibi silentem ejus sibilum et susurrum excipiet. Quæ causa movit Carolum V Imperatorem, ut abdicatis tot regnis in solitarium locum se reciperet, ubi liber a curis et turbis, totus sibi et Deo vacaret, atque ad instantem mortem vitamque beatam se compararet, ut reipsa præstítit perstititque usque ad vitæ finem. Quocirca Franciscus Borja, olim sub eodux Gandiæ, in ejus funere rogatus ut oratione funebri illi parentaret, hoc thema proposuit, Caroloque adaptavit: « Elongavi fugiens, et mansi in solitudine, » ostendens quam pie et sapienter egisset, qui mundum prius reliquisset quam mundus ipsum, quod propediem futurum erat. Novum hoc et orbi nostro sæculo inauditum fuit tanti viri exemplum. Major fuit Carolus in sua eremo quam in imperio: quia major mundo æque ac scipso. Ita noster P. Sacchinus, tom. II *Annal. Societatis Jesu*, ad annum Domini 1558.

Caroli avi sui sensa animi secutus est Philip-

pus III, Hispaniæ rex, moriens hoc anno Domini 1621; licet enim vitam juste, innocenter et pie traduxisset, adeo ut hoc obfirmatum haberet, malle se omnibus regnis privari, quam scienter Deum vel venialiter offendere; tamen in mortis agone penitus rationem regni administrati Deo mox reddendam considerans, et expavescens, in has voces et vota erupit: « Utinam nunquam fuissem rex! utinam annos quos in regno egi exegisset privatus in eremo! utinam vitam solitariam cum Deo duxisset in Thebaide! Quam nunc securius morerer! quam fidentius ad Dei tribunal pergerem! » Ita habet ejus mors typis vulgata, et testantur quotquot ei interfuerent. Audit Lot in Sodomorum incendio: « Salva animam tuam: noli respicere post tergum, neque stes in omni circa regione; sed in monte salvum te fac, » Gen. xix. Ita S. Joannes Baptista secessit in desertum, ut ibi verbo et exemplo prædicaret pœnitentiam, eoque ab urbium strepitu sevocans turbas, omnibus inclamabat: « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. » Ita Christus Dominus inchoaturus opus suæ prædicationis et nostræ redēptionis, sibi a Patre impositum, a Spiritu Sancto ductus est in desertum, ibique ad illud quadraginta dierum meditatione, oratione et jejunio se comparavit, Matth. cap. iv; eodemque prædicaturus turbas eduxit, uti et Apostolos in montem, apicem Evangelii eos docturus, Matth. cap. v, 1. Solitudo enim facit mentem quietam, sibi præsentem, collectam, eamque compungit cogitatione rerum cœlestium et æternarum. Ita S. Hieronymus pœnitens abiit in solitudinem Syriæ, et ad illam invitans Heliodorum, epistolam hoc epilogo quasi celeusmate conclu- Ex s. Hierony-
mo.

dit: « O desertum Christi floribus vernans! o solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas regis magni exstruitur! O eremus familiaris Deo gaudens! Quid agis, frater, in sæculo qui major es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? » Tertullianus, lib. *De Pallio*, cap. v: « Secessi, inquit, de populo, imo unicum mihi negotium est, nec aliud nunc curo quam ne curem. Via meliore in secessu fruare, quam in promptu, » id est in publico. « Nemo alii nascitur, moriturus sibi. »

S. Basilius, cum S. Gregorio Nazianzeno in E. S. Ba-
eremo orationi et studio sacrarum Litterarum silio.

vacans, scripsit tractatum *De Laudibus eremi*, quem sic inchoat: « Solitaria vita cœlestis doctrinæ est schola, ac divinarum artium disciplina. Illic Deus est totum, quod dicitur: via, qua tenditur; totum, per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus est paradiſus deliciarum, ubi spirant ornamenta virtutum: ibi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt; ibi lilia castitatis niveo candore candescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ: ibi myrrha mortificationis, non solum carnis; sed, quod gloriosius est, pro-

præ voluntatis exundat : et thus assiduae orationis indesinenter emanat. » Et paulo post : « O cremus sanctorum mentium delectatio, et intimus gustus inexhausta dulcedo ! Tu caminus ille Chaldaicus, ubi sancti pueri ferventis incendii vires orationibus reprimunt et extingunt. Tu fornax, ubi superni regis vasa formantur, et ad perpetuum nitorem malleo penitentiae percussa, ac lima salutiferæ correctionis erasa perveniant. O cella negotiatorum cœlestium apotheca ! Felix commercium, ubi terrenis cœlestia, transitoriis mutantur æterna. » Et inferius : « O cella spiritualis exercitii mirabilis officina, in qua humana anima Creatoris sui imaginem in se restaurat, et ad suæ redit originis puritatem. Tu das ut homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obvolutus tenebris, Deum et seipsum prius ignorabat. Tu facis ut homo in mentis arce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque prospiciat in ipsa rerum labentium decursione transire. O cella castrum Dei, turris David, angelorum spectaculum, palestra fortiter dimicantium ! O eremus mors vitiorum, fomes et vita virtutum ! Tibi Moyses dedit bis acceptæ legis decalogum. Per te Elias novit Domini per transeuntis adventum. Per te Elisæus duplum magistri sortitus est spiritum. Tu scala illa Jacob, quæ homines vehis ad cœlum, et angelos ad humanum deponis auxilium. O vita eremitica, balneum animarum, purgatorium sordidorum ! cella nempe est conciliabulum Dei et hominum. » Et sub finem : « O eremus mundi consequentis felix effugium, laborantium quies, miserantium consolatio, ab æstu sæculi refrigerium, peccandi repudium, reclusio corporum, libertas animarum, exedra gemmarum cœlestium, curia cœlestium senаторum ! ubi victor dæmonum, socius efficitur angelorum : exsul mundi, hæres est paradisi ; abnegator sui, sectator est Christi. »

Ex S.
Bernard-

do. S. Bernardus, epist. ad Fratres de monte Dei : « Cellæ, ait, et cœli habitatio cognatæ sunt; sicut enim cœlum et cella ad invicem videntur habere aliquam cognitionem nominis, sic et pietatis. A celando enim cœlum et cella nomen habere videntur : et quod celatur in celis, hoc et in cellis. Quod queritur in celis, hoc et in cellis. Quidnam est hoc ? vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem pie et fideliter celebratur in cellis, audeo dicere : Sancti angeli Dei cellas habent pro celis, et æque delectantur in cellis, ac in celis. » Et paulo post : « A cella in cœlum sæpe ascenditur ; vix autem unquam a cella in infernum descenditur : quia vix unquam nisi cœlo prædestinatus, in eo usque ad mortem perstitit. » Et inferius : « Cella terra sancta, et locus sanctus est, in qua crebro fidelis anima cum Verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cœlestia, humana divinis uniuntur. Siquidem sicut templum sanctum Dei, sic cella est servi Dei. » Et : « In templo enim et in cella divina tractantur,

sed crebrius in cella. » Idem, tract. *De Modo bene vivendi ad sororem*, cap. LVIII : « Si, ait, propter Deum in terra vitaveris societatem virorum, per Deum in cœlo habebis societatem angelorum. »

Porro hic secessus maxime querendus est ei qui deliberat de vitæ statu, dubitatque quem capessere debeat. Docet id S. Bernardus, epist. 107, in fine, Thomam præpositum, ut, si cupiat cœli vocem audire, secedat : « Huic, ait, voci Dei tui, dulciori super mel et favum si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito et vacante interno sensu, dicas et tu cum Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico; secretum consilium, secretum querit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit et lætitiam, si sobria aure perceperis. » Hoc modo se præparabat David, cum dixit : « Audiam quid loquatur in me Dominus, quia loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor : » id significans, quod Deus non loquatur iis qui extra cor sunt in res externas effusi, sed iis qui se recipiunt ad interna cogitanda. B. Petrus Damianus, epist. ad Teuzonem, ait se quemdam sanctum eremitam consuluisse de se suoque statu, an sibi expediret, scilicet Ecclesiæ et proximis servire in Cardinalatu et Episcopatu Ostiensi; an vero iis abdicatis recipere se ad monasterium, eo quod vitam illam activam sentiret spiritum suum distrahere et minuere, ejusque profectum impedire. Cui eremita : « Quid prodest lucernæ, si aliis luceat, et ipsa se flamma vorax absumat ? » Quocirca Petrus, relicto Episcopatu et Cardinalatu, ad suum monasterium rediit, ibique totus suæ saluti et perfectioni vacavit. Hæc enim erat prima ejus vocatio, puta monastica.

Jam vero non sufficit solitudo corporis, si desit solitudo mentis, ad quam illa dicit, si nimis mens per ea quæ vidi vel audivit, divagetur, totumque mundum cogitando obserret. Deus, inquit S. Bernardus, serm. 40 in Cant., est Spiritus; requirit ergo a nobis solitudinem spiritualem magis quam corporalem : « Sola, inquit, indicatur tibi mentis et spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es. » Et paulo superius docens quomodo anima fiat sponsa Dei : « Omnino, inquit, supra te est angelorum Domino desponsari. Annon supra te, adhærere Deo, atque unum spiritum esse cum eo ? Sede itaque solitarius sicut turtur, nihil tibi et turbis : etiam ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. O sancta anima ! sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos. An

nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. »

S. Gregorius, lib. XXX *Moral. XII*, explicans illud *Job xxxix*, 5 : *Quis dimisit onagrum liberum in solitudinem, et vincula ejus quis solvit?* « Viri, inquit, contemplativi quasi onagri solitudinem mentis inhabitant, et liberi a sæcularium negotiorum tumultibus, Deum sitiunt. Quid enim prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebulientes ab infimis curas cordis, per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum querant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur. »

Denique scripsit Cornelius Musius, illustris nostro ævo Delphis in Hollandia Christi martyr, carmen doctum in laudem vitæ solitariæ, cui hanc patheticam dat clausulam :

Vive ut vis; sed cum ægrotabis,
Justis lacrymis damnabis
Omnes mundi infulas.
Et cum morti propinquabis,
Tunc, sed sero, provocabis
Ad beatas cellulas.
O beata solitudo,
O sola beatitudo,
Piis secessicolis!
Quam beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porro a mundicolis!

Notatu dignum est quod scribit Joannes Mauburnus abbas Liuriacensis in *Roseto I*, cap. III, sub finem, nimirum varios Ordines variis de causis a primæva sanctitate et splendore decidiisse, ut Cluniacenses propter otium, Cistercienses propter negotia nimia ruralia, Præmonstratenses ob nimia Missarum et chori onera; Mendicantes ob nimiam cum sæcularibus familiaritatem, quia nimis se populo immiscuerunt, juxta illud *Psalm. cv*, 35 : « Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum : et factum est illis in scandalum ; » Benedictinos ob nimias opes, juxta illud : « Filia amplæ dotationis suffocavit matrem devoutæ religionis. » Addit præ cæteris in suo nitore et vigore stetisse Carthusienses ob studium solitudinis et silentii, ac ob strenuam observantiam visitationum. Unde hæc tria carmine complexus ait :

Per tria, si, so, vi, Carthusia permanet in vi (id est vigore).

Si est silentium, so solitudo, vi visitatio. Epi-

scopus enim, rector, superior, visitans subditos, corrigit eos, si prolapsi sint; si stent integri, vigilis et constantes eos conservat. Silentium et solitudo faciunt, primo, ne subditi suas murmurations et tentationes invicem communicent et affracent; secundo, ne mentem terrenis et vanis phantasmatibus, quæ concupiscentiarum sunt excitamenta, impleant; tertio, disponunt animum ut satus divinos excipiat. Deus enim hoc suum balsamum non infundit nisi animo libero, puro, et fœcibus terræ secreto, et soli Deo attendent; hoc enim dignum et justum est. Audi Thomam Theodidactum, lib. I *De Imitat. Christi*, cap. xx : « Dixit quidam : Quoties inter homines fui, minor homo rediit. Nemo secure appetit, nisi qui libenter latet. Nemo secure loquitur, nisi qui libenter facit. Nemo secure præest, nisi qui libenter subest. Qui se abstrahit a notis et amicis, approquinabit illi Deus cum angelis sanctis. Maximi sanctorum humana consortia, ubi poterant, vabant, et Deo in secreto vivere eligeant. »

Id ipsum gentiles per umbram viderunt, sua- Et Gen-
serunt, et re ipsa præstiterunt. Scipio Africanus, til. bns.

teste Plutarcho in ejus Vita, dicebat « nunquam se minus esse solum, quam cum solus esset; nec unquam minus otiosum, quam cum otiosus esset. » Alius ex adverso aiebat « nunquam se minus hominem esse, quam cum inter homines versetur. » Ptolemai, ut habetur in ejus Vita, in prologo *Almagesti*, haec erat gnome : « Securitas solitudinis dolorem removet, pavor multitudinis consolationem aufert. » Cicero senescens, forensis vitæ pertæsus, Tusculum secessit, ibique philosophatus est, ac Tusculanas quæstiones, quibus alterum Senecam se exhibet, conscripsit. Seneca, epist. 1 ad *Lucilium*, dans ei præcepta honestæ et beatæ vitæ : « Quid tibi, inquit, vitandum præcipue existimes, quæreris? Turbam. Nondum enim illi te tuto committeris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui, turbatur; aliquid ex his quæ fugavi, redit. » Et mox : « Inimica est multorum conversatio. Nemo non ali quod nobis vitium aut commendat, aut imprimet, aut nescientibus allinit. Nihil vero est tam damnum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. » Et inferius : « Socrati, Catoni et Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset; adeo nemo nostrum, qui cum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Convictor delicatus pa latim enervat et emollit; vicinus dives cupiditatem irritat; malignus comes quamvis candido et simplici, rubiginem suam affricuit. » Et paulo post : « Recede in te ipsum quantum potes: cum his versare qui te meliorem facturi sunt; illos

admitte, quos tu potes facere meliores! Mutuo ista flunt, et homines dum docent, discunt. Non est ergo quod te gloria publicandi ingenii producat in medium, ut recitare istis velis. Cui ergo, inquis, ista didici? Tibi didicisti. Democritus ait: Unus mihi pro populo est, et populus pro uno. Alius cum quereretur ab illo, quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventuræ: Satis, inquit, mihi sunt pauci, satis est unus, satis est nullus. Epicurus cum uni ex consortibus studiorum suorum scriberet: Hæc, inquit, ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. » Et epistola 8 « Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus, et primum a meis. Durius tractandum est corpus, ne animo male pareat. Contemne omnia quæ supervacuus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te præter animum nihil esse mirabile: cui magno nihil magnum est. » Nonne hæc aurea sunt? nonne quot sententiæ, tot marginaritæ?

Qui ergo ad vitam solitariam vel monasticam a Deo vocantur, hac solitudine jugiter gaudeant, vitamque angelorum agant in Dei laudibus, ac ea utantur non tantum ad suam, sed et ad aliorum salutem, orando, docendo, concionando, scribendo, etc., pro suo quiske talento. Non enim sibi solis sunt nati, sed et aliis. Atque ea est perfecta contemplatio, quæ in actionem dimanat; hæc enim illam fovet, oblectat, perficit et consummat. Qui vero ad vitam activam destinantur, subinde ad solitudinem hanc se recipiant, mentemque a curarum tumultu revocent; et se sibi reddant, ut interquiescat tam corpus, quam spiritus; utque errata sua multiplicita introspiciant et corrigant; utque Deo se uniant, ab eoque ad cor loquente novum lumen, novas vires et animos hauriant, ad labores vitæ illius molestæ sustinendos, et difficultates omnes fortiter superandas, propter Ecclesiæ et reipublicæ publicum bonum.

Memorabilis hac in re fuit Thomas a Kempis, auctor libri *De Imitatione Christi*, anno Domini 1441, qui inter fratres sui Ordinis occupatus, cum iisque colloquens, quoties sentiebat cœlestis sponsi vocem et inspirationem, se quasi sponsam ad colloquium evocantem, humiliter, sed libere fratribus valedicens et secedens, aiebat: « Charissimi fratres, oportet me secedere: est enim qui in cella me exspectat. » Illico ergo in cellam se proripiens, devote instar Samuelis inquietabat: « Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » Ita habet ejus Vita a viro gravi ipsi coævo conscripta. Lege cap. xx, lib. I, et videbis profunda ejus sensa de amore solitudinis et silentii, ac asseres eum in cella ex Dei instinctu hausisse illum cœlestem spiritum, quem ipse cuique ejus libellum legenti jugiter exhalat et afflat. Denique Hugo de S. Victore, lib. IV *De Arca Noe*, cap. iv: « Scrutemur, ait, Scripturas, et inveniemus vix

aut nunquam Deum locutum fuisse in multitudine; sed quotiescumque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus et populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, et a communi hominum frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis et solitudinibus, et montibus et vallibus se manifestavit. Sic locutus est cum Noe, cum Abraham, cum Isaac, cum Jacob, et Mose, Samuele, David et omnibus Prophetis. » Ac paulo post: « Quid est quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat? Et quid quod cum paucis loquitur, nisi ut nos colligat sive uniat? »

ET LOQUAR AD COR EJUS. — Sensus est *primo*, q. d. Loquar ei interius, non exterius: loquar ei in mente et voluntate, non in aure, ingerendo ei suæ ingratitudinis et peccatorum pudorem, terrorem, odium, ac spem veniae, et desiderium et amorem melioris vitæ; ut ad sponsum suum Deum pœnitens redeat.

Secundo, q. d. Cor ejus verbis meis mulcebo, flectam, et ad me meique amorem et cultum convertam. Unde Leo Hebræus vertit: « Loquar in cor ejus » Hoc est quod ait *Ezech.* cap. xxxvi, 26: « Dabo vobis cor novum et spiritum novum. » Vide ibi dicta.

Tertio, ex Hebræo proprie vertas: *Loquar secundum cor*, id est affectum *ejus*, q. d. Alloquar eum blandis verbis et plenis consolatione, quasi sponsus sponsam ad me revertentem; quibus ejus cor, id est amorem et affectum, lactabo, ut præcessit, mulcebo, et ad me rapiam. Sicut Isaías cap. xl, vers. 2, ait: « Loquimini ad cor Jerusalēm, » id est *consolamini eam*, uti præcessit. Unde Syrus vertit, *demulcebo cor illius*; Arabicus: *Loquar in corde ejus*, et *detrimentum non ingredietur intellectum illius*, uti fit ab amasiis carnalibus et fallacibus. Sic Genes. xxxiv, 3, de Sichem consolante Dinam a se violatam dicitur: « Tristemque delinivit blanditiis, » Hebraice, *locutus est ad cor puellæ*. Sic Booz consolatus est Ruth: « Et locutus est ad cor ejus, » Ruth II, 13. Fecit hoc Deus Synagogæ per Esdram, ut patet lib. II, cap. viii, 10, ubi Esdras legens populo legem, illi flenti dixit: « Ite, comedite pinguis, et bibite mulsum, etc., quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari; gaudium enim Domini est fortitudo nostra. » Sed maxime fecit id Ecclesiæ per Christum et Apostolos, præsertim in Pentecoste mittendo Spiritum Sanctum quasi paracletum, id est consolatorem fidelium; in quo, ut ait Apostolus Rom. viii: « Clamamus: Abba Pater. » Unde ipse hoc spiritu plenus et exultans, in omnibus suis laboribus et tribulationibus jubilabat dicens: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. » Et cap. xii, 9: « Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi: propter quod placeo mihi in infir-

mitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. » Ita Deus eremita in sua austera vita, Magdalenam et paenitentes in suis lacrymis, martyres in tormentis consolatus est; adeo ut illa omnibus epulis præferrent. Hoc est quod ait Isaías cap. x, vers. 27: « Computræsset jugum a facie olei! » Vide ibi dicta.

Mystice, loquitur Deus ad cor sanctorum, qui se totos illi despondent, imo consecrant, dum student illi per omnia placere, illi jugiter inhærente, cum illo ambulare et colloqui. His enim præsentem se sistit quasi sponsus, loquitur, erudit, consolatur: « Quo præsente, » ait Richardus Victorinus in *Cantica* (explicans illud cap. III, 4: *Paululum cum pertransisset eos, inveni quem dilit animamea*), « innovatur anima, et quasi ei adhaerens sentit interni gustus dulcedinem, intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, charitatis incentivum, compassionis affectum, justitiae zelum, delectationem virtutum. Habet in oratione cum Deo familiare colloquium, audiri se sentiens, et plerumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, et audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, et interdum convincens. » Ecce hæc loquitur ad cor sponsæ sponsus, facitque eam loqui, ut ei postulanti eadem largiatur.

Idem docet S. Bernardus serm. 57 et 58 in *Cant.*, ubi explicans illud: « En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, » ait Deum in anima devota loqui humilitatem, patientiam, fraternalm charitatem, obedientiam, pacem, mortificationem vitiorum, compunctionem omnemque sanctimoniam. « Porro, inquit, hoc igne consumpta omni labe peccati, et rubigine vitiorum, si jam emundata ac serenata conscientia, sequatur subita quædam atque insolita latitudo mentis, et infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter proximos ædificandos ror dari, oculus procul dubio respiciens est iste, educens quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem. » Subdit sponsum hortari sponsam, id est viros perfectos ad regimen imperfectorum, ut ex eis vitia extirpent et virtutes inserant, dicendo: « Surge, propera, amica mea. » Idem, serm. 74: « Vivum, ait, et efficax est Dei verbum, moxque ut intus venit, exercefecit dormitantem animam meam, movit et mollivit et vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, et male sanum. Cœpit quoque evellere et destruere, ædificare et plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non et mittere prava in directa, et aspera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. »

15. ET DABO EI VINITORES EJUS EX EODEM LOCO. — Vers. 15.
Ita et Chaldæus, qui proinde in Hebræo legit cum Nostro כְּרָמֵיהּ *koremeha*, id est vinitores ejus. Jam aliis punctis legunt כְּרָמֵיהּ *kerameha*, id est vineas ejus: unde et Septuaginta vertunt, *possessiones ejus*, q. d. Vineta quæ in terra Chanaan eodem loco, puta in solitudine, de qua præcessit, incipiunt; quæque Israelitis abstulerunt Assyrii, vers. 12, restituam eis ibidem. Ita Vatablus. Et mystice, per Christum restituam eis gratiam et dona Spiritus Sancti, qui est pignus hæreditatis æternæ, *Ephes.* I, 23. Hæ enim sunt vineæ, quas fideles hic possident inchoate, sed plane possessuri sunt in cœlo. Ita Arias. Verum eodem reddit sensus, sive vineas legas, sive vinitores: ubi enim est vinea, ibi est et vinitor, et vice versa. Quocirca Sanchez censem hic alludi ad ritus nuptiales, in quibus dos sponsæ data, erat dotalis ager: ita enim Deum hic suæ sponsæ, puta Synagogæ, in dotem dare vineam fertilissimam Engaddi: illam enim vel eamdem, vel vicinam esse valli Achor. Unde eo alludi *Cantic.* I, 13: « Dilectus meus in vineis Engaddi. » Et *Cantic.* VIII, 11: « Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos; » hebraice, *in Baal hamon*. Idem enim videtur locus qui hic vocatur *Vallis Achor*, et ibi *Engaddi*, ac *Baal hamon*. Vallis Achor hic ergo præ cæteris Judææ locis meminit Osee, quia hæc fuit velut prima dos a Deo data Synagogæ, per quam quasi accepit spem et arrham totius Chananææ brevi possidendæ.

Aptius tamen Noster legit, *koremeha*, id est vinitores ejus: vinea enim Dei erat olim Synagoga, nunc est Ecclesia, ut patet *Isaiæ* v, 7: « Vinea Domini exercituum domus Israel est. » Et *Matth.* XXI, 33, vinitores sunt Prophetæ et Apostoli. Unde Chaldæus verit: *Constituam ei inde gubernatores ejus*. Sensus ergo est, q. d. Sicut olim vineæ meæ, id est Synagogæ, puta Israeli exœunti ex Ægypto dedi curatores et cultores, puta Mosen, Josue et Aaron; ita postea eidem redeunti ex Assyria et ex Babylone dabo similes, puta Esdras, Nehemiam, Aggæum, Malachiam, etc.; ac tempore Christi dabo ei Apostolos, Evangelistas, aliosque pastores et doctores, qui primi erunt « ex eodem loco, » puta oriundi ex Israele æque ac Moses, Esdras, etc.; nam postea eorum successores erunt alieni et peregrini, uti prædictit Isaías cap. LXI, 5, puta gentiles conversi ad Christum; cum scilicet Ecclesia per gentes sparsa et propagata fuerit. Hi ergo erunt vinitores maxime seduli et strenui, qui assidue Ecclesiam, puta fidèles, custodient, dirigunt, corrigit, excitabunt, ut fructus bonorum operum, quibus vitam æternam mereantur, proferant, perinde ac vinitores vineam solent plantare, dirigere, putare, ablaqueare, etc., ut uvarum copiam proferat. Ita S. Hieronymus, Emmanuel, Mariana et alii passim. Moraliter discant hic pastores et prælati se esse vinitores suæ parochiæ vel diœcæseos, illam-

que tanta cura et assiduitate excolere debere,
quanta vinitus excolit vineam.

ET VALLEM ACHOR AD APERIENDAM SPEM. — Vallis Achor sita est juxta Jericho : dicta est *Achor*, id est turbationis, eo quod Hebrais duce Josue ingredientibus terram promissam, ob sacrilegium Achan, ibidem Israel turbatus sit et cæsus ab hostibus. Nam Josue, cap. vii, 25, dixit ad Achan : « Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac, indeque vocatum est nomen loci illius, Vallis Achor usque hodie. » Erat hec vallis amœna, compascua et fecunda, ut patet *Isaiæ* LVI, 10. Unde Israel ingrediens in Chanaan, in ea primum ex longa quadraginta annorum peregrinatione conquievit, seque refecit et recreavit.

Pro *ad aperiendam spem*, hebraice est *ad*, vel *in ostium spei*, ut vertit Vatablus, Pagninus, R. David et alii. Sic Latini dicunt, *aperire fores amicitiae*, cum cui ad eam aditum vel occasionem præbent. Theodotion vertit : *Ad aperiendam spem*, id est *sustinentiam et exspectationem ejus*. Hebreum enim, תְּקִוָה *ticva* significat filum, lineam et extensionem, indeque per metaphoram longam spem et exspectationem : spes enim est quasi linea, qua se animus sperantis ad rem speratam extendit et prolongat, dum ad eam sperando anhelat. Hoc spectasse videtur Chaldeus dum vertit, *ad delicias animæ*. Anima enim, rem speratam adipiscens, ea deliciatur. Mirum est Septuaginta et Syrum vertere, *ad aperiendam intelligentiam*, vel, ut *Syrus*, *sensem suum*; quod tamen Theodoreetus et Theophylactus congrue sic expnunt, q. d. Sicut ex poena Achan et conturbatione Israel in valle Achor, ob furtum Achan, intellexit et didicit Israel timere Deum, ejusque plagas et vindictam; ita pariter ex captivitate Babylonica didicit eumdem revereri, eique obedire; multo magis exinde christiani timent Christum, ejusque legi parent, ne in valle Achor, id est perturbationis et gehennæ, ubi nullus est ordo, sed semipiternus horror inhabitat, detrudantur, sicut Achan in valle Achor lapidatus et combustus est. Ita moraliter ex adversis eruditur anima, et devenit ad consolationem speratam.

Porro nostræ versionis multiplex est sensus. *Primo*, a Castro explicat, q. d. Sicut in valle fertilissima, quæ postea a peccato et punitione Achan, dicta est Achor, Israel ex longo itinere recreatus est, et uberrimos terræ promissæ fructus prælibare et gustare incœpit; indeque intellexit quanta esset totius terræ illius ubertas, eamque certa spe concepit et quasi devoravit; ita pariter eadem vallis Achor, prima eidem ex Babylone redeundi occurret, in qua requiescat, et primitias fructuum terræ cum gaudio prælibet : ac tempore Christi Israelitis ex captivitate diaboli redeuntibus, et ingressis terram Evangelicam prima occurret eadem vallis, puta Ecclesia Hierosolymitana, omni virtutum genere florens : indeque aperietur janua spei, simili modo totum

orbem subjiciendi Christo et Evangelio, ex eoque uberrimos virtutum fructus colligendi. Nam ex ubertate vallis illius, tanquam ex ungue leonem, et ex filo glomum eruerunt, collegerunt et intellecterunt ubertatem terræ reliquæ, quam involute cognoverant et sperabant. Unde Chaldeus vertit : *Vallem Achor, ad delicias animæ*. Illas enim gustarunt primi christiani, qui cum Apostolis primitias spiritus hauserunt. Idem experiuntur qui vitam malam in bonam, aut bonam in meliorem et perfectiorem commutant : sentiunt enim miram animæ quietem, suavitatem, consolacionem; ac ex illa conjiciunt longe majorem sentire eos qui proventi sunt; et maximam, qui post luctam in celis coronantur; « ubi erit vita sine morte, sine errore veritas, sine perturbatione felicitas, » ait S. Augustinus, *Enchir. xxiii*, ex quo spem concipient idem sibi eventurum, si perseverent.

Hic sensus appositus est; sed non plenus, nec adsequatus : non enim explicat, nec applicat cur hæc vallis dicatur Achor : in voce enim *Achor* magna est emphasis, uti omnes interpretes docent. Quocirca

Secundo, Vatablus putat hic esse antithesin vallis Achor et Ecclesiæ, q. d. Non erit in ista mutatione, puta in Ecclesiæ fundatione, tale initium, quale fuit in ingressu terræ sanctæ : illic enim fuit turbatio; hic, nempe initio Ecclesiæ, læta et prospera erunt omnia.

Tertio, optime S. Hieronymus, quem sequuntur Haymo, Rupertus, Lyranus, Ribera et alii, censent hic alludi ad factum Josue, qui Achan sacrilegum occidit, omniaque quæ ejus erant, igne consumpsit; indeque potitus est urbe Hai totaque Chananæa. Significat ergo quod « in prima Israelis victoria, inquit S. Hieronymus, mœror in gaudium commutatus sit : ibique aperta est spes, ubi fuerat desperatio; ut punitis his qui peccaverent in Christo, et commisere sacrilegium, salvantur ex eis qui blasphemantes Judæos fuerint detestati, et quantum in se est, interfecerint, » q. d. Olim in valle Achor punito Achan conturbatio in quietem, et in spem conversa est desperatio Israelis. Ita et tempore Christi punientur Judæi sacrilegi et Christicidæ; tumque salutis spem concipient veri Israelitæ, qui eorum incredulitatem et scelus fuerint detestati; et quantum in se est, sustulerint : Josue enim fuit typus Jesu Christi; Achan, Judæorum incredulorum; vallis Achor, Judææ et Jerusalem. Quocirca Beda, et ex eo Haymo : « Sicut, inquit, occiso Achan populi perturbatore, omnis Israel spem concepit hostes suos devincendi, eorumque urbes capiendi; ita destructa Jerusalem per Romanos, Apostolis ceterisque credentibus aperta est spes victoriae de universo mundo reportandæ, » ut scilicet gentes subjicerentur Christo et Ecclesiæ.

Moraliter hic significatur *primo*, Ecclesiam ob sclera impiorum, præsertim sacrilegorum, pu-

niri et turbari; ideoque illam impios plectere et expellere debere, tumque fore ei omnia prospera: sic enim punito Achan, Israel habuit maximas victorias contra Chananæos. Sic ergo ait S. Augustinus, Quæst. VIII in libr. Josue: « Disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in populo, sed invicem adhibeant diligentiam, et tanquam unius corporis et unius hominis, alia pro aliis sint membra sollicita. » Sicut enim manus furis peccante et furante, totum ejus corpus plectitur: ita fit et in corpore politico, puta in Ecclesia, ut scilicet Deus eam castiget ob membrorum, id est fidelium paucorum, et subinde unius enormia peccata. Vallis ergo Achor est vallis justitiae et vindictæ, ac consequenter spei.

Secundo, hic docemur pœnitentiam aperire ostium spei et salutis: pœnitentia enim est vallis Achor, qua mens timore Dei percellitur. Nam, ut ait Albertus et Dionysius: « Interfecto Achan, debilitas populi versa est in fortitudinem, paupertas in abundantiam, tristitia in gaudium, et hæc omnia in valle pœnitentiae seu contritionis promittuntur: in ea enim aperitur ex perceptione præsentium bonorum spes futurorum. »

Tertio, discimus hic Deum permittere Ecclesiam et fideles tentari, vexari, turbari extreme, et ad restum quasi adigi; tuncque si ipsi in spe, et invocatione Dei persistant, celerem et admirabilem afferre opem: vallis enim Achor est humiliatio et tribulatio, quæ est janua spei. Ita Christo crucifixo et occiso, turbati sunt Apostoli et Ecclesia, illaque videbatur peritura, sed mox tertio die Christus resurgens, eam in miram lætiiam et spem erexit. Ita sub Diocletiano summa erat fidelium persecutio: juraverat enim ipse se illos extirpatum, aut imperium depositurum, quod proinde de facto depositit; et ecce subito Deus affuit, ac per Constantimum Ecclesiæ libertatem et triumphum dedit. Idem passim in particularibus Ecclesiis, congregationibus, Ordinibus et fidelibus quibusque semper fuit, et etiamnum est videre. Qui ergo est in valle Achor, id est in turbatione, temptatione et persecutione, stet in fiducia Dei, sciatque certo vicinam esse consolationem, Deumque mox apertum ostium spei et salutis. Hoc est Dei paradoxum: « Vallis Achor aperit ostium spei, » nimurum desperatio (res desperata) parit spem, turbatio quietem, tentatio gaudium, tribulatio coronam, lucta triumphum. Sic sœpe desperatio viciis est stimulus et causa victoriæ. Hinc ait Abner ad Joab in conflitu nimis se suosque urgentem: « An ignoras quod periculosa sit desperatio? » II Reg. I. Hinc illud in præliis aureum præceptum: « Hosti fulti aureum sterne pontem. » Qui enim desperant de vita et salute, extrema tentant, et in rabiem acti, ne inulti moriantur, victores secum in exitium trahunt. Talibus enim « una in audacia est spes salutis, » ait Tacitus, lib. IV.

Unde Ovidius, libro III *De Ponto*, eleg. VII:

Proximus huic gradus est bene desperare salutem,
Seque semel vera scisse perisse fide.

Et Seneca in *Medea*:

Qui nihil potest sperare, desperet nihil.

Et alius:

Unica spes viciis est desperare salutem.

Vere Triverius, *apophtheg.* 50: « Qui in summo, ait, periculo omnem liberationis spem abjicit, Deum cum malo duce comparat, qui militis oblectatur interitu, aut exercitum in præcipito collocat. »

Quocirca abbas Isidorus apud Sophronium, in *Prato spirit.* cap. cx, dicebat: « Dæmonum opus est ut, cum animam in peccatum dejecerint, tunc nos in desperationem præcipitent, ut perfecte nos perdant; semper enim dæmones dicunt animæ: Quando morietur et peribit nomen ejus? At pœnitens e contra clamabit: Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Ipsi impudentes rursum clamant: Transmigra in montem sicut passer. Idcirco et nos ad illos dicere debemus: Nam et ipse Deus meus et salvator meus, adjutor meus, non emigrabo. »

Idem Isidorus dæmoni suggestenti ei desperationem, ac dicenti: « Quoniam post hæc omnia iturus es in tormenta, » respondebat: « Quamvis ego in tormenta mittar, tamen vos subtus me invenio, » teste Ruffino in *Vitis Patr.*, lib. III, num. 101, qui similia refert, num. 102 et seq.

Porro causa cur Deus suos permittat ad extrema adigi, est, ut plane diffidant sibi omniq[ue] op[er]e creatæ, ac toti fidant Deo, in eumque se totos conjiciant; quod dum faciunt, non potest non succurrere. Ipse enim promisit dicens: « Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, » *Psalm.* xc, 14. Hoc est quod Propheta ait ad Josaphat regem hostibus circumcessum, II *Paral.* xx, 15: « Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem; non est enim vestra pugna, sed Dei. Non eritis vos qui dimicabis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos. » Sic et Moses, Hebræos a Pharaone cinctos ac pavidos animans, ait *Exodi* xiv, 13: « Nolite timere: state et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. » Hoc est quod canit Psaltes, *Psalm.* xxi, 5: « In te speraverunt patres nostri: speraverunt, et liberasti eos. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt; in te speraverunt, et non sunt confusi. » Et *Ecclesiasticus* cap. II, 11: « Respicite, filii, nationes hominum, et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. » Et *Job*, XIII, 15: « Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo, » q. d. Dum spiro spero, et vivens et moriens spero in Deo meo. Et *Josue* cæsus ab hostibus, cap. vii, 9: « Quid facies, ait, nomini tuo magno? » Et *Psalm.*

ies rursum, *Psalm. cxiii*, 9 : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Idem securus et exsultans in Deo : « Dominus, ait, illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? » *Psalm. xxvi*, 1. Vide sequentia. Hoc est quod Graeci dicunt : Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς; et Latini : « Deus ex machina, Deus ex improviso apparet. » Et Euripides in *Oreste* : « Apollo in mediis tumultibus apparet, res turbatissima subite componit. » Sic Priamus apud Homerum, *Iliade* ω :

Numen adhuc aliquod dextram mi obtendit amicam.

Et adagium vetus :

Adhuc aliquis deus respicit nos.

Allegorice Leo Castrius (licet ipse id putet esse litterale) : Vallis Achor, id est passio et turbatio Christi, ac nominatum vallis Getsemani, ubi orans captus est Christus, turbatique sunt et fugerunt Apostoli, facta est credentibus spes et janua vitæ æternæ : per illam enim redempti et salvati sumus.

ET CANET IBI JUXTA DIES JUVENTUTIS SUÆ. — Septuaginta et Syrus : *Et humiliabitur ibi*; Symmachus : *Et affligetur ibi*; Theodotion : *Respondebit ei*; Aquila : *Et audiet*; Chaldaeus : *Dedent sese ibi verbo meo*; Noster, Vatablus et alii melius vertunt : « *Et canet ibi* » licet enim Hebraeum מִלְחָמָה ana et humiliari, et affligi, et respondere, et audire et canere significet; et licet Israel in Ægypto a Pharaone afflictus sit : tamen hic non agitur de afflictione, sed de liberatione, et ob eam lætitia et cantu, q. d. Sicut olim Synagoga Israelis liberata a Pharaone merso in mari Rubro, cecinit alternis choris Deo carmen eucharisticum dicens : « *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare* », *Exod. xv*; ita pariter canet, cum ex Assyria et ex Babylone liberata a Cyro redibit in patriam; ac multo magis cum e captivitate peccati et diaboli liberata a Christo redibit in Ecclesiam, ut tendat in patriam et Jerusalem cœlestem : canet, inquam, quasi alternis choris, his præcinentibus, aliis succinentibus, tanquam exsultans de tanto dono, tripudians et triumphans. Ita S. Hieronymus, Vatablus et alii. Simili modo anagogice Beati in cœlo qui mare hujus sæculi feliciter quasi videntes transierunt, canunt canticum Mosis et Agni, *Apoc. xv*, 3.

Nota : « Dies juventutis » Synagogæ vocat tempus Mosis, quo illa recens nata, evocata a Deo ex Ægypto, et educta per Mosen, lætabunda cecinit, gratiasque egit Deo, *Exodi xv*; unde explicans subdit : « *Et juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti*. » Vox enim et est διηγητικὴ, idemque valet quod *id est*.

16. ET ERIT IN DIEILLA, AIT DOMINUS : VOCABIT ME, VIR MEUS, ET NON VOCABIT ME ULTRA, BAALI. — Ita legendum cum Hebræo, Romanis et Septuaginta, non *Baalim*. Nota : *Baali* idem est quod do-

minus meus, habens vel possidens me, maritus meus. Et sic vocabant uxores Hebrææ maritos suos, dicentes : *Baali*, id est domine et marite mi, peto hoc vel illud abs te; unde idem est *Baali* quod יְשֵׁרֶת isci, id est vir meus : quo sensu Arabinus verit : *Vocabunt me Baali, et non Baalim*. Verum quia Baal in plurali addita littera *m*, puta *Baalim*, significat deos et idola, et quia Baal, sive Bel, et Belus, deus erat gentium idololatrarum; hinc in odium idolatriæ, et ad ejus extirpationem, nomen hoc abolet Deus, « ne, dum Israel aliud loquitur, alterius recordetur; et virum nominans idolum cogitet, » ait S. Hieronymus, q. d. Esto sim vester Baal, id est dominus et maritus : nolo tamen me hoc nomine compelleatis, ne videar esse Baal, vel *Baalim*, id est deus Chaldæorum, Tyriorum et aliarum gentium. Simile esset si diceret : Nolo a vobis vocari *Jehova*, vel *Jova* (uti Calvinus, Castalion et alii Novantes vertunt vocantque *Deum*), ne me Jovem aestimetis, q. d. Israelitæ Babylone redeuntes, et multo magis credentes in Christum, adeo *Baalim*, id est idola, detestabuntur, ut nec nominare ea velint, nec memores eorum futuri sint per labia sua. Ita Rupertus, Haymo, Dionysius, Vatablus, Emmanuel et alii. Unde Syrus verit : *Vocabat me, Vir meus, et non, Baal meus*.

Aliter R. Salomon, Lyranus, Leo Castrius, Secundo. Mariana, Isidorus et Arias exponunt, q. d. Israel in lege nova compellabit me *Iscri*, id est Vir meus, quod amoris est nomen : sponsum enim amantisimum significat; non *Baali*, quod timoris et dominatus est nomen : Baal enim significat herum, sive dominum imperiosum, uxori et aliis herili jure dominantem. Sic Augustus Cæsar noluit vocari Dominus, eo quod domini ad servos referantur, ut tyranni, non ut reges in subditos, qui eis sint id quod est pastor ovibus. Dominus enim et servus correlativa sunt. Hoc est quod ait Apostolus, *Rom. viii*, 15 : « Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei. » Judæis ergo Deus fuit Baal, id est Dominus : Christianis est *isç*, id est vir et sponsus. Verum priorem sensum exigit id quod sequitur : « *Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum*. » Potest tamen hic secundus sensus ut accessorius et allusivus admitti. Ad varia enim alludunt hebreæ voces.

Unde voce *iscri*, id est vir meus, allusio esse Tertio. potest ad וְנַסְכֵּל esç, id est ignis, q. d. Deum invocabis nomine *Iscri*, id est Vir meus, quasi *escri*, id est ignis meus, amor meus; Deus enim noster ignis consumens est, totus amor, totus ardor : ardet enim amore nostri. Quocirca Hebrei dicunt virum vocari *isç*, ab וְנַסְכֵּל esç, id est ignis, eo quod calidæ sit naturæ et igneæ complexionis, cum femina sit aqueæ et phlegmaticæ. Ita in Pentecoste Deus ostendit se esse *escri*, id est ignem nostrum, quando in specie ignis et linguarum

Dens
vult vo-
eari vir,
non do-
minus,
eur?
Primo.

ignearum descendit in Apostolos, eisque dedit cor igneum et linguam igneam.

Quarto. Alii, ut Forsterus, censem virum dici hebraice *ἰσχη*, a verbo *ἰσχειν*, id est *est*, vel *existit*; eo quod vir prior sit essentia seu existentia femina; femina enim ex viro costa formata est, indeque dicta est *ἴσχην* *ἰσχα*, quasi virago, aut potius vira a viro. Utut est, sicut Latinis vir dicitur a *virtute*, Græcis ἀνὴρ ab ἀνδρείᾳ, id est *fortitudine*; ita Hebræis *ἰσχη* significat virum, qui ætate, auctoritate, dignitate, virtute, robore, judicio et gloria non tantum feminis, sed et juvenibus, omnibusque plebeis præstat et anteponitur. Vir ergo idem est quod virilis, præstans, illustris. Sicut ergo homo dicitur *Adam* ab *adama*, quasi terrenus a terra, luteus a luto, et *וְיַעֲשֵׂה* *enosc* ab infirmitate, quasi desperatae vitæ, et brevi moriturus: ita ex adverso dicitur *ἰσχη* a robore, præstantia, virtute. Quocirca apposite hic jubet Deus se a Synagoga vocari *ἰσχη*, utpote qui omnibus rebus præstet et tempore, et dignitate, et potentia, et providentia. Ipsius enim nomen est *Jehova*, sive: « Ego sum qui sum. » Et: « Qui erat, et qui est, et qui venturus est; » Apoc. I, 4. Et sic apposite opponitur Baalim, id est idolis, quæ non habent esse verum, sed fictum; suntque dii non veri, sed mendaces: « Idolum » enim « nihil est in mundo, » ait Apostolus I Cor. VIII, 4. Vide ibi dicta.

ET PERCUTIAM CUM EIS FOEDUS IN DIEILLA, CUM BESTIA AGRI. — Pro cum eis Hebræus et Septuaginta habent eis. Unde S. Hieronymus in Comment. legit: *Percutiam fædus inter eos et bestias*. Loquitur de Synagoga sive Israele nunc in singulari, nunc in plurali: quia in populo sunt multi. Theodoreus et Theophylactus putant hæc præstata Israelitis Babylone redeuntibus. Hi enim Deo auctore fædus et pacem habuerunt cum bestiis, id est cum barbaris, puta cum Persis, Græcis et Romanis: item proprie cum bestiis, inquit Theophylactus, quia Deus effecit ut feræ et bestiæ fruges eorum non consumerent aut læderent. Verum hæc levia et exilia fuerunt: quare plenius et perfectius hæc eis præstata sunt per Christum.

Ubi nota: Symbolice hic *bestiæ* significant homines barbaros et truces: *volucres* significant timidos et ambitiosos: *reptilia* denotant vafros et ventri deditos, q. d. Hi omnes per Christum et Apostolos contrariis virtutibus exculti et mansueti, pacem inibunt et colent tam cum Deo, quam inter se. Hoc est quod prædictum Isaias cap. XI, 6: « Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit, » etc. Hinc et S. Petrus, Act. X, 43, mittendus ad Cornelium aliosque gentiles, vidit linteum plenum quadrupedibus, serpentibus et volatilibus, audiitque: « Occide, et manduca: » ex quo intellexit gentibus esse prædicandum Evangelium, easque convertendas ad Christum. Ita S. Hieronymus, Theodoreus, Haymo, Albertus, Hugo, Vatablus, Ribera et alii. Vide dicta Isaiae xxiv.

Insper Apostoli aliique nonnulli illustres Sancti, ut S. Antonius, Franciscus, vere et proprie acceperunt a Christo potestatem in serpentes, scorpiones, pisces, aves et bestias terræ, Luccæ x, 9. Ita Rupertus, Isidorus et Arias. Verum hoc paucorum fuit privilegium: prius vero omnibus fidelibus est commune. Prior ergo sensus est genuinus et plenus.

19. ET SPONSABO TE MIHI IN SEMPERERNUM, — q. d. Vers. 19. Israelem olim ob adulteria, id est idolatriam, repudiavi, et Assyriis in prædam dedi; at jam Babylone reduces, et longe magis tempore Christi vicos Israelitas, eos scilicet qui ex Israele et ex gentibus ab infidelitate et impietate convertentur, credentes in Christum, adsciscam mihi in sponsam, puta in Ecclesiam, quam nunquam repudiabo, sed mihi copulabo in æternum; id eoque ut sponsalia hæc et connubium confirmem sanciamque in æternum, dotem ei excellentem et multiplicem dabo, qua exornata non possit non mihi jugiter placere, ut eam cogar semper amare et ut conjugem retinere. Dotes hæ sunt justitia, judicium, misericordia et fides. Recte Theodoreus, Rupertus, Lyranus, Arias et alii passim ex τῷ *in sempiternum* inferunt hic agi de Ecclesia Christi; nam Synagoga est repudiata, et esse desiit. Sensus ergo est, q. d. Synagogam mihi despensabo usque ad Christum, tuncque per Christum vertam eam in Ecclesiam, quæ erit mihi sponsa æterna. Hinc patei Ecclesiam nunquam in fide defecisse, nec posse deficere.

ET SPONSABO TE MIHI IN JUSTITIA ET JUDICIO. — **Primo**, Sanchez explicat, q. d. Regam te, et in officio (hoc enim est justitia et judicium) continebo, ac vivendi leges præscribam, quasi maritus uxori, quomodo filia in officio continetur a patre, a quo leges accipit, quas sequatur, utpote qui illius pudori et honori consulit, deque rebus omnibus necessariis providet. Cui per patrium nomen ac potestatem licet admonere libere, atque etiam severe, si quando in eo quod jus exigit conjugale, peccaverit. Maritus enim succedit in locum patris, quem sponsa relinquit, ut totum amorem et studium in maritum transferat. Unde Jerem. III, 4, a Deo sponso audit Synagoga: « Amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ. » Hæc ergo est mutua inter sponsum et sponsam justitia, sive officium. Rursum, q. d. Justificando te et judicando, sive vindicando te in sponsam accipiam. *Justitia* enim hic, *primo*, significat justificationem Ecclesiæ et fidelium, qua Deus eis infundit justitiam, id est gratiam, charitatem cæterasque virtutes, quibus abolenunt peccata, et constituuntur justi gratique Deo, Deique filii et heredes; imo uxores et sponsæ, ut hic ait Propheta. *Judicium* significat jus et sententiam judiciale, quam pro Ecclesia tulit Deus contra diabolum, qui ut tyrannus eam injuste possidebat, eique dominabatur. **Secundo**, *justitia* et *judicium* cum junguntur in Scriptura, signifi-

cant duas partes, sive duo officia justi judicis et judicii. **Judex** enim per justitiam justos defendit, disque dat et conservat, id quod est ipsorum; per judicium vero judicat et condemnat impios, qui justos injuste vexant et persequuntur, *q. d.* **Ego te, o Ecclesia, o sponsa, te tuaque semper uebor, ego hostes et persecutores tuos puniam et disperdam.**

ET IN MISERICORDIA ET IN MISERATIONIBUS. — Est hendiadys, *q. d.* In misericordia summæ miserationis, in misericordia maxima, utpote profecta ex intimis visceribus, et ex viscerali commiseratione; hanc enim significat hebreum **רָחָם rachamim.** Est hæc secunda arrha et dos sponsæ, qua Deus eam in æternum sibi despontet; nimirum intima miseratio et summa misericordia illi a Deo exhibita, et jugiter exhibenda. Hoc est quod ait Paulus *Tit. III, 5*: « Non ex operibus justitiae quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum. » Hæc sunt viscera misericordiæ Dei, quæ in nos effudit per Christum, *Luc. I, 78.*

Vers. 20. **20. ET SPONSABO TE MIII IN FIDE.** — Tertia dos sponsæ est fides; unde tertio repetit *τὸ* sponsabo, ut certam, plenam, perfectam, et in æternum duraturam desponsationem sanciat et significet. Quocirca Chaldaeus vertit: *Consolidabo et stabiliam sedem meam in te.* Sicut enim in matrimonio est mutua corporum traditio, ita hic sponsa se tradit Deo, ac vicissim Deus se tradit sponsæ, ut in ea thronum sibi æternum constituat, in quo quasi rex et judex habitat et sedeat, ac judicium exerceat justos tuendo, impios puniendo. Unde thronus hic Dei quatuor virtutibus quasi columnis fulcitur: nimirum justitia, judicio, misericordia et fide. Sic *Psalm. LXXXVIII, 15*: « Justitia et judicium præparatio (id est fulcimentum: hoc enim significat hebreum **מְכוֹן mechon**) sedis tuæ. » Et *Proverb. XX, 28*: « Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus. » Porro fides hæc in Deo est fidelitas et constantia in promissis, quæ in Scriptura vocatur *veritas.* Per hanc enim Deus sponsæ assecurat nuptias has cum illa fore perpetuas, nec ullo repudio divellendas. Ita a Castro. In sponsa vero accipi potest, tum eadem fidelitas, qua sponsa se fidelem promittat et præstet suo sponso, ut nil præter eum amet; tum fides christiana, quæ est initium justitiae et gratiæ, per quam despondemur Deo. Hæc enim Christi fides initio Ecclesiæ maxime inculcanda fuit, ut homines crederent in Deum incarnatum et crucifixum, itaque fierent fideles, et sponsæ Dei ac Christi. Vide de desponsatione animæ cum Deo quæ dixi *II Cor. I, 2*, ad illa verba: « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Intuere hic amorem et zelum sponsi Dei in sponsam Synagogam. Merito **S. Bernardus, serm. 5 De Dedicat. Eccles. citans**

hæc Osee verba, subdit: « Si non fecit ille quod sponsus, si non tanquam sponsus amavit, si non zelatus est tanquam sponsus, noli acquiescere sponsam te arbitrari. »

Porro Philo Carpatheriorum Episcopus ordinatus a S. Epiphanio, tempore Arcadii et Honorii Imperatoris scribens in *Canticum Cant.* tom. I *Biblioth. SS. Patrum*, explicans illud *Cant. III, 11*: « Ereditimini, et videte, filie Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, » docet Christum ter, sive tribus diebus, sibi despondisse Ecclesiam. **Primo**, dum incarnatus est: tunc enim sibi carnem nostram, et per eam hominum Ecclesiam cœlumque hypostatice copulavit. **Secundo**, in passione: tunc enim suo sanguine Ecclesiam lavit, sibique in sponsam emit. **Tertio**, in Pentecoste: tunc enim desponsationis arrham Ecclesiæ dedit, nimirum Spiritum Sanctum.

Denique hac Osee sententia, quasi formula sponsaliorum, Christus Dominus S. Catharinam Senensem in sponsam assumpsit, eamque sibi visibiliter despondit. Rem miram narrat Auctor gravis Vitæ ejusdem P. Raymundus, qui generalis fuit Ordinis S. Dominici magister, S. Theologie doctor, et S. Catharinæ confessarius. « Ut posset, inquit, sponso cœlesti, immutabili quodam modo et inviolabili fidelitate semper manere subjecta, valde aspirabat ad perfectum fidei gradum, dicens cum Apostolis: Domine, adaugo mihi fidem, eamque adeo in me perfice, ut nulla possit vi adversantium concuti vel prostrerni. Cumque sæpe illi id oranti, sæpe etiam responderet Dominus: Desponsabo te mihi in fide: tandem in Bacchanalibus, aliis ventris festa celebrantibus, ipsa se inclusit in suam cellulam, non respiciens in vanitates et insanias falsas, sed ardentissime petens a Domino eam, quam diximus, fidei perfectionem. Et quia verissime dixit Propheta: Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui: Christus ei apparuit cum sanctissima matre sua et aliquot Sanctis, et eam mirabili modo sibi despondit, hortatusque est eam, ut deinceps ageret viriliter et incunctanter ea, quæ ex divina providentia ipsi facienda inumberent. Post eam autem desponsationem cœpit Dominus eam sensim trahere ad hominum convictum et consuetudinem. Volebat enim ejus opera uti ad multorum hominum promovendam salutem. » Ex hac desponsatione secuta est mira virginis cum Christo familiaritas et unio. Nam etiamsi familiae et ægris serviret, « nihil ab æterni sponsi castis amplexibus recedebat. Versa enim prope modum ei in naturam videbatur incredibilis quædam habilitas, et promptitudo mentem suam cum Christo conjungendi, etiam quovis loco et tempore, ne ab hac felicissima conjunctione ullo actu externo impediatur, semper et ubique tendens ad cœlestia. Unde siebat, ut prope innumeris vicibus extra se raperetur. »

Porro causam desponsationis et quasi meritum, hanc dedit Christus : « Quia tu, inquit, sprevisti vanitates mundi, amplexa es crucem et penitentiam, quaeris summum et aeternum bonum, atque hisce diebus Bacchanalium, quibus mundani vacant gulae et luxuriæ, tu studes mortificationi et orationi, idcirco ego te mihi desponsabo. » Modus ritusque fuit hic : « B. Virgo accipiens dexteram Catharinæ, extendendo ejus digitum annularem petebat a Filio, ut illam sibi desponderet. Matri annuit Christus, ac accipiens Catharinæ dexteram, digito ejus annulum sponsalitium (qui etiamnum Romæ servatur in monasterio Virginum Dominicanarum in Magnanapoli, ubi eum clare intuitus sum) inseruit dicens : Ecce ego qui sum creator et salvator tuus, te mihi despondeo in fide, quæ perdurabit in te ex hac hora semper immutabilis, donec nuptiis aeternis tibi in celo conjungar, ubi videbis me facie ad faciem, meque perfueris. Superest ergo, ut viriliter decertes et in robore fidei, quam tuo cordi infixi, superes omnes illecebras et angustias mundi, omnes stimulos carnis, et omnem tentationem inimici. » Ita Raymundus in Vita S. Catharinæ Senensis, quam in Italicum idioma transtulit Ambrosius Catharinus, lib. I, cap. xxiii.

Vers. 2¹. 21. EXAUDIAM COELOS, — nimisrum mandando id quod mando per Ezechielem, cap. xxxviii, 8 : « Vos montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel. »

Nota primo, ad emphasis et elegantiam hic in cœlis, etc., proponi prosopopœiam per gradationem, q. d. Cœli appetitu naturali, quo terræ, hominum, totiusque universi, cuius ipsi pars sunt, bonum et commoda desiderant, videntur a me Deo poscere nubes et pluviam; ego illam eis annuam, statimque dabo; et sic consequenter cœli respondebunt votis terræ sientis, et pluviam fœcundam desiderantis, eam distillando; et terra satisfaciet votis tritici multipliciter crescere cupientis, et triticum explebit vota Jezrahel, id est seminis et populi Dei, qui hasce fruges exoptat. Hæc gradatio significat tum miram fertilitatem bonorum, etiam temporalium, quam populo suo pollicetur Deus; tum subordinationem congruam, et ordinatam causarum secundarum seriem a Deo institutam, qua infimæ a mediis, mediæ a summis, summæ a Deo pendent et reguntur, quam gentiles fatum, fideles harmoniam mundi appellarunt, de qua Job cap. xxxviii, 37 : « Concentum cœli quis dormire faciet? » Sic hic Israelis, id est populi Dei, vita pendet et sustentatur a tritico, hoc a terra, hæc a cœlo, hoc a Deo; unde pro exaudiam hebraice est **תְּנוּעָה ana**, quod, ut dixi, inter alia significat respondere, et canere alternis. Unde hic vertas, respondebo cœlis, vel illis præcinentibus succinam, et accinam; cœli enim postulando canent Deo : Domine, da nobis pluviam ut terra producat triticum, vinum et oleum, quo alatur Jezrahel, id est populus tuus,

cui nos et omnia creata servire decrevisti. Respondebit et succinet Deus : *Æquum mihi gratum postulatis; id ipsum præstabō: amo enim Jezrahel, id est Israel, quasi sponsam charissimam* (1).

Unde moraliter hic advertit Pineda in Job xxxvii, 11, num. 3, quod universitas creaturarum cum suo Creatore conspirans in commoda hominum, præsertim fidelium et sanctorum, videatur mirabilem concentum efficere, et, ut Sapiens ait cap. xix, 17 : « Sicut in organo suum sonum custodire, » q. d. Sicut cum in musico instrumento sonus unius chordæ ex variatione modulationis et toni, aliam et aliam efficit harmoniam in gratiam audientium; ita, Deo ludente in elementis Aegypti, elementum suam naturam et ordinem retinens, juncum alteri, in ejus conditionem et usum transisse visum est, ad punitionem Aegyptiorum, in gratiam Hebræorum. Nam jumenta Hebræorum terrestria transeuntia mare Rubrum a Deo divisum, videbantur piscium naturam induisse, et natantia, puta ranæ, in terra degeneria Aegyptios affligebant, ac si fuissent terrestria. Simili schemate ait Euripides, apud Aristotalem, lib. VIII Ethic. cap. I :

Cum est sicca tellus, ipsa certe tunc imbre amat,
Cum turget æther imbre, cum cœlum tumet,
Affectat, ut telluris in sinus cadat.

Tollit hic Deus prius maledictum, quod Israeli adulteranti cum idolis intentavit, vers. 9 : « Summam frumentum meum in tempore meo. » De Jezrahel dixi cap. I, 4. Chaldæus censet Jezrahel hic significare populum Dei antea dispersum, nunc a Deo in Ecclesia collectum et benedictum.

Nota secundo, hic esse continuam allegoriam. Alludit enim ad Israelem ex Assyria et Babylone redeuntem in Judeam, cui Deus dedit pluviam, triticum, oleum et vinum, uti notant S. Hieronymus, Theodoreus, Theophylactus, Albertus et Hugo: sed sub his allegorice significat Deum tempore Christi pro votis fidelium eis abundantiam gratiæ, sacramentorum, concionum, omniumque donorum spiritualium daturum. Ita S. Hieronymus et Rupertus. Uterque sensus est litteralis; sed prior est quasi typus et umbra posterioris; unde ad illum tantum alludit, eumque obiter perstringit; intendit vero per eum significare posteriorem, in eoque hæret, seseque explet, uti fieri solet in allegoria. Deus enim et populus Dei, puta veri christiani, parvi aestimant omnia bona temporalia et caduca. Hi enim didicerunt Christo calcare terrena, et amare cœlestia, eisque toto affectu inhiare, ut vivant aeternitati. Hinc symbolice ex Theophylacto Leo Castrius : Vinum,

(1) « Et hæc exaudient Jezrahel. » Respondebunt votis, qui olim malo omni : *disperget Deus* (1, 4) vocati, nunc eodem nomine, sed fausto sensu : *Seminabit Deus*, vel *plantabit Deus* (cf. vers. seq.) appellantur.

(Rosenmüller.) *

Concen-
tas crea-
turarum.

ait, et frumentum, id est Eucharistia, aliaque sacramenta exaudient Jezrahel, id est semen vel brachium Dei, puta Christum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, qui est virtus et brachium Patris, ut scilicet ipsa sacramenta faciant opus suum, quod est fideles Christi purgare, sanctificare, pascere, roborare: Christus enim est qui per ea haec operatur in fidelibus. Rursum Deus Pater Christi causa e cœlo depluit in Ecclesiam ubertatem bonorum spiritualium. Idem Castrius ex S. Augustino: Exaudiā, inquit, cœlos, id est cœlites, puta angelos et sanctos, qui pro Jezrahel, id est fidelibus militantibus, Deum precantur; et cœli, id est sancti, exaudient terram, id est Ecclesiam, ut a Deo pluvias cœlestium bonorum Jezraheli, id est fidelibus, impetrant. Ante Christum enim ejusque sanctos, jussum erat cœlis ne pluerent: Mandabo, inquit Deus, nubibus cœli ne pluant super terram. Ita ipse ad litteram, ego symbolice. Hinc et anagogice Cyrius: « Exaudiā cœlum, ait, id est munerum meorum largum dispensatorem faciam cœlum, sive cœlicolas, ut et ipsi misericordiam consecutos exhortari possint. Et tunc plane terra exaudiēt frumentum, vinum et oleum, id est fructum ferent, qui sunt in terra, spem vitæ, lætitiae, hilaritudinis. Et typus quidem vitæ frumentum est, vinum autem lætitiae, oleum hilaritatis et bonæ habitudinis. »

Vers. 23. 23. ET SEMINABO EAM MIHI IN TERRA. — « Seminabo, » id est instar seminis spargam ipsam, ait Vatablus, q. d. Ego Ecclesiam, ejusque apostolos et principes spargam per totam terram, ut illi per semen doctrinae et martyrii sui multam fideiūm et sanctorum segetem producant. Ita Haymo et Rupertus.

Nota: Vox « eam » grammaticē non refert « Jezrahel, » utope masculinum; sed « matrem ejus, » puta Synagogam: de ea enim egit hoc capite. Alludit et obiter perstringit, uti jam dixi, Israelitas e Babylone redeentes in Judæam, ubi, instar seminis jacti in terram, ubertim creverunt et propagati sunt. Ita Chaldaeus, Theodoreetus, Theophylactus et alii. Simile est Jerem. cap. xxxi,

vers. 27. Vide ibi dicta. Nota: Tè seminabo significat actionem et mortificationem seminis, puta Apostolorum et posteriorum. Nam, ut ait Christus, Joan. cap. XII, 14: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. » Non minuitur, ait S. Leo serm. I De SS. Petro et Paulo, Ecclesia persecutionibus, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. » Idem fit in qualibet anima fidi et sancta.

ET MISEREBOR EJUS QUÆ FUIT ABSQUE MISERICORDIA. — Haec explicata sunt cap. I, 6. Tantum nota: Pro miserebor, etc., Vaticana Biblia legunt diligam non dilectam. Hebræum enim ῥαχαὶ racham, significat intimum affectum tam dilectionis, quam miserationis et misericordiæ. Unde S. Paulus, citans hunc locum Rom. cap. IX, 25, utrumque ponit. Ait enim: « Sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. » Quod enim Paulus dicit: « Vocabo non plebem meam, plebem meam; » Osee dicit: « Dicam non populo meo: Populus meus es tu. » Præponit enim ea Paulus, quæ Osee postponit. Porro quod addit Paulus: « Et erit in loco ubi dictum est eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei viventis, » non ex hoc cap., sed ex cap. I, 10, desumpsit. Ibi enim dixit Osee: « Et erit in loco ubi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filii Dei viventis (1). »

(1) Quæri hic potest, inquit Ackermann, utrum (*ad Rom. ix, 25, 26*) continetur prophetia, respiciens novum Testamentum, et statum Judæorum tempore Christi? — Respondeo, nullam videri necessitatem eam statuendi. Nam non apparet, Apostolum his textibus probare velle indurationem Judæorum, et eorum reprobationem; verum pro scopo habuisse videtur, ostendere quod haec partis populi Judaici rejectio promissionibus divinis, Abrahamo factis, non repugnet; cum his non obstantibus, jam saepius pars magna populi perierit. Notandum tamen in hoc laudatissimum interpretem a communi interpretatione discedere.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubetur Osee adulteram domum suam abducere, cum eaque pacisci ut ibi multo tempore cœlebs sedcat, nec fornicetur, nec ad virum suum redeat, ac per hoc representat Israel multo tempore fore sine Deo, sine ioldis, sine lege, sine rege, sine theraphim; sed in novissimo dierum reversurum ad Dominum (2).

1. Et dixit Dominus ad me: Adhuc vade, et dilige mulierem dilectam amico et adulteram,

(2) An de captivitate et de tempore reditus ex ea, quo multi Israelitarum, qui ab Assyrīis captivi abducti fuerant, cum Judæis in patriam reversi sunt; an vero de moderno exilio Judæorum, et de conversione eorum ad

sicut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respiciunt ad deos alienos, et diligunt vinacea uarum. 2. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, et coro hordei, et dimidio coro hordei. 3. Et dixi ad eam : Dies multos exspectabis me; non fornicaberis, et non eris viro; sed et ego exspectabo te : 4. quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim. 5. Et post haec revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum : et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum.

Vers. 1. **1. ADHUC VADE,** — jubetur hic Osee amare et prelio conducere, inque domum suam inducere adulteram : quia prior fornicaria Gomer non plene repræsentabat Israelis adulteria, id est idolatrias cum diis gentium quasi adulteris commissas, spreto vero amico, puta Deo.

Quæres, contra quos hoc signum assumitur sive quosnam repræsentat haec adultera? Duodecim tribus repræsentare censem S. Hieronymus et Lyranus. Duas tantum, puta Juda et Benjamin, significare censem alii, ut, sicut Ezechiel, cap. **xxiii**, per duas sorores meretricantes notavit omnes Hebreos idololatrantes, puta per Oolla decem tribus, per Ooliba duas; ita hic Osee per Gomer fornicariam, cap. 1, significet decem tribus, per adulteram vero hoc capite significet duas, quæ decem in idolorum cultu secutæ et imitatae sunt. Ita Haymo, Rupertus, Albertus, Hugo, Vatablus, Ribera et Sanchez.

Verum melius Chaldaeus, Theodoretus, Theophylactus et a Castro censem hic eosdem notari,

Christum in fine sæculorum, quam Paulus, *ad Rom. xi*, 24, 25, prædictit, haec dicta sint intelligenda, variant interpres. Ast plurimi ultimam amplectuntur sententiam, inter quos est Sanctius, qui tamen priorem sententiam nullo modo condemnat, quia in toto capite nihil videt, quod tempori captivitatis et reditus ex ea convenire non posset. Calmetus hoc nostrum vaticinium de diuitia Israelitarum captivitate exponit. Ad vers. 1 haec habet: «Mulier haec est alia ab ea quam antea duxerat in uxorem. Prima illa designabat Israelitarum nationem, ac Dei cum illa divortium. Eam derelinquebat hostibus suis, ac permittebat ut in captivitatem abduceretur. Haec autem designat sponsæ hujus repudiatae, ac jam pœnitentis, nondum tamen cum priori viro in gratiam reversæ, ac nec inter flagitia versantis conditionem, vers. 1-4, David, de quo vers. 5 est sermo, ipsi est Zorobabel, typus Christi.» Haec illi. Nobis, inquit Ackermann, argumento hujus capititis, et argumentis pro utraque allata sententia perpensis, hoc statuendum videtur. Hoc capite subjungitur symbolum secundæ uxoris, quam æque adulteram sibi desponsat, ea tamen lege, ut longiori tempore honestam et pudicam sponsæ vitam vivat, nec alterius fiat sponsa aut uxor, neque ipse eam per nuptias domum deducat, ut ita ad umbretur futura Israelitarum diuturna conditio, nempe captivitas, in qua etsi deos alios non colent, tamen Deum non experientur maritum faventem, donec futuro aliquando tempore sequatur reditus, ipsique Dei gratiam quærant et consequantur. Huic reditus jungit Noster, ut alii prophetæ, promissionem Messiae (cf. *Jerem. xxx, 9*; *Ezech. xxxiv, 23*; *xxxvii, 24*), quin tempus adventus definit, aut ullum ejus characterem præter originem ex propria Davidis tangat. Quam sententiam nostram facere non dubitamus.

qui cap. 1 notati sunt : puta Israelem, sive decem tribus. Hisce enim comminatur ob idolatriam plenum excidium et desolationem, ut sint sine rege, sine lege, Deo, republica, etc., quod ita evenisse post Samariæ excidium anno 6 Ezechiae regis peractum cernimus : cum ex adverso duæ tribus Babylone redeuntes habuerint duces, legem, et rempublicam, usque ad excidium per Titum, quod non ob idolatriam, sed ob occisum Christum perpessæ sunt, et etiamnum perpetiuntur.

DILIGE MULIEREM DILECTAM AMICO. — Ita et Chaldaeus, S. Hieronymus, et alii passim : legunt enim in hebræo, **עַד rea**, id est amico. Verum Septuaginta aliis punctis legentes **עַד ra**, id est malum, vertunt: *Dilige mulierem diligentem mala*, scilicet adulteria : et ita legunt Theodoretus et Theophylactus utpote Græci, qui proinde Græcam versionem Septuaginta sequuntur, sed eodem reddit sensus.

Quæres, quænam haec? an Gomer quam duxit Osee, cap. 1, an quæ alia? *Primo*, Ruffinus, Ribera et aliqui alii censem fuisse Gomer : quæ, inquietunt, post conjugium cum Osee, tresque proles ex eo susceptas, adulteris se miscuerat : unde Osee ejus repudium cogitabat. Sed Deus eam recipi, diligi et retineri, renovato et redintegrato per novum contractum cum ea matrimonio, jubet; ut hoc facto repræsentet Syragogam Deo desponsam, licet adulterantem, diligi a Deo, eamque ipsum post adulteria idolatriæ amare, et retinere sibi sponsam. Ratio est, quia Osee non potuit aliam adulteram, quæ alterius esset uxor, in uxorem ducere : fuisset enim hoc novum adulterium : debuisset ergo illa ad priorem verumque maritum remitti (ejus enim erat uxor), non ab Osee duci.

Secundo, Chaldaeus, S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Hugo, Isidorus, Paulus a Palatio, a Castro, Emmanuel et alii censem hanc mulierem non fuisse Gomer, sed aliam (uti verba textus innuunt, præsertim **τὸ adhuc et fodi**, id est emi : ergo hactenus non erat empta nec comparata) quæ a viro suo discedens adultera effecta sit, quam Osee jubetur a scelere avocare, et emere non in uxorem, sed in ancillam, ac domi retinere castam, ut nec cum viro, nec cum adultero copuletur; donec post multum tempus ad virum suum revocetur, et in ejus gratiam thorunque redeat. Audi S. Hieronymum : « Propheta diligit adulteram, et tamen non ei matrimonio copula-

tur, neque fornicatione conjungitur, sed tantum diligit delinquentem. » Hoc enim verba Osee significant, vers. 7 : « Et dixi ad eam : Dies multos exspectabis me : non fornicaberis, et non eris viro ; sed et ego exspectabo te. » Quod deinde explicans et ad scopum per eam prophetice representatum applicans subdit : « Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege, etc., et post haec revertentur, et quærent Dominum Deum suum. »

Tertia sententia, quam Theophylactus, Ruperthus (qui vult hanc fuisse sororem Gomer), Vatablus, Sanchez et alii sequuntur, media est, nimirum mulierem hanc aliam fuisse a Gomer, emptamque ab Osee in sponsam et uxorem, non in ancillam. Hoc enim significat τὸ diligē mulicrem, q. d. Duc in uxorem et ut uxorem dilige. Rursum τὸ exspectabīs me, sed et ego exspectabō te, unde liquet eam ab Osee fuisse despensatam, ut fieret uxor ; sed Osee consummatione conjugii et copula abstinuisse ad longum tempus, quo expleto, ei copulatus est, ut repræsentaret pari modo Synagogam multo tempore fore sine rege, lege, Deo, eoque expleto, ad Dei amplexus reddituram. Osee enim videtur hic personam Dei gerere, mulier Synagogæ, conjugium et copula religionis et cultus Dei. Ergo fuit hæc uxor Osee, sicut Synagoga erat uxor Dei. Unde sequitur virum ejus priorem, sub quo adulterata erat, jam fuisse mortuum, aut certe per libellum repudii ei a viro ob adulteria datum, scissum et solutum fuisse prius cum eo conjugium, ita ut jam soluta potuerit nubere Osee prophetæ.

Hæc sententiæ probabiles sunt, sed secunda probabilior, ob nostram versionem, quæ vertit, « dilectam amico », id est marito; sequitur enim : « Sicut Dominus diligit filios Israel », q. d. Sicut hæc mulier, licet multum dilecta a marito, tamen adulteratur, ita filii Israel, licet multum dilecti a Deo, tamen copulantur idolis. Amicus ergo hic non potest accipi adulter, sed maritus : talis enim erat Deus respectu Synagogæ. Hinc sequitur mulierem hanc habuisse amicum, id est maritum superstitem, ac proinde non potuisse appeti ab Osee in uxorem, sed tantum in ancillam, aut potius Osee eam perditam et profugam adamasse ex charitate, ut proximam, eique dedisse pretium et hospitium, ut adulterare desineret. Ita auctores citati, ac nominatim per amicum hunc accipiunt maritum, non adulterum, Chaldæus, Lyranus, Isidorus, Paulus a Palatio, Arias, Guadalupensis, Vatablus et alii multi; licet S. Hieronymus, Theodoretus et Theophylactus ex Septuaginta intelligent adulterum. Et sic *rea*, id est amicus vel socius, significat maritum, *Jerem. iii, 20* : « Quomodo si contemnat mulier amatorem suum », hebraice *rea*, id est amicum, puta maritum. Hic ergo amicus gerit typum Dei, non Osee, qui tantum mulieris hujus est conductor.

Porro Chaldæus, Isidorus et Vatablus censem

hæc facta esse in Osee non realiter, sed tantum in spiritu per visionem imaginariam. Melius Theodoretus, a Castro et alii censem reipsa ab eo esse facta et patrata. Vide dicta cap. I, 1.

ET ADULTERAM. — Septuaginta Complutensia et Regia legunt, καὶ μοιχαλίδες, id est et adulteras, sed corrupte; legendum enim cum Codice Vaticano, Sanchez, Hieronymo et Theophylacto, καὶ μοιχαλίδες, id est et adulteram. Patet ex Hebræo, Syro, Arabico et aliis. Vide hic tenerum Dei cor, quo amat et sequitur peccatores a se aversos.

Moraliter S. Augustinus, *homil. 38*, inter 50 : « Evelle, ait, cor tuum ab amore creaturæ, ut in hæreas Creatori, quia si amas illa quæ fecit, adulter es, et quæreris iram, quia amicitia hujus sæculi inimica est Deo. Quicumque ergo voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus constituitur Dei. Anima, deserto Creatore, amans creaturam, adultera est. Illius enim amore nihil castius, nihil delectabilius. O anima, ut illius amplexibus digna sis, dimitte ista, et illi inhære gratis! Nam inde dixit Psaltes, *Psalm. lxxii* : Mihi adhærere Deo bonum est, ideoque versum priorem præmisit dicens : Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. »

ET DILIGUNT VINACEA UVARUM. — Pro *vinacea*, hebraice est ἔψευδες, quod Chaldæus, Lyranus, Marinus, Forsterus, R. David, et ex eo Vatablus et Pagninus vertunt, *œnophora*, vel *lageas uvarum*, quasi notetur hic idololatrarum gula et ebriositas. Solebant enim idololatræ in suis sacrificiis et festis solemnioribus epulari et potare, imo præsentibus certam vini et cibi mensuram distribuere, uti et fecit David, cum arcam transtulit in Sion, *II Reg. vi, 19*. Hinc et Septuaginta vertunt πέμπατα, id est *bellaria*, panes ex simila factos et placentas, quæ idolis offeruntur, ait S. Hieronymus et Theophylactus (1).

Verum melius S. Hieronymus, Vatablus et alii vertunt *vinacea*. Nam et Aquila vertit, παλαιὰ, id est *vetusta*; et Symmachus, ἀκάρπως, id est *infrugiferos*, sive aridos et steriles uvarum folliculos; *vinacea* enim sunt folliculi sive pelliculæ uvarum, quæ in torculari expressa, uva vinoque defluente remanent. Unde hebraice vocantur עִשְׂעֵד as-çiscim, quasi dicas *ima*, seu *fundamenta*, quæ in torculari subsidunt; a radice עַבְנָה asçasç, id est fundavit. Ita Columella, lib. VI, cap. III (ubi vocat *siccata vinacea*), et Varro, lib. III *De Rustica*, XI, et Cato, cap. x, et Plinius, lib. XVII, cap. xxii. Eadem vocantur « *lora*, quod Iota acina, ac pro vino operariis datur hieme », ait Varro, lib. I, cap. LIV. Et Plinius, lib. XIV, cap. x : « Non possunt, ait, jure dici vina, quæ Græci deuterias appellant, Cato et nos loram, maceratis aqua vinaceis; sed

(1) « Istiusmodi placentarum mentionem hoc loco» seite observat Rosenmuller, perquam aptam esse, unusquisque intelligit ipse. Magnus autem illarum usus erat in sacris, et diversa exstabant earum genera. In Phœniciorum sacris, quæ præsertim imitabantur Israelitæ, id constat ex *Jerem. cap. vii, 18*.

liculi u-
varum.
ainecaV
sunt fol-

tamen inter vina operaria numerantur. » Audi et Hugonem : « Vinacea, inquit, sunt pelliculae, botrus plures racemi, racemi plures uvæ, acinum granum, glarea liquor. » Significat ergo hic Prophetæ idololatras idolis suis obtulisse hec vinacea, inquiunt Theodoretus et Theophylactus, aut potius acri sarcasmo perstringit eos, quod, relicto domi vino puro et præstanti, adirent idola et idolothyta, ubi ob advenarum turbam singulis dabatur lora ex vinaceis aqua dilutis, non vinum.

Unde tropologice vinacea et inanes uvarum folliculi significant res vanas et fuitiles, in quibus nihil est succi, nihil medullæ, nihil boni, quales erant idola et idolothyta, aliaque quæ amabant Israelites, relicto Deo; omnis enim peccati voluptas inanis est, insipida et exsuccea, non solida, non satians. Hinc Hugo : « Vinacea, inquit, sunt dæmones, qui creati in magna pinguedine Spiritus Sancti, sed per superbiam arefacti, projecti sunt de cœlo. Nam Deus in eis, ait S. Augustinus, fuit simul et largiens gratiam, et condens nataram; » sed, effusa gratia per peccatum, mansit natura vacua, quasi vinaceum. Sic, o peccator, cum sectaris honores et dignitates, vina et venefices, vinacea sectaris, folliculos inanes, et mero aere aut vento turgidos sectaris. Vescebaris in domo Dei pane cœli, pane angelorum; nunc vagus et profugus cum filio prodigo ambis siliquas porcorum. Quod enim in tritico sunt siliquæ, hoc in uvis sunt vinacea. Itane, o stolide, mundo te credis, qui pro tritico siliquas, pro vino loram tibi propinat? Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua, imo aqua est mera, eaque putrida. Quin ad Patrem, ad Deum tuum redis? invitat te ille ad mensam suam vino et deliciis instructissimam, ac clamat : « Venite, comedite panem meum, et vinum quod miscui vobis, » Proverb. cap. IX, 5. « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendit : Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, » Joan. cap. VI, 51. « Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? » Zachar. cap. IX, 17. « Comedite amici, et bibite, et inebriamini, charissimi, » Cantic. V, 1. Quin accedis, quin accurris? ut sentias dicasque cum sponsa : « Introduxit me rex in cellaria sua : exsultabimus et lætabimur in te. » Pulchre S. Bernardus in Sentent. : « Vinum, ait, gratiæ est, quod ex botro Cypri, id est conditoris largitate decurrit : et hoc est mustum quo sponsi filii inebriantur, quod mittitur etiam in utres novos. » Et rursum : « Triforme vinum est in scypho Dei : rubicundum in longanimitate sanctorum, quod lætitificat Isaac in ægritudine; album in remuneratione justorum, quo ebriatur Noe; nigrum et acidum in damnatione pravorum, quod Jesus gustat, sed non vult bibere. » Et ex hoc vino, ait idem, tract. De Diligendo Deo, « sobria illa ebrietas vero, non mero, ingurgitans; non madens vino, sed ardens Deo. » Et serm. 18

in Cantic. : « Orando bibitur vinum lætiticans cor hominis, vinum spiritus quod inebriat, et carnarium voluptatum infundit oblivionem. »

2. ET FODI EAM. — Id est conduxi, comparavi Vers. 2. eam. Ita Septuaginta, Chaldaeus, S. Hieronymus, Fodi, id est emi, cur? Hugo, Lyranus, Vatablus, Arias et alii passim. Unde Cyrus vertit, *emi eam*; Arabicus, *conduxi eam*. Nota : Hebreum בָּרָה cara proprio significat fodere, excindere, excavare; inde per metalepsin significat comparare vel emere. Olim enim quisque fodiebat sibi cryptas ad habitationem et ad sepulturam, ac multo magis vineas, agros, puteos et cisternas, quibus maxime in Mesopotamia locisque vicinis (ubi habitarunt Patriarchæ Israëlis) ob terræ siccitatem et calorem indigent, indeque tot et tanta jurgia pastorum Isaac cum pastoribus Abimelech ob hosce puteos, Genes. XXVI, 17, 20, 22, adeo ut etiamnum viatores ibidem ad puteos communes anhelent et divertant, aequæ ac in Europa anhelant ad hospitia, ut mihi retulit oculatus testis R. P. Marietus. Puteos ergo olim *fodiendi* sibi comparabant, ut patet Genes. L, 5, et alibi. Hinc *fodere* significat *emere, comparare*, ut Deuter. II, 6, pro *aquam emptam haurietis*, hebraice est, *aquam fodietis ab eis argento*, id est emetis argento, emptamque haurietis. Addit S. Hieronymus, Haymo et Lyranus, Osee uti hoc verbo *fodiendi*, quia alludit ad vinacea jam dicta; Israel enim erat quasi vinea quæ fodi solet. Unde cap. II, 15, dixit : « Dabo ei vinitores ex ea. » Quocirca Leo Castrius : Fodi, inquit, et pastinavi vineam, impendens in fossores quindecim argenteos. Secundo, Forsterus : *Cara*, inquit, significat fodere et scindere, indeque emere : quia ementes et vendentes dexteræ invicem percutiendo quasi discidunt, earumque discussione et divisione stipulantur venditionem utriusque esse factam, ratamque emptionem significant. Tertio, Arias, *fodi eam*, id est emi in servam perpetuam; huic enim fodi et perforari solebant aures, juxta legem Exodi cap. XXI, 6; Deut. cap. XV, 16.

Unde nota : Licet Ruffinus et Ribera paulo ante citati censeant hanc feminam ab Osee fuisse emptam in uxorem; apud veteres enim, etiam Hebreos, sponsi et mariti emebant sponsas et uxores, tum ab earum parentibus, tum ab ipsis metu, dando eis pro dignitate cujusque munera; ac sponsæ vicissim dotem dando, ea sibi maritos coemebant. Ita David emit Michol centum præputiis Philistinorum, Jacob Rachelem emit servitio septem annorum, Genes. XXIX, 18. Sephora emit Mosem sanguine filii, quem circumcidit, Exodi IV, 25; vide ibi dicta. Idem mos fuit apud Romanos, ut patet ex Cicerone, oratione pro Murena, et Gellio, lib. XVIII, vi, atque apud Græcos : unde Iliad. IX, Agamemnon Achilli offert filiam sine έδεις, id est *donis*, quæ sponsi solent dare sponsis. Unde ab Ovidio dona jugalia vocantur, ab aliis sponsalia. Sic ergo Osee hic videtur emissæ uxori. Tamen verius est ipsum eam non emisse in

conjugem, sed conduxisse in ancillam, ad hoc ut adulteris et adulteriis abstineret. Unde Septuaginta vertunt : ἐμισθωσάμην αὐτὴν, id est mercede et pretio conduxi eam; μισθός, enim est merces. Ita S. Hieronymus, Albertus, Hugo et alii supra citati.

QUINDECIM ARGENTEIS, — scilicet siclis. Siclus autem pendebat quatuor drachmas Atticas, id est semiunciam, puta 4 regales Hispanicos, sive quatuor julios Italicos, uti dixi *Exodi xxx, 13*. Ergo siclus argenteus erat florenus Brabanticus, et 15 sicli 15 floreni Brabantici.

CORO HORDEI. — Corus, hebraice חומר chomer (diversus est ab גָּמָר sive gomor, quæ mensura erat victus diurni, *Exodi xvi, 16*), erat mensura continens 30 modios. Ita S. Hieronymus et Epiphanius, lib. *De Mensuris*, qui ait corum continere 30 modios, esseque camelii onus. Addit Paulus a Palatio, corum sive chomer esse onus asinariū, quod scilicet fortis asinus ferat, indeque dici chomer a חמור chamor, id est asinus. « Antiquissimum, ait Plinius, lib. XVIII, cap. vii, in tucis hordeum, sicut in Atheniensium ritu apparet; et gladiatorium cognomine, qui Hordearii vocantur. »

ET DIMIDIO CORO HORDEI. — Hebraice לְתַחַן שׂוֹרִים letch seirim, quod mirum est Septuaginta vertere νέφελ οὖν, id est lagenam vini: seirim enim hordeum significat, non vinum. Et cæteri Interpretes verterunt ἡμικόρον, id est medium corum, hoc est quindecim modios hordei. Ita S. Hieronymus, Epiphanius et alii.

Porro empta fuit hæc uxor dimidio coro hordei; quia olim confarreatione nuptiæ contrahebantur, cum certis verbis coram testibus solemnī sacrificio, in quo panis farreus adhibebatur, in manum conveniebant, ait Ulpianus: quod a Romulo institutum fuisse testatur Dionysius; nam farreatio illa significabat vitæ communionem; quocirca diffarreatio apud Festum est dissolutio matrimonii confarreatione contracti. Ita Ulpianus, leg. IX *Instit.*; Plinius, lib. XVIII, cap. iii, et ex iis Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*, cap. ii (4).

Quæres, quidnam hæc significant? Primo, Chaldaeus, S. Hieronymus, Hugo, Lyranus et alii censem quindecim argenteis significari decimam quintam diem primi mensis Nisan, puta Pascha, quo Hebræi sanguine agni paschalis a morte, quam inferebat angelus percutiens primogenita Ægyptiorum, redemerunt suos primogenitos,

(1) Quod Propheta dicit se quindecim siclis Chomere et Letheclo hordei sponsam emisse, explicant aliqui ex more apud Persas vigente, quo certæ summae pecuniae addunt certam mensuram tritici, si ducunt uxorem ad tempus definitum; alii, coll. *Exod. xxi, 32*, putant Hosam uxorem servilis conditionis emisse, ideoque quindecim siclos argenteos solvisse, iisque totidem ephas addidisse, ut reliquam trigintam siclorum summam hac ratione perficeret.

ideoque deinceps eosdem quinque siclis redimere sunt jussi. Corus et dimidius, id est 45 modii, significant 45 dies quibus ex Ægypto pervenerunt ad montem Sina, ubi legem acceperunt, in qua sanxit Deus primitias hordei sibi offerri altera die Paschatis, inquit Chaldaeus. Verum esto eo alludi possit, tamen hæc jam pridem transacta erant; hic autem est prophetia de futuro, quæritur ergo quid in futurum portendant?

Secundo, Arias censem quindecim argenteis significari quindecim Prophetas tam maiores, quam minores, qui Israeli prædicarunt eumque conduxerunt ad pœnitentiam: corus, sive chomer, inquit, est cumulus; seirim est hordeum, item turbo et tempestas, 45 modii sunt 45 pœnæ, quas Deus Judæis, *Levit. xxvi*, intentavit, si legem violarent, quas Propheta hic Judæos subituros significat. Alii alia afferunt, sed impertinentia, quæ vide, si lubet, apud Christophorum a Castro.

Simplicius dicendum videtur, hoc pretium taxatum fuisse huic mulieri ad annum victum; ad hunc enim Romani designabant modios suos 48, quos efficiunt Hebræorum modii 48, puta corus cum dimidio. Unde Terentius in *Phormione* docet, quod servi quatuor modios in mense accipiebant pro victu: jam multiplica quatuor per duodecim (tot enim sunt menses in anno) habebis modios 48, quæ erat mensura anni victus Romæ. Porro hordeum et hordeaceus panis erat cibus servorum, ancillarum et pauperum; apud Hebræos etiam adulterarum; unde mulieri de adulterio accusatae, ait S. Hieronymus, jubetur accipere gomor farinæ hordeaceæ, *Num. li, 5*. Per hæc ergo omnia significat Propheta, quod Deus Israelitis ob peccata servituti destinatis, et quasi iumentis terrenis (horum enim pabulum est hordeum) dabat bona terrena; sed cum labore et pauca, puta tanta quanta ad victum sufficient; tale enim est corus cum dimidio hordei ad victum annum ac quindecim sicli ad vestitum et cætera necessaria; idque ad hoc, ne cogantur gentes et idola sequi sicut olim faciebant; sed sciant se non omnino a Deo esse derelictos, quinimo ejus in se curam, alimoniam et bonitatem agnoscant, et spe majorum donorum ad Deum revertantur, quod fiet in novissimo dierum, ut dicitur vers. 5. Hoc est quod ait Apostolus, *Rom. xi*: « Non repulit Deus plebem suam quam præscivit: » sed exspectat donec in fine « omnis Israel salvus fiat. » Ita Ribera, a Castro et alii. Moraliter, de pretio hoc vide S. Hieronymum hic, et S. Ambrosium, lib. IV, *epist. 39*, et lib. VIII, *epist. 77*.

3. **ER DIXI**. — Propheta conduxit adulteram Vers. 3. pretio quindecim argenteorum, et sesquicoro hordei; nunc conductionis pacta et conditiones quas ab ea exigit, illi proponit.

Prima est: « Dies multos (puta annum integrum; hunc enim Hebræi vocant ימי iamim,

id est dies, quia annus est omnium dierum complexio et revolutio: et ad annum victum dede-
rat ei pretium, uti jam dixi) exspectabis me, » hebraice, *sedebis mihi*, vel tecum, q. d. Per an-
num apud me habitabis et desidebis, nec vagaberis per domos et hospitia tuorum amasiorum.
Ita Theodoreetus, Theophylactus, Pagninus, et alii. Unde Isidorus et Vatablus exponunt, q. d. *Multos dies in luctu sedebis quasi vidua*. Osee hic repraesentat non Deum, sed Salmanasar, qui Israelitas in Assyria quasi in hospitio captivos detinuit. Noster vertit, « exspectabis me, » quia respicit rem significatam: ad hoc enim sedebat domi Prophetae, ut exspectaret tempus quo ab eo reconciliaretur, et reduceretur ad maritum. Ita S. Hieronymus, Haymo et alii.

Secunda est, « non fornicaberis; » hic enim fuit præcipius scopus Prophetæ, nimirum ut avocaret eam a fornicatione. Ubi nota insignem ejus charitatem et zelum animarum. Ita S. Ephrem celebrat zelum et solertiam Abramii eremite (in ejus Vita), qui Mariam neptem suam in fornicationem lapsam, indeque publice in hospitio mētricanter, re cognita insecutus, magno labore æque ac industria inde abduxit, et in eremum ad pristinam vitæ sanctitatem perennemque pœnitentiam reduxit. Ita S. P. N. Ignatius Romæ monasterium S. Marthæ exstruendum curavit, ut in eo reciparentur mulierculæ, quæ a turpi quæstu abductæ vitam in melius mutare vellent, ipseque existens Generalis illas eo deducebat. Cumque ei objiceretur in illis operam perdi, quod facile ad vomitum redirent: « Minime sane, inquit Ignatius, sed si omnibus vitæ meæ curis atque iaboribus id possim efficere, ut vel unam noctem peccato vacuam præterire istarum aliqua velit, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel illo tam exiguo tempore Deus et Dominus noster non offendatur, etiamsi sciā illam statim ad ingenium reddituram. » Ita Ribadeneira, lib. III Vitæ ejus, cap. ix. Nimirum clare perspiciebat quantum malum, quanta Dei offensa et injuria sit unum peccatum mortale, una fornicatio, ad quam proinde avertendam quilibet Dei zeletes omnes vires corporis et animi contendere et impendere debeat.

Tertia est: « Et non eris viro, » id est nulli viro nubes, aut copulaberis, et consequenter nec ad tuum virum (ille enim te ob adulteria negligit et spernit) redibis, eive copulaberis; multo minus mihi, qui sum merus tui custos, hospes et conductor.

Quarta est: « Et ego exspectabo te; » hebraice, *et ego ait te*, scilicet respiciam et veniam: ut suo tempore, puta post annum, te ex hoc meæ domus hospitio educam, et ad maritum reducam. Noster vertit, « exspectabo, » quia respicit rem significatam, q. d. Exspectabo, ut tu pœnitens convertaris, tumque ego te marito restituam. Ita Chaldæus, S. Hieronymus, Haymo, Hugo et Ly-

ranus. Aliter Ribera: Exspectabo, inquit, te ut tecum copuler, et ex te rursum liberos procreem. Censem enim hanc fuisse Gomer uxorem Osee, a qua ipse ad tempus jussu Dei abstinuerit, jusserritque eam domi sedere quietam, nec fornicari; sed exspectare se, suumque thorū, ad quem denuo eam revocaturus erat, ut repræsentaret quod Deus, qui Synagogam Judæorum jam quasi dereliquerat, data interim frugali sustentatione bonorum temporalium, exspectaret eam usque in finem mundi, ut tunc ei rursum desponsetur, eique liberos procreet. Aliter quoque Vatablus, Pagninus et Arias; vertunt enim: *Non eris viro, nec etiam ego ad te*, supple, ingrediar, ut tecum copuler. Significationem et causam harum conditionum explicat Osee, et applicat Israeli dum subdit:

4. **QUIA DIES MULTOS SEDEBUNT** (desolati et dispersi, ideoque lugentes, afflicti et squalidi) **FILII ISRAEL SINE REGE**, etc. — Primo, Rabbini, Ruffinus, Albertus et Hugo hæc accipiunt de captivitate Babylonica duarum tribuum, usque ad ejus laxationem per Cyrum. Verum obstat quod in illa captivitate habuerint hæ tribus pontificem, scilicet Josedec, item legem et judices, ut patet Daniel. xv, 5, quin et regem Joachin, et principes Zorobabel et Salathiel, insuper altare, ut patet Baruch. I, 10, et sacerdotes ac prophetas, ut Daniel, Ezechielem, etc., atque Deum colebant, quæ tamen omnia hic eis defore prædicitur. Rursum Zorobabel aut Salathiel non potest dici David rex. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, et S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. xxviii.*

Secundo, R. David hæc contigisse putat tempore Machabæorum et Herodis: tunc enim subacti fuerunt Judæi ab Antiocho Epiphane ejusque posteris, qui sacra Judæorum profanarunt, et pontificatum vendebant; ac licet tunc Machabæi essent principes, non tamen erant legitimi, quia oriundi ex tribu Levi, non Juda, cui sceptrum dedit Deus, Gen. xix, 10. Verum errat; tunc enim sub Machabæis maxime floruit religio, virtus et fortitudo Judæorum; erantque ipsi legitimi principes, utpote a toto populo electi. Nec obstat locus Gen. xix, 10, ut ibi ostendi.

Tertio, S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Hugo, Lyranus, Paulus a Palatio, Vatablus, Ribera, Sanchez et passim alii, ac S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. xxviii*, censem hæc pati Judæos nunc, puta post Christum, et passuros eadem usque ad finem mundi. Jam enim parent rege, sacerdotio, altari, etc. Verum hoc patiuntur Judæi ob occisionem ab eis Christum, non ob idolatriam; quod tamen asserit hic Prophetæ. Rursum hucusque Prophetæ egit de Israelitis, id est decem tribubus, non de duabus, puta Judæis: Judæorum enim dixit se miserturum, cap. I, 7; fateor tamen a pari ad eos hæc posse extendi. Unde

Quarto, dico cum Theodoreto, Theophylacto, Chaldæo et a Castro, Prophetam pergere loqui de

Israelitis, id est decem tribibus, ac prædicere earum excidium, et desolationem duraturam usque ad finem mundi. In Assyriam enim abducti, inde nunquam redierunt, nisi per pauci mixti Iudeis; sed sparsi et incogniti vagantur etiamnum toto orbe: unde carent rege, lego, republica, sacerdotio, etc., serviuntque viles, pauperes et miseri aliis gentibus et principibus, uti mulier illa (quæ horum erat typus) sedebat apud Osee desolata, quasi vidua, carens marito, omnique alia ope divina et humana, habens solam tenuem sustentationem quam dabat illi Osee. Hoc est quod eis pariter prædicti Azarias propheta, II Paralip. xv, 3: « Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque sacerdote doctore, et absque lege, » q. d. Excisa Samaria ab Assyriis anno 6 Ezechiae regis Juda, Israelitæ captivi erunt et profugi, carebuntque tam republica quam Ecclesia, tam rege quam pontifice, tam curia quam templo, tam civili jure quam sacro.

SINE ALTARI. — Hebraice est מַצְבָּה matseba, id est statua. Unde Leo Hebreus, Isidorus, Arias, Pagninus et alii vertunt, *sine idolis*. Verum melius vertit Noster, *sine altari*, ita enim vertunt Septuaginta; altare enim directe et correlative respondet sacrificio, quod antecessit. Hinc et Chaldaeus vertit: *Neque erit in Samaria excelsum, scilicet altare. Matseba enim significat omne id quod erigitur, statuitur, firmatur, quale in primis est altare, a radice בָּשָׂר iatsab, id est stetit, et in hiphil בִּזְבֵּחַ hit-sib; id est statuit, erexit, firmavit.*

SINE EPHOD. — *Ephod*, sive superhumeralis, erat primaria vestis pontificum, ut dixi Exod. xxviii, 6. Unde significat pontificatum et sacerdotium Israeli auferendum, uti jampridem ablatum est. Ita S. Hieronymus, Theodoreus, Theophylactus, Hugo et Lyranus; quocirea Septuaginta vertunt, *sine sacerdotio*. Verum quia in τῷ *sine sacrificio*, et *sine altari*, sat significavit auferendum pariter sacerdotium, hoc enim sine altari et sacrificio esse nequit; hinc pressius et melius per ephod accipiemus oracula et prophetiam, quæ fiebat per urim et thummim posita in ephod, uti dixi Exod. xxviii, 30; significat ergo ab Israele auferendos Prophetas et pontifices, qui per urim et thummim dent oracula, et consulti respondeant de futuris. Ita S. Cyrillus, Theodoreus et Theophylactus.

SINE THERAPHIM. — Quæres, quid est *theraphim*? *Primo*, Iudei censem fuisse sacras imagines, quibus privandæ erant decem tribus in Assyriaca captivitate; unde Aben-Ezra et alii Rabbini ex hoc loco colligunt sacras imagines non fuisse Judæis vetitas, sed tantum profanas et idololatricas. Sileat ergo Lutherus et haeretici, qui volunt *theraphim* fuisse sacras imagines similes imaginibus Catholicorum, unde eas esse vetitas, quia alibi passim Scriptura vetat et damnat *theraphim*. Legant hi fabulones Bellarminum, lib. II *De Sanctis*.

Secundo, Arias et Cajetanus in *Judic. xvii*, et Oleaster in *Genes. xxxi*, 19, censem esse imagines quas certo astrorum situ conficiebant astrologi, ut ex iis loquentibus, responsaque dantibus cognoscerent futura. Unde R. Eliezer in suis *Capitu-lis*, cap. xxxvi: « Quare, inquit, vocantur theraphim? » ac respondet: « Adducebant hominem primogenitum et mactabant, eique caput abscedebant, atque hoc sale et aromate condiebant, ac inscribebant super laminam nomen cuiusdam spiritus immundi. Porro supponebant nomen illud sub lingua ipsius, eamque reponebant in pariete, atque coram eo accendebant lucernas, et adorabant eum, ipse vero alloquebatur eos. » Et Aben-Ezra in *Genes. xxxi*: *Theraphim*, ait, erant hominum imagines, ad superiorum virtutum et cælorum influxum suscipiendum. Sic et Lyranus in *Judic. xvii*.

Tertio, alii Rabbini censem esse instrumenta *tertia*. quædam ærea, ad horarum partes internoscendas, seu esse horologia, cylindros, astrolabios.

Quarto, Monceius, lib. I *De Vitulo aureo*, xviii et xx, *Quarta*. putat *theraphim* fuisse Cherubim, alii Seraphim. Unde Cedrenus, referens historiam *Judic. xvii*, pro *Theraphim* habet *Seraphim*. Chaldaei enim ita dicunt; nam pro littera *s*, ponunt *t*, ut pro *scalos*, id est tria, dicunt *thelath*; pro *sces*, id est sex, dicunt *scet*; pro *mescalim*, id est proverbia, dicunt *methalim*; pro *matseca*, id est fusile, *matheca*; pro *saar*, id est janua, dicunt *therah*, cum metathesi, e qua Græcorum θύρα, et Germanorum *thur*, inquit Serarius in *Judic. xvii*, Quæst. V. Hinc et S. Hieronymus: *Theraphim*, ait, sunt Cherubim et Seraphim, sive alia quæ in templi ornamenta jussa sunt fieri; hec enim omnia per synecdochen significantur in sui parte, puta in *theraphim*, hoc est Cherubim et Seraphim. Ita et Haymo, Alber-tus, Hugo et Dionysius.

Quinto, Christophorus a Castro, Sanchez et Leo *Quinta*. Castrius censem *theraphim* esse urim et thummim, quæ erant duo lapides, vel duo simulacra, ut putat Christophorus a Castro, in Rationali pontificis, dantia oraculum et responsa consulenti-bus. Probant, quia Septuaginta et Aquila vertunt, *illuminationes*, vel *manifestationes*; sic autem iidem vertunt urim et thummim, Exod. xxviii, 30. Verum hoc uti novum, ita parum verisimile videatur, præsertim quia hoc periculosum valde fuisse apud Judæos, si imagines vidissent, vel au-dissent loquentes et vaticinantes. Erant enim ipsi in imaginum adorationem et idolatriam pro-pensissimi.

Quocirca dico *primo*, « *theraphim* » significat *sexta* et imagines sive simulacra. Patet, quia ita vertit genuina. Noster, I Reg. xix, 16, in statua quam pro Davide profugo supposuit uxor Michol, ubi Septuaginta vertunt ἔνοτάφια, id est statuas repræsentantes mortuum hominem, sed inanes et evanidas, cum ipsum corpus hominis non adsit, sed absit. *Se-cundo*, quia Aquila vertit μορφῶματα, id est figuræ

seu imagines : Chaldæus צַלְמָנִיָּה tsalmenaia, id est similitudines et simulacra.

Dico secundo, hinc consequenter theraphim, sicut et simulacra sumuntur pro idolis, quia priscae imagines, præsertim apud Judeos, vix fiebant nisi diis et idolis. Patet, quia Noster interpres et alii, Genes. xxxi, 19; Judic. xvii, 5; Ezech. xxi, 21, et alibi passim, *theraphim* vertunt idola. Hæc dicuntur *theraphim*, vel a radice תְּרֵפָה rapha, id est demittere, ut volunt Marinus et Forsterus, quod idololatræ coram iis se demitterent et humiliarent, ea adorando; vel a Chaldæo תְּרֵפָה theraph, id est putrescere, reprobrare, et probris afficere. Unde Chaldæi beth hatturpha, id est domum turpitudinis, vocant fanum idoli, et forte inde manavit latina vox turpis et turpitude, ait Serarius loco citato. *Theraphim* ergo idem est quod turpe, probrosum, immundum, puiridum et putrefactione dignum: tale enim est idolum, quod proinde hebraice vocatur stercus et sordes, vel potius *theraphim* dicta sunt a Seraphim et Cherubim, de quo mox plura.

Porro *theraphim* hic, uti et alibi, significare idola, ex eo colligitur, quod per τὸ sine *theraphim*, explicat illud quod de muliere dixit vers. 3: « Non fornicaberis, et non eris viro, » q. d. Volo te, o mulier, domi meæ degere solam, ita ut nec adulteris, nec marito tuo copuleris; ut repræsentes quod Israelitæ post excidium par modo sedebunt sine sacrificiis et altari; ut non colant Deum verum, quasi maritum suum, et sine *theraphim*, ut non colant deos alienos, quasi adulteros; significat ergo Israelitas longo tempore non colituros Deum verum, nec *theraphim*, id est idola.

Dico tertio, « *theraphim* » significat idola, tum qua deos, tum qua dabant oracula, et consulentibus respondebant de futuris eventis. Patet, quia Ezech. xxii, 21, de rege Babylonis dicitur: « Interrogavit idola (hebraice, *theraphim*), exta consuluit; » et Zachar. x, 2: « Quia *theraphim* locuta sunt inutile, et divini viderunt mendacium; » unde et Chaldaeus vertit: *Non erit qui responsum reddat;* idem patet Judic. cap. xvii, 5, et cap. xviii, 20, in *theraphim*, Michæ. Secundo, quia Septuaginta pro *theraphim* vertunt δημοσίην, id est, manifestationem; et Aquila φωτισμόν, id est illuminationem, hoc est prophetiam et oraculum: denique Rabbinî: *Theraphim*, inquiunt, « sunt imagines futura prænuntiantes. »

Theraphim ergo erant simulacra et idola, quæ idololatræ domi habebant, invocabant, et in omnibus difficultatibus dubiisque consulebant, quasi Lares et Penates suos. Sic Rachel furata est *theraphim*, id est, idola et Lares, patris sui, Genes. xxxi, 19. Sic Micha habuit *theraphim*, quasi Penates suos, Judic. xvii, 5. Itaque significatur hic quod Israel in captivitate carebit *theraphim*, id est diis patriis, Laribus et Penatibus suis, puta vitulis aureis, et Baalim, quos colebat in Sam-

ria; licet enim mixtus gentibus coluerit earum idola, tamen hi non erant ejus *theraphim*, id est dii patrii, Lares et proprii Penates quos coluerat in Samaria. Ita Hebræi, Lyranus, Vatablus, Pagninus, Isidorus, Arias, Serarius loco citato, et alii. Simili modo Gentiles coluerunt suos Lares, adeo ut etiam post excidium domo et urbe fugientes, eos secum peregre asportarent, uti Aeneas, excisa Troja, extulit secum idola patria, quasi Lares suos, quod tacite irridens Virgilius ait:

Hilium in Italiam portans victosque Penates.

Hinc narrant Gentiles, quod cum Trojæ in honorem Palladis arx, et in ejus summo templum illi ædificaretur, e cœlo occiderit Palladium, id est Palladis simulacrum ligneum movens oculos et hastam quam manu gestabat, ut scribit Servius. Hoc Palladium sibi locum in eo templo delegit, moxque oraculum ab Apolline datum est, Trojam exscindendam, si Palladium hoc ex urbe efferretur. Quocirca Diomedes et Ulysses clanculum, occisis custodibus, illud extulerunt; ac paulo post a Græcis capta est Troja. Ita Ovidius, V Fastor., et Virgilius, II *Aeneid.*:

Fatale, inquit, aggressi sacrato avellere templo Palladium, etc.

Palladium enim erant Penates Trojæ. Et S. Augustinus in lib. De Civit., ridet hosce deos urbiumque tutores, qui oculos habent et non vident, pedes et non ambulant, manus et non possunt opitulari. « Tales, inquit, fuerunt præsides et custodes Capitolii, qui cum seipso non possent defendere, quanto minus valebant civitatem tueri? » De his ait Plautus :

Ego Lar sum familiaris ex hac familia,
Unde exuentem me aspexisti.

Inde Lararium vocabatur locus sive oratorium, in quo *theraphim*, id est Lares, et dii domestici servabantur et colebantur. Scribit Lampridius Alexandrum Severum Imperatorem in Larario rem divinam mane factitasse ad effigies deorum, in quibus habebat Abramum et Christum, in secundo autem Larario habebat simulacrum Virgilii et Ciceronis. Idem dicti sunt Penates, « sive a penu ducto nomine (est enim omne quo vescuntur homines penus), sive ab eo quod penitus insident, ex quo etiam penetrales a poetis vocantur, » inquit Cicero lib. II De Natura deorum. Et Macrobius, lib. III Saturn., cap. IV: « Penates, ait, esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. » Unde Plautus in Mercat.: « Ego mihi alios Penates deos persequar, alium Larum. » Et Terentius in Phormione: « At ego deos Penates hinc salutatum dormum divertar. »

Hinc rursum suspicari quis potest *theraphim* ortum habere a Cherubim et Seraphim, uti su-

perius dixi. Cum enim gentes viderent Judæos tanta veneratione prosequi Cherubim et Seraphim, tum post fabricam arcæ et Cherubim per Mosem, tunc ante eam. (Nam ante eam, *Genes.* cap. xxxi, Rachel dicitur furata theraphim, id est idola patris sui, atque ab initio mundi Cherubim positi erant ad custodiam paradisi; denique ex traditione Adæ, Noe, Abrahæ, filii et nepotes eorum ante Mosem cognoscebant et venerabantur angelos, seraphim et cherubim); inde Gentiles suspicati sunt hæc esse eorum numina et deos tutelares; unde ipsi pariter suos Lares et Penates nonnihil immutata et corrupta voce (uii fieri solet, cum voces e primæva lingua in aliam peregrinam transferuntur) pro seraphim et cherubim vocasse videntur theraphim, præsertim Chaldæi, qui littera *t* gaudent, et *s* in *t* commutant, ut initio dixi. Hinc et theraphim sæpe junguntur cum ephod, uti hoc loco, et *Judic.* xvii, 5, et cap. xviii, 4, 17 et 20; constat enim ephod vestem fuisse sacerdotalem Judæorum (1).

Vers. 5. ET QUÆRENT (Israelitæ, sive decem tribus, tot centenorum annorum desolatione et derelictione afflicti, pœnitentes et resipiscentes) DOMINUM SUUM, ET DAVID REGEM SUUM. — « David, » id est Messiam, sive Christum Davidis filium, et in regno (non temporali, sed spirituali Ecclesiæ) successorem. Ita Chaldaeus, S. Hieronymus, Hugo, Vatablus, Isidorus, Arias et alii passim. Ita Christus vocatur David, *Ezechiel.* cap. xxxiv, 23 : « Suscitabo super servum meum David; » *Jerem.* cap. xxx, 9 : « Servient Davidi regi suo, quem suscitabo eis. » Et alibi, ut docet S. Augustinus, tom. IV, lib. *De Octo Dulcitiis questionibus*, Quæst. V et ultima, ac fuse Galatinus, lib. III, cap. xxiii; nomina enim parentum apud Hebræos sæpe patronymice sumuntur pro filiis et posteris.

ET PAVEBUNT AD DOMINUM ET AD BONUM EJUS. — Pavor in Scriptura, cum Deo et rebus divinis tribuitur, significat summam venerationem et reverentiam, q. d. Summa reverentia prosequen-

(1) Sensum recte enarrasse Rosenmuller merito videtur Kimchi: Israelitæ neque deos colent alienos, neque patrium et verum, q. d. quia utriusque religionis participes esse voluerunt, futuros utriusque expertos. Hanc interpretationem etiam Pet. de Figueiro suam facit.

tur et colent Dominum. Septuaginta vertunt: *Stupebunt in Domino et in bonis ejus.* Porro « ad Dominum, » id est auditio nomine Domini, q. d. Solo nominis divini auditu perculti et attoniti, eum reverebuntur. Bonum autem hic significat Dei erga Israelitas largitatem et beneficentiam, quam Deus fidelibus per innumeras gratias, dona et beneficia demonstrat, et testatissimam facit, ita ut fideles iis visis in Dei tam liberalis et benefici admirationem et stuporem rapiantur, q. d. Israelitæ mira devotione et reverentia venerabuntur Dei bonitatem et magnificentiam; quia videbunt tam magnifica dona et beneficia ab ea sibi, licet tam diu rebellibus post tot sæcula exhiberi, juxta promissa Abrahæ et patribus facta. Unde primo, particulatim, S. Hieronymus, Albertus et Hugo per bonum accipiunt Jesum Christum, quem unigenitum suum (ac consequenter omnia dona per eum et cum eo) nobis donavit Deus Pater. Secundo, Haymo, Albertus et Arias per bonum accipiunt Spiritum Sanctum; hic enim est primum et increatum bonum et donum Patris et Filii, qui omnia creata dona in se complectens, ea ubertim in nos effundit. Tertio, alii per bonum accipiunt Eucharistiam; in hac enim summam bonitatem, opes et gratias nobis in dies ostendit, et communicat Deus Pater, et Christus Dominus, juxta illud *Zachariæ* capite ix, vers. 17 : « Quid est bonum ejus, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virginis? »

IN NOVISSIMO DIERUM, — in fine mundi, quando sub adventum Antichristi, maxime post eum occisum, Israelitæ et Judæi, qui ei viventi et regnanti adhæserant, partim memores concionum et miraculorum Eliæ et Enoch, partim aliorum concionatorum exhortatione, convertentur ad Christum, uti dixi *Apocal.* cap. xi; tunc enim omnis Israel salvus fiet, *Roman.* cap. xi, 25. Ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Hugo, Lyranus et alii passim. Secundo, Isidorus et a Castro hæc facta putant in incarnatione, et primo adventu et prædicatione Christi, scilicet inchoate, tunc enim pauci ex Israel converti cœperunt. Errant alii, qui hæc præstita putant in laxatione Judæorum e Babylone facta per Cyrum.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Causas iræ Dei et vindictæ in Israelem recenset, maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, etc., quorum omnium origo fuit, quod in eo non esset scientia Dei. Rursum horum omnium causam vers. 8, assignat ignorantiam et malitiam sacerdotum, qui peccata populi adulando fovebant ut pro iis hostias ab eo acciperent. Tertio, vers. 19, arguit Israelis lasciviam et libidinem, ideoque ei ignominiosum excidium et captitatem comminatur (1).

1. Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ : non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. 2. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. 3. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, et in volucre cœli : sed et pisces maris congregabuntur. 4. Verumtamen unusquisque non judicet; et non arguatur vir : populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti. 5. Et corrues hodie, et corruerit etiam Propheta tecum : nocte tacere feci matrem tuam. 6. Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam : quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi : et oblitera es legis Dei tui, oblivious filiorum tuorum et ego. 7. Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi : gloriam eorum in ignominiam commutabo. 8. Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevarunt animas eorum. 9. Et erit sicut populus, sic sacerdos : et visitabo super eum vias ejus, et cogitationes ejus reddam ei. 10. Et comedent, et non saturabuntur : fornicati sunt, et non cessaverunt : quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo. 11. Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor. 12. Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei : spiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo. 13. Super capita montium sacrificabant, et super colles ascendebant thymiana : subtus querum, et populum, et terebinthum, quia bona erat umbra ejus : ideo fornicabuntur filiae vestræ, et sponsæ vestræ adulteræ erunt. 14. Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ,

(1) Incipit ab hoc capite, ut recte observat Rosenmuller, alter ille sermonum Osee ordo, quo sine imaginis involucro, nudis verbis, crimina decem tribuum graviter reprehendit, et pœnas divinitus immittendas denuntiat. Hoc enim generale est tam hujus capitilis quam reliquorum argumentum, in quo tractando vates plurimique ita versatur, ut sententias proponat breviores, concisas et abruptas, quarum una alteram confirmat, amplificat, et id quod causæ caput est, nova identidem luce perfundit : quare partes horum sermonum fere totidem possunt distinguiri, quot sententiis, sive versiculis, sunt compositi.

Concionem hanc tempore interregni 12 annorum post obitum Jeroboami usque ad Salumum editam esse a Propheta recte statuitur; quia dirigitur ad Israelitas in genere, et mox ad sacerdotes quoque, populumque in specie, nulla regis mentione facta. Idem evincunt, inquit Rosenmuller et Maurer, quæ vers. 2 notantur, quæque non possunt nisi ad bella civilia commode referri, et talibus temporibus, quibus nulla legum esset et magistratum auctoritas, maxime sunt propria, ut iteratae et promiscuae cædes, latrocinia occupata a sacerdotibus tyrannis, et id generis alia turbatae reipublicæ documenta.

PRIMO igitur, in genere variæ generis flagitia, quibus Israelitæ dediti essent, castigat, scilicet veritatis, miser-

cordiaæ et scientiaæ defectum, 1 ; et commissum maledictum, mendacium, homicidium, furtum et adulterium, 2; secundo, comminatur pœnas, terræ, hominibus et animabus imminentes, 3 ; tertio, eos inermendabiles declarat, 4 ; quarto, indicit extremum supplicium populum, pseudoprophetas et synagogam oppressurum, 5.

SECUNDO, in sacerdotes potissimum invehitur, quibus exprobrat, primo, neglectam populi instructionem, 6 ; secundo, multitudinem peccatorum, officii conditionem dehonestantium, 7 ; tertio, officii abusum ad scandalum perversum, 8 ; quarto, iisdem indicit pœnas æquales cum populo infligendas, et quæ facient ne bona acquisita eos patient, nec cessent mala commissa, 9, 10.

TERTIO, ad totam gentem rediens, præmissa brevi sententia de effectu fornicationis et ebrietatis, quæ sunt idolomaniaæ adjuncta, accusationem Israelis coemptam persequitur, primo, de idololatrica divinatione, 12 ; secundo, de superstitione cultu, 13 ; tertio, de lascivia seminarum, impune ad idololatriam sequente, 14.

QUARTO, interponit ad Judam monitum, ne primo, is loca sacrilega aut ritus profanos frequentet, 15 ; secundo, ne sceleribus et pœnis Israelis participet, 16, 17 ; tertio, ne communes cum eo cibos, protectores et sacrificia habeat, 18, 19

et super sponsas vestras cum adulteraverint : quoniam ipsi cum meretricibus conversabuntur, et cum effeminatis sacrificabant, et populus non intelligens vapulavit. 15. Si fornicaris tu, Israel, non delinquit saltem Juda : et nolite ingredi in Galgala , et ne ascenderitis in Bethaven, neque juraveritis : Vivit Dominus. 16. Quoniam sicut vacca lascivieis declinavit Israel : nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine. 17. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. 18. Separatum est convivium eorum, fornicatione fornicati sunt, dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus. 19. Ligavit eum spiritus in alis suis, et confundentur a sacrificiis suis.

Vers. 1.

1. AUDITE VERBUM DOMINI, FILII ISRAEL. — Hinc patet Prophetam adhuc alloqui decem tribus. Ita Chaldaeus, S. Hieronymus, Hugo, Vatablus et alii; haec enim vocantur Israel et Ephraim, vers. 17, licet aliqui, ut Haymo et Arias, haec accipient de duabus tribubus, eo quod vers. 15 nominet Juda; sed id facit obiter, per subitam depressionem, imo per comparationem et oppositionem ad Israel, id est ad decem tribus. Alii denique, ut Ribera, haec accipiunt, tam de Israel quam de Juda, id est de duodecim tribubus, quod non est improbabile; licet primum quod dixi sit probabilius, magisque proprium et connexum.

QUIA JUDICIUM DOMINO CUM HABITATORIBUS TERRÆ. — « Judicium, » id est accusatio et expostulatio; unde Chaldaeus vertit, *disceptatio*, q. d. Habet Deus quod in judicio accuset, justeque expostulet cum incolis Samariæ. Ita Vatablus et alii.

NON EST ENIM VERITAS, — id est fidelitas, sive fides promissorum et factorum, q. d. Israelitæ non servant fidem, sed dolosi sunt et fraudulenti; decipiunt enim et fraudant proximos suos. ita passim Interpretes. Solus Albertus, quem sequitur Dionysius, accipit veritatem morum et vitæ, qua scilicet vita dicitur vera, id est recta, justa et conformis suæ regulæ, puta rectæ rationi.

NON EST MISERICORDIA, — q. d. Non est qui misereatur, et miserendo subveniat egenti et afflito. Ita Haymo, Hugo, Vatablus, Arias ac S. Cyprianus, epist. *ad Demetrianum*, ubi et addit: « De sterilitate aut fame quereris, quasi famem majorem siccitas quam rapacitas faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis et pretiorum cuimulis flagrantior inopie ardor excrescat. Quereris cludi imbris cœlum, cum sic horrea claudatur in terris. Quereris minus nasci, quasi quæ nata sunt, indigentibus prebeantur. Peslem et luem criminari, cum peste ipsa et lue detecta sint, vel aucta crima singulorum, dum nec infirmis exhibetur misericordia, et defunctis avaritia inhiat ac rapina; iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarii, fugientes morientium funera et appetentes spolia mortuorum; ut appareat in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan et derelictos esse, ne possint, dum curantur, evadere. » Ita sane et hodie saepe imisericordia est causa miseriarum privatarum et publicarum.

ET NON EST SCIENTIA DEI IN TERRA. — Et, id est

qua (hoc enim significat Hebræum *vau*), q. d. Defectus scientiæ Dei, quasi luminis practici, est causa cur deficiant misericordia et veritas, sive fidelitas. Porro *scientiam* Dei accipe non speculativam, sed practicam, qua cognoscimus, aestimamus et reveremur Dei numen, providentiam, justitiam, vindictam, etc., ideoque haec Dei scientia cum ejusdem timore, amore, cultu et obedientia conjuncta est. Haec enim est scientia, sapientia et prudentia, quam passim commendat Scriptura, præsertim in Proverbiis, Ecclesiastico et aliis libris sapientialibus, q. d. Non est qui Deum practice cognoscat, puta qui ejus maiestatem et providentiam apprehendat et aestimet uti par est, qui eum timeat, colat et revereatur; ut cogitans ejus providentiam qua punit impios, et prænati pios, studeat ei placere; ideoque vacet operibus piis, et abstineat ab impiis, de quo ait S. Joannes, *epist. I*, cap. II, 4: « Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est; » unde Chaldaeus vertit: *Non est qui ambulet in timore Domini*. Sic et S. Cyriillus, et S. Cyprianus, lib. *ad Demetrianum*. Quod enim homines a peccato absterret, et ad bonum impellit, est Numinis metus et reverentia; hoc si tollas, homines impune frena laxabunt suis concupiscentiis, et ruent in omnia sclera. Hoc est quod queritur *Psaltes Psalm. XIII*: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus, » hac de causa « corrupti sunt, et abominabiles facti. »

Ex adverso S. Augustinus, serm. 112 *De Tempore*: « Cognitione, ait, Dei nihil melius est, quia nihil beatius est, et ipsa vera beatitudo est. Unde et Salvator ad Patrem ait: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum et quem misisti Jesum Christum. » Et mox: « Beata siquidem vita est cognitionis divinitatis; cognitionis divinitatis, virtus boni operis est; virtus boni operis, fructus est æterne beatitudinis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. » Idem scripsit lib. *De Beata vita*, quo toto docet non aliud esse beatam vitam, quam perfectam Dei cognitionem. S. Bernardus, tractat. *De Interiori domo*, in fine: « Deum, ait, cognoscere, plenitudo est scientiæ; plenitudo autem hujus scientiæ, plenitudo est gloriæ, consummatio gratiæ, perpetuitas vite. At hujus vero scienc-

Beatitudo
do est
n. sse
Deum.

tis plenitudinem, opus est potius intima compunctione, quam profunda investigatione; suspiriis, quam argumentis; lacrymis, quam sententiis; oratione, quam lectione; cœlestium potius contemplatione, quam terrestrialium occupatione. » Idem, lib. *De Conscientia*, docet multos querere scientiam, paucos conscientiam, cum vera scientia consistat in pura et sancta coram Deo conscientia.

Vers. 2.

2. MALEDICTUM ET MENDACIUM. — Chaldæus vertit: *Perierant incolæ hujus terræ, mentiuntur, etc., committunt adulteria, perfringunt* (scilicet sepem mandatorum Dei), *et sanguis sanguinem tangit; cædes cædem excipit.* Sic et Vatablus. Alii vertunt et explicant: *Maledictis, calumniis, conviciis et execrationibus insectantur proximos.* Ita Theophylactus, Haymo, Lyranus et Hugo. Utrumque significat hebræum פָּלַח ala, sed magis prius; ostendit enim non esse veritatem in terra ex contrario, quia scilicet in ea regnat ala, id est perjurium execratorium, ut vertunt Septuaginta, q. d. Execrantur, dicuntque: Dispeream, terra mihi dehiscat, si hoc non sit verum, vel si hoc non fecero, et mentiuntur fideiisque fallunt: ideoque sunt perjuri (4).

INUNDAVERUNT. — Chaldæus et Vatablus, *eruprunt instar diluvii*, quod omnes aggeres et sepes sua vi diffingens et disrumpens, campos implet et opplet aquis. Hoc enim est hebræum יְמִים parats; pari enim modo Israelitæ suis sceleribus plurimis et maximis diffingebant omnia jura iussaque Dei, atque omnia replebant furtis, fraudibus, adulteriis, cædibus, etc.

ET SANGUIS SANGUINEM TETIGIT. — Septuaginta, *Sanguines in sanguinibus miscent.* Sic enim legit Codex Vaticanus. Hebraice ad verbum est: *Sanguines in sanguines tetigerunt.* « In sanguines, » id est « sanguines; » verba enim contactus apud Hebreos construuntur cum beth, id est in. Dicunt enim percutere in manu, pro percutere manum; occidere in anima, id est occidere animam. *Sanguis* in Scriptura significat primo, homicidium, per metonymiam, qua objectum ponitur pro actu; puta sanguis, pro effusione sanguinis, indeque extenditur per catachresin ad quamvis vim, fraudem et injuriam proximo illatam; hæc enim viam sternit ad homicidium, ejusque est quasi inchoatio; unde prohibetur quinto Decalogi præcepto: « Non occides. » Secundo, significat omnem contaminationem, pollutionem et immunditiem; sanguis enim effusus omnia contaminat, polluit, cruentat et foedat. Tertio, per synecdochen significat quodlibet scelus; quia enim maximum scelus in proximum est homicidium, hinc ab eo utpote famosiore sumitur denominatio, ut quodlibet aliud facinus a pari vel simili vocetur

(1) Alii vertunt, *pejerare*, et *mentiri*, et *occidere*, et *furari*, et *adulterare*, et dicunt infinitivos positos loco substantivorum, ac continuos actus indicare.

sanguis. Hisce omnibus modis hic accipitur.

Primo ergo Vatablus exponit: *Sanguis sanguinem tetigit; id est cædes cædi fuit continua, vel cædes cædem tetigit, q. d. Sunt continuæ cædes in Samaria, mutuis vulneribus sese passim interficiunt. Sic Latinis priscis alternum dare sanguinem dicebantur, qui se invicem vulnerabant.* Unde Seneca in *Thyeste*:

Quis vos exagitat furor
Alternum dare sanguinem
Et sceptrum scelere aggredi?

Unde Syrus vertit: *Sanguinem sanguine miscuerunt;* Arabicus: *Sanguinem super sanguinem effuderunt.* In Hebræo major est emphasis. Habet enim in plurali: *Sanguines tetigerunt sanguines, q. d. Tanta est effusio sanguinis, ut non guttatum is stillet, sed instar rivi et torrentis decurrat, atque ad sanguinem alibi effusum confluat, efficiatque quasi lacum sanguineum, et campos sanguinantes.* Inde *vir sanguinum* vocatur homicida et latro, ut David vocatur a Semei, II Reg. cap. XVI, 7.

Secundo, Rupertus sanguinem accipit pro commixtione semenis et sanguinis (semen enim est sanguis optimus et plane percoctus) consanguineorum, q. d. Consanguinei invicem sanguinem, id est semen, commiscent, invicem incestant et polluunt.

Tertio, plenissime, Chaldaeus, S. Cyrillus, S. Hieronymus, Haymo et Hugo *sanguines* accipiunt pro peccatis, q. d. Addunt peccata peccatis, sceleris sceleribus accumulant. Audi S. Gregorium, hom. 11 in Ezech.: « *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur; ut ante Dei oculos adjunctis iniquitatibus anima cruentetur.* Paulus Apostolus ait: Ut impleant peccata sua semper. Joanni quoque per angelum dicitur: Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc, » q. d. Domus, vici, fora, templo, muri, agri peccatis inundant et exundant.

Quæres, cur sanguis est symbolum peccati? Peccatum vocatur sanguis ob qualiter analogias. Respondeo primo, quia effusio sanguinis, puta homicidium, inter homines censetur gravissimum esse peccatum. Secundo, quia sanguis est sedes et instrumentum concupiscentiae, quæ est causa peccati. Sanguis enim subministrat materiam tam libidini, quam iræ et superbiæ, eaque accendit et inflamat. Unde sanguis est symbolum carnalis sensus et cupiditatis, uti ex Theodoreto docui, Levit. cap. XVII, 11. Tertio, quia sanguis Judæis ex lege erat immundus et abominabilis, nec eo licebat vesci, idque in odium et detestationem homicidii, Levit. cap. XVII, 10. Rursum, sanguis menstruarum et naturaliter et ex lege immunissimus erat, Levit. cap. XV, 19 et seqq. Tale est peccatum quod est menstruum, et teturimum virus animæ. Quarto, quia peccatum occidit animam, ejusque quasi sanguinem et vitam effundit.

Allegorice Theophylactus et ex eo Leo Castrius (qui hunc sensum affert quasi litteralem): *Judæi*

sanguini Prophetarum miscuerunt sanguinem Christi, Apostolorum et Martyrum, dum eos æque ac Prophetas occiderunt, uti Christus eis objicit, *Math. cap. xxiii, 34*. Rursum iidem, ait Castrius, Christum inter duos latrones crucifixerunt, ut crederetur esse latro. Sic ergo sanguinem Christi sanguini latronum miscuerunt.

Vers. 3.

3. PROPTER HOC LUGEbit TERRA. — Hic pœnam tot tantisque sceleribus debitam intentat. Ait ergo, « lugebit, » id est, ut Chaldæus, *vastabitur et desolabitur, terra*, ut metaphorice lugere videatur; sicuti ex adverso prata ridere dicuntur, cum germine, floribus et fructibus vernant. Ita Lyranus, Arias et Vatablus. Secundo, « lugebit, » metonymice, quia vastata luctum incolis inducit. Ita Haymo et Hugo. Quocirca hujus luctus terræ effectum subdit, dicens :

ET INFIRMABITUR, — id est languebit, fame consicietur, tabescet et morietur. Ita Chaldæus. Est metonymia; ponitur enim antecedens pro consequente, puta infirmitas pro morte.

OMNIS QUI HABITAT IN EA, IN (id est cum) BESTIA AGRI, ET IN (id est cum) VOLUCRE COELI, — q. d. Desolata terra non tantum homines, sed et bestiæ avesque, quin et pisces morientur, tum quia hæc omnia ex terræ frugibus vivunt: iis ergo sublati emoriuntur; tum quia per hæc omnia punitur a Deo homo peccans, qui est eorum dominus.

ET PISCES MARIS CONGREGABUNTUR, — id est deficient et morientur. Ita Septuaginta et Chaldaeus (1).

Congre-
gari id
est, mori-

Quæres, cur defectus animalium et mors vocatur *congregatio?* Respondeo primo, quia animalia, etiam fera, ut leones, cervi, lupi, apri sparsi per agros et sylvas, dum periculum mortis sentiunt, naturæ instinctu solent congregari in unum agmen, ut simul juncta validius periculo resistant. Secundo, quia pisces cum ob vitium aquarum, aeris, aliave de causa (ut ob fœturam, vel cum balaena gravis onus ventris sentiens agitat seipsam totumque mare, et consequenter omnes pisces) alio migraturi sunt, solent congregari in unum agmen, itaque simul proficisci; unde tunc piscaiores, qui id præsentient, eos piscari solent; uti quotannis stat tempore videnuis fieri pescationem halecum, mugilum, salmonum. Tertio, Ribera et alii exponunt : « Congregabuntur, » scilicet ad multitudinem et congregationem mortuorum, id est tabescere et morientur. Hinc enim illa trita phrasis : « Apponi vel congregari ad patres, » id est mori. Est metalepsis, vel metonymia :

(1) « Cum captivitas decem tribuum venerit habitatore sublato, inquit S. Hieronymus, bestiæ quoque et volucres cœli, et pisces maris deficient, iramque Domini etiam multa elementa sentient. Hoc qui non credit accidisse populo Israel, cernat Illyricum, cernat Thracias, Mace-doniam, atque Pannonias, omnemque terram quæ a Propontide et Bosphoro usque ad Alpes Julias tenditur, et probabit cum hominibus et animaliæ cuncta desicere, quæ in usus hominum a Creatore prius alebantur. »

mia : ponitur enim consequens pro antecedente, scilicet descensus in sepulcrum et limbum, pro morte prævia. *Quarto* et genuine, quia hebræum ἥδη *asaph* significat congregare, colligere, auferre. Sic enim poma dicuntur congregari vel colligi, dum carptim auferuntur. Sic pisces congregantur in sagenam, dum expiscando auferuntur. Unde Lucilius :

Ruis hue, et colligis omnia furtim.

Congregare ergo vel colligere, idem est quod auferre.

Porro hæc mors vel descensus piscium in desolatione terræ contingit partim naturaliter : sicutas enim et combustio terræ arefacit torrentes et rivos, qui alebant pisces; partim et potius justo Dei judicio, qui hominum impiorum terra et aqua, bestiæ et piscibus abutentium castigat, omnium defectu et desolatione. Hoc est quod minatur Isaias Ægyptiis, cap. xix, 5 : « Arescit aqua de mari, et fluvius desolabitur atque siccatitur; et deficient flumina, et mœrebunt pisca-tores. » Ita in historiis legimus, et hoc sæculo vidimus, in Francia, Scotia, Hollandia urbes olim pescatione et piscibus divites, postquam hæresim admirerunt, piscibus emorientibus, vel alio commigrantibus sterilitate et paupertate a Deo vindice punitas. Refert Platina sub Victore III Pontifice, ob peccata illius ævi pisces tam in mari quam in fluminibus defecisse. Idem Hiberniæ contigisse, sed precibus S. Malachie correctum esse, in hujus Vita scribit S. Bernardus. Sic ex adverso Christus semel et iterum ingentem copiam piscium adduxit in retia S. Petri, utpote fidelium principis, *Luc. cap. v, vers. 6*, et *Joan. cap. xxi, vers. 6*. Theodoreus per aves accipit divites, qui in pisces, id est pauperes, grassantur eosque consumunt; sed hoc mysticum est, non litterale.

4. VERUMTAMEN UNUSQUISQUE NON JUDICET (id est Vers. 4. non expostulet, ut vertit Vatablus, non increpet), **ET NON ARGUATUR VIR,** — q. d. Nemo increpet et arguat homines hujus regionis; frustra enim id faciet, nam monenti obstrepunt et contradicunt. Ita S. Hieronymus, Lyranus et Vatablus. Loquitur quasi desperans de eorum emendatione, simulque significat eos plane indignos esse monitione et correptione, ait Rupertus. Audi S. Hieronymum : « Provocati erant ad judicium Dei filii Israel, ut causas Dominicæ indignationis audirent, et præterita peccata cognoscerent, propter quæ hostibus traderentur. Nunc quia in scelere perseverant, et impudenti Deum fronte contemnunt, audiunt : Non necesse est ut veniatis ad judicium, ut in vestris flagitiis arguamini; quia tante estis impudentiæ, ut nec convicti quidem, pudorem habeatis et verecundiam; sed contradicatis mihi, quasi si discipulus magistro, sacerdoti plebecula contradicat. »

POPULUS ENIM TUUS SICUT HI QUI CONTRADICUNT SA-

CERDOTI. — Vatablus, *sicut hi qui litigant cum sacerdote, q. d.* Israelitæ contradicunt mihi et Prophetis, *sicut improba et impudens plebs contradicit sacerdoti, cum eoque litigat.* Ita S. Hieronymus. Allegorice, Judæi contradixerunt Christo, qui est summus sacerdos, dicentes : Non habemus regem nisi Cæsarem, ait Leo Castrius. *Secondo, tò sicut potest accipi ut nota non similitudinis, sed veritatis, uti est, Joan. cap. I, 14, q. d.* Populus tuus est obstreperus et vitilitigator, uti decet eum qui litigat et jurgatur cum suis sacerdotibus. Quocirca Arias sic exponit, *q. d.* Nemo est qui arguat populum. Nam sacerdotes quorum est eum arguere, æque improbi sunt. Unde si hi populum increpant, ille recalcitrat, et scelus sceleri regerit illud occinens :

Væ tibi tu! nigræ dicebat cacabus ollæ.

Vers. 5.

5. ET CORRUES HODIE, — id est brevi, *q. d.* Jam-jam tibi, o Israel, imminent ruina et calamitas captivitatis Assyriacæ; tibi, inquam, et tuis pseudoprophetis, qui tibi quasi nunquam vastandæ falso ab blandiebantur. Ita Chaldæus, S. Hieronymus, Theodoreetus, Lyranus et Isidorus.

Alii pro *hodie* vertunt, *interdiu*, aliterque sequentia dispungentes, sic transferunt : *Corrues igitur interdiu, id est palam, media luce, non per tenebras et insidias, corruet et propheta tecum nocte, id est in sua calamitate et strage, æque ac ignorantia, imprudentia, et inopia consilii.* Ita Chaldæus, Vatablus, Pagninus, Isidorus et Arias : unde sequitur (1) :

NOCTE TACERE FECI (præ pudore et confusione)
MATREM TUAM, — puta Synagogam, sive Samariam, *q. d.* Puniam ejus obstreperam contradictionem silentio, ut se excusare, imo loqui nec audeat, nec possit : « Nulla flendi major est causa, quam flere non posse, » vel metu tyranni fletum prohibentis, vel præ gravitate mali, quæ oculis mentique stuporem inducit : « Cum miserrimum sit flere, quam infelix sum, cui ne hoc quidem licet! » ait Seneca lib. I *Controv.* I. *Noctem* vocat tempus calamitatis et excidii, puta captivitatis, cædis et spoliationis Samariæ, forte etiam quia noctu capta est ab Assyriis. Unde Hebraice est, *nocte, et tacere feci, vel compescui matrem tuam,* *q. d.* Cum nox erit, tunc facebit. Rursum hebræum *דָמִיתִ* verti potest cum Vatablo, Pagnino et aliis, *succidi, q. d.* Nocte succidi matrem tuam. *Tertio,* verti potest cum Septuaginta : *Nocti assimi-*

(1) *Interdiu et noctu* multi explicant eo modo ut sensus sit : Tu brevi corrues, et statim post te corruet pseudopropheta, quemadmodum diem sequitur nox. Ast certe præferenda est, inquit Ackermann, interpretatio quam et Rosenmuller sequitur : Manifesta est in hoc hemistichio oppositio diei et noctis : in qua tamen unum alterum non excludit, sed magis explicat, et utrumque ad utrosque pertinere docet, ut significetur nullum tempus a strage tam singulorum e populo, quam pseudoprophatarum vacuumesse.

lavi matrem tuam, q. d. Ita cladibus obruetur, ut dies videatur esse nox, utque ipsa nocti tenebrosæ et horridæ similis esse videatur.

6. CONTICUIT POPULUS MEUS. — Vatablus, *ad silentium redactus est vel succisus est, populus meus, eo quod non habuerit scientiam Dei,* de qua vers. 1.

QUIA TU SCIENTIAM REPULISTI, REPELLAM TE, NE SACERDOTIO FUNGARI MIHI. — *Scientiam* vocat Dei legisque divinæ studium et cognitionem, non tantum speculativam, sed et practicam, uti dixi versu 1. Unde Chaldæus vertit : *Quia tu repulisti timorem Dei, repellam te, etc.* Nota primo : Alloquitur Synagogam sive populum Israel; unde de ea loquitur, nunc in genere masculino, nunc in feminino, dicens : « Oblita es legem Dei tui, » *q. d.* Repellam te, o Israel, ne ullus ex filiis tuis, aut ex coetu tuo sit mihi sacerdos. Maxime tamen alloquitur ipsos sacerdotes, ut patet ex sequentibus. Nam vers. 8 ait : « Peccata populi mei comedent, » scilicet sacerdotes ; ita Chaldæus et Arias (2). Jam sacerdotium intelligit non falsum et idololatricum, institutum a Jeroboam, ut vult Albertus, hoc enim non « mihi, » id est Deo, sed vitulis aureis fuit dicatum ; sed verum et divinum. Sensus ergo est, *q. d.* Quia tu, o Israel, et maxime vos, o sacerdotes sparsi per Israelem, ut eum Dei cultum et timorem doceretis, repulisti studium meæ legis; hinc ex lege et poena talionis vobiscum agam ; nimirum quia vos legem meam adeo neglexistis, ut nec eam legeritis, nec ipsos legis libros haberetis, ego vicissim vobis ipsam legem, scientiam, sacerdotium, omnemque mei cultum et religionem auferam, ut quasi ad atheismum et paganismum redigamini. Ex sacerdotio enim pendet totius populi fides, cultus et religio. Eo ergo ablato necesse est ut haec pariter auferrant et pereant. Ingens ergo poena quam Deus Israeli hic socordi in sui cultu comminatur, est sacerdotii ablacio. Videant nunc respubliæ ha-

(2) His verbis Prophetam alloqui sacerdotes, clarum est. In singulari vero loquitur ad *sacerdotem*, quia totum sacerdotum ordinem alloquitur, et vocem collective sumit. Ast recte queri potest, ad quales sacerdotes Deus per Prophetam verba sua dirigat, quia nulli in regno Israels fuisse videntur veri sacerdotes ; cum Jeroboam pridem sacerdotes Aaronicos repudiaverit, et ex ima plebe sacerdotes fecerit, I Reg. XII, 31. Verum tempore Jeroboami multi Aaronici sacerdotes abierunt, in quorum locum surrogaverunt alios de ima plebe; plures autem procul dubio manserunt (cf. Ezech. XLIV, 10), et defecerunt ad cultum impurum (nam, ut observat Maurer, quanquam non est probabile, omnes omnino Jovæ sacerdotes et levitas a Jeroboamo patria expulsos esse (cf. I Reg. XII, 31; Chron. II, 14 et seqq.), tamen quid putabis potuisse efficere paucos Jovæ sacerdotes inter medios sacrificulos deorum factorum?) Jeroboami. Hos non statim Deus repudiavit, sicut nec ipsas decem tribus, sed pro longanimitate sua exspectavit, ut et ipsi penitentiam agerent, legis scientiam sectando, et Israelitas docendo ad penitentiam adducerent. Quod quando constanter contempserunt et repudiarunt, Deus eos in totum cum populo repudiavit, et sacerdotio eos privavit, quod per legem familiæ paternæ promissum et datum fuit. (Ackermann.)

reticæ, quæ sacerdotes et sacerdotium christianum exterminant, quam non tantum illis et Christo, sed et sibi ipsis sint injuriæ; hoc enim ipso auferunt sibi Dei fidem, Dei Ecclesiam, Dei cultum veramque religionem. Denique Arabicus vertit: *Quia tu es qui dilexisti sæculum, et consolationem ejus, et ego repellam te, ne fungaris mihi sacerdotio.* Quod notent sacerdotes, ne se implicent rebus sæcularibus, ut monet Apostolus, si Deo servire et frui velint. Rursum ex hac Osee sententia, Synodus VII generalis probat arcendos esse episcopatu indoctos, qui carent sacrae Scripturæ scientia, ut habetur dist. **xxxviii, cap. Omnes.**

Vers. 7. **7. SECUNDUM MULTITUDINEM EORUM SIC PECCAVERUNT MIHI.** (« *Eorum*, » scilicet, « *filiorum*, » ut præcessit, q. d. Multiplicavi Israelitas sicut stellas cœli, sed quo plures fuerunt, eo plures peccarunt et gravius; ut quot Israeli filios dedi, tot mihi videar hostes genuisse; ipse enim eos educat in mei odio, et in idolorum amore cultuque (1). Quocirca) **GLORIAM EORUM IN IGNOMINIAM COMMUTABO**, — q. d. Auferam eis filios (hi enim sunt gloria parentum, præsertim in lege veteri) quod eis erit valde probrosum et ignominiosum. Ita S. Cyriillus, Theodoreetus et Theophylactus. **Secundo**, S. Hieronymus explicat, q. d. « *Quot homines habuit Israel, tot aras exstruxit dæmonibus, in quorum victimis peccavit mihi.* Propterea gloriam eorum, in qua gloriabantur sibi, cum Deo idola præferabant, in ignominiam commutabo; ut et sacerdotes capiantur et populi. Siquidem sacerdotes peccata populi mei comedunt, quia cum eum peccare perspexerint, non solum non arguunt, sed laudant, atque sustollunt, ac beatos prædicant. » **Tertio**, Chaldaeus τὸ eorum ad opes et proventus refert; vertit enim: *Sicut multiplicavi eis proventus, sic ipsi multiplicaverunt contra me peccata.* Ita sæpe videmus non tantum laicos, sed et sacerdotes ex opibus insolescere et luxuriari, juxta illud *Deuter. cap. xxxii, 15*: « *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit.* » Quocirca apposite, ait S. Ambrosius: « *Divitiæ de vitiis nomen acceperunt*, » quia divitiæ vitiorum sunt fomes.

Vers. 8. **8. PECCATA POPULI MEI COMEDENT.** — « *Comedent*, » id est comedere solent; futurum enim Hebreis sæpe significat morem, consuetudinem actionis. **Peccatum in Scriptura tripliciter sumitur: primo**,

(1) Ob numerum pluralem, mutatamque personam hæc verba non de sacerdotibus, sed de universo populo quidam capienda existimant, veluti S. Hieronymus. Verum quam sit familiare vatibus Hebreis, ab una persona subito ad alteram transire, nemo ignorat, inquit Rosenmuller, neque quod de iis quos vers. 6, collective in singulari appellaverat, jam in plurali loquitur, mirum cui videri potest. Præterea, dictum erat in plurali de filiis et successoribus sacerdotum sub finem versus præcedentis. Neque dubium est, quin in tertia plurali iniquitas sacerdotum mox vers. 8 describatur. Generale jam adhibetur verbum **נָפַת chateou, peccaverunt**, ut in universum omnis generis peccata ab iis peracta esse indicetur.

pro peccato proprie dicto; secundo, metonymice pro poena peccati; tertio, pro hostia pro peccato; ut, cum ait Apostolus *I Cor. cap. v, 21*: « *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum,* » id est hostiam pro peccato, « *fecit.* »

Triplex ergo hic affertur sensus. **Primus**, q. d. Sacerdotes comedent, id est luent poenas peccatorum populi, quorum causa fuere sua dissimulatione; efficiam ergo ut quæ comedenterunt peccata, et quorum ipsi fuerunt causa, evomant cum visceribus, inquit Christophorus a Castro. Unde et Theodoreetus sic exponit, q. d. « *Metent quæ severunt, et suorum peccatorum fructum vindimiabunt.* » Verum cum hac explicatione non recte cohæret id quod sequitur: « *Et ad iniqitatem eorum sublevabunt animas eorum.* »

Secundus, q. d. Peccata, id est hostias pro peccato a populo oblatae comedunt sacerdotes, in iisque convivantur et epulantur. Unde S. Bernardus, serm. 77 in *Cant.*: « *Peccata, inquit, populi mei comedunt, q. d. Peccatorum pretia exigunt, et peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis marsupiis, quam vitiis extirpandi?* » Unde Prosper, lib. II *De Vita contempl.* cap. x, ex hoc loco docet graviter peccare eos qui ex bonis Ecclesiæ locupletari volunt: « *De clericis, inquit, dicit Spiritus Sanctus: Peccata populi mei comedunt; sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt.* »

Tertius: « *Peccata populi comedunt*, » qui preibus et victimis suis ea abolent et consumunt. Ita Ruffinus et alii. Verum hæc est laus sacerdotis, non probrum, de quo hic agitur.

Dico ergo, sensus est, q. d. Sacerdotes « *peccata populi mei comedunt*, » non ea consumendo per orationes et oblationes, ut par erat (hoc enim eorum officium, æque ac oblationes fidelium possunt et exigunt), sed ea laudando, dissimulando, et in se suamque conscientiam ac caput ea suscipiendo. Ita enim agendo quasi hauriebant et absorbebant peccata populi, erantque causa ut illa multiplicarentur, idque ad hoc ut « *peccata*, » id est hostias pro peccato plurimas a populo acciperent et comedenterent. Dicebant enim adulando, et extenuando peccata populi: Illud nullum, vel leve est peccatum; Deus scit nos esse fragiles et infirmos: tales ergo sciens tolerat, iisque compatisit; non ergo sitis anxi, ego illud in me suscipio, ego pro te satisfaciam Deo, et, ut ait Theophylactus, « *super nos sit condemnatio*, » uti Judæi dicentes Pilato: « *Sanguis ejus sit super nos et super filios nostros.* » Ita S. Hieronymus, Haymo, Rupertus, Hugo, Lyranus, Ribera et alii. Et S. Gregorius, homil. 17 in *Evang.*: « *Cur, ait, peccata populi comedunt, nisi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia stipendia amit-*

Peccata
populi
comedunt
sacerdo-
tes tripli-
citer.

tant? » Et Arias : « Optant, inquit, magnam peccatorum esse copiam; quæ suam illis mercem cum questu compendioque suppeditent. » Sic apud Japones peccata populi comedunt sacerdotes, quos ipsi Bonzios vocant, qui cuilibet omnium scelerum impunitatem spondent, dummodo eis largas det oblationes et eleemosynas; hujusque sponsonis suæ dant syngraphas, quas morituri secum deferunt ad sepulcrum, quasi eas exhibituri judici et vindici Deo; ita habent epistolæ Japonicæ.

Duo ergo hac phrasi significat Propheta, adeoque peccatum accipit duplice: scilicet proprie, et metaphorice, pro hostia pro peccato: hanc enim offerebant, et ex parte comedebant sacerdotes juxta legem *Levit.* cap. vii, 7; eo ergo al ludit, q. d. Hi sacerdotes ex lege comedunt peccata, id est hostias pro peccato a populo oblatas; et quia avari sunt et gulosi, inhiant hisce oblationibus et hostiis, ideoque ipsa peccata populi extenuando et adulando sorbent et deglutiunt, et ut ait S. Job, bibunt quasi aquam iniquitatem. Ita sorbebat peccata Henrici VIII regis Anglicus ille palpo, qui regi volenti ducere Annam Bolenam, quæ putabatur regis esse filia ex pellice, ac roganti quantum peccatum esset cognoscere matrem et filiam, respondit: Tantum, quantum si quis devoret pullum cum matre, puta cum gallina, uti refert Sanderus, lib. I *De Schismate Anglicano.* Hunc sensum poscit id quod sequitur:

ET AD INIQUITATEM EORUM SUBLEVABUNT ANIMAS EORUM. — Hebræa ad verbum præcise sic habent: *Peccata populi mei comedent sacerdotes, et ad iniqutatem eorum* (scilicet sacerdotum, id est suam) *elevabunt, vel portabunt animam ejus,* scilicet populi, in quo quia sunt multi, hinc Noster vertit in plurali, *eorum,* scilicet populorum, q. d. Sacerdotes, respuentes Deum Deique scientiam, epulantur in hostiis et oblationibus populi, indulgent genio et ventri; et ad hanc similesque iniquitates suas imitandas invitant, erigunt, et inducunt animas populi verbo et exemplo. Unde subdit: « Et erit sicut populus sic sacerdos, » q. d. Sacerdos, qui populum præire debebat virtute, par est ei, imo præit eum, in scelere. *Hinc secundo,* R. David, Vatablus, Arias sic explicant, q. d. Inhiant, et avide exspectant iniquitates populi, sive ut contra legem peccet populus, ut exinde ab eo hostias pro illis peccatis expiandis accipient, quibus epulentur: inhiant ergo peccatis populi, quasi inde toti pendeant et vivant; nam sublevare animam hebraice significat erigere animam in spem, sperare, inhiare, ut patet *Ezechiel.* cap. xxiv, 25, et alibi. *Tertio,* Haymo: « Sublevant, inquit, dicentes: Quoniam populus Dei estis, ex genere Abraham descendistis, propter illius amicitiam parcer vobis Deus, si peccaveritis ei. » Et Ribera sic explicat, q. d. Sacerdotes addunt animos popularibus ad hoc ut magis peccent, dum peccatis eorum connivent, ea palpant, iisque adulantur.

Quarto, alii sublevant exponunt per exonerant, q. d. Sacerdotes animas oneratas peccatis adulando sublevant, alleviant, exonerant; ita S. Hieronymus, Haymo, Rupertus, Hugo, Lyranus et alii. *Quinto,* pro sublevabunt Septuaginta vertunt, accipient, q. d. Sacerdotes pro iniquitatibus populi accipiunt, id est offerunt Deo animas suas, seipsos devovendo iræ Dei pro populo. Ita Cyrillus. Verum primus sensus maxime genuinus est, ac deinde secundus et tertius. Porro Cyrillus pulchre docet sacerdotes debere se orando et sancte vivendo, hostiam Deo pro peccatis populi offerre: « Talis enim, ait, potest populum qui in offendam Dei incurrit, legemque Dei violavit, in gradum pristinum restituere. »

9. ETERIT SICUT POPULUS, SIC SACERDOS. — Hebræus: *Vers. 9.* *Et erit* (vel et est) *sicut populus, sicut sacerdos.* Est Hebraismus. Hebrei enim similitudinem exprimunt nota similitudinis, puta rō *sicut* apponendo utrius rei comparatæ, vel simili, quod Lasinus Interpres apte latina phrasi reddidit uni apponendo rō *sicut*, alteri rō *sic*, quod respondet voci *sicut*, estque redditio similitudinis. Sensus est, q. d. Similis est eritque populus sacerdoti, et sacerdos populo; qualis populus, talis sacerdos, et vice versa. Hoc enim exigit non tantum ipsa notæ similitudinis reciprocatio, ut vult Martinus Martines lib. VIII *Hypotyp.* cap. viii, sed et ipsa similitudinis ratio; simile enim est simili simile, et vice versa, simile enim est relativum æquiparantiae. Sive ergo dicas: *Sicut populus sicut sacerdos*, sive dicas: *Populus est sicut sacerdos;* idem dicas, idemque significas; similis, inquam, est in culpa. Unde Vatablus vertit: *Hinc fit ut sit talis populus, qualis sacerdos;* ac consequenter similis erit in poena. Hanc enim sententiam infert tum ex eo quod proxime præcessit, scilicet: « Peccata populi mei comedent (sacerdotes), et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum; » quibus verbis sacerdotes aequaliter, imo præferruntur, populo in culpa; tum ex eo quod paulo ante dixit: « Gloriam eorum in ignominiam commutabo, » q. d. Nulla erit differentia inter sacerdotes et plebeios, nam omnes erunt captivi citra delectum; et ob id omnes afficiunt ignominia et contumelia: « Eximiorum enim et magnatum rationem hostes habere non solent, » ait Procopius in *Isaiæ* cap. xxiv, 2. Unde et sequitur: « Et visitabo super eum vias ejus. » Nam sacerdotes erant decus et gloria Israelis, utpote consecrati Deo, et mediatores inter Deum et populum. Debebant ergo hanc suam gloriam tueri antecellendo populo, tum in legis scientia, tum in sanctitate Deique cultu. At quia neutrum præstiterunt, sed populo tam in ignorantia, quam nequitia fuerunt pares, imo superiores; hinc iisdem pares, imo superiores fuerunt in poena et ignominia. Ita S. Hieronymus, Haymo et Hugo. Simili modo dicas de indisciplinatis clericis et Religiosis: *Qualis laicus, talis clericus; qualis*

sæcularis, talis Religiosus. Tolle habitum, hunc ab illo non discernes; quia eadem utriusque est lingua, sermo, actio, vita et mores.

Præclare urget hunc locum S. Gregorius, hom. 17 in Evangel., et II part. Pastor. cap. vii. Vere S. Chrysostomus: « Sacerdotes multi, sacerdotes pauci: non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos; » scilicet mysticus, qui mysticas laudis, orationis et sanctorum operum hostias Deo offert. Audi et Gilbertum Abbatem in appendice ad serm. S. Bernardi in Cant. serm. 13: « Factus est sacerdos sicut populus, ut licentius populus sicut sacerdos fiat. Mundo se monachi studio conformant, et qui in mundo sunt errorem suum nostrorum satis versute et nimis vere tueruntur exemplo. Mutuis ad vitia sese aut informant aut fovent exemplis pastores, populi, sæculares et Religiosi; promptuaria plena sunt hujusmodi, eructantia ex hoc in illud, aut turpis, aut tepidæ conversationis spiritum pestilentem. Heu! quam avido cordis ore pravum hunc attrahimus spiritum, et corruptem haurimus auram! Jesu bone, quando erit, si tamen aliquando erit, sicut fides integra, sic et incorrupti mores. »

ET VISITABO SUPER EUM VIAS EJUS, — q. d. Puniam ejus actus et peccata. Viæ enim in Scriptura vocantur actus, modus vivendi, tenor vitæ, conversatio; per hæc enim mens incedit, sicut per vias corpus.

ET COGITATIONES EJUS REDDAM EI. — Hebreum נְלָעֵם maalalav significat studia, machinationes, molitiones, opera. Hæc ergo vocantur hic cogitationes, scilicet ipsæ machinationes scelerum; has reddit Deus peccatori, cum illum propter easdem ex æquo punit et affligit.

Vers. 10. 10. ET COMEDENT, ET NON SATURABUNTUR. — Pauperes spiritu, qui esuriunt et sitiunt justitiam, saturabuntur, ideoque beati prædicantur a Christo, Matth. cap. v, 6. At hi avari sacerdotes et epulones, qui peccata populi comedunt, iisque inhiant inexplebiliaviditate, justo Dei judicio ad tantam famem redigentur in captivitate Assyriaca, ut eam saturare et explorare nequeant. Ita Theophylactus et Arias, qui addit: « Qui hostias captant, ipsi in hostias convertuntur, » ut spolientur et inactentur ab Assyriis.

Secundo, Ribera et Arias, q. d. Licet gulæ, ventri et sceleribus se immergant, nunquam tamen desiderium suum explebunt. Nam, ut ait S. Hieronymus et ex eo Haymo: « Voluptas insatiable est, et quanto magis capit, tanto plus utentibus se famem creat. E contrario beati esurientes et sitientes justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sicut justitia saturat, sic iniquitas substantiam non habens, vana comedentes fraude deludit, et uteros devorantium vacuos derelinquit. »

Alienius Theodoretus: Comedent, inquit, pœnas et supplicia, at nunquam iis saturabuntur, id est

nunquam illa desinent, quia unum alteri continuo succedit.

FORNICATI SUNT, ET NON CESSAVERUNT. — Chaldaeus, Vatablus, Pagninus, Arias et Isidorus hæc accipiunt de corporali fornicatione, de qua sequitur: « Fornicatio, et vinum et ebrietas auferrunt cor; » unde vertunt: Scortabuntur, et non prorumpent; Syrus, non sunt multiplicati, id est non crescent, non augebuntur filiis, q. d. Quærrunt liberos, ideoque non tantum uxoribus, sed et meretricibus copulantur; sed Deus puniet eos sterilitate, ut filios non procreent; sicut paulo ante eosdem, quia epulones punivit fame, ut eam saturare nequeant. Congrua enim et justa poena fornicantium est æterna et sterilitas illiberis, ut qui ex matrimonio ad proles a Deo instituto eas procreare nolunt, ex meretricibus eas procreare cupientes non possint, aut si procreent, prævæ sint et miseræ, brevisque ævi, uti hodierna sæpe docet experientia. Hoc est quod dicitur Sapient. cap. iv, 3: « Spuria vitulamina, » græce μοσχεύματα, id est propagines, et novi surculi, « non dabunt radices altas; » quod clare explicans cap. iii, ait: « Filii adulterorum in inconsuptione erunt, » id est inconsummati erunt, nec pervenient ad perfectam ætatem. « Et ab iniquo thoro semen exterminabitur. »

Secundo et melius, S. Hieronymus, Theodoreetus, Cyrillus, Theophylactus, Haymo, Hugo et Lyranus hæc accipiunt de fornicatione mystica, id est de idolatria: de hac enim continue agit hic Propheta, de eaque statim, causam hujus sui dicti dans, subdit: « Quoniam dereliquerunt Dominum. » Sensus ergo est, q. d. Comedent, et non saturabuntur, quia fornicati sunt cum idolis, et non cessaverunt, nec sua fornicatione saturati sunt; sed inexplibili libidine fornicari, id est idololatrare, continue perrexerunt. « Vires, inquit S. Hieronymus, in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit; » unde pro non cessaverunt, hebraice est נִפְרַצּוּ lo iiprotsu, id est non sunt divisi, scilicet a sua fornicatione, suisque amasiis, puta idolis; sed iis jugiter copulati sunt; radix enim פָּרָטָס parats significat dividere. Inde locus in quo Deus, pro Davide pugnans, divisit et dispersit Philistæos, dictus est Baal Pharasim, id est habens divisionem, q. d. Planities divisionum, vel campus fracturæ et rupturæ, dicente Davide: « Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ, » II Reg. cap. v, 20. Uterque sensus verus et genuinus est. Fornicatio enim hic et in sequent. tum proprie pro scortatione, tum mystice pro idolatria capitur. Ratio est, quia illa hujus erat non tantum imago et symbolum, sed comes quoque et assecla, imo et instrumentum. Idola enim, præsertim Beelphegor, sive Priapum, colebant fornicatione, omnique obscenitate, etiam infanda et Sodomita cum effeminatis, ut patebit versu 14.

QUONIAM DOMINUM DERELIQUERUNT IN NON CUSTO-

Voluptas insatiable est.

CUSTODIA, id est lex, cur? DIENDO, — scilicet ejus legem et præcepta. Ita S. Hieronymus, Hugo, Albertus, Lyranus et alii. Hebræa habent : *Quia deseruerunt Dominum ad custodiendum*, id est quia deseruerunt custodire Dominum, sive custodiam Domini. *Custodia Domini* hebraice vocantur leges, præsertim cæremoniales Domini. Hæ vocantur *custodia* per metonymiam, quia summe observandæ et custodiendæ sunt, ut qui eas custodit, Deum ipsum qui eas sanxit, quique iis colitur et honoratur, custodire videatur. Unde Chaldaeus vertit : *Quia cultum Domini dereliquerunt et non custodierunt*; et Vatablus : *Quia deseruerunt Dominum, quo minus eum (id est ejus jussa) observarent*. Sicut ergo aulici et stipatores, puta Helvetii, summa cura jugiter custodiunt principem, et omnia quæ eum tangunt, nec faciunt aliud tota vita; ita nos, præsertim sacerdotes, custodire decet cultum ritusque sacros Dei. Sic *Sapient.* cap. vi, 19, dicitur : « Cura disciplinæ dilectio est, et dilectio custodia legum illius est; custoditio autem legum consummatio incorruptionis est. » Alludit ad Levitas, qui dicuntur in tabernaculo excubare, et custodire custodias Domini, id est tabernaculum, vasa ritusque Domini, *Levit.* cap. viii, 33; *Numer.* i, 53; cap. iii, 32, 36, 38 : cap. viii, 26; cap. xviii, 4, 5, 8, et alibi.

Quocirca minus recte Cyrillus et Theophylactus sic exponunt, quasi dicat : *Dereliquerunt Dominum, ut custodirent vias suas malas, ebrietatem, fornicationem, etc.* Rupertus qui ex adverso : *Non custodierunt se, inquit, ne servirent peccatis.*

Vers. 11. 41. FORNICATIO, ET VINUM, ET EBRIETAS AUFERUNT COR. — « Fornicatio, » tum corporalis, jungitur enim vino et ebrietati; tum quæ inde consequi solet spiritualis, id est infidelitas et idolatria, aufert cor, id est mentem, rationem, judicium, animum, ac hominem dementat, facitque recordem. Ita Theodoretus, Theophylactus et alii. Idque tum quia ipsa fornicatio est fœda et vena, ac repugnans rectæ rationi; tum quia corporalis subjicit hominem meretriculæ, quæ vesanis cupiditatibus agitur; spiritualis vero subjicit hominem idolo et dæmoni, qui est juratus ejus hostis; tum quia exhaustit et perdit ejus opes, famam, sanitatem, conscientiam. Ita Dalila Philistina cor, vires et vitam eripuit Samsoni. Ita septingentæ concubinæ Salomonis dementarunt regem sapientissimum, eumque ad sua idola collenda pertraxerunt et perdiderunt, *III Reg.* cap. xi, 1. Porro fornicario et peccatori exordi cor restituit timor Dei, judicii et gehennæ; Deus enim per timorem cor pulsat, et ad vitam spiritalem excitat. Nam, ut ait Sapiens, *Ecli.* xxi, 7 : « Qui timet Dominum, convertetur ad cor suum. » Justos vero et generosos, sed dormitantes vel incogitantes, excitat Deus per amorem et beneficia; ut Davidis cor excitavit, *II Reg.* vii, 27, cum dixit : « Revelasti aurem servi tui dicens : Do-

mum ædificabo tibi : propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oraticne hac. »

Moraliter, disce hic quam bruta sit libido, quæ præ aliis vitiis homini, etiam sapienti et principi, cor et mentem eripit. Quocirca Diogenes, teste Laertio, lib. VI, dicebat « scorta esse regum reginas ; » quod reges dementarent, ac ab illis quidquid collibuissest, peterent et impetrarent, ideoque in ipsos reges quasi regnum, imo tyrannidem exercerent; reges enim a populo non semper obtinent quod exigunt, at scorto nihil negatur. Idem Diogenes dicebat scorta similia esse mulso lethalibus venenis temperato, eo quod afferrent quidem initio voluptatem, sed quam perpetuus dolor consequeretur.

Moraliter, libido eripit luxurioso cor.

Quocirca Demosthenes Corinthi postulans a Laide famosa meretrice corporis copiam, cum illa pro nocte stipularetur drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretii, mutavit sententiam dicens : « Non emo tanti pœnitere, » significans inhonestæ voluptati comitem esse dementiam, æque ac pœnitentiam.

Xerxes iratus Babyloniis quod a se defecissent, postquam illos in suam potestatem redigit, vetuit ne ferrent arma; sed psalteriis tibiisque canerent, scorta alerent, cauponas haberent, quo voluptatibus evirati et excordes, non molirentur denuo defectionem. Testis est Plutarchus in *Apophtegm. regum.*

Demetrius Phalereus, cum vidisset juvenem luxuriosum : « Ecce, ait, quadratam statuam habentem syrma, ventrem, pudenda et barbam. » Ita Brussonius, lib. III, cap. xxxiii.

Hæc Gentiles; quid jam dicant Christiani, quibus major a Christo puritas et sanctitas indicatur, quibusque magis nota est libidinis turpitudo, noxa, et vindicta æternorum ignium ?

Præclare Salomon sua experientia et periculo (ideo enim forte damnatus est, ejus enim salus est dubia) edoctus : « Vinum, inquit, et mulieres faciunt apostatare sapientes; » nam, ut ait Poeta :

Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent :
Illa pudore caret, Liber amore metu.

Præclare S. Ambrosius, lib. IV in *Lucam*, cap. iv : « Nec minorem, ait, febrem amoris esse dixerim quam caloris. Itaque illa animum, hic corpus inflamat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitæ sint cupiditates; » et mox : « Vehementior tamen est animi quam corporis febris, et ideo pro animi voluptate corporis salus plerumque contemnitur, nec a periculis abstinetur. » Affert exemplum illustre : « Theotimus cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem, interdicta sibi a medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus : Vale, ait, amicum lumen. » In æstu ergo cupiditatis sciens se oculos amissurum, maluit illos amittere, quam libidine abstinere. An non libido ei cor mentemque eri-

puerat? Utique, idque sensit, cum libido defer-
buit et oculos amisit; tunc enim errorem cæci-
tatemque suam deflens, sed sero, nec libidinis
voluptatem retinere, nec oculos perditos recu-
perare valuit.

Aposite quoque tres illi heroes custodes Darii regis, cum inter se quærerent et disputarent quidnam esset fortissimum? primus eorum res-
pondit: «Forte est vinum; alias: Fortior est rex;
tertius Zorobabel: Fortiores sunt mulieres: su-
per omnia autem vincit veritas,» III Esdræ III,
10. Mulieres ergo sunt Sirenes, quæ socios Ulys-
sis sua forma et cantu inescarunt, dementarunt
et perdiderunt. Vis remedium? Unicum est in
fuga. «Fugite fornicationem,» ait Apostolus, fu-
gite aspectum vocemque mulierum. Illustra hac
de re exemplum exstat in Vita S. Martiniani apud
Surium, qui graviter et crebro tentatus a mulie-
ribus, ut eas effugeret toto orbe factus est profu-
gus, cuius hic jugis erat stimulus: «Fuge, Mar-
tiniane.»

Denique fornicatio eripit homini cor, id est
mentem et cerebrum: quia in ipso ejus actu
homo videtur esse impos sui, aestuare et furere
instar epileptici. Unde philosophi nonnulli dixe-
runt actum venereum esse meram epilepsiam;
præsertim quia ille si frequentetur, realiter hanc
inducit, ut experientia vidi, et ratio physica
clare id demonstrat. Quocirca Alexander Mag-
nus, licet ab adulatoribus audiret se esse filium
Jovis, tamen hominem se fateri coactus: «Ex
usu, ait, Veneris, et ex somno manifeste me
esse hominem convincor.» Ita Plutarchus in ejus
Vita.

VINUM ET (et capitur pro id est: ita Emmanuel)
EBRIETAS AUFERUNT COR. — Septuaginta, hec aliter
dispungunt et vertunt, nimirum: *Fornicationem,*
vinum et ebrietatem suscepit cor populi mei; verum
alii passim dispungunt et vertunt, ut noster Interpres. Hebraice ad verbum est: *Fornicatio, vi-
num et mustum vel, (ut Vatablus vertit, potus ine-
brians) capiunt, vel accipiunt, vel eripiunt, cor.* Alludit hebraice טִירָה *tiroṣ*, id est mustum sive
vinum recens expressum, ad radicem טִירָה *taras*,
id est possedit et occupavit; eo quod cum cras-
sum sit, turbidum, bulliens et fumosum, statim
occupet et possideat cor, id est arcem mentis, fa-
ciatque hominem ebrium et amentem. Notat ori-
ginem idololatriæ omnisque mali fuisse comes-
sationes et compotationes: hæ enim eripiunt
mentem, et judicium rectæ rationis, simulque li-
bidinem inflammant, itaque hominem præcipi-
tant in fornicationem aliaque scelera, ac tandem
in infidelitatem et idololatriam; ejus enim Deus
est venter. Id ita esse patet ex prima hominum
post diluvium propagatione. Cum enim vinum
inventum fuit a Noe, mox ipsi et multo magis
ejus posteris cor ad se rapuit, et mentem eripuit,
adeo ut plerique omnes ad vitia, ino ad idolo-
latriam deflexerint. Noe enim moriens, gemens

fremensque vidit pene totum orbem, id est om-
nes suos posteros impios et idololatras, uti dixi
Genes. ix, sub finem capit. Hinc nonnulli nota-
runt vinum a Noe inventum, adeo avide citoque
ab omnibus arreptum tentumque fuisse, ut ip-
sum ejus nomen in omnes linguis transierit,
idemque quod prius, apud omnes, licet jam lin-
guis divisos, remanserit. Vinum enim hebraice,
dicitur יְנֵה *iān*, vel יְנֵה *ien*: inde Janus (puta Noe)
vini inventor: inde Græcum οἶνος; inde Latinum
vinum; Gallicum *vin*; Italicum, Sclavonicum et
Hispanicum *vino*; Germanicum, Anglicum et Bel-
gicum *wiñ*, et ita de cæteris gentibus et linguis.
Porro quam vinum et deliciæ eripiant cor, non
tantum Prophetæ, sed et gentium philosophi do-
cuerunt.

Antisthenes, quodam prædicante delicias, Moraliter, vi-
«Hostium, ait, filiis contingat in deliciis vivere,» num eri-
pit cor. ut rem amentem et pestilentem detestans deli-
cias, quas plerique pro summo bono complec-
tuntur. Ita Laertius, lib. VI *De Vitis Philos.* cap. i.

Diogenes, apud Laertium eodem libro, disto-
machabatur in eos qui pro bona valetudine diis
munera offerrent, et in ipso sacro omnibus vo-
luptatibus se obruentes perderent. Idem eos qui
per luxum in coquos, nepotes, scorta et adulato-
res facultates suas profunderent, similes dicebat
arboribus per præcipitia nascentibus, quarum
fructus homo non gustaret, sed a corvis et vul-
turibus ederentur: sentiens eos qui gulæ ventri-
que serviunt, non esse homines.

Socrates, apud Laertium, lib. II, cap. v, aiebat
esse turpe, si quis sua sponte serviens volunta-
tibus talem se faceret, quales nemo domui suæ
vellet habere servos. Talibus autem nullam salu-
tis spem reliquam esse, nisi si pro eis deos com-
precarentur alii, ut bonos dominos nancisci pos-
sent, quando prorsus decretum esset servire: in-
dicans nullos fœdiorem et miseriorem servire
servitutem, quam qui et animo et corpore servi-
rent voluptatibus. Idem admonebat voluptates
non aliter quam Sirenas esse prætereundas, ob-
turata aure instar Ulyssis ei qui properat ut Itha-
cam, id est virtutem veluti patriam, conspiciat.

Plato cum videret Agrigentinos magnis impen-
sis ædificare, eodemque modo œcenare: «Agri-
gentini, ait, ædificant quasi semper victuri, et
comedunt quasi semper morituri.» Ita Ælianus,
lib. XII.

Arcesilaus Scytha percunctanti qui fieret ut ab
aliis sectis multi deficerent ad Epicureos, ab Epicureis nulli desciscerent ad alios: «Quoniam,
ait, ex viris Galli fiunt, ex Gallis viri nequa-
quam.» Gallos dixit sacerdotes Cybeles eviratos,
quasi diceret: In voluptatem prionores sumus,
quam in virtutem, cum tamen hæc ex feminis
viros, illa ex viris feminas efficiat. Ita Laertius,
lib. IV, cap. vi. Idem respondit B. Thomas Mo-
rus cuidam roganti cur tam multi ad Lutheri
hæresin voluptuarium deficerent.

Cato senior vinoso cuiquam et gulosu ejus familiaritatem ambienti abnuit, causamque addidit : « Quia, inquit, vivere non possum cum eo qui melius et subtilius palato, quam corde sentit. » Ita Brussonius, lib. III, cap. vii.

Tiberius Cæsar Attilio Butæ viro prætorio, cum ad inopiam per luxum redactus eam deploraret : « Sero, inquit, experrectus es. » Dormiunt nimirum temulentiae ac luxui dediti verius quam vivunt; nam « vita mortalium vigilia est. » Ita Seneca in *epistol.*

Scipio Æmilianus Censor declaratus, audiens juvenem placentam ex melle in urbis formam compactam, Carthaginemque nuncupatam convivis diripiendam dedit, equo privavit. Rogatus cur ? « Quia, inquit, me prior Carthaginem diripuit. » Quo dicto militem damnavit ignavum et vecordem, qui galæ deditus cum placentis potius melle conditis, quam contra hostes pugnaces belligeraret. Ita Brussonius, libro III, cap. i.

Sed accipe propria vini et crapulæ. Pythagoras dicere solebat « ebrietatem esse insaniam meditationem. » Ita Maximus, *serm.* 30.

Leontichidas Spartiata rogatus cur parum bibant Spartiatae? « Ne, inquit, alii pro nobis consultent, » q. d. Nequit prudenter de rebus consultare, cui sanum judicium a vino ablatum est. Ita Plutarchus in *Lacon.*

Astyages cum rogasset Cyrum cur vinum non hausisset? « Quia, ait, metuebam ne in craterem mixta venena forent. Etenim cum tu in natalitiis amicum adhibuisti, perspicue didici eum vobis venena infudisse. » « Et quo pacto, » inquit ille, « o fili, hoc dignovisti? » « Quod videbam vos, » respondit, « neque corporis esse, neque mentis compotes. » Ita Xenophon in *Pædia.*

Androclides vir sapiens ad Alexandrum Magnum vino deditum dixit : « Vinum potaturus, rex, memento te bibere terræ sanguinem: cicuta homini venenum, cicuta est vinum. » Ita Brussonius, lib. I, cap. xix.

De Bonoso bibacissimo, qui postea Imperator creatus est, dixit Aurelianus : « Non ut vivat, sed ut bibat natus est. » Ita Vopiscus in *Aureliano.* Idem Bonosus se suspendit: ac roganti cuiquam quis esset suspensus, respondet alter non hominem esse, sed amphoram. Æschines dicebat : « Speculum formæ est æs (olim enim specula fiebant ex ære polito), vinum autem animi: » nihil enim tam occultum in corde, quod ebrius non effutiat. Ita Maximus, *serm.* 30.

« Luxuriosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas. » *Proverb.* xx, 1.

« Cui vœ? cuius patri vœ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut

coluber, et sicut regulus venena diffundet. » *Proverb.* xxiii, 29.

« Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. » *Proverb.* xxxi, 4.

S. Basilius et Ambrosius dicunt ebrietatem esse voluntariam insaniam. Amplius ait S. Bernardus, lib. *De Modo bene vivendi*, cap. xxv : « Multi, ait, per vinum a dæmonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas, quam manifestissimus dæmon. » Et paulo ante : « Ebrietas corpus debilitat: ebrietas generat perturbationem mentis: auget furorem cordis; ita alienat mentem, ut homo nesciat seipsum. »

Monachus quidam Ægyptius, interrogatus cur assidue sibi voluptates subtraheret, respondit : « Subtraho eas mihi, ut iræ causam et occasionem præcidam. Scio enim illam semper de voluptatibus belligerari, mentemque meam perturbare, et cognitionem ipsam fugare. » Ita Nicephorus, lib. XI *Hist.* cap. xlvi.

12. POPULUS MEUS IN LIGNO SUO INTERROGAVIT. — *Vers. 12.*

Probat quod fornicatio et ebrietas auferunt cor, ex eo quod homines deducant ad idololatriam, ut idola lignea, surda, cæca, muta et inania interrogent quasi deos suos, et consulant de futuris rerum eventis. Aut potius sensus est, q. d. Adeo luxus et libido tam fornicandi, quam idololatriandi dementavit eos, ut a lignis et baculis oracula poscant.

Quæres, quodnam sit hoc lignum? *Primo*, Chaldaeus, Rupertus et Lyranus respondent esse lignum idolum; *secundo*, Isidorus esse pseudoprophetas quos consulebat populus: hi metaphorice vocantur *lignum*, quia eis quasi ligno et scipioni innitebatur vulgus; *tertio*, melius S. Hieronymus, Haymo, Hugo et Vatablus, per *lignum* hoc accipiunt baculum divinatorium: eo enim quasi instrumento divinabant. Unde Septuaginta vertunt: *In symbolis eorum interrogabant*; erant enim hi baculi superstitionis et divinationis symbola. Hinc et subdit: « Et baculus ejus (ab eo interrogatus) respondit ei. »

Nota: Veteres Chaldaei, eosque secuti Hebræi, utebantur φαθούρια et βελουτῖα, id est *divinatione per virgas et sagittas*. Ita Nabuchodonosor dubitans an Jerusalem, an Philadelphia oporteret bello appetere, accepit duas sagittas, quarum uni inscripsit nomen Jerusalem, alteri nomen Philadelphia; deinde sorte eas commiscerit, unamque eduxit, qui cum videret inscriptum nomen Jerusalem, conjecit illam sibi primo esse expugnandam, *Ezech.* cap. xxi, 21. Vide ibi dicta. Rursum sagittam jaciebant in altum, et aspiciebant quo illæ caderent; an antrorum, an retrorsum; an ad dexteram, an ad sinistram, eoque sibi pergendum esse conjectabant. Ita Theophilactus. *Tertio*, Moses Samsonis filius, in explicazione præcepti negativi 52, commemorat hujusmodi ritum: Decorticabant baculum ligneum uno

tantum ex latere, tum in aerem projiciebant; si primo jactu apparuisset superior pars decorticata, at secundo jactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabantur: sin e contra primum pars vestita, infelicem: si utroque jactu vestitum vel nudatum latus superius fuisset, mixtum eventum sibi pollicebantur; et hoc ab Osee hic notari et carpi. Vide Rhodiginum lib. IV, cap. xxix, et Delrio, lib. IV *Disquis. Magic.* cap. II, Quæst. VI, sect. I, sub finem, et sect. III, sub initium (1).

SPIRITUS ENIM FORNICATIONUM DECEPIT EOS. — Aliqui per hunc *spiritum* accipiunt stimulum carnis, puta vehementem inclinationem et impulsu[m] ad fornicandum. Huc accedit Cassianus, *Collat.* VII, cap. xxxii, qui ex Sereno abate docet spiritum fornicationis esse dæmonem incitantem ad fornicationem: licet enim dæmones sint incorporei, et quisque eorum homines ad quælibet vitia sollicitet, tamen ut sit inter eos aliquis ordo, utque ordinarius, ideoque potentius et efficacius homines oppugnet, ipsimet inter se operas et vitia distribuerunt; ita ut hi præsint huic vitio, ad illudque sollicitent, isti illi, alii alteri, inde enim in Scriptura vocari videntur spiritus iræ, superbie, gulæ, luxuriæ, etc. Sic Moabitides puellæ deceperunt Hebreos, dum eos primo induxerunt ut secum fornicarentur, deinde ut idolum suum Beelphegor colerent, itaque Dei iram et plagam eis acciverunt, *Num. xxv.*

Secundo, « spiritus fornicationum » est ardor et impetus animi, incitans eum ad idolatriam; ita Theodoreetus, Theophylactus, Arias et alii. Hoc spiritu quasi cœstro acti vesani Israelitæ ruebant ad idola colenda, uti fornicator ruit ad scorta; uti patet ex Prophetis, qui passim in hunc ardorem invehuntur et detonant. Unde sequitur: « Et fornicati sunt cum Deo suo, » q. d. Fornicando, id est idolatrando, desciverunt a Deo Deique cultu. Uterque sensus huic loco congruit, uti dixi vers. 10; sed posteriorem magis intendit Spiritus Sanctus (2).

Vers. 13. 13. SUPER CAPITA MONTIUM SACRIFICABANT. — Hæc capita sunt quæ a loci altitudine *excelsa* vocantur passim in libris Regum.

ET SUPER COLLES ACCENDEBANT THYMIAMA, — id est incensum, suffitum. Græcum enim θυμιάν significat suffire, suffumigare, adolere incensum, et hoc significat hebræum קְתַר *katar*: thymiam ergo hic non tantum est illud compositum ex stacte, onyche, galbano et thure, quod Deus jussit adoleri in altari thymiamatis, *Exod. xxx, 34;* sed etiam thus, ambra, et quodlibet incensum, edens suffitum.

(1) Vide *Ezech. xxi*, annotat. ad vers. 21.

(2) Cæterum observandum cum Rosenmüller et Ackermann: Etsi non dubium esse possit scortationem hic accipiendam esse de superstitione simulacrorum cultu, includi tamen sordes scortationis, quæ proprie dicitur, profuentes ex impudicis ritibus cultus illius s'endet versus proximus.

QUI BONA (amœna, jucunda) ERAT UMBRA EJUS.

— Idem de arbore populo candida (hanc enim significat hebræum *libne*: sunt enim et populi nigræ) ait Virgilius, *ecloga ix*:

Hic candida populus antro
Imminet, et lenta texunt umbracula vites.

IDEO FORNICABUNTUR FILIÆ VESTRÆ, — q. d. In pœnam vestræ fornicationis, tum corporalis, tum spiritalis, scilicet idololatriæ, Deus permittet ut filiæ vestræ corporaliter fornicentur, tum cum amasiis suis, tum cum hostibus vestris, puta Assyriis; qui eis abutentur, cum eas captivas abducent, nec eas impediet aut puniet: quo fiet ut magis et magis fornicentur, ac majori dolore et ignominia vos afficiant, animosque vestros vulnerent. Ita Theodoreetus, Haymo, Albertus et Hugo.

Secundo, Chaldaeus, Vatablus et Pagninus vertunt in præsenti, *ideo fornicantur filiæ vestræ*, q. d. Quia vos fornicamini, hinc vestro exemplo fornicantur et filiæ ac sponsæ vestræ, præsertim quia absunt ab ædibus et oculis vestris, ac versantur apud excelsa in locis sylvosis et amœnis, quæ scelus illectant, ut, sicut vos fidem frangitis Deo, ita justo Dei judicio frangant et sponsæ fidem vobis datam. Lex enim est talionis:

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Pro sponsæ hebraice est כָּלֹת *callot*, quod verti potest cum Chaldaeo, Theophylacto et Vatablo, *nurus*, id est uxores filiorum vestrorum, q. d. Hæ fidem frangent datam filiis vestris, fornicando cum adulteris; sicut vos fidem fregistis Deo datam, fornicando cum idolis: itaque tam vos quam filios vestros, maritos suos pudore et mœurre afficient et conficient.

14. NON VISITABO (id est deseram, negligam, Vers. 14. peccare impune permittam: ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Hugo, Lyranus, aut, ut Isidorus et Vatablus, q. d. Non puniam tam severe ut vos, filias et sponsas vestras, cum adulteraverint (3). Causam subdit): **QUONIAM IPSI CUM MERETRICIBUS CONVERSABANTUR.** — Est enallage personæ: ex indignatione enim quasi avertens faciem ab ipsis, mutat secundam personam in tertiam, dicens: « Ipsi, » id est vos ipsi, q. d. Quia vos, relictis filiabus et uxoribus, aditis meretrices, cum eis que scortamini; hinc ipsæ vestro exemplo irritatæ, et a vobis derelictæ, pari modo et jure relictis vobis adibunt amasios et adulteros, cum eisque fornicabuntur. Hebreæ habent: *Quoniam ipsi cum meretricibus separabantur*, id est, separatim relictis filiabus et uxoribus conversabantur

(3) Nonnulli interrogative capiunt נִלְל *lo, non*, pro נִלְל *alo, annon*: *Annon visitabo super filias vestras*, etc. Sic d'Allioli et alii. Id vero non convenire satis cum scopo serieque contextus, adeoque cum veteribus omnibus *indicative* sive *indictive* hæc verba capienda esse, *non visitabo*, etc., et quæ sequuntur, monet Gatacker, *Adversar. Miscellan. posth.* cap. xviii, pag. 624.

et scortabantur : licet Marinus in *Lexico hebræum* פָּרֶד *iipparedu*, id est separabuntur, derivet a פרֵד *pered*, id est mulus (qui sic dicitur, quod sit generatione separatus), q. d. Mulos, id est spurious gignent; vel, q. d. Adinstar mulorum abutuntur matrimonio, non generandi causa, sed explendæ libidinis ergo duntaxat. Porro meretrices hæ erant sacerdotissæ Beelphegor, id est Priapi, et sua prostitutione eum colebant, ait S. Hieronymus, Cyrus et Theodoreetus, de quibus III Reg. xv, 12, aut Veneris cultrices, ut vult Albertus, quæ sedentes ad ejus templum adventantibus se prostituebant, uti dixi *Baruch* vi, 42.

Moraliter disce hic proles et uxores imitari parentes et maritos in scelere, Deumque horum peccata, prolium et uxorum peccatis et ignomina ulcisci. Ita ultus est adulterium Davidis scelere Absalonis, qui uxores Davidis patris sui incestavit, II Reg. XII, 11. Praecclare Juvenalis, *satyra* 4:

Et quod majorum vitio sequiturque minores,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes,
Si damnosa senem juvat alea, ludit et hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Sic natura jubet.

Quocirca illud in mente recordant parentes :

Et peccaturo obsistat tibi parvulus infans.

Et illud Plauti in *Pseudol.*:

Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.

Denique illud Verini :

Et verbo et facto parvis sit regula natis,
Optima sitque omni tempore norma pater.

Sane pueri, dum circa mores inconditos monentur vel arguuntur, illam quasi natura insitam excusationem regerunt : A patre hoc didici : Id mater me docuit : Sic faciebat mater mea, sic pater; vulgo dicitur : « Mali corvi, malum ovum. » Audivi non raro parentes graviter querentes de filiis, quod essent spurci, vinosi, maledici, cervicosi, inobedientes, intractabiles. Quibus ego : Parentes horum sœpe sunt causa; quia ipsi iisdem vitiis addicli filiis pravo exemplo præeunt, illosque eadem verbis et factis docent. Si ergo cuperent filios mores corrigere, ipsi prius suos corrigerent, quibus illos dedocerent ea quæ ante docuerant.

Ita Augusti Cæsaris libidines et sordes imitatae sunt duæ Julieæ, flilia et neptis; quæ proinde publicum illi probrum extiterunt : unde ipse tertiam adoptavit Agrippinam, sed et hanc mox ob sordes abdicavit : nec aliter tres illas, quam tres vomicas, seu tria carcinomata sua appellare solebat : quin et testamento cavit, ne mortuæ in

sepulcrum suum inferrentur. Denique exclamare solebat illud Homericum :

O utinam cælebs vixisse, orbusque perissem !

Ita Suetonius in ejus Vita.

Eadem, imo major est ratio uxorum quam filiorum. Nam, ut ait Seneca epist. 95 : « Improbus est, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum ; » uxor enim mariti adulteri exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicare, ait Quintilianus. Quocirca de multis dici potest quod de Clytemnestra ait Ovidius, lib. I *De Arte amandi* :

Dum fuit Atrides una contentus, et illa
Casta fuit : vitio est improba facta viri.

Et illud Euripidis de eadem :

Stultæ quidem sumus mulieres, non nego :
Cum autem insit hoc animis, peccat maritus
Fastidiens connubia, imitari vult
Mulier virum, et alium parare amasium.

Denique Aristoteles in *Œconom.* : « Primum itaque, ait, leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset; sic nec ipse injurias patietur, » alioqui talionem rependet ei uxor, et lege talionis se tuebitur.

Et cum effeminatis. — Hi erant viri sive scorta mascula, ut sunt pueri pathici, sacerdotes Priapi, qui mollitie et venere succuba Sodomitis serviendo, ex viris quasi feminas se efficiebant, ideoque vocantur *effeminati*. Unde Aquila vertit, οὐνηλαγμένους, id est *mutatos*, scilicet ex officio virili, in femineum; Septuaginta, τετελεσμένους, id est *consecratos*, scilicet Priapo aut Veneri; Theodotion, κεχωρισμένους, id est *separatos a vulgo*, quasi sacerdotes Priapi. Ita Cyrus qui ait : Erant viri, sed in feminas mollitie mutati, qui muliebri viceratione et cymbalis utentes, facesque ferentes circumdecurserant. Sic et Theodoreetus, Rupertus, Haymo, Hugo, Lyranus et alii, qui et addunt aliam causam cur vocentur *effeminati*; quia, inquit, multi ex illis castrabantur, fiebantque eunuchi; ut ad venerem tantum passivam valerent, quasi feminæ, non activam. Porro hosce viros succubos Beelphegor, id est Priapo, consecratos fuisse in Israel et Juda, patet III Reg. XIV, 24, et IV Reg. XXIII, 7. Sed audi S. Hieronymum : « Nos, ait, effeminatos vertimus. Hi sunt quos hodie Romæ matri non deorum, sed dæmonum servientes, Gallos vocant, eo quod de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys (quem eunuchum meretrice fecerat) sacerdotes illius manciparint : propterea autem Gallorum gentis homines effeminantur, ut qui urbem Romam ceperant, hac feriantur ignominia. Istiusmodi idololatria erat in Israel, colentibus maxime feminis Beelphegor, ob obsceni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare. »

Secundo tamen, non minus apte pro effeminatis vertas meretrices. Has enim proprie significat

hebræum קְדָשָׁת kedeshot, quod est femininum; viri enim et mares masculine vocantur קְדָשָׁים kedeshim (possunt tamen et hi feminine vocari kedeshot per catachresin, quia erant effeminati, uti jam dixi). Favet S. Hieronymus: « Sciendum, inquit, quod in præsenti kadeshot, mereptrices ἑρπεταῖς, id est sacerdotes Priapo mancipatas vocet. » Verum recte suspicatur Ribera in codice S. Hieronymi esse mendum librariorum, et legendum esse ἑρπεταῖς, « sacerdotes Priapo mancipatos vocet, » ne secum pugnet: nam paulo ante eos « viros » vocavit. Erant ergo virili sexu, sed mereptrices et feminæ abusu libidinis et naturæ. Favet et Symmachus, qui ἑταῖραι, id est socias, amicas, amasias, proprie mereptrices appellavit. Sic et Theophylactus: « Initiatos, inquit, hujusmodi vocat sacros mystas, dignos jam arcanis apud illos sacris judicatos, ceu perfectiores: qui mares esse visi femellæ fuerunt, cymbalis utentes, feminisque ululatibus circumibant trivia, Beelphegor sacramenta perficientes. » Et Chaldaeus qui vertit: *Cum scortis comedantur et potant.* Ubi nota: Hebræis plus est *kedesca*, quam צְבָנָה zona: zona enim significat quamlibet meretricem, *kedesca* vero famosam, publicam, quasi luponari jam auctoratam et consecratam: hæc enim dicitur *kedesca*, id est sancta, per antiphrasim, quia spurcissima et foedissima, ac spurcitie sua infamis et celebris. Rursum *kedesca*, id est sancta, vocabatur meretrix, quæ Priapo aut Veneri erat consecrata quasi sacerdos, quales hæ erant.

Er (id est *idcirco*, scilicet ob scelera jam reccensita) POPULUS NON INTELLIGENS VAPULABIT. — Cum scilicet tandem a me punietur, exscindetur, et in captivitatem, puta in Assyriam, ducetur. Ita S. Hieronymus. Tigurina vertit: *Et populus, qui intelligere noluit, variis jactabitur malis;* Vatablus: *Populus non intelligens, peribit, vel corruet, q. d.* « *Populus, ignorans Deum, corruere solet. Aut stupore afficietur cum scilicet sentiet tanta Dei flagella, qui, licet sit misericors, est tamen et justus in puniendis peccatis,* » et tarditatem supplicii gravitate compensat.

Hebræum לְכַת labath proprie significat impingere, offendere, ruere, vapulare; R. David vertit, *pervertetur*; R. Joseph, *claudicabit*; Thargum, *capietur*; R. Salomon, *laborabit, fatigabitur*; Pagninus, *festinabit, anceps erit et dubius, nesciens quo se vertat.*

Vers. 15. 15. SI FORNICARIS TU, ISRAEL, NON DELINQUAT SALTEM JUDA. — Ab Israel sermonem convertit ad Juda, eumque monet ut memor templi et regni Dei (in Juda enim regnabat Deus per posteros Davidis, ibique suam habebat domum et templum) non imitetur Israel fornicando, et fornicatione sua honorando et colendo Beelphegor aliosque deos, id est dæmones.

ET NOLITE INGREDI IN GALGALA. — Galgala locus erat et civitas inclyta, distans a Jordane stadiis quinquaginta, a Jericho stadiis decem: miraculis

et religione patrum sancta et illustris. Nam primo hic transito Jordane castra longo tempore posuerunt filii Israel, ibique prima publica facta est gentis circumcisio. Ibi enim Josue circumcidit omnes masculos Hebræorum, qui per 40 annos peregrinationis nati erant in deserto, ibique primum in Chanaan Pascha celebravit: unde in Galgala Hebræi adierunt quasi possessionem terræ promissæ. Nam deficiente manna, ibidem primum comederunt de frugibus terræ. Inde locus nomen accepit, dictusque est Galgala, *Josue v, 9*, ubi sic legimus: « *Dixitque Dominus ad Josue (peracta circumcisione): Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis,* » quia hodie vos a vita et moribus incircumcisorum Ægyptiorum, per circumcisionem transtuli in sanctam meam legem et gentem; ideoque « *vocatum est nomen loci illius Galgala.* » Galgala enim, vel Gilgal, vel Galgal, vel, ut S. Hieronymus vocat, Golgoth, hebraice idem est quod amotio et ablatio; scilicet præputii, et consequenter opprobrii, et gentilismi Ægyptiorum: radix enim גַּל gal significat devolvere, removere, auferre: inde geminata ghimmel littera, ghilghal, vel galgal, idem est quod devolutio, remotio, ablatio.

Secundo, in Galgala Josue accepit omen victoriae et possessionis Chananææ; videns enim angelum evaginatum habentem gladium, perrexit ad eum, et ait: « *Noster es, an adversariorum?* » audivitque ab eo: « *Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio,* » ut tibi Chananæam subjugem: « *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim in quo stas sanctus est,* » *Josue v, 13.*

Tertio, in Galgalis Josue reposuit duodecim lapides, quos tulerat de medio Jordanis alveo, idque ut ibi essent in perpetuum monumentum transitus miraculosi, quo duodecim tribus sicco pede per Jordanem transierant in Chananæam, *Josue iv, 20.* Unde S. Hieronymus in *Epitaphio S. Paulæ*, ait hosce lapides ibidem visos a S. Paula. Hi duodecim lapides repræsentant duodecim tribus et patriarchas; ac consequenter duodecim Apostolos, quasi duodecim petras et fundamenta Ecclesiæ, *Apoc. xi, 14.* Ita Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XIII.

Quarto, in Galgalis per multos annos constitut tabernaculum Dei, cum arca et propitiatorio; unde ibidem Samuel judicabat populum, ibique Saulem secundo in regem unxit, *I Reg. x, 8.* Ibi quoque Agag regem Amalec occidit, *I Reg. cap. xv, 33.*

Quinto, Elias et Elisæus frequenter versabantur in Galgalis, ibique prophetabant, et faciebant miracula, *IV Reg. ii, 1, et iv, 38.*

Hac de causa idololatræ idola sua jam inde ab initio statuerunt in Galgalis, utpote loco sancto adeo, et celebri. Nam tempore Aod, qui tertius a Josue fuit judex Israelis, erant idola in Galgalis, ut patet *Judic. iii, 19.*

Ubi nota dæmonem esse simiam Dei, ideoque coli velle ubi cultus fuit Deus, tum ut Deum possessione sua excludat, tum ut celebrior sit ejus honos et veneratio. Idcirco Antichristus sedem regiam constituet in Jerusalem, ut ostendi *Apocal. xi, 8*; ibique in templo sedebit et coletur ut Deus, tum ut habeatur verus rex Sionis, id est Messias, successor Davidis et Salomonis, tum ut profanet urbem olim sanctam, et pro templo Dei suum constituat, tum ut evertat monumenta omnia passionis, resurrectionis et ascensionis Christi, cujus ipse erit hostis, et Antichristus. Sic experientia constat dæmonem maxime insidiari monasteriis tum virorum, tum feminarum, ut magum vel magam, lubricam, turbulentam, etc., aliquam in illud inducat, quæ cæteras omnes vel turbet, vel inficiat, ut ibi maxime cultus fuit Deus, colatur ipse, itaque Deum suo templo quasi expellat, de eoque se vindicet.

IN BETHAVEN. — Bethaven urbs fuit Judææ, sed ignobilis, sita juxta Bethel, de qua *Josue vii, 2*, et de ea hic loqui Prophetam censem a Castro. Verum S. Cyrillus, S. Hieronymus, Theophylactus, Theodoreetus, Haymo, Lyranus et alii passim putant ipsam Bethel vocari *Bethaven*; tum quia ei erat vicina; tum quia Bethel erat celeberrima, primo sanctitate et pietate, postea idolis et idolatria. Jeroboam enim vitulos aureos collocavit in Dan et Bethel, quasi in duobus regni limitibus, ibique hisce vitulis per se sacrificavit. Nota: Bethel prius dicta est Lusa, ob copiam nucum et amygdalarum (hæc enim hebraice vocantur *לuz*); a Jacobo vero patriarcha, qui ibi vidi Deum scalæ innixum, et angelos per scalam ascendentes et descendentes, vocata est Bethel, id est domus Dei, *Genes. xxviii, 19*. Eadem a Prophetis per antiphrasin vocatur *Bethaven*, id est *domus iniquitatis*, ut vertit Thcodotion, aut *domus nihil*,

li. ut vertunt Symmachus et Aquila. Septuaginta pro *לען* *aven* per crasin legentes *וְעַן* *on*, vertunt, *domus doloris*, vel *domus idoli*, quia in ea erat templum, in quo colebantur vituli aurei Jeroboam. Id ita esse patet *Amos v, 5*, ubi Propheta eadem pene verba, quæ hic habet Osee, usurpat, aitque: « Nolite querere Bethel, et in Galgalam nolite intrare, etc., quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis, » hebraice *aven*; Bethel ergo est Bethaven. Monet itaque Judam, puta duas tribus, ne adeant idola vicina posita in Galgalis et in Bethel. Dico *vicina*, quia Galgala et Bethel erant in sorte tribus Benjamin, ut patet *Josue xviii, 12* et *22*; ideoque ea potius nominat, quam Dan aut Samariam. Dicit autem: « Ne ascenderitis in Bethaven, » quia Bethel sita erat in loco alto. Ita Vatablus.

Tropologice, Bethel fit Bethaven, cum regnum, populus, urbs, ut Anglia, Scotia, Dania, a fide et cultu Dei ad haeresin desciscit, cum templa in stabula, monasteria in armamentaria, hospitalia in tabernas et ganeas convertuntur, quibus com-

petit illud Jeremiæ et Christi: « Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum, » *Math. xxi, 13*. Rursum sancta anima fit Bethaven, cum a Dei gratia per peccatum excidit; tunc enim a regno et dominio Dei transit in jus et potestatem diaboli.

Nota Prophetam hic et deinceps usque ad finem capitis, maxime loqui duabus tribubus; ad illas enim convertit sermonem vers. 45, dicens: « Si fornicaris in Israel, non delinquat saltem Juda. »

NEQUE JURAVERITIS: Vivit Dominus, — q. d. Ne juretis per vitam idoli, quod est in Galgalis, vel in Bethel, ei attribuendo nomen *Dominus*, hebraice *Jehova*, quod est nomen incommunicabile, et proprium Deo vero. Juramentum enim est actus latræ: jurando enim per aliquem, testabantur eum esse infallibilem, primam et increatam veritatem; ac consequenter esse numen et Deum: eum enim jurantes in testem suæ assertionis vocabant dicentes, v. g. Vivit Dominus, quod hoc illudve fecerim, aut faciam, quasi dicerent: Juro per Deum vitamque Dei, quod hoc illudve feci, aut faciam. Sicut ergo paulo ante vetuit cultum idoli, ita hic vetat juramentum per idolum: hoc enim est protestatio et invocatio numinis Deique veri. Ita Theodoreetus, Albertus, Hugo, Lyranus et alii.

Alli exponunt, q. d. Ego Deus et Dominus, sive *Jehova* vester, nolo ut per me meamque vitam amplius juretis, cum sitis idololatræ; nolo ut ore, quod invocatione idolorum polluistis, juretis, nominetis et invocetis, itaque polluatis nomen sanctum meum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theophylactus, Haymo, Isidorus, Vatablus et alii. Verum hæc expositio non recte cohæret cum eo quod præcessit: « Nolite ingredi in Galgalam, et ne ascenderitis in Bethaven; » huic enim annexit: « Neque juraveritis: Vivit Dominus, » hæc enim tria pari casu, tenore et nexu dicuntur, ut patet ex Hebræo. Eodem ergo spectant; scilicet ad hoc ne colant idola in Galgalis et Bethaven, neve per ea jurent. Alioqui quæ esset connexio dicere: Nolite colere idola in Galgalis et Bethaven, et nolite jurare per nomen meum. Contrarium enim potius dicendum esset, hoc modo: Nolite colere nec jurare per idola, quæ sunt in Galgalis, sed potius colite me, et jurate per nomen meum.

16. QUONIAM SICUT VACCA LASCIVIENS DECLINAVIT Vers. 46.

ISRAEL. — Proponit Judæ petulantiam et lasciviam Israelis, quasi rem födam, indignam, et Dei indignationem exitiumque gentis provocantem; ut Juda aliena insanis et periculo sapiat, illudque declinet, q. d. Israel carens cerebro lasciviat ut vacca; at tu, o Juda, persta in Dei lege, quasi leo: huic enim te assimilavi, *Genes. xl ix, 10*. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Theophylactus, Haymo et alii.

In Hebræo est elegans paronomasia: *Sicut*

vacca, vel *vitula*, שָׂרָה sarera sarar, Israel, q. d. Sicut vacca rebellis rebellavit Deo Israel. Ita Vatablus. Sarera enim significat vaccam quæ lascivia vel cestro agitatur, ideoque indomita et rebellis jugum omne exxit, et quasi furens hue illucque discurrit.

Quocirca Septuaginta vertunt: *Sicut vacca asilo percussa insanivit Israel*; asilo, id est cestro, uti ex Virgilio docet S. Hieronymus; sic enim canit Virgilius, lib. III *Georg.*:

Est lucos Silari circa, illicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen Asilo
Romanum est, Οέστρον Graii vertere vocantes;
Asper, acerba sonans; quo tota exterrita sylvis
Diffugiunt armenta.

Asilum significat furorem Hebræorum, quo impetu insano ferebantur et ruebant ad cultum idolorum. Noster generalius magisque proprie et adæquate vertit, « lascivens; » non enim solo cestro, sed et pastu, amore, aliisque de causis lasciviunt vaccæ. Unde Chaldæus vertit: *Sicut bos qui saginatur et recalcitrat, sic rebellat Israel propter multitudinem bonorum*, juxta illud Deuter xxxii, 15: *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit*, etc. Noster vero melius vertit *vacca*, quam *bos*, tum quia hebræum פְּרֹא para vaccam significat, non bovem; tum quia feminæ omnium pene animantium magis lascivæ sunt, petulcæ et deliræ, quam mares, uti docet Aristoteles, lib. *De Physiognomia*, et ex eo Augustinus Niphus, qui hujusce rei physicas rationes adducit: « Magis malefica, inquit Aristoteles, sunt feminea masculis, et proteriora, et minus defensiva; » rursum: « Masculina natura sunt fortiore et justiore genere; feminina autem sunt timidiora et injustiora natura. » Feminina tamen quia minus habent cerebri, judicii, animi et virium, hinc natura id aliunde compensante, plus habent affectus, passionum, procaciæ et impudentiæ: hisce enim illa supplet.

Denique Propheta comparat Israelem vaccæ, non cani vel asino. *Primo*, quia coluit vaccas, puta vitulos aureos; vocatur vacca potius quam vitulus, ad majorem confusionem, quia sic miro fornicationis modo a vitulis subigebatur, quibus visibiliter adorando se substernebat; invisibiliter vero suam animam tauro, id est dæmoni, prostituebat. *Secundo*, quia Deus ejus erat venter, et, ut ait David: « Prodiit quasi ex adipse iniquitas eorum. *Tertio*, quia ejus lascivia commutanda erat in jugulationem, jubilus in mugitum et planctum. Ita Ruffinus, Rupertus et ex iis Delrio, *adagio* 977. Denique quia vitulabatur et lasciviebat, uti vaccæ et vituli quos colebat.

NUNC PASSET EOS DOMINUS QUASI AGNUM IN LATITUDINE, — id est in loco lato et spatiose, q. d. Sicut agnus, qui saginatur, latissime in pascuis uberrimis pasci sinitur, ut impinguatus statim mactetur; ita Deus sinit Israelem bonis affluere et lascivire, ut sit præda Assyriis, ab eisque spolietur

et juguletur. Ita S. Hieronymus, Vatablus et Lyranus (!).

Secundo, alii, q. d. Israel captivus ibit in Assyriam, ubi non lasciviet ut vacca; sed ducetur quo hostes volent, ageturque ad nutum Assyriorum tanquam agnus mansuetus. Ita Haymo, Hugo et a Castro. Aut sicut agnus mansuetus ubique matris ubera requirit; ita Israel in captivitate domitus et mansuetus, me meaque ubera requirit. Ita Theodoretus et Theophylactus.

Tropologice, S. Hieronymus per Israel hæreticum, per Juda fidem et Ecclesiasticum accipit: « Si semel, ait, fornicaris, hæretice; saltem tu, Ecclesiastice, non delinquas; nec ingrediaris in Galgalam, hæreticorum conciliabula, ubi peccata omnia revelantur, et instar porcorum voluntur in cœno (alludit enim Galgala ad גַּלְגָּלָה gala, id est revelavit, et ad גַּלְגָּלָל galal, id est revolvit, volutavit), ne te ascendere putas ad superbas et arrogantes falsorum dogmatum fictiones. Non est enim ibi domus Dei, sed domus idoli. Sicut enim vacca percussa asilo, percussi sunt hæretici ardentiibus diaboli sagittis, et legis notitiam reliquerunt: ideo pascentur in lata et spatiose via, quæ dicit ad mortem, et patientia Domini bonique pastoris eos nutrit ad interitum. » Idem, mutato nomine hæretici, adaptes ambitioso, luxurioso, avaro et cuilibet peccatori.

17. PARTICEPS IDOLORUM EPHRAIM, DIMITTE EUM, — Vers. 17 q. d. O Juda, dimitte Ephraim, id est Israel, puta decem tribus, quæ sunt participes cultus et mensæ idolorum; comedunt enim idolothyla, scilicet carnes et cibos idolis immolatos: noli ergo cum imitari, noli cum eo participare in idolis et idolothylis. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Hugo, Lyranus et alii. Minus recte Rupertus et Vatablus censem hæc esse verba Dei ad Prophetam, q. d. Luseris operam, si ad pœnitentiam invitaris Ephraim; dimitte ergo eum cum suis cupidibus et idolis. Gravissima enim est pœna dimitti a Deo, et tradi sibi suisque concupiscentiis.

18. SEPARATUM EST CONVIVIUM EORUM. — Dat causas Vers. 18 Judæ, cur Israelis commercium et societatem vitare debeat. *Prima* est hec, q. d. Quia illorum cultus, religio et convivium a tuo, o Juda, separatum et diversum est: tu enim abstines cibis lege Levit. xi vetitis; illi sine scrupulo iis vescuntur, tu participas ex hostiis pacificis Deo immolatis; illi participant et comedunt idolothylam. Ita S. Hieronymus, Albertus et Hugo; tu post epulas castum te conservas; illi epulis distenti ardenti libidines. Hoc est quod sequitur: « Fornica-

(1) Quibus verbis, ut scite notat Maurer, cum in campo minus lato et probe obsepto agnus inibecillis a feris sit tutus, contra in campo spatiose atque aperto a grege facile aberret ac præda fiat lupo, minatur vates, nullam jam curam populi sui Deum habiturum, sed passurum esse, ut ejecti patriis sedibus Israelitæ dispergantur præda futuri hostibus.

tione fornicati sunt. » Pro separatum est convivium, hebraice est סָרֵבְּנָס sar sobeam, id est recessit potatio vel compotatio, id est convivium eorum. Hebræi enim vocant miste, id est compotacionem, ut et Græci συμπόσιον, a communione potus, quod Latini a communione victus et cibi vocant convivium. Est metaphora a vinis acidis. Nam recedere venuste ab Hebræis usurpatum de vino, quando in vappam resolvitur. Unde et Græci tale vinum ξεστηκός, Cicero, *vinum fugiens*, Flandri *afgaenden wiin* vocant. Chaldæus, R. David, Vatablus, Pagninus et alii recentiores vertunt: *Dutruit vel fætuit potus eorum*, q. d. Vinum eorum erat olim vinum cos, id est coloratum, odoratum, sapidum; jam per scelera eorum recessit a suo colore, odore, sapore; factumque est decolor, putidum, acidum, q. d. Lætitia eorum in tristitiam versa est, gaudia in luctum, epulæ in absinthium.

Mirum est Septuaginta vertere: *Provocavit Chananæos*: quod sic explicat S. Hieronymus, q. d. « Tantum studium habuit Israel in idolorum cultu, ut non imitatus sit Chananæos, id est ethnicon, sed ad imitationem sui eos provocaverit erroris. »

Denique Isidorus vertit: Recessit ebrietas et crapula eorum, quasi Israelitis hic tacite objiciatur, quod usque ad crapulam et vomitum sese ingurgitarent.

DILEXERUNT IGNOMINIAM PROTECTORES EJUS. — Altera ratio qua urget Propheta Judam, ut recedat ab Israel; quia, inquit, « protectores, » id est dii quos colunt, vel, ut Chaldæus, Hebræus, Pagninus et Vatablus, principes ejus, qui sanciunt idolatriam, fornicationem, crapulam, illumque ad ea inducunt verbo et exemplo, iisdem non nisi ignominiam et probrum ipsi accersunt. Itaque per ignominiam intellige probrosam et ignominiosam tam idolatriam, cum S. Hieronymo, Haymone, Hugone et Lyrano, quam gulam et fornicationem, cum Aria et Chaldæo, qui vertunt: *Fornicationem dilexerunt, ut venirent sibi in ignominiam proceres eorum*.

L. git Interpres חַבְּנָה habo, id est afferre; jam aliis punctis legunt, חַבְּנָה habu, id est afferre, date. Unde vertunt: *Diligunt, date ad ignominiam, clypei ejus*, id est protectores ejus qui eum tueruntur ut clypei, q. d. Protectores et principes Israelis diligunt munera, dicuntque: Date, date nobis dona, quod est illis, æque ac populo ignominiosum. Ita Vatablus, Pagninus, Isidorus, Rabbini. Aut, ut Arias, *date*, scilicet vina et delicias, q. d. Assidue postulant vina et delicias, quasi Epicurei, quæ est summa ignominia. Verum hæc versio obscurior est, ac textui nonnulla addit et supplet; nostra vero clarius, planius, magisque adæquata est, ideoque verior et germanior.

Verg. 19. 19. **LIGAVIT EUM SPIRITUS** (id est ventus, sive turbo) IN ALIS SUIS. — Septuaginta: *Turbo spiritus sibilabit in alis ejus*, q. d. Turbo divinæ indignationis et vindictæ, quasi alis suis colligabit Israe-

lem, sive Synagogam, eamque auferet in captivitatem Assyriacam; ibique celerrime disperget in omnes mundi plagas, sicut turbo contorquere, jactare et dispergere solet paleas. Aut, q. d. Quocumque ventus perflaverit, eo secum deferet alligatum Israelem; quare celerrime hinc avolabit quasi impulsus velocissimo et rapidissimo vento. Ventis enim dantur alæ per metaphoram, ob velocitatem; unde et pinguntur alati æque ac angelii, ait Isidorus, lib. VII *Etymolog.* cap. v. Hinc Ovidius, I *Metamorph.* :

Emittitque Notum, madidis Notus evolat alis.

Sic aquæ pluviae dicuntur in nubibus, non tantum includi, sed et ligari, Job xxvi, 8, ut nisi simul cum nubibus moveri et discurrere non possint; nubes enim sunt pluviae vehiculum. Ita Pineda *ibidem*. Unde Syrus vertit: *Colligabitur spiritus in alis eorum*; Arabicus Antiochenus: *Venit spiritus inflexus (retortus) in alis ejus*; Arabicus Alexandrinus: *Flaverunt venti ex alis ejus*.

Est poetica descriptio captivitatis. Ita Ruffinus, Theodoretus, Theophylactus. Pro *ligavit* hebraice est לִגְזַּע tsarar, id est ligavit, constrinxit, contorsit, arctavit, afflixit, tribulavit. Cyrillus et Theophylactus pro תְּמַחֵן ota, id est eam, aliis punstis legunt תְּמַחֵן atta, id est tu; unde vertunt: *Turbo spiritus tu es in alis ejus*, quasi Propheta loquatur Deo, dicatque eum esse ipsum turbinem, qui auferet Israelem; aut, ut Cyrillus, q. d. Tu, Juda, fuisti Israeli quasi turbo spiritus in alis volucris: cum enim Israel vidit te, qui habes templum, jam inertem et supinum, iisdemque peccatis illigatum, magis citiusque apostatavit.

Ex adverso S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Hugo et Lyranus per spiritum hunc accipiunt diabolum, q. d. Diabolus est qui impellit Israelem ad idolatriam aliaque scelera; adeo ut videatur ei mentem et voluntatem colligasse, eaque astrinxisse idolis. Sic dæmon peccatorem alligat amasiæ, vino, ambitioni, itaque ligatum agitat et raptat, quasi mancipium, quo cumque vult, uti magas et sagas tam corpore quam spiritu raptat ubilibet.

Secundo, Leo Hebræus vertit: *Ligavit ventum in alis suis*; quod Vatablus exponit, q. d. *Ventus constrictam tenebat illam congregationem* (hanc enim significat hebraicum תְּמַחֵן ota, quod est femininum) *Israelitarum in alis suis*, et ita eos alio transferret, puta in captivitatem Assyriacam; alas enim vocat oras et sinus vestium, quasi Israel in iis ligatum habeat ventum sive turbinem, qui eum ita alatum celerrime transfert in Assyriam. Unde et Symmachus vertit: *Ligavit ventum in alis venti*; quod explicans S. Hieronymus: « Ligavit, ait, eos diaboli spiritus in alis suis, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, et stabili in Ecclesia pede permanere non possunt. »

Secundus hic sensus coincidit cum primo: sive enim dicas Israelem in Assyriam abreptum alis

turbanis iræ Dei, sive alis turbinis sui, eodem res redit; turbo enim Israelis non est aliis quam turbo iræ Dei, quem scilicet ei ira Dei indidit et impressit, ut eum auferat in Assyriam; sicuti vis jacentis lapidem, et vis jacti lapidis, eadem est. Jaciens enim vim suam lapidi jacto imprimat, ut eum projiciat quo vult: vis ergo hæc tam est hominis jacentis, quasi efficientis, quam lapidis jacti, quasi recipientis et patientis. Denique hebreum ota, id est eam, aliqui referunt ad ignominiam, q. d. Turbo iræ Dei ligavit ignominiam

in alis Israelis, ut illam excutere nequeat; unde subdit: « Confundentur a sacrificiis suis, » id est ob sacrificia quæ idolis obtulerunt.

Tropologice, disce hic peccata creare turbinem qui peccatores ignominiose dispergat, et tandem deturbet in tartara. Quocirca Zacharias, cap. v, 7, vidit mulierem, cui nomen erat impietas, amphoræ incidentem, a duabus mulieribus habentibus alas milvi, et spiritum in alis, rapi in Babylonem, quæ est symbolum gehennæ. Vide quæ de funibus et vinculis peccatorum dixi *Isai. v, 18.*

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Vocat Deus ad judicium sacerdotes et primores, eosque accusat quod laqueus fuerint populo, eumque suis idolis et sceleribus implicarint: Quia spiritus, inquit, fornicationum in medio eorum. Hinc eis cum populo, et cum Juda, quia Israelis scelus secutus est, hostile excidium intentat, dicens vers. 5: Respondebit arrogantia Israel in facie ejus; ruet etiam Judas cum eis. Denique, vers. 12, ait se eos quasi tineam et cariem corrosurum, ac vers. 14, quasi leænam discepturum (1).

1. Audite hoc, sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultate: quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor.
2. Et victimas declinasti in profundum: et ego eruditus omnium eorum.
3. Ego scio Ephraim, et Israel non est absconditus a me: quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israel.
4. Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum; quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.
5. Et respondebit arrogantia Israel in facie ejus: et Israel et Ephraim ruent in iniuitate sua, ruet etiam Judas cum eis.
6. In gregibus suis et in armentis suis vadent ad querendum Dominum, et non invenient: ablatus est ab eis.
7. In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt: nunc devorabit eos mensis cum partibus suis.
8. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: ululate in Bethaven, post tergum tuum Benjamin.
9. Ephraim in desolatione erit in die correptionis: in tribubus Israel ostendi fidem.
10. Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam.
11. Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio: quoniam cœpit abire post sordes.
12. Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda.
13. Et videt Ephraim languorem suum, et Juda vinculum suum: et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem: et ipse non poterit sanare

(1) Hoc caput ita in decem tribus tonat ac fulminat, ut tamen interdum duas, Judam et Benjamin, respiciat, admoneatque, ne, si idem infortunium declinare velint, illarum mores aut studia sequantur.

PRIMO ergo reprehendit sacerdotes et principes, *primo*, ex scandalo aliis dato, 1; *secundo*, ex hypocrisi religionis Deum haud latente, 2, 3; *tertio*, ex obstinatione in malo, vers. 4.

SECUNDO, indicit pœnas utrique regno communes: cùjusmodi sunt, *primo*, confusio depressionis arrogantiam secutura, 5; *secundo*, derelictio a Deo in vanum quæsito, 6; *tertio*, filiorum corruptio et exterminium repentinum, 7.

TERTIO, hypotyposi eleganti hostis jam imminens sistitur, 8; cùjus adventum sequetur *primo*, Israelis deso-

latio, 9; *secundo*, effusio iræ in Judam, 10; *tertio*, utriusque destructio, 11, 12; *quarto*, denegatio vel potius impotentia humani auxilii contra Dei vindictam et derelictionem, 13-15.

Edita videtur hæc prophetia, juxta Rosenmuller, cui adstipulantur Ackermann, Maurer, d'Allioli, uti e vers. 13 colligi potest, Achazi regis Juda temporibus, postquam non solum Manahem, tyrannus Israelis, Assyrio regi in clientelam sese dedisset (*IV Reg. xv, 19*), sed etiam Achaz ab Assyrio auxilium quæsivisset, *IV Reg. xvi, 7, 8; Isai. vii, 17; II Paralip. xxviii, 16*. Et revera, inquit Maurer, quæ vers. 5, 8, 12, 14, de Judæis dicta sunt, in Uziæ, Jothami, Hiskiae tempora nullo modo cadunt, contra in Achasi puerile imperium optime convenient. Videtur itaque Pechaco et Achaso regnibus oratio edita esse.

vos, nec solvere poterit a vobis vinculum. 14. Quoniam ego quasi leæna Ephraim, et quasi catulus leonis domui Juda : ego, ego capiam et vadam : tollam, et non est qui eruat. 15. Vade ns revertar ad locum meum : donec deficiatis, et quæratis faciem meam.

Vers. 1.

1. AUDITE HOC, SACERDOTES. — Increpat primo sacerdotes, deinde populum, præsertim primores populi, demum regis aulicos et principes Israelis de idololatria : hanc enim sacerdotes et primores abolere, et populum dedocere debebant, eumque docere verum Dei cultum. Per sacerdotes S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Ribera et alii accipiunt pseudosacerdotes idolorum in Israel : hi enim non erant veri et legitimi, tum quia non erant ex tribu Levi; tum quia erant idolorum; tum quia non a Deo, sed a Jeroboam idololatra rege constituti, III Reg. XII, 28. Possunt tamen accipi veri Dei sacerdotes. Hi enim sparsi erant per Israel, ut eum in Dei cultu continerent; sed cum Jerobam vitulos suos induxit, non tantum populus, sed et sacerdotes regis sui imperium secuti, vitulos hosce et Baalim coluerunt, alias que colere docuerunt, imo compulerunt.

QUIA VOBIS (Septuaginta, *ad vos*) **JUDICIUM EST.** — q. d. Vos Deus vocat ad judicium et condemnationem; ut scilicet vos ob idololatriam in justo judicio accuset, et condemnnet ad excidium inferendum ab Assyriis. « *Judicium* » ergo hic *primo*, proprie sumi potest; *secundo*, impropprie, per catachresin pro disceptatione, accusatione, redargutione, increpatione, quæ fieri solet in judicio; *tertio*, metonymice pro condemnatione, q. d. Adeste in judicio Dei, ut vestram sententiam et condemnationem audiatis. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Theophylactus, Hugo, Ribera et alii. Alter Chaldæus et Isidorus, q. d. Quia vestrum est judicium, id est quia ad vos spectat judicare, quia polletis auctoritate in judiciis; hinc adeste in hoc Dei judicio, verum non ut judices, sed ut rei.

QUONIAM LAQUEUS FACTI ESTIS SPECULATIONI, ET RETE EXPANSUM SUPER THABOR. — Pro speculationi hebraice est *mistpha*, vulgo *maspha*, quod Vatablus, Arias, Pagninus et passim hebraizantes ac novantes accipiunt ut nomen proprium urbis. *Maspha* enim fuit urbs sita in monte, eaque celebris; nam in ea fuit arca testamenti, unde eo conveniebat populus ad orationem. Hinc et Samuel in *Maspha* judicabat populum, I Reg. VII, 20. In *Maspha* quoque habitavit Godolias et Jeremias, Jerem. XL, 41. Vertunt ergo hebraizantes: *Nam laqueus facti estis in Maspha, et rete expansum super Thabor;* idque dupliciter exponunt. Primo, Vatablus, Kimchi et Pagninus, subaudiendo vocem *sicut*, exponunt, q. d. Vos scandalo et offendiculo estis populo, ut eum capiat et inducat ad idololatriam, indeque in exitium et ruinam; sicut venatores laqueos extendunt in *Maspha*, et retia in *Thabor*, ad capiendas aves et feras. Secundo, Arias exponit, q. d. Jeroboam in *Maspha* et *Tha-*

*b*or statuit speculatores et custodes, qui capiebant Israelitas eunes Jerusalem ad templum, eosque cogebant ire in *Dan* vel *Bethel*, ibique adorare vitulos aureos *Jeroboam*. Verum, ut alia omittam, huic versioni obstat, quod *Maspha* non erat in Israel, ubi regnabat *Jeroboam*; sed in Juda, ubi regnabat *Roboam*, uti docet S. Hieronymus in *Locis Hebraic.*, *Adrichomius*, et passim alii.

Quocirca noster a Castro censem urbem hanc *Maspha* aliam fuisse ab ista *Maspha* Judææ, ac fuisse sitam in Israel, puta in monte *Galaad*. Mons enim *Galaad* dictus est *Mistphe* vel *Maspha*, id est *specula*; vel, ut Septuaginta vertunt, ὁπατοῦ; id est *visio*, ex eo quod *Laban* sanciens foedus cum *Jacob*, ibi *Deum*, quasi speculatorum, in testem et vindicem sui foederis per juramentum vocaverit, uti dixi Genes. XXXI, 48. Itaque censem a Castro, *Jeroboam* speculatores constituisse in *Galaad*, qui populum averterent a templo; et cogerent adorare in *Dan* et *Bethel*. Hic sensus probabilis et plausibilis videtur.

Verum obstat *primo*, quod de his speculatoribus in libris *Regum*, et in tota Scriptura nulla fiat mentio, aliquid tamen de iis innuitur *Osee* cap. VI, 9, uti eo loco dicam. *Secundo*, quod *Galaad* nusquam vocetur *Maspha*, nisi Genes. XXXI, 48, idque tantum in *Hebræo*. *Tertio*, quod *Mistpha* hic in *Hebræo* habet articulum dativi casus; sic enim *Hebræa* ad verbum habent: *Quia laqueus fuisti ipsi Matspha, et rete expansum super Thabor.* Male ergo recentiores vertunt, *in Mitspha*, vel *super Mitspha*; *Mitspha* enim hic est dativi casus. *Quarto*, quia Septuaginta, Chaldæus, S. Hieronymus plane consentiunt nostræ versioni, vertuntque: *Quia laqueus facti estis speculationi*, vel *speculæ*. Itaque *Mitspha* hic est nomen non proprium urbis, sed appellativum significans speculationem, vel *speculam*.

Quæres, quænam est haec *speculatio*? *Primo*, Specula-S. Hieronymus exponit, q. d. Facti estis laqueus pro speculatione, eo sensu quem mox afferam. *Hebræum* enim *lamed* in *lemitspha*, subinde significat *pro*. *Secundo*, abstractum hic accipi potest pro concreto, more *Hebræo*: *speculatio* ergo accipi potest pro populo speculato, seu vestræ, o sacerdotes et principes populi, curæ et speculationi commisso, q. d. Vos, o primores (hos enim alloquitur), qui debebatis speculari, excubare et custodire populum in cultu Dei, eumdem verbis et exemplis pertraxistis ad idololatriam. Sic Ezechiel a Deo constitutus est speculator populi, cap. III, 17: vide ibi dicta. Ita *Cyrillus*, *Albertus*, *Hugo*, *Emmanuel*, *Mariana* et *Lyranus*. Aut certe *speculationi*, id est prophetæ, hoc est *Prophetis*, q. d.

Vos, o Israelitæ, facti estis laqueus prophetis et doctoribus, quia eis insidias tenditis, eosque capitilis et occiditis. Ita Chaldaeus, Theodoretus, Theophylactus. *Mitspha* ergo, id est speculatio, significat vel *mitsphe*, id est speculatum, scilicet populum; vel *tsophim*, id est speculatores, scilicet prophetas; perinde ac si dicas: Laqueus facti estis episcopio, id est Episcopo, et subditis Episcopo; unde Syrus vertit: *Laquei enim facti estis speculatori*.

Quocirca allegorice Cyrillus hæc accipit de Juðeis Christo (hic enim est speculator et Episcopus animarum nostrarum, ut ait S. Petrus *epist. I, cap. II, vers. ult.*) ejusque verbis et factis ubique insidianibus, ut eum in necem et crucem ageant, ut tandem fecerunt. Sic et Leo Castrius, qui putat hunc esse sensum litteralem, adeoque de Christo totum hoc caput, imo totum prophetam explicat ad litteram, in quo hallucinatur. De Christo enim propheta loquitur allegorice, non litteraliter.

Nota: In Hebræo pulchra est paronomasia inter מִשְׁפָּת mispat, id est judicium, et מִשְׁפָּתָה mitspha, id est speculationem, q. d. *Vobis mispat*, id est *judicium*, est, hoc est, cito vos ad judicium, quia fuistis laqueus *lemitspha*, id est speculationi. Rursum inter מַחְנֵה pach, id est laqueus, et מִשְׁפָּתָה mitspha, id est specula, q. d. Pro specula facti estis laqueus: vestrum enim erat speculari, et præmonere ac custodire populum: sed vos ipsi eum illaqueastis, et in laqueum, id est in captivitatem hostium induxitis, juxta expositionem S. Hieronymi primo loco assignatam (1). Perinde ac si latine ludas, ac dicas: Vos speculatores facti estis expilatores aut spiculatores; vos tutores tradidores; vos curatores proditores; vos defensores di-reptores; vos pastores perditores: vos Episcopi apostatae. Ita Synodus generalis V, *actione v*, ex verbis S. Cyrilli, hunc Osee laqueum dicit esse Theodorum Mopsuestenum, et similes hæresis et falsitatis doctores.

ET RETE SUPER MONTEM THABOR. — Subaudi vociulam *sicut*, q. d. Sicut venatores rete tendunt avibus et feris in Thabor, ita vos insidias tetendistis vel populo, vel prophetis et prædicatori-bus. Porro Thabor, vel, ut Septuaginta et Josephus vocant, Itabyrius, mons est pulcherimus in medio Galilææ campo, mira æqualitate ex omni parte rotundus: in vertice viginti sex stadiorum campestris planities patet: cœli temperie est sa-

luberrimus: vineis, olivis, aliisque arboribus fructiferis undique consitus: rore perpetuo uvidus, arborum frondibus, et versicoloribus herbis semper viridis, atque suavi omnigenum florum odore fragrantissimus. Hinc magna ferarum, maximeque avium in eo est frequentia, quarum et grato concentu amoenissimus est, et venatu celebris: unde in eo venatores retia tendebant, ut ait hic Osee. Denique totus hic mons pascendis oculis, reficiendisque animis natus factusque videtur: ideoque eum Christus Dominus merito de legit tum orationi, tum transfigurationi suæ, in quo sole lucidior et nive candidior resurgens coram Mose et Elia, cœlestis beatitudinis et gloriæ specimen aliquod discipulis suis dedit. Ita Bochardus, Bredembachius et Adrichomius in *Descriptione Terræ sanctæ*.

Tropologice Theophylactus: Speculatores, id est Episcopi, Pastores et Prælati, quorum erat invigilare saluti subditorum, eis fuit rete, cum vel falsa doctrina, aut pravis consiliis, vel moribus et exemplis eos secum implicant, trahuntque ad scelera et in ruinam; idque in Thabor, quod nomen hebraice significat, vel puritas, vel veniens lumen, ait S. Hieronymus, quia in ipsa sacerdotii pulchritudine animis fœditatem afferunt; in ipsa puritate inquinant; in ipso lumine tenellas effundunt; in ipsa celsitudine in profundum plebem præcipitant, ait Sebastianus Barradius, lib. VII, cap. v. Unde Arabicus Antiochenus vertit: *Quia facti estis laqueus in offensionem, et quasi rete expansum super abyssum*; et Arabicus Alexandrinus: *Jam facti estis sicut laquei in locis insidiarum, et sicut cibus qui ponitur in venationem in nemoribus animalium* (2).

2. ET VICTIMAS DECLINASTIS (scilicet a Deo, ejusque templo, et altari Hierosolymitano, ad idola eorumque aras erectas in Dan et Bethel: idque) IN PROFUNDUM, — scilicet impietatis. Unde Chaldaeus vertit: *Sacrificant idolis largissime*. Hebræi enim sumunt verba pro adverbii. Ita Ribera. Hebræa ad verbum habent: *Victimam declinantes profundaverunt*, id est in profundum scelerum abierunt, profunde descenderunt, in fundum idolatriæ prolapsi sunt, et, ut ait Osse, cap. ix, 9: « Profunde peccaverunt. » Eadem phrasim uitur Isaías cap. xxxi, 6: « Convertimini sicut in pro-

(2) « Et victimas declinasti, » etc. Ut nullus ageret pœnitentiam, nec occisus elevaret caput, inquit S. Hieronymus. Prohibuerunt et reges et sacerdotes ire ad templum in Jerusalem, idcirco in profundum victimas declinassem dicuntur. Quam interpretationem, ut observat Rosenmuller, vix dubium est, Hieronymum accepisse a magistro suo Hebræo. Tradunt enim Jarchi et Abarbenel doctores veteres hunc locum ita interpretari: et ad jugulandum, illi qui declinant, profunde sua abscondunt, id est, callidissime sic consilia sua premebant tegebantque, ut impedimenta injicerent, quo minus ad anniversaria lege prescripta festa celebranda proficiisci Hierosolymam populo daretur, quia et jugulabant atque interimebant, si quis ire in domum Dei deprehenderetur.

(1) Hunc sensum ita probat et exponit Maurer: Cum *Mitspha* et *Thabor* proprio significant *speculam*, *locum editum*, adeoque utroque nomine locus indicetur et custodibus et venatoribus aptus; vates pro more suo lusisse videtur verbis, atque hoc sibi voluisse: nam in alto in quo vos ego constitui loco, cum custodes populi esse debuissetis, illius venatores (corruptores, perditores) potius extitistis. Apposite vero duo isti loci commemorantur propterea quoque, quod unus mons *Mitspha* situs erat in orientali, alter, *Thabor*, in occidentali terræ parte.

fundum recesseratis (hebraice *sicut profundastis*) filii Israel. » Et cap. xxx, 33, dicitur Tophet, id est gehenna, profunda et dilatata; hebraice *profundavit et dilatavit se*. Ita S. Hieronymus, Albertus, Lyranus, Arias, Ribera et alii. Aliter Vatablus et Clarius, qui per profunditatem intelligunt calliditatem et versutiam, q. d. Apostatae qui declinant a vera religione, rationem subtilem et callidam invenerunt immolandi diis alienis: dicunt enim se colere idola in honorem Dei. Sic Galli dicunt: *Voilà un homme profond*, cum callidum et astutum denotare volunt.

Septuaginta haec referunt ad rete quod praesedit, vertunt enim: *Qui cupiunt venationem confixerunt*; ut Hebraeum *profundaverunt*, idem sit quod profunde vel retia in terram, vel lanceas et venabula in corpora defixerunt, scilicet venatores: legendum enim *confixerunt*, ut habet editio Romana Caraffae, S. Hieronymus, Theodoreetus et Theophylactus; non *timuerunt*, ut habent Complutensia et Regia. Syrus vertit: *Ei venatores qui vellant operuerunt laquei*, q. d. Capti sunt laqueis suis, quos aliis tetenderunt; *ego autem erudiam (corripiam) eos omnes*, ego scio. Mystice S. Gregorius, homil. 4 in Ezech.: « Sunt, ait, nonnulli qui idcirco se in prece lamentis afficiunt, ut aut terrena commoda acquirant, aut hominibus sancti videantur. Quid hi nisi victimas in profundum deferunt? qui per hoc quod in imo sunt quae requirunt, orationis suae sacrificium deorsum deponunt. »

ET EGO ERUDITOR OMNIUM EORUM, — q. d. Profunde peccant, cum tamen ego nunquam destiterim eos corripere per prophetas et erudire, ne tantum scelus patrarent. Ita S. Hieronymus et Septuaginta qui vertunt, *ego magister eorum*. Minus recte vertit Lyranus, *et ego cognitor eorum*, q. d. Non pudet eos peccare in mea praesentia; ego enim omnium eorum scelera cognosco et video. Nam Hebraeum *musar*, non significat cognitionem, sed correptionem, objurgationem, castigationem: unde disciplina et castigatio puerorum vocatur *musar*. Quocirca Chaldaeus vertit: *Ego adduco correptiones, vel castigationes super omnes illos*: quod Theodoreetus et Theophylactus exponunt per futurum, q. d. Ego castigabo eos excidio, puniam eos captivitate.

Vers. 3. **3. EGO SCIO EPHRAIM** (id est, ut rhythmice more Hebraico quasi per carmen antistrophum explicat, dum subdit): **ET ISRAEL NON EST ABSCONDITUS A ME.** — Aut potius Ephraim vocat tribum regiam et capitalem; Israelem vero reliquas novem, quae Ephraim idolatriam et imperium secutae sunt; distinguit enim Ephraim ab Israel, vers. 5, q. d. Novi ingenium et indolem Israelis, quod scilicet in idola sit propensissimus, et a me maxime aversus, quodque idolatriam et vitulos Jeroboam, qui fuit primus eorum rex ex tribu Ephraim, mox prono animo secutus sit, adeoque alte animo suo impresserit, ut eum quasi contribulem

suum totus populus, omnesque deinceps reges in scelere imitati et assecinati sint, nec ullis Prophetarum monitis aut minis ab eo revocari possint, nisi excidio conterantur, et captivitate duriorum corda frangantur. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Rupertus, Albertus, Arias, Lyranus et Vatablus.

Tropologice, hic nota Deum cognoscere et prævidere intimas et secretissimas mentium cogitationes, desideria, propensiones, intentiones. Unde in Scriptura vocatur cardiognostes, quia scrutatur renes et corda. Quocirca Isaias, cap. xxix, 15, graviter redarguit impios, qui putant se Deum latere dicentes: « Quis videt nos, et quis novit nos? » quod tantumdem est, ac si « *figmentum*, inquit, dicat factori suo: *Non intelligis*, » non me cognoscis, quod impium est; Dei enim est creaturas suas, quas ex nihilo creavit et finxit, regere et conservare: ergo qui eas creavit, eas pariter intime cognoscit, penetrat et pervidet. **Præclare Sapiens**, Proverb. xv, 11: « *Infernus*, ait, et perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum: » *perditio*, id est damnatio æterna, q. d. Novit Deus ima inferni; et qui, quot, quantumque ob scelera sua sint damnandi, aut damnati; ergo multo magis novit secreta cordium cujusque. Ita valet, stringitque hoc argumentum a majore ad minus, q. d. Cum in cubili, imo in corde occultissime peccas, cum te latere credis, adeo Deum non lates, ut simul ipse videat poenas, quas præcise mereris, quasque ipse tibi in gehenna pro illo crimen præparavit. Tu peccas, et inanem concupiscentiam exples, interimque non cogitas gehennam et ignes æternos, qui tibi a Deo parantur. Hoc est quod graviter et significanter ait Apostolus, Hebr. iv, 12: « *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipi*ti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » Vide ibi dicta. Atque haec est causa cur Deus prævideat et præcognoscat omnia contingentia futura, omnesque actus voluntatis liberos futuros, vel absolute, vel conditionate, si videlicet in tali, vel tali rerum serie, talibusque circumstantiis voluntas poneretur, quid ipsa factura et electura esset; quia scilicet ipse prævidet, et plane comprehendit totam voluntatem, omnesque ejus occultas affectiones et propensiones, uti et circumstantiarum rerumque omnium, itaque videt ipsam positam et compositam cum tali gratia, tentatione, aliisque circumstantiis certo et infallibiliter, sed libere ad hoc illudve se determinaturam. Qui enim causam comprehensiva cognitione cognoscit et comprehendit, comprehendit et omnes ejus effectus actusque, etiam liberos.

4. NON DABUNT COGITATIONES SUAS UT REVERTAN- Vers. 4.

TUR AD DEUM SUUM. — Aliter verti potest ex Hebraeo, scilicet: *Non permittent opera eorum* (impia et idololatrica, quibus assidue vacant) *ut revertantur ad Dominum.* Ita Chaldaeus et Vatablus, cui apte coheret quod sequitur :

QUIA SPIRITUS FORNICATIONUM IN MEDIO EORUM. — q. d. Ita dediti sunt idololatriæ, ut videantur spiritu et cœstro idololatrandi agi et furere, uti vaccae actæ cœstro furentes discurrunt, et a bubulco revocari compescique nequeunt. Aliter Vatablus; intelligit enim spiritum pseudoprophetarum, q. d. Decepti sunt a pseudoprophetis, illorumque doctrina et spiritu idololatrico imbuti in idola insaniunt.

Vers. 5.

5. ET RESPONDEBIT ARROGANTIA ISRAEL IN FACIE EJUS. — *Arrogantiam* vocat superbiam Israelis, qua spernens Deum, sequebatur idola : rursum *arrogantia* hic sumitur pro pœna culpæ arrogantiæ debita, q. d. Punietur hæc arrogantia Israelis, ita ut pœna respondeat culpæ, eique publice, quasi in faciem dicat : *Ecce, quia, o Israel, tam arrogans fuisti et rebellis in Deum tuum, hinc merito nunc ab eo humiliaris et plecteris.* Hinc Vatablus et Pagninus vertunt: *Testificabitur fastus Israelis contra eum, idque in faciem ejus.* Unde explicans subdit: « *Et Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua.* » Quocirca Septuaginta pro *respondebit*, vertunt, *humiliabitur injuria* (injuriosa in Deum arrogantia) *Israel in faciem ejus;* Chaldaeus, *deprimetur gloria Israel ipsis videntibus.* « *Respondebit* » ergo, id est ex æquo punietur et humiliabitur, ut conquerenti juste respondere possit, eum ita puniri, quia fuit tam arrogans. Nam pœna debetur et commensuratur, itaque ex æquo respondet culpæ ac peccanti, sicut præmium virtuti, merces labori, fructus agricolæ, uti ait Jacob ad Laban, *Genes. xxx, 33*, quo hic alluditur. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Albertus, Hugo, Lyranus et Ribera.

IN FACIE. — Id est palam, publice, ipsis aliisque omnibus videntibus, et justum Dei judicium ac vindictam approbantibus. Ita Chaldaeus, Theophylactus et alii jam citati. Aliter Arias, qui τὸ in facie, putat significari impudentiam, q. d. Arrogantia et fastus Israelis cernitur et reluet in facie ejus, oculis et superciliis inflatis, altis et tumidis, juxta illud *Isaiæ iii, 9*: « *Agnitio vultus eorum respondit eis.* » Vide ibi dicta. Vere dixit B. Cæsarius Episcopus Arelatensis, *homil. 23*: « *Quisquis superbus est, dæmone plenus est.* »

Moraliter S. Gregorius, lib. XXVI *Moral. cap. xiii*, ex hoc Osee loco docet luxuriam esse pœnam arrogantiæ: « *Occultam, inquit, culpam sequitur aperta percussio; ut malis exterioribus interiora puniantur, et cor publice corruat, quod latenter tumebat.* » Probat id ex eo quod Osee hic dixit: « *Spiritus fornicationum in medio eorum.* » Ejus causam assignans subdit: « *Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus; ac si diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per*

carnis luxuriam in aperto respondit. Proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim pie spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure et a subjecta carne prælium suscipit. » Probat id exemplo Adæ, qui mox ut inobediens contra Deum superbivit, stimulum carnis sensit; ideoque erubescens nuda membra foliis ficus contextit: « *ut superatus disceret, quid elatus amisisset.* »

ET ISRAEL ET EPHRAIM RUENT IN INIQUITATE SUA.

— Hæc est responsio realis, non verbalis; de qua jam dixit: « *Et respondebit anarrogia Israel in facie ejus.* » Distinguit Israel ab Ephraim, uti corpus a capite, regnum a metropoli. Tribus enim Ephraim dedit primum regem Jeroboam, multosque deinde ejus successores Israeli: unde Ephraim continebat imperium et regnum Israeli, sive decem tribuum, earumque erat quasi caput et metropolis. Sensus ergo est, q. d. Decem tribus ruent cum suo capite, puta cum suo imperio, cum sua tribu regali Ephraim, ejusque rege et regno, idque « *in iniuitate sua,* » id est merito iniuitatis, propter iniuitatem suam. Sic enim præpositio *in*, Hebreis sæpe significat meritum vel demeritum, idemque valet quod *propter*, ut legenti Psalmos notissimum est (1).

RUET ETIAM JUDAS CUM EIS. — q. d. Etiam duæ tribus, sive regnum Juda ruet, quia Israeli idolatriam secutum est.

6. IN GREGIBUS suis et in armentis. — q. d. Positi in calamitate, et ab hoste circumdati, querent Deum per victimas gregum et armentorum; sed frustra: nec enim eum invenient, utpote qui derelquentes se pariter dereliquerit. Ita S. Hieronymus. Hoc est enim quod subdit: « *Ablatus est ab eis;* » Chaldaeus: *Subduxit se majestas ejus ab eis.* Allegorice, q. d. Judæi post Christum volent Deo offerre pristinas gregum victimas, iisque Deum placare; sed frustra: ipse enim recessit ab eis ad Christianos, et gregum victimas, in Eucharistiam corporis Christi commutavit. Ita Theophylactus et Leo Castrius.

7. QUIA FILIOS ALIENOS GENUERUNT. — « *Alienos,* » scilicet a Deo, Deique cultu; sive quos ab infancia in idolatria educarunt, aut Moloch aliisque idolis per ignem consecrarunt. Hi enim me non cognoscunt, nec ego illos ut meos cognosco, sed

(1) Alii, inquit Ackermann, statuunt hanc prædictiōnem eventum nactam esse regnante Achazo idolatriani Jerosolymæ introducente, cuius regno per Phacaen (Phekachun), et regem Syriæ Razinum insignes clades illatae fuerunt, quodque Philistæi et Idumæi eodem tempore invadabant, quo Teglathphasar rex Assyriæ ab Achazo in auxilium vocatus Razinum occidebat, Damascumque expugnabat, et Phacaen magna regni Israelitici parte privabat.

ut alienos aestimo. Ita S. Hieronymus, Cyrus, Albertus, Hugo et Clarius. Huc accedunt Ruperius et Lyranus, qui per *filios alienos* intelligunt discipulos, familiares, aut subditos, quos ipsi docebant suam idolatriam.

Secundo, Cyrus, Theodoretus, Theophylactus, Clarius, Emmanuel et Mariana censem vocari *filios alienos*, quos ex alienigenis, puta ex filiabus gentium, quarum connubia eis erant a Deo velita, *Exod. xxxiv, 16*, et *Deuter. vii, 3*, precreabant. Unde Chaldaeus vertit: *In verbum Domini perperam egerunt, quia filios de filiabus gentium sibi statuerunt.*

NUNC DEVORABIT EOS MENSIS, — q. d. Per singulos menses irruet in eos hostis et plaga, eosque percutiet et vastabit. Unde Chaldaeus vertit: *Nunc adducam adversus eos populos per singulos menses, qui populabuntur fructus terrae eorum; et Arabicus Antiochenus: Nunc devorabunt eos latrones, et gentem eorum; et Arabicus Alexandrinus: Comedet eos Assur, et omnia bona eorum.* Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Vatablus, Emmanuel et alii: et patet ex *IV Reg. xv, 19* et *29*, sub Phul, Teglathphalasar, et Salmanasar crebras fuisse irruptiones Assyriorum in Samariam. Rursum Deum plagas alias et alias successive et continue in Israelitas immisisse, significat illud *Joel. i, 4*: « Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. »

Secundo, Clarius et Vatablus per mensem, synecdochice accipiunt breve tempus. Declarat, inquit, illud *nunc*, quod dixerat, cum dicit *mensis*, q. d. Post tempus menstruum, id est brevissimum, perituri sunt cum suis facultatibus: aut, hoc mense vastabuntur et devorabuntur. Videtur enim Propheta hæc dixisse jamjam imminentem hostem et cladem; unde subdit: « Clangite buccina in Gabaa. » Hic sensus plenus videtur et facilis.

Tertio, Lyranus, Mariana et Arias ex R. Salomon, per mensem accipiunt *Ab*, id est julium: censem enim in julio captam et excisam esse Samariam cum regno Israel. Sed hoc incertum est: certum est eodem mense julio combustam esse Jerusalem cum templo a Chaldaeis, totumque regnum Hebreorum, sive posteriorum Israelis, *IV Reg. xxv, 8*; illi ergo certius hæc attribuas.

Denique Septuaginta pro *mensis* vertunt *rubigo*; videntur ergo pro *שׁדָן chodesch*, id est mensis, legisse *חַסִיל chasil*, id est rubigo; Aquila vero vertit *neomenia*, forte quia censuit primo die mensis excisam esse Samariam. Hæc Aquilæ versio illustrem dat allegoriam et tropologiam. Neomenia enim, sive novilunium, quod erat Hebreis prima dies mensis (hunc enim inchoabant a nova luna), symbolice repræsentat novum imperium, ac consequenter mutationem status gentis et regni, q. d. Brevi veniet neomenia, id est novus monarcha, puta Salmanasar, et Nabuchodonosor,

ac novum eorum imperium, quod devorabit Israelitas et Judæos, veteremque eorum gentem, mores et regnum. « Novus enim rex, nova lex, nova plebs, » ut vulgo dicitur. Et hoc significat Hebreum *שׁדָן chodesch*, scilicet innovationem, novitatem, a radice *שׁדָן chadasch*, id est innovavit, novum fecit: inde enim neomenia, sive calendæ vocantur *chodesch*, eo quod tum fiat innovatio lunæ, et consequenter mensis lunaris, quo utebantur Hebrei. Itaque omnes res humanæ, omnes gentes, omnia imperia sub luna sunt, et reguntur a luna, id est a vicissitudine, mutabilitate, et quasi a fortuna. Sunt ergo lunatica, ac iustar lunæ, et cum luna cito decurrunt, transeunt, et finiuntur in novilunio, dum scilicet novus rex, novumque imperium assurgit.

Quocirca mulier illa cœlestis, *Apocal. xii, 1*, Ecclesiam et fideles repræsentans, lunam habet sub pedibus, quia fideles et sancti terra sunt altiores et luna, id est omni rerum temporalium mutabilitate, ac cum S. Paulo mentem et conversationem habent in cœlis.

CUM PARTIBUS SUIS. — Septuaginta, et *cleros eorum: cleros*, id est sortes, puta terras et agros, quæ sortito cuiilibet tribui et familiæ obvenerant, *Josue cap. xv*; unde Leo Hebreus vertit, *cum agris suis*.

8. CLANGITE BUCCINA IN GABAA, TUBA IN RAMA. — Vers. 8.

Buccina erat e cornu cornea: *tuba* ex aere aerea, subinde ex argento argentea, q. d. Adest hostis, imminet prælium, vel obsidio; ergo clangite et convocate populum ad arma, ut hosti resistat. Nota: *Gabaa* et *Rama* urbes erant celebres in tribu Benjamin, vicinæ, et in monte sitæ: unde et nomen acceperunt. *Rama* enim significat excelsum, *Gabaa* collem. Quocirca Septuaginta vertunt: *Clangite tuba super colles, resonate in excelsis.* Porro Benjamin Judæ adhæsit, fueruntque hæ duæ tribus unitæ sceptro et familiæ Davidis tempore Roboam, cum ab ea decem reliquæ tribus fecerunt schisma, electo rege Jeroboam. Hisce ergo post Israelem exitium denuntiat, explicat enim illud quod dixit: « Ruet etiam Judas cum eis, » q. d. O duæ tribus, ne putetis vos immunes fore a clade et excidio Israelis; quin potius tubis clangite: video enim in spiritu imminere bellum et excidium decem tribibus, quæ colunt idola in Bethel et Bethaven: video pariter quod, iis abductis, in vos quasi vicinos sese convertet hostis, vosque pariter vastabit et exscindet. Ita S. Hieronymus, Hugo, Lyranus, Ribera, a Castro et alii. Hac de causa cum dixisset: « Ululate in Bethaven, » quæ urbs erat decem tribuum, subdit: « Post tergum tuum Benjamin, » q. d. Post Bethaven, quæ tibi a tergo est, o Benjamin, te hostis quasi flamma proserpens pariter invadet et corripiet:

Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.

Aliam causam cur in Gabaa et Rama clangere ju-

beat, dat Chaldaeus dum vertit: *Buccinate, prophetate venturos contra eos populos interfactores, eo quod crearunt regem super se Saulem, qui erat de Gabaa Benjamin, etc., et eo quod minime suscepserint verba Samuelis prophetæ, qui erat de Ramatha.* Verum esto haec de Saule et Samuele vera sint, tamen remotiora sunt; nec de iis hic agitur, sed de præsenti idolatria, ob quam Israelitæ puniendi erant excidio ab Assyriis, et Judæi a Chaldaeis.

ULULATE. — Hebraice יְלֻלָּה *hariu*, id est vociferamini, conclamate, scilicet ad arma, eo quod hostis adsit. Unde Vatablus vertit, *clangite*; Septuaginta, *prædicate in domo* ἀντί, aut vociferamini, quasi de re jam desperata et conclamata, quod scilicet hostis jam expilet et incendat urbem, omnesque trucidet: tunc enim solet audiri clamor et ululatus puerorum et feminarum: et hoc videatur voluisse Noster, dum vertit, « *ululate.* » Ita Rupertus, Haymo et Albertus. Porro Septuaginta vertunt, *in domo* ἀντί, in quo Græci interpres se torquent; sed dico Septuaginta pro בֵּית אֹנוֹ בֵּית *beth aven*, per crasin legisse בֵּית אֹנוֹ *beth on*. Idem ergo est *Bethaven*, id est domus iniquitatis, puta idoli, quod *Bethon*, id est *domus doloris*; idolum enim et scelus hebraice vocantur *labor* et *dolor*, quia ejus est causa. Ex *Bethaven* ergo, id est ex domo peccati, itur in *Bethon*, id est in domum doloris, tum præsentis, tum æterni, puta in gehennam.

POST TERGUM TUUM BENJAMIN, — q. d. A tergo tibi instat et imminet hostis, o Benjamin; jam enim expugnat Bethaven, quæ tibi a tergo adiacet; ita Clarius, Vatablus et alii. Hebraice est, *post te Benjamin*, scilicet est hostis in Bethaven. Mirum Septuaginta vertere ἐξέστη, id est *mente excessit*, vel in mentis stuporem et extasin raptus est Benjamin.

Vers. 9. **9. IN DIE CORREPTIONIS** (punitionis, vindictæ et excidii). Refer haec verba tum ad id quod præcedit: « *Ephraim in desolatione erit.* » Ita Hebraeus, Chaldaeus, Septuaginta et Latina Romana, q. d. O quantum desolabitur Ephraim in die excidii! tum ad id quod sequitur): **IN TRIBUBUS ISRAEL OSTENDI FIDEM**, — q. d. In die excidii « *ostendi* », id est ostendam fideles et veras fuisse meas minas, quibus per Prophetas eis hoc excidium intentavi et prædixi; ostendam ergo eis meam fidem, id est veritatem seu fidelitatem: fiet enim excidium quod prædixi et comminatus sum. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Arias et Ribera. Alii tamen haec a sequentibus dirimunt, ac tantum ad id quod præcedit referunt. Unde id quod sequitur « *ostendi* », proprie accipiunt in præterito, q. d. Sæpius fideliter admonui decem tribus de excidio futuro, nisi resipiscerent: liberavi ergo fidem meam per fidelem admonitionem: ideo me accusare seque excusare non possunt, quod a me non fuerint præmonitæ. Hisce ergo verbis occludit eis os: fidem enim vocat sinceram, amicam

et fidelem præmonitionem. Ita Chaldaeus, Clarius, Vatablus et a Castro. Hic sensus appositus est magisque respondet dispunctioni Bibliorum Hebreworum, Chaldaeorum, Græcorum et Latinorum Romanorum.

10. FACTI SUNT PRINCIPES JUDA QUASI ASSUMEN- Vers. 10.
TES TERMINUM, — scilicet alienum, puta alieni agri et fundi, id est *transferentes*, ut vertunt Septuaginta ac Syrus, et promoventes terminum, id est lapidem, stipitem, vel columnam terminalem (quo agri proprii limitantur, et ab alienis dividuntur), scilicet ad hoc, ut eos, vel eorum partem suis agris et fundis adjungant: quod est peccatum iniquitatis et furti, vetitum lege Dei, Deuter. cap. xix, 18. Solebant enim veteres vel lapide in terram defosso, uti etiamnum fit, vel erecta columna, aut titulo fundos suos limitare, ut constaret quousque eorum fundus porrigitur, ne ab alio invadi aut occupari posset. Hic lapis limes, et signum dividens agrum ab agro, vocabatur terminus. Hinc Terminus Gentilibus erat deus, in cuius tutela credebat esse fines agrorum, cujus festa dicebantur Terminalia. Tales deos Terminos passim Romæ, quasi antiquitatis monumenta, in hortis magnatum asservari et exponi videmus. Jam sensus hic est multiplex. Primo, q. d. Principes Judæi transferunt terminos agrorum, et alienos agros invadunt, suisque contra jus et fas adjiciunt. Ita Chaldaeus, Arias et a Castro. Verum esto hoc alludat, et quasi obiter hoc eorum scelus perstringat, tamen omnia præcedentia et sequentia alio, scilicet ad idolatriam, spectant.

Secundo, S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Lyranus, Mariana et alii exponunt, q. d. Principes Judæi, ipsique Judæi gaudent decem tribus esse abductas ab Assyriis, ut ipsi suos terminos prorogare, eorumque terram occupare possint. Verum hoc parum credibile est et de Ezechia pio rege, sub quo decem tribus abductæ sunt. Rursum, esto id fecisset, licite fecisset: juste enim potuisset Judas, Israele abducto, ejus terram occupare: erat enim ejus proximus hæres, eique ut frater fratri succedere poterat et debebat. Tota enim Chananæa data erat a Deo Jacobo, et postoris ejus; unde si qui ex eis moriebantur, vel abducebantur, fratres in eorum possessiones succedebant. Denique obstat ratio prioris sententiae opposita.

Tertio, ergo melius sic exponemus, q. d. Principes Judæi similes sunt raptoribus, qui terminos suos transferunt, ut alienos invadant. Pari enim modo ipsi terminos fidei et cultus mei, meæque Ecclesiæ transferunt, voluntque sibi adjungere et copulare deos gentium, eorumque cultus, tempora et aras, ipsasque gentes et Synagogam infidelium. Ita Theophylactus, Theodoretus et Theodorus Antiochenus qui ait: « Transferunt terminos meos et jura, honorem, qui mihi debetur, in idola transferentes, more eorum qui contra

jus alienos terminos transferunt. » Hoc enim exigit vox *quasi* : hæc enim significat eos non esse proprie translatores terminorum ; sed tantum illis esse similes (1). Addit Ribera, q. d. Judæi non contenti adorare idola, quæ erant in Judæa, transierunt quoque in alienos terminos, ut in Bethaven, quæ erat decem tribuum, imo in Assyriam, ut earum idola colerent, templaque et aras victimis suis implerent, imo ut idola hæc ex Assyria traducerent in Judæam, ut fecit Achaz, IV Regum cap. xv, 10 et 18. Hunc sensum exposcunt sequentia, sequitur enim : « Quoniam cœpit abire post sordes, » id est idola. Et clarius vers. 13 : « Et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem. » Judæi enim, æque ac Israelitæ, pressi ab hostibus, ad vicinas gentes opem postulantates confugiebant; utque eam impetrarent, eis in fide et religione se sociabant, eorumque idola colebant, imo transferebant in Judæam : unde hæc passim redarguit Jeremias, Ezechiel, Osee hic, aliquie Prophetæ. Hac de causa Noster vertit, non *transferentes*, sed *assumentes terminum* : quia idola hæc gentium assumebant sibi Judæi, quasi deum suum tutorem et terminalem, qualis Romanis erat deus Terminus. Prophetæ enim minores loquuntur concise, ænigmatice, parabolice, ideoque obscuri sunt, quia paucis verbis multa significant, et ad multa alludunt.

Denique Arabicus Alexandrinus vertit : *Tanquam qui immutati sunt in funibus suis* : olim enim agros et fundos demetiebantur funibus; Arabicus vero Antiochenus : *Facti sunt principes Juda, tanquam qui dimissus est cum alis suis*. Videtur respicere ad id quod dictum est cap. iv, 19 : « Ligavit eum spiritus in alis suis. »

Tropologice, « *assumentes terminum* » in fide, sunt hæretici, qui transgredientes terminos religionis a Patribus sancitos, assumunt sibi quasi idolum hæresin Lutheri, Calvini, etc. In moribus vero, qui transgredientes justitiae aut charitatis terminos Decalogo sancitos, assumunt sibi concubinas, usurpant fundos, domos et prædia aliena. Rursum qui actionum suarum scopum et finem sibi præfigunt, non Dei honorem, sed suum; qui ambiunt dignitates et prælaturas; qui nomen et famam non in cœlis, sed in terris auctorantur; qui familias suas præter jus et fas evehere et extollere moliuntur.

SUPER EOS EFFUNDAM QUASI AQUAM IRAM MEAM, — q. d. « Hostium multitudine velut inundatione quadam fluminis (aut torrentis) occupabo eos, » ait S. Hieronymus et Theodoretus. Unde a Castro : « *Effundam*, ait, super eos quasi diluvium indignationem meam. » Videtur alludere ad diluvium Noe,

(1) Et revera *transferre terminum* proverbiali sermone dictum videtur de illis qui leges majorum, quibus homines in officio continentur, temere immutant (vide Deut. xix, 14; xxvii, 27; Proverb. xxxii, 28; cf. Psal. xi, 3), qui leges divinas impudentissime violent, et bona civium vi ac fraudibus ad se rapiunt.

quo Deus omnes impios obruit. Verum quia ait, « aquam, » non flumen, non torrentem, non diluvium; hinc secundo, simplicius cum Vatablo et Ribera accipiemus de aqua, quæ e vase everso et inverso tota effunditur, ita ut vix gutta hæreat aut restet; aqua enim tota est liquida et fluida, quia nihil habet glutinosum aut viscosum, quod vasi adhæreat, uti habent oleum, lac, mel, etc., quæ proinde si effundantur, sui partem vasi adhærentem relinquunt, q. d. Sicut aqua ex vase inverso universa simul effunditur, ita ego meum excandescientiam totumque furorem meum, simul et semel in eos effundam. Sic Christus, Psal. xxi, 15, ait : « Effusus sum sicut aqua, » q. d. Omnes vires, spiritus, et sanguinem effudi instar aquæ effusæ. Sic Israelite cincti a Philistæis, pœnitentes invocarunt Dominum : « Hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini, » quasi dicerent : Sumus coram te, Domine, ut aqua ista effusa; unde sequitur : « Atque dixerunt : Tibi peccavimus, Domine. » Quocirca Chaldaeus vertit : *Et impleverunt aquas, et effuderunt cor suum in pœnitentia*. Et S. Gregorius in illum locum : « Quid enim, ait, est aquam haurire, nisi de profunda animi pœnitentis confusione fluenta lacrymarum producere ? » etc.

11. **CALUMNIAM PATIENS EST EPHRAIM** (*Calumniam*. Hebræi vocant oppressionem, sive ab hoste, sive ab accusatore fiat, sive a quo alio, vim aut injuriam faciente; hanc enim significat πνυ osce, q. d. Israel opprimetur ab Assyriis inuste, utpote tyrannis, juste tamen respectu suorum scelerum, Deique justi vindicis : unde) **FRACTUS (est) JUDICIO**, — tum justo Dei, tum injusto Assyriorum. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo et Lyranus. Alludit ad judicium in quo quis per calumniam falsorum testium, aut injusti judicis oppressus, conculcatus, stratus, prostratus est. Sic enim hic quasi judex erat tyrannus Salmanasar, qui Israelitas inuste concussit, oppressit, spoliat, occidit. Judicium ergo hic est vindicta et supplicium per judicium quasi irrogatum, quod ex parte Dei erat justum justaque scelerum ultiō, ex parte Salmanasar injustum : ei enim non nocuerant Israelitæ.

Secundo, Vatablus *judicium* proprio accipit, q. d. Israel vi opprimetur et iniquis judiciis apud gentes, inter quas erit captivus. Sic enim fieri solet peregrinis, præsertim captivis. Cum ergo Israelitæ oppressi ab Assyriis judicio cum eis contenderent, suumque jus et res in eos repeterent, ab Assyrio judice quasi exteri et captivi repellebantur, et causa Assyrio oppressori adjudicabatur.

Tertio, Septuaginta censent hic denotari crimen Ephraim, ob quod Deus in eum iram effundere decrevit. Unde vertunt : *Oppressit Ephraim adversarium suum, conculcavit judicium; quia cœpit abire post vana, puta post idola. Inuria enim in*

Deum per idolatriam, est origo injuriæ, oppressionis et iniustiæ in proximum: sicut ex adverso qui fideles sunt Deo, fideles sunt et proximo. Nimurum pro ḥiyā asqec, id est calumniam patiens, Septuaginta alio puncto legerunt ḥiyā asqoc, id est opprimere, calumniam facere; sic pro ḥazā ratsots, id est fractus, legerunt aliis punctis ḥazā ratsots, id est frangere, hoc est oppressit, fregit: Hebræi enim infinitivis utuntur pro præterito.

QUONIAM COEPIT ABIRE POST SORDES, — id est post idola. Hæc enim Scriptura vocat sordes et stercore, quia sunt numina vilissima et putidissima, ut ea adducat in odium et contemptum. Secundo, Chaldæus vertit: *Quia abiit ut erraret post mammam iniquitatis*, q. d. Ideo Ephraim vim patitur et judicio opprimitur, quia ipse pari modo pro muneribus in judicio oppressit pauperes, insontesque damnavit. Tertio, Clarius, Arias, Vatablus et Pagninus vertunt: *Quia cœpit abire post præceptum*; sicque exponunt, q. d. Ephraim volens et ulti secutus est præceptum Jeroboam de adorandis vitulis, quos proinde adoravit. In Hebræo enim jam legitur ḥ tsau, id est præceptum. Verum aliter legerunt prisci, Septuaginta, Chaldaeus, S. Hieronymus et alii, nimurum ḥazā et eliso ḥ quiescenti, ḥ tso, id est sordes, stercore, puta idola. Hæc enim Septuaginta vocant *vana*.

Vers. 12. **12. ET EGO QUASI TINEA EPHRAIM** (q. d. Sensim per Assyrios carpam, corrodam, consumam et perdam decem tribus:) **ET QUASI PUTREDO** (hebraice ḥachā rachab, id est teredo (et sic aliqui hic legendum censem cum R. David: teredo enim respondeat tineæ, quæ præcessit), vel caries (hæc enim est putredo ossium et lignorum, quæ ea corredit et consumit) **DOMUI JUDA**, — q. d. Decem tribus per Assyrios consumam citius, uti tinea pannum, utpote mollem, cito exedit; duas vero tribus tardius, uti caries lignum, utpote durum, tardius erodit (1). Ita S. Hieronymus, Lyranus,

(1) Cum tinea vestes tacito morsu conficiat atque exedat, caries lignum morsu tacito ac lento corrodat et perdat, *tenta* Dei judicia hic describi interpretes plurimi autem. Sic post Bochartum, Rosenmüller, Ackermann: Prædictus Deus, inquit, utriusque regni Israëlitici et Judaici consumptionem lentam et intestinam, paulatimque exedentem, donec tandem computrescant per longam malorum seriem, qua lenta veluti quadam tabe essent conficienda. Complementum hujus cominationis passim in historia sacra legimus, si consideremus statum regni Israëlitici a Jeroboamo I usque ad hujus eversionem: se ipsos enim plurimi reges insidiosis et hostilibus conurationibus perdidérunt, donec tandem ab exterorum bellis sunt consumpti. Ita etiam lentis malis afflictum fuit regnum Judaicum, priusquam in captivitatem abducerentur Judæi, ut e libris *Regum* et *Paralipomenon* videre est.

Attamen, juxta Maurer, quæ subjiciuntur (cf. etiam *Psalm. xxxix*, 12) ostendunt, tertium comparationis in conditione desperata potius querendum esse, ut hoc dicat Jova: Quemadmodum certo perit quam tinea exedit

Vatablus. Porro Septuaginta, vertunt: *Ego quasi conturbatio Ephraim, et quasi stimulus domui Juda; Syrus: Ego ero quasi commotio Ephraim, et commotio domui Juda; Arabicus Antiochenus: Ego qui perturbavi Ephraim, et ego tanquam mordens domum Juda; Arabicus Alexandrinus: Et ego deturbabo Ephraim.* Ita et hodie Deum videmus, instar tineæ familias, urbes et provincias sceleratas sensim sine sensu corrodere, depauperare et consumere. Idem tropologice sentit fidelis, clericus, et religiosus in anima, dum peccat, aut in Dei obsequio suoque officio intepescit: nunc enim hanc gratiam, virtutem et fortitudinem, nunc illam, nunc aliam sibi auferri persentiscit.

Nota: Apposite Deum comparat tineæ et teredo, quia Israelem ejusque idolatriam vocavit sordes: tinea enim et teredo invadunt vestem aut lignum, non sanum et elimatum, sed vetustate, pulvere, aliisque sordibus obsitum, squallidum, et quasi emaciatum. Nam tineas ex pulvere, situ et putredine nasci docet experientia. Unde Plinius lib. XI, cap. xxxv: « Idem, ait, pulvis in lanis et veste tineas creat, præcipue si araneus una includatur; sitit enim, et omnem humorem absorbens, ariditatem ampliat. » Et Horatius, lib. II *Serm. satyr. III*:

Cui stragula vesi,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in area.

Hinc homini sordido tineas minatur *Martialis*, lib. II:

Non metuas mortem, Nevole, sed tineas.

Quocirca tropologice, tinea apte repræsentat voluntas est tinea, ob quantum toranologias. homines carni et voluptati deditos: hos enim ipsa voluptas quasi tinea consumit. Unde S. Gregorius explicans illud Job cap. IV, 19: « Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumuntur velut a tinea, » sic ait: « Tinea quippe damnum facit, et sonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integratatem quasi nescientes perdunt. Amittunt namque a corde innocentiam, ab ore veritatem, a carne continentiam, et per accessum temporis ab ætate vitam. » Sed id non sentiunt, « dum toto desiderio curis temporalibus implicantur. Quasi ergo a tinea consumuntur, quia sine sonitu culpæ morsum tollent, dum quanta detimenta vitæ et innocentiae patientur, ignorant. » Rursum tinea, ait idem Gregorius, lib. XVIII *Moral. xi*, « sibi domum corrumpendo ædificat, » ita gula et luxuria carnem in qua exoritur, corruptit. Insuper tinea charcas et pannos sine ullo cujusquam fructu, ac tandem seipsam consumit; itidem facit gula et luxu-

vestis, quod caries corredit lignum, sic ego Ephraimitis et Judæis vulnera infligo, quæ sanari a nemine possint, nisi a meipso. Cf. imprimis vers. 13, 14, et cap. vi, 1.

ria. Exstat hac de re elegans ænigma tinea :

Littera me pavit, nec quid sit littera novi.
In libris vixi, nec sum studiosior inde.
Exedi Musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.

Denique tinea clanculum rodens pannos, significat occultum Dei judicium, indeque occulta damna et strages, uti notat Pineda in locum Job citatum.

Vers. 13. 13. ET VIDIT EPHRAIM LANGUOREM SUUM. — Puta suum imperium infirmari, languescere, deficere, et ad occasum tendere.

ET JUDA VINCULUM SUUM (Hebraice מז'ור mazor, id est colligationem suam, hoc est plagam suam pannis obvolutam et obligatam. Significat plagam et cladem quam accepit Juda a Rasin rege Syriæ, et a Phacee rege Israel, qui multos Juðeos abduxerunt, IV Regum, cap. xv, 38, et cap. xvi, 5 et 6; ita S. Hieronymus, qui secundo addit, per vinculum hoc posse accipi colligationem et consociationem, qua Juda Israeli in idolatria et scelere fuit colligatus; aut polius conspirationem et conjurationem, qua Rasin et Phacee contra Achaz et Judam conjurarunt. Porro) EPHRAIM (ut hanc plagam suam sañaret) ABUIT AD ASSUR, — quasi ad medicum et chirurgum, hoc est, misit legatos ad regem Assyriorum, petens ab eo opem et protectionem. Id fecit Manahem rex Israel, mittens ad Phul regem Assur mille talenta argenti, ad hoc ut suum regnum confirmaret et protegeret, IV Reg. cap. xv, 19. Ita S. Hieronymus, Haymo et Hugo. Rursum id fecit Hosee ultimus rex Israel, qui se quasi vasallum subdidit Salmanasar, pendens ei annum tributum, ut sub ejus alis tuto et quiete viveret et regnaret, IV Regum, cap. xvii, 3. Ita Theophylactus et Arias.

ET MISIT AD REGEM ULTOREM. — « Misit, » scilicet Judas, ut solveret vinculum suum, de quo paulo ante dixit. Alterne enim Propheta hic loquitur de Israel et de Juda, ut patet ex antecedentibus et sequentibus. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo.

Rex ultor quis? Dionysius, Arias, Ribera et alii, qui sic expoununt: Judas, inquiunt, id est Achaz rex Judæ, pressus et quasi obsessus a Rasin rege Syriæ et Phacee rege Israel, misit legatos et munera opis petendæ causa ad Teglathphalasar regem Assur, IV Regum, cap. xvi, 7. Hunc ergo vocat Propheta « regem ultorem; » Aquila et Theodotion, *judicem*; Symmachus, ὑπερυψηλόν, id est *defensorem* (vindicare enim, vel ulcisci, apud veteres significabat *defendere*, et ita subinde capit in Scriptura, ut dixi Roman. cap. xii, 19), quia erat monarca potentissimus, ita ut ad eum quasi tutorem et vindicem omnes principes et reguli confugarent. Hebraice est בָּרְאֵב iareb, id est qui ulciscetur, id est ultor; Chaldæus, *ut adventaret ultum eos*; Septuaginta, Syrus, Arabicus, Vatablus, Pagninus, Arias et Clarius retinent Hebraicum iareb; sed falluntur in eo quod putent illud nomen esse

urbis Assyriæ in qua rex regnarit. Sic Gedeon a iareb dictus est Jerobaal, id est ultior vel vindicta Baal, eo quod destructo ab eo altari Baal, Joas pater ut eum contra vim vicinorum tueretur, dixerit: « Ulciscatur se de eo Baal, qui suffudit aram ejus, » Judie. cap. vi, 31. Videtur ergo al ludere ad Gedeon, æque ac ad Jeroboam; uterque enim fuit iareb, id est ultior, judex et vindicta Israelis; ille contra Madianitas, hic contra Roboam; ab eo enim oppressus Israel, misit ad Jeroboam, postulans eum libertatis suæ vindicem et principem, III Regum, cap. xii, 20.

Minus recte Chaldæus, Theodoretus et Lyranus per *regum ultorem* accipiunt Sua regem Ägypti, ad quem confugit Hosee rex Israel, pressus a Salmanasar, ideoque ab eodem cum toto regno captus et eversus est, IV Reg. cap. xvii, 4; hæc enim pertinent ad Juda, non ad Israel, ut dixi. Adde, Sua impotens erat, nec potuit Israëlitas tutari. Unde non recte vocatur *rex Iareb*, id est judex et vindicta.

Mystice aliqui, ait S. Hieronymus, per regem Iareb, id est ultorem, accipiunt Christum, qui peccatores salvare non poterit in die judicii, sicut scriptum est: « In inferno quis confitebitur tibi? » Allegorice, Theophylactus et Leo Castrius per *regem ultorem* accipiunt Romanos, quorum opem invocavit Hyrcanus pontifex et Judæi, sed ab eis per Titum excisi sunt; aut certe Julianum Apostatam, qui Christianis infessissimus, in eorum odium se fecit Judæorum vindicem, eisque templum restaurare aggressus est; sed frustra: Deus enim, immissio in fabri cam igne, opus consumpsit. Ita Socrates, lib. III, cap. xx.

14. QUONIAM EGO QUASI LEÆNA EPHRAIM, — q. d. Vers. 14. Rex ultior non poterit vos ab hoste liberare, quia Ira Dei comparatur leæna invadore, cur? ego Deus sum, qui hostes immitto et roboro, imo ego sum vester hostis, qui quasi leæna invadore Ephraim. Apte Dei vindicta comparatur leænæ: quia hæc fortissima est et ferocissima, præsertim cum peperit alitque catulos; ad quos, omnibus invitatis et frustra obsistentibus, prædam quam cepit et discerpsit, domum asportat. Docent physici, et ex eis Gesnerus in *Leone*, leonem tam esse ferum, ut ad retundendam ejus feritatem indita ei sit a natura febris quartana, qua jugiter laborat, quamque abstinentia superat. Hæc enim ei est medicina, cui horologium est famæ et venter. Hebraicum נִיר scachal significat bestiam quamvis trucem et efferatam, qualis est leo; Septuaginta vertunt, *pardalim*, quæ velocissima est et sævissima. Ita S. Hieronymus, qui addit: « Ut quidquid sævum in bestiis est, hoc in Dei indignatione cognoscas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius. In panthere velox per Assyrios regni Samariae significatur interitus, et in leone fortissimum contra Jerusalem et Judam aliquanto post tempore ostenditur regnum Chaldaeorum, etc., ut fiat (Deus) quasi panther, ver-

tatur in leonem, mutetur in bestias. » Unde subdit : « Ego , ego capiam et vadam : tollam, et non est qui eruat. »

Nota : Sicut vers. 12, Deum quasi tineam opusuit sordibus Israelis, ita hic apposite Deum quasi leænam opponit regi ulti, ad quem recurrebat Israel ; hoc enim fortior est leæna ; sic et Deus fortior erat Teglathphalasare. Symbolice, Deus in hac vita peccatores castigat leniter ut tinea, at in die judicii et in gehenna sæviet et lacerabit eos quasi leæna. Tunc horrendo sonitu in eos rugiet : « Ite , maledicti , in ignem æternum , qui paratus est diabolo et angelis ejus , » *Matth. xxv.*

ET QUASI CATULUS LEONIS DOMUI JUDA. — Hi enim catuli solent esse audaciores , utpote ignari periculorum et insidiarum : ac ferociores , utpote avidiores sanguinis , quem recens degustarunt, præsertim quia fervet et bullit in juventute sanguis. Quocirca Judas, aggrediens hostes, comparatur catulo leonis; quiescens vero, leoni, *Gen. cap. XLIX*, vers. 9 : « Catulus leonis Juda. Ad prædam , fili mi , ascendisti : requiescens accubuisti ut leo. » Justi quoque confidentia comparatur catulo leonis, *Prov. cap. XXVIII*, 1 : « Fugit impius nemine persequente : justus autem quasi leo (hebraice כְּפִיר kephir, id est leunculus) confidens absque terrore erit. » Leunculus enim animosus est et sævus , quia jugiter ei latrat stomachus; ac fame , æque ac specie et forma , orisque rictu et rugitu , videtur esse quasi latrator Anubis, præsertim cum grandescit, fitque leo.

Vers. 15. 15. VADENS REVERTAR AD LOCUM MEUM. — Uti solent leænæ, laniata fera raptaque præda, in speluncam reverti , eamque ibi cum catulis devorare : ita ego per Assyrios et Chaldæos tam Israëlitæ quam Judæos prædabor, eosque in captivitatem abducam , ibique eos servitute , tributis et oneribus consumam et quasi devorabo. Ita Haymo , Arias et Vatablus. Chaldæus vertit : *Ausseram majestatem meam , et in locum sanctitatis meæ revertar, qui est in cœlis, donec norint se peccasse , q. d. Deseram Judæos cum templo , et*

quasi oblitus eorum tradensque eos hostibus, abibo in cœlum : hic enim est locus solii et gloriæ Dei , ex quo eminus spectat reorum carceres et supplicia. Ita S. Cyrillus, Hieronymus , Theodoreetus et alii. Vatablus hæc refert ad cap. sequens, hicque inchoat cap. vi; cum eo enim cohaerent, eoque spectant, uti mox patebit.

DONEC DEFICIATIS. — Hebraice נָשַׁא נָשָׁא יְהֹוָה ad iessemu , id est donec peccatum suum et culpam agnoscent. Ita Chaldæus, Vatablus, Clarius, Arias et alii; נָשָׁא ascam enim peccare et peccatum significat. Verum ascam subinde ponitur pro נָשָׁא scamam , id est desolavit; ordines enim verborum imperfectorum sæpe apud Hebræos inter se commutantur , v. g. defectiva *Pe aleph*, quale est *ascam*, commutantur cum duplicantibus secundam , quale est *sçamam*. Unde Septuaginta vertunt, donec dispereant; Noster , donec deficiatis. Hic sensus priori subservit, eumque antecedit. Judæi enim per cladem et excidium excitati peccata sua agnoverunt, et pœnitentes ad Deum redierunt, uti patet ex libro Baruch. Huc enim tendunt plagæ omnes a Deo in urbes, gentes, familias et homines immissæ , ut scilicet iis sternat eorum superbiam , utque cor concupiscentiis obstructum et obduratum aperiat, cruciet et sauciet, quo afflicti sua scelera Deumque vindicem agnoscent, ad eumque pœnitentes recurrent; cum videant non esse alium qui plagas hasce depellere , malisque tantis succurrere possit, juxta illud *Psalm. xv*: « Multiplicatæ sunt infirmitates eorum , postea acceleraverunt. » Dum ergo flagellaris a Deo , non ad Assyrios , id est non ad principes et potentes , qui te e manibus Dei eripere non possunt, sed ad Deum ipsum cum Davide et Ninivitis recurre , ac supplex dicito : « Miserere mei , Deus , secundum magnam misericordiam tuam. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. » Ita mulcebis iram Dei , ac flagellum ex manibus irati extorquebis , pristinumque ejus favorem , gratiam et opem tibi conciliabis et restitues.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Promittit afflictis Christum redemptorem , qui eos vivificabit tertia die , quiq[ue] orietur quasi diluulum et quasi imber temporaneus et serotinus. Inde , vers. 4, reddit ad sua tempora , et accusat duritiem Ephraim , quod eum per Prophetas dolare voluerit , sed ipse omnes dolabras respuerit : item immisericordiam , cum Deus misericordiam velit , non sacrificium. Denique , vers. 8, invehitur in Galaaditas , qui cultores Dei euntes in Jerusalem in via occidebant (1).

1. In tribulatione sua mane consurgent ad me : venite , et revertamur ad Dominum,

(1) Loquentes jam inducuntur Israëlitæ ut ad meliorem frugem revertantur sese invicem cohortantes.

PRIMO igitur , docet , quodnam consilium capturi sint Israëlitæ tribulationum stimulis compuncti , scilicet ,

2. quia ipse cepit, et sanabit nos : percutiet, et curabit nos. 3. Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum : quasi diluculum præparatus est egressus est, et veniet quasi imber nobis temporaneus, et serotinus terræ. 4. Quid faciam tibi, Ephraim ? quid faciam tibi, Juda ? misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens. 5. Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei : et judicia tua quasi lux egredientur. 6. Quia misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei, plusquam holocausta. 7. Ipsa autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt in me. 8. Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine. 9. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem : quia scelus operati sunt. 10. In domo Israel vidi horrendum : ibi fornicationes Ephraim ; contaminatus est Israel . 11. Sed et Juda pone messem tibi, cum convertero captivitatem populi mei.

Vers. 1.

1. IN TRIBULATIONE SUA CONSURGENT AD ME. — Hæc pertinent ad finem capitis quinti, unde eo hæc referunt Hebræi, Chaldeus et Pagninus, et caput sextum inchoant ab illis verbis : « Venite, et revertamur ad Dominum. » Vatablus vero caput sextum inchoat a vers. ult. cap. v, uti ibi dixi. Sed eodem omnia recidunt, indicantque initium hujus capitii connexum esse cum fine cap. præcedentis, hoc modo et hoc sensu : Revertar ad locum meum, ait Dominus, donec tribulatione afflicti et deficientes Israelitæ culpam suam agnoscant, et quærant faciem meam. Cum enim fuerint in tribulatione, mane consurgent ad me. Hinc patet tribulationem hic intelligi tum eam quam passi sunt Israelitæ in captivitate Assyriaca, tum eam quam passi sunt Judæi in captivitate Babylonica. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus et Theophylactus; utramque enim utrisque comminatus est cap. præced. vers. 5, dicens : « Israel et Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Judas cum eis; » et vers. 12 : « Ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda. » Unde ejus remedium quærerent tam Israel, quam Juda, « abiit ad regem ultorem, et ipse, inquit Prophetæ, non poterit sanare vos; » quocirca opem humanam ab iis desperantes, in tribulatione recurrentis ad me Deum vestrum, ut hic dicitur.

primo, tempus, consilium, incitationem ad pœnitentiam suscipiendam, 1; *secundo*, motiva desumpta tum ex reparatione damni et mali, 2; tum ex proventu honorum ex Christi resurrectione nascentium, 3.

SECUNDO, finita denuntiatione, Deum favore suo non prosecuturum esse Hebreos donec se eos agnoscant, atque resipiscant, iterum ad abruptam redargutionem. Queritur igitur Deus, quasi deliberando de meritis Israelis et Judæi, de defectibus pœnitentiæ ab utroque susceptæ, qui sunt : *primo*, levitas et inconstantia resipiscentiæ, licet a Deo omniratione procuratae, 4, 5; *secundo*, minor misericordia ac obedientiae cura, quam cæremoniarum, 6; *tertio*, violatio foederis cum Deo initi, 7; *quarto*, vis et insidiæ contra veros Dei cultores exercitæ, 8, 9; *quinto*, fornicatio spiritualis seu idolatria, 10.

TERTIO, prædicti, ubi legitimam scelerum pœnam Israelitæ persolverint, Judam etiam facinorum suorum pœnam daturum esse, 11.

Aliter Arias, qui per *tribulationem* accipit captivitatem Judæorum, quam passi sunt a Tito et Romanis. Verum illius nulla cap. præced. facta est mentio : nec in illa Judæi conversi sunt sincere ad Dominum, nec Deus tercia die illos vivificavit : quin potius eos excidit et internecione delevit.

MANE, — id est cito, mature, festine petentes a me ut eos tribulatione liberem; puta mane hoc symbolicum fuit, cum transacta nocte captivitatis, impletisque ejus septuaginta annis a Deo decreta, Judæi, excitante eos in spem Daniele, Esdra, Aggæo aliisque Prophetis, ad vicinam sub Cyro liberationem anhelantes, supplices a Deo eam postularunt et impetrarunt : mane enim et aurora Judæis captivis fuit spes vicinæ liberationis, mox expletis 70 annis præstandæ per Cyrum.

Mystice S. Hieronymus : « Mane, » inquit, id est cum ortum fuerit eis lumen pœnitentiæ per faciem fidei. Allegorice Lyranus : « Mane, » ait, id est in prædicatione Joannis Baptistæ, qui quasi lucifer et aurora præivit Christum solem justitiæ, exhortans homines ad pœnitentiam, ut per eam illos ad Christi gratiam et justitiam præpararet. Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion*. cap. XLIII, hæc accipit de mulieribus piis, quæ afflictæ ob mortem Christi, venerunt mane ad monumentum ut eum ungerent; unde meruerunt primæ videre eum resurgentem, qui mire eas consolatus est. Verum hic sensus est accommodatius.

VENITE (subaudi, dicentes, et se invicem adhortantes), ET REVERTAMUR AD DOMINUM, QUIA IPSE CEPIT. — Hebraice תָּרַפְתָּ taraph, id est rapuit, vel abripuit nos, q. d. Non Salmanasar, non Nabuchodonosor, sed Deus vindicta fuit, qui ob sceleram nostra, per Salmanasar et Nabuchodonosor nos vincitos abripuit in Assyriam et Babylonem : unde ipse solus potest nos liberare, et plagam hanc sanare, uti se sanaturum promisit, ideoque brevi reipsa sanabit. Respicit ad illud quod dixit cap. præced. vers. 14 : « Ego quasi leæna Ephraim, ego capiam et vadam; tollam, et non est qui eruat; » et vers. 13 : « Ipse (rex ulti, puta Assyrius) non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis

vinculum, » sed ego solus qui illud vobis induxi; unde subdit :

PERCUTIET, ET CURABIT NOS. — Hebraice יְחַבֵּשׁ נָאךְ, id est obligabit nos, puta fasciis vulnera nostra alligabit, itaque curabit. Unde Septuaginta vertunt, μοτώσαι : μότα enim, ait S. Hieronymus, appellantur linteola quæ inseruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant, et extrahant purulentias; artisque medicorum est grandia vulnera longo sanare tempore, et per dolorem reddere sanitatem. Percutit ergo nos Dominus, et curat nos; quia quem diligit corripit, et non solum curat, sed et vivificat post duos dies. » Sic et Isagoge Galeno adscripta, ubi μότος dicitur esse quadruplex : τριπτός, id est tortilis; ξιτός, id est rasilis, quod de rasa linteorum materia formaretur: τιτάν, id est concerptilis, a concerptu velli-catuque materiæ: ἐλλυχνιωτός, quod ex ellychnio conflaretur. Interpres Bibliorum Regiorum μοτώσαι vertit, turbabit nos; quia chirurgus ut vulnus euret et pus eximat, penicillo illud expurget, turbet et radat oportet; ut deinde μότον, sive ellychnium sanans inserat. Eleganter S. Augustinus in Psalm. L: « Illa, ait, est vox Domini: Ego percutiam, et ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc medici, secant, percutiunt et sanant: armant se ut feriant, ferrum gestant et curare veniunt. »

Moraliter, disce hic tribulationem esse telum tri-Dei, quo Deus homines a se fugientes et abeuntes in ruinam, ad se et ad salutem revocat. Tribulatio est telum Dei, enim hoc telo confixi, prostrati et humiliati, poscunt a Deo veniam; qui mox supplicibus parturit, eosque ulnis maternis amplectitur. Hoc est quod ait Psalmista: « Sagittæ tuæ infixa sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam, » Psalm. XXXVII, 3. Ita S. Augustinus in Psalm. XXI, serm. 2, docet Deum esse medicum, qui tribulatione quasi medicamento curat vitia nostra: « Sub medicamento, inquit, positus ureris, se-caris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem. » Et lib. I De Verbis Domini, serm. 18: « Bibe, ait, amarum calicem; tu enim tibi fecisti. Praecepta illa mea quæ sano data sunt tam dulcia, tam levia, contempta sunt: cœpisti laborare, sanari non potes, nisi amarum bibas calicem tentationum, tribulationum, angustiarum et passionum. Bibe ut vivas. Et ne responderet ei languidus: Non possum, non fero, non bibo: prior biberit medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo quod ille non biberit? Si contumelia, prior audivit cum dæmones expelleret: In Beelzebub ejicit dæmonia. Si dolores amari sunt, ligatus, et flagellatus, et crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius quam mors crucis. » Idem, sermone 3 De Machabæis: « Totus mundus fornax aurificis

est. Ibi justus tanquam aurum, impil tanquam palea. Ibi tribulatio sicut ignis, ibi Deus sicut aurifex. Pius Deum laudat, aurum rutilat; impius Deum blasphemat, palea fumat; iste purgatur, ille vastatur eodem igne; Deus in utroque laudatur. » Idem in Psalm. XL: « Patitur quis tribulationes, docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua. » Idem, lib. De Vera innocentia: « Cum Dominus permittit, aut facit ut aliqua tribulatione vexemur, etiam tunc misericors est: qui exercitans fidem, et differens adjutorium, non auxilium negat, sed desiderium movet. » Idem, epistola 87: « Res prospera donum est consolanis, res autem adversa donum est monentis Dei. » S. Gregorius, in Moral.: « Aurem cordis, inquit, tribulatio aperit, quam sæpe prosperitas hujus mundi claudit. » S. Chrysostomus, homil. 4 De Pœnitentia, tribulationem vocat aratrum: « Illo ergo, inquit, corda scindamus, ut si quæ dolosa herba, et improba cogitatio nobis inest, radicitus eam evellamus, ut puras pietatis seminibus terras exhibeamus. » Idem, hom. 4 De Divite et Paupere: « Nisi tentatio, inquit, nec corona; nisi certamina, nec bravia; nisi stadia, nec honores; nisi tribulatio, nec remissio; nisi hiems, nec aestas. Et hoc non tantum in hominibus, sed et in seminibus intueri licet. In his enim multam pluviam, multam nubium collisionem, multam glaciem fieri oportet, si vernans spica exsurgere debet. Cum ergo ingrui hiems animarum, seramus et nos in hac hieme, ut in æstate metamus. » Hic fuit sensus, hæc praxis Sanctorum omnium: Saræ, Tobiae cap. III, vers. 21: « Hoc pro certo habet omnis qui colit te, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; » Job, cap. V, 17: « Beatus homo qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat, et medetur: percutit, et manus ejus sanabunt; » Psaltis, Psalm. XV, 4: « Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt; » Salomonis, Proverb. cap. III, 11: « Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: et quasi pater in filio complacet sibi; » Jeremiac, cap. XXXI, 18: « Castigasti me, et eruditus sum quasi juvenculus indomitus; » Jonæ, cap. II, 8: « Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum; » Danielis, cap. XI, 35: « Et de eruditis ruent, ut conflentur, et elegantur, et dealbentur; » Zachariæ, cap. XIII, 9: « Uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum; » Malachicæ, cap. III, 2: « Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum: et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum. » Quin et Philo cum aliis Judæis apud Caïum Caligulam accusatus ab Appione, quod Cæsari divinos honores non tri-

bueret, ejectus ex aula, sociis Judeis respondit: « Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius; quia necesse est adesse divinum, ubi hummanum cessat auxilium. » Ita Eusebius, lib. II *Histor. cap. v.* Denique S. Bernardus in *Sententiis*: « Tribulatio, ait, tria confert: exercitium, ne virtus amoris, otii tempore frigescat; probationem, ut nostræ constantiæ fortitudo, ad exemplum hominibus innotescat; præmium, ut juxta tribulationis modum, immensum gloriæ pondus accipiat. » Subdit deinde totidem remedia. « Adversitati, ait, tria sunt opponenda: electorum agonies et angustiæ, quas patiuntur qui pie vivunt; redemptoris afflictiones et molestiæ, quas ei sævissimi principes intulerunt; dispositio moderatricis justitiæ, cuius altitudinem, quasi virgæ Joseph summitatem, non discutere, sed adorare debemus. »

Vers. 3.

3. VIVIFICABIT NOS POST DUOS DIES. — *Primo*, Hebrei sic exponunt, q. d. Post duos, id est paucos, dies, Deus liberabit nos Babylone, in qua captivi, afflicti, et quasi mortui, et, ut ait Ezechiel cap. xxxvii, quasi ossa arida in sepulcro degimus; liberans ergo nos ab hac morte civili, puta captivitate, « vivificabit nos, » ut videamur nobis resurgere in libertatem, quasi in novam vitam. Sicut enim servitus, carcer, mœror, sunt mors quædam civilis et moralis; ita libertas, lux et lætitia est vita moralis et civilis: « nec enim vivere, sed vigere et valere est vita, » ait Poeta. Verum id locum habet in solis Judæis, non in Israelitis: hi enim ex Assyria nunquam liberati sunt. De utrisque autem egit et agit Propheta. Adde Catholicos omnes hæc referre ad Christum. Fateor tamen ad liberationem Judæorum e Babylone per Cyrus hic alludi, eamque obiter et allusive perstringi. Loquitur enim Israelitis, quorum primus dies fuit tempus captivitatis Assyriacæ, et Judæis, quorum fuit secundus æque miser dies captivitatis Babylonicae: post quos successit tertius dies lætus et faustus redemptionis et liberationis, quam inchoavit Cyrus, perfecit Christus.

Secundo ergo, Patres et Interpretes orthodoxi omnes docent hic prædici Judæis et Israelitis adventum Christi redemptoris. Hunc enim eis in captivitate afflictis identidem ingerebant Esdras, Zorobabel, Aggæus, Zacharias, Jesus filius Jose-dec, aliqui sacerdotes et Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Sustinet, o Hebrei, modicum, sperate, invoke Deum: quia post duos dies, id est post breve tempus, ipse vos liberabit, inchoate per Cyrus, sed plene et perfecte per Christum (a Cyro enim ad Christum assurgere, et subito quasi avolare solent Prophetæ, ut dixi *Isaiæ cap. LXV, 8*), qui Abrahæ nobisque a tot sæculis promissus est salvator et redemptor. Ipse enim nos a peccato, morte et inferno liberabit, ac gratiæ, vitæ et cœlo restituet; itaque vivificabit nos vita sancta, cœlesti et divina. Sic duo dies sumuntur pro paucis et brevibus, *Numer. IX, 22*:

« Si vero biduo (id est paucum tempore) aut uno mense, vel longiori tempore fuisset (columna nubis) super tabernaculo. » Sic et cap. XI, 19; *Isaiæ cap. XVII, 6*, et alibi. Tempus ergo 591 annorum (tot enim fuerunt a captivitate Babylonica, usque ad nativitatem Christi) vocatur hic *duo dies*: quia Deo (et Prophetis in lumine Dei elevatis) respectu æternitatis suæ, et respectu æternæ et cœlestis salutis afferendæ per Christum, « mille anni sunt sicut dies hesterna quæ præteriit, » ut ait Psaltes, *Psalm. LXXXIX, 4*. Hinc eodem respectu et sensu ait de Christo Aggæus, cap. II, 7: « Adhuc unum modicum est, etc., et veniet desideratus cunctis gentibus. » Ita Cyrillus, Arias, Vatablus, a Castro et alii. Itaque tempus nativitatis et primi adventus Christi, puta tempus gratiæ, novi Testamenti et Christianismi, vocatur hic *dies tertia*, tum quia brevi erat adventura; tum quia plenam vitam, lætitiam, lucem, cumulumque (hunc enim significat ternarius) honorum omnium erat allatura; tum quia post primam diem legis naturæ, et secundam diem legis Mosaicæ, immediate quasi *tertia* erat successura; proprie vero post primam diem captivitatis Assyriacæ, et secundam captivitatis Babylonicae, quasi *tertia* erat hæc dies liberationis futura, ut paulo ante dixi; tum quia alludit hic Osee ad diem tertium quo Christus a morte resurrexit. Unde dico

Tertio, plane respicit hic Propheta ad resurrectionem Christi, quæ tertio die a passione ejus facta est, eamque hic significat et prophetat. Liberatio enim et redemptio Israelitarum et Judæorum, æque ac nostra, facta per Christum, completa et plane perfecta fuit in ejus resurrectione: hæc enim ejus fuit terminus et coronis. In ea ergo Christus plene nos vivificavit, tum quia in ea plene nos redemit et sanctificavit; tum quia ipsa nostræ resurrectionis est causa tam exemplaris, quam efficiens: unde in ea Christus nos secum quasi vivificavit, et suscitavit ad vitam beatam et immortalem. Unde Arabicus Antiochenus verit: *Sanabit nos post duos dies, et in tertia surges, et manebimus* (habitabimus) *in conspectu ejus, coram eo*; et Arabicus Alexandrinus: *Ipse est qui sanabit nos, et liberabit nos post duos dies, et in tertia stabimus vivi coram eo*. Hoc est quod ait Apostolus *Rom. cap. IV, 25*: « Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. » Et *Ephes. cap. II, 5*: « Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo (cujus gratia estis salvati), et conresuscitavit, et conserdere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. » Ex resurrectione enim Christi tam certam habemus fidem et spem nostræ resurrectionis, ac si jam cum ipso de facto resurrexissemus; vide ibi dicta. Ita hunc locum passim intelligunt Patres, qui ex hoc loco probant resurrectionem Christi et nostram, ut S. Hieronymus, Theodoreetus, Haymo, Hugo, Lyranus, Emmanuel, Mariana et alii hic; Origenes, homil. 5 in

Exod.; *Tertullianus*, lib. *Contra Marc.* cap. *XLIII*; *Cyprianus*, lib. *II Contra Judæos*, cap. *XXV*; *Lactantius*, lib. *IV*, *xix*; *Cyrillus Hierosolymitanus*, *Catech.* *14*; *Augustinus*, lib. *XVIII Civit.* *XXVIII*; *Ruffinus in Expos. Symbol.*; *Gregorius*, hom. *20 in Ezech.*; *Nyssenus*, lib. *De Cognitione Dei*, qui tres putant hæc dici in persona Sanctorum qui resurrexerunt cum Christo Hierosolymis, ibique multis apparuerunt, *Matth.* cap. *XXVII*, *53*. Idem docuerunt veteres Hebræi apud Galatinum, lib. *VIII*, cap. *XXII*. Et R. Moses in *Beresith rabba*, id est *Genesi magna*, explicans illud *Gen.* *XXII*: « Die autem tertio, elevatis oculis, vidi locum procul, » dicit: « Multæ sunt in S. Scriptura dierum trinitates, quarum una est resurrectio Messiae. » Unde illud *I Corinth.* cap. *xv, 4*: « Et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas. » Anselmus ibi, et *Dorotheus*, in *Vita Osee*, exponunt de hac Scriptura Osee; nec enim alibi dies tertius resurrectioni Christi prescribitur. Accedit *Isidorus Pelusianus*, qui lib. *II*, *epist. 112*, sic legit: « Tunc mors lugebit fortiore morte devicta. Sanabit nos post duos dies: in tertio resurgemus, ac vivemus cum eo; » atque explicat de resurrectione Christi, in qua et suam et nostram mortem ipse superavit et profligavit.

Porro hos tres dies ita consignant *Origenes* loco jam citato, *S. Augustinus* serm. *90 De Tempore*, et alii: *primum* diem numerant eum, quo passus et crucifixus est Christus; *secundum*, quo sepultus est et descendit ad inferos; *tertium*, quo resurrexit. Aliter *Ribera*: *Primus*, inquit, dies fuit decimala quarta luna, qua post celebrationem Paschæ et institutionem Eucharistiae, in horto orans captus est, patiquecepit Christus. *Secundus* est luna decimalia quinta, puta parasceve, qua passus et occisus est. *Tertius* est luna decimalia sexta, qua resurrexit. Verum sic sabbatum esse, luna decimalia sexta; hoc enim succedit lunæ *15*, sive parascevæ; cum tamen constet Christum non sabbato, sed Dominico die resurrexisse. Vide *Interpretes in Matth.* cap. *XII*, *40*.

Tertia Porro Christus resurrexit præcise tertio die, die Christus resurrexit variis de causis. *Prima* est, quia *Jonas* cap. *IX*, tribus diebus fuit in ventre ceti, et hoc facto porro sex tendit Christum tribus diebus fore in sepulcro, causas. ac tertio die resurrectum, ut ipse tertio die vivus e ventre ceti prodiit. Hanc causam dat Christus *Matth.* cap. *XII*, *40*. *Secunda*, quia Christus idipsum prædixerat *Joan.* cap. *II*, *19*: « Solvite, ait, templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. » *Tertia*, quia, si caro ejus diutius mansisset in sepulcro, fuisse corrupta. Hoc autem non decebat, juxta illud *Psalm.* *xv*, *10*: « Nec dabitis sanctum tuum videre corruptionem. » *Quarta*, ne videretur quis aliud resurrexisse. *Quinta*, quia Christus moriendo mortem destruxit; decebat ergo ut in morte diu non teneretur, sed mox quasi ejus domitor et triumphator gloriose resurgeret. *Sexta*, quia vita Christi hominis fuit di-

vina, et inter res omnes creatas nobilissima: decebat ergo eam, peracta redemptione et satisfactione nostra, illico restaurari, præserit quia divinitas semper, etiam in morte, mansit tam corpori, quam animæ Christi conjuncta. Quod enim semel assumpsit, hoc nunquam dimisit. Audi S. Leonem, serm. *1 De Resurrect.* : « Ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram tam mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum secundum diem, pars primi novissima, et pars tertii prima concurrit, et aliquantum spatio temporis decideret, et nihil dierum numero periret. » Et mox: « Tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut major ibi esset soporis similitudo, quam mortis. Quoniam Deitas, quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit. » *Moralis* causa fuit, ut doceret crucem et mortem fidelium brevem fore, et quasi triduum respectu beatæ æternitatis. Ergo quasi animat eos ad crucem et mortem, quod ex ea quasi ex sonno secum mox resurrecti sint ad vitam æternam.

Mystice, varii varie tres hosce dies annumerant. *Primo*, *S. Augustinus*, serm. *90 De Tempore*: « Tres, ait, dies non incongrue possumus dicere, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, quia et Pater dies est, et Filius dies est, et Spiritus Sanctus dies est, et hi tres, unus dies. » Vivificavit nos Pater, creando et dando naturam; Filius, redimendo et dando suum sanguinem; Spiritus Sanctus sanctificando et dando gratiam et justitiam. *Secundo*, *Fulgentius* apud *Albertum*, *primum* diem numerat, quo ab æterno a Deo Patre genitus est Filius; *secundum*, quo in tempore ex Virgine natus est homo; *tertium*, quo e sepulcro resurrexit. *Tertio*, alii: *Primus*, inquiunt, dies est nativitatis Christi; *secundus*, passionis; *tertius*, resurrectionis. *Quarto*, *Lyranus* et R. *Salomon*, per tres dies tria tempora eorumque tempora accipit: *Primus*, inquit, dies fuit tempus templi Salomonici, cui successit nox captivitatis Babylonicae; *secundus* templi Zorobabelis, cui successit nox excidii Titi et Romanorum; *tertius* templi Christi, id est Ecclesiæ semper duraturæ.

Tropologice *S. Bernardus*: Tres dies, ait, significant triplicem vitam: *primam* naturæ et cul-pæ, puta peccati originalis; *secundam* gratiæ; *tertiam* gloriæ; nam serm. *72 in Cant.* explicans illud *Cant.* *II*: « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinetur umbræ, » sic in fine ait: « Cum igitur duo in nobis præcedant dies, unus quidem inspirans pro corporis vita, alter vero respirans in sanctificationis gratia, porro tertius supersit in resurrectionis gloria; claret profecto aliquando implendum in corpore quod præcessit in capite, magnum utique pietatis sacramentum, et Prophetæ testimonium, qui ait: Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus

Mystice
tres dies
q. i?

Tropolo-gie.

in conspectu ejus. » Et fusius, serm. 2 *in Vigilia Nativit.*: « Tres, ait, dies sunt de quibus legimus : Vivificabit nos post duos dies, in die tertia resuscitabit nos : unus sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo. Unde et ibi subditur : Sciemus sequemurque ut cognoscamus Dominum. Et hic dicitur : Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. His enim dicitur, qui dimidiaverunt dies suos, in quibus perit dies in qua nati sunt, quae est dies Adæ, dies peccati, cui Jeremias quoque maledicebat : Maledicta dies in qua natus sum ; omnes enim in illa nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ et caliginis, dies tenebrarum et turbinis, quam nobis fecit Adam ! » Deinde agens de secundo die gratiæ Christi : « Ecce, ait, illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea ; quia cras egrediemur. Unde, nisi de conclavi hujus sæculi, de ergastulo hujus corporis, de competitibus necessitatis, curiositatis, vanitatis, voluptatis. Quid enim spiritui nostro cum terrenis, etc. Agite diem istum in Christo, ut ambuletis sicut et ipse ambulavit. » Tertium deinde explicans ait : « O Juda et Jerusalem, nolite timere, cras egrediemini, id est quam cito a corpore exierit anima, omnes simul affectiones, omnia desideria, quibus per universum interim mundum dispersa et ligata tenebatur, dissolventur, et egreditur de visco hoc, et Dominus erit vobiscum, » etc. Idem rursus, serm. 5 inter parvos : « Vivificabit, ait, nos post duos dies, scilicet cognitionis et conversionis ; in die tertia suscitabit nos voce Verbi incarnati per primam suam resurrectionem ; et vivemus in conspectu ejus vivificati per passionem, serenius illuminati per miraculorum cognitionem ; sequemurque ut cognoscamus Dominum, instructi per doctrinæ conversationem. »

Anagogice S. Hieronymus, quem sequuntur Albertus, Hugo et Clarius, putat hic notari tres Christi adventus : *primum* « in humilitate, » cum natus est homo ; *secundum* « in gloria, » cum surrexit ; *tertium* « in habitu judicantis ; » itaque dies tertia erit dies judicii et resurrectionis universalis, qua Sancti resurgent ad vitam et gloriam æternam. Unde Chaldæus vertit : *Vita donabit nos in diebus consolationis qui venturi sunt, et in die resurrectionis mortuorum suscitabit nos, et vivemus cum eo.*

IN DIE TERTIA SUSCITABIT NOS. — Explicat quod dixit « post duos dies ; » hoc enim idem est quod *die tertia*. Unde Lactantius loco jam citato. « Vivificabit, inquit, nos post biduum die tertio. » Sic et Tertullianus, Theodoretus, Clarius, Arias et a Castro hic, et S. Gregorius ac Origenes superius citati. Quis sit hic dies tertius, jam dixi. Pro *suscitabit* hebraice est קִימְנוּ *iekimenu*; quod Hebrei et Chaldæus vertunt, *stare faciet, fulciet,*

sustentabit nos. Sed alii passim vertunt, *suscitatibus nos* ; sequitur enim, « et vivemus ; » et præcessit, « vivificabit nos. » Agitur ergo hic de suscitatione ad vitam, non de sustentatione in vita.

ET VIVEMUS IN CONSPPECTU EJUS. — *Primo*, Theodoretus, Theophylactus et Rupertus exponunt, q. d. « Vivemus, » scilicet vita gloriæ et beatitudinis, præsertim cum post generalem resurrectionem in corpore glorioso resurgemus ; tunc enim non tantum Deum oculis mentis videbimus facie ad faciem, sed et Christum oculis corporis. Verum quia sequitur : « Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum, » hinc melius hæc accipiemus de vita gratiæ, q. d. Vivemus in ejus (Dei et Christi) gratia et cura quam habet de nobis, imo in ejus conspectu ; videbimus enim eum facie ad faciem, et vicissim videbimur ab eo, ac proinde illi ut nos intuenti semper placere conabimur, itaque eum ejusque leges et doctrinam sequemur in sancta conversatione, ut in dies eum magis magisque cognoscamus, amemus, colamus, donec eum assequamur, et videamus facie ad faciem in cœlis. Ita S. Hieronymus, Albertus, Hugo, Lyranus, Arias, Vatablus, Ribera et a Castro. Ubi nota : *Tù in conspectu ejus tripliciter exponi potest : Primo, q. d. Viventes videbimus eum facie ad faciem, inquit Vatablus, puta Christum in carne natum.*

Secundo, q. d. Ita sancte vivemus, ut semper simus memores nos in ejus præsentia oculisque versari, ac proinde ei per omnia placere et obsequi studebimus ; quomodo Henoch, Noe aliqui viri sancti et perfecti dicuntur ambulasse cum Domino, Genes. cap. v, 22, et cap. vi, 9. Vide ibi dicta.

Tertio, q. d. Securi et felices vivemus in conspectu ejus, scientes eum jugiter nos intueri, curare, regere, tueri, qui antea cum viveremus in peccatis, oculos mentemque et curam a nobis averterat ; *tù enim in conspectu ejus opponit ei quod dixit cap. v, vers. ultimo : « Revertar ad locum meum donec deficiant, et querant faciem meam ; »* sive, ut ait Jeremias cap. vii, 15 : « Projiciam vos a facie mea, sicut projeci fratres vestros, universum semen Ephraim ; » *sicut enim Deus Cainum, Genes. cap. iv, 14, omnesque impios projicit a facie sua, ita ex adverso pios jugiter in oculis et mente habet. Quocirca id sibi suisque exposcens David orabat Psalm. cxxii, 2 : « Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ sue : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec ipse vicissim oculos suos benigne convertat ad nos, et « misereatur nostri. »* Sicut enim sol quæcumque luce sua, quasi oculo aspicit, ea illustrat, calefacit, vivificat, lætitificat, fecundat ; ita prorsus facit et Deus, qui est sol increatus et immensus. Hinc rursum Psaltes passim orat dicens : « Respice in me et miserere mei ; » respiciendo enim misereris et benefacis : « Ne avertas faciem

tuam a me : ne projicias me a facie tua ; ostende mihi faciem tuam ; faciem tuam, Domine, requiram. » Item : « Illustra faciem tuam super servum tuum, » *Psalm. xxx*, 17. « Dominus illuminet vultum suum super nos, » *Psalm. lxvi*, 2. « Faciem tuam illumina super servum tuum, » *Psalm. cxviii*, 135, q. d. Lucidam, id est serenam, lætam, hilarem, benignam, amicam et beneficam mihi faciem vultumque ostende, non atram, severam, tristem, iratam, minacem.

Quarto, « vivemus, » id est erimus vivaces, sani, vegeti, alacres, fortes, gloriosi. Hæc enim omnia complectitur vita, quasi mater et radix omnium : nam, ut ait Martialis, lib. IX, *epigram. LXIX* :

Non est vivere, sed valere, vita.

Et Seneca :

Mortis habet vices
Lentis quæ trahitur vita gemitus.

Hinc gloria Beatorum vocatur vita æterna.

QUASI DILUCULUM PRÆPARATUS EST EGRESSUS EJUS, — q. d. Christi nativitas et ortus quo e cœlo in terram nascendo et conversando egredietur, a Deo paratus est instar auroræ ; quia ut aurora depellet tenebras ignorantiae et peccati, ac Israëlitæ omnesque homines luce suæ doctrinæ et sanctæ vitæ collustrabit. Hoc est quod ait Apostolus, *Rom. cap. xiii* : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit. » Pro præparatus est hebraice est *נָחֹן nachon*, id est firmiter et certissimo præparatus, ac fixo Dei decreto confirmatus est, puta in Dei prædestinatione, adventus Christi. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Rupertus, Hugo, Lyranus et Vatablus.

Anagogice, Isidorus hæc accipit de gloria resurrectionis, qua Christus cœpit toti orbi velut aurora coruscare, suamque vim et fortitudinem exerere, juxta illud *Psalm. cix*, 3 : « Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, » q. d. Princeps eris, o Christe, in die, non humilitatis et crucis, sed in die virtutis, id est potentiae et regni tui, cum splendore, gloria et majestate sanctissima et sacratissima, quæ apparabit in tua divina resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram Patris, missione Spiritus Sancti, et conversione omnium gentium.

Nota : Christi ortus tum divinus, tum humanus, recte comparatur auroræ. *Primo*, quia, sicut aurora est prima diei lux, ita primum opus Dei Patris fuit generatio æterna Fili; per auroram ergo significatur ejus antiquitas et æternitas, juxta illud *Psalm. cix*, 3 : « Ex utero ante luciferum genui te ; » pari modo primum opus redemptionis nostræ fuit ejus generatio humana, sive incarnatione. Unde S. Augustinus, et Justinus *Contra Tryphon.*, illud : « Ex utero ante luciferum genui te, » sic exponunt: Quia, inquiunt, ex solo utero Virginis, sine viri semine, ante luciferi or-

tum, post medium noctem genitus et natus est Christus. Addit Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.* cap. ix : Sicut in diluculo apparent stellæ, sic in diluculo quo natus est Christus, stella nova magis apparuit, indicans eis Christi quasi auroræ ortum.

Secundo, sicut aurora solem tegit, et quasi Secunda. parit; ita caro Christi nascens tegebat ejus divinitatem, eamque nobis secum afferebat, et quasi pariebat.

Tertio, sicut aurora est lux exigua, quæ crescit Tertia. usque ad meridiem; ita et crevit Christus infans aetate, sapientia et gratia apud Deum et homines usque ad crucem.

Quarto, sicut in aurora producitur ros ex aere, Quarta.

qui herbas et plantas irrorat, vegetat et fecundat; ita et Christus ex cœlo per Virginem opera Spiritus Sancti prodiit, qui animas peccato mortuas sua gratia irrorans vivificat, et bonis operibus meritisque fecundat. Unde pro *ex utero ante luciferum genui te*, Hebræa, Symmachus, Aquila et Quinta Editio habent : *Ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ*; alii vertunt : *Ab aurora rorem genui te*.

Sic Isaías comparat Christi generationem rori, cap. XLV, 8, dicens : « Rorate, coeli desuper. » Vide ibi dicta. Rursum, ros adolescentiæ Hebræis idem est quod flos et decor adolescentiæ. Ros ergo primo, designat suavitatem, hilaritatem et dulcedinem Christi; secundo, ejus generationem cœlestem ex Virgine, sicut ros nascitur ex aurora virtute cœlesti, ait R. Hadarsan : unde ex Hebræo

verti potest : *Ex utero auroræ ros juventutis tuæ*; tertio, gratiarum copiam, quæ instar roris in Christum effusa est. Hinc Chaldæus vertit : *Misericordiæ Dei præsto erunt tibi tanquam ros, sedebunt confidenter nati tui*. Unde ex hoc loco probant Vatablus et Suarez, III part. tom. I, disp.

XVIII, sect. III, plenitudinem gratiæ animæ Christi infusam esse in utero, puta in primo conceptiōnis ejus instanti. Sic ergo Christus, genitus ut ros, fuit filius auroræ, id est Patris æterni qua Deus, et matris Virginis qua homo. Hinc sumpsit Trismegistus suum illud : « Deus cum maris et feminae vim haberet, peperit Verbum ; » atque ex eodem Lactantius, lib. IV, cap. XIII, docet quod Deus est ἀπάτωρ et ἀνάτωρ, ac proinde oportuisse ut bis nasceretur filius, in prima spirituali nativitate ἀπάτωρ, in secunda carnali ἀπάτωρ. Insuper, per

rorem significatur filium esse tam patri quam matri consubstantiale : ros enim ejusdem substantiæ est cum materia ex qua fit. Ita Molina, I part. *Quæst. XXVII*, art. 1, disp. II. Denique noster Maldonatus (cui favet Cajetanus et versio Chaldaei jam recitata) commentans in *Psalm. cix*, sic exponit : *Ex utero*, id est ex baptismo, *tibi*, o Christe, nascetur ros pueritæ, id est multitudo puerorum, vel ros adolescentiæ et juventutis, id est multitudo adolescentium et juvenum, puta fidelium et christianorum : ros enim in copia gignitur, totamque terram quasi operit : *est enim instar*

Christus
genitus
quasi
ros.

minutissimæ pluviae, sive stillarum, quæ frequentissime et creberrime cadunt. Rursum ros significat gratiam largam fidelibus hisce Christi filiis datam. Sensus ergo est, q. d. Generatio, progenies et posteritas tua, o Christe, non erit carnalis, sed spiritualis, eaque copiosa tum numero, tum gratia, qualis est roris.

Quinta. *Quinto*, sicut auroræ lux hominibus, qui cæcis longæ noctis tenebris fatigantur, optatissima est, gratissima et jucundissima; ita et hominibus sedentibus in tenebris et in umbra mortis exoptatissimus et faustissimus fuit Christi ortus. Hinc enim est illud quod ait Job, cap. xi, 17: « Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer. » Et S. Petrus Christum Christique Evangelium vocat luciferum, epist. II, cap. i, 19: « Donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. »

ET VENIET QUASI IMBER NOBIS TEMPORANEUS, ET SEROTINUS TERRÆ. — Imber temporaneus, vel tempestivus in Palæstina est, qui cadit in autumno jactis in terra seminibus, ut ea radices figant in terra, et germinare incipient; serotinus, qui cadit in vere, ut segetem incrasset, impinguet et maturet. Dicitur ille tempestivus, quia est sementis; hic serotinus, quia est segetis et messis. In Syria enim tota æstate vix pluit, sed sudi serenique sunt dies. Ita S. Hieronymus et Vatablus. Utrique Christum comparant Prophetæ; quia æque ut illi optatus advenit, terramque, id est hominum animas secundavit et vivificavit.

Vers. 4. *4. QUID FACIAM TIBI, EPHRAIM?* — « Parentis in perditos filios monstrat affectum, » ait S. Hieronymus, juxta illud Isai. v: « Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? » et Mich. vi: « Popule meus, quid feci tibi? » Redit hic Propheta ad sua tempora, ac mores incorrigibiles Hebræorum sui ævi, ob quos a Deo destinati sunt excidio, ut ait in sequentibus. Hic ergo ostendit ipsos suæ perditionis esse causam, non Deum, qui de ea dolet, eamque omnibus modis avertere conatus est, pulsando assidue animos eorum duros et rebelles per Prophetas, nunc minis, nunc promissis, nunc flagellis; ita ut ex parte sua omnia adhibuerit, quæ eos sanare, et ad salutem tam animæ quam corporis perducere poterant. Quocirca moraliter Dionysius Carthusianus: « Hæc, ait, possunt esse verba clementissimi Dei ad christianos peccatores, temporalia congregantes, et labiis tantum confitentes, vel aliis vitiis implicitos, quos Deus ad pœnitentiam indesinenter invitat, eorum damnationi vel compatiens. De quo dicit Apostolus, quod vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Hinc et S. Petrus, Epist. II, cap. iii, ait: Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Cui consonat Isaias cap. xxx: Propterea, inquit, exspectat Dominus ut misereatur vestri. Non ergo divitias bonitatis et longanimitatis ejus contemnamus. Mallet etiam

Christus animarum amator denuo crucifigi, quam sineret quempiam (quantum in se est) condemnari. » Hæc ergo voluntas in Deo sincera est, seria et, quantum est ex ejus parte, efficax; est ergo voluntas non signi tantum, ut quidam volunt, sed beneplaciti; alioqui enim ficte et simulate Deus ageret, dum invitat peccatores ad se tanto dolore et affectu, si eum tantum in ore et verbis haberet, non in mente et corde, quod cogitare est nefas, de quo plura cap. xi, 9.

MISERICORDIA VESTRA. — Hebræum חסֵד chesed significat pietatem et misericordiam, indeque sanctitatem; hujus enim signum et causa est misericordia. Unde *chasidim* vocantur viri misericordes et pii. Sensus est, q. d. Quid faciam vobis, o Hebræi? obstinati enim estis in vestris sceleribus, nec pia mea monita et inspirationes in mentem admittitis; licet enim aliquando aliqua pietatis et misericordiae in proximos egentes et miseros vos tangat cogitatio et sensus, tamen ista instar nubis et roris matutini, qui statim ad ortum et calorem solis evanescit, subito præterit et pertransit, q. d. Pietas et misericordia vestra inconstans est, instabilis et evanida. Ita Chaldæus, Rupertus, Lyranus, Vatablus et Arias. Secundo, alii hic accipiunt *misericordiam* Dei, non Judæorum, q. d. Ego Deus cuperem vestri, o Judæi, misereri, idque assidue et continuo; sed vos hanc meam voluntatem et misericordiam vestra nequitia dispeilitis, æque ac ventus subito dispellit nubes, et sol oriens subito sorbet rorem. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Hugo et Riberia. Priori sensui magis faveat id quod sequitur: « Misericordiam volo, et non sacrificium. »

5. PROPTER HOC DOLAVI IN PROPHETIS. — Pro **Vers. 5.** dolavi hebraice חצבתי chatsabti, id est excidi, succidi, occidi, ac tribuitur lignis et lapidibus, dum cæduntur ut dolentur et quadrentur; unde Septuaginta vertunt: *Propterea succidi* (Syrus, dilaceravi; Arabicus, messui) *Prophetas vestros*, quod S. Hieronymus, Haymo, Rupertus et Hugo expnunt de falsis prophetis, q. d. Occidi pseudoprophetas, qui vos a me et a pietate vera abducebant ad impietatem et superstitionem, ut qui causa erroris fuerunt prospera promittentes, interfecti verterentur in occasionem salutis, ait S. Hieronymus. Ita Deus per Eliam occidit 450 prophetas Baal, III Regum., cap. xviii. Leo Castrius vero, ut et Theophylactus, accipiunt veros Prophetas, sicque exponunt, q. d. Occidi, id est occisioni et neci certæ exposui meos Prophetas, dum eis jussi ut assidue vestram impietatem redarguerent; sciebam enim ideo illos a vobis occidendos. Aut, ut Vatablus et a Castro, q. d. Obtuli Prophetas meos, et quasi enecavi; nam eos fatigavi assiduis stimulis, adeo ut eos quasi ad necem redigerim; jugiter scilicet eos impellendo et pulsando, ut vos assidue monerent et pulsarent, nunc minis, nunc promissis.

Verum, quia Hebræa habent, in Prophetis, ita-

que veritatem Noster, Chaldaeus et alii; hinc melior et illustrior sensus erit, si hanc dolationem ad populum referamus. Unde S. Hieronymus, quem sequuntur Haymo, Albertus et Hugo, sic exponit: « Dolavi vos in Prophetis (id est per Prophetas), et verbis terribilibus comminatus sum; scalpellum, ignes et cauteria protuli, ut quem clementem contemnebatis, timeatis offensum. » Explicat et probat id quod dixit: « Quid faciam tibi, Ephraim? » tua enim pietas et misericordia levissima est, impietas solidissima et durissima instar marmoris et adamantis; propterea eam frangere et dedolare conatus sum per Prophetas, sed frustra; nam dum marmora isthac silice duriora sculpere nitor, hebetavi dolabras et scalpra mea; scilicet ministros et Prophetas meos; nam « occidi eos in verbis oris mei, » q. d. Continuis oraculis, monitis et jussis eos fatigavi et confeci; haec enim magno eis stabant; oportuit enim illos saepius cum sermone omnia bona et vitam ipsam simul exponere et profundere: sed obduruerunt marmora, caeli recusant, nihil profecimus tanto labore, tantis impendiis, nolunt effungi ad imaginem Dei homines ipsius figmenta. Similis est querela et pathos Dei per Jeremiam, cap. vi, 27: « Probatorem dedi te in populo meo robustum, etc., aes et ferrum; universi corrupti sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflagator: malitia enim eorum non sunt consumptae. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projectit illos. » Vide ibi dicta. Ita Hieronymus Prado in Ezech. cap. xxiv, 12, Emmanuel, Mariana et alii.

OCCIDI EOS IN VERBIS ORIS MEI. — S. Hieronymus hoc aequo ac praecedens refert ad Iudeos, q. d. « Occidi negligentes in verbis oris mei, ut ante peccatores verborum terrore punirem, quam captivitas immineret, » q. d. Occidi eos, non reipsa, sed verbis et minis. Melius et efficacius alii τὸ dolavi ad Iudeos, τὸ vero occidi ad Prophetas referunt. Ita Lyranus, Arias, a Castro et Prado jam citatus. Sensus est, quem paulo ante dedi.

ET JUDICIA TUA QUASI LUX EGREDIENTUR, — q. d. Dolavi et occidi vos ad hoc, ut « judicia, » id est justitiae vestrae, instar lucis oriorentur ac splenderent. Sicut enim sol per radios splendet, ita judicia et leges Dei per opera emicant, ait a Castro. **Secundo,** Vatablus, q. d. Res tuæ feliciter et prospero tibi cesserunt. Sicut enim tenebrae infausta, ita lux prospera et fausta significat, q. d. Propter Prophetas quibus te dolavi, cumulavi te beneficiis meis. Verum « judicia » non significant beneficia. **Tertio** ergo aptissime, q. d. « Et, » id est idcirco, « judicia tua, » id est condemnationis tua velut in luce clara videbitur, et apparebit omnibus esse justa, tuumque scelus esse inexcusabile, utpote obstinatum post tot Dei monita, dolaciones et verbera. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo, Lyranus, Arias et alii.

6. Quia MISERICORDIAM VOLUI, ET NON SACRIFI-

CIUM. — S. Hieronymus hic, et S. Chrysostomus, Hilarius et Euthymius, in Matth. cap. ix, 13, accipiunt misericordiam non hominum, sed Dei, quasi dicat: Jucundius mihi est misereri vestri, quam a vobis sacrificia recipere; magis delector vestra conversione et salute quam victimis. Favet Christus Matth. cap. xii, 7. Cum enim Pharisæi carperent Apostolos, quod sabbato vellerent spicas, ut fami suæ succurrerent, Christus eis hæc Osee verba objicit dicens: « Si autem sciretis quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes, » q. d. Si sciretis quanta sit Dei misericordia, sciretis pariter gratius ei esse, ad famem pauperum sublevandam, velli spicas in sabbato, quam sabbatum tam rigido ab operibus otio, cum tanta meorum fame observari. Verum sic non recte cohaerent hæc cum praecedentibus, quibus minatus est eis judicia; id est condemnationem; nec cum sequentibus: « et scientiam Dei plus quam holocausta. » Hæc enim scientia est hominum; ergo et misericordia. Adde non congrue misericordiam Dei cum victimis hominum comparari.

Melius ergo hæc accipiemus de misericordia, id est eleemosyna et beneficentia hominum in proximos egentes et miseros. Ita Chaldaeus, Theodoreetus, Theophylactus, Haymo, Albertus, Lyranus, Arias, Vatablus et Augustinus, X De Civit.; S. Cyprianus, lib. III Contra Iudeos, v, et alii, imo Christus Matth. cap. xii, 7. Sensus enim ejus est, q. d. Permisisti discipulos meos famentes sabbato vellere spicas, quia misereor eorum, cupioque ut fami suæ succurrant. Scio enim Deo gratiorem esse misericordiam quam otium sabbati, imo sacrificium: hoc ergo a me discite, mecumque misericordiam hanc in discipulos meos famentes induite et exercete, ut eos non accusetis ob sabbatum violatum, sed ob famem levatam excusatetis, eisque compatiamini

Nota primo: Vox *quia* dat causam praecedentium, præsertim eorum quæ dixit vers. 4, ubi accusavit eorum misericordiam, qua una scelera sua expiare, Deumque placare poterant, quod esset instabilis et fallax, eo quod mox in solitam immisericordiam et crudelitatem (idolatria enim crudelis est, aequo ac heresis) relaberentur, q. d. Commendavi vobis misericordiam, et immisericordiam accusavi, quia illa Deo gratissima est, hæc exosa et ingratissima; misericordiam enim Deus mavult et præfert sacrificio. Erant enim Iudei, uti immisericordes in proximos, ita misericordes et propensi ad sacrificia et oblationes externas, quasi in illis tota pietas Deique reconciliatio consistaret, putantes, si illa præstarent, omnia sibi fore secura, Deumque eorum scelera dissimulaturum, quem errorem eis hic Deus adimit, asserens contrarium, nimirum: « Misericordiam volo, et non sacrificium. » Et Christus Matth. cap. xxii, 23: « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum et

eyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem ! »

Nota secundo : Ex eo quod ait, « non sacrificium, » putarunt aliqui vetera sacrificia Deo non placuisse, imo ei exosa fuisse. Sed hic est error : erant enim ab eo instituta et præcepta toto Levitico, erantque actus religionis et latriæ Dei. Itaque *τὸν non sacrificium idem est quod quam sacrificium*, uti vertunt Septuaginta, Chaldeus et alii. Hebræi enim quia carent comparativo, hinc eum exprimunt per negationem ejus quod minus est. Itaque quod Hebræi dicunt, *misericordiam volo* (id est amo, cupio, diligo, opto ; hoc enim est hebræum γῆπ chaphats), *non sacrificium*, hoc Latini dicunt : Misericordiam malo quam sacrificium, vel misericordiam præopto, præeligo, præfero, præpono sacrificio. Unde S. Augustinus, lib. X *De Civitate*, cap. v : « Ubi scriptum est, inquit : Misericordiam volo magis quam sacrificium, nihil aliud quam sacrificium (mysticum misericordiæ) sacrificio (proprie dicto) prælatum oportet intelligi. »

Quæres, quomodo revera misericordia præstet sacrificio ? Respondeo et dico *primo* : Actus sacrificii, uti manat a religione et devotione interna, melior et nobilior est actu misericordiæ. Patet, quia ille Deum, hic hominem spectat ; ille est actus religionis et latriæ ; hic misericordiæ, quæ est virtus moralis : religio autem præstat omnibus virtutibus moralibus : est enim cultus ipsius Dei. Ita S. Thomas, II II, *Quæst. LXXXI*, art. 6.

Dico secundo : Misericordia tamen præstet sacrificio externo, quia illud in lege veteri secundum se, sive ex opere operato Deo non placebat, sed tantum ex devotione offerentium : misericordia autem per se placet Deo. Et hoc intendit hic Propheta ; Judæi enim immisericordes summam sanctitatem, pietatem et placationem Dei ponebant in externis hisce sacrificiis, quasi per se Deo placerent, eumque placarent victimæ ovium et boum. Hoc Deus hic reprehendit per Osee, uti per Isaiam cap. I, 11 : « Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum ? etc., quiescite agere perverse, etc., subvenite oppresso. » Et Jeremias cap. VII, 21 : « Holocausta vestra addite victimis vestris, et comedite carnes. Quia non sum locutus eum patribus vestris, et non præcepisti eis, etc., de verbo holocaustum et victimarum. » Et Psalm. XLIX, 13 : « Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? » Et Psalm. L, 18 : « Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. » Simili modo dicitur I Reg. cap. xv, 22 : « Melior est obedientia quam victimæ. » Et Psalm. L, 19 : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus. » Simili ergo modo vero dici posset : Charitatem, humilitatem, obedientiam, pénitentiam internam volo, non sacrificium, id est præfero sacrificio externo. Rursum, licet sacrificium nobilior sit ratione objecti, quod est honor Dei, tamen ratione

necessitatis sæpe nobilior est misericordia, ideoque præferenda, adeo ut tunc malum esset sacrificare, v. g. cum ægroto est ministrandum. Sic Christus reprehendit filios, dicentes parentibus egentibus *corban*, hoc est, munus illud Deo offerre præstat, quam dare tibi, o pater, Matth. cap. xv, 6. Sic S. Augustinus damnat parentes, qui bona sua dant monasterio, cum habeant filios indigentes, adeoque talium oblationes ipse refutare solebat, uti resert Possidonius in ejus Vita, cap. xxxiv. *Tertio*, quia misericordia sæpe imperatur a charitate, eamque includit ; constat autem actus charitatis nobiliores esse actibus religionis. Ubi nota per sacrificium hic omnem cultum externum, ut cultum sabbati, Matth. cap. XII, 7, intelligi ; per misericordiam vero, omnia opera charitatis et pietatis internæ ; hanc enim significat hebræum ἔσεδ chesed, idque patet ex eo quod subdit : « Et scientiam Dei plus quam holocaustum. » Unde Pineda, lib. VIII *De Rebus Salom.* cap. i, sic explicat : « Misericordiam, » id est animum bene erga me affectum, « volo, non sacrificium. » *Quarto*, misericordia præstet sacrificio, si misericordia referatur ad cultum Dei, et imperetur a virtute religionis ; tunc enim sunt duo actus, unus elicitus a misericordia, alter imperatus a religione, qui duo præstant uni religionis et sacrificii.

Moraliter, disce hic quanta sit excellentia misericordiæ, quamque ea grata sit Deo, qui eam præfert suis sacrificiis. Ratio est, quia ipse est virtus divina et propria Deo ; summum enim bonum summe est misericors et beneficium. Hinc ait Psaltes : « Miserationes ejus super omnia opera ejus ; » et Ecclesia orat : « Deus cuius proprium est misereri semper et parcere. » Praefert ergo Deus ea quæ per misericordiam homini conferuntur, iis quæ ipsi per sacrificium donantur, tum quia iis non indiget, iisque nihil honoris aut gloriæ ei accrescit ; tum quia plus querit hominis utilitatem quam suam, quod puri est amoris, quodque gloriosius est et summe magnanimum, planeque regium et divinum. Hinc B. Nazianzenus, orat. *De Cura pauperum* : « Esto, inquit, calamitoso Deus. » Et S. Cyprianus, tract. *De Oratione Dominica* : « Quando, ait, quis miseretur pauperis, Deo fœnerat ; et qui dat minimis, Deo donat, spiritualiter Deo suavitatis odorem sacrificat. » Neque enim, ait idem tract. *De Opere et Eleemosyna*, « promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit. » Unde inferius docet in fame misericordiam esse cibo præponendam, exemplo viduæ, quæ primo fecit panem Heliæ, deinde sibi et filiis, III Reg. cap. XVII : « Esurientibus, ait, liberis alter prius pascitur ; neque in penuria et fame cibus ante quam misericordia cogitatur. » S. Chrysostomus, homil. 36 *ad Popul.* : « Misericordia, ait, major est gratia, quam mortuos suscitare. Idem, hom. 51 in Matth., docet pluris esse misericor-

diam facere, quam tempula magnifica condere : « hoc enim templum (vivum, puta pauperum) illo (materiali) est multo præstantius ; » et *homil.* 23 : « Misericordia, ait, ars quædam liberalis est, in cœlis habens officinam, et non hominem, sed Deum magistrum possidet. Hæc nobis mansionem in cœlo ædificat, et æterna tabernacula præparat. » S. Augustinus, libro *De Eleemosyna* : « Hæc, ait, sunt hostiæ gratissimæ, misericordia, humilitas, confessio, pax et charitas. » Idem, lib. IX *De Civit. cap. v* : « Cicero, ait, in Cæsaris laude locutus est, dicens : Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior est misericordia. » Idem, serm. 34 *De Resurrectione Domini* : « Vide, ait, si non magnam Deus tibi dat misericordiæ mercedem. Si dimittis homini in quo te læsit homo hominem, et Deus tibi ignoscet in quo offendisti homo Deum. » Idem, tract. *De Avaritia et Luxuria* : « Ego, inquit, Dominus accepi, ego reddam. Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc. Terram accepi, cœlum dabo; temporalia accepi, æterna restitua m; panem accepi, panem dabo, sed cœlestem et æternum; hospitium accepi, domum dabo; æger visitatus sum, salutem dabo; in carcere visitatus sum, libertatem dabo, » etc. Idem, serm. 203 *De Tempore* : « Multa, ait, sunt genera miserationum, quæ cum facimus adjuvamur, ut dimittantur nobis nostra peccata; sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus quæ quisque peccavit. » Auctor serm. *ad Fratres in eremo*, serm. 5 : « Sola, ait, misericordia ad Deum dedit hominem, sola Deum dedit ad hominem, sola Deum humilians, nos sublimat. » Quocirca Josaphat rex apud Damascenum, in *Hist. xxxvi*, relicto regno, tendens ad vitam anachoreticam, Barachiæ, quem sibi in regno susbtituerat, valedicens, hoc ei prium dedit præceptum, non suum, sed Christi : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; » et rursum : « Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Hoc enim præceptum, inquit, potissimum ab eis exposcitur, qui in summo imperio constituti sunt, ut eum imitentur a quo potentiam acceperunt. Hac porro in re maxime quis Deum imitabitur, si misericordia nihil potius antiquiusque habeat. Huc accedit, quod subditos nihil æque ad benevolentiam alliciat, ut beneficij gratia egentibus concessa. »

S. Joannes, qui a misericordia, Eleemon, id est misericors, vel Eleemosynarius est dictus, omnes miseros juvabat, et vespere lacrymabatur, si nemo afflictus eo die opem ejus postulasset. Hinc ditatus a Deo est bonis tam temporalibus quam spiritualibus. Porro originem hujus sue virtutis ita ipse aliis enarrat apud Leontium : « Mihi, ait, cum essem quindecim annos natus et versarer in Cypro, quadam nocte puella quædam apparuit in somnis eximia pulchritudine, splendide vestita, et oleagina corona in capite redimita.

Cum vero prope me stetisset, et manu latus pugisset, me territum e somno excitat. Rogavi autem eam quænam esset, et unde veniret, et quomodo ausa esset accedere ad me dormientem. Illa autem subridenti et læto vultu me hilariiter et placide intuens : Sum, inquit, prima ex filiabus magni Regis. Si tu me tibi amicam paraveris, potero te ei efficere familiarem; nulli enim major est apud eum, quam mihi, fiducia, quoniam ei, ut e cœlo descenderet in terram, et carnem acciperet humanam, ego persuasi. Ego vero cum ad me rediisse, et id quod visum fuerat mente versarem, judicabam eam esse misericordiam; statim ergo surgens, ivi solus ad ecclesiam; et fio obviam pauperi, qui erat nudus, et valde affligebatur frigore. Ei, cum me mea veste exuissem, eum trado, apud me dicens : Sciam an sit verum et non deceptio, id quod a me est visum; et priusquam venissem in ecclesiam, ad me accedens vir quidam candidatus, tradit mihi auri centum nummos, qui mox evanuit. Tunc intellexi visionem non esse phantasiam, sed apertam visionem. » Unde ipse deinceps in misericordiæ opera ita se effudit, ut in iis fuerit exemplum et portentum orbis. Dicitabat autem se, cum quid erogaret, mox a Deo duplum, imo centuplum recipere. Proinde ejus hæc erant axiomatica :

« Non est justum ullius alterius rei curam nos gerere prius quam Christi. Ite ergo per urbem, et sigillatum describite dominos meos. » Cumque rogarent sui quos suos vocaret dominos ? « Quos vos, inquit, pauperes et mendicos soletis appellare, eos ego dominos meos et adjutores nomino. Nam ii soli mihi possunt opem ferre, ut a Christi regno non excidam. »

« Si nobis qui homines sumus, licet omnino ad Deum accedere absque ullo intercessore, et de quibus volumus eum rogare; quomodo non ipsi quoque nostris conservis portas aperuerimus, absque ullo impedimento ? et non cuilibet, cui est opus, benignam aurem præbuerimus ? » Scimus enim qua mensi fuerimus mensura, eadem nobis remetiendum.

Sophronius videns eum quadam die tristem, causam rogans, audivit : « Hodie miserandus Joannes non ab aliquo ullam accepit mercedem, neque ullum vel minimum piaculum potuit offerre Christo pro multis et magnis suis delictis. » Quid hoc minus illo Titi Imperatoris : « Hodie non regnavimus, quia neminem affecimus beneficio ? »

« Christus jubet dari cuivis petenti; si autem dicitis vos esse alicujus alterius, qui imperat ut examinetis vitam et statum mendicantium, sciatis quod neque Christus, neque humilius Joannes opus habet curiosis ministris. »

« Si nostra essent quæ dantur, et ea a nobis illata essent in mundum, forte aliqua venia danda esset ei qui parce uteretur. Si autem Dei sunt om-

Eius a-
tomata.
Primum.

Secun-

Tertium.

Quar-

Quin-

tum.

nia quæ sunt, ejus omnino jussum in iis quæ sunt ejus servare oportet. »

Sextum. **« Si subit vos timor ex incredulitate, ne forte multitudo impensarum supereret Ecclesiasticos redditus, ego ne tantillum sustinebo esse socius vestræ modicæ fidei. Persuasum enim habeo quod, etiamnum totus mundus veniret simul Alexandriam, egens beneficentia, hos Dei thesauros nequaquam in angustum redigeret. » Hæc omnia narrat Leontius in ejus Vita. Palladius in *Lausiae*, cap. cxv, narrat Eleemonem monachum adeo in omnes fuisse misericordem, ut etiam libros venderet, eorumque pretium mox in pauperes erogaret. Rogatus cur id faceret, dixit : « Qui possum meo persuadere magistro, me ejus artem accurate didicisse, nisi illo ipso usus fuero ad artem recte exercendam ? »**

Et cap. sequenti Bisarionem ab eadem virtute commendat, quod nudum pauperem vestiret suo habitu, ipse interim nudus; quin et Evangelium vendiderit ut pauperi subveniret, dicens : « Ut illic habeamus fiduciam, propter obedientiam vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat : Vende quæ habes, et da pauperibus. »

Et cap. cxviii, celebrat Melaniam Romanam, quod in totum orbem fuerit benefica; et Olympiadem neptem Abblavii præfecti, cap. cxliv, quod omnia sua in pauperes erogaret.

Denique ut alia omittam, vivum et ardens misericordiæ speculum, æque ac spiculum nobis est Christus Dominus, qui per viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto, ut nostris miseriis, quæ plurimæ erant et gravissimæ, subveniret. Quamobrem hæc ipsa tota in nos effudit, tum in incarnatione, tum in vita, tum in cruce, ut vere dixerit Isaías cap. lxxii, 4, de eo : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Vis ergo vivam misericordiæ effigiem? intuere Christum in cruce, ubi totus est miseria, quia totus est misericordia nostra. Nec tantum in cruce, sed et post mortem per omnia sæcula, imo in æternum totum se per misericordiam in suos effundit : « Se nascens enim dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium. » Nascendo enim curavit miserias nativitatis et vitæ nostræ, eas in se suscipiendo, moriendo curavit miserias peccatorum nostrorum, pro iis satisfaciendo; convescendo dandoque se in Eucharistia ad manducandum, curat singulorum infirmitates et passiones animæ, cibando eam almonia cœlesti; regnando curat miseriam mortis et mortalitatis, dando corpus suo conforme, puta immortale et gloriosum. Sane qui miserias infinitas animæ suæ, æque ac corporis clare perspicit, videtque eas per singula momenta a Christo curari novis et infinitis miserationibus, non potest non eos admirari, æmulari, in easque transformari, ut jugiter canat cum Psalte : « Misericordias Domini in æternum canabo. »

ET SCIENTIAM DEI PLUS QUAM HOLOCAUSTA. — Scientiam Dei practicam intellige, puta conjunctam cum interna Dei reverentia, pietate, charitate, misericordia. Opponit enim internam pietatem externæ, puta holocaustis. Unde sequitur hebræum חסֵד chesed hic non tantum misericordiam, sed quoslibet veræ et internæ pietatis actus denotare et comprehendere, uti superius dixi. Chesed enim proprie significat pietatem tum in Deum, tum in homines, puta pium et propensum affectum, benignitatem, beneficentiam, gratiam, charitatem, benevolentiam, gratitudinem, sanctitatem sive bonitatem. Inde enim חסִיד chasid, id est pius, vocatur vir bonus et sanctus, et chasida vocatur ciconia, avis pia in parentes, ideoque pietatis symbolum. Ita a Castro hic et Marinus, Forsterus, Pagninus et alii in *Lexicis*. Sic Jonæ cap. ii, 9, dicitur : « Qui custodiunt vanitates (idola) frustra, misericordiam suam (hebraice חסְדָם chasdám, id est pietatem suam erga Deum, et consequenter erga homines) derelinquent; » ubi chesed proprie significat Dei timorem et cultum.

7. IPSI AUTEM SICUT ADAM (primus parens in paradiso violans pactum cum Deo, ejusque conditionem et legem de non comedendo pomo vetito) TRANSGRESSI SUNT PACTUM, — q. d. Imitantur parentem suum, puta primum legis et pacti Dei prævaricatorem; ideoque sicut ille paradiso expulsus est, ita et ipsi terra sua quæ instar paradisi est, puta Judæa, expellentur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, Hugo et Lyranus. Addit Clarius : Sicut Adam non fame pressus, non concupiscentia incitatus, sed mera sua lubentia pomum vetitum comedit : ita hi peccant ex mera petulantia (1).

Secundo, Septuaginta τὸ Adam acceperunt ut nomen commune, non proprium, significans hominem; unde vertunt : *Ipsi vero sunt sicut homo prævaricans testamentum, vel fædus*. Sic et Vatablus et Clarius; sed hi duo cum Theodoreto vertunt in genitivo : *Ipsi autem transgressi sunt fædus meum sicut hominis*, id est ut fœdus ictum cum homine, q. d. Non pluris fecerunt fœdus mecum initum, quam si cum homine inivissent; unde ex levitate mox illud rescederunt et violarunt. Aut,

(1) Sic connectit hunc versum cum præcedentibus Arias Montanus : « Cæteras omnes criminis effugiendi vias utrique populo jam Deus intercluserat; unum autem eis reliquum erat, scilicet asylum quo se reciperent, unum per fugium, a quo etiam excluduntur; nam qui suam causam alia ratione defendere non valebant, in terræ, quam incolerent, sanctitate et dignitate salutis suæ præsidium collocabant; nimis asserentes terram, quæ ab ipsis colebatur, sanctam atque Deo gratam, ipsorum etiam majoribus promissam, desertam, et cultoribus suis vacuam relinqui posse non esse timendum.

חַשָּׁמָן scham, ibi, inquit Ackermann, est quasi digito monstrantis, ibi, in terra quam illis dederam, prævaricati sunt in me, sicut Adam in paradiso; ergo supplendum relinquitur auditoribus et lectoribus, e terra ipsis data, quamvis sancta pellendi sunt, sicut Adam e paradiso pulsus est.

ut Arias, q. d. Ipsi externis victimis me colunt, quasi cum hominibus agerent, qui non vident cor; falluntur, ego enim sum cardianostes, ideoque internam pietatem et misericordiam volo, non sacrificium.

IBI PRÆVARICATI SUNT IN ME. — Tò ibi quadrupliciter exponi potest. *Primo*, «ibi,» scilicet in Adamo, q. d. Ex eo tempore quo Adam peccavit, coeperunt prævaricari in me; insigniter ergo hanc Adæ prævaricationem imitati sunt, imo continuarunt; *Secondo*, «ibi,» scilicet in paradiſo, q. d. In terra sua, puta in Judæa, quæ amœna et fertilis erat instar paradiſi terrestris, in qua ego eos benigne collocaueram, uti Adamum in paradiſo, «ibi,» inquam, paradiſo hoc suo, meaque benignitate abusi et lascivientes recalcitrarunt. Ita S. Hieronymus, Chaldaeus et Vatablus. *Tertio*, «ibi,» scilicet in suo sacrificio et holocausto, quod vel idolis cum idololatria, vel mihi cum impia mente et conscientia scelerata offerunt. *Quarto* et genuine, «ibi,» scilicet in transgressione qua pactum meum transgressi sunt: sicut Adam «prævaricati sunt in me,» quia hoc pactum mecum, non cum angelo, non cum homine iniverunt.

8. GALAAD CIVITAS OPERANTUM (id est fabricantium, ornantium et colentium) **IDOLUM.** — Galaad erat mons celebris terræ sanctæ, ita dictus a fœdere inito inter Laban et Jacob, Genes. cap. xxxi, 48, qui cessit in sortem tribubus Ruben et Gad. Inde civitas in eo ædificata dicta est pariter Galaad, et ab altitudine Ramatha, ex qua ortus est Jepheth, Judic. cap. xi, 1, et Ramoth Galaad, in qua unctus fuit Jehu in regem, IV Reg. cap. ix, 1. Hæc erat civitas refugii, ut patet Josue cap. xxi, 36, et I Paral. cap. vi, 78; ideoque in ea erat multitudo sacerdotum. Quocirca ob urbis celebritatem idololatræ posuerant in ea sedem idololatriæ, templumque et aras idolis exædificabant, uti hic significat et taxat Propheta, q. d. Galaad, civitas sacerdotalis et sancta, facta est metropolis idololatriæ et iniquitatis, adeo ut ad eam tota composta factaque videatur. Ita S. Hieronymus. Chaldaeus vertit: *Galaad civitas vim inferentium*. Hebræum enim אַבָן aven significat iniquitatem, indeque violentiam, uti et idololatriam. Utraque enim insignis est iniquitas.

SUPPLANTATA SANGUINE, — q. d. Galaad supplantabitur, capietur et vastabitur ob sanguinem piorum Deum colentium; quem ipsa idololatra copiose et injuste effudit. Est emphasis in verbo *supplantata*, q. d. Ipsa supplantavit, et per dolos ac insidias dejecit Dei cultores; hinc ipsa pari modo supplantabitur, decipietur et dejicitur in ruinam. Unde Hebraice, est *supplantata a sanguine*; et ita latine legendum hic contendit Ribera. Ita reipsa factum est ut Galaad, quæ prima erat in scelere, prima pariter esset in clade et excidio. Nam quia Syris erat vicina, hinc prima expugnata est ab Assyriis tempore Phacee,

IV Regum, cap. xv, 29. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Ribera et alii.

Hinc secundo, pro *supplantata a sanguine*, Leo Hebræus vertit, *oppressa sanguine*; Hebræi et Pagninus, *fedata sanguine*; Chaldaeus, *dolose effundens sanguinem*; Lyranus, *insidiatrix sanguinis*, q. d. Galaad ita dedita fuit insidiis et cædibus piorum et innocentium, ut eorum sanguine quasi supplantata, oppressa et submersa videatur; natavit in sanguine alieno et innocentis, jam natabit in sanguine suo et innocentis.

Tertio, Septuaginta pro מִדְבָּר middam, legentes מִדְבָּר maim, vertunt, *perturbans aquas*, id est sannam doctrinam, uti faciunt idololatræ et hæretici, inquit Theodoreetus.

Allegorice *Galaad*, id est tumulus testimonii, est Jerusalem polluta sanguine Prophetarum, Christi et Apostolorum, aliorumque ejus testimoni, quos ipsa cum suis scribis et sacerdotibus occidit et tumulavit, uti eis objicit Christus, Matth. cap. xxiii, 29. Ita Leo Castrius ad litteram, ego allegorice.

ET QUASI FAUCES VIRORUM LATRONUM, — q. d. Galaaditæ habent fauces hiantes ad prædam instar latronum, imo luporum; sitiunt enim sanguinem et cædem innocentium. Sic de voraci famelico ait Silius, lib. III :

Immani fauces diducit hiatu.

Legit Interpres in hebræo חִכָּה chickæ, id est fauces, jara legunt alio puncto חַכָּה chackæ, id est exspectare, inhiare; unde vertunt: *Sicut latrones qui exspectant virum*, ut eum occidant vel spolient, puta qui prædæ inhiant. Ita R. David, Pagninus, Vatablus et alii. Alio casu et syntaxi, sed eodem redeunte sensu, vertit Chaldaeus: *Sicut observat vir latrunculos, consociati sunt ipsi et sacerdotes eorum*, q. d. Deicolæ, euntes ad templum in Jerusalem, ita timebant et cavebant Galaaditas eorumque sacerdotes, ut viator timet et cavet latrunculos.

Aliter Haymo et Albertus; per fauces enim metaphorice accipiunt strictos ingressus vallium aut collium, in quibus latere solent latrones, et insidiari viatoribus, eosque inopinantes repente aggredi. Sic enim vocantur fauces terræ, fauces portus, fauces scopuli, fauces Orci, de quibus Virgilius, VI Eneid. :

Vestibulum ante ipsum primisque in fauibus Orci.

Ita Græci pauci numero exspectarunt Xerxem cum innumeris copiis ad fauces Thermopylarum, ibique eum ceciderunt. Sic ergo sensus est, q. d. Galaaditæ insidebant fauces montium, ut euntes Hierosolymam caperent, spoliarent, occiderent. Unde Symmachus vertit: *Fauces tuæ quasi viri insidiatoris*.

Verum hebræum chickæ, fauces hominis, non terræ significat; a radice enim חַחָה chaka, id est exspectare, anhelare, inhiare, deducitur nomen חַחָה chec, id est palatum, gula, fauces, eo quod

cibo inhient; sunt enim ipsæ quasi os stomachi, scilicet interior pars gulæ, ubi os angustatur tenditque in stomachum, quam partem Græci et Latini *laryngem*, vel *pharyngem* vocant. Unde de ea Plinius, lib. XI, xxxvi: « Summum gulæ, inquit, fauces vocantur, extreum stomachus. » Ille enim fauces magis significant aviditatem inexplicabilem cædis et sanguinis, quam illæ montium et vallium. Sic Cæsar apud Lucanum, Pompeium comparat tigridi, quæ, assueta sanguini ferarum, semper eum sitit :

Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum,
Durat Magne sitis : nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.

Porro Septuaginta pro כְּחִיכָּה kechicke, aliis punctionis legentes כְּחַכְּבִּי kochachi, vertunt : *Fortitudo tua quasi viri piratæ*, q. d. Summa vi et fortitudine invadis transeuntes in Jerusalem, uti faciunt pirate; כְּחֹכֶם coach enim est vis, virtus et fortitudo.

PARTICIPS SACERDOTUM (puta Galaad, habens fauces latronum, particeps et socia fuit sacerdotum, qui in via interficiebant) PERGENTES DE SICHEM, — q. d. Galaaditæ fuerunt socii sacerdotum Bethel, puta idolorum et vitulorum aureorum, qui Deicolas euntes a Sichem in Jerusalem in Paschate, Pentecoste et Scenopegia, ut juxta legem Deum in templo adorarent, trucidabant vel per se, vel per submissos a se sicarios. Ita S. Hieronymus.

Hebræa jam ad verbum habent : *Sicut latrones qui observant virum, ita conspiratio sacerdotum in via qua itur Sichem, trucidant, scilicet viatores. Pro conspiratio Vatablus vertit, congregatio; Pagninus, collegium; alii, societas.* Notatur hic sceleris atrocitas et imperium. Nam ubi in illud multi conspirant, nihil non perficiunt; armata enim tot manibus totque consiliis impietas omnia perfringit et sternit.

PERGENTES DE SICHEM. — Hebraice כְּחַנְמָה schema, id est in Sichem; hoc enim significat חַנְמָה locale. Ita Vatablus et Arias. Verum dico חַנְמָה hic non esse locale, sed terminativum nominis proprii. Urbs enim hæc dicta est Sichem, vel addito חַנְמָה Sichima. Unde Septuaginta et Symmachus vertunt, *interfecerunt Sichima*, id est Sichimitas. Noster vero, quia hic fit mentio viæ in Jerusalem, recte subaudiens præpositionem חַנְמָה min, id est de, vertit *pergentes de Sichem*. Hi enim idololatræ non occidebant euntes in Sichem, sed ex Sichem euntes in Jerusalem. Sichem enim urbs, dicta a Sichem principe, qui vitiavit Dinam Jacobi filiam, Genes. cap. xxxiv, 2, tempore Christi dicebatur Sichar, quam Christus per mulierem Samaritanam convertit, Joan. cap. IV, 5; deinde dicta Neapolis, hodie Napoëza. Errant qui putant ad has insidias allusisse Christum, Lucæ cap. x, in parabola euntis e Jerusalem in Jericho, qui incidit in latrones. Nam Jericho erat ad orientem Hierosolymæ, Sichem vero ad septentrionem. Quare nulla erat via, quæ

ex Jerusalem per Sichem tenderet in Jericho. Nomina Sichem præ aliis urbibus, tum quia ex Samaria, quæ erat metropolis decem tribuum, recta erat via in Jerusalem per Sichem; tum quia Sichem religione erat celebris, in ea enim habitarunt Abraham et Jacob, cuius et puteus ibidem ostenditur; in ea quoque sepultus est Joseph, Josue cap. xxiv, 32. Rursum Sichem erat juxta montes Hebal et Garizim, in quibus Moses proclamavit legem, et benedictiones eam servantibus, et maledictiones eam prævaricantibus, Deuter. cap. xxvii, 4. Hinc multi Sichimitæ in cultu Dei persisterunt, cum alii declinarunt ad vitulos Jeroboam. Hinc quoque peregrini, visentes loca sancta, visebant (ut etiamnum visunt) Sichem et Jerusalem, sicut christiani in Italia visitant Laurentum et Romam; tum denique quia juxta Sichem erant Dan et Bethel, ubi Jeroboam posuit vitulos aureos. Ibi ergo erat sedes idololatriæ, ac consequenter ibi vigebat persecutio in pios et fideles euntes in Jerusalem, quos in via intercepiebant et male mulctabant (1).

Porro Chaldæus, Aquila, Theodotion, Vatablus, Clarius et Pagninus τὸ Sichem accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum, significans humerum. Unde vertunt : *Turma*, vel *conspiratio sacerdotum in via interficit humero uno*, id est consensu unanimi, pari studio et conatu. Sic enim fures et milites dum conspirant in domus vel urbis expilationem, uno quasi humero ferunt scalas, trabes aliaque instrumenta quibus turres condescendant, aut ostia sternant ad irrumpendum et prædandum. Aquila vertit in accusativo : *Participatio sacerdotum in via occidebant*, id est amputabant, *humeros viatorum euntium in Jerusalem*.

QUIA SCELUS OPERATI SUNT, — q. d. Insidianter Galaaditæ Deicolis eosque occidunt, quia totos se sceleribus dediderunt. Pro scelus hebraice est חַנְמָה zimma, id est piaculum, nefas, abominatio, puta scelus horrendum et execrabilis.

Disce hic moraliter quantum scelus sit impediare opera pietatis, ac remorari eos qui tendunt ad salutem et ad Dei cultum, v. g. ad statum perfectionis. Unde S. Hieronymus, hæc applicans hæreticis : « Nos dicamus, inquit, hæreticos (tu dic libertinos, alias catholicos, ut irrisores et sanniones operum piorum) intercludere viam, ne de Sichem, id est de bonis operibus, pergamus

(1) Verbis *in via cædes committunt Sichemum versus*, videtur ius azyli spectari, quo ex constitutione Dei, Num. xxxv, 9, Sichemum refugio erat committenti homicidium fortuito casu, sicut et ipsa hæc civitas sacerdotibus fuit assignata, Jos. xxi, 21. Quare emicat clarissimus Israelitarum, sacerdotum maxime, in latrociniis scelus, quod et refugium homicidii datum, et sacrum quodammodo sacerdotum habitationi, cædibus insolentium perfunderent. (Rosenmüller.) Rectius ac planius Dathius, inquit Maurer : videntur sacerdotes illo tempore abusi esse suis privilegiis et jure azyli, ut vel ipsi cædes patrarent, vel aliis commissas occultarent.

in Jerusalem, id est in Ecclesiam. Isti sunt quasi fauces latronum, et interficiunt eos qui per hujus saeculi viam ad veritatem pergere cupiunt. Sichem interpretatur Ἀμον, id est humeri : in humeris opus intelligimus, et omnes falsi sacerdotes abscondunt viam, et occidunt homines malis operibus, ne perveniant Jerusalem. Quod autem humerus opus significet, illud ostendit, *Jerem.* cap. xxxi, juxta Septuaginta, *Da cor tuum in humerum tuum*, hoc est, quae intelligis, verte in opera. Et de Issachar legimus, *Genes.* cap. xlix, quod supposuerit humerum suum ad laborandum, et vir agricola sit. » Quocirca S. Chrysostomus, lib. III *Contra Vituper. vitæ monast.*, hunc ponit nonum et summum malitiæ gradum : *primus*, ait, malitiæ et impietatis gradus est, jumenta et pecora ipsa inimicorum errantia, vel lapsa negligere; *secundus* et major, inimicis ipsis, si qua re egeant, non subvenire; *tertius*, proximos ignotos aspernari; *quartus*, despicere familiares; *quintus*, non solum corpora, sed etiam animas fratrum reunentes negligere; *sextus*, ipsos filios pereuentes negligere; *septimus*, nec alios qui carent comparare; *octavus*, prohibere insuper eos qui sponte juvare illos velint; *nonus*, non modo eos a salute arcere, sed etiam eorum salutem ultiro oppugnare. Hoc est quod tam sedulo monet et præcipit Apostolus, *I Thessal.* cap. v, 19 : « Spiritum nolite extinguere. » Vide ibi dicta, ac præsertim mirum hac de re exemplum Prætextatæ, quod refert S. Hieronymus epist. 7 ad Lætam.

Vers. 10. 10. IN DOMO ISRAEL (puta in regno decem tribuum) VIDI HORRENDUM (puta) FORNICATIONES EPHRAIM, — scilicet idola et vitulos aureos, quos induxit Jeroboam rex oriundus ex Ephraim, quemque tribus Ephraim quasi civem et regem suum secuta est, et mox totus Israel, hoc est quod ait : « Contaminatus est Israel. » Pro horrendum hebraice est חַרְרָעֵן scaaruria, idem quod scaarurit, sed per auxes in quid amplius et manus significat, uti notat Marinus in *Lexico*. Vatablus vertit, pollutiones, inquinamenta; Pagninus et Marinus, turpitudinem, fœditatem; Noster, *Jer.* cap. v, 30, *mirabilia*. « Stupor, inquit, et mirabilia facta sunt in terra. » Hic vero proprie vertit horrendum, quod horripilationem excitat, faciat que ut pili et crines audientium ex horrore erigantur : שָׁאֵר sear enim pilum significat, et inde seirim vocantur satyri pilosi et hirsuti. Talis est idolatria, præsertim communis totius gentis, Deo olim addictæ et devotæ, quæ unum hominem, puta Jeroboam, secuta est, Deo omnium Domino relicto et spredo.

Vers. 11. 11. SED ET JUDA. — Hæc verba connectenda sunt cum præcedentibus hoc modo : « Contaminatus est Israel, sed et Juda. » Ita Hebreus, Chaldæus et Septuaginta. Juda enim secutus est idola Israelis.

PONE MESSEM TIBI. — « Pone, » scilicet, o Israel, vel potius tu, o Juda, q. d. O Juda, tu etiam ca-

pieris, æque ac Israel, quia ejus scelera imitatus es : nec tu, ut putas, pones et recondes messem tuam, quia eam hostis Chaldæus vastabit ; is enim metet ea quæ tu seminasti : pones tamen et recondes tibi messem, quæ ex spicis deciduis per tot annos captivitatis tue sponte et copiose succrescit, cum te e captivitate reduxero per Cyrum, q. d. Ante ne ponas, quia hostes id non permittent; tunc vero pones : tu enim redibis e captivitate, non Israel, qui in ea jugiter manebit. Osee enim concise loquitur; et paucis multa complectitur, uti dixi in Proæmio. Ita Hugo, Dionysius, Ribera et Lyranus, qui sic breviter et plane exponit : Relinque messem tuam in tempus quo convertam captivitatem tuam, et nunc ei ne impliceris; tunc enim messem colliges, licet nunc captiva ducaris. Simili schemate Virgilius in persona pastoris Mantuani, finibus suis a milite veterano pulsi, ait *eclog. I* :

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia cives
Perduxit miseros! en queis consevimus agros!

Secundo, Haymo et Hugo per messem intelligunt filios, q. d. Pone messem, id est genera filios, quos demetat, id est capiat, vel occidat hostis Chaldæus. Sed huic expositioni non consentiunt, nec cohærent sequentia : « Cum convertero captivitatem populi mei. » Licet enim id Ruffinus sic exponat, q. d. Tu quoque, o Juda, demeteris, cum captivitas populi mei Israel convertetur ad te, ut tu similiter capiaris; tamen id non respondeat hebraismo, quo convertere captivitatem significat liberare e captivitate, non vero in captivitatem ducere.

Tertio, Arias hæc refert ad tempora Christi, q. d. Demetur Judæa a Tito et Romanis, cum captivitatem generis humani e potestate diaboli solvam per Christum. Hoc allegoricum est. Adde, ponere messem significat metere, non demeti : est enim actus ejus qui metit, non qui metitur; unde Septuaginta vertunt τρυγῆν, id est vindemiare.

Recentiores aliter vertunt, ideoque aliter explicant : pro pone enim legunt נָשָׁב scaat in præterito, id est posuit; unde vertunt : *Etiam Judas posuit*, vel *ponit messem*, vel plantarium. Quod primo aliqui sic explicant, q. d. O Juda, tuis sceleribus continuis paras tibi demessionem, id est excidium, cum convertenda erat captivitas populi mei, id est dum ego cogito de captivitate tua evertenda. Unde Theodoreus et Theophylactus ex Septuaginta legunt : *Sed et Judas dimisit messem suam*, puta suas segetes et opes, quia secutus est idola Israelis, ideoque a Chaldæis spoliatus et excisus est.

Secundo, Clarius vertit et explicat, q. d. Etiam, o Juda, Ephraim posuit plantulam tibi, vel contra te. Nam plantavit tibi lucos, et docuit idolo-

latram, qua re effecit ne te converterem, sed a me abjectus abires in captivitatem.

Tertio, Vatablus putat hic notari factum Jeroboam, quo restituit Damascum et Emath Judæ, IV Reg. cap. xiv, 25 et 28, q. d. Ephraim, id est Jeroboam filius Joas, rex in Ephraim, posuit tibi, o Juda, plantarium in Damasco et Emath; ipse enim has urbes tibi restituit, in iisque Judæos incolas plantavit tunc, cum convertit captivitatem populi, cum scilicet jugum regis Syriæ a populo suo, puta ab Israele, depulit et excusso: et tamen

tu, o Juda, cum accepisses tantum a Deo beneficium, ei ingratus fuisti, eum sprevisti, et deos gentium tibi adscivisti.

CUM CONVERTERO (usque dum convertam: Hebraice enim est בְּשׁוֹבֵב besub, id est in, vel ad conversionem captivitatis) POPULI MEI, — id est tuam, o Juda. Est hebraismus: Hebrei enim cum quem alloquuntur, saepe compellant in tertia persona, uti faciunt et Germani, dum honoris causa dicunt: Dominus hoc dicat, vel faciat, id est, tu, o Domine, hoc dicas, vel facias.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit nequitiam et malitiam Jehu, et Israelis idololatrantis, comparando eam primo, furno succenso; secundo, fermento, vers. 4, et pani subcinericio, vers. 8; tertio, columbae seductæ non habenti cor, vers. 11; quarto, arcui doloso, vers. 16 (1).

1. Cum sanare vellem Israel, revelata est iniqitas Ephraim, et malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium: et fur ingressus est spoliens, latrunculus foris. 2. Et ne forte dicant in cordibus suis, omnem malitiam eorum me recordatum: nunc circumdederunt eos adinventiones suæ, coram facie mea factæ sunt. 3. In malitia sua lætificaverunt regem: et in mendaciis suis principes. 4. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente: quievit paululum civitas a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum. 5. Dies regis nostri:

(1) Quæ hoc capite leguntur et ea quæ proxime sequuntur, usque ad finem libri, edita esse sub ultima Hosee, regis Israelitarum, et sub initiis regni Hiskiæ, colligit Lightfoot (in Chronol. vet. Testam. pag. 105, Opp. tom. I) ex hisce observationibus: « Primo, inquit, communis et perpetuus sermo, quem in illis habet Prophetæ ad Ephraïm, ostendit, hæc annuntiata fuisse decem tribubus antequam abductæ fuerunt in captivitatem, quæ jam futura erat intra quadriennium. Deinde, dicta hæc fuisse, postquam Hoseas rex ab Assyria defecisset, et fœdus cum Ægypto junxisset, cuius mentio fit II Reg. xvii, 4. Observa enim quomodo cap. vii, 11, et xii, 2, tale quid innatur. Denique prolata hæc esse post expeditionem Salmanasaris primam (II Reg. xvii, 3), qua destruxit Arbelitida (Hos. x, 14), et ante expeditionem ejus secundam, quando Bethlehem erat destructurus. »

Maurer e contra, ad bellum civile, post mortem Pecachi exortum, hanc orationem referendam esse putat. Versu enim 7, Hosea cædes videtur respicere Zachariæ, Schallumi, Menachemi, Pecachia; versu 8 autem, vati oh oculos fuisse videntur Menachem, Pecachia et Hosea reges, quorum ille, ut tueretur imperium ad se raptum, Phuli tributa solverat, iste cum Rezino fœdus inierat, hic durante adhuc interregno, Assyriorum vel bello illigatis, vel præsidio usus esse videtur; cf. ad II Reg. xvii, 3. Sed nescio, addit Maurer, an rectius referatur ad tempus, quod primam inter et alteram expeditionem Salmanasaris interfuit. Versu enim 11 ob auxilium ab Ægypto petitum Ephraimitas acriter reprehendit vates (de Assyriis eodem loco et eadem in re commemoratis vide supra); vers. 9 vero ad extrema ventum esse queritur. Juxta hanc ultimam sententiam quam Ackermann ut probabiliorem habet, habitus videtur hic sermo sub ultima tempora regni

Israelitici, si conferuntur dicta Prophetæ cum iis quæ in ultimo libro Regum de hoc regno narrantur. Huic igitur sequentem analysis accommodare conamur.

PRIMO, Deus acriter perstringit tum omnium, tum regis maxime procerumque corruptissimum statum, quem cum voluit in melius mutare, perditissimum invenit, 1; quod ipsum nunc probat gravissimorum vitiorum seriem quibus illi serviant enumerando, primo, eorum mendacium et fallaciam, 1; secundo, expilations tum occultas, tum manifestas, 1; quæ quidem facinora non sunt vetera, sed in præsens grassantia eos circumdant ceu testes pravitatis, plane nota et perspecta Deo, 2; tertio, studium placendi regibus et principibus reprobis, qui flagitiis populi delectabantur, 3; quarto, intensem Israelitarum studium, quod cum ardore clibani a pistore succensi comparatur; sive juxta alios, inconstantiam et perfidiam Israelitarum erga reges quos ipsi per seditionem adoptaverant, in novis vero conjurationibus interfecerunt, 4; quinto, luxum et petulantiam aulicorum, 5, 6; sexto, furorem seditionis in occidendis regibus et dejiciendis magistratibus, 7; septimo, commixtionem omnium et confirmationem morum cum gentilibus, 8.

SECUNDO, plagas tantis flagitiis infligendas minatur, internas quidem, quæ sunt, primo, stupor mentis, plagas has lethales non sentientis, 9; secundo, pertinaciam voluntatis, ad Deum non redeuntis, 10; tertio, stultitiam consilii, remedium malorum ab homine quærentis, 11; externas autem quæ sunt: primo, deceptio et proditio facta ab auxiliariis, 12; secundo, vastitas et deprædatio illata ab hostibus, 13; tertio, prosperitatem et adversitatem frustratam fructu ab Israelitis, 14, 15; quarto, imperii auctoritas a rebellibus, securitas ab insidiatoribus et conspirantibus, fama a subsannantibus læsa, 16.

cœperunt principes furere a vino : extendit manum suam cum illusoribus. 6. Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum , cum insidiaretur eis : tota nocte dormivit coquens eos , mane ipse succensus quasi ignis flammæ. 7. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, et devoraverunt judices suos : omnes reges eorum ceciderunt; non est qui clamet in eis ad me. 8. Ephraim in populis ipse commiscebatur : Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reversatur. 9. Comederunt alieni robur ejus , et ipse nescivit : sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. 10. Et humiliabitur superbìa Israel in facie ejus, nec reversi sunt ad Dominum Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his. 11. Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor : Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt. 12. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum : quasi volucrem cœli detrahām eos, cædam eos secundum auditionem cœtus eorum. 13. Væ eis, quoniam recesserunt a me : vastabuntur, quia prævaricati sunt in me , et ego redemi eos ; et ipsi locuti sunt contra me mendacia. 14. Et non clamaverunt ad me in corde suo, sed ululabant in cubilibus suis : super triticum et vinum ruminabant, recesserunt a me. 15. Et ego erudivi eos, et confortavi brachia eorum : et in me cogitaverunt malitiam. 16. Reversi sunt ut essent absque jugo ; facti sunt quasi arcus dolosus : cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ. Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.

Vers. 4.

1. CUM SANARE VELLEM ISRAEL, REVELATA EST INIQUITAS EPHRAIM. — Multi hæc accipiunt de tempore Jeroboam , qui fecit schisma a Roboam , factusque rex decem tribuum induxit idola , puta vitulos aureos in Israel, q. d. Cum sanare vellem Israel a sceleribus et idolatria , quam induxit Salomon colens deos concubinarum suarum alienigenarum , III Regum , cap. xi, 31, tunc erupit Jeroboam ortus e tribu Ephraim , qui vitulos aureos erexit in Dan et Bethel , quem secuta est tota Samaria operans mendacium , id est colens idola vitulorum. Ita S. Hieronymus , Cyrilus , Haymo , Hugo , Lyranus , Clarius et Ribera . Huc accedunt Theodoreetus , Theophylactus , Arias et Sanchez , qui hæc accipiunt de Jeroboam cæterisque omnibus regibus Israel ; hi enim Jeroboam ducem in scelere et idolatria sunt æmulati. Verum obstat quod tempore Jeroboam necdum erat Samaria , quia illa condita est post 60 annos ab Amri patre Achab , III Regum , cap. xvi, 14. Rursum , Deus tunc sanare volebat non solum Israel , sed magis Juda , qui erat fons mali et idolatriæ ; nec tunc revelata est , quasi antea latuisset abscondita iniqüitas Ephraim , sed esse et existere cœpit.

Dico ergo Prophetam loqui de tempore Jehu : sub Jehu enim cœpit prophetare ; unde eum nominat initio prophetæ , dicens cap. I, 4 : « Adhuc modicum , et visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu. » Per Jehu enim Deus volebat sanare et extirpare idolatriam : unde jussit ei , IV Reg. cap. ix, 6 , evertere Baal et domum Achab , ejusque prophetas 450 occidere ; quod et præstitit Jehu initio regni. Verum mox metuens idem quod Jeroboam , ne scilicet , si populus ad Deum ejusque templum in Jerusalem rediret , pariter ad regnum regemque Juda rediret ; hac de causa in idolatriam relapsus est , populoque vitulos au-

reos Jeroboam colendos proposuit. Quocirca in eum hic detonat Deus.

Porro Deus hic personam medici induit , qui chirurgum sibi adscivit Jehu ad resecanda putida membra Israelis , et reliqua sananda. Alludit enim ad Ramoth Galaad , ubi rex creatus est Jehu , IV Regum , cap. ix, 1 et seq. In Galaad enim erant aromata et pharmaca optima , æque ac chirurgi et medici. Unde de ea ait Jeremias cap. viii, 22 : « Numquid resina non est in Galaad ? aut medicus non est ibi ? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei ? » Vide ibi dicta. Sensus ergo est , q. d. Cum per Jehu quasi chirurgum meum in Galaad sanare vellem vulnus idolatriæ Israelis , ideoque per eum resecassem Achab et Jezebel (quæ , utpote Tyria , fuerat fax et incentrix cultus Baal dei Tyri) ejusque prosapiam , puta septuaginta filios , videbatur jam eversum regnum idolatriæ , omnesque idolatriæ timentes Jehu quasi vindicem et excisorem Baalitarum , diffugiebant aut latitabant ; sed ecce Samaria , quæ erat metropolis in Ephraim , puta consiliarii regii aliquique politici in Samaria , fraudulenter suggesserunt et suaserunt Jehu stabilire cultum vitulorum in suo regno , si illud statumque suum conservare vellat. Hoc enim exigere politiam ; alioqui enim populum , si permittatur redire ad Dei cultum in Jerusalem , pariter redditurum ad pristinum ejus sceptrum et regnum , puta ad stirpem Davidis. Hoc consilio politico et satanico icatus captusque Jehu , in eorum sententiam concessit , cultumque vitulorum restituit et sanxit. Tunc ergo revelata est malitia Samaritæ , a Jehu paulo ante compressa , ideoque latitans , postquam scilicet Samaritæ subdole pertraxerunt Jehu in suam idolatriam , idque paulo ante hanc Osee prophetiam ; ipse enim prophetavit sub Jeroboam pronepote Jehu , ut patet ex Proœmio.

Ita etiamnum videmus politicos suadere principibus hæresin, ut statum et principatum suum tueantur, vel adaugeant. Ita hæresis inventa est in Hollandiam; qui enim in ea dominari cupiebant, hæresin induxerunt hoc prætextu, quod, si Hollandi catholicam fidem permitterent, certo jugum Hispanicum essent subituri: Catholici enim, aiebant illi, scrupulo conscientiæ adacti ad suum avitum et legitimum principem, puta ad regem Hispaniæ, redire volent; ut ergo excludamus Hispanum, excludamus fidem catholicam oportet. Idem fuit paralogismus Elizabethæ reginæ Angliæ. Cum enim ipsa ob natales spurious, et a Pontifice Romano damnatos, incapax esset regni, ut fulmen Pontificis et Pontificiorum averteret, regnumque sibi stabiliret, schisma fecit a Pontifice et fide, ac hæresin invexit, ideoque Deus illico succidit ejus regnum stirpemque, uti olim succidit domum Jeroboam, Achab, Jehu, aliorumque regum, qui cultum Dei abjecerunt, et cultum idolorum sanxerunt. Idem evenit Hollandis, qui, cum caput sibi præciderint, acephali sunt, ac inter se hæresibus odiisque internecinis digladiantur, quibus sese consument, nisi ad unitatem priscae religionis, æque ac reipublicæ et ad caput avitum redeant. Det eis Deus idipsum sapere.

Quia operati sunt mendacium. — In Scriptura uti triplex est veritas, mentis, oris et operis: mentis, cum ejus cognitio adæquatur et conformis est suo objecto, puta cum mens res cognoscit, prout vere a parte rei sunt; oris, cum verba conformia sunt menti; operis, cum opera conformia sunt suæ regulæ, puta rectæ rationi, officio et legi: ita ex adverso triplex est mendacium, scilicet mentis, oris et operis: mentis, est error quo mens difformis est suo objecto, puta quo falso judicat de re; oris, est mendax locutio, qua contra quam in mente sentit, proloquitur; operis, est scelus quo homo deviat a suo officio, a recta ratione et lege. Tribus hisce modis hic accipi potest. Samaritæ enim invehentes idolatriam et falsam religionem, invehabant menti errorem in fide; blasphemiam in lingua, qua spernebant Deum et laudabant idola; scelus in opere, puta in sacrificio et externo cultu idolorum.

Proprie ergo « mendacium » significat hic cultum falsum et mendacem idolorum, ipsumque idolum. Idolum enim est numen et deus mendax; cum enim sit lapis vel lignum, mentitur se esse Deum, seque opponit Deo, qui est veritas verumque numen. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Theodoretus, Theophylactus et alii. Quocirca Socrates dicebat « se malle adorare canem quam idolum, » eo quod canis cum sit opus naturæ, idque vivum, dignior sit idolo, quod est opus artis, idque inanime. Idem aiebat se mirari quod, cum simulacrorum artifices id summo studio conniterentur, ut lapis quam simillimus homini redderetur, non pariter hoc curarent, ne ipsi

lapidibus similes et viderentur, et essent. Hoc est quod ait Propheta, *Psalm. cxiii, 4*: « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum: oculos habent, et non videbunt; aures habent, et non audient, etc. Similes illis fiant qui faciunt ea: et omnes qui confidunt in eis. » Diogenes, teste Laertio lib. VI, solebat subinde adire simulacra, et aliquid ab eis petere. Demirantibus cur id faceret: « Ut consuescam, inquit, non commoveri, si quando ab hominibus non impetro quod peto. » Idem rogatus a tyranno, e cuiusmodi ære potissimum oporteret fieri simulacra: « Ex eo, inquit, ex quo fusi sunt Harmodius et Aristogiton, » innuens illa cum ipso esse tollenda, quod illi tyrannicidæ fuerint. Idem dicebat « bonos viros esse deorum simulacra. » Deorum, cum sint optimi, naturæ proprium est benefacere omnibus, nocere nemini. Hæc imago melius relucet in sapientibus ac bonis viris, quam in statuis, cum dii sint incorporei. Fabius Annibal is dominator, capto direptoque Tarento, scribæ percunctanti quid de statuis templorum statuisse: « Relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos. » Ita Plutarchus in *Apophth. Roman.*

Secundo, ut Clarius et Arias, sicut *facere veritatem* in Scriptura est facere id quod officium cujusque requirit, ita *facere mendacium* est facere contra officium et debitum. Sic diabolus mendax « in veritate, » id est in officio, subjectione et fide quam Deo debebat, « non stetit, » *Joan. viii, 44*. Sensus ergo est, q. d. Consiliarii et primores Samariæ transgressi sunt officium suum, fidemque quam Deo et reipublicæ debebant. Debebant enim regi Jehu suadere veram religionem, verumque unius Dei cultum; at ipsi induxerunt eum in idolatriam, indeque in excidium et ruinam, tum suam, tum gentis totius et regni. Mentiebantur enim regnum Jehu stabile fore, si populum domui in cultu vitulorum contineret, ut non iret in Jerusalem. Mentiebantur, inquam, nam omne regni firmamentum est vera religio, vera fides, verus Dei cultus. Docet hoc S. Augustinus, in lib. *De Civit.*, quos hoc argumento conscripsit, ubi lib. I, cap. xxxiii, ait: « Scipio non censebat felicem esse rempublicam stantibus mœnibus, ruentibus moribus, » inter quos primas tenet religio et pietas. Et lib. II, cap. xviii, enarratis vitiis quæ Romanum gentilem invasere et pene perdidere, addit ejus imperium cruce Christi firmatum esse et stabilitum. Ait enim: « In ista colluvione morum pessimorum, maxime venire ac subvenire debuit cœlestis auctoritas, quæ voluntariam paupertatem, continentiam et benevolentiam, justitiam atque concordiam, veramque pietatem persuaderet, cæterasque vitæ luminosas validasque virtutes, non tantum propter istam vitam honestissime gerendam, non tantum propter civitatis terrenæ concordissimam societatem, verum etiam propter adipiscendam salutem sempiternam, et sempiterni cujusdam populi cœlestem divinam-

que rempublicam, cui nos cives adsciscit fides, spes, charitas. » Et mox : « Deus enim sic ostendit in opulentissimo et præclaro imperio Romano, quantum valerent civiles etiam sine religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cuius rex veritas, cuius lex charitas, cuius modus æternitas. »

Tertio, aliqui vertunt : *Quia sibi mutuo non servant fidem*; qui enim fidem Deo non servant, nec servant homini : quocirca ubi est hæresis, ibi pariter grassantur fraudes et doli. Castrius hoc refert ad Samaritas, qui contra fidem Achab regi datam, occiderant 70 ejus filios, cum Jehu id juberet, IV Reg. cap. x, 7. Verum hos occidi jussérat Deus; ergo magis ob idolatriam, quam ob hanc cædem eos per Prophetam hic redarguit, præsertim quia periculum erat, ne impii parentis idola impiæ proles sequerentur. Taxat tamen quoque Propheta hanc cædem ob perfidiam, uti inferius dicam.

ET FUR INGRESSUS EST SPOLIANS, LATRUNCULUS FORIS. — Tò et explicat mendacium, idemque valet quod *id est*, aut certe *et*, *id est ideo*, quasi dicat: Quia Samaritæ fraudulenter et mendaciter suaserunt cultum vitulorum regi Jehu (S. Hieronymus cum aliis, uti dixi initio capititis, hæc attribuit regi Jeroboam); idecirco ipse Jehu, secutus eorum fraudulenta consilia, clanculum in regni gubernacula ingressus est ut fur, dissimulans occultam suam nequitiam et idolatriam; at ubi rerum plane potitus est, quasi latro publice grassatus est, cogens omnes ad sua idola et nolentes spoliants, vel occidens. Sic Nabuchodonosor vocatur « latro, » Jerem. cap. xviii, 22. Vide ibi dicta (1).

Secundo, sic exponas, q. d. *Et, id est idcirco*, fures et latrones tum domestici, tum externi, invadunt urbes et agros Israelitarum, eosque vassant et expilant. Nam dum in republica eliminatur vera religio, subintrans furtæ, latrocinia omniaque scelera, uti hæc in Galaad et Samariam subintrasse dixit cap. præced. vers. 9. Ita Chaldæus, Lyranus et Arias. Rursum, Deus in eos Syros et Assyrios, qui eos vastarent, immisit, uti dicitur IV Reg. cap. x, 32. Ita Theodoretus, Theophylactus, Dionysius et Ribera. Hi enim in libris Regum vocantur « latrunculi, » id est prædones, grassatores, quos Belgæ vocant, *vrybuyters*. Septuaginta vertere solent, μονοζωμένους, id est unius, scilicet eximiæ, zonæ, quasi dicant, excellentes bello, et qui cingulo eximio a cæteris differunt, egregieque sunt accincti et armati. Ita Suidas. Hebræum enim γαδιδ significat accinctum et expeditum militem. Sic et olim milites vocabantur latrones, vel ἀπὸ τοῦ λατρεύειν, id est a serviendo,

(1) Juxta Ackermann et Maurer, hic probabilius reprehenduntur explications tum occultæ, tum manifestæ Israelitarum, q. d. Omnes inhant alienis bonis, quidam occultis artificiis ut fures domos ingrediuntur et aliena rapiunt; alii omni pudore abjecto palam sœviunt et præstantur, et sic omnes in fraudes et latrocinia conspirant.

ut vult Festus, lib. X; vel a *latendo*, quia ex insidiis more latronum hostes adoruntur. Nota : Jehu hic *primo*, comparatur furi et latroni; *secundo*, vers. 4, pistori succendentis furnum idolatriæ, ejusque fermento fermentanti populum; *tertio*, columbario seducenti et capienti columbas, vers. 11; *quarto*, arcui doloso, vers. 16, quia evertendo Baal, videbatur idola eversurus, et mox ea restituit.

2. ET NE FORTE DICANT, — q. d. Ne cogitent et Vers. 2. querantur me in memoriam revocare præterita parentum suorum peccata, ac propterea filios plectere ex vindicta magis quam ex desiderio sanandi eos, enumerabo illis modernas eorum machinationes impias, quas hisce diebus coram facie mea impudenter perpetrarunt, ut eas negare vel excusare non potuerint. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Lyranus, Ribera et Arias.

Septuaginta hæc referunt ad præcedentia, vertuntque : *Ut concinuant quasi canentes in corde suo*, id est, ut S. Hieronymus, ut quasi socii consentiant cum fure et latrone, et cum eis quasi canant eamdem cantilenam; vel, ut Theodoretus, ut videntes tantas suas clades gemant canantque threnos, non publice, ne hostis eos subsannet, vel acerius puniat, sed tacite in corde suo.

Tertio, Chaldæus vertit: *Nec interim reputant in cordibus suis omnia ipsorum maleficia manifesta esse coram me; mox circumvenient eos opera eorum mala* (*id est vindicta et supplicia operum malorum*), *quæ coram me aperta sunt*, q. d. Brevi fiet ut videant me opera eorum cognoscere et videre, cum scilicet sentient mea verbera et flagella. Ita Vatablus.

3. IN MALITIA SUA LÆTIFICÄVERUNT REGEM. — Je- Vers. 3. roboam, ait S. Hieronymus, vel potius Jehu, q. d. Sua mala et impia voluntate applaußerunt Jehu, ejusque principibus, deficiendo a suo rege Achab, ejusque familia regia, ac in gratiam Jehu colendo vitulos pro Baal; item perfide occidendo 70 filios Achab fidei suæ commissos, et 40 fratres Ochoziæ; hanc enim defectionem et perfidiam vocat mendacia. Licet enim Jehu a Deo per Prophetam unctionis et creatus rex, mandante Deo, eos occidi jussérat, tamen Samaritæ ignorabant Dei jussu hæc fieri. Secreto enim unixerat Propheta Jehu in regem: quocirca non Dei jussu, seu metu Jehu tyranni eos occiderunt, ideoque injuste et perfide. Septuaginta vertunt, *reges*; non enim soli Jehu, sed et antecessoribus et successoribus ejus in idolatria consenserunt. Ita solet vulgus mobile adulari regibus, et ad eorum libitum mutare fidem et religionem instar arundinis, uti hodie in Germania fieri videmus. Quam verum est illud :

Regis ad exemplum totus componitur orbis !

Quocirca melior esse nequit oratio, quam illa qua oratur pro regibus et principibus, tum Ecclesiasticis, tum sœcularibus, ut eos prudentes, pios et strenuos vel largiatur, vel efficiat Deus.

Hoc est quod inculcat Apostolus, *I Timoth. cap. ii, 1*: « Obsecro igitur primo omnium fieri observationes, etc., pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate. »

Viderunt id ipsum Gentiles. Euripidis est hæc vox: « Gubernari oportet malos a bonis, et parere se melioribus; si vero impios in civitate promoveris, sursum atque deorsum vita nostra inopinato tota pervertetur. » Platonis ista: « Satores, si pravi et perditi sint, quanquam dissimulent, nihil inde periculi civitati imminet; custodes vero legum et civitatis, si non revera sint, sed videantur tantum, urbem totam funditus perdunt. » Velleii Paterni: « Princeps optime faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo est major. » Neoptolemi apud Sophoclem in *Philoct.*:

Principibus omnia, quos penes rerum fuit
Summa, imputo; nam urbs a magistratu, a duce
Exercitus dependet: exemplum ducum
Peccant frequenter milites.

Hoc est quod clamat Ecclesiasticus cap. x, 2: « Secundum judicem populi, sic et ministri ejus: et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum. » Hinc Arabicus hoc loco vertit: *Lætati sunt reges eorum in iniuitate, et principes eorum in mendacio; et fiduciae eorum sicut sues grunniunt, et sicut qui pastam conficit, et exspectat eam donec fermentetur, sic erunt dies regum ipsorum;* et Syrus: *In malitia sua lœtificaverunt reges, et in malitia sua omnes principes eorum: exardescunt quasi clibanus ardens in decoctionem.*

Vers. 4. 4. OMNES ADULTERANTES, — id est omnes idololatrantes. Est metaphora a pistore furnum accende, q. d. Israelitæ instar furni accensi æstuant libidine et ardore colendi idola. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Vatablus. Unde Hebræa habent: *Omnis illi adulterio (idolatria) incalescunt, uti fornax succensa a pistore.* Hebræi enim coquenter vocant *pistorem*, uti et veteres Latini. Unde Festus Pompeius: « Cocum, ait, et pistorem apud veteres eumdem fuisse accipimus. » Grammatice significat libidinem et concupiscentiam adulterandi, ipso adulterii actu non extingui, sed quasi fornacem injectis sarmentis magis accendi. Unde Saloni, in *Parabol. Salomon.*, qui exstat tomo I *Biblioth. SS. Patrum*, sic explicat illud *Proverb. xxx*: « Sanguisuga duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer, et nunquam satiantur. » Sanguisuga diabolus est qui semper sanguinem sinit, id est ad peccata homines trahere cupit, et sitim peccandi incessanter accedit: duæ filiæ sunt luxuria et avaritia, quæ diaboli sitim et ardorem imitantur, dicentes: Affer, affer; quia sicut ille nunquam peccando satiatur, sic nec luxuria et avaritia. Nam quanto quisque magis luxuriatur et fornicatur, tanto amplius delectatur. Similiter quanto quisque divitias sibi accumulat, tanto

magis eas semper augmentat. Hinc et S. Gauden-tius Episcopus Brixensis tempore S. Ambrosii, tomo II *Biblioth. SS. Patrum*, tract. 13 *ad Neophy-tos*: « Stupri, inquit, assiduitas luxuriam carnis non cohibet, sed accendit, dicente Propheta: Omnes fornicantes, velut ardens clibanus corda eorum. Prædatoris quoque rapacitas non compri-mit avaritiam, sed irritat. Scriptum est enim: Qui amat pecuniam, non satiabitur pecuniis, » *Eccles. v.* Sic gulosus gula, iratus ira, superbus honore, etc., magis inflatur et acceditur. Nam

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

QUIEVIT PAULULUM CIVITAS A COMMIXTIONE FER-MENTI, DONEC FERMENTARETUR TOTUM, — q. d. Sicut pistor fermentum indit massæ farinæ, ac deinde succensa fornace quiescit; mox enim fermentum quiete et tacite proserpit per totam massam, eamque suo acore inficit et fermentat: quo facto pistor in fornacem succensam massam infert, in eaque coquit panem (unde Syrus vertit: *Cessabit de civitate conficiens pastam donec fermentetur*); ita Jehu noluit vim facere populo. « Quidquid enim necessitate fit, cito solvit; quod voluntate arri-pitur, perseverat, » ait S. Hieronymus. Jehu ergo non coegit populum ad colendos vitulos, sed permisit idololatras sensim et occulte fermentum idolatriæ suæ per populum spargere, donec ejus permissione et conniventia, imo benevolen-tia, totus populus hoc scelere inficeretur et cor-rumperetur: tunc eo convocato suo decreto cul-tum vitulorum sanxit, quod populus avide exce-pit, fausta que regi acclamavit. Ita totus ab eo in clibanum succensum, id est in impetum et ardo-re, imo furorem idololatrandi conjectus est, atque idolatria publica ardensque instar for-nacis ab eo succensæ exarsit. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Albertus, Hugo, Lyranus et Ribera (1).

Eleganter hunc Osee locum tractat Petrus Ab-bas Cellensis, anno Domini 1184, lib. *De Panibus*, cap. iv, in fine, tomo VIII *Biblioth. SS. Patrum*:

(1) Sic hunc versum vertit Maurer: *Omnis isti sunt mæchi*, id est deorum factorum sectatores, sunt *ut furnus* ardens, id est incensus *a pistore*, id est vehementissimo cupiditatum ardore, id est deorum falsorum studio fla-grant; *desinit furnus fervore inde adepsendo massam usque ad fermentationem ejus*, id est, continuo fervet nec desinit fervore nisi per exiguum tempus, quod interest inter depsendum et fermentationem; nam furnus pistoris quovis mane incenditur, et qui mane (vers. 6) acceditur furnus per totum diem calidus manet, ita ut defrigescat sub illud demum tempus, quo novam massam parat pis-tor, maneatque refrigeratus ab illo fere tempore usque ad fermentationem, ubi ligna denuo solent incendi. Sic igitur isti homines perpetuo deorum commentitorum studio flagrare, nec nisi per breve tempus, aliis distenti occupationibus, illo desistere hic dicuntur, ut quemad-modum prius hemisticium vehementissimum idolorum studium pingit, posterius ejusdem studii pingat perpetui-tatem. Interpretationem Ackermann et plurimorum qui hæc de perfidia Israelitarum erga reges in analysi prævia indigitavimus.

« Etiam quiescens Aegyptius ab operatione exteriori, inquit, dum non animadverit, fermentatur. Sicut pasta, non solum cum ei admiscetur fermentum, fermentatur; sed multo magis cum a commixtione cessat qui commiscuit, et ipsa pasta bene cooperta quasi quiescens obdormit sic animo concepta malitia, etsi videatur aliquanto tempore (forte, quia deest occasio) a malo opere cessare: eo tamen quasi acrius sœvit in corde, quo non transit in opere. Unde Oseas: Paululum civitas cessavit a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum, q. d. Ut studiosius cogitatum perpetret malum, callidius pro tempore retrahit manum. Confotum enim stuparum superinjectione incendium, non dormit, sed serpit; non extinguitur, sed reficitur: sic voluntas mala, velut flamma latens, vorat tandem superpositos necessitatis, et rejicit, velut torrens, dilationum obices. » Unde infert: Ergo religionem professus periculose gustat sæculi fermentum. Audit Novitus verbum sæculare, ambitiosum, illecebrosum, non movetur; sed phantasia exceptit fermentum, quod in cella menti recurret, eamque ad sæculum repetendum, ad ambitionem, ad nuptias sollicitabit, et forte expugnabit. Idem videmus in pueris et puellis innocentibus.

Ad hanc Osee sententiam pertinet illud Oedipi: « Ab inquieto sæpe simulatur quies. » Sic tropologice haeretici, ait S. Hieronymus, initio quiescunt et omnia pacifica promittunt, sed occulte sua docent, itaque cancer paulatim serpit in populos. Addit S. Hieronymus ex Hebræorum traditione, Jeroboam (de eo enim ipse haec accipit, uti dixi: ego de Jehu) cum subito religionem novare non auderet metu seditionis et rebellionis, occulte quosdam submisso, qui populum excitarent, ut a rege peteret deum domesticum, puta Lares et Penates, scilicet vitulum quem coluerant in Egypto: id ita factum libentibus illis, sed maxime rege Jeroboam: « Ergo, inquit, similes erant clibanus ardent, parato ad coquendum si quid immittas; ardebant enim cupiditate. » Ita Elisabetha regina Angliæ, teste Sandero, lib. *De Schism. Anglic.*, restitutam a Maria sorore sua regina fidem catholicam in Anglia, succedens ei primo anno regni sui subvertit, constituens magistratus haereticos, qui in Parlamento haeresin restitui petrent, imo decernerent. Politice, principes sapientes et boni hoc Jeroboam vel Jehu consilium imitentur, sed in bono. Ita Alphonsus Aragonum rex, teste Guicciardino, cum cogitaret bellum, aut quid aliud moliretur, priusquam deliberationes animique sui cogitata intelligerentur, tacite per suos rumorem spargebat, regem his illisve de causis merito talia moliri debere. Hinc fiebat ut magno omnium applausu et laude consilia et molimina ejus probarentur, cum publice proponebantur ea quæ jam omnium calculis, et quasi præjudiciis justa aut necessaria habebantur.

Hebraice est bendiadys: *Quievit a civitate, a*

commixtione, id est quievit rex a commixtione, id est depravatione civitatis, quod in re idem est cum eo quod vertit Noster: « Quievit civitas, » rege videlicet quiescente, et tacite dissimulante « a commixtione, » id est a corruptione et depravatione regis aperta. Ita Ribera. Hebræum enim *νύδειρ* idem est quod a civitate. Recentiores vertunt, *ab excitando*, scilicet, quievit furnarius, ut furnum accendat, huncque dant sensum: Quibus in locis furni sunt publici, solent furnarii noctu vicatim inclamare mulieres et excitare, ut pastam subigant: quas postquam excitare quieverunt, furnum interim accendunt, tamdiuque vehementer calefaciunt, donec fermentatam pastam et in panes conformatam ipsæ afferant, ut coquatur in furno vehementissime calido, cuius calori comparat hic Propheta ferventissimum idololatrarum studium in colendis idolis. Sunt, inquit, ut fornax a furnario accensa, quam accendere solet statim, postquam cessavit excitare mulieres subiectæ pastæ causa, quæ tantisper vehementissime aestuat, donec a mulieribus inferatur panis. Ita Vatablus et Clarius ex R. David. Hæc versio consentit cum eo quod praecessit: « Omnes adulterantes quasi clibanus succensus a coquente; » illudque explicat.

Verum juxta nostrum Interpretem est hic alia similitudo, eaque valde apposita; sicut enim prius ardorem idololatrandi Jehu et Israelis comparavit fornaci successæ: ita hic comparat fermento, quod totam massam illico pervadit. Unde eadem comparatione utitur Apostolus, I Cor. cap. v, 6: « Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio. » Quanquam eodem resredit, et secundus sensus primum continet et includit, Jehu ergo fuit quasi furnarius, qui fornacem idololatriæ accedit, tum permittendo vitulos aureos, tum sua conniventia excitando alios, qui fermentum idololatriæ in massam, id est in cœtum populi spargerent, qui dum totus eo infectus fuit, Jehu eam publico decreto, templo et cultu in hanc idololatriæ suæ fornacem intulit et percoxit.

Denique Pagninus vertit: *Cessavit pistor a civitate*, id est, ut Chaldaeus vertit: *Migrabunt cito a civitatibus suis*.

Allegorice Leo Castrius (licet id ipse putet esse litterale) hæc refert ad Judæos, qui fermento iræ et superbiæ tumidi, cum plebem corrupissent, Christum cruci affigi a Pilato postularunt et impetrarunt. Sic ait Plautus: « Mea uxor propter illam tota in fermento jacet, » id est præ ira tumet et turget, uti fermentum elevat et tumefacit pastam.

5. DIES REGIS NOSTRI (Est mimesis: imitatur *Vers. 5.* enim et exprimit vocem populi applaudentis, et congratulantis tam regi quam diis suis, puta vitulis a rege sanctis et erectis, q. d. Populus cum jam omnino fermento idololatriæ esset corrup-

tus, acclamavit regi Jeroboam, ait S. Hieronymus, vel potius regi Jehu, dicens : Hæc est dies regis nostri, scilicet regalis, læta et fausta (sic ait Psaltes : « Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea »), tumque et ipsi principes cœperunt furere quasi ebrii et comessantes, Deique obliiti idola colere : tumque ipse rex) EXTENDIT MANUM SUAM (ad calices) CUM ILLUSORIBUS, — id est cœpit agere idem quod illusores jam dicti, puta principes eorumque asseclæ, qui Deo, aut potius regi vanis laudibus et acclamationibus illudebant, q. d. Libenter cœpit cum eis potare, illudere, scurram agere, laudare idola, spernere Deum. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Lyranus, Ribera et alii. Vide hic, ut magis adulatio, quam hostis reges et principes perdat. Ita Mariana (1).

Nota : Hebræum γῆ lets, quod Noster illusorem vertit, significat hominem superbum, irrisorem, qui omnia divina et humana irridet, plane corruptum, pestilentem, qui quasi pestis alias inficit et corrumpit, quales sœpe sunt in aulis, qui principes etiam bonos omnino immutant et depravant. Alter Chaldæus, Arias, Pagninus et Vatablus; exponunt enim, q. d. Die illo quo regem inaugurarunt, cœperunt principes cum eo compotare, indeque jugiter vacant compotationi, non reipublicæ; aut, ut Clarius, ægrotare eum fecerunt, propinantes ei lagenam vino plenam, ut eum assuefacerent potationi, itaque enervarent, mentemque et consilium ei adimerent, ut cum potatoribus assidue potaret, cum nugatoribus nugaretur, cum illusoribus aliis illuderet. Hebræum enim חַלְלָה hechelu, significat tam ægrotare quam incipere. Rursum pro חַמָּת chamat, id est furere (est enim infinitivus a radice חַמֵּח tacham, id est incaluit, iratus est, furit) ipsi legunt חַמְמָת chemet, id est utrem, lagenam.

Vers. 6 et 7. **QUIA APPLICERUNT QUASI CLIBANUM COR SUUM, CUM INSIDIARETUR EIS.** (Tò quia causam dat cur Jeroboam, vel potius Jehu tam facile populum totum, puta omnes Israelitas induxit ad cultum idolorum, scilicet vitulorum. Causa est hæc : quia Israelitæ in corde et mente erant corrupti, et libidine, id est amore idolatriæ, aestuabant : unde cum rex Jehu insidiaretur eis, ut eos pelliceret ad idolatriam, ipsi ei mox applauserunt, corque suum quasi clibanum idolatria aestuantem aperuerunt et applicerunt, ideoque totius populi communis consensu et decreto vitulorum cultus receptus, sancitus et stabilitus est. Quocirca rex Jehu prius anxius et timens, ne ali-

(1) Per diem, ut recte notat Ackermann, intelligitur dies natalis, aut inaugurationis regis, qui conviviis epulisque celebrabatur. « Extendit manum suam cum illusoribus, » id est familiariter versatur cum iis qui ludibrio habent regem, qui quidem in ipsa festivitate a partibus regis esse videbantur voce et vultu blandientes, sed eadem abutebantur ad maturandam seditionem, animo regis insidias parantes, et alii jam faventes.

qui ex populo voluntati et idolatriæ suæ resisterent, cognita populi mente et consensu, dormivit, id est securus fuit instar hominis qui tota nocte dormit), COQUENS EOS (id est permittens eos per se coqui, hoc est fermentari plane, massamque impietatis efficere : unde sicut pistor, per noctem fermentata massa, mane eam infert in furnum, quem eadem nocte calefacit, quemque rursum eodem mane extremo igne et flamma calefacit : ita Jehu populum in idolatriæ furnum consentientem et volentem injecit; imo) MANE IPSE SUCCESSIONS QUASI IGNIS FLAMMÆ (q. d. Ipse Jehu non tantum quasi pistor flammarum idolatriæ, qua idolatras percoqueret, succedit; sed et quasi conversus in ipsam flammarum, inflammavit omnes Israelitas. Quocirca hac flamma) OMNES CALFACTI SUNT QUASI CLIBANUS (summo ardore, quo instar ignis) DEVORAVERUNT JUDICES SUOS (alliciendo et cogendo eos, ut et ipsi furentem populum sequerentur, cum eoque idola colerent, imo suo decreto colenda præciperen : hinc et) OMNES REGES EORUM (qui Jeroboam, aut potius Jehu secuti sunt, in eundem impietatis furnum) CECIDERUNT; — ita S. Hieronymus, Albertus, Haymo, Hugo et Lyranus. Nota : Amor ardens vocatur ignis, et clibanus succensus : quia amor ciet motum cordis vehementem qui causat calorem in homine, imo fervorem et aestum. Unde Job xxxi dicitur : « Ignis est usque ad perditionem devorans. » Et istud Sapientis : « Qui non zelat, non amat (2). »

Quocirca Epictetus rogatus ab Adriano imperatore : « Quid est amor? » respondit : « Otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in femina furor, in juvene ardor, in sene risus. » Cur Venus Vulcano nupta dicitur? « Ut ostendat amorem ardore incendi. » Hinc Virgilius de Dido amante Æneam, *Aeneid.* IV : « Et cæco carpitur igne. Uritur infelix Dido. Ardet amans Dido. » Et alibi :

Est mollis flamma medullas
Interea, et tacito vivit sub pectore vulnus.

Porro amor, quia ignis est et calor, hinc emollit

(2) Juxta Ackermann et Aurivillium, perstat Propheta in similitudine vers. 4 incepcta, et ardens eorum studium insidias struendi comparat clibano ardenti. Adscribi merentur, inquit, interpretationes Christophori a Castro et Car. Aurivillii. Posterior sic habet in *Sylloge dissertationum ad SS. Litteras, etc.*, Götting. 1790 : « Inhaeret Propheta similitudini ardenti furni, quam induixerat vers. 4. Corda, animos hominum, qui hic accusantur, comparat cum furno ardente, ipsos illos cum pistore, qui furnum igne accendit. Insidiosas machinationes, harum veluti pistores clam habebant initio, lætis indulgentes compotationibus, quales memorantur vers. 5, mox data occasione plenam inflammam educebant, haud aliter ac dormiens per noctem latens ac quiescens pistor, primo dein mane, in furnum immisso igne, patulum suscitat incendium. In his æque ac vers. 7, seditiones continuas, et cæsum per insidias, unum post alterum regem spectat Propheta, id est intestinas turbas, quibus post Jeroboam II laceratum fuisse Israelitarum imperium, historia testatur.

Amor est
ignis et
ardor.

et liquefacit partes corporis : et quia eo calore resolvuntur spiritus vitales et animales, adjuvante ad eam resolutionem et consumptionem vehementi cogitatione, quæ fixa est in re amata; hinc ex amore vehementi sequitur deliquum et languor, totiusque corporis infirmitas : ad quam juvat tristitia, et ægritudo animi de absentia rei amatæ. Vide Richardum de S. Victore, lib. *De Gradibus charitatis*, cap. iv, et lib. *De Gradibus violentiae charitatis*, ubi fuse explicat quomodo amor vulneret, liget, liquefaciat, deliquum et languorem adducat. Hos amoris aestus et effectus sentiebat sponsa dicens, *Cant.* ii, 5 : « Fulcite me floribus, stipate me malis : quia amore langueo. » Et cap. viii, 6 : « Lampades ejus lampades ignis atque flamarum. »

Secundo, Chaldæus et alii hanc flamمام censent esse insidiarum, injuriæ et violentiæ in proximos, quæ ex flamma idololatriæ prospere et exoriri solet; Chaldæus enim sic vertit : *Instar clibanorum ardet cor eorum in insidiis suis : tota nocte protrahitur furor eorum, usque mane aestuat in morem ignis flammigeri*, q. d. Ut pistor noctu, succenso furno, dormit usque mane, tumque rursum ignem furni suscitat et auget, quo furnus succensus novas et scintillantes evomit flamas : ita Israelitæ noctu quiescunt, cogitantes et meditantes modos insidiandi et nocendi proximo, usque mane : tum enim quisque surgit, ut quasi ignis succensus insidias et noxas noctu meditatas in proximum evomat, et opere consummet: quo circa Israelitæ « omnes calefacti sunt » hac malignitate « quasi clibanus, » ut regi Jehu placerent, ideoque « devoraverunt, » id est occiderunt, « judices suos : » et « omnes reges, » id est 70 filii Achab regis « eorum, » manu ipsorum cæsi « ceciderunt : non est qui clamet in eis ad me, » q. d. Nullum eis spatium dederunt ante mortem convertendi se ad Dominum, eumque invocandi, sed subito omnes trucidarunt : itaque tam animas quam corpora eorum perdiderunt. Ita Theodoreetus, Theophylactus, Arias et Vatablus.

Tropologice, rex impius, qualis fuit Jeroboam, est pistor cacodæmonis; regi enim omnes subditi applicant cor suum quasi clibanum succendendum : videat rex quem ignem injiciat, cœlestem divini amoris, an tartareum vitiorum. Rex impius tartareum injicit, eoque panes suavissimos, id est peccata, coquit cacodæmoni, qui parem illi gratiam referet : nam in inferno clibandum ei succendet, quo in æternum ardeat. Ita Sebastianus Barradius, lib. ix, cap. xii *Concord. Evang.*

Vers. 8. 8. EPHRAIM IN POPULIS IPSE COMMISCEBATUR. — Dat causam tantorum scelerum, q. d. Causa cur Ephraim, id est Israel, succensus fuerit ut fornax impietatis, est, quod foedus et amicitiam inierit cum vicinis populis et gentibus, cum iisque conversans eorum impietatem et scelera imbiberit, juxta illud *Psalm.* cv, 35 : « Commixti sunt inter

gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, » etc. Ita Theodoreetus, Vatablus et Arias (1).

EPHRAIM FACTUS EST SUBCINERICUS PANIS, QUI NON REVERSATUR, — q. d. Sicut pasta quæ sub cineribus juxta ignem coquitur, si non vertatur, insensibiliter exuritur et consumitur ; ita et Israel in cineribus et sordibus idololatriæ manens, nec per pœnitentiam se convertens ad Deum, exuretur ab hostibus. Nam « comedenter alieni robur ejus, et ipse nescivit, » q. d. Assyrii paulatim vires Israelis afferent, eumque expilabunt, quod tamen ipse non advertebit, puta se in ruinam et exitium tendere, seque a Deo puniri ob eum derelictum per cultum vitulorum. Ita Cyrus, Theodoreetus et Theophylactus. Vel « nescivit, » id est non sapuit, non resipuit. Unde Chaldæus vertit : *Similis est domus Ephraim subcinericio pani, qui antequam versetur comeditur, vel a famelico, vel potius ab igne quo coquitur; diripuerunt populi substantias eorum.*

Nota : In pane subcinericio multas notat Israël subcinericu*s pani, cur?* conditiones. **Primo**, pertinaciam, scilicet eum cinere, id est sordibus, undique esse circumdatum, in iisque perdurare, nec ab iis recedere et reverti ad Deum, etiam dum ab eo igne tribulationis excoquitur. Ita S. Hieronymus, Cyrus, Theodoreetus et Theophylactus. Unde tropologice Tropolo-S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.* vii : « Factus est, gice, ait, Ephraim quasi panis subcinericus qui non reversatur. Ex natura quippe bene condita est nobis intentio, quæ surgat in Deum, sed ex conversatione nequiter assueta inest voluptas, quæ præsens premat in sæculum. Panis autem subcinericus ex ea parte mundior est, quam inferius occultat; atque ex ea parte sordidior, qua desper cinerem portat. Quisquis ergo intentionem qua Deum debuisse querere negligit, quasi more panis subcinerici mundiorem partem inferius premit : et cum curas sæculi libenter tolerat, quasi congestum cinerem superius portat. » Et lib. XI, cap. vi : « Si terrenarum cogitationum cinerem a mente excutimus, quasi panem subcinericum reversamus. »

Secundo, celerem vindictam et exitium; panis enim sub cinere coquitur, non in furno, a pauperibus et famentibus, ut statim ab eis comedatur : rursum panis ille si non vertatur, mox exuritur : sic et Israel statim ab Assyriis devoratus et exustus est. Ita Chaldæus, Albertus et Vatablus.

Tertio, imprudentiam, quod scilicet Israel in cupidinibus suis sordidis et exitiosis residens, non verterit se in alteram partem, ut videret clades

(1) Alii hæc verba pro comminatois habent : Miscebitur in populis, id est inter gentes a patria sua expulsus in exsilium mittetur. Quod male statuunt, inquit Maurer, qui putant *הַתְבּוֹלֵל בְּעִמִּינָה itbolal baanim*, hic idem esse atque *exsulare inter populos*. Esse potius societatem habere cum populis exteris, docent vers. 9 et 11.

et exitium ob illas sibi imminens. Ita Clarius. Cupiditates enim et peccata sunt instar panis subcinericci, qui duas habet facies, sive superficies; inferiorem, qua terræ; superiorem, qua igni et cineribus adhaeret: ita peccati facies inferior est voluptas terrena, quam intuetur et arripit peccator; superior est cinis, id est mors et ignis, hoc est poena et gehenna quæ voluntatem peccati certo quasi a tergo sequitur, eique connecta est: hanc non intuetur peccator: unde ab ea imprudens et incautus, cum minime putat, comprehenditur et exuritur. Quocirca Syrus vertit: *Ephraim factu est placenta parvuli, decocta est, comesta est, q. d.* Mox ut facta et cocta, comesta quoque est. Sic enim pueri placentam mox ut cocta est comedunt. Arabicus Alexandrinus: *Ephraim factus velut locus combustus, et ipse non mutatur;* Arabicus Antiochenus: *Ephraim erat succensus, non revertens.*

Vers. 6. 9. COMEDERUNT ALIENI (Assyrii) ROBUR EJUS. — « Robur, » id est fruges et opes eum roborantes: « Panis enim cor hominis confirmat, » *Psalm. ciii, 15.* Mystice, alieni sunt dæmones, qui vires animæ, sugerendo cupiditates, enervant, eo non advertente. Unde ait: « Et ipse nescivit, adversarios amicos putans, et devoratores suos arbitrans esse convivas, » ait S. Hieronymus. Sic et S. Gregorius lib. XXXIV *Moral.* cap. iii. Quocirca recte S. Bernardus, serm. 2 *De Quadrag.*, id adaptat Religioso, qui in exteriora cor effundit, itaque ejus robur spirituale dissipat et perdit. « Miser, ait, homo qui totus pergens in ea quæ foris sunt, et ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse cum nihil sit, ipse se seducit. Sicut aqua effusus sum (ait Psalmista in persona hominis), et dispersa sunt omnia ossa mea. Et alias quidam Propheta: Comederunt, inquit, alieni robur ejus, et ignoravit. Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corredit. Manet tonsura, vestis needum mutata est, jejuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis; sed cor longe est a me, dicit Dominus. Attende solerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas aut contristeris: et sub habitu religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. »

SED ET CANI EFFUSI SUNT IN EO (q. d. Jam Israel captivitati et excidio proximus est, uti homo senex et canus morti: Israel canescit, senescit, tendit ad interitum. Est catachresis), ET IPSE IGNORAVIT, — se excidio proximum, multo magis ignoravit se ob derelictum Deum, et ob idola exscindendum. Ita S. Hieronymus. Alter Haymo, Hugo et Lyranus, q. d. Israel pervenit ad canitatem, mortem et excidium: itaque tunc cœpit sapere, et agnoscere suam culpam, causamque excidii. Nemo enim tam insipiens est, qui non in morte sapiat. Sic Ptolemæus, ut habetur in ejus Vita præfixa *Almagesto*, dicere solebat: « Ulti-

mæ promissiones hominis canæ sunt, » id est sapientes, seriæ, æque ac seræ et ultimæ. Verum cum hac explicatione non recte cohaeret *tù et ipse ignoravit.*

Tropologice, S. Hieronymus hæc referens ad ^{Tiopologice.} hæreticos, aliosque impios: « Comederunt, inquit, alieni, id est dæmones, robur ejus; sed et cani effusi sunt in eo, imo effloruerunt, id est multo erravit tempore, et nihilominus ignoravit senectutem et vetustatem suam, de qua scriptum est *Hebr. iv*: Quod veteratur et senescit prope extermium est. Etsi ad justum virum, et ad Ecclesiasticum dicitur *Sap. iv*: Cani hominis sapientia ejus; quare non dicatur ad iniquum et hæreticum: Cani hominis stultitia ejus? De hac senectute Daniel dicebat ad presbyterum: Inveterate dierum malorum. Unde et in libro *Pastoris* (si cui tamen placet illius recipere lectionem) Hermæ primum videtur Ecclesia cano capite: deinde adolescentula et sponsa crinibus adornata. »

Aposite ergo hæc Osee verba Pelagio hæresiarchæ seni, et inveterato malorum dierum, cum jam ipse hæresim antea occultatam detegeret, ac instar Cain vagabundus eamdem per Aegypti monasteria spargeret, adaptat et intorquet B. Isidorus Pelusiota, scribens ad eum sub annum Domini 403, lib. I, epist. 314: « Cani, inquit, effusi sunt in Ephraim, et ipse ignoravit, vitiosis nimis affectibus juvenescens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitatem invexit, et tamen rigidum et inflexum animum habes, ex alio monasterio in aliud migrans, atque omnium mensas perscrutans et explorans. »

Vers. 10. 10. ET HUMILIABITUR SUPERBIA ISRAEL IN FACIE EJUS. — Hebraice, *respondebit ergo fastus Israelis ei faciem*, id est, testificabitur contra eum palam et aperte, quod scilicet juste ob superbiam deprimitur et evertatur. Vide dicta cap. v, 7.

Vers. 11. 11. ET FACTUS EST EPHRAIM QUASI COLUMBA SEDUCTA NON HABENS COR. — « Cor, » id est mentem, sensum, prudentiam. Simile adagium est apud Suidam: « Columba sedens; » hæc enim simplex, facile seducitur et capitur vel a milvo, vel ab aucupe. Pro seducta hebraice est פָתַח potha, id est flexilis, facilis, seductilis: Septuaginta ἄνευ, id est insipiens, amens, uti legit Isidorus Pelusiota, lib. IV, epist. 137; Aquila et Symmachus, *decepta*; Leo Hebraeus, *stolida*, quæ scilicet facile se sinit capi et decipi, quia simplex et carens corde, id est intelligentia et sagacitate: rursum corde, id est cordato animo et memoria. Unde Syrus vertit: *Factus est Ephraim quasi columba puella* (parvæ ætatis, ideoque ignara, inexperta et seductilis, cui non est cor, animus, animique fortitudo; Arabicus Alexandrinus: *Factus est Ephraim ut aves insipientes, et non est illi intelligentia*; Arabicus Antiochenus: *Factus est Ephraim sicut columba non habens intellectum, neque cor.*

Nam primo, columba cum singulis mensibus columba exors. ova pariat et pullos excludat, videatque singulos Primo.

e columbario et nido continue auferri, ad eum tamen oblivious et stolida iterum iterumque, et millies redit; ibique rursum ova fovet, pullos excludit, qui iterum auferantur. Secus faciunt aliæ aves, quæ, ovis aut pullis sublatis, aufungiunt, nidumque mutant: ita Israel licet videret se spoliari, suasque proles capi nunc a Phul, nunc a Teglathphasar, nunc a Salmanasar regibus Assyriorum, tamen identidem ad Assyrios recurrebat opem postulans. Nota: Aristoteles, lib. *De Generat. et part. animalium*, docet nec columbam, nec ullum animal quod sanguinem habeat posse vivere sine corde: cor hic ergo non physice, sed symbolice accipiendum pro sensu et sapientia, qua præ reliquis avibus carent columbæ. Id maxime verum est in columbis Syriæ, quæ ita nidum et columbarium suum adamant, ut etiam per centum milliaria et amplius ab eo abducantur, et in peregrina ignotaque regione constituantur, tamen vel ex odoratu, vel ex sagacitate et instinctu naturæ cognoscentes ubi sit suum columbarium, si libere ex alto avolare sinantur, mox ad illud directe paucis horis contento volatu revolent: unde Syri columbis prœnuntiis et veredariis utuntur, uti oculati testes mihi retulerunt, de quo plura cap. XI, 41. Tales erant Israelitæ in Syria, qui opes suas in idola stolide profundebant, quin et filios proprios idolo Moloch comburendos quasi insani tradebant, atque ob hæc vastabantur ab Assyriis: ipsi tamen spoliati opibus et orbati filiis, sine ullo quasi doloris aut dispendii sensu redibant ad sua idola, æque ac ad Assyrios, eorumque opem et amicitiam ambiebant, quod æque vecors et stultum erat, ac si quis lupo ovem aut prolem committeret. Erat ergo Israel excors, ingens sine medulla pepo, et cucurbita. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoreetus, Hugo, Arias, Theophylactus, Riberia, Mariana et alii.

Secundo. Secundo, columba est vecors et excors, quia, ut ait Arias, cum reliquæ aves retia caveant et aucupem fugiant, columba tamen adeo stupidæ est, ut propter objectam escam, præsertim tempore nivis, sponte in retia incurrat; mox enim ut videt abeuntem eum qui retia tetendit, in illa ad escam devolat. Rursum S. Basilius, epist. 175 ad Julittam: « Ars, ait, quædam est aucupandi columbas, videlicet talis: ubi unam ceperunt qui capiendis illis student, cicurem illam reddunt, et ad humanum convictum assuefaciunt. Deinde unguento alas illius perungunt, sinuntque coniungi agrestibus; illa vero per unguenti fragrantiam agrestem illum ac liberi passus gregem, ad possessionem transfert ejus, cuius ipsa domestica est. Bene olentes autem sequuntur et reliquæ, atque ita in potestatem columbarii veniunt. » Prudentius quoque in *Hamartigenia* luculenter omnes modos enumerans, quibus ab aucupibus columbæ decipiuntur, ostendit totidem fere illusionibus hominum animas a dæmoni in tartara

detrudi. Hinc et Christus, *Matth. x, 16*, monet ut simplicitatem columbæ cum serpentis prudentia copulemus, eaque illam accuamus et custodiamus, ut scilicet ita simus simplices, ne aliis noceamus; sed et prudentes, ne aliorum insidiis capiamur, prudentia enim sine simplicitate calliditas est; simplicitas sine prudentia, stultitia est. Hinc Prudentius Evam a serpente deceptam columbæ comparat:

Eva columba fuit tam candida, nigra deinde
Facta per anguinum malesuada fraude venenum.

Insuper columba domestica a columbis alterius columbarii, sibiloque aucupis illecta, in illud sponte se infert, seque capi permittit. Denique solent aucupes exoculatam columbam in reti ponere, quæ subsultans et in reti ludens, eoque se illaqueans, ad idem cæteras columbas alliciat. Ea Græcis παλεύτρια, teste Suida, dicitur a παλεύειν, quod est seducere, seu in laqueum inducere. Unde Aristophanes in *Avibus* loquens de columbis ait: « Et cogit paleutriam agere (columbas) alligatas in reti. » Similes paleutrias anates vidi in Belgio, quæ in lacubus et paludibus jungentes se anatibus sylvestribus, eas abducebant in retia, magna herorum voluptate et quæstu. Ita Israelitæ sponte in laqueos et aucupes, puta in Assyrios et Ægyptios incurrebant, se suaque illis debabant, hostesque suos aestimabant amicos. Hoc est quod explicans subdit Osee: « Ægyptum invocabant, ad Assyrios abierunt. Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum, et quasi volucrem cæli detrahiam eos. » Id maxime verum fuit in Hosee ultimo rege Israel: hic enim cum esset tributarius Salmanasar regis Assyriorum potentissimi, stolide rebellavit, ac contra eum imploravit opem Sua regis Ægypti; quare indignans Salmanasar, Samiam cum rege et regno evertit, IV Reg. cap. XVIII, 10.

Moraliter, tales sunt qui occasiones peccatorum, v. g. societatem puellarum, aut pravorum socrum non vitant, imo ambient, unde corruunt in peccata et gehennam. Quid stolidius quam sponte Assyrio, id est dæmoni, se dedere, quam sponte in ruinam æternam se præcipitare? Ita Theophylactus. Vere S. Augustinus, lib. I *Confess.* cap. XIII: « Quid est miserius misero non miserante seipsum? » Sapienter monet S. Ephrem, ode *In eos qui assidue peccant et raro penitent*, tom. I: « Fuge, ait, scorpionem, cuius nosti stimulum: fuge serpentem cuius exploratam habes perniciem. Qui secundo in euodem impegerit lapidem, cæcus est aut mente captus. »

Tertio, columba notat ingratum erga bene de **Tertio.** se meritum. Nam mas ubi robustior evaserit, ex consortio matris patrem expellit, itaque ei condubio jungitur, ait Horus, *hierogl.* 54, et Aldrovandus in *Columba*, pag. 418. Sic Israel ingratus fuit Deo optime de se merito, eumque expulit e throno matris suæ, puta Synagogæ, quam

Quarto.

sua idolatria constupravit, et conspurcavit.

Quarto, columba est vecors, quia, ut docet Plinius lib. X, cap. xxxvi, et ex eo Sanchez, sibi in colorum varietate mire placet; unde ut eam columbae in pennis suis alisque ostentent, inani quadam jactantia eas inter se collidunt et implicant, ut resonent strepitumque edant. Ad strepitum excitantur accipitres, qui advolant, easque implicitis alis avolare non potentes, facile capiunt. Ita dum vanæ gloriæ, suæque pulchritudini indulgent, ultro sibi mortem adsciscunt: sic et Israel sua superbia, jactando suas opes, suæque terræ fertilitatem et amoenitatem, illexit Assyrios ad eam invadendam et capiendam. Sic et hodie multis venustas et ostentatio est causa ruinæ et interitus.

Vere Poeta:

Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque.

Denique Israelem imprudentem comparat columbae seductæ et insipienti, quia est et columba sapiens, de qua dicitur: « Quis dabit mihi penas, sicut columbae, et volabo, et requiescam? etc., cuius pennæ deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore auri, » *Psalm. LVII.* Ita S. Hieronymus.

Symbolice. cor est bulla pectoris, et bulla est cordis symbolum. Bullam enim gestabant nobiles in pectore, ut eam insipientes se homines et rationales cogitarent, si corde et mente excellerent. Rursum cor arcano sermone notat consilium, ait Pierius *hieroglyph.* xxxiv, et vicissim bulla Macrobius dicitur ἀπὸ τῆς βουλῆς, id est consilio: tam ergo bulla, quam cor, symbolum est, monitor, indexque consilii. Hinc Salomon orat *III Reg.* iii, 9: « Dabis servo tuo cor docile, » id est sapiens plenumque consilio, « ut populum tuum judicare possit. » Ex adverso carent corde principes et subditi, qui sine ratione et consilio regunt aut reguntur, qui non animadvertisunt quid eligant, quid faciant, quem finem sit res habitura, in quas difficultates et ærumnas se conjiciant; sed temere objecta voluptatis, opum aut honorum esca, eam invadunt cum jactura vite, status et animæ. Sic Judæis ait Jeremias, cap. v, 21: « Audi, popule stulte, qui non habes cor. » Et Sapiens, *Prov.* cap. vi, 32: « Qui autem adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam. » Et cap. xi, 12: « Qui despicit amicum, indigens corde est. » Et cap. x, 13: « Virga in dorso ejus qui indiget corde. » Sic Plautus ait de muliere: « Cui pectus sapiat; nam cor non potest: » quia nullum habet. Sic Tertullianus, lib IV, cap. x *Contra Marcionem*, ait, eum nec cor, nec cerebrum babere.

Videtur ergo peccator, qui stulte et imprudenter parva præ magnis, caduca præ solidis, momentanea præ æternis ambit et amplectitur, non habere cor; quia illud ei eripuit Plutus, Venus, fastus, etc. Exempla ad litteram illustria suppetunt. Narrat ex Prospero Gabriel Inchino, Canon.

Eccles. Lateran. serm. 1 *De puritate cordis*, rem miram de divite avaro, qui cum mortuus esset, heredes aperuerunt corpus, ac singula lustrantes, non invenerunt eorū: quod undequaque requirentes, tandem in cumulo nummorum ejus aureorum reconditum et sepultum invenerunt; quin et demonem specie draconis cordi assidentem, illudque discerpentem viderunt, eumque sibi dicentem audierunt: « Hoc aurum et argenteum est pretium cordis, quod mihi vendidit amicus vester, ideoque jure meum est, eoque pro arbitratu uti possum. » Simile est quod in *Vita S. Antonii de Padua* legimus: cum enim ipse orationem funebrem haberet in funere divitis cujusdam avari, urgeretq[ue]s verba Christi: « Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum, » enthusiasmo actus: Inspicite, ait, mortui thesaurum, videbitis quam hoc Christi dictum sit verum: ibi cor divitis invenietis; quare illud in eo quæsiverunt, et invenerunt.

Eleganter verbisque nervosis docet S. Bernardus, lib. *De Natura et dignitate amoris*, cap. 1, impios et carnales non habere cor hominis, illudque in ventrem eorum diffluxisse, et mutatum esse in brutum. Applicans enim eis illud *Psalm. XXI*: « Factum est cor meum tanquam cera liquecens in medio ventris mei, » subdit: « In angusta quippe corporis parte cor locatum est, ubi quasi medium superiorum sensuum arcem, et corporis inferioris sicut populi humilioris, quasi quamdam regeret et dispensaret rem publicam, totamque circumquaque cogitatuum et actionum regionem; sed ad concupiscentiæ carnalis ignem degeneri quadam mollitie liquescens, totum diffluxit in ventrem, et in medium ventris, videlicet non sapiens nisi ea quæ ventris sunt, et de ventre in ventris inferiora omnia confundens, omnia degenerans, omnia adulterans, amoris naturalem affectum pervertens in brutum quemdam carnis appetitum; non solum quæ non licet appetentem cum contumeliis corporis in passionibus ignominiae, sed adeo oblitum suæ antiquæ generositatis, ut qui creatus erat Deo soli, a corruptis et corruptoribus suis æstimetur esse potius luxuriae naturale domicilium, et vitiorum omnium prostibulum. Infelices qui tantum natura reclamante sibi viluerunt, ut animæ suæ locum, qui proprius Dei creatoris erat, et nulli creaturæ communicabilis, sedem Satanæ; sedem spurciarum et omnis immunditiae constituerent. »

11 et 12. *ÆGYPTUM INVOCABANT, AD ASSYRIOS ABIE-* Vers. 11
RUNT (q. d. Nunc Ægyptiorum, nunc Assyriorum et 12.) opem invocare solent Israelitæ. Unde mox de more rursum eam invocabunt: ET CUM PROFECTI FUERINT, EXPANDAM SUPER EOS RETE MEUM, — ut ab Assyriis reti quasi capiantur, a quibus opem sperabant, patet *IV Reg.* xv, 29, et cap. xvii, 24; ita Theodoreetus: *rete vocat exercitum Assyriorum.* Hinc secundo, q. d. Cum Hosee opem sua regi

*Ægypti invocabit, « abierunt, » id est abibunt et captivi ducentur Israelitæ « ad Assyrios. » Ita S. Hieronymus. Verum sic *abierunt*, non respondet *cum profecti fuerint expandam super eos rete*. Nam hoc sensu rete expansum erat a Deo, antequam abirent et proficiscerentur in Assyriam, quia hoc reti capti et abducti sunt.*

Tropolo-
gico.
Tropologice, *Ægyptios et Assyrios invocant*, qui non Dei, sed hominum favorem ambiunt, iis adulantur, dant munera, ut præbendam, vel statum ad quem aspirant assequantur, sed Deus super eos expandit rete; puta fastidia, molestias, æmulationes, ignominias, morbos, mortem, etc., quibus illaqueantur, et misere vivunt, et contabescunt.

QUASI VOLUCREM COELI DETRAHAM EOS, — q. d. Detrahama Israelitas ex altissima et munitissima urbe Samariæ (hæc enim ædificata erat in monte Somer, indeque vocata est Samaria, IV Reg. XVI, 24), quam dabo expugnandam et vastandam Assyriis, perinde ac aves arte aucupum, puta per immissos falcones, ex altissimis arboribus detrahuntur, capiuntur et occiduntur.

SECUNDUM AUDITIONEM, — q. d. Sicut olim audivit et monitus est Israel a Mose, Deuter. cap. XXVII et cap. XXVIII, scilicet se puniendum a Deo, si ab eo deflecteret ad deos gentium, ita nunc ab eo punietur et cædetur. Ita Vatablus, Clarius et a Castro. Aliter alii, q. d. Sicut totus eorum cœtus auditus est inclamare et poscere opem deorum et gentium, ita totum pariter cædam et plectam. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo et Lyranus.

Vers. 13. 13. EGO REDEMI EOS (liberavi eos tum ex Ægypto, tum ab aliis hostibus, puta Madianitis per Gedeonem, Philistæis per Samsonem, Ammonitis per Jephte, etc.) : ET IPSI LOCUTI SUNT CONTRA ME MENDACIA, — q. d. Ipsi tamen hanc redemtionem non mihi, sed vel idolis, vel aliis gentibus mendaciter adscripserunt, mentiti sunt quod dii gentium eos salvassent; non ego: ita S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus, Cyrillus, Vatablus et alii. Sic Hebræi educti ex Ægypto, cum Moses abesset, acciperetque legem a Deo in Sina, fabricarunt sibi vitulum, puta Apin, eique acclamarunt: « Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, » Exod. XXXII, 8.

ULULABANT, — q. d. Israelitæ ululabant præ miseriis et ærumnis, puta præ defectu tritici et vini, præ fame, siti, etc., nescientes aliud quam gemere et plorare, nec memores tunc opem meam esse implorandam. Ita Arias, Ribera et a Castro. Secundo, S. Hieronymus, Theophylactus, Hugo et alii, q. d. Ululabant more Gentilium bacchantium aut furentium, qui ululatu et horrendis clamoribus deorum opem exposcunt, putantes quod iis aures deorum ferient et pertundent, ut fit apud homines.

Vers. 14. 14. SUPER TRITICUM ET VINUM RUMINABANT. — Non dicit, comedebant, sed ruminabant, ut eos similes bestiis ostenderet, ait S. Hieronymus, quæ non

faciunt aliud quam comedere et ruminare, id est cibum comestum in os regerere, rursumque mandere, itaque jugiter cibum ex ore in stomachum, et ex stomacho in os mittere et remittere, q. d. Non aliud cogitant, non aliud somniant, quam escas et ventrem, modumque ea comparandi, ob hoc plorant, ob hoc ululant, dicentes cum patribus suis: « Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, » Num. XI, 4. De cætero non cogitant a quo ea petere; aut si eis donentur, cui gratias agere debeant, quia « recesserunt a me. » Hinc omnia tribuunt fortunæ, aut diis suis, non meæ providentiæ. Ita Vatablus, Clarius et Arias (1).

Aliter S. Hieronymus et Chaldæus, quasi dicant: Præ copia tritici et vini, quæ ruminant quasi bestiæ, recalcitrarunt et recesserunt a me. Verum quia ululabant præ fame hinc potius inopia laborabant, quam copia. Pro ruminabant hebraice est *חִנּוֹרָרַע* *iitgoraru*, quod et recentiores vertunt, conveniebant, congregabant se; Septuaginta vero, concidebant se, scilicet cultris ad placados deos, ut ab iis impetrarent triticum et vinum. Sic enim fecerunt sacerdotes Baal ad eliciendum ignem e cœlo, III Reg. XVIII, 28. Ita Cyrus et Theophilactus qui addit: Virilia sibi amputabant, ut sanctius diis ministrarent, ut faciebant cultores Rheæ matris. Noster optime vertit, « ruminabant, » quia hoc recte significat gulam Hebræorum, ob quam murmurare et ululare solebant; et *iitgoraru* id proprie significat. Nam *גָּרֹן* *garon* est guttur; inde *גָּרְרָה* *gorer* idem est quod gargarizo, guttur mulceo, vel proluo, ut Philoxenus, teste Aristotele in *Ethicis*, optabat sibi guttur gruis, ut diutius cibi potusque voluptatem et delicias sentiret. Et Alciatus hoc dat emblema gulosi :

Gurgulione gruis, tumida vir pingitur alvo,
Qui larum, aut manibus gestet onocrotalum.

Ita Forsterus, Marinus, et passim Hebræi in *Lexicis*, docent quod *גָּרָה* *ghera* significet pabulum præmansum, quod animal ex imo trahit et de-nuo ruminat, quasi dicas, trahenda, seu rumen; radix enim *gor*, vel *gorer*, vel *gara*, significat *trahere*, *attrahere*, quod in bestiarum stomacho et ore est ruminare, indeque deducitur *garon*, et *גָּרְגָּרָה* *garghera*, id est guttur, gurgulio, eo quod gutture trahitur et retrahitur cibus æque ac halitus, instar serræ, quæ proinde ab eadem radice a continuo tractu et retractu hebraice dicitur

(1) Sensus textus hebraici hic nobis videtur esse: *Nec clamant ad me in corde, animo suo*, sed alios deos invocant, quando *ejulant in cubilibus suis*, insomnes, morore confecti, *propter frumentum et mustum*, cum messis et vindemia non respondet eorum votis, *avertunt se, recedunt a me*, suos deos placaturi, petituri triticum et vinum ab illis, non a me; cf. cap. II, 7 et seqq. — Inopia frumenti et musti pro quavis calamitate commemorata est. Sic Ackermann et Maurer.

מְגַרְתָּה *meghera*, quasi dicas, traha : gulonibus enim terra, æque ac horologium, est gula et venter.

Vers. 15. 15. ET EGO ERUDIVI EOS (docui eos legem viamque salutis per Mosen. Secundo, « erudivi, » id est, reprehendi et castigavi pravos eorum mores per Prophetas : hoc enim significat Hebræum **צִרְתָּה יְיָ אֶת־בְּנֵי־עַמּוֹ** *iitsarti*. Ita Leo Hebræus. Tertio, Arias : « Erudivi, » inquit, id est instar medici dedi doque eis sana consilia et remedia. Quarto, « erudivi » eos ad bellum, puta constrinxi et accinxi eos gladio, inquit Vatablus; sequitur enim) : ET CONFORTAVI BRACHIA EORUM) ut hostes suos debellarent. Sic ait David *Psalm. cxliii*, 1 : « Qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. » Erudivi ergo eos, et roboravi tot tantisque modis) ; ET (id est at ipsi) IN ME COGITAVERUNT MALITIAM, — ut mihi rebellarent, ac deos gentium sequerentur et colerent.

Vers. 16. 16. REVERSI SUNT (ad pristinum suum ingenium, pravamque indolem et mores) UT ESSENT ABSQUE JUGO, — ut scilicet essent filii Belial, effrenes, exleges, rebelles, qui omne legis Deique jugum, quasi vaccæ indomitæ, excutiunt. Unde Chaldæus vertit : *Aversi sunt ut deficerent a lege*. Legit interpres cum Chaldaeo **לְיָ ol**, id est jugum, jam legunt **לְיָ al**, quod Rabbini, Vatablus, Pagninus et Clarius vertunt, *excelsus, altissimus*, a radice **לְיָ ala**, id est ascendit in altum. Vertunt ergo : *Revertuntur, at non ad Altissimum*, sed ad vitulos aureos. Videtur notare Jehu, qui cum evertisset Baal, videreturque Deum verum culturus, mox rediit ad vomitum, iterumque cultum vitulorum, quos Jeroboam exerat, restituit. Septuaginta vertunt : *Reversi sunt in vanum*, id est ad idola. Tropologice, ad vanas opes et honores sæculi. Allegorice, Christus erudit Judæos ; sed ipsi ab eo aversi, ejus legem excusserunt, et sagittis linguae suæ eum fixerunt clamantes : « Crucifige, crucifige eum. » Ita ex Cyrillo Leo Castrius.

FACTI SUNT QUASI ARCUS DOLOSUS. — Qui scilicet, cum suam sagittam mittere et jaculari videatur in unam partem, in quam a jaculante dirigitur, eam divertit, et in aliam partem, imo in ipsum jaculantem, eam reflectit et retrorquet, vel ex se, vel quia collimat et jaculatur in materiam duram, aut validam, quæ missam sagittam resilire facit in jacientem, ut accidentit militibus Eugenii tyranni, pugnantibus contra Theodosium Imperatorem, quod miraculum ita celebrat Claudianus in ejus *Panegyr.* :

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppalit hastas.

Pari modo Israel et Jehu, cum a me dirigeretur ad excidium Baal et idolorum, reflexus est in me, meumque cultum excidit, et statuit aras vitulorum, easque suo arcu propugnavit. Proprie « ar-

cus dolosus, » sive pravus, distortus et obliquus est, qui inter jaculandum alio mox vertitur (vel a vafro jaculatore, vel ob fabricam arcus ita compositam, vel casu, vel ob defectum arcus) quam in directum quo tenditur et respicit, sicque alium, vel etiam ipsum jaculantem nec opinantem, dimissa ferit sagitta. Unde Illyrica versio, *Psalm. lxxvii*, vers. 57, habet : *converterunt se in arcum inversum*, quales arcus arte fiunt, in quibus semicirculus cum sagitta in adversam partem levi ferri motu reflectitur, insciumque jaculanten configit. Ita Fenella Kemethum regem Scotorum occidit, porrigen ei pomum aureum, ita fabrefactum, ut quicumque illud tetigisset, statim multis telis e pomo prosilientibus transfigeretur, ut narrat Cardanus, lib. XII *De Rerum variet. cap. lvi*.

« Arcus dolosus, ait S. Hieronymus, est qui percutit dirigentem, et vulnerat dominum. » Ita Israel qui contra gentes, earumque deos se armare debebat, adversus se suumque Deum armatus est. Seipsum enim laedit, qui Deum offendit. Unde tropologice S. Gregorius, lib. XXVII *Moral. xxvii* : Convertitur, ait, in arcum pravum arrogans doctor, quia dum contra elationem verba facit, in seipso sagittas figit, sicut arcus perversus ipsum a quo intenditur, percutit, quod vulgo dicitur : « Cornicum oculos configere. » Addit S. Cyrillus : Deus, ait, tetendit Israelem, pugnans cum tyrannide diaboli, quasi proprium arcum adversus idolatriam, quæ universum mundum occupaverat; verum ipsi conversi sunt in contrarium, scilicet in Dei contumeliam et contemptum, ait Ruffinus. Alludit ad *Psalm. lxxvii*, 9 : « Filii Ephrem intendent et mittentes arcum, conversi sunt in die belli; » et ad arcum Jehu, quo dolose occidit Joram regem Israel, clamantem : « Insidiæ Ochozia, » IV *Reg. ix*, 23.

Rursum Israel est arcus dolosus, quia alio mittit sagittas fiducie et orationis suæ, scilicet ad idola, me relicto, ad quem eas mittere debebat, ait a Castro. Secundo, arcus dolosus est, qui videtur tensus et paratus ad jaculandum, cum sit remissus et ineptus. Unde Theodoreetus legit ex Septuaginta : *Facti sunt ut arcus non contentus*, sed laxatus, qui nullam perniciem hostibus infert; quanquam versionis Septuaginta vera lectio sit contraria, scilicet : *Facti sunt quasi arcus intensus*. Quod S. Hieronymus sic tropologice de hereticis explicat : « Quia, inquit, semper parati sunt ad pugnas et contentiones in perniciem audientium. » Idem sunt arcus dolosus, ut habeat nostra versio, « quia, sicut eorum patriarchæ Judæi, instructi de Scripturis sanctis, adversus Dominum legis et Prophetarum et Evangelii verba vertunt; » depravant enim Scripturas, eisque Deum earum auctorem, ipsamque ejus fidem et veritatem impugnant, quibus recte competit illud *Psalm. lxxvii*, 57 : « Conversi sunt in arcum pravum. » Ubi S. Augustinus : « Arcus, inquit, perversus non

Arcus
dolo-sus
quis?

pro nomine Domini, sed contra nomen Domini, juxta illud: Non erunt tibi dii alii præter me. Per arcum autem significat animi intentionem (1). »

Hinc tropologicē, arcus pravus vel dolosus sunt, qui intentionem quam in Deum dirigere debebant, dirigunt ad creaturas, v. g. qui jejunia, orationes, eleemosynas, quæ dirigere debebant in Dei honorem, dirigunt ad auram popularem. Ita Guadalupensis.

Rursum arcus dolosus sunt, qui per immanem ingratitudinem opibus et potentia sua abutuntur adversus illos, quorum opera fuerunt ea consecuti; uti de Eutropio et Habundantio narrat Claudianus, lib. I in *Eutrop.* Ita Delrio, *adagio* 949. Sic maledicus lingua ferit Deum, qui eam dedit ad sui laudem. Sic homicida manu quasi ferit Deum datorem, dum Dei imaginem, puta hominem, occidit. Sic omnis qui peccat, vel ingenio suo, vel facundia, vel opibus, vel aliis naturæ aut fortunæ dotibus a Deo datis, contra Deum prodæmone pugnat.

CADENT IN GLADIO (Assyriorum) PRINCIPES EORUM (Israelitarum) A FUORE LINGUÆ SUÆ. — Quia scilicet furente et indignante insana lingua, blasphemias in me, pro suis idolis certantes evomue-

(1) Rosenmuller: « *Sunt ut arcus remissus*, id est qui nervo ruinpente, faticit, nec ferit jaculando. Quæ comparatio optime quadrat. Israelitæ enim, si aliquando ad meliorem frugem redire cœperunt, mox remiserunt, et in priorem relapsi sunt impietatem. » Non male inquit Maurer, sed quæ *Psalm. LXXXVIII*, 57, est simillima imago, suadet ut de arcu fallaci intelligas verba hebraica, sensumque facias hunc: Deum invenire nesciunt.

runt, cum ab iis opem contra hostes peterent, me spreto. Ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Hugo et Lyranus. Unde Chaldaeus vertit: *Propter prævitatem linguae eorum*; Septuaginta, *propter impunitiam* (id est stoliditatem) *linguae eorum*, qua dicunt ligno: Deus meus es tu, et lapidi: Tu me genuisti, ait Cyrillus. Alter Vatablus et Arias: Furorem enim Dei accipiunt, q. d. Cadent, quia maledica sua lingua concitarunt furorem Dei, qui eos disperdet.

ISTA (est) SUBSANNATIO EORUM IN TERRA ÆGYPTI,— q. d. Hic est mos olitanus, hæc avita indeoles eorum; sic enim me deriserunt et subsannarunt olim habitantes in Ægypto, colentesque Apin. Unde Chaldaeus vertit: *Ista sunt opera eorum, dum essent in terra Ægypti*. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Albertus et Hugo. Alter Clarius et Vatablus. Subsannationem enim passive capiunt, q. d. Ridebuntur ab Ægyptiis, cum ab eis opem possent; dicent enim: Ite ad Dominum Deum vestrum, ite ad vestros Assyrios, illi vos juvent. Aut, ut Lyranus, ridebuntur ab ipso Deo, juxta illud *Psalm. II, 4*: « Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos (2). »

(2) Hac prophetia, inquit Paulus de Palacio in *Comment. in XII Prophet. minor.*, indicavit Propheta finem regni Israelis. Historiam habes IV *Reg. XVII*. Duo ergo docet Oseas, alterum, quod lingua principum furebat contra Assyrium, cum tamen melius esset servire ei, quam ab eo vastari; alterum, quod rogata Ægyptus ab Osee rege Israel, ut opem ferret, rogantes subsannavit. At ro-gatus Deus non subsannasset, sed opem præsentem attulisset.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur Deus Israeli excidium, quod Jeroboam posterosque ejus, se inconsulto crearit reges, cum eisque vitulos aureos coluerit. Unde ait: Ventum seminabunt, et turbinem metent. Secundo, taxat quod amicitiam Assyriorum ambierit, et dato tributo emerit; ideoque ab illis ipsis exscindendum prædicit, excisis pariter urbibus et delubris, quæ magnifice ædificaverat tam Judas quam Israel. Nota: Israelem, ejusque opera et idola comparat primo, vers. 6, aranearum telis; secundo, vers. 7, vento et turbini, ac culmo evanido; tertio, vers. 8, vasi immundo, id est matulæ; quarto, vers. 9, onagro (1).

1. In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini: pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, et legem meam prævaricati sunt. 2. Me invocabunt: Deus meus, cogno-

(1) Etiam hic sermo Prophetæ ad ultimam regni Israëlitici ætatem referendus est. Ad quodnam vero tempus præcise pertineat, sic explicat Maurer: Versu 14 vates Judæis oppidis munitis iisque recens exstructis confidere dicit; vers. 7, 8, 9, Israelitas cum maxima reipublicæ jactura ad Assyrios configuris queritur. Vides igitur hanc orationem in Menachemi ætatem optime convenire. Ea enim ætate Usia, qui fuit æqualis Menachemo, oppida et castella extruxit (II Chronol. XXVI, 6, 9, 10), Israelitæ autem ad Assyrios se converterunt, eamque suam inconsiderantiam luerunt mille talentis argenti.

PRIMO, excitatur Propheta ad denuntianda Israëli mala, quæ, *primo*, probantur justa, ob legem ab Israelitis violatam, 4; *secundo*, impugnantur ab his, exceptione fidei suæ opposita, 2; *tertio*, confirmantur repetitione culpæ et indicatione pœnæ, 3; *quarto*, specificantur commissæ, scilicet creatio regum et principum, Deo inconsulto facta, 4; *quinto*, cultus vitulorum aureorum cœptus, continuatus, inveteratus, 4-6.

SECUNDO, plagæ hinc immissæ recensentur, *primo*, fructificatio vana vel direpta, 7; *secundo*, despectio ignominiosa apud gentes vicinas, quarum opem amicitiamque

vimus te Israel. 3. Projicit Israel bonum, inimicus persecetur eum. 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes extiterunt, et non cognovi : argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent. 5. Projectus est vitulus tuus Samaria, iratus est furor meus in eos. Usquequo non poterunt emundari? 6. Quia ex Israel et ipse est : artifex fecit illum, et non est Deus : quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ. 7. Quia ventum seminabunt, et turbinem metent : culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam; quod et si fecerit, alieni comedent eam. 8. Devoratus est Israel : nunc factus est in nationibus quasi vas immundum. 9. Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi : Ephraim munera dererunt amatoribus. 10. Sed et cum mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos : et quiescent paulisper ab onere regis et principum. 11. Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum : factæ sunt ei aræ in delictum. 12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt. 13. Hostias offerent, immolabunt carnes, et comedent, et Dominus non suscipiet eas : nunc recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum : ipsi in Aegyptum convertentur. 14. Et oblitus est Israel factoris sui, et ædificavit delubra : et Judas multiplicavit urbes munitas : et mittam ignem in civitates ejus, et devorabit ædes illius.

Vers. 4.

1. IN GUTTURE TUO, — q. d. Admove tubam ori tuo, aut potius maxima voce et clamore tubali, ac si tubam haberes in gutture, proclama et expectora id quod sequitur, scilicet : Veniet hostis « quasi aquila super domum Domini. » Sic Isaïe LVIII, 1, ait jubetque Deus : « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. » Septuaginta vertunt : *In sinu eorum quasi terra*. Cur ita vertent nescire se fatetur S. Hieronymus, nec enim quid tale est in hebræo. Suspicor pro שְׁפָר sco-phar, id est tuba, eos legisse עַפְרָ aphar, id est, pulvis terræ; et pro חִכְחָה chickecha, id est in gutture tuo, legisse חֶקְקָה chekecha, id est in sinu tuo. Theodoretus refert istud ad finem capitinis præcedentis, hoc sensu : *Subsannatio ista recidet in sinum eorum; fient enim quasi terra invia; nam hostis veniet quasi aquila*. Porro Theodoretus miscens versionem Theodotionis versioni Septuaginta, legit, *quasi terra in via sicut tuba*; Syrus vertit : *Tonitruum tuum velut tuba (sit), et quasi aquila super domum Domini*; Arabicus : *Et erat in foraminibus eorum quasi terra, et quasi aquilæ in domo Domini*.

QUASI AQUILA SUPER DOMUM DOMINI. — Subaudi, veniet, advolabit, insiliet hostis. Hunc enim comparat aquilæ, quæ in sublime elata, ex improviso instar tormenti involat in prædam, puta in agnos, capras, lepores. Per aquilam multi intelligunt Nabuchodonosor : hic enim domum Domini, id est templum, vastavit et incendit, idemque ab Ezechiele, cap. xvii, 3, Jeremia, cap. XLVIII, 40, et Habacue, cap. I, 8, comparatur aquilæ. Ita S. Cyrillus, Theodoretus, Hieronymus, Theophylactus, Alber-

ambierunt, 8-10; tertio, damnum tum ex malis, scilicet aris idololatricis erectis, tum ex bonis, scilicet legibus a Deo datis, sed contemptis, natum, 11, 12; quarto, aversio Dei a sacrificiis, et conversio ad punienda peccata Israelitarum, 13; quinto, vastatio utriusque regni decreta, 14.

tus, Hugo, Lyranus, Vatablus et Ribera. Verum Nabuchodonosor evertit regnum Juda, non Israel, de quo continue hic agitur.

Secundo, Arias accipit Sennacherib, qui post excisos Israelitas invasit Jerusalem et templum. Alii accipiunt Salmanasar, qui evertit « domum Domini », id est Israel, qui erat populus quem inhabitabat Dominus.

Tertio, a Castro hic explicat, q. d. Veniet Salmanasar tantis copiis et animis, ut videatur non tantum Samariam, sed et Jerusalem templumque excisurus; unde ex Hebreo vertas : *Quasi aquila usque ad domum Domini*, puta usque ad Judam et templum veniet, sed Deo adhuc parcente Judæis et templo, eumque ab illis avertere, Judam et templum reipsa non invadet. Denique aliqui per *domum Domini* accipiunt fanum vitulorum : hoc enim idololatræ vocabant domum, id est templum Domini.

Quarto et melius, jungendo primam expositionem cum secunda, per aquilam intelligas hostem in genere, tam Chaldæum, quam Assyrium, puta Nabuchodonosorem, qui Judam et templum, ac Salmanasar, qui Israelem evertit. Loquitur enim Propheta brevis confuse et concise, miscetque subinde Judam cum Israele, et utrique hostes excidiumque intentat : esto crebrius vaticinetur Israeli, uti hic mox ad eum resilit. Israelis enim excidium fuit prævium, vicinum et affine, ac quasi præludium excidii Judæ : eo quod tam Judæ, quam Israelitæ transgressi sint foedus legemque Dei, ut sequitur.

Porro *domus Domini* hic vocatur templum, quod ex sui origine, Deique institutione communè erat Judæ et Israeli; hinc symbolice tam Israel, quam Juda, erat domus Domini : quia in utroque populo a se electo per sui cultum et templum habitabat Deus. Sic Jeremias XII, 7, dicitur : « Reliqui domum meam; dimisi hereditatem meam; »

id est reliqui Iudeam. Et cap. xi, 15 : « Quid est quod dilectus meus in domo mea (in terra sancta) fecit scelera multa? » Sic passim apud Prophetas, populus Dei vocatur domus Jacob, domus Israel, domus Juda. Sensus ergo est, q. d. Veniet hostis Assyrius et Chaldaeus cum magno impetu, feritate et velocitate advolans quasi aquila ad prædam, ut domum Domini, id est terram sanctam, tam duarum, quam decem tribuum diripiatur, imo ipsum Dei templum succendat. Cur Chaldaei comparentur aquilæ, dixi Ezech. xvii, 3.

Quinto et optime, totus hic versus sic connecti (ut in Bibliis passim sine dispunctione media connectitur) explicarique potest : « In gurgite tuo sit tuba quasi aquila : » supple, clangere et exalta vocem tuam « super domum Domini. » Clangor enim proprie aquilarum vox esse dicitur. Unde auctor Philomelæ :

Dum clangunt aquilæ, vultur pulpare probatur.

An clan- Et Homerus *Iliad.* μ. « ipsa vero (aquila) clangens
gant a- volabat flatibus venti. » Quidam aquilæ vocem
quilæ? vocarunt reboatum, propter strepitum gravem
avibus alterius speciei, maxime nocentibus, tam
inimicum adeoque terribilem, ut earum feratur
tardare motum et obtundere, qualis sane regiam
avem decebat : quin et draco ipse clangorem
aquilæ audiens, terrore percusus intra latebras
suas mox se abscondere dicitur. Verum hoc ve-
rum est tantum in degeneri aquila, quam vultu-
rinam, vel subaquilam vocant. Nam vera aquila
tantum abest ut vocem aliquam edat, aut canat,
ut mutam pene physici tradant, aut vix vocalem,
idque ex animi magnitudine, qua fame et siti su-
perior, animæ affectus et cupiditates regere et
moderari novit : voces enim hujusmodi plerum-
que intemperantis impotentisque animi affectus,
puta inopiam, aut cupiditatem, aut timorem, aut
lætitiam indicant. Ita ex Plinio et Eliano Aldro-
vandus in *Aquila*, pag. 33. Quin et Aristoteles,
lib. IX *Hist. Anim.* cap. xxxii, melanætum, sive
pullam aquilam, quam liberalem vocat, invidiæ-
que expertem, ideo non clangere nec murmurare
autumat, quia modesta minimeque petulans, af-
fectus moderari ac cohibere melius possit quam
cæteræ. Hic sensus planus et appositus videtur.
Jubetur enim Propheta tuba clangere instar aquilæ,
ut repræsentet clangorem tubarum Chaldaeorum
et Assyriorum, qui quasi aquilæ feroces in-
volabunt in Samariam, Iudeam et templum.
Unde huc videtur alludere Joannes, *Apocal.* viii,
13 : « Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ vo-
lantis per medium cœlum, dicentis voce magna :
Væ, væ, væ habitantibus in terra ! » Hæc enim
aquila erit Propheta, prædicens orbi calamitates
imminentes sub tempora Antichristi, uti Osee hic
prædicti clades Israeli instantes : vide dicta *Apoc.*
viii. Porro in Scriptura non raro aquila vocatur
subaquila, ut *Matth.* xxiv, 28 : « Ubicumque fuerit
corpus (cadaver), illuc congregabuntur et aquilæ, »

scilicet vulturinæ, sive subaquilæ; vera enim aquila, quia generosa, non cadaver quærerit, sed prædam vivam : nec comedit nisi quod ipsa ne-
caverit, teste Aristotele, Plinio aliisque physicis. Allegorice Leo Castrius : Aquila, ait, significat Titi et Romanorum exercitum ac vexilla ; in his enim præferebant aquilas, q. d. Romani vastabant Jerusalem et templum, in eoque sua vexilla, puta aquilas, collocabunt ob cæsum a Iudeis Christum.

2. ME INVOCABUNT (cum sibi exitium imminentem vers. 2.
sentient, dicentque) : DEUS MEUS, COGNOVIMUS TE
ISRAEL, — q. d. Nos qui sumus Israel, id est Israe-
lis, puta Jacobi patriarchæ filii et hæredes, invo-
camus opem tuam : quia cognovimus et colui-
mus te, o Deus noster ; tu enim nobis tui co-
gnitionem et cultum per Mosem et patres nos-
tros indidisti. Vere Lactantius, lib. I, cap. i : « Nul-
lus, ait, suavior est animæ cibus, quam cognitio
veritatis, » præsertim primæ increatae. Dicit *meus*
in singulari pro *noster*; quia respicit nomen *Israel*,
quod pariter est singulare quoad vocem, sed plu-
rale quoad significatum : significat enim totum
populum. Unde ait : « Invocabunt » in plurali.
Hic a toto cœtu Hebræorum, tam duarum quam
decem tribuum, descendit ac salit Osee ad unam
ejus partem, puta ad Israel, id est decem tribus;
contra has enim maxime prophetat, eo quod
ipsæ idolatriæ et schismatis fecerint initium eo
ipso tempore, quo vivebat et hæc prædicabat
Osee ; cum duæ tribus post mortem Osee, sub
Achaz et Manasse regibus ad idola deflexerint.
Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoreetus, Haymo,
Hugo, Ribera et alii. Chaldaeus vertit : *Omnis tem-
pore in quo adduco super eos angustiam erant coram
me dicentes : Nunc certo cognoscimus quod non sit
nobis Deus præter te : redime nos, quia sumus po-
pulus tuus Israel.* Sed frustra clamabunt, meque
invocabunt ; causam subdit, dicens :

3. PROJECIT (enim) ISRAEL BONUM, — Deum scilicet, Vers. 3.
ejusque fidem et religionem. Deus enim est om-
ne bonum, tam suum quam nostrum, ut ei sin-
guli merito dicere debeamus cum S. Francisco :
« Deus meus, amor meus, et omnia. » Secundo,
« projectis Israel bonum » virtutis et pietatis,
æque ac divinitatis meæ. Idecirco ego pariter a
me abjiciam et projiciam eum, quo facto « ini-
micus persecuetur eum. » Causam primam et
fontem mali subdit, dicens :

4. IPSI REGNAVERUNT, ET NON EX ME. — Primo, ver. 4.
taxatur hic populus, quod inconsulto Deo reges
sibi crearit proprios, eosque schismaticos : unde
et statim cum eis a Deo ad idola vitulorum de-
fecit, tamque schisma a fide, quam a domo Da-
vidis fecit, III *Reg.* XII. Ita S. Hieronymus, The-
ophylactus, Theodoreetus. Ubi nota : *Pro regnaverunt
hebraice et chaldaice est himlichu*, id est
regnare fecerunt, reges sibi constituerunt. Quo-
cirea Origenes, hom. 4 in lib. *Judic.*, et Cyprianus
epist. 53, legunt : *Sibimet regem constituerunt, et*

non per me; principem, et non per consilium meum; clarius Chaldaeus: *Regem sibi crearunt, et non ex sententia mea; constituerunt sibi principes, sed non ex voluntate mea.* Porro Origenes et S. Hieronymus putant hic notari Saulem, cum populus a Samuele regem peteret. Tunc enim Deus dixit Samueli: « Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. » Verum hoc factum jam exoletum erat, et emendatum per Davidem, quem Deus ipse Sauli substituit, regemque a Samuele ungi jussit: nec Saul fuit causa schismatis et idololatriæ, sed tam Judam, quam Israelem, in unius Dei cultu continuit.

Melius ergo idem S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoreetus, Haymo, Lyranus, Hugo, Ribera, cum Rabbinis, censem hic notari Jeroboam; hic enim ab Israele creatus fuit rex, fecitque schisma tam a Roboam et stirpe Davidis, quam Deo, ejusque cultu et templo, erigendo vitulos aureos in Dan et Bethel.

Dices: Jeroboam a Deo per Ahiam Silonitem prophetam designatus fuit rex. Scisso enim palio in duodecim partes, dixit ei Ahias: « Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. » Quocirca Abulensis, in III Reg. XII, Quæst. VIII et IX, censem decem tribus licite fecisse schisma a Roboam, et elegisse Jeroboam in regem. Ratio ejus est: Quia, inquit, ipsæ tribus liberæ erant populusque liber; Roboam autem volebat eas in servitutem redigere, easque regere ut tyrannus, non ut rex: poterant ergo ab eo recedere, et novum regem sibi creare. Populus enim vel respublica principibus et regibus dedit imperium in se, puta potestatem et jus regendi populum, sed certis justisque conditionibus: unde et potest illud iisdem auferre, vel immuovere, si ipsi eo abutantur et tyranni evadant. Non enim populus absolute se dedit regi, ut quis dat aurum vel equum amico, ita ut omne suum jus in eum transferat, nec unquam illud revocare possit; sed certis pactis intervenientibus, inter quæ primum est, ut juste ab eo regatur, utque contra hostes ab eo defendatur; quod si id negligat aut violet rex, potest populus revocare potestatem quam illi dedit, eumque regno deponere. Ita Abulensis.

Pro responsione nota: Duplex de Jeroboam est sententia, utraque probabilis. Prior asserit eum creatum esse regem tam a Deo, quam a populo; posterior censem eum creatum a solo populo, non a Deo.

A Deo In primis ergo Pineda, lib. II *De Rebus Salomonis*, cap. II, ita respondet: Jeroboam, inquit, accepit a Deo jus regni super decem tribus ministerio Ahiæ Prophetæ, dicentis III Reg. XI, 37: « Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel. » Sed postea suffragiis populi non tam cepit jus regni, quam possessionem, III Reg. XII, 20: « Cum au-

disset omnis Israël, quod reversus esset Jeroboam, miserunt et vocaverunt eum congregato cœtu; et constituerunt eum regem super omnem Israël. » Quod non tam pertinet ad jus regni, quam ad solemnitatem quamdam inaugandi regis, atque regii muneris exercendi. Qua ratione Origenes, Cyprianus, Theophylactus et Theodoreetus docent accipiendum hoc Osee VIII, 4: « Ipsi regnaverunt, et non ex me, » id est me inconsulto, suo tantum libito et cupiditatis temeritate regem constituerunt Jeroboam. Queritur enim Deus non de ipso Jeroboam, cui divinitus jus regni collatum fuerat; sed de decem tribubus, quæ ira potius et animi impatientia, quam idonea aliqua ratione ductæ a domo David defecerant, et alteri se regi regendas permiserant. Unde in Hebræo, pro *regnaverunt*, est חַבְלִיכּוּ himlichu, id est regnare fecerunt, regem creaverunt. Ita ipse.

Alii ex adverso, et forte probabilius, censem ^{Alii, a} Jeroboam non a Deo, sed a populo creatum esse ^{populo.} regem, idque Deum tantum prædixisse, III Reg. cap. XI, 37; nam illa verba: « Regnabis erisque rex, » prædictio sunt tantum et promissio regni, non vero ejus donatio. regisque creatio: regni, inquam, dandi a populo per ejus schisma et defectionem a Roboam, quod tamen permittere et non impedire intendit Deus, quia per illud punire volebat idololatriam Salomonis, ut ipse eidem prædixerat III Reg. XI, 11. Quod ergo ait: « Te autem assumam, » idem est quod: Te autem assumi faciam, ita animos populi resque omnes disponam, meaque providentia dirigam, ut assumaris in regem tu, non aliis. Idipsum, non aliud, nec amplius significat Deus, dum ait III Reg. XII, 24: « A me factum est verbum hoc, » puta schisma Israelis, quo novum regem sibi creavit. Huic sententiæ plane favet nostra versio hic, quæ habet: « Ipsi (scilicet Jeroboam, et posteri ejus reges Israel) regnaverunt, et non ex me. » Hebræum enim himlichu tam significat *regnaverunt*, quam *regnare fecerunt*: sæpe enim sumitur in significatione *kal*, esto sit *hiphil*. Favet et historia lib. III *Regum*; nam cum cap. XI Dominus tantum prædixerit et promiserit Jeroboam regnum dandum per populum, nusquam autem de facto ipsum unixerit aut crearárit regem, sed cap. XXIII, solus populus faciens schisma a Roboam per se inconsulto Deo eum regem constituerit; plane videtur a solo populo, non a Deo, ipse creatus fuisse rex. Populus autem creando eum regem peccavit; quia temere, sine consilio et consensu Dei id fecit. Debebat enim in re tam gravi ex prisco more consulere Deum per Pontificem, vel per Prophetam. Deus enim instituerat regnum Hebræorum per Samuelem, volueratque unum esse, non duo: Hebrei enim erant populus et regnum Dei: ac proinde regnum hoc non tantum humanum erat, uti est aliarum gentium, sed et spirituale et divinum. Peccarunt ergo Israëlitæ qui inconsulto Deo hoc regnum immuta-

An Jero-
boam
fuerit
rex, an
tyrannus?

Regem
fuisse
censem
Abulensi-

sis.

A Deo
creatrum
censem
Pineda.

runt, et mere humanum effecerunt, ac divisorunt, novumque regem sibi crearunt. Sic peccarent populus et cleris, si Pontificem, etiam tyrannice regentem, deponerent: Pontifex enim a Deo auctoritatem accipit et potestatem, non ab Ecclesia, ideoque a solo Deo deponi potest. Jeroboam quoque peccavit: quia licet sciret a Deo prædictum et promissum sibi regnum, tamen illud iniit sine Deo, neque unctus fuit a Pontifice, aut Prophetam, sed solius populi tumultuantis vocibus et acclamationibus creatus, illud acceptavit et usurpavit. Secus est de Jehu, qui schismate jam facto, et regno Israelis jam instituto, a Deo creatus et unctus est rex per Prophetam, IV Reg. ix, 6. Quod ergo Deus per Ahiam dicit Jeroboam, III Reg. xi, 31: « Scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi deçem tribus, » intellige non active per me, sed objective et permissive per Israelem, puta per populum. Objiciam enim ejus oculis et animis imprudens et tyrannicum responsum et regimen Roboam, quo fiet ut ipse ab eo aversus convertat se ad Jeroboam, eumque creet: quod ego permittam; ut puniam peccata tam Salomonis, quam Roboam. Sicut ergo Christus ait, ob hominum malitiam et infirmitatem necesse esse ut fiant scandala, vñ tamen homini illi per quem scandalum venit! ita posita duritie Roboam, et aversione populi ab eo, necessum quasi erat alium, puta Jeroboam, a populo regem creari: vñ tamen illi, qui hujus creationis fuit causa et scandalum! Deo enim irato, ideoque invito ea facta est; unde Israelitæ non leguntur Deum consuluisse, nec ex ejus oraculo aut directione, sed motu proprio et temerario regem sibi subito creasse. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrilus, Vatablus, Ribera, a Castro et alii. Prædixit ergo Deus Ahiae et Jeroboam, eum regem futurum per tumultum populi, non vero ipse per se eum regem constituit. Taxat itaque Deus hic primo populum, quod sine suo nutu regnum Davidis unum a se constitutum, in duo divisorit, quodque ab eo fecerit schisma, ac novum sceptrum et regnum sibi erexerit, creando sibi regem Jeroboam; præsertim quia per hoc schisma prævidebat eum induciturum schisma in fide, et idololatriam. Itaque peccavit populus contra jus non humanum, sed divinum, ac consequenter contra religionem, non contra justitiam. Jure ergo queritur Deus, quod reges in Israel non regnarunt ex se, uti regnarunt reges Juda; quia ipse non instituit regnum Israel, ut instituit regnum regesque Juda.

Secundo, taxat ipsos reges Israel, quod non ex Deo, sed ex se regnarint: quia scilicet aliqui ex eis tyrannice regnum invaserunt, ut Zamri, Amri, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee et Hosee, sub quibus hæc prophetavit Osee, IV Reg. xv et sequent. Alii vero, ut Jeroboam, Jehu, etc., licet a Deo viderentur designati vel electi, tamen non tam ex divina auctoritate et voluntate, quam ex propria cupiditate et regandi libidine regnum

iniverint: unde et statim ad idola defecerunt, ut sequitur. Quocirca Septuaginta vertunt: *Ex semetipsis regnaverunt, et non ex me, principes existiterunt, et non indicaverunt mihi.* Denique regnaron, id est regnum administrarunt, non ex me, id est non juxta meam legem et voluntatem, sed juxta suam tyrannidem et impietatem, præser-tim quia per leges et edicta sua sanxerunt idolo-latriam. Ita Sanchez.

Tropologice, hæc facile est adaptare tyrannis, qui regnum vel invadunt, vel legitime adeptum tyrannice administrant, præsertim qui hæresim, schisma, sacrilegia in regnum invehunt; rursum iis qui ex ambitione potius, quam virtute imperium regimenque ambiant, et capessunt principatum vel prælaturam, contra quos ait S. Gregorius, I part. *Pastor.* cap. i: « Dominus per Prophetam queritur dicens: Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes existiterunt, et ego ignoravi. Ex namque, et non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis recipiunt potius, quam assequuntur. Quos tamen internus judex et provehit, et non cognoscit; quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat. » Et S. Bernardus, *De Convers. ad cleric.* cap. xxvii, taxans clericos ambientes prælaturas: « Tolleritis, inquit, et non accipitis claves. De quibus Dominus queritur per Prophetam: Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes existiterunt, et ego non vocavi eos. Unde tantus prælationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audeatne aliquis vestrum terreni cuiuslibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo sua a vasis iræ aptis in interitum sustinet, approbare. Multi quidem veniunt, sed considera quis vocetur. »

Aptius hæc adaptat S. Cyprianus Fortunato et Felicissimo, aliisque schismaticis, qui cathedram Pontificiam S. Cornelii legitimi Papæ convellere et invadere moliebantur. Unde scribens *ad Cornelium*, epist. 3, lib. I, habet hanc auream sententiam: « Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus judex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria divina (notent hoc hæretici) obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret: nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, judicem se jam non Episcopi, sed Dei faceret; nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsim foris novam hæresin conderet. » Et inferius: « Planc Episcopi (schismatici) non de voluntate Dei fiunt; sed qui extra Ecclesiam fiunt, sed qui contra dispositio-

Tropologice, ambitiosi non regnare ex Deo.

nem et traditionem Evangelii fiunt, sicut ipse Dominus in duodecim Prophetis ponit et dicit: Sibimet regem constituerunt, et non per me. »

Reges a Deo dantur. Viderunt id ipsum per umbram Gentiles, qui reges et principes legitimos a Deo dari crearique asserunt. Ita Callimachus: « Ex Jove sunt reges. » Et Homerus passim reges vocat διογενεῖς, Jove genitos, et διοργαπέτες, quasi Jovis alumnos. Romulus quoque, primus Romanorum rex, hanc legem sanxit: « Ut nemo regnum magistratumque iniret, nisi auctor fieret Deus ipse, » uti refert Pomponius Lætus, *De Magistr. Rom.* Titus Imperator, teste Suetonio in ejus Vita, cap. ix, duos patricios in necem suam conjurantes non occidit, sed monuit ut desisterent; « principatum fato dari, inquiens, frustaque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu. » Plinius in *Panegyrico Trajanus*: « Principem, ait, dat Deus, qui erga genus humanum vice sua fungitur. »

NON COGNOMI — practice, id est non approbavi principes Israelis. Ita S. Hieronymus, Vatablus et alii paulo ante citati. Sic dicet Christus reprobis: « Nescio vos, » id est aduersor vos, *Matth. xxv, 12.* Similes phrases plures recenset S. Gregorius, lib. II *Moral. IV.*

ARGENTUM SUUM ET AURUM SUUM FECERUNT SIBI IDOLA (q. d. Ex auro et argento suo conflaverunt sibi idola) UT INTERIRENT, — id est ad interitum eorum; vel, unde interibunt. Tò enim *ut* eventum et effectum significat, non causam (1). Hebreæ habent in singulare, *ut exscinderetur*, id est ut interiret, scilicet argentum et aurum eorum, cum ab hoste Assyrio vel rapietur, vel incendio consumetur. Quare minus recte hoc aliqui ad homines referunt eo sensu, q. d. Totam copiam auri et argenti contulerunt in fabricam idolorum; ita ut multum de suis opibus detraxerint. Hebreum enim בְּרִת carat significat *exscindere, succidere, perdere*; et ad hostes pertinet. Unde sequitur: « Projectus est vitulus tuus, » quem ex auro tuo fabricasti.

Moraliter, proprie avari aurum et argentum faciunt suum idolum; quia illud præ rebus omnibus adamant, querunt, tuentur, Deoque sæpe præferunt: unde avaritia ab Apostolo vocatur « idolorum servitus, » *Ephes. v, 5.* Vide ibi dicta.

Vers. 5. 5. PROJECTUS EST VITULUS TUUS, SAMARIA. — Hebreice *projectit* (scilicet Deus) *vitulum tuum, o Samaria!* quia fecit ut tecum caperetur ab Assyriis. Septuaginta legentes aliis punctis Ζενάχ, in imperativo, vertunt: *Projice vitulum tuum, o Samaria!* R. David et Arias vertunt: *Elongabit se a te, vel, projiciet te vitulus tuus*, puta Apis quem colis, quem amas, et in quo omnem spem tuam reponis. Hebrei enim carent casibus: unde לְבָנָה eghel tam est *vitulus* in nominativo, quam *vitulum* in

(1) Denotatur particula זַעֲן lemaan, non quidem simis ab idololatriis intentus, nec simplex eventus, sed reatus et eventus necessarii causa, ut *Mich. vi, 14*, docetur, improba opera ipsis cedere improbis in perniciem.

(Rosenmuller.)

accusativo. Porro præterita accipe pro futuris: *projectus est*, id est projicitur; *projecit*, id est projicit. Est enim prophetia (2).

USQUEQUO NON POTERUNT EMUNDARI? — q. d. Quamdiu durabit ista obstinata voluntas vitulos et idola colendi? utique usque ad excidium et captivitatem Assyriacam: « Quæ tanta insania, ait S. Hieronymus, me dante locum pœnitentiae, illos ad sanitatem nolle reverti? » Chaldæus nectit hæc præcedentibus, itaque vertit: *Exarsit furor meus in eos, quamdiu non potuerunt* (quia obstinate noluerunt) *se purgare ab idolatria.* Hebraice est, usque quando non poterunt innocentiam, supple comparare sibi Israelitæ, id est quamdiu impuris et immundis animis erunt propter idolatriam? Ita Vatablus.

6. QUA EX ISRAEL ET IPSE EST, — q. d. Vers. 6. Israelis opus et figmentum est hoc idolum vituli, puta Apis Ægyptii, uti et alia idola aliarum gentium stulta figura sunt. Patet ex seqq. Hunc enim vitulum primo finixerunt Ægyptii: inde Hebrei exeuntes ex Ægypto eundem formaverunt in deserto, *Exodi xxxii, 4.* Hos imitatus Jeroboam eundem conflavit, cum fecit schisma a Roboam et Juda. Sensus est, q. d. Apis non est deus, non est numen, nil ex se habet divinitatis aut potentiae; sed deus effectus et formatus est a stultis Ægyptiis et Israelitis.

QUONIAM IN ARANEARUM TELAS ERIT VITULUS. — Probat Apin non esse deum, quia ab Assyriis disperdetur, q. d. Licet aureus hic vitulus quasi deus jam magni fiat ab Israelitis, tamen brevi ab hostibus exterminabitur, et diffablitur, ut tela araneæ, sive ut fila in autumno per aerem volantia, quæ per ventum in atomos et in auram dis-

(2) Variant antiqui et recentiores interpretes in explicando hoc versu, cuius tota difficultas pendet a subjecto primi membra. Nonnulli enim: *Projectit Deus vitulum tuum, Samaria, Deum facientes subjectum.* Alii subjectum faciunt vitulum in hanc sententiam: *Projectit vitulus tuus, Samaria, eos, Israelitas, id est, in causa est cur rejiciantur* (cf. cap. x, 15), quo eodemredit ratio eorum, qui נֶזֶן zanac, absolute accepto sic interpretantur verba: *Rejectionem affert, efficit, creat vitulus tuus, Samaria.* Primo loco posita interpretatio durior, inquit Maurer, quod in præcedentibus et subsequentibus in prima persona loquitur Deus; altero et tertio loco prolata justo artificiosior est. Mallem igitur, quod miror adhuc nemini in mentem venisse, subjectum membra primi facere idem quod est membra secundi, נֶזֶן aphi, *ira*, inquam, in hunc sensum: *Rejecit vitulum tuum, Samaria, exarsit ira mea in eos.* Simplicior tamen eademque aptior sententia prodit, pergit idem, si zanac per *fæciat* veritas, seu *determinabilis est vitulus tuus.* Quem sensum haud admittendum censemus; hanc enim significationem verbi zanac, quæ est N. G. Schröderi, veteres interpretes plane ignoraverunt, unde eam in usu unquam fuisse merito dubitatur, nec poscit eum locorum, quibus verbum illud occurrit, ullus. E contra, ut ipse observat Maurer, non potest negari, commendari primam significationem eo quod vers. 3, sub hoc verbo subest eadem, eaque hic admissa haud inelegans nascitur oppositio verborum: *Projectit Israel bonum, Projectit vitulus tuus, etc., vel Projectit vitulum, etc.*

solvuntur et abeunt. Vult dicere : Idolum est opus inutile, evanidum, ac proinde se suosque cultores adjuvare impotens planeque infirmum et invalidum.

Pro telas aranearum hebraice est שְׁבָנִים scēbam̄, quod R. David, Arias et Vatablus vertunt, scissilia, fragmenta, frusta; Chaldæus, asseres; Symmachus, instabile; Quinta Editio, vagus et fluctuans; Septuaginta, πλανῶν, id est seducens vel decipiens, q. d. Assyrii confringent et captivum abducent Apin, qui Israelitas seducit. R. David, R. Abraham, et ex eis Pineda in Job XVIII, 5, vertunt scintillas, q. d. Samarite fecerunt vitulum æreum, splendentem et scintillantem; sed scintillæ splendoris in suos cultores desævient, velut scintillæ ignis. Insuper ipsi velut levissimæ scintillæ statim peribunt et extinguentur. Moraliter peccator per usuras, fraudes, etc., parans sibi opes, præbendas, dignitates magnis laboribus et molestiis, quid nisi telas aranearum texit? quæ mox vento casuum humanorum, ac præsertim mortis, difflabuntur et evanescent; nec eum in Dei judicio tegere aut vestire poterunt; imo quæ quasi scintillæ ignem gehennæ illi succendent: vide dicta, Isaiæ cap. LIX, 6.

Vers. 7.

7. VENTUM SEMINABUNT, ET TURBinem METENT, — q. d. Frustra laborarunt colendo Apin; nullum enim ex eo fructum capient, nisi turbinem excidii et captivitatis. Nota pulchram metaphoram, ab agricola seminante et metente mutuatam, quæ crebra est in Scriptura; nam seminare significat operari; metere, mercedem operis recipere; ventus, opus inane, sterile, futile; turbo, calamitatem, scilicet captivitatem. Ita Mariana et alii. Rursum, alluditur ad ventum, qui quasi semen intra terram ex exhalationibus conceptus et genitus, cum in lucem et aerem eruperit, ciet pulverem, turbinemque infestum excitat. Significat ergo hoc adagium, laborem idololatrarum et impiorum in colendis suis idolis non tantum esse frustraneum, sed et noxiū. Quid enim fructus speret qui ventum seminat, nisi terræ motum et pulveris nubem? horum enim causa est ventus in terra conclusus. Unde Arabicus Alexandrinus verit: *Seminaverunt ventum, et in perditione auferrunt; non implebitur manipulus de hordeo;* Arabicus Antiochenus vero: *Seminaverunt planities majores eorum, ut pasceretur (vitulus Samariæ, de quo præcessit) eas; non fuit autem illis arundo, neque virtus ad faciendum.*

Notat Antonius Fernandius in *vision.* XIII, sect. iv, quod turbo pulverem dissipans apposite quadrat in tribulationes quibus homo jactatur, homo, inquam, qui est pulvis et cinis a primæva illa maledictione peccati. Unde est illud *Psalm. I, 4:* « Non sic impii, non sic: sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. » Ubi S. Hilarius: « Ut sit, inquit, pœna ludibriosa; levissimus quippe terræ pulvis, paleæ, et hujusmodi aliæ quisquiliæ nihil aliud sunt quam rapidis

ludibia ventis. » Et quid est homo post peccatum, nisi merum ludibrium tentationum et calamitatum undique ingruentum, eumque huc illucque raptantium? Hoc est quod ait Isaias, cap. XXI, 1, excidium Babylonii miserrimum denuntians: « Onus deserti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt de terra horribili. »

Quærerit S. Gregorius in illud Job XXXVIII, 1: « Respondens autem Dominus Job de turbine dixit, » cur Deus de turbine sit locutus? ac respondeat, quia flagellato loquebatur: durabat nempe illa adhuc tempestas malorum, qua Deus flagellabat Job: idcirco non alias flagellanti e quo loqueretur conveniebat thronus, quam turbo.

Tropologice, ventum seminant, et turbinem metunt, qui bonum operantur ut inanem gloriam, vel quæstum sordidum aucupentur: hæc enim ut turbo, mille curarum, sollicitudinum et dolorum flatibus æstibusque eos exagitat. Ita Cyrillus. Sic fere et Theophylactus quem audi: « Seminans in carne, et ex carne corruptionem metens, ventis corrumpenda, levia et vacua seminat, a spiritu, seu flamme nequitæ noxam hanc recipiens. Nec jam robore præstat, ut faciat opus animam alens. Nec enim dicere cum D. Paulo potest: Omnia possum in eo qui me confortat, Christo. Si unquam quidquam operetur boni, non juxta divinum hoc scopum faciens, sed ad humanam quamdam gloriam, vel aliam rationem non commendabilem, dæmonibus istud impertit. » Ubi nota Theophylactum de more sequi versionem Septuaginta. Septuaginta enim sic vertunt: *Corrupta vento seminaverunt, et subversio eorum suscipiet ea,* quod tropologice de hæreticis explicans S. Hieronymus: « Isti, inquit, ventum seminant sive ἀερόφθορα, quæ a vento corrupta sunt semina, quæ medullam non habent, quæ Græci ἐντριώνυ vocant; et idcirco vacua seminantes, inania vacuaque recipient; imo seminantes in carne, de carne metunt corruptionem, et circumferuntur omni vento doctrinæ. » Ita sementi seges respondet.

CULMUS STANS NON EST IN EO, GERmen NON FACET FARINAM. — Ex Septuaginta S. Cyrillus legit et explicat, q. d. *Similes erunt manipulo spicarum carentium granis, quæ inviles sunt ad conficiendum panem.* Adagium est simile priori, imo prioris pars et explicatio, q. d. Idololatræ ventum seminant, et turbinem metent; quia ex semine eorum non nascetur culmus et germen, quod crescat et maturescat in grana et segetem, ut ex ea fiat farina et panis edulis; sed totus culmus in germen et inanem spicam abibit, q. d. Omne opus eorum, puta cultus, idolorum, nullum eis afferet fructum, nil opis divinæ, nil consolationis, nil boni pariet; ac nominatim culmum, et germen faciens farinam, id est messem et segetem, rerumque copiam et opes, quas ab hisce suis diis sperant, eis non dabit. Unde Chaldæus verit: *Omnes eorum opes et segetes deprædabitur hostis, vel disperdet*

Tropologice.

Deus, ut fiant extreme pauperes. Est synecdoche: ex culmo enim et germine segetem, omnesque opes intelligendas relinquit. Ita S. Hieronymus et Ruffinus quem audi: « Apud te, inquit, nihil fertilitatis firmitatisque remanebit, ut solet in culmo, cuius proceritas per aliquam aeris injuriam, spicæ plenitudinem non creaverit. Ita igitur et tu nihil emolumenti consequeris, nec ulla culturæ respondebit industria (1). »

Tropo-logicæ. Loquitur, ut dixi, de idolis et idololatriis: a pari tamen et simili hoc adagium adaptes, ait Delrio *adagio* 948, ostentationi virtutis non solidæ, rebusque modice duraturis, nec ad felicem exitum perventuris; quales esse solent divitiæ male partæ, immodicæ diligentia, studia intemperata, præcoccia puerorum ingenia, conciones, disputationes et scriptiones supra vires, supra doctrinam et ingenium. De quibus verum est illud Ptotemæi dictum prolog. *in Almagest.* : « Qui scientiam suam ultra astutiam quæ in ipso est extendit, est sicut pastor debilis cum multis ovi-bus; » has enim regere, pascere et impinguare nequit. Quocirca S. Gregorius, lib. VIII *Moral.* cap. xxviii, tropologicæ hæc Prophetæ verba hypocritis adaptat: « Culmus, inquit, germen non habet, cum vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit, cum is qui in præsenti sæculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. Sed sæpe et cum fecerit, hanc alieni comedunt; quia et cum bona opera hypocritæ ostendunt, de his malorum spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri dominum, sed alienas pascunt. Fecundo itaque hypocrita et neglecto palmiti similis, servare fructum non valet; quia botrus boni operis in terra jacet. Sed tamen hac ipsa recordia sua pascitur (ut ait Job), quia pro bono opere a cunctis honoratur, cæteris præeminet, subjectas hominum mentes tenet, majoribus locis attollitur, favoribus nutritur; sed tunc se stulte egisse intelliget, cum pro delectatione laudis sententiam divinæ correptionis acceperit. »

Denique Leo Castrius, per culmum et germen non faciens farinam, accipit diram famem, qua a Deo puniti sunt Judæi ob occisum Christum, quando obsessi a Tito fame extabuerunt, adeo ut et matres comedenter filios.

Vers. 8. **8. DEVORATUS EST ISRAEL,** (hoc est, opes Israelis, vires, fama et gloria attrita et absumpta sunt ab Assyriis, q. d. Israel mixtus idolis et gentibus, proprium et nobile Israelis nomen amisit), **FAC-TUSQUE EST QUASI VAS IMMUNDUM, —** sordibus et fæcibus plenum, puta matula, ut omnium gentium sordes, ignominiam et probra unus excipe-

(1) Ackermann perstat in metaphora incepta... Cæterum observatur gradatio. Culmus, inquit Deus, aut non germinabit, et florebit; vel si floreat, ad maturitatem tamen non perveniet, ut faciat farinam; vel si aliquando perveniat eo usque, tamen etiam fraudabuntur, extranei enim omnia devorabunt.

ret; matulam enim verterunt allii interpretes, teste Ruffino. Idem recte dicas de quovis fideli peccatis inquinato et polluto. *Immundum vas sive inutile*, ut vertant Septuaginta: « Hebræi matulam vocant, ait S. Hieronymus, quo ad projicienda stercore uti solemus. » Et Ruffinus: « Nunquam, ait, Israel honesto delegatus officio est, ut post libertatis ac dominationis insignia, saltem inter servos liberaliter censeretur; sed quasi vas ad naturæ requisita compositum, ita contumeliarum sordibus implebatur, » Sic Varro, Plautus et alii hominem vilissimum et sordidum vocant *matulam*, dicuntque: « Non homo est, sed matula. » Unde et Martialis:

Dispergam si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.

Ita Judæi ob cæsum Christum a Romanis capti, et ad stercore exportanda damnati, stabularii et matularii effecti sunt. Unde Juvenalis, *Satyræ* III:

Judæi, quorum coquinus fœnumque supellex.

Quin et fœtorem genti toti proprium contraxerunt, quem non nisi baptismo eluere possunt, si convertantur ad Christum. Unde a Poetis *fœtentibus* appellantur, et tales experientia sentimus. Ita Martialis, lib. IV, *epigr.* IV, fœtentem Judæorum halitum conjungit cum exhausta palude, cum aqua sulphurea, cum fumante lychno, cum vulpino stercore, cum viperino cubili. Et Fortunatus, lib. V *Carm.*, *ad Gregorium*:

Abluitur Judæus odor baptismate divo,
Et nova progenies redditæ surgit aquis.
Vincens ambrosios suavi spiramine rores,
Vertice perfuso chrismatis efflat odor.

Pari modo peccatores, præsertim scorta, sunt hominum, imo diaboli, matulæ, ait Delrio *adagio* 949; venter enim gulosi et luxuriosi quid aliud est, quam matula, quam latrina, quam cloaca? Dum ergo hanc per diem sæpe visere, inspicere et olfacere cogitur, cogitet talem esse ventrem, et multo magis talem esse animam suam. Huc pertinet illa meditatio S. Bernardi: « Cogita, o homo, quid fuisti, quid es, quid eris. Fuisti sperma fœtidum; es vas stercorum: futurus esca verium. » Ita tentationes gulæ superavit B. Jacoponus, carnes putidas identidem applicando ori et naribus; ac libidinis ignem superavit odorando cadaver purulentum mulieris adamæ monachus ille in *Vitis Patr.* lib. V, tract. 5 *De fornicatione*, § 22.

Porro quam hoc nomen et obsequium matulæ vile et infame sit, docuit adolescens Spartanus, qui, ut refert Plutarchus in *Apophthegm. Lacon.*, ab Antigono captus ac venditus, paruit quidem in omnibus emptori, quæ non essent indecora ingenuis: cæterum jussus afferre matulam, detrectavit obsequium, addens: Non serviam. Sur gente domino puer: Senties, inquit, quem eme-

ris, simulque consenso tecto sese præcipitem dedit, malens mori, quam tam viliter servire.

V. 9. 9. **QUIA IPSI ASCENDERUNT AD ASSUR, ONAGER SOLITARIUS SIBI,** — q. d. Israel petuit opem ab Assyriis ad hoc, ut quasi onager, id est asinus sylvester, omne jugum legis Dei excuteret, viveretque liber, ac faceret quidquid libet more onagrorum, et more gentium, quibus idola hanc peccantib[us] licentiam. Ita Theodoreetus, Theophylactus, Arias, Vatablus, Ribera et a Castro. Hinc justo Dei judicio Israel derelictus, solus erit ut onager, destitutus tam Assyriorum, quam Dei quem dereliquit, auxilio. Idem dicas de haeresi et haeretico. Aliter S. Hieronymus, et ex eo Haymo, Hugo et Lyranus : « Ascenderunt, inquit, id est ascendent, imitantes onagrum solitarium, nequaquam ut oves pasti a Domino, sed male abutentes libertate sua, et educti in captivitatem, » q. d. Ascendent Israelitæ captivi in Assyriam, quia voluerunt vivere ut onagri liberi, et absque jugo disciplinæ; ideoque Assyriorum amicitiam et opem magnis muneribus et tributis coemerunt. Unde Chaldæus vertit : *Ascendent ad Assyrios pro eo quod ambulaverint in voluntate animæ suæ, tanquam onager efferus* : Septuaginta vertunt : *Gerninavit (fructificavit, fœtus produxit) apud semet ipsum Ephraim* (1). Tradit enim Oppianus onagrum marem ita esse zelotypum, ut pullos suos dentibus exsecet, ne generare queant, ut ipse solus onagra sua fruatur. Unde et vocatur *solitarius*; licet enim feminarum agmine stipatus incedat, tamen eis solus imperare et frui vult, nec alium marem rivalem, vel æmulum patitur. Incedit ergo solus non ab onagraru[m], sed ab onagroru[m] convictu. Audi Solinum, *Polyhist. cap. xxx*: « Africa onagros habet, in quo genere singuli imperitant gregibus feminarum; æmulos libidinis suæ metuunt. Inde est quod gravidas suas servant, ut in editis maribus, si qua facultas fuerit spem generandi morsu detruncent; quod carentes feminæ in secessibus partus occulunt. » Idem tradit Plinius, lib. VIII, cap. xxx.

Allegorice Leo Castrius : Israel, ait, post occidum Christum est onager solitarius, quia solus in suo errore et perfidia Judaica pertinaciter persistit; nec cum caeteris gentibus omnibus in religione cultuque Dei communicat.

(1) Sic aliter versum partitur et vertit Maurer : *Nam profiscuntur, nuntios, legatos mittunt illi in Assyriam, fœderis faciendi, auxilii petendi causa* (cf. cap. v, 13; vii, 11); *onager solitarius sibi est, manet, Ephraimitæ vero jubent (nuntios suos) donis ambire amores*, id est amasios, id est populos quibuscum fœdera faciunt exteriores. Sensus : Onager, animal brutum, prudentior est Ephraimitis; is enim aliorum congressum vitat, libertatis amantisimus; Ephraimitæ vero perniciosa ipsi societatem aliorum ambient donis. Singulariter est quod, cum II Reg. xvii, 3, et alias, *ascendere* dicitur, qui in terram Israeliticam Assyria, hic dicitur *ascendere*, qui in Assyriam proficitur ex terra Israelitica. Causa esse videtur, quod utriusque interjectas regiones montanas transire debebant.

Tropologico, hæc facile adaptæ superbis, præsertim apostatis a fide, vel Ordine; unde Rupertus : « Onager, ait, id est agrestis asinus, hominem stultum atque superbum significat, sicut in Job cap. xi, 12, scriptum est : Vir vanus in superbiam erigitur et quasi pullum onagri liberum se natum putat; » et inferius : « Onager ergo dicitur, id est asinus, sed superbis, asinus per stultitiam, sed infrænis, et præsepiti dominici contemptor, vel ignarus præ superbia; solitarius, a rectore Deo profugus, et solus, utpote Dei deserter, et a Deo desertus. » Vide et S. Gregorium in citatum S. Job locum, lib. X *Moral. cap. xv*.

EPHRAIM MUNERA DEDERUNT AMATORIBUS, — Assyriis, quorum opem et amicitiam amiebant, ideoque eorum idola colebant. Sic enim Phul regi Assyriorum in tributum dederunt mille talenta, ideoque Manahem rex Israel singulis indixit tributum quinquaginta siclorum, IV *Regum*, xv, 19 et 20.

10. **SED ET CUM MERCEDE CONDUXERINT NATIONES** V. 10. (q. d. Quia muneribus et mercede conduxerunt Assyrios, hinc ne frustra conducti videantur), NUNC (contra ipsosmet Israelitas, in excidium Samariae) CONGREGABO EOS. — Ita Arias, Clarius, Vatablus et Pagninus. Dicit eos, et non eas (uti dicendum erat; respicit enim *nationes*), quia hebreum **גּוֹיִם**, id est *nationes*, est masculinum. Secundo, planius per eos accipias Ephraim, id est Israelitas. Ita Chaldæus, S. Hieronymus, Theodoreetus, Haymo et Lyranus, q. d. « Nunc congregabo eos, » scilicet Israelitas in Samariam aliasque urbes, ut in iis praesidiis Ægyptiorum adjuti contra Assyrios se muniant, ibique quiescant paululum a tributo et muneribus, quæ pendebant regi Assyriorum et principibus, sed modica erit hæc quies; nam mox sequitur, ut ab Assyriis ob rebellionem indignantibus obsideantur, expugnentur et vastentur : vide IV *Reg. xvii* (2).

(2) Varie a variis hic versus explicatur, alii ex sensu et serie orationis colligunt, comminationem, alii promissionem hic contineri. Rursum, alii de Israelitis, hoc sensu: Colligam Israelitas, ut huc illuc eos inter Assyrios dispergam; alii de gentibus, ut sensu sit: Colligam gentes ad bellum contra Israelem. Quam posteriorem interpretationem ita connectit Maurer cum præcedentibus : *Quod donis ambunt inter populos*, quod aliorum populorum amicitiam et præsidium muneribus emunt Israelitarum reges, impares imperio tenendo propriis viribus, etiam ego jam congregabo illos, populos, ad quos configiunt, et liberabunt illi populi eos, Israelitarum reges, brevi ab onere regis, principum, regis et principum, ab imperio regio, principum munere, quod tam grave est hisce regulis, ut sustinere illud non possint nisi ope adjuti populorum exterorum! Quod facile intelligis per irrisum dictum esse pro : Et deturbabunt eos de statu suo, finem facient eorum imperio.... Possunt tamen ultima verba sic quoque intellegi : *Et liberabunt illi populi eos, Israelitas, brevi ab onere regis et principum*, id est a rege et principibus molestis, ab imperio regis et principum molesto Israelitis. Nam reges Israelitarum eo ipso molesti civibus fuerunt, quod societatem jungebant cum populis exteris, quandoquidem

Ita hæretici, ut executiant jugum fidei et catholicon principum, implorant opem Turcarum; itaque paululum videntur quiescere a jugo et onere; sed mox longe gravius jugum Turicum subeunt, uti in Hungaria factum et fieri videmus et lugemus.

ET QUIESCENT PAULISPER. — Nota : Pro *quiescent*, ut vertit Noster et Septuaginta, hebraice est **וַיְזִהֵלּוּ**, quod si a **לֹא** *chul* dederetur, significat *dolere, cruciari*; si a **לֹא** *chol*, in *hiphil* significat *incipere*. Unde Arias et Pagninus vertunt : *Dolebunt et cruciabuntur paululum propter onus regis et principum, q. d.* Modicum dolebunt ob tributum quod pendunt Assyriis, sed paulo post longe magis dolebunt, cum ab eisdem vastabuntur. Alii vero vertunt : *Incipient paululum ab onere regis et principum*, (puta a tributo quod eis pendunt, supple), *liberi esse et quiescere*, ut vertit Noster. Rursum Clarius vertit : *Incipient eos onerare (tributis) tam rex quam principes*; et R. David, Vatablus et Pagninus : *Incipient conqueri et murmurare paululum propter onus regis et principum*, puta propter tributum, q. d. Jam incipiunt gravari et queri ob tributa, sed multo magis querentur, cum mox exscindentur et abducentur in captivitatem. Ita impii, inquit a Castro, incipiunt degustare in oneribus quibus gravantur, æterni exsilii instantis, et carceris gehennalis angustias et supplicia.

Vers. 11. **41. QUA MULTPLICAVIT**, — q. d. Habuit Israel sat idolorum et altarium, quid opus fuit ea ad insaniam multiplicare, et cumulare peccata peccatis, ut sibi iram Dei, vindictam et excidium accelerarent? Quocirca multipliciter punietur. Vere S. Ephrem, tract. *De Timore Dei*, tom. III : « Cui, ait, non placet ministrare Domino uni, serviet multis; et qui non vult subesse præfecto uni, subjicietur multis. »

Vers. 12. **12. SCRIBAM EI MULTPLICES LEGES MEAS, QUÆ VE-LUT ALIENÆ COMPUTATÆ SUNT.** — Hic expletur sensus prioris sententiae alias pendentis, q. d. Quia multiplicavit Israel altaria, idcirco et ego multiplicabo leges capitales contra eum. Nota : Alludit ad scripturam legis in lapidibus factam a Mose, jussu Dei, *Deuter. xxvii et xxviii*; idque ad perpetuam legis memoriam apud Israelitas, ut eam ejusque præmia, si eam observarent; ac poenas, si eam negligerent, cordi imprimerent, ac jugiter præ oculis haberent. Sensus ergo est, q. d. Leges meas earumque poenas multiplices olim scripsi per Mosen in lapide; ac jam scribam eas in dorso Israelitarum virga et stylo ferreo, nimis multiplices illas plagas a Mose descriptas, infligam eis gladio hostili, eo quod leges meas, quasi alienas, obliti neglexerint et contempserint. Leges ergo hic poenales intellige, puta poenas lege de-

illam vi magna pecunia redimere necesse habebant, populique in auxilium vocati non tam Israelitarum, sed suis ipsorum rebus consulebant, e turbis commoda capientes.

cretas iis qui eam violent : est metonymia. Ita Rufinus. Sicut enim vir pius est quasi lex viva, quæ suis moribus clamat quid facto opus, quid lex, quid Deus, quid religio poscat, ut docet S. Augustinus lib. *De Mendacio*, cap. xv, et S. Gregorius, hom. 10 in *Ezech.* : « In sanctorum, ait, vita cognoscimus quid in Scriptura legere debeamus. » Et Philo, lib. *De Abraham*, ait legem scriptam esse commentarium vitæ sanctorum; ita impius a lege punitus, est lex viva, inclamans cæteris ut impietatem fugiant, ne in easdem poenas incurvant. Sic fur suspensus, e patibulo reipsa omnibus inclamat : Cavete a furto, ne suspendamini sicut ego. Tradit Herodotus, lib. II, Assyrios depinxisse regis Sennacherib cladem et cœlestem vindictam cum hoc lemmate ? « In me intuens pius esto. » Et Virgilius, VI *Aeneid.* :

Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras :
Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Aliter Vatablus et alii recentiores vertunt, nimirum : *Præscripseram eis רְבָבִ rubbe*, id est *multiplicitates vel excellentiora, vel axiomata legis meæ, sed reputarunt ea ceu quid alienum*, q. d. Dedi legem Israeli quasi margaritam, eamque digito meo conscripsi; at ipse quasi alienam eam respuit, tanquam ad eum non pertineret. Quid ergo ultra ei faciam? scribam aliam legem? Nequam, quia pari modo eam spernet. Ita S. Hieronymus et Syrus, qui vertit : *Scripsi illi multitudinem legum mearum, et velut aliena computavit ipsa verba mea.*

Verum hic sensus non cohæret cum τῷ quia, nec cum versu præcedenti; additque notam interrogationis, qua carent Biblia; legunt enim hæc assertive, non interrogative. Verisimilius Sanchez hæc accipit quasi ironice dicta a Deo, ac si Deus suum consilium reprehendat, quod laboret de corrigendis Israelitis moribus, cum tamen ipsi nihil idecirco futuri sint meliores, q. d. scilicet : Scribam Israeli novas leges, quas æque ut veteres contemnet; non scribam. Similis ironia est Isaiae xxvi, 10 : « Misereamur impio, et non discet justitiam » facere. Et apud Virgilium :

En queis consevimus agros !
Insere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites.

Sic vulgo dicitur : « Ale luporum catulos, et canes qui te lanient. »

13. **HOSTIAS (victimarum et oblationum mearum, Vers. 13. ut addunt Hebræa) OFFERENT, ET DOMINUS NON SUSCIPERET EAS.** — Hebraice, *Dominus non volet illa*, vel *non delectabitur illis*, q. d. Si quando mihi sacrificaverunt, non idolis, hoc fecerunt ut vicerentur sacrificatis, non ad me placandum. Ita Vatablus. Nota : Samaritæ cum idolis colebant quoque Deum verum et avitum, eique subinde sacrificabant, ut patet IV Reg. xvii, 33. Verum quia id faciebant, non propter Deum, ut eum

colerent, sed ad hoc; ut inde epularentur et opipara instruerent convivia, hac de causa reprehendit hic eos Deus, eisque minatur excidium. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Ribera, a Castro et alii.

IPSI IN AEGYPTUM CONVERTENTUR, — q. d. Cogentur fugere et reverti in Aegyptum. Ita factum; nam post excidium Samariæ multi Israelite, ex illo elapsi, ut se salvarent fugerunt in Aegyptum, ibique mortui sepulti sunt in Memphi, ut patebit cap. IX, 3. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Theodoretus, Arias et Vatablus. Idem fecerunt Judæi post excidium Jerusalem, ut patet Jeremiæ cap. XLIV, 12. Aegyptus enim erat juge et commune Israelis refugium et asylum. Secundo, S. Hieronymus sic quoque exponit, q. d. Ipsi revertentur ad eum vivendi modum, quem tenuerunt in Aegypto; colet enim idola, et vitia gentium induent, sicut fecerunt in Aegypto. Tertio, Lyranus et Sanchez, q. d. Revertentur in Aegyptum, hoc est, talia brevi apud Assyrios patientur, qualia ipsorum patres passi sunt ab Aegyptiis, scilicet duram servitutem, ministeria sordida, pauperiem, famem, etc., ut more Hebræo subintelligatur nota similitudinis *sicut, velut*. Ipsi ibunt in Assyriam, velut in novam Aegyptum, hoc est novum carcerem. Primus sensus planissimus est, eique favet vers. 6 cap. sequentis: « Aegyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos. »

Vers. 14. **14. OBLITUS EST ISRAEL FACTORIS SUI**, — Dei creatoris sui, qui eum sibi populum peculiarem fecerat, et selegerat ex omnibus gentibus, ut eidem prædixit et exprobravit Moses in Deuter. totocap. XXXII, præsertim vers. 18: « Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. »

ET AEDIFICAVIT DELUBRA, — puta templa, vel fana idolis, spreto Deo; spes enim suas omnes collocavit in idolis. « Delubra » dicta sunt loca ante aras, quod in iis essent labra, id est conchæ et vasa ad abluenda mortuorum cadavera, inquit Asconius in *Divinat.*, vel, ut alii, a diluendis tum cadaveribus, tum manibus sacerdotum ante sacrificium. Quocirca delubra erigebant juxta magnatum sepulcra, ibique captabant in somnis oracula per necromantiam. Unde Isaías, cap. LXV, 4: « Qui habitant, inquit, in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt, » ad captandam divinationem. Festus vero *delubrum* dici putat quasi delibratum, id est decorticatum fustem, quem pro Deo venerabantur. Servius autem: *Delubrum*, in-

quit, dictum est, quod uno tecto plura complectitur numina, ut est Capitolium, in quo est Minerva, Jupiter, Juno.

ET JUDAS MULTIPLICAVIT URBES MUNITAS (iis, non Deo, confidens se fore tutum ab hoste Chaldaeo, idcirco ego) **MITTAM IGNEM IN CIVITATES EJUS, ET DEVORABIT AEDES** (hebraice אַרְמָנוֹת armenoth, id est palatia, ædes magnificas) **ILLIUS**. — Fecit id Deus per Nabuchodonosor. Ita S. Hieronymus, Hugo, Lyranus et alii, licet Haymo et Hugo hæc quoque facta putent per Sennacherib, qui cepit omnes urbes munitas Juda, excepta Jerusalem, civitates et palatia, tum Juda, tum a pari Israelis intellige; sicut enim utrumque culpavit de obliuione et neglectu Dei: ita utrumque pariter reum damnat ad excidium et incendium urbium et ædium. Minus ergo recte aliqui *civitates* referunt ad Israel, palatia ad *Judam*; quia, inquit, Osee usurpat Hebræum Israel in genere masculino, Juda in feminino; subaudit enim terram Juda. Verum hæc ratio non subsistit; nam Osee hic *Judam* usurpat in genere masculino, dicens: *Judas*; *הִרְבָּה* *hirba*, id est *multiplicavit urbes*, *hirba* enim verbum est masculinum; feminine enim dicendum fuisset *הִרְבְּתָה* *hirbeta*, ut norunt hebraice periti. Rursum cum ait: « Mittam ignem in civitates, » plane intelligit eas de quibus paulo ante dixit: « Judas multiplicavit urbes; » in hebræo enim utrobique est eadem vox *עירם arim*. Ergo civitates intelligit Judæ. Si quis tamen hæc distinguere velit, melius cum Aria vice versa, *civitates* ad *Judam*, *ædes* vel *palatia* ad *Israel* referet: *אַרְמָנוֹת armenot* enim, id est *palatia*, vel *domus augustæ et templo*, sunt *הִיכָּלֹת hechalot*, id est *basilicæ, delubra, templo*, quæ paulo ante dixit *ædificasse Israel*.

Verum, uti dixi, verius est eodem pertinere *civitates*, et *ædes* sive *palatia*, scilicet primo ad *Judam*, deinde a pari ad *Israel*. Unde et Septuaginta vertunt: *Mittam ignem in civitates ejus, et devorabit fundamenta illius*, fundamenta enim sunt civitatum, quæ cum civitatibus devorabit immensus ab hoste ignis. Porro de *Juda*, æque ac de *Israele*, loquitur Propheta nunc in genere feminino, intelligens terram, ut cum dicit *אַרְמָנוֹת armenoteha*, id est *ædes illius feminine*; nunc masculine, intelligens populum, ut cum dicit *הִרְבָּה hirba*, id est *multiplicavit*; et *אֲרַיו arau*, id est *urbes ejus, cum affixo, sive pronomine masculino*.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Israeli in frugibus et opibus lascivienti, deosque Gentium quasi earum datores ludis et festis colenti, minatur captitatem, in qua panem lugentium et pollutum comedetur sit. Secundo, vers. 9, docet quod imitantur parentes suos, qui coluerunt Beelphgor, Numer. xxv, et Gabatas, qui uxorem Levitæ stupro enecarunt. Hinc, vers. 14, minatur eis cædem filiorum, vulvam sine liberis, et ubera arentia, quodque eos in perpetuum deserens et abdicans tradet hostibus, ut plene excindantur, fiantque toto orbe vagi et profugi (1).

1. Noli lætari, Israel, noli exultare sicut populi : quia fornicatus es a Deo tuo , dilexisti mercedem super omnes areas tritici. 2. Area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis. 3. Non habitabunt in terra Domini : reversus est Ephraim in Ægyptum, et in Assyriis pollutum comedit. 4. Non libabunt Domino vinum, et non placebunt ei : sacrificia eorum quasi panis lugentium; omnes qui comedent eum, contaminabuntur : quia panis eorum animæ ipsorum, non intrabit in domum Domini. 5. Quid facietis in die solemnî, in die festivitatis Domini? 6. Ecce enim profecti sunt a vastitate : Ægyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos : desiderabile argentum eorum urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum. 7. Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis : scitote Israel stultum Prophetam, insatum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ , et multitudinem amentiæ. 8. Speculator Ephraim cum Deo meo : Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias ejus, insania in domo Dei ejus. 9. Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa : recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum. 10. Quasi uvas in deserto inveni Israel : quasi prima poma ferculæ in cacumine ejus, vidi patres eorum; ipsi autem intraverunt ad Beelphgor, et abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. 11. Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum a partu, et ab utero, et a conceptu. 12. Quod et si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus : sed et vœ eis, cum recessero ab eis. 13. Ephraim, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine : et Ephraim educet ad interfectorum filios suos. 14. Da eis. Domine. Quid dabis eis? Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. 15. Omnes nequitiae eorum in Galgal, quia ibi exos habui eos : propter malitiam adinventionum eorum, de domo mea ejiciam eos : non addam ut diligam eos, omnes principes eorum recedentes. 16. Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient. Quod et si genuerint, interficiam amantissima uteri eorum. 17. Abjicit eos Deus meus, quia non audierunt eum : et erunt vagi in nationibus.

(1) Sic cum præcedenti hocce caput connecti potest. Cum notasset Propheta , cap. viii , 13, 14, Ephraim in suissacrificiis voluptates, ac quod intentus modo extruendis in idolatriam templis securus ageret veri Numinis, in Juda deinde , quod validis fretus munitionibus tutum se haberet adversus hostium vim ; pergit nunc ostendere vanam ex his et decem tribuum et Judæ lætitiam , ac frustra esse cum populis eos aliis, quorum commerciis fuerunt contaminati (vii, 8), sese componere in festivitatem aliisque solemnibus gaudiis. Id comprobat ex idolatriæ *primum*, cuius maculam sibi tam avide contrahebant, fœditate, *tum* ex tristissimis pœnis ideo perforandis.

Porro hanc concionem eadem qua tres primæ orationes composite videntur ætate editas cum Maurer et Ackermann putamus, scilicet circa tempora Jeroboami II, sub quo Israelitæ insignem victoriam de hostibus reportarunt,

unde in spem erecti fuerunt, se ab omnibus calamitatibus in posterum liberos fore.

Israelitas igitur monet Propheta, ne aliis populis similis ludis ac festis dent hilares operam , quia lætitiae et abundantiae ab idolatria captatae succedet :

PRIMO, conversio bonorum fortunæ, scilicet *primo*, famæ et defectus vini, 1, 2; *secundo*, exsilium spontaneum aut captivitas, 3; *tertio*, turbatio cæremoniarum, pollutio sacrificiorum et cessatio festorum, 4, 5; *quarto*, interitus gentis et vastitas terræ instans, 6.

SECUNDO, conversio bonorum animæ et corporis : commutabitur, *primo*, sapientia et prophetia Israelitæ in stultitiam et deceptionem, 7, 8; *secundo*, sanctitas singularis in gravissima et turpissima peccata, 9, 10; *tertio*, secunditas et gloria in sterilitatem et ignominiam, 11-14.

TERTIO, conversio bonorum status transferetur, *primo*,

Vers. 1. **1. NOLI LÆTARI, ISRAEL** (*q. d.* Ne exultes, o Israel, ne publica festa, ait Chaldæus, tripudia et ludos instituas, uti instituunt gentes in honorem deorum, quorum cultum nunquam dereliquerunt, cum ab eis abundantiam opum, victoriam, aut aliud insigne beneficium accipere se putant; quia tu) **FORNICATUS ES** (*id est* coluisti idola, itaque aversus es) **A DEO TUO**; — ergo tibi lugendum est jugiter, non exultandum. Ita Chaldæus, Hugo, Clarius et alii. Aliter Arias, *q. d.* Noli lætari, o Israel, ut cæteri populi; quia tu jam dispersus per captivitatem, non amplius es populus, sed mancipium et fæx populorum omnium.

DILEXISTI MERCEDEM (*scilicet* meretriciam, ut nimirum pro mercede idola coleres) **SUPER AREAS** (*id est* pro arcis) **TRITICI**. — Merces ergo fuerunt areae tritici, *q. d.* Fornicatus es cum idolis, quasi meretrix, pro pretio et mercede tritici, ut scilicet idola darent tibi ejus copiam. Unde Chaldæus vertit: *Dilexisti servire idolis pro omnibus areis frumenti*, *q. d.* Ubi cumque erat spes frumenti, lucri, aut copiæ rerum, ibi quasi meretrix, illarum spe idolis te substernebas, eaque colebas, sperans te ab eis ditandum; ideoque juste a Deo hac mercede, puta frugibus et opibus privaberis, ut sequitur. Ita S. Hieronymus.

Secundo, «super,» *id est apud*, «omnes areas tritici forniciatus es,» pusa coluisti idola; quia in ipsis areas, æque ac in torcularibus, vel juxta eas, tripudia et ludos instituebant in gratiarum actionem, laudando deos suos, quod copiosam messem aut vindemiam dedit. Ita S. Hieronymus, Hugo, Lyranus et Arias, *q. d.* Plena horrea, et copiosam messem, quam Deus tibi dederat, tu non Deo, sed idolis acceptam tulisti, iisque festa et ludos instituisti, quæ summa est ingratitudo, æque ac impietas. Ita Theodoreus et Theophylactus, ac S. Cyrillus quem audi: «Solebant, ait, Gentiles, cum incipienda erat aratio, sacrificare dæmonibus, petentes fertilitatem; item cum metendum erat et vindemia calcanda, libabant et sacrificabant canentes odas ἐπιληνίους (vindemiales) in summa lætitia. Accusat ergo nunc Dominus Israel, qui hoc idem faciebat quod gentes, quæ Deum non cognoverant. Fornicatus es ergo, inquit, dilexisti munera, etc., petisti non a Deo, sed ab idolis fertilitates agrorum, quas tibi non dederunt; hoc enim significat: Area non cognovit eos, » etc.

Vers. 2 et 3. **AREA ET TORCLAR NON PASSET EOS** (*q. d.* Quia Israel dilexit areas et horrea messis, eaque petebat et accepta referebat, non mibi eorum datori, sed idolis, qui nihil in ea juris et potestatis habent; idecirco ego hæc Israeli ingrato et impio auferam, faciamque ut nec area det frumentum, nec torcular vinum quod pascat eos;

dilectio populo impensa in aversionem Dei et odium, 15; secundo, multiplicatio gentis in paucitatem hominum, 16; tertio, amicitia et conjunctio in abjectionem et dispersionem omnimodam, 17.

quocirca) **VINUM MENTIETUR EIS** (*1*) (*q. d.* Vineæ quæ eis multas uvas, multum vini promittere videbantur, fallent eos, et parum vel nihil uvarum et vini proferent, itaque spe sua eos frustrabunt, quinimo faciam ut vastentur ab Assyriis: unde) **NON HABITABUNT IN TERRA DOMINI** (*et* Chananæa, quam Deus eis promisit et dedit; sed) **REVERSUS EST** (*revertetur*) **EPHRAIM** (*puta* Israel, excisus et profugus) **IN AEGYPTUM** (*2*), **ET IN ASSYRIIS** (*captivus*) **POLLUTUM COMEDIT**. — Hoc est comedet idolothyta, ac cibos lege *Levit. xi*, vetitos, ideoque immundos. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Theophylactus, Haymo, Hugo, Lyranus et alii. Vide dicta cap. VIII, 8. Erat ingens probrum ac pœna, æque ac peccatum apud Judæos, pro pane sancto comedere pollutum. Unde Machabæi excarnificari maluerunt, quam suilla carne lege vetita vesci, II Machab. vi, 18. Sic et Daniel, cap. I, 8, et S. Petrus, Actor. xi, 8, exhorruerunt cibos Gentilium immundos. Simile est illud Horatii, lib. II, epist. 2:

Verum ubi oves furto, morbo periore capellæ,
Spem mentita seges, bos est enectus arando.

4. **NON LIBABUNT DOMINO VINUM**, — *q. d.* Non Deo, *vrs. 4* sed idolis et dæmoni sacrificabunt et libabunt; et, ut ait Apostolus I Corin. x, 20, bibent «calicem dæmoniorum» (*id est* dæmonibus oblatum), non Domini. Ita S. Hieronymus, Haymo, Arias et Vatablus. Secundo et potius, *q. d.* Puniam eos sterilitate et fame, ut ne quidem habeant vinum quod Deo in sacrificiis libent. Patet ex paulo ante dictis.

Nota: Deus in *Levit.* et *Numer. xv*, sanxit ut in omni sacrificio carneo, puta ovis, capræ et bovis, adhiberentur libamina, quasi condimenta, puta panis, vel simila oleo conspersa, sal et vinum. Sacrificium enim erat quasi convivium Dei. Unde victimæ in Scriptura vocantur *panis*, *id est* cibus Dei. In convivio autem requiritur tam cibus, puta panis et caro cum sale, quam potus, puta vinum; quod in honorem Dei vel in terram ef-

(1) Hebraice est, בְּהִנְחָשׁ בְּהִנְחָשׁ *iekaches ba*, mentietur ei; בְּהִנְחָשׁ בְּהִנְחָשׁ *ba ei*, nonnulli referunt ad בְּקַרְבָּה *ieqeb*, torcular. Sed melius dicimus cum Maurer: Quemadmodum in priori hemistichio בְּהִנְחָשׁ pertinet ad Israelitas, sic probabile est in posteriore בְּהִנְחָשׁ pertinere ad eorumdem terram. Vulgata pro בְּהִנְחָשׁ *ba ei*, legit בְּהִנְחָשׁ *bam eos*.

(2) Non uno modo accipitur: «Reversus est Ephraim in Aegyptum;» præter interpretationem a Cornelio allatum, nonnulli sic sensum enarrant: Quamvis reversi fuerint Israelitæ in Aegyptum ad accersenda auxilia, nihilominus in Assiriā, quo nolunt, abducentur. Alii, inter quos Christophorus a Castro, Petrus de Figueiro, Paulus de Palacio, quibus adstipulari videtur Ackermann, locum istum explicant de fuga Israelitarum multorum in Aegyptum ad evitandam captivitatem Assiriacam. His consentit Rosenmuller sic scribens: Sed revertetur Ephraim in Aegyptum, contra ac promissum a Mose, Exod. XIV, 13. Sed inter minas intentas eis qui leges divinas sunt transgressuri, Deuter. XXIV, 68, reducit eos Dominus in Aegyptum. Partem igitur in Aegyptum exsules discessuros minatur vates, partem in Assiriā.

fundebar, vel a sacerdotibus bibebar, hocque vocabatur *libare* et *libamen*. Unde et Christus in sacrificio Eucharistiae instituit speciem panis, quasi cibum; et speciem vini, quasi potum libandum, id est hauriendum a sacerdote in honorem Dei. Vide dicta in *Levit.* et *Num. xv.*

Nota secundo : Videntur Israelitae, saltem sapientiores, error et dementiam suam in cultu vitulorum agnoscere et damnavisse; ac voluisse Deo vero sacrificare, cui sacrificaverant patres eorum. Unde de eis ait Deus cap. viii, 2: « Me invocabunt: Deus meus, cognovimus te Israel. Verum, quia non ex toto corde ad Deum se convertebant, sed partim Deo in occulto, partim vitis et idolis in publico, et communis populo se accommodarent, serviebant: hinc Deus eos eorumque victimas respuit et reprobavit; ita fere Sanchez. Unde sequitur:

ET NON PLACEBUNT EI, — q. d. Hostiae et sacrificia Israelis, deficiente libamine, puta vino, non placebunt Deo, quia imperfecta et illegitima, et quia ab idololatria oblata extra Jerusalem et templum in Assyria, ubi captivus detinetur Israel. Hebraice, *non dulcescent ei*, id est non erunt Deo dulcia et jucunda; sicut injucundum et ingratum est epulum, in quo deest vinum, in quo editur tantum, non bibitur. Unde subdit:

SACRIFICIA EORUM, QUASI PANIS LUGENTIUM. — Supple, immunda erunt, aequae ac tristia et insuavia, ut sunt prandia lugentia, tum quia carentia vino, tum quia ab idololatria oblata inter idola et idololatras, saepe etiam ipsis idolis, ut censem S. Hieronymus et Cyrilus, estque valde verisimile; tum quia contra legem, extra templum et Jerusalem in Assyriaca captivitate oblata, in qua Israel degit mœrens et lugens, ac proinde festa et sacrificia sua læte et festive celebrare nequit, ut fecit in Jerusalem et templo.

Nota : Explicat hic cibum Israelis *pollutum*, de quo dixit vers. 3, per panem lugentium, qui scilicet comedi solet in exsequiis et funeribus quæ Græcis *καρπούνα*, id est *lugentium cœna* dicuntur: Latinis *parentalia*, quod parentibus mortuis immolentur, ait S. Hieronymus, iisque haec quasi ultima justa et pietatis officia solvantur. Porro hic panis et cibus Judæis immundus erat, nam *Num. xix*, vers. 11, 14 et 16, sancit Deus, ut omnes contaminentur, sintque immundi per septem dies, qui mortuum tetigerint, aut funeri interfuerint, aut ex pane epulove funebri comedenterint. Panis ergo luctus, sive domus funestæ, tangentes et comedentes funestabit et contaminabit. Significat ergo totam vitam Israelis in Assyriaca captivitate, fore continuam quamdam quasi funebrem et feralem cœnam: in qua squalens et mœrens comedet cibos gentium pollutos, ejusque oblatio non feriis, sed inferiis erit aptior, inquit Ruffinus, Albertus, Hugo, Vatablus et Arias.

Tropologice S. Hieronymus: Hæretici, ait, qui non nisi lucra et symposia aucupantur, omniaque

deliciarum causa faciunt, ut populum decipient, et domos devorent viduarum, habent panem lugentium, id est verba mortifera, quibus iniuriam loquuntur contra Dominum, qui panis non ingreditur in domum Domini. Sic omnis peccator comedet panem lugentium, quia ei nihil est læsum, etiamsi epuletur et tripudiet; non enim potest esse vera lætitia, ubi est mala conscientia: haec enim vermem rodentem et remorsum pungente semper secum defert.

QUIA PANIS EORUM ANIMÆ IPSORUM (scilicet erit, q. d. Animæ, id est concupiscentiae et gulæ suæ consulunt et satisfaciunt sacrificando, non autem sacrificant ut Deum, vel idola colant; ac propere indigni sunt ut panis, id est victimæ eorum) **IN DOMUM DOMINI**, — id est ad templum deferantur; quod proinde, me puniente, a Chaldaeis igne succendetur; in Assyria autem et Chaldaea « ad domum Domini » deferri non poterunt, quia nulla erit ibi domus Domini. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Hugo, Arias, Ribera et alii (1).

Tropologice, haec recte adaptæ sacerdotibus indigne sacrificantibus, non pietatis, sed lucri et gulæ causa: horum enim sacrificium, licet ex parte hostiæ, puta Filii Dei, sit Deo gratissimum; tamen ex parte offerentium est quasi qui patri filium necat, ipsumque se offerentem occidit. Est ergo panis lugentium. Unde Chaldaeus vertit: *Sacrificia eorum erunt instar panis abominabilis*. Ita Delrio, *adagio* 951. Rursum Theophylactus haec adaptat sacrificio quod fit ex injuste partis; hoc enim est panis lugentium, quia est de bonis oppressorum, ideoque lugentium.

Symbolice hic disce, Deo non placere oblationes et victimas, quæ tristi, lugubri et melancholico animo ei offeruntur, sed hilarem datorem diligere, ut ait S. Paulus, *II Cor. ix, 7.*

Hermes episcopus et martyr, S. Pauli discipulus, in libro *Pastoris*, quem probavit S. Dorotheus, Damasus et multi veterum, *visione* V, mandato 10, narrat sibi apparuisse angelum in figura pastoris, et inter alia dixisse: « Tristitia omnium spirituum nequissimus est, et pessimus servus Dei, et omnium spiritus exterminat et contribulat Spiritum Sanctum, et oratio tristis non habet virtutem ut ascendat ad altare Dei. Quoniam tristitia sedet in corde ejus. Cum ergo mixta fuerit oratio viri cum tristitia, haec non patietur orationem mundam ascendere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mixtum eamdem suavita-

Tristis
oblatio
displacit
Deo.

(1) « Panis eorum animæ ipsorum. » Nostram facimus, inquit Ackermann, eam interpretationem, quæ לְנַפְשֵׁיכֶם *lenaphescham*, vertit pro animabus suis, id est pro se, hoc sensu: *Nam panis ipsorum*, id est oblatio eorum, quam pro se Deo offerunt, *non veniet*, deferetur, *in domum Jehovæ*, quia abducuntur captivi ex terra Jehovæ, in qua templum, unicus legitimus sacrificiorum locus, erat. Sic et Rosenmuller; Maurer e contra, cui haec interpretatione otiosa videtur, ita intelligit cum d'Allioli: *nam panis eorum ipsis* erit, id est ipsorum tantum usibus, vite eorum sustentandæ solummodo *inserviet*, *non veniet*, etc.

tem non habet; sic et tristitia Spiritui Sancto mixta eamdem orationem mundam non habet. » Hoc est quod ait Aaron, lugens in strage filiorum: « Quomodo potui placere Domino in cæremoniis mente lugubri? » Quocirca Cassianus, Collat. IX, cap. III, docet quod ad recte orandum, ira præ omnibus, ac tristitiae perturbatio funditus ex animo sit eruenda.

Vers. 5. **S. QUID FACIETIS IN DIE SOLEMNI, IN DIE FESTIVITATIS DOMINI?** — *Primo*, sensus est, q. d. In captivitate non poterit Israel celebrare festum Paschæ, Pentecostes et similia, quæ cum gaudio celebrabat in Jerusalem. Ita Theodoretus, Arias et Lyranus (1).

Secundo et nervosius, S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Hugo, Clarius et alii exponunt, q. d. Festa pristina non celebrabit, o Israelitæ, in templo, utpote positi in captivitate; sed facietis perenne festum et solemnitatem vindictæ meæ, quo scilicet publice puniam vos captivitate, paupertate et gladio. Hæc enim dicitur solemnitas Domini, quia in ea solemnis Dei justitia et gloria toto orbe splendebat, et ab omnibus gentibus celebrabatur. Sic ait Jeremias, *Thren.* II, 22: « Vocasti quasi ad diem solemnum, qui terrorent me de circuitu. » Ex eadem phrasi et tropo, impii exscindendi et occidendi in hac Dei solemnitate vocantur hostiæ et victimæ, quæ immolantur iustitiae divinæ: ac Assyri et Chaldæi, qui eos occidunt et immolant, vocantur sacerdotes Dei. Sic ait Isaïas XXXIV, 6: « Victima Domini in Bosra, et imperfectio magna in terra Edom, etc. Quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion. » Hinc bellum contra impios vocatur sanctum, militesque sancti, quasi auctorati et consecrati a Deo sacerdotes. Sic ait Jeremias, cap. VI, 4: « Sanctificate, o Chaldæi, super eam (Jerusalem) bellum. » Vide ibi dicta.

Anagogice S. Cyrillus, lib. IV in *Joannem*, cap. XXXV, q. d. Vos, o impii, qui sprevistis viam arduam, laboresque virtutis, non poteritis ingredi solemnitatem cœnæ et beatitudinis cœlestis. Dicit enim vobis paterfamilias: Quomodo intrastis huc absque veste nuptiali?

Vers. 6. **6. ECCE ENIM PROFECTI SUNT A VASTITATE,** — id est proficiscentur et fugient in Ægyptum, propter excidium et vastitatem Samariæ. Vide dicta cap. VIII, vers. 8.

ÆGYPTUS CONGREGABIT EOS, MEMPHIS SEPELIET EOS. — Memphis, nunc Cairus, vulgo Alcairo dicitur, aut potius Memphis vetus fuit e regione Caii, ab

(1) Recite Calmetus: « Cum solemnitatum vestrarum dies aderunt, ac procul eritis a patria, a templo, quinam erunt sensus vestri? — Licet decem tribuum Israelitæ schismate laborarent, et in templum Jerusalem non confluenter, non deerant tamen, quo minus pro modulo suo dies Domini festos in terra sua celebrarent, cumque has solemnitates semper exciperent convivia, ac summa hilaritas, non modica illis erat mœroris occasio, non posse amplius in terra aliena, ubi captivi erant, celebrare. »

alia parte fluminis Nili. Vide dicta *Jerem.* XLIV, 1. S. Hieronymus, Haymo, Albertus et Hugo hæc accipiunt de Judæis, qui occiso Godolia, quem Chaldæi præfecerant Judææ, timentes eorum vindictam, fugerunt cum Jeremias, cap. XLVI, 7, in Ægyptum. Verum hic non agitur de Judæis, sed de Israelitis, id est Samaritis: eorum ergo excidium et fuga in Ægyptum hic prædictitur, quodque morituri et sepeliendi sint in Memphi.

DESIDERABILE ARGENTUM EORUM URTICA HEREDITATIBIT. — Per *urticas* significat longam fore captivitatem et Samariæ vastitatem, q. d. Domos splendidas, quas Samaritæ magno argento comparaverant, vasisque argenteis et pretiosis exornaverant, ac in quibus suos thesauros argentumque condiderant, vastabit et radet Assyrius usque ad solum; adeo ut in eo tribuli, lappæ et urticæ germinent. Ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Arias. Unde Chaldæus vertit: *In domo desiderabili argenti eorum urticæ degent.*

LAPPA IN TABERNACULIS EORUM (2). — Pro *lappa* Septuaginta vertunt, *spina*; alii, *tribuli*. Est enim lappa spinosa, teste Dioscoro lib. III, cap. XCXVIII, flosculum habens aculeis plenum, qui injectus in vestem tenaciter adhaeret, quo ludo solent pueri delectari. Cujus tria sunt genera, ait Perotus. Nam *quædam* dicitur canaria, quæ est exigua, canibus adhaerens. *Altera* major est, et philanthropos appellatur, quod vestibus hominum adhaerens, eos amare videatur. *Tertia* appellatur personata, et maxima est, nasciturque juxta rivos et flumina. Folia habet ampliora cucurbitis; ideoque veteres ea utebantur ad personatos faciendos. Porro Plinius, lib. XXI, cap. XVII: « Notabile, ait, est in lappa quæ adhaerescit, quoniam in ipsa flos nascitur non evidens, sed intus occultus, et intra se germinat, velut animalia quæ in se pariunt. » Hebræum ΤΙΠ choach, proprium hamum significat, indeque omnem plantam spinosam, quæ instar hami tenet et capit id cui applicatur. Unde noster Interpres nunc lappam, nunc carduum, nunc tribulum, nunc paliurum vertit.

Vers. 7. **7. VENERUNT DIES VISITATIONIS (id est punitionis)** et excidii, qui erunt) **DIES RETRIBUTIONIS.** — Quibus Deus rependet eis supplicia pro sceleribus. Ita Syrus.

SCITOTE. — Legit interpres ΤΙΠ udeu in imperativo, jam legunt ΤΙΠ iudeu in futuro, id est scient. Septuaginta vero legerunt γρι iaroa, id est affligetur Israel sicut Propheta insaniens. Sensus est, q. d. Nemo vobis aduletur, nemo vos decipiat; nam instant dies castigationis et supplicii vestri: proinde scitote nunc, vel tunc ipsa experientia scietis stultos fuisse et insanos prophetas, qui vos non capiendos nec exscindendos, sed secure et

(2) Eadem sententia Isaï. XXXII, 13; XXXIV, 13, et in Virgiliano illo, *Ectog.* v, 39:

Carduus et spinis surget paliurus acutis.

læte victuros, omniaque prospera pollicebantur; me vero, Isaiam, Joelem, et similes fuisse veros prophetas, qui cladem hanc et stragem vobis prædictimus.

Secundo, S. Hieronymus et Lyranus censem hic ipsummet Israel vocari « Prophetam stultum, » q. d. Scitote, vel tunc scient omnes, Israel fuisse Prophetam stultum et insanum, hoc est multa effutientem temere, instar insani et furore quodam aut spiritu perciti: quia ipse securitatem et fausta omnia sibi promittebat, cum ecce jam captus et vastatus sit.

Tertio, S. Hieronymus rursum, Haymo, Albertus et Hugo hæc intelligunt de veris Prophetis, q. d. Scitote et advertite nunc, vel tunc sciatis et advertetis, Prophetas qui excidium minabantur, quos vos stultos vocabatis, an insani fuerint, an potius viri spirituales, id est afflati Spiritu Sancto. Primus sensus et secundus aptiores et planiores sunt: comparant enim populum aviculis, pseudoprophetas aucupibus, prædicationem eorum laqueo. Ita Vatablus (1).

VIRUM SPIRITUALEM, — id est Prophetam; hunc enim Hebræi vocant *virum spiritus*, id est spiritu Dei afflatum. Pro *virum spiritus*, *vertas*, *virum venti*, et pro *spiritualem*, *ventosum*, id est vanum et mendacem. Sic Jeremias, cap. v, 13, ait: « Prophetæ fuerunt in ventum locuti, et responsum (oraculum, prophetia) non fuit in eis. » Syrus: *Cognoscet Israel stultus Prophetam insanum, virum qui amictus est spiritu stoliditatis*; Arabicus: *Consumetur Israel ut vespera perturbata, aut sicut homo indutus spiritu malo*.

PROPTER MULTITUDINEM INIQUITATIS TUE, ET MULTITUDINEM AMENTIAE, — q. d. Habuisti falsos stultosque Prophetas, qui te deciperent, et in exilium agerent; quia id merebatur multa tua iniquitas et amentia, qua Deum tuum ejusque veros Prophetas semper sprevisti: aut ut Hieronymus Prado in *Ezechiel. XIII*, 3, q. d. Propheta quidem vester stultus fuit; sed in hanc amentiam præcipitarunt eum iniquitates vestræ, atque odium Dei, vestris impietatibus conceptum. Pro *amentia* Hebraice est **מַשְׁמָרָה** *mastema*, quod R. David, Vatablus et alii recentiores vertunt, odium,

iram, furorem (nam ira furor brevis est); radix enim **מַשְׁמָרָה** *salam* significat *odisse, inimicari, adversari*: odium ergo est amentia, et odire Deum summa est amentia. Sensus est, q. d. Adhæsisti idolis, eorumque falsis Prophetis; quia odisti Deum, ejusque Prophetis adversatus es, quæ summa est vesania et dementia.

8. SPECULATOR EPHRAIM CUM DEO MEO : PROPNETA Vers. 8. LAQUEUS RUINÆ (Hebraice *aucupis*, qui avem capit agitque in ruinam) **FACTUS EST SUPER OMNES VIAS EJUS, INSANIA** (Hebraice *mastema*, id est *odium*, uti jam dixi) **IN DOMO DEI EJUS**. — **Primo**, Theodore-tus sic explicat, quasi dicat: Ephraim per legem et Prophetas, quos a Deo accepit, constitutus est quasi speculator et doctor gentium omnium, ut eas doceret verbo et exemplo Dei cultum, viamque virtutis et salutis. At ipse factus est eis laqueus, dum insane coluit idola et vitia idololatrarum.

Secundo, Vatablus, q. d. Ephraim fecit sibi speculatorum, id est pseudoprophetas, eosque vult audire simul cum Deo suo, q. d. Vult audire et colere tam idola quam Deum, tam falsos quam veros Prophetas, quæ est mera insania.

Tertio, Chaldeus et Lyranus, q. d. Speculator Dei, id est verus Propheta, est in Israël; at Israël ei laqueum tetendit, ut eum interficiat; itaque concitat sibi odium Dei, qui hunc speculatorum in domo, id est Ecclesia sua, constituit.

Quarto et genuine, q. d.: « Speculator cum Deo meo, » id est Propheta qui debuerat secundum Deum, et quasi a Deo auctoratus et constitutus Propheta, aut qui dicebat se Deo familiarem et ab eo missum, ideoque debebat Israeli vera prædicere et docere, ac hostes et imminentia mala ex alta providentiæ suæ specula prospicere, præmonere et avertere, hic eum illaqueavit, et quasi laqueus aucupis eum decepit sua falsa prophetia et doctrina, qua inter alia prædicabat quasi acceptum ex ore Dei, Israeli nihil timendum esse ab hoste et vastitate; itaque causa fuit cur Israël perduraret in suis viis, id est impliis actionibus, ac præsertim in sua idolatria, quæ summa est « *insania* »: nam « in domo Dei ejus, » id est in templo idoli ejus, quod ipse coluit ut Deum suum, incitat eum ad adorandum *idolum*, id est ligna et lapides: ex his enim compactum est idolum. Speculator ergo hic est pseudopropheta, et falsus fallaxque doctor. At quis? S. Hieronymus, Haymo et Hugo accipiunt Jeroboam. Hic enim creatus rex illaqueavit populum, eumque coegit adorare vitulos aureos a se erectos in Dan et Bethel. **Secundo**, Albertus et Dionysius Carthusianus accipiunt Ahiam Silonitem, qui licet esset verus speculator, id est Propheta Dei, tamen per accidens factus est laqueus Israeli, quia prædictus, et quasi promisit regnum impio Jeroboam, qui causa fuit idolatriæ et ruinæ Israëlis. **Tertio**, planius et plenius accipias quosvis falsos prophetas; hi enim mentiebantur se a Deo missos,

(1) Prior expositio magis contextui et seriei orationis convenit. Nam, inquit Rosenmuller, quem sequitur Ackermann, mens Prophetæ in hoc versu est, certitudinem denuntiare pœnarum, sic ut earum securi hactenus Israëlitæ hujus certitudinis ipso forent eventu convincendi. Id vero astruit ἀναστορεῖσθαι, destruendo spem habitam latissimis pseudoprophetarum vaticiniis, qui, veritatem docente eventu, pro stolidis et amentibus erant agnoscendi. Deinde et καταστορεῖσθαι probat, prope esse istam retributionem debere, cum eam iniquitatum multitudo et odium Dei provocaret.

Sententiæ duæ istæ: « Scitote, Israel, stultum prophetam, insanum virum spiritualem, » velut in parenthesi interpositæ sunt juxta Maurer; nam quæ subjiciuntur: *Propter multitudinem*, etc., pertinent ad verba versus priora, ut quorum rationem reddant.

itaque illaqueabant et decipiebant populum. Hi quoque sunt stulti Prophetæ et insani, de quibus dixit vers. præced.

Tropologicæ, hæc recte adaptes Tertulliano, Lucifero Calaritano, Origeni, aliisque viris sapientia et virtute illustribus : hi enim fuerunt quasi oraculum Dei, et quasi speculator cum Deo conversans; sed per apostasiam et lapsum facti sunt laqueus in Ecclesia, multosque fideles secum traxerunt in ruinam, quibus recte competit versio Arabica vers. 11 : *Ephraim quasi avis volavit, et eminentia (claritas, nobilitas) eorum quasi vallis, et quasi vada* (1).

Vers. 9. 9. PROFUNDE PECCAVERUNT, SICUT IN DIEBUS GABAA. — Hebraice est, *profundarunt*; Syrus, *profundum petierunt*, id est in profundum, puta in barathrum scelerum, prolapsi sunt, et, ut Vatablus, profundam fecerunt defectionem, ex qua scilicet emergendi vix videtur ulla esse spes, aut possibilitas, et, ut Prado in *Ezechiel. XIII, 3, q. d.* Ex profundo et imo corde, ex toto affectu recesserunt a Deo, et coluerunt idola. Porro *dies Gabaa* S. Hieronymus, Haymo et Hugo referunt ad tempus, quo Saul creatus est rex in Gabaa, cum populus invito Deo a Samuele regem sibi postularet, *q. d.* Uti Israel olim Saulem, ita nunc Jero-boam me invito regem sibi constituit. Melius idem Hieronymus, Cyrillus, Theophylactus, Lyranus, Vatablus, Ribera et alii hæc referunt ad enorme stuprum a Gabaitis commissum in uxorem Levitæ, ob quod omnes cæsi sunt. Vide historiam *Judic. cap. xix et xx.* Sensus ergo est, *q. d.* Sicut profunde, id est gravissime, peccaverunt viri Gabaa, et Benjaminitæ, foedo et insano stu-pro occidentes uxorem Levitæ, illudque deinde

(1) Locus iste difficilior est quam vulgus existimat, inquit Drusius; qui facilem esse putat, næ ille nescit, quid sit arduum in hoc Propheta. Secundus sensus a Cornelio propositus nobis eo magis placeret, quod falsi prophetæ, quorum magnum numerum reges Israelitarum sepius alebant, decipere et corrumpere studebant populum omni, quæ se præbebat, occasione. Attamen hunc etiam sensum recipere posset hic versus juxta Maurer : *Si speculator Ephraim apud Deum meum, vates laqueus alicupis est in omnibus viis ejus, Ephraimi, defectio, causa defectionis in domo dei ejus, Ephraimi, id est in civitate Ephraimitarum.* Sensus : Si quando consulunt Israelitæ prophetas Jovæ, horum salutaria consilia suis artibus irrita reddunt prophetæ falsi, præcipua illi communis omnium defectionis causa. Cf. cap. v, 1. *Speculari apud Deum* est eum consulere ejusque exspectare responsum : cf. *Habac. II, 1.*

Lackenacher in *Observatt. philolog. P. V. Observ. III,* pag. 223, sic vindicare studet hanc interpretationem : *Ephraim prophetas sibi suos ipsi constituit* : « Quemadmodum sepe fieri observamus sacris in litteris, ut pro causa actionis efficiente effectus ponatur, sive ipsa actio, ita et hic puto factum. Itaque *Ephraim speculans* mihi est Ephraim qui efficit, ut speculentur sive vaticinentur alii qui prophetas constituit, hoc est, rex mercede vates constituens, ut ad ipsius mentem atque voluntatem oracula confingant, eademque pro divinis plebi imprudenti obtrudant. »

contra alias omnes tribus pertinacissime defensores stolido bello, quo omnes pene usque ad interencionem totius tribus Benjamin occisi sunt : ita nunc Israelitæ gravissime peccant stupro spirituali, id est idolatria publica, et communis omnibus decem tribubus, illamque pertinacissime tuentur et defendunt, nec ullis Prophetarum monitis aut minis ab ea avocari se sinunt : quin potius pseudoprophetarum vocibus et oraculis in ea confirmari et perfici gaudent : quocirca a Deo exscindentur ut Gabaitæ.

10. QUASI UVAS IN DESERTO, INVENI ISRAEL (q. d. Vers. 10.)

Elegi Israel, eduxique per Mosen ex *Egypto* in desertum, fuitque ipse mihi charissimus et in deliciis, uti solent esse viatori in deserto fame, siti et fatigatione afflito, uvæ repertæ, et) **PRIMA POMA FICULNEÆ**, — id est primæ et præcoce fucus (*pomum* enim Latinis significat fructus omnes qui molliori sunt cortice), quæ *Jeremie xxiv, 2,* vocantur *præcoquæ*, alibi *primitivæ*, vel *primi temporis.* Septuaginta, *Isaiæ xxviii, 4,* vertunt, *præmaturas.* Hæ enim, quia post longam earum parentiam avide expetuntur, in proverbium abiurunt, significantque rem valde desiderabilem, diuque expetitam : primos enim fructus, præser-tim fucus, mire concupiscimus; quia iis, utpote immaturis, diu, puta toto anno, abstinuimus. Immaturitas enim et mora cupiditatem acuit, ut ubi primum maturuerint, aut sese ostenderint, cu-pide arripiantur. Simili modo ego Israelem inopem et famelicum in deserto manna de cœlo alui. At ipse ingratus et recalcitrans, me spreto defecit ad Beelphegor, id est Priapum, eumque adoravit, *Num. xxv, 1;* vide ibi dicta. Sensus ergo est, *q. d.* Israel colens nunc vitulos, imitatur parentes suos, qui primitus coluerunt Beelphegor. Ita Chaldeæus, Albertus et Arias. Ita quoque explicant S. Hieronymus, Theodoreetus, Theophylactus, Rupertus, Haymo, Hugo et Lyranus, nisi quod ipsi per patres accipient Abraham, Isaac, Jacob, non Mosen. Verum hi non fuerunt in deserto.

Nota: Pro *quasi prima poma ficulneæ*, Septuaginta vertunt : *Sicut scopum in sicu temporaneum.* Sicut enim scopus, id est speculator, rem longe venientem annuntiat, ita præcox fucus maturitatem, ut eruditæ annotavit Billius in *orat. 32 Nazianzeni.*

ABALIENATI SUNT IN CONFUSIONEM, — q. d. Converterunt se ad colendum pudendum idolum Priapi, quod uti obscenum, ita per obscenas libidines et fornicationes colebant. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoreetus, Theophylactus et Lyranus.

ET FACTI SUNT ABOMINABILES, SICUT EA QUAE DILEXERUNT. — Puta, sicut idolum Priapi erat foedissimum et abominandum, ac sicut abominandæ erant meretrices Madianitæ quas dilexerunt, et cum quibus fornicabantur, quæ eos ad cultum Priapi illexerunt; unde Arias et Vatablus vertunt :

*Facti sunt abominabiles secundum amorem earum, scilicet meretricum, id est sicut meretrices hæc, amorque earum et fornicatio erant abominabiles. Sicut ait Psaltes, Psalm. cxiii, 8 : « Similes illis (simulacris et idolis) fiant qui faciunt ea, » q. d. Idoloplastæ et idololatræ fiant trunci, stipites, stupidi ingenio, omnique sensu homine digno, ac viribus destituti, clausis et mortuis mentibus, ait S. Augustinus et Hieronymus, tales enim solent esse idololatræ, idolis suis similes. Hinc scholastice recte docet D. Thomas, I II, Quæst. XVIII, art. 2, actus humanos sumere speciem ex objectis, ut si objectum sit bonum, actus sit bonus; si objectum sit malum et abominandum, actus sit malus et abominandus, idque in tali specie virtutis vel vitii, cuius est objectum : objectum enim a voluntate amatum et concupitum, suam bonitatem vel malitiam in eamdem transfundit. Arabicus vertit : *Illusi sunt in operibus suis, et assimilati sunt amenti.* Peccator ergo est stultus et amens.*

Voluntas est chamæleon. Moraliter, disce hic quod voluntas nostra natura sua sit quasi chamæleon : sicut enim ille rerum omnium quibus se applicat, colorem induit, præter rubrum et candidum, inquit Plinius lib. VIII, cap. xxxiii, ideoque in omnes formas et species se transmutat : sic et voluntas omnium rerum speciem et faciem quasi induit, quibus se per amorem jungit et applicat. Hinc dixit vir sapiens : « Quod per voluntatem resolute et efficaciter vis, hoc absolute es. » Vis resolute esse humilis, hoc ipso humilis es : vis esse temperans, castus, obediens, patiens; si id efficaciter vis, de facto es temperans, castus, obediens, patiens. Hoc est quod ait S. Augustinus, epist. 52 ad Macedonium : « Non faciunt bonos vel malos mores nisi boni vel mali amores. » Sicut ergo facti sunt abominabiles, qui dilexerunt peccata : ita facti sunt, fiuntque speciosi et gratiosi, qui diligunt Deum speciosissimum et gratiosissimum. Nam, ut ait S. Augustinus, tract. 2 in epist. S. Joann.: « Talis est quisque, qualis est ejus dilectio: terram diligis? terra es: Deum diligis? quid dicam? Deus eris. » Amor enim transformat amantem in rem amatam. Unde « anima, ait S. Augustinus, magis est ubi amat, quam ubi animat. » Et vici-sim res amata magis est in amante, quam in animante. Quocirca Cato Censorius amantis animum dicebat in alieno corpore vivere, uti refert Plutarchus in ejus Vita. Et Plato asserebat omnes qui perdite amarent, in suo et proprio corpore mortuos esse, eo quod in alieno viverent, uti refert Fulgosius lib. VII, cap. II. Et Panætius philosophus amorem turpem aiebat esse rem impotentem alteri emancipatam, vilem sibi, uti refert Brussonius, lib. I, cap. II. Ejus enim officium non est aliud quam corpus proprium et creaturas alias, puta carnes, panes, vina, delicias, etc., in putredines devorando, vel voluptuando convertere. Haec ejus utilitas, imo vilitas : haec ejus potestas, imo infirmitas, ut per eum nostra sanies

transeat affluenter : non enim facere valet, ut maneat. Hoc ejus studium, hæc ejus beatitudo, ut voluptatum creatarum sordibus affluat, quibus votive succumbit, corrumpente eum per illas diabolo : qui mire gaudet de hominis deceptione et interitu, cum rei creatæ quam turpiter homo adamat, imago ei maneat impressa, tanquam simulacrum in templo suo; cui non bovem, non hircum, sed animam rationalem et corpus, id est seipsum totum peccator immolat, cum ea fruitur. An non ergo abominabilem se facit, cum se pro vili delectatione, eaque momentanea, putri carni, imo teterimo dæmoni mancipat, et servum addicit? quando creaturas quas foede diligit, ac cum eis seipsum in putidas vomicas, carcinomata, alias sordes et putredines transmutat.

Ex adverso anima amans Deum fit spiritalis, angelica, divina, et in Deum illi inhaerendo transit. Unde S. Ambrosius, lib. De Isaac et anima, cap. III : « Tunc, ait, nos osculatur Dei Verbum, cum cor nostrum lumine cognitionis illuminat, et amore bonitatis inflamat, ut adhaereat ipsi, et unus cum ipso spiritus efficiatur. » Nervosius S. Gregorius explicans illud Cant. I, 1 : *Osculetur me:* « Cum ejus (sponsi, ait sponsa) osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, et in ejus similitudinem illico liquefacta transformor. » Amor enim est motus et impulsus, quo amans fertur in rem amatam, eique se unit, et in eam se transformat. Secus est in intellectu et intellectione. Hie enim non tendit extra se, sed res intellectas per species et cognitionem, ad se trahit, sibi imprimat et incorporat, ut docet S. Thomas, I II, Quæst. XXII, art. 2. Denique ex hoc loco et similibus, recte probant theologi, quod actus peccati transiens, post se relinquat in anima peccantis maculam habitualem peccati, per quam ipsa formaliter sit exosa et abominabilis Deo. Ita Joannes Salas, I II, Quæst. LXXXVI, initio.

11. EPHRAIM QUASI AVIS AVOLAVIT, GLORIA EORUM A Vera. II. PARTU. — Est hebraica metathesis, sive verborum transpositio : sic enim illa ordinanda sunt : Gloria Ephraim quasi avis, id est velocissime, avolavit a partu, etc. Gloriam vocat filios : hi enim sunt parentum decus et gloria, uti dicitur Prov. x, 8. Sensus ergo est, q. d. Filii Ephraim in quorum multitudine, specie et robore ipse gloriabitur, cito morituri sunt; alii « a partu, » cum scilicet primum prodierint in lucem; alii « ab utero, » quia scilicet abortivi erunt, q. d. Faciam ut matres patientur aborsum, fœtusque suos abortiant; alii « a conceptu, » quia semen conceptum mox disfluet, ut ex eo embryo formari nequeat, q. d. Puniam uxores vestras sterilitate et vitio matricis, faciamque ut fœtum non concipient, aut conceptum abortiant, aut natum mox perdant (1). Hunc esse sensum patet ex sequentibus : « Quod etsi

(1) A partu ad graviditatem, a graviditate ad ipsum conceptum descenditur, ut quævis spes fœtus præcidatur.

enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam,» q. d. Quod si filios aliquos procreaverint et educaverint, illos vel gladio hostili, vel peste, aut morbo occidam, ut ad ætatem maturam non perveniant, nec computentur «in hominibus. » Idem patet ex vers. 14, ubi dicit: « Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia. » Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Vatablus, Arias et alii. Alter Theodoretus, Haymo et Lyranus, quasi dicat: Ephraim cito quasi avis avolabit in captivitatem Assyriacam, qui gloriabatur de sobole copiosa, de utero conceptuque secundo. Alter quoque Theophylactus, q. d. Ephraim cito quasi avis avolavit, et recessit a viis et moribus patrum suorum: quia gloriam suam non in me, sed in prole, partu et conceptu ubere constituit. Hinc ego illam ei adiham et succidam.

Arabicus Antiochenus vertit: *Ephraim quasi avis volavit, et eminentia (claritas, nobilitas) eorum quasi vallis, et quasi vada;* Arabicus Alexandrinus: *Ephraim velut avis volans, et quasi dolor parturientis: sic gloria eorum; quia enutrit filios suos ut exteris e filiis hominum; vœ illis, quia recesserunt a viis meis.*

Tropolo- Tropologice, « Gloria Ephraim a partu, ab **gice.** utero, a conceptu transit, » inquit Julianus Archiepiscopus Toletanus, qui in *Nahum* exstat tom. II *Biblioth. SS. Patrum*, « quando mens prius honore, glorie quasi semidea, pro fama infamiam, pro gloria miseriam, odium pro gratia, contemptum pro reverentia, lucrum pro jactura, inediam pro copia justo Dei judicio recipit: partus est operatio, venter intentio, conceptus cogitatio. Gloria igitur Ephraim avolat a partu, a conceptu, ab utero, quando prius splendide forinsecus viventium, et de vitæ extrinseca honestate in se gloriantium in honestatur actio, corrumptur intentio, fœdatur cogitatio, » de quo plura vers. 14.

Vers. 12. 12. **SED ET Vœ EIS CUM RECESSERO AB EIS.**—Est gradatio: *primo*, enim minatus est eis, quod sobolem impediret ne nasceretur; *secundo*, quod natam occideret; et hic *tertio*, minatur eis omnimodam desolationem, indeque vastitatem et excidium, q. d. *Vœ eis cum eos orbabo non tantum filiis, sed et mea cura et providentia, atque a me abdicabo; tunc enim invadent eos perdentque Assyrii.*

Nota: Est hic duplex lectio: prior בְּשָׁרוֹי besuri, per sin, quod idem est cum samech, id est cum recessero. Ita legunt et vertunt Noster, Aquila, Symmachus, Jonathan Chaldæus Paraphrastes (quem Galatinus, lib. I *De Arcan. fidei*, cap. v, asserit 42 annis præcessisse Christum) qui vertit: *Vœ eis cum sustulero maiestate meam ab eis;* R. David, R. Abraham, R. Solomon, Vatablus et alii. Posterior בְּשָׁרוֹי besuri, id est caro mea; unde vertunt: *Vœ his cum caro mea ex eis.* Ita Septuaginta et Theodotion, quos sequuntur Græci, ut Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, Dorotheus in Sy-

nopsi, Cyrillus Hierosolymitanus, *catech.* 12. Quocirca Theodoretus et Theophylactus putant hic esse prophetiam de incarnatione Christi: imo Raymundus quem citat Lyranus sic legit: *Vœ eis, incarnatio mea ex eis,* q. d. *Vœ nunc Israelitis cum exscindentur ab Assyriis, sed longe magis vœ cura ex eis carnem ego Christus assumam: tunc enim ipsi me, licet cognatum suum, consequentur et occident, ideoque a Tito et Romanis funditus delebuntur, et in æternum desolabuntur.* Sic et Lyranus, Burgensis, Mariana, Galatinus, lib. I, cap. viii, et Leo Castrius, qui contendunt Judæos hunc locum corrupisse, ac pro besari, id est caro mea, scripsisse besuri, id est cum recessero; idque, quia Verbum incarnatum oderunt et repudiarunt. Verum id perperam dicitur, *primo*: nam Christus carnem sumpsit ex Judæis, non ex Israelitis; *secundo*, quia passim in Bibliis scribitur בְּשָׁרוֹי besuri, per vau, quod nequit esse in בְּשָׁרוֹי besari, id est caro mea, ut patet intuenti. Besuri ergo, id est cum recessero, legendum est, non besari, id est caro mea; *tertio*, quia versionem hanc Vulgatam, qua legimus, cum recessero, recepit et probavit Ecclesia a mille annis: impium autem est dicere, Ecclesiam vitiata et falsa versione uti.

Quocirea Cyrus et Theophylactus aliam meliorem et Vulgatæ editioni viciniorem hujus versionis Septuaginta dant interpretationem, scilicet hanc: « Auditis, inquit Theophylactus, Propheta minis Dei adversus Israelem precatur, ne vel ipse, vel sui contribules, et secundum carnem cognati sint participes futuræ istius iræ. Idecirco inquit: Caro mea ex ipsis, hoc est extra ipsis. Longe quæso ab ipsis removear, et ego, et caro mea, sive cognati et contribules. » Sic Apostolus Judæos vocat carnem suam, id est cognatos, secundum carnem, *Roman. xi, 74.* Simili modo Cleones in tragœdia apud Senecam, Jasonem a communi culpa cœtuque eximit, dicens:

Proculque vestro purus a cœtu stetit.

13. EPHRAIM, UT VIDI, TYRUS ERAT, — q. d. Vers. 13. Ephraim, prout ego ipse vidi, par erat Tyro in opibus, prosperitate, fortitudine, munitione, copia prolium, omniq[ue] decore et gloria, cum Deum coleret ejusque legem servaret, inquit Chaldæus; quia sic vallabatur Dei auxilio, sicut Tyrus mari, ait S. Hieronymus. At quia nunc Deum relinquit, sibi suisque idolis præfidens, hinc omnem ei gloriam Deus admet, ac præsertim filios, in quibus ipse adeo solet gloriari, dabit tum in bello pugnantes, tum post bellum victos et captos, occidendos Assyriis eorumque regi. Hunc enim vocat « interfectorem. » Ita S. Hieronymus, Albertus, Lyranus, Vatablus et alii. Tyrus olim erat quod nunc Venetiæ. De gloria Tyri dixi, *Isaiæ xxiii, et Ezech. xxvi.* Huc accedit Vatablus, qui sic vertit et explicat: Vidi Ephraim sicut Tyrum, puta primo florentem pace rerum-

que copiam, mox ob idolatriam vastatum (1).

Secundo, Arias putat esse antithesin Ephraim et Tyri, q. d. Esto Tyrus ad Ephraim, puta ad tribum Aser, pertineret, ut patet *Josue xix*, 29; tamen vidi Ephraim a Tyro toto ccelo differre : vidi enim Tyrum florentissimam opibus et prolibus, Ephraim vero ei vicinum vidi utrisque orbatum et desolatum (2).

Tertio, Aquila, Symmachus et Theodoretus pro *Tyrus* vertunt, *petra*; hanc enim significat Hebr. **תָּסַר** *tsor*, indeque urbs in petra fundata dicta est hebraice *Tsor*, chaldaice *Tor*, græce et latine *Tyrus*, q. d. Ephraim erat ut arx munitissima, puta ut petra et scopulus durissimus, qui fixus in terra omnes contemnit procellas, turbines et ventos, puta omnes hostium incursus; sed quia in Deum peccavit, Deus ei vires roburque adimet, ut filios cogatur tradere Assyriis mactandos. Ita S. Hieronymus.

Quarto, Septuaginta pro **τ** legentes **τ**, puta pro **τούτῳ** *tsor*, id est *Tyrus*, **τούτῳ** *tsud*, id est *venatio vel captura*, vertunt : *Ephraim, sicut vidi, in θίραν*, id est *venationem vel captionem præbuit filios suos, ut educeret ad interfectionem*.

Nota : Deus Ephraim, id est Israeli, intentat filiorum necem et orbitatem præ cæteris ærumnis, tum quia ipse in iis gloriabatur et præfidebat, quasi ob eorum et civium copiam esset inexpugnabilis; unde eos vocavit gloriam Ephraim, vers. 11; tum quia Ephraim filiis suis abusus erat non tantum ad fastum, sed et ad idolatriam; eos enim immolaverat idolo Moloch: jure ergo iisdem a Deo spoliatur et orbatur; tum quia imitabatur fornicationem et idolatriam Gabitarum, et parentum colentium Beelphegor. Fornicationis enim congrua et propria poena est *ἀτεκνία*, sive liberorum orbitas, uti dixi cap. IV, 10.

Vers 14. 14. DA EIS, DOMINE (poenas et supplicia quæ merentur. Sed quas?) QUID (inquam) DABIS EIS? (quas poenas in particulari decet me iis imprecari, et te, o Domine, iis infligere? Utique ut filios, quos perditæ amant, quibusque abutuntur, perdant, itaque summe crucientur). DA (ergo) EIS VULVAM SINE LIBERIS ET UBERA ARENTIA, — q. d. (3) Puniuxores Ephraim sterilitate, ut liberos non concipiunt, aut si quos conceperint et pepererint, lactare et nutrire nequeant; ubera enim arentias sunt,

(1) **תָּסַר** *letsor*, sicut *Tyrus*. *Lamed* est hic index qualitatis. Nempe Hebreis est usitatissimum appellare aliquid ejus rei nomine, cum qua confertur omissio *chaph* similitudinis, idque cum accusativus qualitatis per *tamed* exprimitur.

(2) Maurer verit: Ephraim, quoisque prospicio Tyrum versus, plantata est in viroto, id est, pulcherrime floret terra Ephraimitarum, quoisque oculi mei prospiciunt, quo longissime oculi conspectum ferunt Tyram versus; et tamen educendi sunt filii ejus ad interfectorem, etc.

(3) Propheta reassumit quod supra jam prædictum de orbatione liberorum, ut causam novam subjiciat, et demum in poenarum annuntiatione pergat.

quæ lacte parent. Sic nimirum eis occasionem fastus et idolatriæ, quam per filios committunt, præcides, o Domine; sic pariter tolles stirpem tibi invisam. Ita S. Hieronymus, Cyrilus, Chaldaeus, Theophylactus, Haymo, Hugo, Lyranus et alii. Solus Arias hæc in bonum accipit, quasi Deus hic poenam Israelitis decretam moderetur et immiuat, ut sensus sit : Ne Israelite nimis crucientur, videndo filios jam maturos ab Assyriis capi et interfici; fac, o Domine, ut illi vel non concipientur, vel concepti et nati mox tabescant et moriantur. Paulo aliter quoque Vatablus verit, nimirum sine interrogatione, sic : Da eis, Domine, quod daturus es, da eis vulvam abortientem, et ubera arentia; Arabicus Alexandrinus : Da eis, o Domine, secundum retributionem eorum; et da eis non parturientes, et mammam arentem; Arabicus Antiochenus : Ephraim vidi in statu quo vidi sterilis. Da eis, Domine, vulvam non parturientem, et ubera siccum; Syrus : Da eis, Domine, id quod das (dabis) eis; da illis matricem illiberem, et ubera arida.

Moraliter, disce hic Deum punire parentes orbitate filiorum, dum ipsi matrimonio turpiter vel prolibus superbe vel impie abutuntur ad Dei offendam; ex adverso Deum pios parentes, saepè donare egregia multaque sobole. Exemplum est pia Anna, ejusque æmula Phenenna; hæc enim in filiis superbiens, Annamque sterilem irridens, ab ea supplantata est; Deus enim Annæ filium dedit Samuelem prophetam, ac insuper quinque alias proles, I Reg. cap. II, 1; unde ipsa gratias agens Deo carmen eucharisticum cecinit, dicens : « Exsultavit cor meum in Domino, et exsaltatum est cornu meum in Deo meo; dilatatum est os meum super inimicos meos (Phenennam, ejusque filios et assecelas, mihi sterili insultantes), etc., donec sterilis (uti ego) peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est. » Tradunt Hebrei, et ex eis S. Hieronymus, Abulensis, Vatablus et alii, Phenennæ tot mortuos esse filios, quot nascebantur Annæ. Celebris est apud Gentiles Niobe, quæ septem filiis totidemque filiabus pulcherrimis superbiens, seque Latonæ præferens, ab Apolline Latonæ filio, filiis et filiabus omnibus interfectis, orbata præ dolore attonita obmutuit, ac velut lapidescens malis diriguit, uti describit Ovidius lib. VI *Metamorph.*, et Statius, lib. V. Sic Augustus, Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, Trajanus, Adrianus, cæterique pene omnes Imperatores gentiles, ob libidines et fastum sobole caruerunt, neque ullum ex se tanti imperii reliquerunt hæredem.

Mystice id verius est in anima, quæ ob virtutes Dei et Dei gratiam et dona, vane gloriatur et superbbit, quasi illa sua sint opera, non Dei munera. Hæc enim cum humili agnosceret Deum datorem, eique gratias ageret, pulchra erat et florens rerum spiritualium copia, ut Tyrus; at jam superbiens, sibique præfidens deseritur a Deo sponso; itaque

Moraliter, inquit
sunt illiberales.

Sic et
animæ
Dei donis
superbiens.

ab eo semen et lac gratiæ non accipit, ut opera bona parturiat; aut si acceperit et pepererit, ea lactet et nutriat: ubera enim animæ arent, id est succo gratiæ et spiritus destituta sunt: unde proles, id est opera bona grandescere nequeunt, sed tabescunt et evanescunt. Idem maxime locum habet in Prædicatoribus, Prælatis, Confessariis, alisque qui animas Deo parere satagunt. Dum enim puro zelo gloriæ Dei et salutis animarum id faciunt, florent filiorum spiritualium copia et fructu: dum vero se, puta plausum, lucra, aut commoda aucupantur, mox matrix eorum sterilescit, et ubera arescunt, ut nec filios in spiritu gignere, nec si quos genuerint, alere et promovere possint. Hoc est quod ait Christus: « Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. » Et mox: « Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescat, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet, » *Joan. xv, 6.* Omnis enim succus vigorque gratiæ, qua spiritualiter vivimus, vegetamur, crescimus, et fructificamus, derivatur a Christo quasi a radice et humo. Vide S. Gregorium, hom. 17 in *Evang.*

Præclare S. Bernardus, serm 31 in *Cant.*: « Ingratitudo, inquit, inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiae, fluenta gratiæ. » Idem, tract. *De Interiori domo*, cap. xli: « Superbia, inquit, sicut est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Sola superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus omnes corrumpit. » Idem, serm. 54 in *Cant.*: « Argumentum superbiæ, privatio est gratiæ. » Ex adverso, argumentum humilitatis, est copia gratiarum. Si quem ergo videris privari gratia et donis suis, scias eum esse superbum: si vero aliquem videris iis abundare et crescere, scito eum esse humilem. Humilitas enim est mater et conciliatrix donorum, quorum dissipatrix est superbia: Deus enim humiliibus dat gratiam, quam superbis aufert.

Vers. 15. 15. OMNES NEQUITIÆ EORUM IN GALGAL (1). — In Galgal enim Israelitæ abjecerunt omne regimen Dei, tam politicum quam sacrum. Politicum, quia a Deo regi nolentes, in Galgal petierunt a Samuele dari sibi regem, qui proinde dedit eis Saulem. Sacrum, quia in Galgal statuerunt idola, quæ, spreto Deo, coluerunt. Ita S. Hieronymus, Theodoreus, Hugo, Lyranus, Vatablus et alii. De Galgal vide dicta cap. IV, 20.

QUIA IBI EXOSOS HABUI EOS. — Hebreum קְנִי, id est *quia*, saepe non causam significat, sed encliticum est, et ornatus causa additur, imo subinde effectum significat. Ita capitur hic, q. d. « Quia, »

(1) Post interlocutionem Prophetæ Dominus ipse loqui pergit, et ne cum Ephraimo nimis severe agere videatur, causam subjicit gravissimam, qua inductus tam graviter in eum animadvertat. (Ackermann.)

id est idcirco, ibi cœpi eos odio habere et aver-sari. Ita Ribera, a Castro et alii.

DE DOMO MEA EJICIAM EOS. — Puta de templo, ut explicat Chaldæus, vel potius de terra sancta, quæ tota erat quasi una domus et familia Dei, in qua sub ejus aliis et protectione securi et felices degabant Israelitæ, quasi filii sub parentis cura, unde in ea habebant nomen Israelis et populi Dei: ibi quoque Deus suos Prophetas, quasi paterfamilias ad eos erudiendos et formandos mittebat. « De domo ergo mea ejiciam eos, » ut alieni a me abeant captivi ad gentes, et idola quæ coluerunt. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Lyranus, Arias et alii.

NON ADDAM UT DILIGAM EOS. — Id est, *non amplius diligam eos*, ut vertit Vatablus. Nam, ut sequitur, et ut ait S. Hieronymus: « Abjecit eos Deus omnium Prophetarum, quia non audierunt eum; et vagi erunt in nationibus, non habentes altare, non sedem, non principem, donec ad Christum convertantur. »

OMNES PRINCIPES EORUM RECEDENTES, — q. d. Omnes reges Israel a primo Jeroboam usque ad ultimum Hosee, a Deo ad vitulos aureos recesserunt.

16. PERCUSSUS EST EPHRAIM, RADIX EORUM EXSICCATA EST. — Comparat Ephraim arbori, prius frondibus et fructibus luxurianti, postea percussæ auragine et arescenti, quod radix ejus siccata sit, ideoque fructum producere non valenti, q. d. Ephraim, id est populus Israel, instar arboris percussæ et arescentis in radice, paucos vel nullos proferet fructus, id est filios. Patet ex sequenti. Unde Chaldæus vertit: *Domus Israel similis est arbori, cuius radix uredine percussa est deorsum, et siccatur folium ejus sursum, fructum non faciet.*

Porro radix Israel accipi potest fecunditas illi a Deo indita, cum Ruffino et Lyrano, vel regia potestas, sive reges et principes, cum Theodoreto et Theophylacto. Hi enim instar radicis sustentabant, et vegetabant totum populum. Unde Arias apposite: Radix, inquit, est rex, truncus est regia tribus Ephraim, folia et rami cæteræ novem tribus, q. d. Ultimus Samariæ rex (qui est quasi radix), puta Hosee, cum Samaria, totaque tribu Ephraim, quæ est quasi truncus arboris, vastabitur a Salmanasar: unde ab eodem mox vastabuntur cæteræ omnes (quæ sunt quasi rami) ut plane arescat, utpote siccata radice, regnum et respublica Israel; adeo ut, etiamsi aliquos « genuerint, interficiam amantissima, » vel, ut Vatablus et alii vertunt, *desiderabilia, uteri eorum*, id est charissimos filios, qui erant eorum desiderium et deliciæ; unde Chaldæus vertit: *Interficiam viscerum eorum pulchritudinem.* Proles enim sunt parentum pignora, et quasi viscera.

Mystice, radix regni et reipublicæ est Deus; hic enim regnum et rempublicam sustentat, auget, florete et fructificare facit. Ita S. Hieronymus, qui rursum per radicem accipit Patriarchas Israelis,

puta Abraham, Isaac et Jacob. Hi enim licet in se vivi, aridi tamen, et quasi mortui erant suæ soboli degeneri, puta Israelitis idololatris; quia eos aversabantur, nec eos merito et prece sua juvabant.

Vers. 17. 17. ABJICIEBT EOS DEUS MUS (non illorum) : QUIA NON AUDIERUNT EUM : ET ERUNT VAGI IN NATIONIBUS. — Hoc est quod deplorat Jeremias Thren. I, 8 :

« Peccatum (fornicationis spiritualis, puta idolatriæ : loquitur enim de Jerusalem quasi de virginie meretricante) peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, » q. d.

Ætherei scelus hoc ægre tulit ira mariti,
Inque suam vexit te remeare domum.
Inde vaga, huc illuc incertis sedibus erras :
Nulla tibi domus est, cum sit ubique domus.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, comparat Israelem viti frondosæ, sed fructibus vacuæ, quod Dei opibus abusus sit ad augendum cultum idolorum, ideoque minatur ei excidium, quodque idolum ejus, puta vitulus aureus, deferetur munus regi ulti, scilicet regi Assyriorum; tantasque strages et aerumnas, ut dicturi sint montibus : Operite nos; et collibus : Cadite super nos. Additque id jure fieri, quia priscum est hoc Israelis peccatum, puta ex diebus Gabaa, in quo pertinaciter persistit, quod non nisi excidio extirpari potest. Secundo, vers. 11, comparat eum vitulæ amanti trituram, id est, fruges et opes, unde ait : Hactenus arastis impietatem, iniuriam messuistis; nunc sapite, ac seminale in justitia, ut metatis in ore misericordia. Deinde hortatur ut novale cordis sui innovent, et præparent ad gratiam quam afferet Christus, justitiae doctor ac dator. Denique, vers. 14, si in impietate perstent, minatur quod Bethel, id est, idola Bethel perdent eos sicut Beth Arbel, id est, domus Gedeonis, perdidit Salmana cum Madianitis (1).

1. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei : secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris. 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt : ipse confringet simulacra eorum, depopulabitur aras eorum. 3. Quia nunc dicent : Non est rex nobis : non enim timemus Dominum : et rex quid faciet nobis ? 4. Loquimini verba visionis inutilis, et ferietis fœdus : et germinabit quasi amaritudo judicium super sulcos agri. 5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ : quia luxit super eum populus ejus, et æditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo. 6. Siquidem et ipse in Assur delatus est, munus regi ulti : confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua. 7. Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. 8. Et disperdenter excelsa idoli, peccatum Israel : lappa, et tribulus

(1) Totum hoc caput, ut recte observant post Sanctum Rosenmuller et Ackermann, in enumerandis peccatis Ephraimitarum, illorumque propterca supplicium amplificando versatur. Vaticinium regnante Hosea, vel saltem sub ultima regni ejus tempora editum esse, videntur probare vers. 3, 5, 15 (in *Hebr. xiv*). Maurer tempore quod primam inter et alteram in terram Ephraimitarum a Salmanasare susceptam expeditionem interfuit, compositum putat. In quam sententiam venimus hac moti ratione, inquit, quod qui vers. 14 vocatur Salman, vix dubium est quinsit Salmanasar, et quod ibidem memoratur בִּתְהַאֲבָלbeit Arbel, oppidum maxime probabile est esse *Arbela Galilæa*, diruta a Salmanasare, cum primum in regiones Israelitarum invasionem fecisset. Quid? quod ex vers. 6 colligi potest, in lucem orationem emissam esse tum demum, cum Hosea rex in auxilium Soo, *Ægyptiorum* regem, vocasset ; cf. etiam vers. 4 et 13.

PRIMO, queritur Deus, quod quidquid facultatis et vi-
rium, in idolorum cultum et honorem effuse contulerunt,
scilicet primo, abusum prosperitatis in multiplicationem
idolatriæ, 1; secundo, hypocrisin et discordiam, 2;
tertio, contemptum Dei et regis, 3; quarto, pravitatem

consiliorum, et fraudes potissimum et perfidiam in ipsis etiam fœderibus solemnissime sancitis, 4.

SECUNDO, prædictit poenam culpæ correspondentem, primo, destructionem idolatriæ, per vitulum abductum, sacerdotem et populum afflictum, 5, 6; secundo, ablacionem regni et regis, 7; tertio, eversionem et vastitatem sacrorum, ac populi desperationem, 8.

TERTIO, comparationem facit operis cuni poena : primo, refertur indulgentia facta Gabaitis, quorum reliquæ remanserant in populo et regione, nec nisi post duplice victoriæ subactæ fuerant, 9; secundo, statuitur poena gravior Israelitis, qui cum præ Gabaitis pejus, duplice scilicet corporali et spirituali scortatione, peccaverint, primo hostili incursu victi, Deo urgente, omnes sine exceptione deportabuntur, 10; tertio, addit quod hactenus Israel vel facilia tantum et proficia opera obibat; sed nunc una cum Juda, imposito etiam gravi jugo, subibit difficultia et sterilia, 11; quarto, inhærens tropo ab agricultura sumpto, pergit Propheta in adhortatione ad rite operandum, exposita fructus spe, et vigente adhuc temporis opportunitate, 12; quinto, sed cum ne ad meliorem frugem redirent, quoties ad pœnitentiam et pietatem eoshortatus est, toties quasi de

ascendet super aras eorum : et dicent montibus : Operite nos ; et collibus : Cadite super nos. 9. Ex diebus Gabaa peccavit Israel , ibi steterunt : non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis. 10. Juxta desiderium meum corripiam eos : congregabuntur super eos populi, cum corripiantur propter duas iniquitates suas. 11. Ephraim vitula docta diligere tritaram , et ego transvi super pulchritudinem colli ejus : ascendam super Ephraim , arbit Judas, confringet sibi sulcos Jacob. 12. Seminate vobis in justitia , et metite in ore misericordiae, innovate vobis novale : tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam. 13. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis , comedistis frugem mendacii : quia confisus es in viis tuis , in multitudine fortium tuorum. 14. Consurget tumultus in populo tuo : et omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana a domo ejus qui judicavit Baal in die prælia, matre super filios allisa. 15. Sic fecit vobis Bethel, a facie militiæ nequitiarum vestrarum.

Vers. 1. 1. VITIS FRONDOSA ISRAEL. — Pro *frondosa* hebraice est בָּקֵכְךָ bokec, id est evacuans; quia scilicet se totam in frondes effundit, in easque succum suum exhaustit et evacuat, ut nil, vel parum supersit quod in fructus et uvas transferat. Unde Chaldæus et Vatablus vertunt : *Vitis vacua, vel dissipata*, id est *succo carens et humore*. Sic Nahum II, 2, dicitur : « *Vastatores dissipaverunt eas;* » hebraice eleganter *bekakim bokekim*, id est evacuatores evacuarunt eos, hoc est prædatores prædati sunt eos. Hinc et « *Aquila,* » ait S. Hieronymus, *bokec* interpretatus est ἔνδρον, quam nos aquosam vel ξεινόν possumus dicere, eo quod vini perdat saporem : Symmachus, ὑλομένουσαν, quæ tota in frondibus creverit: vites enim quæ putatæ a vinitore non fuerint, in flagella (id est palmites) frondesque luxuriant, et humorem quem debuerant in vina mutare, vana frondium et foliorum ambitione disperdunt. Talis fuit Israel crescens in multitudine populorum, et non reddens fructus agricolæ Deo. »

Addit deinde aliam, imo contrariam interpretationem : « *Vitis, inquit, frondosa, sive juxta Septuaginta, εὐληματοῦσα, id est bonas habens propagines et flagella fructifera, multos botros attulit; et uvarum fecunditas ramorum magnitudinem coæquavit, sed hæc quæ prius talis erat antequam offenderet Deum, postea abundantiam fructuum vertit in offendæ multitudinem;* ut quanto plures haberet populos, tanto plura ædificaret altaria, et abundantiam terræ numero vinceret idolorum (1). » Hæc deinde more suo tro-

novo incœperunt pejores esse quam prius, prædicti eos spe sua frustrandos esse , propter duplē rationem : *primam*, quia in cultu et religione sequuntur sua consilia; *alteram*, quia confidunt in multitudine militum suorum, 13; scilicet sicut munitiones dejectæ , et Salmana cum matre ac prolibus a Gedeone occisus ac deletus fuit, 14; sic Israeli propter peccata fiet, et quidem fato cælerrimo, 15. (Alia hujus versus interpretatio datur, quam supra ex Maurer indicavimus, et ad vers. 14 indigitabimus.)

(1) Respicitur juxta hunc sensum, inquiunt Rosenmüller et Ackermann , florens reipublicæ Israelitarum status sub Jeroboamo II, qui fines imperii dilatavit, terminos ejus restituit, ejus partem a Syris ablata recuperavit,

pologice apposite adaptat hæreticis : hi enim similes, imo pejores sunt idololatris.

Ratio hujus diversæ, imo contrariæ versionis et explicationis est, quod *bokec* idem sit quod *evacuans se*. Jam autem vitis se evacuare potest in frondes solas (ita ut nil, vel parum possit suppeditare fructibus et uvis), aut partim in frondes, partim et magis in uvas, itaque erit frondosa, simulque fructifera. Sic Israel olim tempore Patriarcharum erat fructifer, id est aſſuebat tum uvis et fructibus, æque ac hominibus, juxta illud Psalm. LXXVIII : « Extendit palmites suos a mari usque ad mare, » tum pietate, Dei cultu, bonisque operibus : ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Lyranus et alii. Sic ait Isaias cap. v, 7 : « *Vinea Domini exercituum, domus Israel est : et vir Juda germen delectabile ;* » unde « *fructus adæquatus est ei,* » id est fructus ejus respondit palmitum, id est familiarum, multitudini; tot tulit fruges, quot numero incolarum alendo sufficerent.

Verum prius verisimilius est; *bokec* enim propriæ evacuantem se, id est vacuam et evanidam significat, ut vertit Symmachus, Aquila, Chaldæus et Vatablus, quin et Septuaginta. Nam εὐληματοῦσα idem est quod bonos habens palmites, surculis luxurians: εὐληματα enim a Theophrasto, Columella et aliis vocantur palmites et pampini vitis, vel fasciculus sarmentorum vitis; unde ex eo fiebant εὐληματα, id est virgæ centurionales, quibus scilicet centuriones cædebant milites delinquentes. Hinc Macrobius vocat vitem centurionalem : lege enim Romana sancitum erat, ut cives non virgis cæderentur, sed sarmentis vitium, teste Livio lib. LVII. Huc facit quod Plutarchus in *Apophthegm.*, et ex eo Valerius Maximus, lib. VI, cap. iv, scribunt, Popilium Lenam a Romanis missum ad Antiochum Epiphanem, ut eum juberet recedere ab Ægypto, nec pugnare in Ptolemaeos, cum Antiochus moram faceret, deliberans quid esset responsurus, Antiochum εὐληματι, id est virga, circumscriptisse, eique dixisse: Non exibis hoc cir-

et rempublicam victoriis suis in felicem statum reduxit, IV Reg. xiv, 25.

culo, nisi responsum des mihi et Romanis; εὐληπτοῦ ergo idem est quod frondosa et pampinosa.

Itaque de hac vinea in frondes evanesceni, id est de Israele in opes bonaque terrae effuso, ait: « Fructus adæquatus est ei, » id est eum fructum tulit, quem promittebat pampinorum et sarmen-torum lascivia, scilicet nullum verum et solidum, quia totus abiit in frondes et surculos, totus ter-renis bonis inhians, iisque et prolibus luxurians, atque ea idolis accepta referens sprevit Deum, itaque nullum pietatis, timoris Dei et sanctitatis fructum dedit; non uvas religionis, sed labruscas protulit idolatriæ; ita S. Hieronymus, Vatablus, Arias, Prado in *Ezech.* cap. xv, 2; fructus enim respondens et adæquatus viti frondosæ, sunt frondes et labruscæ. Unde Vatablus vertit: *Ponetne vel afferetne fructum?* q. d. Non, nisi foliatum et futilem; alii vertunt: *Fructus mentietur illi,* id est fallet eum et frustrabit sua spe. Hebraum enim נֶגֶב iescavue, id est adæquatus est, si a נְגָבָה scave, id est mendacium, deducatur, significat mentietur. Aliter Arabicus Alexandrinus vertit: *Vitis florida habens ramos est Israel:* multi sunt fructus ejus in templis eorum, puta multæ in idolis victimæ et impietas; Arabicus Antiochenus: *Israel quasi vitis fertilis, et fructus ejus facilis est ei;* Syrus: *Vitis pampinorum (pampinosa) Israel, quæ fecit fructus secundum multititudinem fructuum ejus, multiplicaverunt altaria.* Juxta hoc Sanchez sic explicat, q. d. Israel quasi vitis, uti frondes, ita et fructus multos protulit, et opibus abundavit, sed has omnes suis idolis impendit, plures impensurus, si plures habuisset. Alii, q. d. Vitis evacuat, id est dementat Israelem. Nam « fornicatio et vinum auferunt cor, » cap. iv, 11. Sic Jeremias, cap. li, ait, *iēbokeku,* id est evacuant terram ejus. Chaldaeus hæc ad captivitatem refert; vertit enim: *Vitis vastata est Israel, quæ erat plantata cum legem exsequeretur; et fructus respondet ei.* Nam opera ejus mala facient ut exsulet. Vitis ergo vastata similem fructum feret, scilicet exsilium et captivitatem.

Vinea est Ecclesia et anima ob variis analogias. Allegorice, vinea est Ecclesia, et tropologice anima quævis fidelis, idque *primo*, quia antiquis, præsertim Patriarchis, potissimum prædium erat vinea. Ita Noe mox a diluvio plantavit vineam, Gen. cap. ix, 20. Sic Deus Israelitis in terra promissa promisit vineta, Deuter. cap. vi, 11. Sic sponsa, Cant. viii, 12, hæreditatem suam vocat vineam: « Vinea, ait, mea coram me est, » q. d. Mihi carissima est et vicinissima, in ea vel juxta eam dego, illa oculis meis semper obversatur. Solabant enim veteres, uti et moderni, in atrio domus ad januam plantare vineam, ad umbram et ad amoenitatem. Est enim vinea quid medium inter hortum et agrum: nam hic quæstuosus est, ille deliciosus; vinea est quæstiosa et deliciosa.

Secundo, quia vinea maxime fructifera est, tum quia vinum fert, quod Deum lætitiat et homines, Judic. cap. ix, 13; tum quia nulla arbor

vite feracior, si ejus tenuitatem spectes; tum quia multæ vineæ bene exultæ copiosum dant fructum, ut fuit illa de qua Cato, quæ ex singulis jugeribus dabat decem vini culeos. « Efficaci exemplo, ait Plinius lib. XIV, cap. iv, non maria plus temerata conferre mercatori, non in rubrum littus Indicumve merces petitas, quam sedulum ruris larem. » Hinc Sapientia scese deprædicans: « Ego, ait, quasi vitis fructificavi, » Eccli. cap. xxiv, 23. Talis vitis fuit S. Polycarpus, discipulus S. Joannis Apostoli, christianorum in Asia doctor, pater, et dux ad martyrium, de quo proinde vere Poeta :

Fructificas, Polycarpe, Deo, more, ore et amore :
A fructu merito nomen et omen habes.

Nimirum polycarpos poscit, amat et provehit Deus, non polyphyllos; fructiferos, non frondosos. Denique vinum quod profert vitis, ita vires hominis reficit et recreat, ut non tantum lac serum, sed lignum vitæ, imo vita hominis dici possit.

Tertio, quia vinea jucundissima est, sive ordinis vitium, sive pampinos, sive botros vernantes et rubescentes species. Quocirca sponsa sponsum ad ambulandum per vineam invitat in Canticis. Denique musti ex uvis recens expressi tanta est vis, ut lagenas et vasa saepè diffringat, ut homines non tantum ebrios, sed et mentis impotes, et quasi amentes efficiat.

Ita Ecclesia et anima fidelis, *primo*, est prædium Deo charissimum; *secundo*, fertilissimum bonorum operum; *tertio*, amoenissimum; *quarto*, efficacissimum: licet enim exterius instar ligni vitis sit vilis et despacta, interius tamen habet succum vivificum, puta spiritum Christi, quo languidi et quasi emortui reviviscunt, incalescent, aliasque Dei amore inflammant ad ardua virtutum opera. Hoc ergo est vinum germinans virgines, id est castos et immortales: virgo enim, vivido roseoque colore florescens, juventæ nunquam senescentis et immortalis vitæ est symbolum; ita Prado loco citato. Et S. Bernardus, serm. 63 in *Cant.*: « Viro sapienti, ait, sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia: nil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet. » Et mox: « Cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis, sermo, cogitatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, et vinea Domini sabaoth? » Vinea ergo hæc non tantum frondosa, sed et florens, fructifera et vinosa est. Idem, serm. 65, Ecclesiam vocat « vineam grandem nimis, » Domini plantatam manu, redemptam sanguine, rigatam verbo, propagatam gratia, fecundatam spiritu. Et serm. 60: « Si vineæ animæ flos, opus, odor opinio est, fructus quid? martyrium. Et vere fructus vitis, sanguis est martyris. Quidni mustum rubens, probatum, pretiosum, plane de vinea Sorec, torculari

passionis expressum? » Denique vide eundem lib. *De Passione Domini*, qui totus est de mystica hac vite et vinea. Explicans enim illud *Joan.* cap. xv: « Ego sum vitis vera, » docet Christum esse veram vitem, cuius proinde præcisionem, circumfissionem, vincula, culturam et speciem Christo accommodat. Deinde, cap. viii et seq., septem vitis hujus folia mystica recenset; mox cap. xvi, ejusdem flores: « Habuit, inquit, vitis ista vera non unius, sed omnium florum speciem, violam humilitatis, lilyum castitatis, rosam patientiae et charitatis, et florem abstinentiae, quem crocum appellamus. » De his dicitur in *Cant.*: « Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. » Et: « Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. »

SECUNDUM MULTITUDINEM FRUCTUS SUI MULTIPLICAVIT ALTARIA. — *Fructus* vocat frondes; non enim uvas, sed frondes proferebat hæc vitis, ut paulo ante dixi: per frondes intelligit filiorum frugumque copiam, q. d. Quanto plures habebat cives et opes Israel, tanto plura adificavit idola et altaria; quia instar vitis frondosæ, in ea totus effluxit; ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Theophylactus, Chaldaeus, Lyranus et Vatablus. In Hebreo est elegans paronomasia inter וּבְנֵי tob, et hetibū, q. d. Secundum bona terræ fecerunt bona idolis, quasi earum largitoribus, ut quo plus bonorum ab iis se accipere putabant, eo plus iis impenderent. Sic ait deo frugum Virgilius, *eclog. VII*:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu,
Si factura gregem suppleverit, aureus esto.

Hoc est quod subdit hic Propheta: « Juxta ubertatem terræ exuberavit simulacris. » Ita impii Deo reddunt mala pro bonis, et beneficia vertunt in maleficia, ac fruges in gladios, divitias in vitia, quibus contra auctorem eorum pugnant pro diabolo.

Vers. 2.

2. DIVISUM EST COR EORUM. — Hebreum, *divisit cor eorum*; Septuaginta, *divisit corda sua*, quia scilicet Israel, puta Samaritæ, separarunt mentem suam, primo, a Deo Deique lege, ait Chaldaeus et Theophylactus; secundo, a sese invicem, q. d. Animis et odiis inter se dissident, dum hi hæc, illi illa idola, alii alia inducere conantur. Ita S. Cyrillus, Theodoreetus, Albertus et Hugo. Simili modo inter hæreticos perpetua videmus schismata et jurgia, quæ parit superbia. Cum enim fastu tumeant, nolunt aliorum hæreses sequi esseque eorum discipuli; sed ipsi novorum dogmatum autores et magistri esse satagunt. Porro Hugo putat hic notari schismata inter Juda et Israel, sive inter Roboam et Jeroboam, ac consequenter inter Deum et vitulos aureos: hos enim coluit Israel, illum Juda. Verum hoc remotius est: vicinius S. Hieronymus, Haymo et Albertus putant hic significari schisma inter Hosee ultimum regem Israel, et populum, dum populus vitulos,

rex Deum colendum censeret: sed hujus schismatis in Scriptura nulla est mentio, imo de Hosee rege dicit IV *Regum*, cap. xvii, 2: « Fecitque malum coram Domino, » quia, ut videtur, coluit vitulos aureos, non Deum. *Tertio*: « Divisum est cor eorum in seipsis, » dum partem ejus Deo, partem idolis dare volunt. Cupiunt enim tam Deum, quam idolum colere, ut utrumque habeant propitium, ut patet IV *Regum*, cap. xvii, 33. Ita Lyranus. Sic Romani colebant deos omnium gentium, ut omnes haberent propitos et faventes, ne, si quem negligenter, eum contra se concitarent; uti Trojani, colendo Venerem, concitarent contra se Junonem, uti narrat Virgilius, I *Eneid*. Putabant enim inter deos esse lites et bella, uti sunt inter homines.

NUNC INTERIBUNT, — q. d. Idecirco jamjam exscindentur et desolabuntur, ut vertunt Septuaginta; divisio enim et schisma est causa ruinæ et interitus. Verum enim est illud Christi: « Omne regnum in se divisum desolabitur. » *Secundo*, cum Chaldaeo, Aria et Va'ablo verti potest: *Nunc delinquent*, q. d. Insigne delictum et enorme flagitium est, hæc cordis eorum divisio a Deo et proximis, imo a seipsis. Hebreum enim נָשָׁא ascen et delinquere, et desolari, sive exscindi et interire significat.

IPSE, (scilicet Deus), **CONFRINGET** (per Assyrios) **SIMULACRA EORUM** — Israelitarum. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Theophylactus, Albertus et Vatablus. Hebrei enim sæpe suppositum subtilcent, et ex circumstantiis subintelligendum et splendum relinquunt. *Secundo*, « ipse, » id est ipsum, scilicet cor divisum: בַּל leb enim, id est cor, Hebreis est masculini generis, æque ac ipse: vel certe ipse, scilicet Israel, qui divisit cor suum, ut habent Hebreæ, q. d. Ipse dissensus animorum, ipsa discordia, ipsa schismata et factiones perdent eos, tradentque hosti, qui simulacula, æque ac domos et urbes eorum evertet. Ita a Castro. Unde sequitur:

3. QUIA NUNC DICENT: NON EST REX NOBIS, etc. — Vers. 3.
q. d. Cum viderint adventare Assyrios, ac Samariam obsidere, nec Hosee regem suum posse eis resistere, tunc dicent: Non est rex qui nos possit tueri; rex noster perinde est, ac si non esset rex, idque juste accidit nobis, quia non timemus, nec colimus Dominum, sed idola. Deo enim, qui est Rex regum et Dominus dominantium, irato, quis mortalis rex juvare et salvare poterit? Ita Lyranus et Vatablus. Unde secundo, S. Hieronymus, Theodoreetus et Albertus exponunt, q. d. Cum Hosee rex capietur ab Assyriis, dicet Israel: Jam orbati sumus rege, quia Deum regem regum reliquimus (1). *Tertio*, a Castro, q. d. Deus

(1) Mangerus hæc verba, ad præsens tempus, et ipso refert, et « non est rex nobis, » de Hosea rege a Salmanare in vincula conjecto intelligit: *Jam enim dicunt: Non est... et hic noster rex quid poterit facere pro nobis*, ut pote captus et in carcerem abductus? Quæ interpretatio

qui solet nos regere, esse que rex noster, nos deseruit, quia non coluimus eum: quid ergo opis nobis conferet Hosee rex miser, et ruinæ proximus? Denique Hugo et Arias exponunt, q. d. En regnum Israel quod invito Deo instituimus, jam successum est, quia Deum non timuimus. Quid ergo illud nobis profuit, aut proderit, quod nos secum trahit in ruinam?

Moraliter, discant hic respublæ et reges omnes, vis nem eorum potentiam esse imbellem et invalidam, nisi Dei cultu et ope fulciatur. Hoc professus est Salomon, III Regum, cap. II, 24: « Vivit, ait, Dominus, qui firmavit me, et collocavit me super solium David patris mei. » Et Davidi ait Deus, Psalm. LXXXVIII, 36: « Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar: semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo. » Quocirca David moriens Salomoni haec ultima dedit monita: « Observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, etc., ut confirmet Dominus sermones, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filii tui vias meas, et ambulaverint coram me in veritate in omni corde suo, et in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel. » Quinimo Moses moriturus, ex ore Dei de regibus ita sanxit, Deuter. cap. XVII, 18: « Postquam sederit (rex) in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium, etc., legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba, et cærimonias ejus, etc., ut longo tempore regnet ipse, et filii ejus. » Hoc ipsum æterna Sapientia edicit, Prov. VIII, 15: « Per me reges regnant. » Hinc de Josaphat pio rege dicitur II Paral. XVII 3: « Fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui, etc. Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, etc., factæque sunt ei infinitæ divitiae et multa gloria. » Hac de causa Agapetus recte monuit Justinianum Imperatorem, uti refert Baronius tom. VII in Justin.: « Scepturn, inquit, imperii cum a Deo suscepseris, cogitato quibusnam modis placebis ei qui id tibi dedit, cumque omnibus hominibus ab eo sis prælatus, præ omnibus eum honorare festina. »

Viderunt idipsum Gentiles. Scribit Plinius De Viris illustr. cap. II, Numam Pompilium, secundum Romanorum regem, ferum populum « religionis institutione et utilibus legibus domuisse, suumque regnum ita firmasse, ut pendente ejus regno nemo illi bellum moverit. » Apud Livium, lib. XLIV, est illa vox Caii Marci: « Favere pietati fideique deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii pervenit. » De Agesilao Spartano-rum duce ita scribit Xenophon in ejus laudibus: « Existimabat divina auxilia non minus in hos-

duabus de causis rejicienda est, quarum una est, quod nondum ad extrema ventum esse ostendunt vers. 10, 15, et alii; altera, quod quemadmodum quæ vers. 2 leguntur, « nunc interibunt, » sunt *minantis* minantis esse debent et hæc quæ vers. 3 habentur. (Maurer.)

tili, quam amico in solo imploranda esse. »

4. LOQUIMINI VERBA VISIONIS INUTILIS. — Legit ^{Vers. 4.} Interpres דָבַר dabberu in imperativo, id est loquimini; jam legunt דָבָר dibberu in præterito, id est locuti sunt. Chaldæus vertit in præsenti, loquuntur verba violenta; quia Hebrei carent præsenti, et pro eo utuntur præterito. Rursum pro visionis inutilis, hebraice est אֶלְוֹת שָׁוָעָה aloha scau, id est juramenti mendacis, vel futilis et inutilis. Solebant enim Prophetæ suas visiones, sive prophetias confirmare juramento, dicendo: « Vivo ego, dicit Dominus, » id est, juro per vitam meam; aut potius se diris devovendo, dicere: « Haec mihi faciat Deus, et haec addat, si mentior. » Hebreum enim aloha significat juramentum exsecratorum, maledictionem et imprecationem tristium. Talis ergo visio et prophetia vocatur ala, id est exsecratio, quia fiebat cum exsecratione. Sensus est ergo, q. d. Loquimini sane, et jactate verba pseudoprophetarum, qui afferunt suas visiones, easque jurando et pejerando confirmingant, sed mendaces et futilis. Pollicentur enim omnia prospera, nec timendos esse Assyrios, sed mentiuntur et decipiunt vos, aguntque in ruinam. Est ironia: ridet enim et subsannat eos, quod falsis prophetis et seductoribus fidem habeant in suam perniciem: loquuntur enim visiones, sed futilis et mendaces, puta non Dei oracula, sed cerebri sui somnia. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo et alii.

FERIETIS FOEDUS. — Haec sunt « verba visionis inutilis, » seu oracula pseudoprophetarum. Dicent enim: « Ferietis, » vel ferite « foedus, » scilicet cum diis vestris, æque ac regibus, jurando et devovendo vos diris, si unquam eos eorumque schisma deseratis, et ad Deum domumque David in Jerusalem et templum redeatis: ita Vatablus, Arias et Clarius; secundo, ferite foedus cum Assyriis, aut cum Ægyptiis (1): si hoc feceritis, omnia erunt vobis secura et prospera. Ita ipsi. At fallunt: nam instat vobis amaritudo captivitatis. Unde de ea subdit:

ET GERMINABIT QUASI AMARITUDO JUDICIUM SUPER SULCOS AGRI. — Pro amaritudo hebraice est שָׁרֵרrose, quod significat venenum, amaritudinem, resque venenatas et amarissimas, uti est fel, virus serpentum (unde Chaldæus vertit: Caput serpentum maleficorum), colocynthides, absinthium, etc. Septuaginta vertunt, germen, scilicet amarum et noxiæ. Sensus ergo est, q. d. « Judicium, » id est supplicium Israelis, « germinabit, » et prodibit « quasi amaritudo, » id est amaræ et noxiæ herbæ, v. g. absinthium, « super sulcos agri, » ubi copiosius germinant, utpote terra sulcata et elaborata, q. d. Uti noxiæ herbæ copiose germinant in terra culta; ita copia suppliciorum ger-

(1) Commode, inquit idem, haec verba ad fidem Salmanasaris non servatam et foedus cum Soo rege Ægypti factum possunt referri. (Maurer.)

minabit in Israel, qui in agro tam terræ quam cordis duxit sulcos non pietatis, sed impietatis : hisce enim cor suum sulcavit, id est studiose et data opera peccavit, sculpendo et colendo idola, ac Deum Deique legem et minas spernendo; idque ex eo quod credidit pseudoprophetis dicentibus eum, si id faceret, fœdusque cum idolis feriret, tutum et securum fore. Ita Theodoreetus, Theophylactus, Arias, Vatablus et S. Hieronymus, qui et addit de hac amaritudine supplicii : « Ut qui seminaverunt copiose in gaudio, copiose metant in lacrymis; qui riserunt, fleant; qui habuerunt consolationem, lugeant. » Alludit ad minas et exsecrationes Mosis, *Deut. cap. xxix*, 18 : « Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino: ut vadat et serviat diis illarum gentium, et sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem. Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat sibi in corde suo, dicens : Pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei. Et Dominus non ignoscat ei : sed tunc quam maxime furor ejus fumet. » Imo hasce minas in Israele jam implendas Osee hic prædictit. Secundo, « judicium », id est vindicta, « super sulcos agri », accipi potest sterilitas inducta agris, q. d. Deus puniet vos agrorum sterilitate, ut, licet sulcati et seminati, non proferant segetem, sed potius spinas, tribulos, lolia, herbasque amaras et venenatas (1).

Vers. 5. 5. VACCAS BETHAVEN COLUERUNT HABITATORES MARIE. — « Bethaven » est Bethel. Bethel enim, id est domus Dei, dicta est, ob visum ibi a Jacobo Deum scalæ innixum. Eadem deinde dicta est *Bethaven*, id est domus iniquitatis, vel idoli, ob vitulos aureos quos ibi adorandos posuit Jeroboam. *Vaccas* ergo, sive juvencas, vocat hosce vitulos. Unde Septuaginta hic vertunt, *vitulum*; et de eo mox sequitur : « Quia luxit super eum (vitulum) populus. » Pro quo nota : Vitulus hic fuit Apis, sive Serapis, deus Ægyptiorum. Hunc enim cum Ægyptiis coluerunt Hebrei degentes in Ægypto, ideoque Deus, ut eos ab hoc idolo avelieret, jussit Mosi ut eos educaret ex Ægypto in Sina : ubi cum Moses, accepturnus legem, diutius cum Deo hæreret in monte, mox populus volens redire in Ægyptum, Apin, puta vitulum aureum, quasi ducem viæ sibi conflavit, *Exod. cap. xxxii*, 4. Eumdem renovavit et revocavit Jeroboam, faciens schisma a Deo et a domo David : lege historiam *III Reg. cap. xii*, 28. Porro Jeroboam non unum, ut videtur velle S. Hieronymus, Haymo, Rupertus, Hugo et Lyra-

(1) Notatur pœna et divinum judicium contra impietas istam, imagine desumpta a semine in terram conjecto, quod suo tempore simile sibi producit. Seminarunt Israelitæ in sulcis suis sua a Deo defectione herbas venenatas, quæ fuerunt horrenda peccata, inde necesse fuit, ut etiam erumperet germen venenatum, scilicet extrema calamitas et miseria, quæ justo Dei judicio peccati fructus est. Cf. *Deuter. xxix*, 8.

nus, sed plures erexisse vitulos patet, tum, lib. *III Reg. cap. xii*, 28, tum quia hic eos vocat *vaccas* in plurali. *Vaccæ* ergo *Bethaven*, sunt duo vituli aurei, quos fecit Jeroboam, unumque posuit in Bethel, alterum in Dan. Dan ergo, æque ac Bethel, vocatur hic *Bethaven*, id est domus idoli.

Nota : Scriptura hos deos nunc vocat *vitulos*, nunc *vitulas*, vel *vaccas*. Primo, quia Patres quos citavi *Exod. cap. xxxii*, vers. 4, docent eos non fuisse integros vitulos, sed tantum capita vitulina, ita ut Aaron Hebreis tantum conflaverit caput vituli : unde an *is* mas esset, an *femina*, puta an *vitulus*, an *vitula*, *vix* dignosci poterat. Secundo, quia valde verisimile est, si e capite sexus dignosci poterat, fuisse *vitulas* potius quam *vitulos*, tum quia Herodotus lib. II id docet : « Boves mares, inquit, eosdemque mundos, ac *vitulos* universi Ægyptii immolant; feminas eis immolare non licet, utpote Isidi consecratas. Nam Isidis simulacrum muliebre est bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io Græci describunt, bovesque feminas omnes itidem Ægypti venerantur ex omnibus pecudibus longe plurimum; » tum quia hebraice vocantur עגלות *eglot* feminine, id est *vitulæ*, uti vertunt Septuaginta, *III Reg. cap. xii*, 28, ac Josephus, lib. *VIII Antig. cap. iii*; sive *vaccæ*, uti vertit Noster hic. *Vaccas* ergo novellas accipe, id est *vitulos* adulatos, aut potius adultas; *vitulus* enim, uti et *bos*, *asinus*, *equus*, *ovis*, *camelus*, et cætera animalium nomina utrumque sexum, puta tam *feminam* quam *marem* significant. Hæc sententia valde probabilis est : contraria tamen, scilicet fuisse *vitulum* potius quam *vitulam*, non est improbabilis, eamque videntur sequi S. Hieronymus, Rupertus, Vatablus et Arias. Ratio est, quia passim vocatur *vitulus*; hic tantum vocatur *vaca* ad irrisionem. Apis ergo, sive Serapis, erat *bos*, vel *vitulus* corpore nigro, candida fronte, habens in tergo albam notam vel maculam, uti dixi *Exod. cap. xxxii*, 4 (2).

Tropologice, peccator quicarni, abdomini, ventri et veneri indulget, colit vitulos et vaccas Bethaven, cum iisque vitulatur, fitque quasi *vitulus*. Sicut enim *vituli* et *vaccæ* stupidæ sunt, petulci, jugum subeunt, terram aratro subigunt, et collum oneri supponunt; ita et carnales stupidæ fiunt mente, lasciviunt, labores maximos subeunt, ut suis deliciis fruantur, onera gravissima

(2) Quod a sequiore sexu *vitulæ* vocantur Jeroboami vitii, inquit Bochartus, *Hieroz.* tom. I, pag. 369, putant ad contemptum pertinuisse, ut illud Romani (Virgilii) : « O vere Phrygiæ, nec enim Phryges; » neque dubium quod illud εξεπειροῦ (contemptus) genus multum valuerit apud Hebreos, qui deorum sexus nesciunt. Proinde in *Diis* censentur *Berith*, *Judic.* VIII, 33, et *Astarte*, *I Reg. xi*, 5, 33, quamvis revera apud cultores suos pro deabus habitæ fuerint. Feminino igitur genere *vitulæ* vocantur idola Jeroboami, ut eo magis constet, illa non posse haberi pro vero Deo, cuius decem nomina masculina sunt. Hæc tamen ratio parum probabilis Maurer videtur.

et pene importabilia suscipiunt, fœno pascuntur, totique in terram et terrena projecti sunt.

COLUERUNT. — Hebraice est נַגּוּרָה *iaguru*, id est timuerunt, hoc est coluerunt et venerati sunt, ut vertit Noster, Chaldeus et alii; nam « primus in orbe deos fecit timor. » Hinc in Scriptura timor Dei significat venerationem et cultum Dei. Timor ergo hic est reverentia Dei. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Haymo et alii.

Aliter Vatablus, Arias, Pagninus et Clarius, *q. d.* Samaritæ, videntes ab Assyriis vastari Bethel et vitulos suos, pavebunt, timentes quod et ipsimet propediem simili clade vastabuntur. Septuaginta vertunt, *morati sunt*: נַגּוּר *gur* enim significat proprie *peregrinari*, *morari*, *degere*; inde נַגּוּר *gher* est *peregrinus*, et quia *peregrini peregre*, apud exterios et incognitos sunt timidi et pavidi, hinc *gur* significat quoque *timere*, *pavere*. Vertunt ergo Septuaginta: *Apud vitulum domus ḥv* (pro נַגּוּר *aven* enim legunt ipsi per crasin נַגּוּר *on*) *morbuntur habitatores Samariae*. Hinc et Vatablus vertit: *Ad vitulas Bethaven concurrent Samaritæ*.

QUIA LUXIT SUPER EUM POPULUS EJUS (« Eum » scilicet vitulum, ut vertunt Septuaginta. Itaque quas ante vaccas vocavit hic, *vitulum* vocat, ob causas jam dictas: et quia voluit substantiam tantum idoli, non sexum, non numerum significare, scilicet quod esset bos, sive vitulus, non equus, non hircus, non aries (1). Sensus ergo est: « Luxit, » id est lugebit, populus super vitulum deum suum, cum scilicet videbit eum ab Assyriis capi, et captivum avehi in Assyriam. Lugebunt), **ET EDITUI EJUS**, (puta sacerdotes et custodes vituli ejusque templi, qui antea) **EXSULTAYERUNT IN GLORIA EJUS** (cum ipse ab omnibus coleretur), **QUIA** (gloria hæc vituli) **MIGRAVIT AB EO**.

Vers. 6. 6. **SICQUIDEM ET IPSE** (vitulus) **IN ASSUR** (Assyriam) **DELATUS EST**, **MUNUS REGI ULTORI**. — Septuaginta: *Et ipsum vinciendum duxerunt xenia regi*, *q. d.* Vitulum hunc captivum, quasi munus et xenium insigne obtulerunt Assyrii regi suo. Nota primo: *Tò quia* hic non causam significat, sed eventum; hebræum enim נִקְיָה *ki* saepe tantum consequentia et ornatus causa additur, idemque valet quod *hinc, hac de causa, idcirco*. Secundo, post τὸ ἐδίτυ, more Hebræo subauditur relativum τὸν *ascer*, id est *qui*. Tertio, regem Assyriorum vocari *ultorem*, id est *vindicem*; Symmachus, ὑπερμάχοντα, id est *praesulem* et *defensorem*, ob causam quam dedi cap. v, 13. Allegorice Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XLII: « Oseas, inquit, de Christo prophetavit: et vincatum eum ducent xe-

(1) Pro *לְעֵגֶלֹת* *leegelot*, *vitulis*, nonnulli *לְעֵגֶלָה* *leegetat* singularem legi jubent, quod unus tantummodo vitulus existenter in Bethel urbe, et suffixa sequantur singularia. Sed facile vates ab initio de omnibus Israelitarum vitulis, qui cum facti essent instar vituli Bethelensis, recte dicebantur vituli Bethelenses, in sequentibus vero de ipso primario vitulo, vel de uno loquens generatim de omnibus cogitasse putatur. (Maurer.)

nium regi; » nempe cum Pilatus eum misit ad Herodem. Sed perperam; donum enim hoc fuit idolum) puta vitulus aureus, qui nequit esse typus Christi.

CONFUSIO EPHRAIM (Ephraimitas, id est Israelitas, sive Samaritas) **CAPIET, ET CUNFUNDETUR ISRAEL IN VOLUNTATE SCA.** — Hebraice נַפְצָעַת *meatsato*, id est *a consilio suo*, ut vertunt Septuaginta, Vatablus et alii.

Quæres, quænam hæc confusio, quæ voluntas, quodnam consilium? *Primo*, S. Hieronymus, Theodoreetus, Theophylactus, Haymo et Hugo: « Tradunt, inquiunt, Hebrei vitulos aureos a sacerdotibus furto esse ablatos, et pro his æneos et deauratos repositos. Cum igitur lugeret populus tempore necessitatis et angustiæ, etiam vitulos aureos inter munera cœtera Assyriis regibus, et maxime regi Sennacherib, ab Israel esse directos; exsultabant æditui quod fraus eorum nequaquam posset argui et deprehendi. Et hoc est quod ait: *Æditui ejus*, scilicet vituli, super eo exsultaverunt in gloria populi, hoc est, in vitulo quem habebant pro gloria, quia migrasset ab eo, id est a populo, et translatus esset ad Assyrios. Siquidem ipse delatus est munus regi ulti, statimque sequitur: Confusio capiet eos, etc. Deprehensa enim fraus vitulorum deauratorum, regi Israel litteris indicatur; unde se placere existimaverunt, inde vel maxime cunfunduntur, et offendunt eos quibus munera miserant, existimatum non furto sacerdotum, sed fraude regum atque consilio hoc esse perfectum. » Additque S. Hieronymus: « Legimus IV Reg. cap. xv, 19, regem Israel Manahem regi Assyriorum Phul mille talenta argenti misisse, ut ei præberet auxilium, inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos aureos esse directos. » Consilium ergo hoc sacerdotum fuit, quod suaserint regi Israel, ut vitulos deauratos mitteret dono regi Assyriorum, ut sic fraus eorum lateret, qua ipsi furati vitulos aureos, supposuerant æneos deauratos: confusio et pudor eorumdem fuit, cum fraus eorum detecta per regem Assyriorum, redundavit in caput regis Israel, et tandem in caput ipsorummet sacerdotum. Aliter Theophylactus; opinatur enim sacerdotes suassisce principibus, ut vitulos hosce mitterent in Assyriam, quod sperarent eos ab Assyriis adorandos: sed confusi sunt; nam Assyrii eos confregerunt. Aliter et Theodoreetus: Consilium, ait, hoc fuit de mittendo vitulo in donum Sua regi Ægypti, ut is Israelitas tueretur contra Salmanasar: sed confusi sunt; nam et vitulum perdidérunt, et a Sua adjuti non sunt.

Verum hæc omnia incerta sunt, et fabulas Rabbinicas olent, præsertim quia Osee satis significat vitulum hunc non datum, sed captum ab Assyriis, cap. VIII, 5: « Projectus est, inquit, vitulus tuus, Samaria. » Et hic vers. 2: « Ipse confringet simulacra eorum. » Et vers. 8: « Disperdientur excelsa idoli, peccatum Israel.

Dico ergo : Voluntas hæc et consilium Israelis fuit, quod vitulum quasi numen suum elegerint, et Deo vero prætulerint, eique, non Deo, servire voluerint, sperantes ejus ope se tutos fore ab Assyriis : sed confusi sunt; nam vastati sunt cum vitulo, qui ab Assyriis captus et irrisus, in dominum oblatus fuit regi ulti, puta Salmanasar, qui ultus est defectionem Israelitarum tam a Deo quam a se, quod scilicet contra foedus secum initum configissent ad Sua regem Aegypti. Ita Lyranus, Arias, Vatablus, Ribera, a Castro et alii.

Tropologice, S. Gregorius explicans illud S. Job cap. xxi, 16 : *Consilium impiorum longe sit a me : « Quod est, inquit, iniquorum consilium, nisi terrenam gloriam querere, æternam negligere : salutem temporalem cum damno interiori appetere, et dolores transitorios ad æternos gemitus commutare. »*

Vers. 7. **7. TRANSIRE FECIT SAMARIA REGEM SUUM.** — Hebraice נִדְמָה nidme : quod primo verti potest, exscindetur in Samaria rex ejus, scilicet rex Samariæ, puta Hosee occidetur in ea. Ita Vatablus. Secundo : *Similis est cum Samaria rex ejus spumæ, quæ est in superficie aquarum, q. d.* Rex cum regno instar spumæ dissipabitur et evanescet. Ita Arias. Tertio : *In silentium redacta est, vel obmutefacta est, id est periit, disperiit, Samaria cum rege suo.* Ita Forsterus. Quarto. Noster passivum nidme accepit pro activo רַמְמָה dama, vel dimma, id est excidit. Unde vertit, *transire fecit*; Septuaginta abjecit; forte pro נִדְמָה nidme, legerunt. נִדְפָּה middlepha, id est impulit, propulit, propulsavit Samariam regem suum quasi spumam; spuma enim ab unda et fluctu proprie propelli dicitur, q. d. Samaria idola colendo transire fecit, impulitque in exitium regem suum quasi spumam. Suo enim scelere apud Deum meruit et effecit, ut regnum suum cum rege ab eo exscinderetur, et transiret celerrime, evanesceret ut spuma aquæ propulsa et dispulsa a fluctibus. Rursum, q. d. Cum rex populo in idolatriam propenso obsecundaret; et hic sceleris avidus regi assentiretur et assentatur, fecit populus, quem aquæ multæ repræsentabant, regem suum perire quasi spumam ex se natam; eam scilicet in seipso, velut in aqua consumens, perdens et evanescere faciens. Aliter Sanchez, qui per regem accipit idolum, puta Moloch, vel vitulos aureos, quos secum perdiderunt Samaritæ.

Nota : Pro spumam hebraice est קֶסֶף ketseph, quod proprio significat ebullitionem et effervescentiam; inde iram ebullientem, inde bullam et spumam. Septuaginta vertunt, φύγων, quod Interpres crevum vertit, puta sarmenta, stipulae, omniaque ignis fomenta ad cremandum facilia, quibus fornax incenditur, vel torretur aliquid atque frigitur : a frigendo enim vocatur φύγων. Ita ex Columella et Plinio S. Hieronymus. Hæc enim sarmenta, vel stipulae, instar spumæ ab aqua propelluntur, et si accensa sint, ab ea mox

extinguuntur, ait Theodoreetus. Symmachus vertit, επ ζερα, volens ostendere ferventis ollæ superiores aquas, et in spumam bullasque surgentes, quas Graeci πορφόλυγας vocant, ait S. Hieronymus. Syrus vertit : Rejecit Samaria regem suum quasi paleam, vel quasi testudinem (pro ghelo enim aliis punctis legi protesto) super faciem aquæ; Arabicus Antiochenus : Despexit Samaria regem suum quasi herbam super aquas, v. g. algam; Arabicus Alexandrinus : Sus tulit Samaria regem suum sicut spumam, quæ est super faciem (superficie) aquarum.

8. **ET DISPERDENTUR EXCELSA** (altaria, sacella et templæ : hæc enim Judæi more Gentilium erigebant in montibus, locisque excelsis) **IDOLI** (puta vituli aurei in Bethel erecti, quod est) **PECCATUM ISRAEL.** — **Peccatum** vocat non actum, sed objectum peccati, puta idolatriæ.

ET DICENT (Israelitæ in excidio Samariæ per Salamanasar), **MONTIBUS** : **OPERITE NOS**, — q. d. Tanta erit clades et cædes Israelitarum, tantus clamor, pavor et horror Assyriorum, ut qui poterunt, abdant se in speluncas et cavernas : qui non poterunt, optent montibus et collibus operiri et contegi, ne hanc stragem videant et sentiant; « ut nemo futurus sit, ait Theophylactus, qui non malit obrui aut terra discedente, aut repantino montium casu, quam mala ab hostibus admissa sustinere. » Et S. Cyrillus : « Dicent, inquit, montibus, in quibus idola colebant : Cadite super nos, et anticipate crudelitatem Babyloniorum, et captivitatis extremam miseriam. »

Nota ad litteram, ut patet ex antecedentibus et sequentibus, hæc intelligi de excidio et calamitate extrema ac desperata decem tribuum, cum ab Assyriis excisa est Samaria. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Ruffinus et alii. Allegorice vero hic dari typum calamitatis et excidii, tum Jerusalem per Titum et Romanos, quæ tanta fuit, ut in cryptas et cloacas se abderent Judæi, teste Josepho; excidium enim Samariæ fuit typus et præludium excidii Jerusalem; unde eidem hæc accommodat Christus, *Lucæ* cap. xxiii, 30 : ita S. Hieronymus, Haymo, Theophylactus et Hugo. Imo Rupertus vult hunc esse sensum litteralem; sed perperam. Tum totius orbis in fine mundi; unde eidem hæc adaptat S. Joannes, *Apocalyp.* vi, 16. Simile est *Isaiæ* cap. ii, 19 : « Introibunt in speluncas petrarum, et in voragini terræ a facie formidinis Domini. » Sic apud Senecam in *Troadibus* vidua Hectoris, occultans filium in sepulcro, ait ei :

Fata si miseros juvant,
Habes salutem : fata si vitam negant,
Habes sepulcrum.

Quod Malchus monachus, teste S. Hieronymo in ejus Vita, herum insequentem fugiens, abdensque se in speluncam, sibi adaptans : « Si, inquit, Dominus miseros juvat, habemus salutem; si despiciat peccatores, habemus sepulcrum. »

Anagogice, hæc plane pleneque congruunt

damnatis in gehenna, qui optant mortem, ut poenas evadant, et mori nequeunt. De quibus S. Bernardus, lib. V *De Consid. cap. XII*: « Horreo, ait, vermem mordacem, et mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, et vitæ morientis. Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos, quid nisi mortem mortis beneficio aut finire, aut evadere volunt? Denique invocabunt mortem, et non veniet, » ait S. Joannes *Apocal. IX*. Unde Arabicus vertit: *Et dicent montibus, et rupibus, et collibus: Cadite super nos.*

Vers. 9. 9. EX DIEBUS GABAA PECCAVIT ISRAEL, — q. d. Priscum et inolitum est hoc idolatriæ Israelis peccatum, oltana et pertinax hæc in eo est labes et macula, quæ proinde non nisi igne et excidio purgari et evelli potest.

Quæres, quinam sunt dies Gabaa? *Primo*, Chaldaeus hæc refert ad Saulem, qui creatus est rex in Gabaa: peccavit enim Israel petendo regem contra voluntatem Dei, q. d. A tempore Saulis peccavit Israel, et Deo rebellare cœpit: in Gabaa ergo tam populus quam rex steterunt coram Domino, imo contra Dominum; et tamen non comprehendit eos prælium susceptum «super,» id est contra, «filios iniquitatis,» puta Philistinos circumcisos et infideles, q. d. Licet Israel peccaverit creando regem Saulem, tamen Deus eum non deseruit, nec tradidit Philistæis, sed potius eos illi subjugavit. Nam, ut dicitur *I Reg. cap. XIV, 52*: «Erat bellum potens adversus Philistæos omnibus diebus Saul.» At Israel, tantæ Dei clementiae immemor et ingratus, ab eo deservit ad idola. Ergo acriter ab eo punietur. Hoc est enim quod subdit: «Juxta desiderium meum corripiam eos.» Verum in creando Saule rege non peccavit solus Israel, de quo hic agitur, sed et Juda; nec sub Saule, aut post Saulem sub Davide et Salomone a Deo descivit ad idola, sed sub Roboam.

Secundo ergo, melius alii hæc referunt ad tempora Judicum, puta ad tempus quo stuprum in Gabaa est commissum a Benjaminitis in uxorem Levitæ, ob quod omnes pene in prælio deleti sunt, *Judic. cap. XIX, 20*. Sensus ergo est, q. d. Ex eo tempore, quo viri Gabaa et Benjaminitæ scelus in Levitam ejusque uxorem admiserunt, peccavit Israel, scilicet idolatria publica, puta colendo idolum a Micha erectum in urbe Dan, *Judic. cap. XVII, 5*, et *cap. XVIII, 30*. Nam utramque historiam, puta stuprum Gabaa et idolum Michæ eodem tempore contigisse patet, *Judic. cap. XVII, 1*; nimirum statim post tempora Josue, vivente adhuc Caleb, sub Othoniele, ut docent Hebræi, S. Hieronymus, Ruffinus, Rupertus, Theodoreetus, Theophylactus, Lyranus, a Castro et alii. Unde et Josephus utrumque morti Josue illico subnectit, ante historiam Judicum. Idque demonstratur ex eo quod Phinees filius Eleazari, filii

Aaron jam tum vivebat, ut ibidem dicitur cap. XVII, 6, et cap. XVIII, 1, et cap. XX, 27; et ex eo quod Jonatham filius Gersam, filii Mosi, consecratus fuerit sacerdos idoli Michæ, uti dicitur cap. XVIII, 30; rursum, quod tum necdum ab Israelitis expugnata esset Jerusalem, uti dicitur cap. XIX, 11. Cum igitur Jerusalem expugnatio narretur initio libri *Judic.* cap. I, sequitur stuprum Gabaa et idolum Michæ contigisse ante tempora Judicum, et historias eorum libro *Judicum* esse præponendas. Vide Abulensem *ibid.* Porro nominat scelus et stuprum Gabaa, potius quam idolum Michæ, quia illud enorme erat, infame et execrabile, non tantum coram Deo, sed et coram hominibus; et quia stuprum hoc mystice representabat idolatriam: hæc enim in Scriptura vocatur *fornicatio, adulterium, etc.* Denique, quia hæc duo vicina et conjuncta sunt: libido enim est mater idolatriæ, æque ac hæresis; et vice versa idolatriæ sunt libidinosi; ac Gabaitæ utrumque fuisse videntur, et ex uno vitio in alterum prolapsi.

Tertio, pro *ex diebus hebraice* est *מִימֵדָה mime*, quod verti potest, *præ diebus Gabaa* peccavit Israel, q. d. Gravius peccavit Israel colendo idola, quam Gabaitæ violando uxorem Levitæ; gravius ergo punientur quam illi; cumque illi pene ad internectionem deleti sint, multo magis Israel internectione delebitur. Ita Vatablus et Sanchez. Aliter Clarius, q. d. O Israelitæ, gravius nunc peccatis colendo vitulos Jeroboam, quam in diebus Gabaa per stuprum, illud enim pauci Gabaitæ commiserunt, totus vero reliquus Israel illi restitit, scelusque publico bello vindicavit; hic autem nullus est qui idolatriæ vitulorum resistat, sed omnes in eam conspirant. Ego ergo Deus, sceleris æque ac honoris mei vindex exsurgam, omnesque vos sontes plectam per Assyrios (1).

(1) Hanc ultimam interpretationem aliis anteponendam judicamus. Nam, ut recte observat Sanctius, apud Hebreos non sunt comparativa nomina, sed eorum loco adhibent plerumque *לְ* vel *בְּ*, quod *præ* sape vertit Vulgata; sed quia interdum idem valet quod *ab*, *de*, *ex*, fit ut hæc etiam particulæ in Scriptura (Vers. Vulg.) comparationem significant et excessum. Juxta hæc ista sententia sic statuitur: peccavit Israel supra peccata, quæ viguerunt olim in diebus fama nempe atque exitio notis Gabitarum; cum illorum mores maxime essent profligati ac perditæ. In hanc interpretationem inducit, *primo*, quia hic agitur de peccato totius Israel, at in Gabaa tantum peccarunt, qui civitatem illam incolebant; aut si plures veiis in illorum scelerum societatem cogere, nulli videntur alii fuisse, præter eos qui cum Gabatis contra reliquas tribus arma sumpsierunt; hi vero fuerunt Benjaminitæ. *Secundo*, in vindicanda Levitæ injuria non videntur peccasse reliquæ familie: neque prius aggressi sunt prælium, quam Deum consulerent, qui illorum probavit promovitque consilium. Ad hanc vero sententiam omnia quæ sequuntur, accommodari possunt. «Nos haud dubitamus, ait ex sua parte Rosenmuller, particulam *בְּ* *מִי* *מִם* *mime*, capiendam esse pro *magis ac*, ut *sæpe*; unde hunc versum sic interpretatur: *Magis quam diebus Gibeæ peccasti, o Israel*, id est, majora a vobis scelera sunt commissa, quam olim Gibeæ a Benjaminitis.»

IBI STETERUNT, — q. d. A diebus Gabaa, in idolatria Michæ immobiles perstiterunt, ut patet *Judic.* cap. xviii, 30 et 31, æque ac Gabaitæ in defensione stupri. Ita Theodoreetus et Theophylactus. Perstiterunt, inquam, usque ad Jeroboam, qui idolatriam in vitulis suis renovavit et auxit. Aliter Rupertus et Lyranus, q. d. Cum Israelitæ vindicassent stuprum Gabaa, ibi steterunt, nec perrexerunt vindicare gravius scelus, puta idolum Michæ, uti facere debebant. Aliter et Clarius, q. d. In Gabaa unanimiter steterunt Israelitæ ad ultiōnem sceleris, et conspirarunt ad vindicandum stuprum.

NON COMPREHENDET EOS IN GABAA PRÆLIMUM (est hebraismus : cum enim ait, « in Gabaa, » subauditur particula similitudinis *sicut*, q. d. « Comprehendet » Israelitas « prælum, » at « non » tale quale fuit Gabatarum, vel sicut fuit « in Gabaa, ») **SUPER** (id est contra) **FILIOS INIQUITATIS**, — puta Gabaitas, qui abusi érant uxore Levitæ; sed longe gravius, quo scilicet plane exscindetur tam Samaria, quam rex et regnum totum Israel.

Aliter a Castro, q. d. In Gabaa filios iniuitatis, id est Gabaitas, non comprehendit prælum Israelitis; quia primo et secundo prælio Israel a Gabaitis victus et cæsus est. Verum obstat quod ait, « comprehendet » in futuro : loquitur ergo de futuro, non de praeterito. Adde sensum illum videri extra propositum, et difficulter toti sententiæ adaptari.

Vers. 10. 10. JUXTA DESIDERIUM MEUM CORRIPIAM EOS (q. d. Cum omnes stent et conspirent in prisca idolatria, quam cœperunt a tempore Michæ, desidero et aveo eos insigniter corripere et castigare. Meo ergo nutu et providentia) **CONGREGABUNTUR SUPER EOS POPULI** (Assyrii), **CUM CORRIPIENTUR** (id est punientur) **PROPTER DUAS INIQUITATES SUAS**, — puta duos vitulos (est metonymia : idolatria enim ponitur pro ipso idolo) quos coluit, scilicet unum in Bethel, quam vers. 1 vocavit « Bethaven ; » alterum in Dan, ubi primitus fuit idolum Michæ in diebus Gabaa, uti innuit vers. 9 : ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Hugo, Lyranus et Clarius; qui *secundo*, « duas iniuitates » accipiunt duplice idolatriam, scilicet unam priscam idoli Michæ in diebus Gabaa, alteram recentem vitulorum Jeroboam. *Tertio*, Arias exponit, q. d. Gabaitæ unam stupri iniuitatem admiserunt; hi vero duas, puta fornicationem et idolatriam. *Quarto*, S. Hieronymus addit *unam* iniuitatem esse, quod non coluerit Deum; *secundam*, quod coluerit vitulos. Simile est *Jeremiac* cap. ii, 13. Interpres noster hebræum אָסְרָא asram accepit quasi derivatum a סִרְעָה iasar, id est corripere. Ordines enim verborum imperfectorum, qualia sunt אָסְרָא asar, et סִרְעָה iasar, sæpe commutantur, ita ut unum ab alio modos et tempora mutuetur. Recentiores vero proprie asram ab סִרְעָה asar, id est vincire, ligare, derivant; unde vertunt : *Cum colligarint*, vel *conjunixerint se in duobus jugeribus*,

vel *sulcis*; huncque dant sensum, ut sit metaphora a jugo, vel a pari boum arantium, q. d. Sicut duo boves uno jugo constringuntur ad arandum, et ad sulcandos agros, v. g. duo jugera; ita Israel et Juda conspirabunt in eamdem idolatriam, puta ad colendos duos vitulos aureos. Cum ergo uterque sic conspiraverit, tunc utrumque, quasi duos boves colligatos, cædam et mactabo. Addit Chaldæus, q. d. Sicut Israelitæ laborarunt in cultu duorum vitulorum, ita ipsimet capti et constricti ab hostibus, quasi duo illi vituli arabunt; damnabit enim eos hostis quasi boves et mancipia ad aratrum et ad agricolationem. Ubi adverte : Pro *iniuitates* hebraice est ὄνοθ onoth, quod Chaldaeus, R. David, Vatablus et alii vertunt, *jugera*, vel *sulcos*. Verum aliis punctis legendum est ἄνοθ avonoth : aut certe onoth per crasin ponitur pro avonoth, id est iniuitates; ita enim vertunt Septuaginta, Noster, Arias, Pagninus, Forsterus in Lexico, et alii; nusquam enim alibi ona significat jugerum aut sulcum.

41. EPHRAIM VITULA DOCTA DILIGERE TRITURAM. — Vers. 11.

Sicut vers. 1 Israelem comparavit viti frondosæ, sed fructibus vacuae; ita hic eumdem comparat vitulæ, quæ aravit impietatem, et messuit iniuitatem : in eaque metaphora persistit usque ad finem capititis (1). Porro alludit ad multa : *primo*, in voce « Ephraim, » id est frugifer, fertilis, ad fertilitatem terræ Ephraim; *secundo*, in « vitula » ad aureos vitulos, vel potius vitulas, sive vaccas, ut dixi vers. 5, quas colebat, q. d. Ephraim collendo vitulas vitulatur, cestroque insanæ agitur quasi vitula. *Tertio*, « docta, » id est assueta, ut vertit Vatablus et alii. Unde Lyranus vertit, *stimulata*, quod eodem reduci potest : consuetudo enim illi erat pro stimulus. Alludit ad Apim, id est vitulum, quem Israel in Ægypto coluit; indeque ejus cultui se assuefecit, eique pertinaciter adhæsit in Chanaan. Rursum ad fruges copiosas Ægypti, quibus Israel inescatus in Ægypto, ad eas earumque triturationem, æque ac ad Apim, quasi earum datorem jugiter anhelabat. *Quarto*, pro *trituram* hebraice est ψωλ ladusc, id est ad triturandum, puta ad excutiendum grana et segete. In Palæstina enim, æque ac in Italia, Canariis aliisque regionibus grana excutiunt, non homines ligneis flagellis, uti faciunt Germani et Galli, sed boves et vaccæ, sive pedibus et ungulis segetem calcando et terendo, sive, ut ait S. Hieronymus, ferreos orbes super acervum segetum trahendo. *Quinto*, in voce « docta » et « diligere, » significatur vitulas ad hanc laboriosam trituram condoceri per pabulum, quod ex area capiunt, sed sensim : sæpe enim laxantur; itaque spe pabuli discunt sponte ad aream, et ad triturandum

(1) Hujus comparationis talis est summa : sub priori imaginis membro Israelitas huc usque libere vixisse et genio induluisse vates docet; posteriore vero jamjam futurum dicit, ut amissa libertate opera servilia facere cogantur.

redire; eo quod dum trituran, subinde segetem ore carpere, ex eaque edere sinuntur, juxta legem Deuter. cap. xxv, 4.

Sensus ergo hujus allegoriæ est, q. d. Ephraim instar vitulæ amantis trituram et triturationem, eique assuefactæ, didicit idola colere, et idololatriæ se assuefecit; ac licet subinde ea dimiserit, tamen mox ad ea recurrit: quia per ea sibi frugibus ditari, divesque fieri et prosperari videbatur. Unde labores et molestias, quas in idolorum cultu sustinet, vel non sentit, vel facile superat, quia ex eo putat se frui libertate, opibus rerumque copia. Ita Rupertus, Haymo, Lyranus, Hugo. Notat S. Hieronymus, τὸ docta significare consuetudinem et amorem. « Ephraim, inquit, similis est vaccæ, vel vitulæ, quæ a juventute sua didicit aream terere, et ferreos orbes super acervum segetum trahere, ut paleæ a tritico separantur; et non solum didicit, verum nimia eonsuetudine cœpit amare quæ didicit, » etc.

Aliter explicat Vatablus, q. d. Ephraim mavult triturare quam arare, id est mavult comedere quam laborare; unde est instar vitulæ saginatæ pinguis et obesus. Et alii: Ephraim, inquiunt, amat trituram, id est regnum, quo trituret, id est sibi subdat, et tributis exhaustiat alias tribus et gentes. Hinc

Tertio, Septuaginta pro trituram vertunt, contentionem et vexationem: Ephraim, inquiunt, vitula docta diligere νεκρούς, id est contentionem; sicut enim tritura affligit et vexat segetem, ita contentio vexat homines, præsertim subditos. Aut potius, ut Theodoreetus, Cyrillus, Theophylactus et S. Hieronymus, contentio hæc est cum Deo. Sicut enim vitulus triturans contendit cum segete, ut ei grana adimat et excutiat; ita Israel contendebat cum Deo, nec ejus jugum suscipere volebat, sed illud excutiebat; quocirca ego, inquit Deus, collum ejus obesum et superbum premam et subigam per Assyrios. Versioni Septuaginta consentit Chaldæus, qui vertit: *Similis est domus Israel vitulæ quam arare docent, et non discit.* Perperam Leo Castrius pro νεκρούς legit νεκρούς, id est victoriam, q. d. Ephraim assuetus fuit non domari et vinci, sed vincere, ut ait S. Cyrillus. Sensus tamen eodemredit.

Verum prima expositio est genuina. Est enim adagium, significans indolem, usumque et morem Israelis, quo assuetus libertati, gulæ et ventri, ardenter et constanter diligebat idola, quasi per ea libertatem et gulam suam expleret. Alludit ad ingenium meretricum; hæc enim sunt et vocantur vitulæ lascivientes. Meretrices enim assuetæ amasiis, scortationi et symposiis, ad ea jugiter redeunt, nec ullis vel amicorum monitis, vel amasiorum contumeliis, vel lue venerea, dolore et sordibus, vel infamia, etc., ab illis avocari se sinunt, sed ad illa semper revertuntur velut canis ad vomitum, etiamsi cum dolore, labore et confusione turpitudinem suam expleant.

Sic et Israel assuetus idolis, et idololatrarum gentium commerciis, cum quibus epulabatur, quibusque se ditari putabat, nullis Dei minis, plagis, aut probris ab eis vocari poterat; sed quasi vitula et meretrix lasciviens, cum iis comes sabatur et scortabatur assidue. Ita Martinus de Roa, lib. III *Singul.* cap. XIII, et Delrio, *adagio* 954.

Moraliter, hinc disce quanta sit vis consuetudinis, præsertim meretriciæ. Vulgo et vere dicitur: « Consuetudo est altera natura. » Et Sapiens, Prov. cap. xxii, 6: « Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. » Unde S. Gregorius, lib. XX *Moral.* cap. XVI: « Vitula, ait, trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque ad eumdem laboris usum, etiam non compulsa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi servitii dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, et usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a jugo mundanæ servitutis cessare non libeat, etiamsi liceat. » Et hom. 10 in *Ezechiel.*: « Nonnulli, ait, ut in hoc mundo aliiquid esse videantur, terrenis laboribus insudant, insistunt causis, permiscuntur jurgiis. Et quamvis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum devicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per Prophetam dicitur: Ephraim vitula docta diligere trituram, etc. Rogant ut premantur, grave se incurrisse periculum quietem putant. » Talibus congruit illud Jobi XXX, 7: « Qui inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sensibus delicias computabant. » Et illud Isaïæ cap. v, 18: « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. » Vide ibi dicta. Vide et S. Augustinum, lib. VIII *Confess.* cap. v, ubi se a concubinatu, cui assueverat, non potuisse expedire narrat, etiamsi is displiceret, ideoque gemit et suspiraret, donec efficaci Dei gratia tactus, nodum hunc quo concubinæ alligabatur discidit. Sic et hodie qui tractant animas, audiunt sæpe concubinarios, usurarios, ebriosos, etc., suam infelicitatem plantentes, sibique indignantes, quin et vere pœnitentes, qui tamen data occasione ad vomitum statim redeunt. Nam, ut ibidem ait S. Augustinus: « Ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constringerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibi met innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus. »

Nota secundo, Israelem vocari *vitulum*, quia vitulando cum vitulis, vitula potius erat quam homo. Pulchre Boetius, lib. IV *Consol. philos.* prosa 3, ostendit quomodo vitium hominem sua humanitatem dejiciat, et in bestiam transformet:

Moraliter, de vi consuetudinis.

Peccator non est homo, sed bestia.

« Avaritis, inquit, fervet alienarum opum violentus ereptor? Similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Ira intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervi similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit. Levis atque inconstans studia permutat? Nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Ita fit ut qui probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam. »

ET EGO TRANSIVI SUPER PULCHRITUDINEM COLLUS. — Vatablus: *Et ego transivi cervicem ejus pinguem*, q. d. Quia Ephraim, id est Israel, pertinaciter diligit trituram idolorum, ex eaque facta est pinguis et obesa, uti ipsa putat; « et, » id est *idcirco*, ego transivi, id est transibo super pulchrum, pingueque collum ejus, et tumentes ejus cervicum toros jugo imposito edomabo, ait S. Hieronymus, scilicet per Assyrios. Nota: Transit Deus, cum plagas infligit; hinc *transire* in Scriptura significat punire. Ita transivit per domos Ægyptiorum, occidens primogenita eorum, indeque sancitum et nuncupatum est Pascha, *Exod.* cap. xii, 12. Ita S. Hieronymus.

ASCENDAM SUPER EPHRAIM, — uti solet eques ascendere super equum; hoc enim est hebreum אַרְכִּיב arkib, q. d. Deinceps omnino Israelem mihi subjugabo, faciamque ut Assyrii inscendant in collum ejus, perinde ac Sapores Persarum rex consensurus equum, Aureliani imperatori dorsum quasi scabellum prius inscendebat. Idem fecit Tamberlanes Bajazeti Turcarum imperatori. Simili schemate ait Jeremias cap. xlvi, 20: « Vitura elegans atque formosa Ægyptus; stimulator (hostis et vastator Nabuchodonosor) ab Aquilone veniet ei. »

ARABIT JUDAS (Nota hebream metaphoram, qua *arare* significat operari et colere. Hebreum enim שָׁרֵב charasç significat operari, *arare* et *fabricare*. Dicit ergo quod, cum Deus ultor ascendet super Ephraim, id est cum decem tribus subjugabit Assyriis, trahetque eas captivas in Assiriam, tunc Judas, id est duæ tribus, hanc Israelis cladem videntes, sibique de eadem metuentes, resipiscent, et sub Ezechia pio rege aratrum legis resument, ideoque persistent in terra sua, ibique colent Deum verum: ac) **CONFRINGET SIBI SULCOS** (id est opera et idola) **JACOB**, — puta Israelis, sive decem tribuum. Ita Theodoreus et Theophylactus. Aut, q. d. Jacob, id est reliqui ex decem tribubus, profugi ex Samaria, confugient ad Judam, cum eoque in unum populum coalescent et conspirabunt in verum unius Dei cultum, uti in agricultione conspirant agricolæ, dum unus arat, alter sulcos et glebas confringit. Ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Lyranus et alii. Huc accedit

Vatablus, vertit enim: *Juda arabat, Jacob confringebat ei glebas*; quod tamen alii paulo aliter accipiunt, q. d. Ephraim, id est Israel, dilexit tritaram, id est regnum: at Deus subjiciet illum tribui Judæ, et Judas arbitrabit tanquam paterfamilias; Jacob vero, sive Israel, confringet ei glebas, quasi minister et famulus. Duo ergo hic significantur: *prius*, quod Israel profugus conspirabit cum Juda in unum sceptrum unamque religionem; *posterior*, quod in hac re minor erit Juda, eique subditus subserviet; Juda enim tenuit sceptrum, juxta promissa Jacobi patriarchæ, *Genes.* cap. XLIX, 10.

12. **SEMINATE VOBIS IN JUSTITIA, ET METITE** (id est *vers. 12.*)

metetis certissime. Imperativum enim usurpant Hebræi pro futuro, cum ejus certitudinem, quasi illa sit in manu nostra, denotare volunt) **IN ORE MISERICORDIE.** — Hebraice, *ad os misericordie*; et ita legit Origenes, tract. 12 in *Matt.*, et S. Ambrosius lib. *De Nabothe*, cap. vii. Jam *misericordia* tripliciter accipi potest: *Primo*, ut idem sit quod justitia, et significet opera pia, justa et sancta, q. d. Date operam justis, piis et sanctis operibus: metetis enim et recipietis præmium in ore, id est secundum mensuram misericordiae, hoc est eorumdem sanctorum operum. Ita Chaldæus, Theophylactus, Haymo, Hugo, Dionysius et alii. *Os* enim hebraice sæpe significat *capacitatem, proportionem, mensuram*; unde לֶפֶה lephi, id est *ad os*, idem est quod *secundum, juxta, pro ratione, mensura vel merito* operum, cum de iis agitur, uti norunt hebraice periti, et docent Marinus, Pagninus et alii in *Lexicis*. Sic *Exodi* xii, 4, dicitur: « Assumet vicinum, etc., juxta (hebraice *lephi*) numerum animalium quæ sufficere possunt ad esum agni. » Et cap. xvi, 16: « Colligat unusquisque ex eo (manna) quantum sufficit ad vescendum; » hebraice *lephi achlo*, id est *secundum os cibi ejus*, hoc est juxta edacitatem ejus, quantum os ejus potest capere et comedere. Sic et *Genes.* cap. XLVII, 12, de Joseph dicitur: « Alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis; » hebraice לֶפֶה הַתָּף lephi hattaph, id est *secundum os parvuli*, hoc est, quantum quisque, etiam parvulus, comedere poterat. Porro *misericordia* in Scriptura sæpe sumitur pro sanctitate et justitia, puta pro operibus sanctis et piis; quia propria sanctorum virtus et index est misericordia, uti ostendi *Daniel.* cap. iv, 24, et *II Corinth.* cap. ix, 8. Sensus est, q. d. Exercete vos in actibus misericordiae et justitiae, id est quarumlibet virtutum, et referetis mercedem amplissimam, *secundum os*, id est amplitudinem misericordiae et piorum operum, quæ exercuistis. Explicat enim id quod dixit versu præcedenti: « Arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob; » unde persistens in metaphora arationis et agricolationis, explicans subdit: « Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiae, » q. d. Quantum justitiae, id est pietatis, misericordiae cæterarumque virtutum

Misericordia triplex.

quasi arando seminaveritis, tantum messis et præmii ex iis percipietis. Huic Prophetæ adagio simile est illud S. Ephrem in serm. *ad Fratres*, tom. II : « Post formicam apis, post laborem requies » et fructus, post tribulationem refrigerium, q. d. Post labores formicæ colliges mel et favos apis. « Acerbitatem enim laboris dulcedo quietis excipit, et asperitatem vitæ gaudium. » Sic Christus « favos post fellæ (crucis et passionis) gustavit, » ait Tertullianus lib. *De Corona militis*, cap. XIV.

Secundo, planius *misericordia* hic proprie accipi potest, et ad Deum referri, q. d. « Seminate in justitia, » hebraice *justitiam*, vel *ad justitiam*, hoc est, justitiae et sanctitatis semina, puta pia de Deo rite colendo desideria et proposita cordi vestro inserite, ut inde opera justa et sancta germinent, sicque metetis eorum segetem, id est mercedem amplissimam, quam Deus « in ore misericordiæ, » id est juxta misericordiam suam immensam, quæ merita nostra superat et vota, vobis promittit, et reipsa præstabit. Ita Vatablus qui vertit : *Seminate vobis ad justitiam, metite beneficentiam*, scilicet Dei; et Septuaginta : *Seminate vobis in justitia, vindemiate fructum vitæ*. Huc accedit explicatio Riberæ : *Seminate*, inquit, *opera justa, et metetis in ore misericordiæ*, id est quantum misericordia voluerit, hoc est largissime. Os enim subinde pro voluntate capitur, ut cum dicitur : « Percussit eos in ore gladii, » id est quantum gladius percutere et occidere valebat et volebat, q. d. Omnes occidit, nemini pepercit. Hæc explicatio subtilior videtur; planius et solidius dixerimus os significare *amplitudinem, capacitatem, quantitatem, mensuram*, q. d. Seminate opera pia et sancta, et metetis secundum os, id est secundum capacitatem et amplitudinem misericordiæ Dei, hoc est, amplissimam ab eo mercedem recipietis, tantam scilicet, quanta decet Deum. Deique misericordiam, quæ amplissima est, ut pote divina et immensa. Quocirca ex Hebræo verti potest cum Marino : *Metite ori misericordiæ; ori, id est amplitudini, hoc est amplissime*. Unde Syrus vertit : *Seminate vobis justitiam, et metite os misericordiæ*, q. d. Ex semine justitiae metetis os ipsius misericordiæ et gratiæ, ut illud totum, quantum quantum est, metatis et capiatis. Porro misericordia hæc est remissio culparum præcedentium, et pœnarum eis debitarum, ac præser-tim instantis excidii et captivitatis, q. d. Parcat vobis Deus, nec sinet vastari, quin et bonis temporalibus ac spiritualibus vos cumulabit, ut iis cumulatus est Judas sub Ezechia pio rege, ac liberatus de manu Salmanasar et Sennacherib.

Tertio, S. Ambrosius, lib. *De Naboth.*, cap. VII, *justitiam* accipit pro misericordia, uti accipitur Psalm. cxi, 9 : « *Justitia, id est misericordia et eleemosyna, ejus manet in sæculum sæculi,* » et alibi. Et misericordiam proprie capit pro eleemosyna, q. d. Studete misericordiæ et eleemosyn-

næ, et amplam ejus mercedem recipietis, juxta illud II Corinth. IX, 6 : « Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. » Sed audi Ambrosium : « Bonorum enim fructus munerum in eos ipsos qui contulerunt convertuntur, et gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Denique scriptum est : *Seminate vobis ad justitiam. Esto spiritualis agricola, sere quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus ubiores quam acceperit, quanto magis misericordiæ remuneratio reddet multipliora quam dederis?* » Deus enim liberalior est, quam sit terra vel natura. Si ergo terra ex uno semine dat centum, imo subinde trecenta grana; multo magis Deus pro una eleemosyna dabit centum, trecentas, imo mille. Rursum, bonum opus semen est melioris. Humilias te, inde incitaris ad magis te humiliandum. Oras, magis cupis orare. Das eleemosynam, plura dare exoptas. Nam uti somnus somnum, ita virtus virtutem adescat : labor labore, vigiliæ vigiliæ pariunt, uti aiebat S. Dominicus Loricatus.

Quarto, pro *misericordia* hebraice est **chesel**, quæ vox tam pietatem quam misericordiam significat. Unde vertit Marinus : *Metite ori pietatis*. Proprie enim hic agitur de operibus piis, quibus colitur Deus, quæ contraria sunt operibus impietatis, quibus Iudei coluerunt idola, de quibus subdit vers. 13 : « Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, » q. d. Estote justi et pii in Deum, et Deus vicissim pius, fidelis ac beneficus erit in vos; sicut antea cum impii eratis in Deum, Deus pariter quasi iniquum, id est minus humanum et maleficum, se vobis exhibuit. Primus sensus, et magis secundus, planissimus et plenissimus est, huncque quartum in se complectitur. Quarto favet Arabicus, dum vertit : *Inquirant Dominum, et veniat fructus justitiae eorum*.

Symbolice S. Hieronymus, Haymo, Arias et Hugo sic exponunt : Seminate in lege, et metetis in gratia, q. d. Studete legi, o Israelitæ, ita præparabis vos ad gratiam Christi. Lex enim Mosis fuit lex justitiae et rigoris, lex vero Christi est lex gratiæ, amoris et liberalitatis; unde subdit : « Tempus autem requirendi Dominum. »

Anagogice S. Bernardus, *De Convers. ad Clericos*, cap. xv : Seminate in gratia, et metetis in gloria; seminate in terra cum labore, et metetis in cœlo cum jubilo. « Nec enim, ait, opera nostra trans-eunt, ut videntur, sed temporalia quæque velut aeternitatis semina jacintur; stupebit insipiens, cum ex hoc copioso semine copiosam videbit ex-surgere messem. » Nota opera bona esse semina beatæ aeternitatis. Idem, serm. *De S. Benedicto* : « Seminemus, inquit, hominibus exemplum bonum per aperta opera; seminemus angelis gau-dium magnum per occulta suspiria. Seminate et vos, quia tam multi ante vos seminaverunt: fructificate, quia vobis seminaverunt. O genus Adam,

quam multi seminaverunt in te, et quam pretiosum semen, quam male peribis, et quam merito: si perierit in te tantum semen, simul et seminantium labor! Seminavit in terra nostra Trinitas, seminaverunt Angeli pariter et Apostoli, seminaverunt Martyres, Confessores et Virgines, etc. Seminavit Pater panem de celo, Filius veritatem Spiritus Sanctus charitatem. Apostoli ibant, et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Duo manipuli sunt quos queris, honoris scilicet et quietis. Qui seminaverunt laborem et utilitatem, metent honorem pariter et quietem. »

INNOVATE VOBIS NOVALE. — « Novale » est ager novus, cum scilicet is excisis spinis, loliis herbisque noxiis, primo colitur et seritur, q. d. Evellite e corde vestro lolia cupiditatum et spinas vitiorum, quae crebro repullulant, ut innovati, velut novus ager, semen divinum gratiae et virtutum excipiatis. Vatablus vertit: *Arate vobis arationem*, sicque explicat, q. d. *Interim præparate corda vestra ad adventum Christi*. Septuaginta vertunt: *Illuminate vobis lumen scientiae*, id est, ut Theophylactus: illustrate lucernam mentis vestrae lumine cogitationis Dei, deficiente ab idolis, eorumque tenebris et erroribus. Hebreum enim **נִיר** sulcum et derivationem tam luminis, quam fluminis, sequac ac agrorum significat. Quocirca recte S. Clemens Romanus, lib. II *Constit. Apost.*, cap. v: « Habe, inquit, curam verbi, Episcope, ut possis omnia secundum verbum interpretari, ac multa doctrina populum tuum copiose nutriatis, et illustratione legis illumines. Accendite vobis, ait Dominus, lumen cognitionis, dum tempus est. »

Moraliter, ex hac versione Septuaginta docet S. Ambrosius, cognitionem sui debere præcedere cognitionem Dei, nec nisi per illam, perque bona opera ad hanc perveniri. Audi eum in *Psalm. cxviii*, octonario primo: « Seminate vobis ad justitiam, vindemiate ad fructum vitae, illuminate vobis lumen cognitionis: non prius illuminate, sed seminate: nec solum prius seminate ad justitiam, sed etiam vindemiate, inquit, ad fructum vite, et sic illuminate lumen cognitionis, ut perfectio non solum consitis, sed etiam receptis fructibus approbetur. » Per lumen enim cognitionis, S. Ambrosius hic et clarius, lib. *De Isaac* cap. iv, accipit perfectionem charitatis. Plenius vero et pientius S. Bernardus, serm. 37 in *Cant.*: « Seminate, ait, vobis ad justitiam, metite spem vite, et tunc demum illuminate vobis ait, lumen scientiae. Ultimam posuit scientiam tanquam picturam, quae statum habere nequeat super inane; et inde illa duo præmisit et subjicit illi, tanquam si solidum aliquid picturæ substerneret. Securus jam intendam scientiae, si vite prius per beneficium spei securitatem accepero. Tu ergo seminasti tibi ad justitiam, si ex vera notitia tui evigilasti timere Deum, temetipsum humiliasti, fudisti lacrymas,

eleemosynas profundisti, jejunii et vigiliis afflisti corpus, si pectus tensionibus, cœlos clamoribus fatigasti. Hoc siquidem seminare est ad justitiam. Semina sunt bona opera, bona studia, semina lacrymæ sunt. Ibant, inquit, et flebant mittentes semina sua. » Idecirco metent manipulos gloriæ, quin et statim metunt spem vite et gloriæ futuræ. Et *epist. 108*: « Veram scientiam, inquit, soli Christi discipuli, id est mundi contemptores Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio: non littera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. Seminate, inquit, vobis ad justitiam, metite spem vite: illuminate vobis lumen scientiae; vides, quia non recte proditur ad lumen scientiae, nisi justitiae germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vite, et non palea gloriæ. »

Huc accedit S. Hilarius, qui in *Psalm. cxviii* sic legit et explicat: « Serite in justitia (alii legunt, in justitiam) vosmetipsos, et metite vos in fructu (alii, in fructum) vite, et illuminate vos in lumine scientiae. Non illuminatio primum, sed satio nostra præcepta est, ut cum ante nosmetipsos, id est vite nostræ usum, in spem fructuum servimus, deinde cum quæ sata sunt messuerimus, tunc nos in lumine scientiae illuminemur. Tenendum igitur hic ordo est sationis, messis et illuminationis. Plures enim nostrum illuminari se priusquam serere ac metere festinant, cum satio atque messis quædam consequendi luminis præparatio sit. »

TEMPUS AUTEM REQUIRENDI DOMINUM, CUM VENERIT QUI DOCEBIT VOS JUSTITIAM, — q. d. Cum venerit Christus doctor justitiae, tunc erit tempus inquirendi ea quæ Dei sunt et salutis: illud ergo obseruate, o Israelitæ, et ne sinatis illud vobis elabi et effluere; ita S. Hieronymus, Haymo et Hugo, qui censem Prophetam hic de more avolare ad Christum.

Secundo, Lyranus hæc de Ezechia explicat: hic enim reduxit populum ad Dei cultum, itaque fuit doctor justitiae, sed inchoate et imperfecte, ac quasi in typum Christi, qui plene et perfecte id ipsum præstitit.

Tertio, pro *cum venerit*, ex Hebreo, Septuaginta, Vatablus et alii vertunt: *Donec veniat, et depluat super vos justitiam*, q. d. Nunc est tempus quærendi Dominum, vosque præparandi ad adventum Messiae; ille enim veniens docebit vos, imo dabit veram justitiam, qua coram Deo justi sitis, filii et heredes regni ejus. Unde Chaldaeus vertit: *Recipite vos ad timorem Domini: nunc enim revelabitur, et afferet vobis justitiam*; ita veteres Hebrei apud Galatinum, lib. III, cap. xxix; Theophylactus, Vatablus et alii.

Moraliter, disce hic uti tempore gratiae et salutis, dum datur: nam post hoc tempus non erit aliud gratiae, sed justitiae. Pulchre S. Ephrem, tract. *De Morte*, tom. I: « Nemo, ait, finitis nun-

Moraliter, dum datur: nam post hoc tempus non erit aliud gratiae, sed justitiae. Pulchre S. Ephrem, tract. *De Morte*, tom. I: « Nemo, ait, finitis nun-

dini mercaturam exercet : neque ille qui post certamina accedit, coronatur ; neque qui jam confecto bello venit, laudem consequitur. Merito ergo nec is qui vita jam exacta post mortem pietatem exercet, pius esse censendus est. » Ponderent hoc temporiperdæ.

Vers. 13. 13. ARASTIS IMPIETATEM (Hebræum שָׁרֵן *charas* significat primo, *arare*; secundo, *fabricare*; tertio, *machinari*; unde *primo* exponas, q. d. Ager quem arastis hactenus, et semen quod seminasti, fuit impietas, acconsequenter seges non fuit alia quam impietas, q. d. Nihil cogitasti aliud, quam impietatem impietati addere, scelera sceleribus cumulare. *Secundo*, q. d. In corde vestro extirpastis sulcos et semina pietatis, cognitionis cultusque Dei, ac duxistis et seminasti semina impietatis et idololatriæ : idcirco) INIQUITATEM MESSUISTIS, — puta fraudes, dolos omneque nefas in Deum et proximum operati estis. Ex corde enim impio et iniquo, non nisi impietatis et iniuriantis fructus et opera proveniunt. Rursum, q. d. Ex impietate in Deum prodiit omnis iniurias in proximum, ut docet Apostolus, *Roman. I*, 28 et 29. Ita S. Hieronymus. *Tertio*, *iniurias* accipi potest pro pena iniuriantis, puta pro deprædatione et captivitate, q. d. Perpetrasti culpam iniuriantis, hinc ejus penam, puta spoliationem ab Assyriis et captivitatem, luitis et sustinetis ; ita Theophylactus. Opponit enim Propheta hunc versum 13 versui 12, q. d. Hactenus arastis et seminasti impietatem, ideoque iniurias hujus penas messuistis : deinceps ergo sapite, et seminate in justitia, ut metatis misericordiam et beneficentiam Dei ; alioqui si persistatis in scelere, certo vastabimini et exscindemini, ut sequitur.

COMEDISTIS FRUGEM MENDACII, — id est mendacem et fallacem. Nota : Fructus et fruges dicuntur mentiri, cum tantum non reddunt, quantum in germine promittebant, puta cum seges siccitate vel auragine in agro deperit, aut in horreis a vermis, aut vento aereve corrupto alteritur, consumitur et evanescit, q. d. Simili modo vos, o Israelitæ, ex vestra impietate et idololatria non percipietis pacem, prosperitatem, rerum cepiam, quæ sperabatis, quæque pseudoprophetæ vobis promittabant.

Tropologice, omnis gulosus, omnis avarus, omnis luxuriosus, omnisque impius comedit fructum mendacii. Nam, ut ait S. Hieronymus, « gulosus cor habet in ventre, lascivus in libidine, cupidus in lucro. » Lucrum autem mendax est, libido mendax, gula mendax : nec enim satiant appetitum, nec veram afferunt delectationem, sed fucatam, umbraticam et evanidam ; unde Psaltes *Psalm. III* : « Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?

Præclare S. Gregorius, homil. 36 in *Evang.*, docet hoc distare inter delicias corporis et cordis, quod « corporales, inquit, deliciae cum non habentur, grave in se desiderium accidunt; cum

vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spiritales deliciae cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet : in istis appetitus vilis est, et experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat : in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spiritales deliciae desiderium in mente, dum satiant : quia quanto magis earum sapor percipitur, tanto amplius cognoscitur quod avidius ametur : et idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur ; » vide eundem lib. XX *Moral. cap. XVI*. Accedit quod carnales deliciae spiritales et veras excludant, iisque viam obstruant ; dum ipsæ omnes sensus occupant, totumque hominem possident. Quocirca asserit vere S. Hieronymus, « animas in nimio sanguine et adipibus quasi luto involutas, nihil tenue, nihil cœlestis, sed semper de carnalibus eructare, et ventris ingluviem cogitare. » *Tertio*, deliciae et divitiae sunt mendacium, quia pro delectatione ingerunt, desinuntque in fastidium et cruciatum tam animæ, quam corporis. Ita Cicero, *Pro Cælio* : « Amores, ait, et deliciae mature et celeriter deflorescunt, et in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est. » Et Boetius, lib. III, *metro* 7 :

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit foventes,
Apiumque par volantum
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Quocirca Epictetus, art. 120 : « Dignus est, inquit, deorum conviva, qui rebus creatis moderate utitur; qui vero licitas etiam voluptates contemnit, non jam conviva Dei est, sed consors. »

QUIA CONFISUS ES IN VIIS TUIS, — in operibus tuis impiis, ac præsertim in cultu idolorum. Est enallage numeri : transit enim a plurali numero ad singularem, quia loquitur populo, qui singularis est, si cœtum species; pluralis, si capita et homines.

IN MULTITUDINE FORTIUM TUORUM, — tum civium, tum amicorum gentilium, tum idolorum; idcirco

14. CONSURGE TTUMULTUS IN POPULO TUO (cum te invadent hostes Assyrii), ET OMNES MUNITIONES TUÆ VASTABUNTUR, SICUT VASTATUS EST SALMANA A DOMO (a familia, servis et militibus) EJUS QUI JUDICAVIT (ita legendum cum Hebræis et Romanis, non vindicavit, uti legunt nonnulli codices Latini) BAAL, — puta a domo Gedeonis. Comparat enim excidium Israelis futurum per Salmanasar regem Assyriorum, excidio Madianitarum, quorum princeps

erat Salmana, facto per Gedeonem *Judic.* viii, 2, et *Psalm.* lxxxii, 12. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Ruffinus, Theodoretus, Rupertus, Albertus, Hugo et alii passim. Sensus ergo est, q. d. Sicut Gedeon cecidit Salmana idololatram, hostem populi Dei; ita et Salmanasar cædet Israelem, ob idola quæ coluit in Bethel.

Nota primo: *Salmana* quem occidit Gedeon scribitur per *tsade*, hic vero *Salmana* scribitur per *scin*: unde hunc esse diversum ab illo contendit Lyranus cum Chaldæo, qui proinde *Salmana* hic accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum significans *pacificum*, idemque quod *Salomon*. Sic enim Turcarum Imperator vocatus est Solymannus, id est *Salomon*: utrumque enim nomen ab eadem radice סָלָמְן scalam, id est *pacificus* fuit, deducitur. Unde vertunt: *Sicut vastari solet pacificus per insidias belli, vel ab insidiatore in bello;* sic vastabitur Israel. Verum auctores jam citati asserunt unanimiter hunc *Salmana* esse eumdem cum illo quem occidit Gedeon, idque mox clarius patebit. Nec obstat quod hic per *scin*, ille per *tsade*, scribatur: quia haec duæ litteræ vicinæ sunt et commutabiles; utraque enim includit αγγα, licet illud in *tsade* addito τ, roboretur et durescat, idemque valeat quod *ts*.

Nota secundo: Pro qui *judicavit Baal*, hebraice est una vox אֲרַבָּאֵל *Arbel*, quod varie a variis explicatur. Primo, Chaldæus et Lyranus, uti jam dixi, vertunt *insidias* vel *insidiatorem*, a radice אֲרַב *arab*, id est *insidiatus* est. Secundo, alii censent esse nomen proprium principis, vel urbis, de qua I Machab. ix, 2, dicitur: « Castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis, » huncque dant sensum: Sicut *Salman*, id est *Salmansar*, 1 anno Hosee regis Israel, vastavit urbem *Arbel* crudelissime, ita ut infantes coram matribus, et matres coram infantibus collideret: sic Deus vastabit Israel et Samariam. Licet enim haec historia in Scriptura non narretur, tamen tempore Osee erat apud omnes vulgata et celebris. Porro urbs haec dicta est *Arbel*, aut ab אֲרַב *arba*, id est quatuor, et לְאֵל *el*, id est *Deus*, vel *fortis*, quod in ea celebres exstarent et colerentur quatuor dii, vel quatuor heroes; sicut dicta est *Cariat arbe*, id est civitas quatuor, scilicet Gigantum, *Josue* xiv, 15, aut ab אֲרַב *arab*, id est *insidiatus* est, et לְאֵל *el*, id est *Deus*, vel *Deo*. Ita Arias, Vatablus et Marinus in *Lexico*. Syrus pro *Arbel* legit *Il*, vel *El*, id est *Deus*, unde vertit: *Sicut vastatio Salmana de domo El in die prælia*.

Verum dico *Arbel* idem esse per crasin quod *Ierobaal* (ut vertunt Septuaginta; unde perperam in Complutensibus æque ac in Arabicō utroque legitur *Ieroboam*, pro *Ierobaal*), id est Gedeon. Ita auctores jam citati. Audi S. Hieronymum: *Arbel id ipsum significat quod et Ierobaal, sed breviori dissertatione sermone;* *Arbel* enim idem est quod *litigator*, vel *judex Dei*, puta *Baal*: idem significat *Ierobaal*: רֹבֵךְ rub enim idem est quod *litigavit*,

contendit, *judicavit*: *Baal*, est deus *Arbel*. Ex eo enim quod Gedeon *judicavit*, id est *damnavit*, et infirmum convicit esse *Baal*, dum ejus aram evertit, dictus est *Jerubbaal*, dicente Joas patre Gedeonis: « *Ulciscatur se de eo Baal (si est deus) qui suffudit aram ejus,* » *Jud.* vi, 31. Rursum Gedeon dicitur *Arbel*, id est *insidiator Dei*: quia deum *Baal* clanculum noctu per insidias evertit (1).

MATRE SUPER FILIOS ALLISA. — Quæres, unde hoc petitum? Respondet S. Hieronymus scriptum esse *Judic.* viii: « *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua.* » Verum id non reperitur *Judic.* viii, sed I Reg. xv, 33; sunt enim verba Samuelis ad Agag regem Amalec, cum eum occidi mandaret. Lapsus ergo memoria videtur S. Hieronymus. Dico ergo id in libro *Judicum* et *historia Gedeonis* non narrari, reipsa tamen accidisse, ut hic asseritur: nimirum fuit tantus pavor, consternatio et confusio in castris Madian, dum Gedeon et socii ejus clangerent tubis trecentis, et faces trecentas ardentes ostentarent, ut vel gladiis Madianitarum in sese invicem conversis, vel

(1) Hebraicum exemplar sic habet: *Sicut vastavit Salman domum Arbel in die prælia*. Qua in lectione *Salman* belli imperator et *dux* proponitur; *domus* vero *Arbel* locus et populus cui bellum illatum est. Quod autem quidam ad *Salmanasar* referunt, quem primo Osee filii Ela regis Israel anno, *Arbelam trans Jordanem crudelissime vastasse* dicunt, id si temporum ratio pateretur, inquit Paulus de Palacio, facile nominum similitudo admitteret; namque *Salman*, et *Salmanazar*, ut hebraice vocatur, ejusdem hominis nomina esse nihil prohibet.

Salmanasar (ut hoc loco doceret Osee) crudelissime vastavit urbem Arbelis, matres et filios occidendo; ita ait vastandum Israelem. Sed cum haec historia non habetur in S. Scriptura, ideo S. Hieronymus haec verba Osee transtulit ad *historiam Gedeonis*. Recentiores interpres plerique, coll. II Reg. xvii, 3, *Salman* per apocopen pro *Salmanasar* regis Assyrii nomine scriptam, *domus Arbel* vero hand diversum arbitrantur ab Arbeli urbe Galilææ superioris in tribu Nephtali sita, cuius mentio facta est I Machab. ix, 2. « *Minatur ergo, ut scribit Rosenmuller, locis munitis terræ Israeliticæ eadem quæ prius ab hostibus passa fuerat Arbelæ, tempore belli notissimi tunc, quo hostis Assyrius in regnum Israeliticum irrupit, regemque sibi tributarium fecit.* » Et revera, cum vates hic usque ad Ezechiam Juda regem, munus suum propheticum fuerit executus, fieri potuit, ut hoc vaticinium in illo primo Osee anno, quo Arbelæ vastata est, ederetur, et vates præsenti, et adhuc in oculis sermonaque omnium recenti imagine timendam cladem proponeret.

Quænam vero sint illa Arbelæ, quæ hoc loco commemorantur? Plerique, inquit Maurer, cogitant de urbe Assyriæ. Sed pro altera urbe primum pugnat id, quod בִּתְּה *beit*, *domus*, vocabulum earum tantum urbium opidorumque nominibus junctum reperitur, in quibus hebraice aut aramaice loquebantur. Deinde, non est verisimile stragem tam longinquam, qualis Arbelorum in Assyria fuisset, Judæis, rerum externarum imperitoribus et parum quoque curiosis, a vate exempli causa proponi potuisse. Contra si statuis, sermonem esse de Arbelis Galilææ, exemplum ex propinquuo petitum ad audientium animos non potuit non efficax esse.

festinatione et trepidatione fugientium, matres cum filiis alliderentur. Ita Ribera, Emmanuel, Mariana et alii.

Vers. 13. 15. **SIC FECIT** (id est faciet) **VOBIS BETHEL**, — q. d. Sic vos punient et cædant non tam hostes Assyrii, quam *Bethel*, id est peccata a vobis commissa, puta idola adorata in *Bethel*, sicut *Salmana* punitus et cæsus est a *Beth Arbel*, id est a domo et exercitu Gedeonis. In *Hebræo* est elegans paronomasia, et antithesis inter *Beth Arbel* et *Bethel*, q. d. Sicut cecidit et prostravit *Madianitas* idololatras *Beth Arbel*, id est domus Gedeonis, qui fuit *rub*, id est judex et vindicta *El*, id est dei falsi, puta *Baal*; ita cædet vos *Bethel*, id est do-

mus Dei veri, quam vos violastis et fecistis *Bethaven*, id est domum idoli: propter sacrilegia enim commissa in *Bethel* exseindemini. Unde subdit:

A FACIE MALITIE NEQUITIARUM VESTRARUM, — id est propter pessimas nequicias vestras, quibus polluistis *Bethel*, id est domum Dei. Hac de causa ait Isaias cap. **XXXI**, 9: « *Dixit Dominus*, cuius ignis est in *Sion*, et caminus ejus in *Jerusalem*. » Vide ibi dicta.

Simili elegantia et tropo Isaias *Jerusalem* vocat *Ariel*, in eaque voce varie ludit cap. **XXIX**, 1 et 2, dicens: « *Vae Ariel, Ariel!* civitas quam expugnavit *David*, etc. Et circumvallabo *Ariel*, etc. Et erit mihi quasi *Ariel*. »

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Inculcat Deus, et in os injicit Israeli amorem et beneficia a se ei jugiter præstita, ut ostendat ejus ingratitudinem, quod a se ad vitulos aureos desciverit. Puer, *inquit*, *Israel*, et dilexi eum: et ex *Ægypto* vocavi filium meum. Et ego quasi nutritius *Ephraim*, et portabam eos in brachiis meis. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. *Quocirca ingrato captivitatem et iram intentat, quam tamen ita misericordia temperat, ut ei redditum in patriam spondeat.* Ab hac clade eximit *Judam*, quia ipse fidelis a parte *Dei* stetit cum sanctis *Levitis* (1).

1. Sicut mane transiit, pertransiit rex *Israel*. Quia puer *Israel*, et dilexi eum: et ex *Ægypto* vocavi filium meum. 2. Vocaverunt eos, sic abiérunt a facie eorum: *Baalim* immolabant, et simulacris sacrificabant. 3. Et ego quasi nutritius *Ephraim*, portabam eos in brachiis meis: et nescierunt quod curarem eos. 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: et ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum: et declinavi ad eum ut vesceretur. 5. Non revertetur in terram *Ægypti*, et Assur ipse rex ejus: quoniam noluerunt converti. 6. Cœpit gladius in civitatibus ejus, et consumet electos ejus, et comedet capita eorum. 7. Et populus meus pendebit ad redditum meum: jugum autem imponetur eis simul, quod non auferetur. 8. Quomodo dabo te, *Ephraim*, protegam te, *Israel*? Quomodo dabo te sicut *Adama*, ponam te ut *Seboim*? Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. 9. Non faciam furorem iræ meæ: non convertar ut disperdam *Ephraim*: quoniam Deus ego, et non homo: in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem. 10. Post Dominum ambulabunt, quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris. 11. Et avolabunt quasi avis ex *Ægypto*, et quasi columba de terra *Assyriorum*: et collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus. 12. Circumdedi me in negatione *Ephraim*, et in dolo domus *Israel*; *Judas* autem testis descendit cum *Deo*, et cum sanctis fidelis.

(1) Ea oratio habita videtur, quo tempore res *Israelitarum* ad finem vergebant, ea de causa, quod vates intimo commiserationis affectu moveatur erga cives, utpote brevi ultima passuros.

PRIMO, Deus *Israelitis* beneficiorum abusum exprobrat, primo, eductus fuit populus ex *Ægypto*, et ad cultum Dei vocatus, sed aversus et conversus ad idolatriam, 1, 2; secundo, deductus fuit per desertum, ex amore et promedela, sed non agnovit, 3; tertio, cumulatus fuit beneficiis charitatis, libertatis et commeatus, sed noluit converti, 4, 5.

SEGUNDO, comminatur supplicia beneficiis opposita, primo, populus non revertetur in *Ægyptum*, sed in *Assyriam* migrabit, 5; secundo, dura patietur ab hostibus, a quibus terram vastandam prædictit, 6; tertio, frustra invocato Dei auxilio, deducetur captivus, 7.

TERTIO, mitigationem vindictæ promittit, primo, deliberat Deus inter severitatem et misericordiam, 8; secundo, decernit non penitus perdere populum, 9; tertio, promittit beneficia cum conversione sub finem mundi, 10, 11 (vers. 12 melius referetur ad cap. XII).

Vers. 1. **I. SICUT MANE TRANSIIT, PERTRANSIIT REX ISRAEL.**
 — Chaldaeus, Arias, Pagninus et Vatablus hæc verba referunt ad finem præcedentis capituli, quia eo pertinere videntur. Verum Noster, Septuaginta et passim veteres Græci et Latini ab hisce verbis inchoant caput undecimum. Hebraice est, *in aurora* (vel *instar auroræ* : **׃** enim, id est *in*, saepe sumitur pro **׃**, id est *instar, sicut*) *plane excisus est rex Israel*, q. d. Sub initium regni Hosee rex Israel cum Samaria et regno exscindetur ab Assyriis. Comparat Hosee auroræ, quia sicut aurora medium quid est inter noctem et diem, lucem et tenebras, estque post noctem initium diei et lucis; ita post longas ærumnas et spoliaciones, quas Israel sustinuerat ab Assyriis, sub Hosee rege respiravit, et in spem melioris sortis se erexit, præsertim cum Sua rex Ægypti videretur illi opitulaturus: sed hæc spes velociter instar auroræ, sole oriente et auroram fugante, pertransiit et evanuit. Ita S. Hieronymus, Cyrus, Ruffinus, Theodoreetus et Theophylactus. Simili modo Israelis regem comparavit spumæ cap. præced. vers. 7, cum ait: « Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ. » Ubi pro *transire fecit* in Hebreo est idem verbum quod hic, scilicet **נִידָמֵה** *nidme*, quod, ut ibi dixi, varie exponi potest.

Secundo, S. Cyrus per *mane* accipit experceptionem Dei ad vindictam, qui ante dissimulans peccata Israelis, dormire videbatur: « Cum, inquit Cyrus, Deus nondum peccata aliorum punit, dormire dicitur, ut ait Jeremias: Ne, inquit, sis, Domine, tanquam somno dormiens, aut tanquam vir non potens salvare; et David: Surge, Domine. Et alias videns auxilium Domini: Surrexit, inquit, tanquam dormiens. Mane itaque vocat hic tempus ipsius velut evigilationis in eos: mane enim solemus evigilare. » Verum prior sensus et allusio est aptior; mane enim hic tribuitur regi pertranseunti, non Deo evigilanti: quanquam hoc cum illo conjunctum est. Ideo enim rex mane pertransiit et excisus est, quia Deus in ejus excidium evigilavit.

Tertio, nonnulli ex eo quod sequitur: « Ex Ægypto vocavi filium meum, » id est Christum, uti explicat S. Matthæus cap. II, 15, hæc omnia de Christo ad litteram accipiunt, q. d. Christus in mundo nascetur quasi aurora, sed et cito transibit ut aurora: post tres enim prædicationis annos redibit ad Patrem. Ergo, o Israelitæ, venientem studiose excipite, ejusque tempus diligenter observe. Ego enim vos, quasi Abrahæ amici mei filios, dilexi, ideoque ex Ægypto vocavi filium meum, ut vos ejus præsentia, doctrina et gratia frueremini.

Verum ad Hosee regem hæc pertinere ad litteram, non ad Christum, patet ex eo quod ait: « Pertransiit rex Israel. » Idem patebit ex sequentibus: toto enim capite agitur de judicio et excidio Israelis. Unde moraliter disce reges terrenos simi-

les esse auroræ, quæ aurea videtur, sed mox evanescit: eorum enim « vita » est quasi « vapor, » ut ait S. Jacobus, *epist. cap. IV*: « ad modicum parens; » vapor, inquam, aurea quadam honoris regiæque pompæ luce perfusus. Somnia sunt hominum regna, ideoque merito in somnis a Nabuchodonosore, Chaldaeorum, Persarum, Græcorum et Romanorum imperia visa sunt, *Daniel. II*. Quid ergo sunt dignitates, status et sceptra? nonne aureus quidam nubium color, temporis momento evanescens?

QUIA PUER ISRAEL, ET DILEXI EUM. — Vox *quia* more Hebreo redundat, uti dixi cap. X, 17; unde Leo Hebreus vertit: *Quando Israel adhuc puer erat, dilexi eum*, cum scilicet in Ægypto degeret, et quasi oriretur cresceretque populus Israel, essetque parvus, imbellis, ignorans, afflictus quasi puer, ex tunc dilexi eum, curamque ejus egí, et quasi puerum per Mosen inde liberavi et eduxi. Ita S. Hieronymus, Vatablus et alii (1).

Secundo tamen, **τὸς καὶ** proprie ut causale accipi potest, q. d. Quia Israel in Ægypto erat puer tenellus, sui impos, se regere impotens, neglectus ab omnibus, ab Ægyptiis oppressus et neci destinatus, opisque indigus: hac de causa eum dilexi, et enutrivi quasi mater. Solet enim puerorum parvitas, imbecillitas et pericula, matres allicere ad eorum amorem et curam. Ita Theophylactus.

Adde, « *dilexi eum*, » quia « *puer* » erat, quod esset filius Jacobi patriarchæ, quem puerum, imo in utero adhuc existentem dilexi, dicens *Malach. I, 2*: « *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* » Et *Genes. xxv, 23*: « *Major serviet minori,* » puta Esau Jacobo, nimirum Idumæi servient Jacobitis, id est Israelitis. Sicut ergo Jacobum puerum, ita et filium ejus Israelem puerum dilexi. Denique **τὸς καὶ** connectit hæc præcedentibus, q. d. Rex Israel cum suo populo transiit, id est brevi transibit et interibit, quia Israel, quem a puero dilexi, ex Ægypto eduxi, alui et nutrivi ut mater, huic mæ dilectioni et beneficiis ingratus et rebellis, me sprevit, et ad Baalim declinavit.

ET EX ÆGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM. — « *Et, id est idcirco*, q. d. Quia Israel puerum dilexi, idcirco eum quasi filium meum, ex Ægyptia servitute per Mosen evocavi et eduxi. Ita Septuaginta et Chaldaeus, qui vertunt: *Ex Ægypto vocavi filios ejus*, scilicet Israelis; licet enim in Hebreo sit **בְּנֵי beni**, id est *filium meum*, tamen hoc in re idem est quod *filios ejus*: filii enim Israelis erant filii Dei; et quia Israel, ut ait S. Hieronymus, « singulariter dicitur, sed pluraliter intelligitur, » utpote populus:

(1) Evidem ut homines, ita reipublicæ ætates habent, inquit Drusius. Cf. cap. II, 5, 17; *Jerem. II, 2; Ezech. XVI, 4*, et supra cap. VII, 9. Populus Israeliticus ratione ortus, progressus et durationis cum homine comparatus, in prima quasi ætate sua in Ægypto ex paucis patribus in populum excrevit, donec in terram Chanaan perduc-tus rempublicam ibi constitueret. (Rosenmuller.)

forte etiam Septuaginta et Chaldaeus pro *beni* legerunt *בָנָא* *banau*, id est filios ejus, uti opinatur Maldonatus in *Matth. II*, 15. Porro populum suum Deus vocat « filium, » dicens *Exodi IV*, 22 : « *Filius meus primogenitus Israel.* » Et : « *Dimitte filium meum ut serviat mihi.* » Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Rupertus, Hugo, Lyranus, Arias, Vatablus hic, Jansenius, Maldonatus, Barradius, et alii in *Matth. II*, 15. Et patet ex iis quæ hic antecedunt et sequuntur : hæc enim spectant populum Israel. Hic enim dicitur filius Dei primogenitus, quia dilectus ab eo fuit ut primogenitus, et solus primo electus ex omnibus gentibus, ut esset Dei peculium, res publica, regnum, sacerdotium.

Dices : Quomodo ergo S. Matthæus, cap. II, 15, ait hoc Osee oraculum impletum esse in Christo puer, cum ex Aegypto revocatus est in terram Israel? Julianus Apostata, teste S. Hieronymo, hoc objiciebat Christianis, ut S. Matthæum vel falsitatis, vel inscitiae argueret. Respondet *primo*, Jansenius in *Matth. II*, id impletum esse in Christo per accommodationem, quia quod dictum est de populo Israel, recte Christo quasi simili aptari et accommodari potest : perinde atque si quis de filio qui patri percharus est, diceret :

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Verum hoc liberius dicitur, et pene temerarie, inquit Suarez loco mox citando : nec enim prophetæ impleri dicuntur, nisi cum eveniunt ea quæ per eas prophetata sunt. Quare aliud est accommodari, vel aptari Scripturam, aliud eam impleri. Igitur prophetia proprie impleri dici nequit, nisi cum fit quod ipsa in sensu vel litterali, vel allegorico futurum prædictum, uti docent communiter Interpretes.

Secundo, Eusebius, lib. IX *Demonstrat. Evang.* cap. IV, Lyranus et Dionysius censem hunc locum ad litteram intelligi de Christo. Verum ex antecedentibus et sequentibus patet hic agi de populo Israel. Dices duplum hic esse sensum litteralem, unum de populo, alterum de Christo : ita Prado, *Proœmio in Ezech. sect. VIII et IX.* Respondeo id minus congrue dici, tum quia cætera non spectant Christum, sed populum : in sensu enim litterali omnia et singula congruere debent rei de qua agitur; secus est in allegorico ; tum quia populus Israel fuit typus Christi. Ergo ad litteram sermo est de populo, typice de Christo ; sensus enim litteralis non est typicus, sed typici figura et imago : populus enim Israel exsulans in Aegypto, Christi ibidem exsulatur figura fuit, sicut nunc corpus mysticum Ecclesiæ, corporis naturalis Christi figura est.

Tertio ergo, melius dicemus ad litteram hanc sententiam impletam esse in populo Israel per Mosen educto ex Aegypto, allegorice vero et typice in Christo puer reducto ex Aegypto : licet autem hic sensus sit allegoricus, tamen est priore

litterali dignior, potior et magis intentus a Spiritu Sancto : populus enim Israel in hoc reditu ex Aegypto gessit typum Christi, præsertim quia Christus illius populi fuit pars et propago, eaque nobilissima. Hac de causa ait, *filium meum*, non *filios meos*, ut denotet Christum. Neque hoc mirum aut novum est : nam magis nova et insolens videatur allegoria, qua Sina et Sion, item Sara et Agar significant duo Testamenta, vetus et novum, uti explicat Apostolus *Galat. IV*, 24. Ita S. Hieronymus, Ribera et alii initio citati, ac S. Chrysostomus et Theophylactus in cap. II *Matth.*, atque Franciscus Suarez, III part. *Quæst. XXXVII*, art. 4, disp. 7, sect. 1; et Gabriel Vasquez, I part. *Quæst. I*, art. 10, disp. 14, cap. IV(1).

Objicit Osiander in cap. II *Matth.* : Fieri nequit ut populus Israel innumerabilis, unius hominis sit figura : ergo in sensu allegorico hic locus nequit accipi de Christo. Respondeo negando antecedens. Si enim unus homo potest repræsentare totum populum ex se generandum, uti Patriarcha ; sicut de Jacob et Esau dicitur Rebeccæ matri, *Genes. XXV* : « *Duæ gentes sunt in utero tuo,* » etc., vel sibi subditum, uti rex repræsentat regnum; cur vice versa unus populus unum ho-

(1) Memoratu dignum est, quod scripsit Dr. Lud. Jos. Uhland, in *Annot. historico-exeget. in Hoseam*, part. X, Tubingæ, 1794, pag. 14 et seqq — Tertia sententia quæ inter duas extremas (primam, locum nostrum *litteraliter* de Christo explicantem, et alteram statuentem, locum nostrum Christo tantum *accommodari* per Evangelistam) media est eorum (et ipsius Uhlandi), qui vaticinium nostrum *litteraliter* de Israele, *mystice* vero, et quidem ex intentione *Spiritus Sancti*, de Christo agere statuunt. Habet namque *liber Scripturæ* hoc speciale, quod Deus ejus auctor non tantum utatur *vocabus* ad aliquod significandum, sed etiam *rebus*, per voces significatis, ad significandas *res alias*. A significatione quæ *vocum* est, accipitur sensus *litteralis* vel *historicus*; a significatione vero quæ *rerum* est, accipitur sensus *mysticus*. Sensus *litteralis* in loco Hoseano respicit populum Israeliticum, sed quæ *typum*, adeoque *mystice* simul Christum innuit ; quem interpretandi rationem ipsimet *Judæi* in multis locis admittere coguntur. Fatentur ipsi, multa ex. gr. de *Davide* eiusque regno dici, quæ pertineant ad *Messiam*. — multa quæ de *liberatione* populi Dei dicuntur, *historice* quidem et *litteraliter* de gestis in veteri Testamento intelligenda esse, quæ simul ad *Messiacæ tempora* referenda sint. Uti ergo *Hoseas*, vel *Spiritus Sanctus* saltem per *Hoseam* sub *typo* educationis Israelitarum ex Aegypto simul indicatum voluit *mysterium futurum evocationis Messiacæ ex Aegypto*: sic Matthæus eodem Spiritus Sancti ductu verba Prophetæ eo retulit. — Neque per hanc sententiam *duplex unius dicti sensus* statuitur. Aliud enim est plures sensus *eiusdem generis* seu *litterales* statuere ; aliud vero *diversi generis* : *litteralem*, qui ex Spiritus Sancti intentione *immediate* per ipsa verba Scripturæ insinuator, et *mysticum*, qui non proxime per ipsa verba, sed per *res verbis designatas* a Spiritu Sancto intenditur. Potest etiam *sensus Scripturæ* revera dici *unicus* tantum, si vocem *sensus* accipias in significatu *latiore* pro omni eo quod a Spiritu Sancto intenditur. Sic nostro loco reapse *unus* est sensus *litteralis*, sed *bis impletus*, in *typo* primum, deinde in *antitypo*. Vide etiam Maldonatum in *Comment. in quatuor Evangelist. ad Matth. II, 15*; et Sanctum ad *Hos. XI, 1*.

minem, quasi patriarcham et regem, ac præser-tim Christum Dominum, repræsentare non possit? ita Patres passim et Doctores. Porro qua ratione populus Israel fuerit figura Christi peregrinantis in Ægypto, et inde redeuntis, fuse explicat Ru-pertus in locum citatum *Matth. II.*

Ex hoc loco ostendit S. Hieronymus quædam non haberi in Versione Septuaginta quæ habentur in Hebræo, ideoque se novam ex Hebræo versio-nem cudisse, idque ei obtrectantibus objicit: « Qui, ait, detrahunt nostræ translationi, videant Scripturam de qua Evangelista hoc testimonium sumpserit, et interpretatus est de Domino Salva-tore, quando de Ægypto reductus est in terram Israel: et cum invenire non quiverint, desinant rugare frontem, adducere supercilium, crispare nares, digitis concrepare. »

Vers. 2. 2. VOCÄVERUNT EOS (ex Ægypto et idololatria Moses, Aaron aliique Prophetæ, ut eos ad avi-tum Dei cultum reducerent; sed ipsi licet) SIC (id est adeo et toties vocati et invitati) ABIERUNT A FACIE EORUM, — id est obverterunt eis terga, euntes ad Baalim. Unde plane vertunt Septua-ginta: *Sicut vocavi eos, ita abierunt a facie mea;* Hebræi enim sæpe subaudiunt voculam *sicut*, et similes, quasi dicant: *Uti ego eos vocavi, ita ipsi impudentes averterunt se a me:* quanta fuit mea benignitas et assiduitas in vocando, tanta fuit eorum durities et contumacia in resistendo, et respuendo meam vocationem. Ita Chaldæus, Cyrus, Hieronymus et alii. Potest secundo sic accipi propterea, q. d. Quia ego vocavi eos toties, propterea abierunt, uti solent facere pueri pro-tervi et refractarii, qui eo quod vocentur a pa-rentibus, ut hoc illudve faciant, idcirco rebelles avertunt faciem et abeunt, qua expositione signifi-catur Israelis major plenaque obduratio et per-vicacia. Sic Hebreum *כִּי ken*, id est *sic*, sumitur pro *על־כִּי alken*, id est *super sic*, hoc est *propterea*. Psalm. LX, 9: « Misericordiam et veritatem ejus quis requiret? sic (id est propterea, idcirco) psal-mum dicam nomini tuo. » Joan IV, 6: « Jesus au-tem fatigatus ex itinere sedebat sic (id est idcirco, quia scilicet fatigatus) super fontem, » uti expo-nunt Toletanus et Maldonatus *ibidem*. Sic enim vulgo dicimus: « Venit fesus, et ita (id est ideo) consedit. » Quin et Cicero, IV *Tuscul.*: « Sic, inquit (id est idcirco), tot simul virtutes, continentiae, gravitatis, justitiae, fidei defecerunt. »

Aliter Arias: Vocaverunt, ait, id est invocaverunt Israelitæ « eos, » scilicet deos gentium: « sicque abierunt, » videlicet ut non tantum eos invocarent, sed et iis sacrificarent. Unde sequitur: « Baalim immolabant. » « Abierunt, » inquam, « a facie, » id est ante faciem, « eorum, » uti solet grex ovium ire ante faciem pastoris, populus ante Episcopum, milites ante ducem, filii ante parentes. Verum de diis gentium nulla hic præcessit mentio.

BAALIM (id est diis gentium, puta idolis, ni-mirum vitulo aureo, *Exodi xxxii, 4*, et Beelphe-

gor, sive Priapo, *Numer. xxv, 1*) IMMOLABANT. — Quia enim Deus primarius Chaldæorum, Tyriorum, Carthaginensium, etc., erat Baal, vel Bel, sive Belus; hinc quoslibet deos vocaverunt *Baalim* in plurali.

3. ET EGO QUASI NUTRITIUS EPHRAIM, PORTABAM EOS IN BRACHII MEIS. — Legit Interpres *זרועת零膏* zerootai, id est *in brachiis meis*: jam addito *vau* legunt *זרועות零膏* zerootau, id est *brachiis ejus*. Pro nutritius hebraice est *תִּרְגָּלֶת Tirgalti*, quod Rabbini, Vatablus, Arias et alii hebraizantes dicunt ponni pro *תִּרְגָּלֶת Tirgalti*, id est incedere feci, in pedes erexi, ambulare docui, pedetentim deduxi, uti faciunt nutrices, dum infantes deducunt docen-que incedere. Unde vertunt: *Ego Ephraim* (id est Israelem), *puerum deduxi, et ambulare docui per desertum.* Aut, ut Vatablus, ego sensim et pede-tentim eum deduxi, ne conficeretur labore viæ. Alii vertunt: *Ego dedi paedagogum Ephraim* (puta Mosen) qui portaret eos super brachia sua, quasi alludat ad illud Mosis: « Ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infan-tulum, » *Numer. xi, 12.*

Verum melius magisque præcise vertit Noster, « nutritius, » id est nutritor, vel nutrix. Hoc enim proprio significat *תִּרְגָּלֶת Tirghelet*, et addito *iod* paragogico *tirgalti* (quod plane diversum est ab *hirgalti*, id est incedere feci: hoc enim ver-bum est, illud nomen: deducitur enim *a נִרְגָּלֶת regel*, id est pes. Unde Marinus in *Lexico* vertit, *pedatio*, q. d. *Itio*, vel *ambulatio mea erat ad Ephraim*); *tirghelet* ergo est nutrix, quæ pedes in-fantium format et firmat, eosque deducit, docet et assuefacit incessui. Unde Septuaginta vertunt, *αντεπόδιον*, id est *colligavi pedes*, scilicet fasciis in-fantilibus, quod etiam est nutricum, ait Theophylactus. Jam sensus est is quem dat S. Hiero-nymus: « Narrat, ait, Deus quo Israel amore di-lexerit, secundum illud *Deuter. I, 31*: Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare par-vulum filium suum, in omni via per quam am-bulasti, donec veniretis ad locum istum. Et in alio loco *Deut. xxxii, 11*: Expandit alas suas, et as-sumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Et *Psalm. Lxxix, 2*: Qui deducis velut ovem Joseph. Ego, ait, qui pater eram, nutritius factus sum, et parvulum meum in ulnis meis ipse portabam, ne læderetur in solidudine, et ne vel æstu, vel tenebris terreretur, in die nubes eram, in nocte ignis columna, ut quos protexeram, meo illus-trarem et sanarem lumine: cumque peccassent, et fecissent sibi vituli caput, dedi eis locum po-nitentiae, et ignoraverunt quod curarem eos, ut vulnus idololatriæ quadraginta annorum spatio obducerem, et pristinæ redderem sanitati. » Quod ergo subdit: « Et nescierunt, » idem est ac si dicat: Et tamen post tot beneficia, quibus quasi nutrix eos educavi, ipsi haec officia providentiae et maternæ curæ meæ erga se non agnoverunt, sed me spredo dixerunt vitulo: « Hi sunt dii tui

Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, » Exod. cap. xxxii, 4.

PORTABAM EOS IN BRACHIIS MEIS. — In deserto enim per Mosen, per columnam ignis et nubis, per manna, per vestium eorumdem conservacionem, etc., tam suaviter et benigne Deus Judaeos tractavit et deduxit, ac si quasi nutrix eos brachiis suis portasset.

Vers. 4. **4. IN FUNICULIS ADAM TRAHAM EOS, IN VINCULIS CHARITATIS.** — « Adam » hic accipi potest vel ut nomen proprium protoplasti, vel ut commune, significans *hominem*. Si ut proprium, sensus erit quem dat S. Hieronymus, q. d. Sicut ex amore Adamum natura simul ac gratia, et amicitia mea donavi, ita et vos posteros ejus donabo. Adam enim ex mea gratia est vester protogenes et archigenes, id est humanæ generationis princeps. Aut, ut noster Prado in *Ezech.* cap. vi, 9 : Funiculi, inquit, sunt dolores : illis enim quasi funibus homo arctatur et constringitur, juxta illud *Psalm.* xvii, 6 : « Dolores (hebraice חבל chable, id est funes) inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. » Hebræum enim *chabel* funiculum, ligamen, vinculum, indeque dolorem, quasi ligantem et vincentem significat. Sensus ergo est, q. d. Ego Israelitas per dolores et afflictiones, quos ab Adamo parente suo hæreditarunt, ad me traham, quæ sunt mei erga illos amoris pignora. Unde sequitur : « In vinculis charitatis, » id est, in vinculis quibus soleo ad me allucere charissimos filios, quæ sunt castigationes et flabella.

Secundo, alii passim « Adam » accipiunt ut nomen commune, vertuntque *hominis*. Ita Aquila, Syrus, Symmachus, Theodotion et Septuaginta, q. d. In funiculis, quibus solent homines ligari et trahi, nempe amore et beneficiis, traham illos ad me. Unde Chaldaeus verlit : *Sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis*; Arabicus : *Attraxi eos pugillo protractionis meæ*. Alludit ad cap. x, 11 : « Ephraim vitula docta diligere tritaram, » q. d. Vitulæ lascivientes, qualis est Israel, trahuntur funibus canabinis vel ferreis; at ego Ephraim, licet subinde mihi renitentem, nolo ut bestiam tractare, trahereque invitum fune verberum et terrorum; sed ut hominem (non servum, sed filium) traham eum funiculis amoris : illis enim trahi solent homines, præser-tim ingenui, et filii. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Emmanuel, Mariana et alii. Porro S. Hieronymus per *hominem* specialiter accipit Patriarchas, Abraham, Isaac et Jacob : « Curavi, inquit, eos propter funiculos et vincula charitatis, quibus mihi Abraham, Isaac et Jacob astrinxeram. » Hi enim fuerunt parentes Israelis, ob quos Deus Israelem amabat et curabat. Verum planius quilibet homines accipi possunt : omnes enim trahuntur amore.

Tertio, nonnulli funiculos Adam, id est hominis, active accipiunt, non passive, id est, non

quibus homo trahitur a Deo, sed quibus homines sancti, puta Abraham, Isaac et Jacob traxerunt Deum in sui, suæque familiæ et gentis amorem, ut eam diligeret, et eligeret ex omnibus gentibus in suam Ecclesiam et regnum. Verum prior sensus est magis genuinus.

Quarto, Hebræum חבל chebel verti potest, corruptio, vastatio. Unde Septuaginta vertunt : *In corruptione hominum extendi eos in vinculis charitatis meæ*, q. d. Esto sint peccatis infecti et corrupti, tamen adhuc conabor eis mederi ex charitate, sicut medicus ægro, v. g. contracto, volens mederi, extendit membra ejus contracta, alligans ea vinculis, non ut eum affligat et torqueat, sed ex charitate ut sanet.

Nota primo : « *Traham* » potest proprie accipi ut futurum, q. d. Licet Israel me offenderit, tamen adhuc traham illum ad me. Verum melius accipias pro præterito : « *traham*, » id est *traxi*; clarius enim liquet quod Deus traxerit eos in deserto, quam quod post tempora Osee eos tracturus sit : paulo enim post eos vastavit, et tradidit Assyriis; et quia sequitur : « Declinavi ad eum, » etc., in præterito. Ita S. Hieronymus, Septuaginta, Chaldaeus, Rupertus, Hugo, Lyranus, Dionysius, Arias et Sanchez. Præcessit enim præteritum : « Portabam eos in brachiis meis. » Recte S. Augustinus in *Psalm.* iii, 6 : « In prophetia, ait, bene miscentur futura præteritis, quo utrumque significetur. »

Nota secundo : Tractus et funiculi significant copiam, sæque ac suavitatem amoris, qua Deus homines ad se trahit : « *Magnes enim amoris est amor*. » Hoc est quod ait S. Augustinus de sua ad Deum conversione et tractu, lib. IX *Confessionum*, cap. i : « *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas a me tu vera et summa suavitas, ejiciebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* » Idem Augustinus, serm. 2 *De verbis Apostoli*, tom. X : *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum* : « Non dixit, inquit, duxerit, sed traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? crede, et venis; ama, et traheris. Non arbitris istam asperam moles tamque violentiam; dulcis est, suavis est; ipsa suavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur : sic et tu veni ad Christum. Ad illum enim qui ubique est, amando venitur, non navigando. »

Nota tertio : Ruffinus funiculos Adam censem esse beneficentiam, qua Deus Adamum post peccatum prosecutus est, dans ei cibos illaboratos, et sponte nascentes; sic vice versa funiculos Israelis esse manna, et aquam de petra, quæ ei sine satione et fossione in deserto Deus dedit, quibus quasi charitatis vinculis eum alligavit : quæ fuerunt typus Eucharistiae. Unde

Allego- Allegorice, traxit nos Christus in funiculis Adam, cum pro nobis factus est Adam, id est homo, caro nostra, et frater noster, ut docendo, patiendo, et moriendo pro nobis, nos ad se et ad Deum traheret, ac terrenum Adam redimeret, transformaret, faceretque cœlestem; cumque hominum morbos, tam corporis quam animæ curavit, inquit Theophylactus et Rupertus, ac præsertim cum quasi nutritius Ephraim, corpus et sanguinem suum nobis dedit in Eucharistia. Hic enim est funiculus Adam, quo nos sibi Deoque astrinxit. Est enim Christus in Eucharistia «amor amorum,» ut ait S. Bernardus, serm. *De Cœna Domini*. Ita Delrio, *adagio* 956. Audi et S. Hieronymum: « In tantum dilexi, et tam demens pastor fui, ut morbidam ovem humeris meis ipse portarem : ipsi vero ignoraverunt quod mea illos passione curarem, et qui amator sum hominum omnium, traherem eos ad credendum in vinculis charitatis. »

Symbolo- Symbolice, Paulus a Palatio : Funiculi Adam, ait, sunt leges veteres datae Judæis, et multo magis novæ datae Christianis : haec enim ligant, id est obligant populum quasi funiculi, suntque Adam, id est hominum, non bestiarum : quia humanæ sunt, et rectæ rationi ac æquitati conformes. Eadem sunt vincula charitatis : quia finis legis est charitas, ut scilicet nos ducat ad amorem Dei et proximi. Tales et debent esse leges humanæ, scilicet vincula charitatis, non tornina cupiditatis : quia publicæ utilitati, non propriæ aviditati serviant oportet.

Tropolo- Tropologice, disce hic amorem esse telum vio-
gice, lentissimum, quod hostes expugnat, imo immu-
tum, et ex inimicis facit amicos. Errat hic mundi
violentis- sapientia, quæ hostem odiis, maleficiis et plagiis
simum. vult vincere, cum iis magis accendatur odium et
hostilitas. Vera ratio vincendi hostem est, eum
vincere amore, et vincere beneficio. Vedit hoc
Philippus Macedo, qui, ut testatur Plutarchus in
ejus Vita, cum capitaneum quemdam haberet,
qui jugiter illi ejusque famæ detrahebat, censem-
tentque amici eum terrore et minis compescen-
dum, Philippus, aliis armis utens, misit ad eum
magnam pecunia vim, addens, si plura cuperet,
se plura daturum. Hoc dono vineta est ejus lin-
gua, victa maledicentia, ac qui primo Philippum
carpebat, nunc eum laudabat, et in cœlum eve-
hebat. Mirabantur amici doni ignari tantam in
calumniatore mutationem ; quibus Philippus : « En, ait, in mea manu est facere, ut detractores
mei sint laudatores. » Idem obsessurus arcem
in rupe sitam, cum sui dissuaderent, dicerentque
eam esse inaccessiblem, ideoque inexpugnabilem,
rogavit num asinus onustus auro eo ascendere
posset ? asserentibus viam patere asino : Ergo,
inquit, accessu et expugnatu facilis est. Quare
submissa ingenti auri vi arcis præfectum sibi
devinxit, fecitque ut arcem sibi dederet. Nimirum
« validius et facilius aureis hastis pugnatur, quam

ferreis. » Norunt hoc sapientes principes et duces. Docuerat id Philippum Apollo Pythius, dum ab eo consultus respondit :

Si telo ex auro pugnaveris, omnia vinces.

Seneca, epist. 9 *ad Lucilium* : « Si vis amari ama. » Et Poeta :

Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.

Hoc non fit verbis : Marce, ut ameris, ama.

Praeclare S. Chrysostomus, hom. 13 *ad Popul.*, ex-
plicans illud Christi : *Omnia ergo quæcumque vul-
tis ut faciant vobis homines, et vos facite illis,* ait : « Vis beneficia capere ? confer beneficium alteri : vis laudari ? lauda alium : vis amari ? ama : vis partibus primis potiri ? cede illas prius alteri. »

ET ERO EIS QUASI EXALTANS JUGUM SUPER MAXIL-
LAS EORUM. — « Ero, » id est eram : sicut paulo ante
« traham, » id est traxi. Sequitur enim, « et declin-
avi » in præterito. Jam quoad sensum, Albertus
explicat, q. d. Faciam ut maxillæ eorum preman-
tur jugo Assyriorum. Unde Symmachus vertit :
*Putaverunt quod imponerem jugum super maxillas
eorum.* Jugum scilicet, vel hostis, vel legis meæ,
quam ipsi æstimant durissimum esse jugum.
Melius, allii contrarie exponunt, q. d. Exaltabo, id
est auferam ab eis jugum aliarum gentium. *Tertio,*
Septuaginta vertunt : *Ero eis quasi dans alapas ho-
mo super maxillas ejus.* Quod explicans S. Hiero-
nymus : « Quia, inquit, non sua sponte currebant,
sed vinci funibus trahebantur, paululum maxil-
las eorum verberavi, non puniens, sed corrigens
et emendans. Judex lacerat carnes, torquet funi-
culis, flagellis atque ignibus cruciat : qui autem
pater est, lascivientem filium palma percutit ma-
nus. » Sic et Cyrillus et Theodoretus per alapam
hominis accipiunt castigationem levem, qua Deus
quasi pater leniter castigat suos, quasi pueros :
« quem enim diligit Deus, castigat. » Imo aliqui
hæc accipiunt de alapa qua pater leniter tangit
maxillas pueri, quasi applaudens ei poppysmo
blandientis, ut doceant Dei alapas non esse aliud
quam plausus quosdam, et manuum collisiones,
quibus equisones, seu porphyzontes voce simul
et manuum tractatione equos animare solent, et
indomitos cicurare, uti Deus hic cicuravit Israelem.
Ita Delrio, *adagio* 957. Quare minus recte Leo
Castrius hæc refert ad alapam a milite datam
Christo in passione, coram Caipha pontifice; præ-
sertim quia ipse contendit in Hebreo pro *exaltan-*
τιον ol, id est *jugum*, legendum esse *exaltan-*
τιον, iad, id est *manum*, scilicet ad dandam
alapam. Quod est contra omnes codices.

Sed quæres qua ratione et qua allusione ad rem
rusticanam in nostra Versione dicatur : « Ero eis
quasi exaltans jugum super maxillas ? » Nec enim
rustici exaltant jugum super maxillas, sed super
collum, vel cornua boum. *Primo*, Ruffinus censet
alludi ad boves qui trahunt currus : « In quibus,

inquit, juga cum solvuntur, eriguntur; » cum enim boves e curru solvuntur et abeunt, elevatur currus temo, qui pariter secum elevat jugum. Verum solutis bobus solet et jugum eorum solvi, nec dimitti alligatum temoni. Adde hic magis ad boves arantes, vel triturantes, quam ad currum trahentes respici. Alludit enim ad id quod paulo ante dixit cap. x, 11: « Ephraim vitula docta diligere trituram, et ego transivi super pulchritudinem colli ejus: ascendam super Ephraim, arbit Judas, » etc.

Secundo, alii censem respici ad morem rusticorum, qui ad singulos sulcos elevant jugum boum ad caput et cornua, ne eo collum nimis incalescat et gravetur. De eo enim sic præcipit Columella lib. II, cap. II: « Suleum longiorem facere quam pedum centum viginti contrarium est pecori, quoniam plus æquo fatigatur, ubi hunc modum excessit. Cum ventum erit ad versuram, in priorem partem jugum propellat, et boves inhibeat, ut colla eorum refrigerescant, quia celeriter conflagrant, nisi assidue refrigerentur; et ex eo tumor, ac deinde ulcera invadunt. » Ita Figuerius. Verum hæc spectant elevationem jugi ad caput et cornua, non vero ad maxillas, quod quærimus.

Tertio, verisimilius Sanchez censem per *jugum* hic significari capistrum, quod os boum et maxillas tegit et stringit, ne inter arandum germina carpant: hoc enim capistrum alligatur jugo, ne boves caput demittant, sed eo erecto incedant. Hoc enim faciendum esse docet Columella loco citato: « ut boum colla, inquit, minus labefactentur, jugumque melius aptatum cervicibus insideat. » Cum enim boves ab arando vel triturando cessant, elevatur et aufertur jugum, unaque capistrum quod erat ori et maxillis alligatum; imo subinde inter arandum et triturandum agricolæ laxant elevantque capistrum a maxillis, ut boves caput demittere, et germina vel grana quæ triturant carpere et edere possint. Sub jugo ergo hic intellige frenum sive capistrum: hoc enim proprie tangit maxillas, et elevatur super eas, ut boves comedere possint. Unde et sequitur: « Et declinavi ad eum cibum, ut vesceretur, » q. d. Israel quasi traxit jugum meum peregrinans per desertum 40 annis; sed cum aliquid laboris et modestiae subivit, in tam diuturno et difficili itinere, ego sic eum relevavi et refeci, sicut agricola solet laborantem bovem, a quo jugum et laborem amovet, ut suis se temporibus pabulo reficiat et restauret.

Quocirca optime Hebræa vertit Chaldæus: *Venun meum fuit sicut bonus agricola, qui allevat humerum boum, et relaxat (frenum) in maxillas eorum.* Alludit enim ad vitulos vel boves arantes et triturantes; his enim comparavit Israel cap. x, 11, quibus jugum cervici, capistrum ori imponitur, ut assidue arent vel triturent, nec ab hoc opere divertere possint os segeti vel cibo admovendo: hos agricola, si clemens et benignus sit, subinde

a jugo solvit aut laxat, ut quiescant et comeant, q. d. Pari modo ego cervicem Israeli jugo, maxillas capistro liberavi, dum in deserto hostium arma et jugum ab eo averti, fecique ut a labore itineris saepè interquiesceret, « et declinavi, » id est demisi e cœlo manna, quo « vesceretur. » Ita S. Hieronymus. Exaltatur ergo jugum super maxillas, cum ab illis attollitur et aufertur, aut, ut Vatablus, cum more rusticano e collo boum aufertur, et in cornibus eorum suspenditur, ut per maxillas dependeat et defluat. Sic enim respirant boves, et refocillantur aliquantulum in mediis arandi et triturandi laboribus. Allegorice, Christus exaltat et aufert a nobis jugum peccati, dæmonis et concupiscentiæ, dicens: « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » Matth. xi, 28. Aut enim tentationes et difficultates tollit, aut sua gratia ita eas emollit, ut hoc earum jugum non videatur maxillas strin gere, neque collum arctare.

Et DECLINAVI AD EUM UT VESCRETUR, — id est, ut Symmachus et Vatablus, *declinavi ad eum cibum*: hunc enim significat hebreum אָוְכִיל ochil: quod alii vertunt, *comedere faciam*, puta tum bona terræ Chanaan, tum manna, quo Israelem alui in deserto. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Haymo, Albertus, Lyranus et alii. Allegorice per manna accipe Eucharistiam, qua Christus suos alit, de qua ait S. Hieronymus: « Declinavi (ego Christus) ad eos, deserens regna cœlorum, ut cum eis vescerer assumpta forma hominis: sive dedi eis esum corporis mei ipse et cibus et conviva. »

Pro *declinavi*, hebraice est עָזַת, quod per apocopen ponitur pro עָזֵת at, futuro *hiphil*, a radice עָזַת nata, id est declinavit. Aliqui *at* accipiunt ut adverbium, significans *quiete*, quasi dicit: Exaltavi jugum gentium, abstulique a maxillis Israel, fecique ut quiesceret a bellis in Chananæa per Josue, utque quiete ejus frugibus vesceretur. Sed hæc significatio et versio dubia est et incerta. Docti enim Hebræi censem *at*, cum adverbiascit, significare *abscondite, clam, tecte*, a radice עָזֵל laat, id est *abscondit*.

5. NON REVERTETUR IN TERRAM ÆGYPTI. — Est hic Vers. 5. oratio pathetica, ideoque confusa, in qua multa supplenda sunt: Deus enim hic induit pathos parentis, vel nutricis zelotypæ, q. d. Ego tanta charitate, tot beneficiis affeci et allexi ad me Israelem; sed ille cor habet algidum, et a me aversum, ad me reverti non vult, sed reverti cogitat in Ægyptum, ut ejus opem implorebat contra Assyrios. Quid ergo? impune hoc feret? Non feret: sepiam viam ejus spinis, faciamque ut viis ab hoste obsessis in Ægyptum reverti nequeat, utque Assyrius eas ex improviso præoccupet, et in Assyriam captivum abducat, sitque « Assur ipse rex (imo tyrannus) ejus. » Unde Chaldæus vertit: *Non revertentur in terram Ægypti, sed Assur (puta Salmanasar) dominabitur eis.* Ita S. Hieronymus, Albertus, Lyranus, et Hugo. Aliter Arias, q. d. De-

bebant ire et opem implorare, non *Ægypti*, nec Assur, sed Domini Dei, ut *tò revertetur* non rem futuram, sed debitum et obligationem significet, idemque sit quod *reverti debet*: sic enim Hebræi subinde loquuntur dicentes: *Hoc non fiet*, id est hoc fieri non debet (1).

Vers. 6.

6. CORPIT GLADIUS, — q. d. Jam Assyrii per cre-

(1) Hunc versum Rosenmuller sic intelligit, inquit Maurer: *Non revertetur ultra*, ut nuper fecit, Ephraim in terram *Ægypti* ad auxilia petenda; nam *Assyrius*, cui inde a temporibus Menachemi tributarii fuerant, II Reg. xv, 19; sed nuper, *Ægyptiorum* auxiliis freti, ab eo defecerant, II Reg. xvii, 4, hic erit rex *ipsius* solus, ut proprium regem non habeant, nec auxiliarem *Ægyptum*. Quam eamdem sententiam jam secutus est Hieronymus, qui quando dicit, *non revertetur in terram Ægypti*, ostendit quod reverti cupiat, sed ire non possit. Eamdemque sententiam recentiore ætate post plures alias nuper fecit suam Hesselbergus. Quanquam vero, pergit Maurer, hos si sequeris interpres, verba sensum fundunt historiæ convenientem, ut mirari satis non possim Dathium ad cap. xi, 4 et seqq., coactam dicentem hanc explicationem et historiæ contrariam; tamen eam damnandam duco, et נַלְוָה, vocula cum Kuinælio et aliis pro נַלְוָה, interrogantis sumpta (cf. Jon. iv, 11) locum ita existimo interpretandum: *Nonne igitur redibit*, id est, proinde redibit in terram *Ægypti*, patria expulsus iterum projicietur in *Ægyptum*, pristinum servitium passurus, et *Assyrius*, is erit rex ejus, pars in *Ægyptum* exsules discessuri sunt, pars in *Assyriam*, quia noluerunt redire, se convertere ad me. Quam interpretationem ut sequar, primum me movet membrorum parallelorum cap. vii, 11; ix, 3; xi, 11; xii, 2, natura atque indoles; deinde significatus quem cap. viii, 13, et ix, 3, sub בְּשֻׁבָּה schoub, vocabulo subjicit vates; denique, quod verba hunc in modum intellecta mirifice concinunt cum iis quæ supra vers. 4 dicta sunt, et dicentur infra vers. 11. Ac primum quidem quatuor quæ laudavimus paria parallelorum ita comparata sunt, ut singulorum membrorum nulla appareat oppositio, sed perfecta sensus æquabilitas. En ipsa (textui hebraico sufficiimus Vers. Vulgat.):

Cap. vii, 11, *Ægyptum* invocabant;

Ad *Assyrios* abierunt.

xiii, 1, Fœdus cum *Assyriis* initit,
Et oleum in *Ægyptum* ferebat.

ix, 3, Reversus est Ephraim in *Ægyptum*,
Et in *Assyriis* pollutum comedit,

xii, 11, Avolabunt quasi avis ex *Ægypto*,
Et quasi columba de terra *Assyriorum*.

Igitur facile tibi persuadeas, verba ejus quem tractamus loci ita capienda esse, ac si scripsisset vates:

Nonne revertetur in terram Ægypti
Et Assyrius ipse erit rex ejus?

Deinde præter illa qua leguntur cap. ix, 3, etiam qua cap. viii, 13, habentur verba, *ipsi in Ægyptum convertentur*, exsilium minari Israelitis, minime vero auxilium ab *Ægypto* petitum respicere vidimus ad illa ipsa verba. Itaque si usus loquendi propriis aliquid ponderis habet, בְּשֻׁבָּה schoub, reverti, verbo hic idem quo gaudet, illis in locis tribuendus erit significatus. Denique si verba hoc modo accipimus, eorum cum vers. 1 et 11 summus erit concentus. Sic enim vocati olim ex *Ægypto*, vers. 4, hic dicuntur in *Ægyptum* reddituri; sic promissa vers. 11, revocationi ex *Ægypto* et *Assyria*, hic respondet in easdem terras ejectio. Eundem loci sensum faciunt Mangerus et Eichornius (Maurer). Hanc equidem explanationem, licet paulo longiore referre utile nobis visum est, eo quod forsitan magis hujus loci genuinum sensum exponit

bras excusiones cœperunt vastare, et occidere Israelitas, nec desistent donec « electos et capita », id est consiliarios (ut habent Hebræa) et principes eorum cum tota gente consumant. Id ita factum esse patet ex historia lib. IV Reg. xv et sequent. (2).

7. ET POPULUS MEUS (Israel) PENDEBIT AD REDITUM Vers. 7.

MEUM (q. d. Israel animo pendulus sperabit et expectabit, ut ego de more rediens liberem eum ab Assyriis, qui velut recedens jam eum deserueram, sed falleatur: quia enim ipse in sua contra me rebellione et vitulorum cultu persistit faciam, ut) JUGUM (Assyriorum) IMPONATUR EIS (omnibus) SIMUL (nemine excepto), QUOD NON AUFERETUR, — sed erit perpetuum. Ita S. Hieronymus, Albertus, Haymo, Clarius et alii.

Secundo, q. d. Israel pendet et hæsitat an ad me converti et redire velit, necne. Ita Leo Hebræus et Chaldæus qui vertit: *Populus meus hæsitat se convertere ad legem meam*. Accedit Arias, qui explicat, q. d. Israel superbus et pervicax non vult prior me de reconciliatione compellare, sed expectat ut ego prior ei reconciliari postulem, quasi ego sim offendens et reus, ille offensus et actor.

(2) Versus posterius membrum juxta hebræum textum sic plurimi vertunt: *Confici et vectes ejus*, quod Vulgata vertit: « Consumet electos ejus » vectes, inquit Lackemaker (*Observatt. philol. part. VI, Observ. III*), rcpagula hic sunt, quæ portis ab interiori parte obducuntur, ut nisi summa vis adhibeatur, aperiri nequeant. Portæ olim præ cæteris urbium partibus munitione instrui solebant valida, quod per eas facillimus alioquin hosti ad urbem esset aditus. Hinc factum, ut portæ in sacris litteris pro tota ponantur *urbe*, et *portam* is possidere dicatur, qui ipsam tenet urbem, quia portis occupatis nihil erat, quod ipsius urbis occupationi impedimento esset. Itaque portæ tum aliis rebus, tum pessulis præsertim et repagulis firmis diligentissime muniebantur. Hec Propheta confectum iri, absumptumque nuntiat, id est hostem illa convulsurum, excussurum, ferro rescißurum, vel et igne destructurum.

Alii בְּנֵי בָּדָא vectes ejus, nonnulli tropici de viris fortibus, seu principibus Israelis intelligentes putant. « Quos equidem minime reprehendo, inquit Lackemaker, cum viri animo forti ac imperterritu apposite vectes dici possint ac repagula populi, quod corpora sua, veluti pessulum quendam hosti urgenti objicientes, progressum ejus impediunt, Horatii instar Cocletis, qui solus in ponte Tuscorum sustinuit impetum, hoc ea propter Livius (II, 10): id munimentum illo die fortuna urbis Romanæ habuit. Sed quia tropo tali usos Hebræos esse nusquam alias reperio, ac præterea commate præcedenti de obsidione agitur urbium, quibus munimentum quoddam præcipuum portæ præstabant repagulis probe obstructæ, prouium sensum præferendum duco.

Attamen simillimum tropum, inquit Maurer, habes in hoc ipso scriptore, supra cap. iv, 18, ubi צְבָא מִגְנָן magenei arets, clypei terræ, poetice vocantur *principes eam protegentes*. Eundem vide Psalm. xlvi, 10. Licet igitur ipse Maurer nihilo secius proprie accipiendum *badau* putet ea de causa, quod præcedit בְּעָרָעָה bearau, in urbes ejus, nos cum Rosenmuller tropicam interpretationem illud existimamus commendare quod *gladio* aptius homines confici et absumi quam *vectes* dicantur. Adde quod capita in secunda parte posterioris hemistichii rectius significant *consilia*, seu *consiliatores* eorum.

Huc quoque accedit R. David, quem sequuntur Pagninus et Vatablus, qui hebræum מִשׁוּבָתִ מִשׁוּבָתִ mes-
quibati, quod Noster vertit, *reditum meum*, vertunt, *aversionem*, vel *rebellionem meam*, huncque dant sensum : Israel in sua a me aversione undique pressus angustiis et hostibus hæsitat quid agere, quo confugere, cuius opem implorare debeat.

Nota : Pro *jugum imponetur ei* hebraice est, *ad jugum vocabunt eum*. Legit Interpres יְיֻ ol, id est jugum, aequo ac Chaldæus qui vertit : *Infirmatem gravem incidunt simul*. Jam legunt alio puncto יְיֻ al, id est altus, excelsus, puta Deus. Unde vertunt : *Ad Altissimum vocabant eum, q. d. Prophetæ vocabant Israelem ut ad Deum rediret*. Septuaginta vertunt : *Deus super pretiosa ejus irascetur*.

Rursum pro *non auferetur hebraice est, non exaltabit, vel non exaltabitur*, scilicet jugum, id est *non auferetur a maxillis Israelis*, uti exposui vers. 4. Alii aliud suppositum verbi subaudiunt, scilicet Theodotion, *non exaltabit*, puta eos Deus; Chaldæus, *non exaltabit*, supple *caput*, Israel depresso ab Assyriis; Vatablus, *non exaltabit*, supple *Israel Deum*, id est non laudabit, nec celebrabit Deum, quia ab eo avertit se ad idola, q. d. Hæsitat Israel an mecum in gratiam redditurus sit; et licet Prophetæ eum crebro vocent, ut ad Altissimum redeat, nemo tamen est qui ad Deum redeat, eumque exaltet et colat.

Vers. 8. 8. QUOMODO DABO TE EPHRAIM, PROTEGAM TE ISRAEL. — Pro *protegam hebraice est גַּדְלֵנִ amaghen*, quod si a radice גַּדְלֵ ganan, id est tegere, obtegere deducas, significat *obtegam, protegam*, et, ut Septuaginta ac Aquila vertunt : *Scuto circumdabo te*. Nonnulli tamen censent *amaghen* esse contrariae significationis (talia enim sunt multa Hebræorum verba, quæ aliquando unum, aliquando ejus contrarium significant); unde Theodotion vertit, ἀφοπλίσω σε, id est *nudabo te*, et *auferam a te ὅπλον*, id est *scutum*, quo te ante protexeram, ait S. Hieronymus, et Chaldæus, *exterminabo te*.

Secundo, si *amaghen* a radice גַּדְלֵ magan, id est tradere, deducas, significat *tradam te*, scilicet hostibus Assyriis. Ita Symmachus, Leo Hebraeus et Pagninus. Hi sensus licet verbotenus diversi, imo contrarii, in eumdem tamen sensum, quasi finem et scopum, collimant. Deus enim hic duas personas et duos affectus alternantes induit, scilicet amantis patris, qui filium peccantem punire ex amore refugit, et severi judicis, qui eum ut reum plectere destinat. Est enim in hac Dei interrogatione ingens pathos, in quo quasi luctatur amor cum dolore et ira, puta summa Dei misericordia cum ejusdem justitia et vindicta. Deus enim, ait Cyrus hic, quasi pendulus se versat utrinque, hæsitaque an protegere, an perdere debeat Israelem tam perditæ et profligatæ vitæ, ut ostendat quam ejus misereri cupiat, si resipiscere velit, quamque invitus ad ejus impunitentis excidium descendat. Sensus ergo est, q. d. « Quomodo dabo, » id est quid de te, vel tibi fa-

ciam, o Israel? protegamne te more sonio ut patet? at tua obstinata a me aversio et rebellio ob-sistit : tuaque scelera atrocia clamant in cœlum, et vindictam a me efflagitant. Perdamne te per Assyrios, ut Sodomam, Adamam, Seboim, urbes Pentapoleos? at quomodo id paternus meus in te affectus patietur? Cum Sodomam perdidisti, tactus fui dolore cordis intrinsecus : at nunc si te filium meum perdam, magis cor meum quam tuum, dolore sauciabo. Cor enim mihi findi, convelli et dissecari (anthropopathæ) videtur, si te, quem amavi ut filium, ut viscera mea, abjiciam, tradam Assyriis, vastem et disperdam. Quid ergo faciam? quo me vertam? vincet amor, an dolor? misericordia, an justitia? Vineat amor, vineat misericordia. Ait ergo :

CONVERSUM EST IN ME COR MEUM, PARITER CONTURBATA EST POENITUDO MEA. — Leo Hebraeus vertit : *Inversum est in me cor meum, simulque accensæ sunt in me pœnitudines meæ, q. d. Dum ita mecum luctor, misericordia et pietate paterna vincor. Itaque cor meum converto et invertio, muto sententiam, revoco decretum de exscindendo prorsus Israele; ac quasi pœnitens conturbor intimo animi sensu, percellorque quod eum omnino perdere voluerim. Non ergo eum exscindam ut Sodomam, sed castigabo ut filium; puniam, non ut perdam, sed ut emendem.*

9. NON FACIAM FUOREM IRÆ MÆ (ut eum exter- Vers. 9.
mine, prout scelera ejus postulabant. Denique)
NON CONVERTAR UT DISPERDAM EPHRAIM. — Ita S. Cy-
rillus, Hieronymus, Theodoreus, Theophylactus,
Albertus, Hugo et alii. Causam subdit :

QUONIAM DEUS EGO (sum), ET NON HOMO. — q. d. Non sum ego similis hominibus, qui in inferendo supplicio plerumque ex ira transiliunt metas justitiae : Deus sum, qui in puniendo non solum metas justitiae æquare non soleo, sed citra illas me contineo, ait Antonius Fernandius, *visione XXIX*, sect. III. Nimirum homo furore ebrius naturæ moderari nescit, ego scio; homo in vindictam se effundit; ego vindictam misericordia temporo, imo supero, in me enim misericordia superexaltat judicio : quantum ergo Deus homini, cœlum terræ eminet, tantum magnifica et divina clementia mea eminet justitiae et vindictæ, ipsisque omnibus hominum omnium sceleribus, quæ tam facile absorbet, quam mare sorbeat guttam aquæ. Ita S. Cyrillus, Theodoreus et alii.

Aliter Chaldæus et R. David, q. d. Homo offensus revocat promissa; at ego, licet offensus ab Israele, promissa tamen, quæ Abraham, Isaac et Jacob patribus ejus feci, servabo et opere præstabo.

Omnis ergo haec in bonum accipiunt; unus Arias hoc in malum accipit, q. d. Fixum maneat decretum meum de exscindendo Israele : « quia Deus ego sum, non homo, » q. d. Quia sum Deus immutabilis, non homo, qui facile flectitur mutaque sententiam. Verum perperam: cætera enim

omnia hic non vindictam et odium, sed sumnum amorem et clementiam spirant.

Moraliter, disce hic quam in offensis condonanter, quam dispar sit sensus Dei et hominum. Homo offendit prae- fense vindictam machinatur, Deus reconciliatio- venire. Homo punit ut perdat, Deus punit ut emen- offensum. det. Homo passione et ira, Deus ratione et justitia movetur. Homo stulte reputat sibi fore dedecus, si prior reconciliationem postulet: Deus id ipsum sibi honori dicit. Est haec mundana, imo diaboli- lica hominum magnanimitas, ut pertinaces sint in offensis et litibus; eaque de causa multi juges alunt inimicitias, quia neutra pars vult prior re- conciliationem, multo minus veniam, etiamsi of- fenderit prior, postulare. Concionatores eos de- doceant hanc mundi sapientiam, imo stultitiam et dementiam, ostendantque non dedecus, sed decus et laudem esse eximiam, si quis prior de reconciliatione adversarium interpellat. Hoc enim signum est animi liberalis, irae potentis, man- sueti, humani, imo divini: Deum enim ducem imitatur, qui prior nos peccatores sua gratia prævenit, et invitat ad redditum in gratiam. Vide S. Chrysostomum, homil. *De simultate et ira*, tom. V, ubi præclare docet honorificum esse præ- venire partem adversam, eamque invitare ad re- conciliationem; eo quod haec reconciliatio et præventio sit heroica virtus, ingensque bonum utrinque, cuius causa et auctor est non rogatus, sed rogans. « Qui enim prior venit, is, inquit, totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus iram relinquis, illi imputatur, cuius precibus im- petratum est. Non enim Deo obtemperans, sed illi gratificans legem adimplevisti. » Christus prior e cœlis descendit ad nos, ut nos ad se revocaret. Christianus ergo est, et Christi assecla, qui idipsum imitatur. Pusilli et arcti animi est fovere in- jurias, ampli et celsi eas abolere. Unde Moses postulans a Deo veniam rebellionis a populo admissæ: « Magnificetur ergo, inquit, fortitudo Do- mini, sicut jurasti, dicens: Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniuriam et sce- lera, » Num. XIV, 17. Sic Theodosius Imperator, teste S. Ambrosio, serm. *De ejus obitu*, benefi- cium se accepisse dicebat, cum ignosceret; quin et Hadrianus, licet gentilis, Imperator creatus di- xit sibi jam erectam esse facultatem injuriæ pri- vatæ ulciscendæ: quod imperatorem deceat non nisi publicas reipublicæ injurias vindicare, priva- tas vero condonare; ejus enim dotem propriam esse clementiam. Ita Sanchez, ad vers. 7.

IN MEDIO TUI SANCTUS, ET NON INGREDIAR CIVITA- TEM, — q. d. Hostes crudeles, dum civitatem ob- sessam capiunt, eam ingrediuntur, et vastant: non ita ego, non ingrediari urbes tuas ut eas vas- tem, quia sanctus sum, et in medio tui habito, ideoque cupio te corrigere et correctum salvare. Ita Ruffinus, Rupertus et S. Hieronymus. Non ergo ponam te ut Sodomam, sed tui reliquias conservabo imo te totam, o Jerusalem, sub Eze-

chia pio rege a Sennacherib tutabor et protegam. Hoc est enim quod prædictum Isaias cap. XXXVII, « 33: Non in trabit civitatem hanc, et non jaciet ibi sagittam. » Licet enim haec spectent ad Ephraim, tamen spectant quoque ad Juda et Jerusalem, uti jam dicam; magis tamen spectant ad Ephraim. Unde recte noster Prado in Ezech. IV, 3, sic expli- cat: « In medio tui sanctus, » id est, hucusque a te cultus et honoratus fui, « et non ingrediari civitatem, » q. d. Non ergo decet me civitatem Sichem (vel Samariam, quæ erat metropolis Ephraim) idolorum sentinam ingredi, quia de- crevi ejus cives servare. Sustinet enim Deus per- sonam judicis, qui advertere animum non vult ad ea quæ plectere recusat; ac proinde non in- greditur loca scelerorum, ne videns scelera, urgente justitia, cogatur ea punire.

Secundo, Hebræi, Haymo, Albertus et Hugo ex- ponunt, q. d. Ego in medio tui, o Israel, moror et color, nec te sedemque meam derelinquam, ut ingrediari aliam civitatem vel gentem. Hinc R. Salomon, R. Abraham, R. David, et etiam- num Judæi deliri existimant Deum tantum apud Judæos habitare. Huc accedit Chaldaeus, qui de Jerusalem explicat, q. d. Jerusalem est mea ci- vitas, ibi habeo templum, in medio ejus habito; non ergo illud deseram, ut aliud templum vel urbem ingrediari. Licet enim haec spectent ad Is- rael, id est ad decem tribus primario, secundario tamen spectant ad Judam; utrisque enim pro- phetat Osee, præsertim quia decem tribus pris- cum ex Dei institutione jus habebant ad Jerusa- lem, et ad templum, nec illud a se abdicare poter- rant, quantumvis ad idola deflecterent.

Tertio, q. d. Ego Deus dignor in medio tui ha- bitare, o Israel, esto nullam ingrediari civitatem aut locum, tum quia omnibus locis sum præsens, tum quia loco non egeo, nec capior: sum enim toti orbi infusus, effusus, et circumfusus. Ita Theodoreetus et Lyranus.

Quarto, aliter Sanchez, q. d. In te, o Ephraim, sunt aliqui sancti (ut Osee, Joel, Amos aliqua Prophetæ) qui in Sodoma totaque Pentapoli non fuerunt; qui si non omnino cohibere, obtundere tamen possint districtum gladium vindicis ira- cundiæ. Quare non ingrediari civitates Ephraim eo modo, quo olim per angelos sum ingressus Sodomam, ad ejus scelera videndum, et incendio vindicandum.

Moraliter, vide hic viscera charitatis, clemen- tiæ et dignationis Dei nostri, qua peccatores sce- leratissimos, quales erant Israelitæ, ad se trahere conatur in funiculis Adam; dolet et pœnitit, ge- mit et suspirat ex intimo corde, quod eos casti- gare beat, mutat et revocat sententiam de eo- rum excidio. Audi S. Hieronymum: « In medio tui sanctus, et non ingrediari civitatem, hoc est, non sum unus de his qui in urbibus habitant, qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur justitiam. Jus sumnum summa malitia

est; mea autem lex, meaque justitia est salvare correptos (4). »

Considerent hæc penitus theologi illi, qui ponunt in Deo reprobationem, vel positivam, vel negativam damnandorum, non ob eorum demerita, sed ex mero Dei beneplacito; censem enim Deum ante omnem prævisionem operum, imo ante prævisionem lapsus Adami et peccati originalis (uti illorum nonnulli volunt) ex hominibus hos, puta electos, absoluta et efficacia voluntate elegisse ad gloriam, illisque solis destinasse media et auxilia congrua et efficacia ad salutem; cæteros vero omnes, utpote damnandos, negligisse, reprobasse negative, et posuisse in serie damnandorum; ex quo infallibiliter flet, ut hi ad unum omnes damnentur; ideoque Deum negare eis auxilia congrua, imo (ut aliqui volunt) etiam sufficientia ad salutem, utpote qui statuerit eos relinquere in massa peccato originali damnata, ideoque permittere eos labi in peccata actualia, in iisque obdurari et mori, itaque dannari.

Quomodo, quæso, hæc consentiunt cum verbis Prophetæ nostri, et cæterorum omnium, in quibus protestatur, imo jurat Deus, se ex animo cupere omnium hominum, etiam peccatorum et obstinatorum (quales erant hi Samaritæ) salutem, nolle se eorum mortem et perditionem; de ea que ex intimis visceribus dolet et ingemiscit, ideoque assidue per Prophetas eorum scelera arguit, minatur pœnas, hortatur et invitatur ad pœnitentiam, promittens eis veniam et gratiam? Si quis rex aut princeps hæc omnia præstaret populo rebelli, nonne diceretur ab omnibus sincere summeque cupere, ut populus ad se sibique reconcilietur, itaque mortem rebellibus debitam evadat, vivat et salvetur? At Deus longe melior, benignior et clementior, longe sincerior, longe veracior est quovis rege aut principe.

Sane qui aliter sentiunt, videntur *primo*, Deo fucum vel hypocrisin ascribere, ut exterius dicat et promittat, quod interius non putat, vel vult. Si enim Deus damnandos omnes ante prævisio-

(4) Hanc Hieronymi explicationem sequitur quoque Rosenmuller, qui addit: « Quæ explicatio scitum defensorem nacta est Lowthum, *De sacra poesi Hebraeor.* prælect. xix. Est nimurum, inquit, in posteriori membro τὸ non ingrediar civitatem, parallelum et synonymum τῷ non homo in priori. Futurum ingrediar נִכְנָא abo habet vim frequentativam, non soleo urbem intrare, non sum urbicola. Est etiam in singulis membris pulchra inter se oppositio partium: *Sun Deus, et non homo;* est auxesis in sequenti, et paulum variatur ratio oppositionis: *sum Deus tuus tecum habitans, sed peculiari modo, extra ordinem, nec more hominum.* Nihil opinor clarius, nihil elegantius. » De quo Maurer: *Sed artificiosior ille mihi quam elegantior sensus videtur. Cum יְיָ ir verbum in hoc ipso scriptore significet servere, aestuare (vii, 4), fervendi autem notio facillime sèpissimeque transferatur ad fervorem iræ, nos non dubitavimus יְיָ ir nominis hoc loco tribuere iræ significationem aptissimam ad nexum non ingrediar, non veniam cum ira*

nem demeritorum rejicit et reprobavit negative, ergo interius in animo suo noluit eos salvare, imo voluit derelinquere ut perirent et damnarentur; ergo cum exterius per Prophetas dicit se velle eorum salutem, nolle mortem; simulate, et quoad speciem et apparentiam externam tantum id dicit: non enim revera et ex animo potest velle contradictoria, nimurum velle eorum salutem, eamdemque simul nolle. Ficta ergo et simulata (quod cogitare horret mens christiana, imo humana) erit illa Dei per Isaiam cap. v, 4, ad Judæos vox: « Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? » Et *Jerem.* cap. II, 5: « Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem? » Et vers. 12: « Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas. » Similibus querelis Dei plenus est Jeremias. Talia quoque sunt *Prov.* I, 24: « Vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. » *Ezech.* cap. xviii, 30: « Convertimini, et agite pœnitentiam, etc., facite vobis cor novum, etc.; et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, et vivite. »

Secundo, hæc sententia valde coarctat Dei clementiam et bonitatem, scilicet ad solos electos, qui pauci sunt; circa alios vero omnes, qui plurimi sunt, facit eum rigidiorem quam sit ullus rex Turca aut Tartarus in populum suum. Absit crudelitas a Deo benignissimo. Insuper reprobationem, damnationem, obdurationem, et consequenter peccatorum patrationem, quæ inde sequitur, ascribit Deo optimo et sanctissimo, ejusque providentia et curæ; cum et Scripturæ et rei natura doceat ea ascribenda esse peccatori. Cur Deo clementissimo illa tribuunt, a quo sunt alienissima, et non homini, cujus ea sunt propria? Clamat Osee cap. xiii, 9: « Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum. » Quam ergo perperam dicunt nonnulli: *Perditio tua, non tua, sed ex Deo est reprobante!* Quid enim est reprobatio, etiam negativa, nisi perditio, eaque extrema et æterna? Clamat Ecclesiasticus cap. xv, 11: « Non dixeris: Per Deum abest a me sapientia et scientia salutis: quæ enim odit ne feceris, » q. d. Non per Deum, sed per te stat quod non capessas viam salutis, quia facis ea quæ Deus odit, ac proinde a via ista recedis. Si enim non facias illa quæ Deus odit, accedet ad te Deus et sapientia, sive scientia sanctorum. « Non dicas: Ille me implanavit, » id est in errorem impulit: « Non enim necessarii sunt ei homines impii. » Jam si Deus ex se, ante prævisionem operum impios reprobavit, nonne recte dicere poterunt impii: Non per me, sed per Deum stat, quod primitus sim reprobatus ab eo; huic autem ejus decreto resistere ego non potui, nec reprobationem ejus eva-

dere : illi ergo imputanda est prima mei reprobatio, omnesque ejus effectus, non mihi. Quis enim ego sum, qui resistam Deo, ejusque providentiae seriem frustrer et evertam ?

Adde, reprobare, punire, damnare sunt actus justitiae vindicativae ; ergo non præcedunt, sed sequuntur et præsupponunt peccatum, et culpam reprobandi et damnandi. Princeps enim esset in justus et tyrannus, si subditos impelleret vel induceret ad peccata eo fine, ut eos posset punire, damnare et occidere.

Tertio. Christi Filii Dei unigeniti redemptionem et cœconomiam valde hi doctores extenuant, ejusque gratiam et gloriam imminuunt : nam eam ad paucos electos restringunt, atque cæteros ab ea reipsa excludunt, etiamsi nomine tenus partem ejus aliquam, aut potius apparentem aliquam umbram ad eos extendere videantur. Jam ex adverso, ex S. Scriptura et ex doctrina Patrum et Ecclesiæ constat, quod Christus hac de causa incarnatus sit, laboraverit, sudaverit, passus, crucifixus, et atrocissima quæque perpessus sit, ut omnes omnino homines, etiam eos qui sua culpa damnantur, redimeret, ut omnibus gratiam non tantum sufficientem, sed et copiosam ad salutem impetraret, pro eaque assidue Patrem oravit, atque ad eam omnes toto Evangelio ex animo invitat. Hinc amare flevit super Jerusalem, dicens : « Quoties volui congregare filios tuos ; quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? » Hac de causa per totum orbem misit Apostolos, quia scilicet, ut ait Apostolus I Tim. II, 4 : « Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. » Idecirco rursum singulis sæculis, imo singulis annis per urbes singulas, vicos et castella mittit prædicatores, qui doceant et invitent omnes ad ejus gratiam et salutem : ergo neminem ab ea exclusit vel excludit, nisi nolentem venire.

Quarto. multi ex iis qui damnabuntur sunt baptizati, pœnitentes et justi, in quibus omne peccatum, etiam originale, plane deletum et abolitum est. Ergo Deus eos tunc odisse, reprobare, negligere aut deserere nequit; sed amat, juvat, protegit et destinat ut fiant hæredes gloriae et regni sui, ut docet S. Scriptura, et Concilium Tridentinum, quod inter cætera ait, sessione VI, art. 11, Deum gratia sua non deserere justum, nisi prius ab eo deseratur.

Quinto. ex hac sententia Deus videtur insidiari saluti omnium eorum qui damnantur. Nam ante omnem prævisionem decrevit eos reprobare, utque hoc decretum sit infallibile et efficax, debet procurare illis passim offendicula et gratias inefficaces et incongruas, ut peccent justeque damnari possint, ut recte argumentatur Gregorius de Valentia. Hoc enim involvit id quod dicunt auctores illius sententiae, scilicet Deum ante omnem prævisionem ponere reprobos in serie damnationis et damnandorum.

Quocirca viri sapientes non pauci aversantur ista dogmata, et præsertim reprobationem tam negativam, quam positivam ante prævisionem operum et finis vitæ cujusque, eamque e cathedris et pulpitis eliminandam censem, tanquam Dei æquitati, sanctitati, bonitati et clementiæ, æque ac Christi redemptioni, meritis et charitati injuriam, quæque hominibus temorem ad bona opera, et pronitatem ad peccata ingerat, ad eaque sollicitet. Sane novi plures, qui ex illius sententiae prædicatione et doctrina, vel in desperationem, vel in insaniam acti miseri vixerunt; aliquos etiam qui se occiderunt. Semper enim decretum Dei de sua salute vel damnatione, quasi fatum quoddam ineluctabile, idque dubium et incertum, capiti suo impendens phantasie sue objicientes, nec illud excutere valentes, succubuerunt tandem, ac in diffidentiam, vel amentiam prolapsi sunt. Denique hæc sententia impulit Calvinum et hæreticos ad hoc, ut dicant Deum esse auctorem operum malorum, æque ac est bonorum.

Itaque sentiamus, dicamus, doceamus et prædicemus quod Prophetæ et Apostoli prædicarunt, scilicet Deum benignum esse in omnes, velleque et optare ex animo omnium salutem, ideoque reprobationis cujusque causam esse peccata propria, non quæcumque, sed ea tantum in quibus quis vitam finit; Deumque neminem reprobasse, nisi quem in peccatis moriturum prævidit, uti docet S. Augustinus lib. De Corrept. et Gratia, cap. XIII, et Prosper in Resp. ad cap. II et III Gallorum. Deus enim cuique hanc vitam dedit quasi stadium, in quo usque ad mortem decurrat et decertet: si rite decertarit, eum eliget, coronabit et glorificabit; si nequiter, eum reprobabit et damnabit. Quamdiu ergo in hac vita sumus, in via, stadio et agone sumus, id est in statu merendi gloriam, vel demerendi gehennam: in morte erit terminus, uti vita, ita et meriti vel demeriti. Quocirca in cujusque arbitrio est quamdiu vivit, vel bene agere, itaque mereri et eligi ad gloriam; vel male, itaque reprobari. Hoc est quod per Mosen Deut. XXX, 15, Deus Hebreis edidit: « Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum, ut diligas Dominum, etc., et vivas. » Et Eccli. cap. XV, 14: « Deus initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata facere, conservabunt te. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi. » Ita fecisse Deum cum angelis et Adamo clarum est, et satentur auctores illius sententiae; ergo et idem facit cum hominitus post lapsum: per Christum enim homines lapsos erigere, et in pristinum, imo altiore gradum restituere decrevit, et de facto restituere dignatus est, uti manifestissimum

est in iis qui baptizati et justi, imo magni sancti evaserunt, e quibus tamen postea nonnulli sua superbia, aliave culpa perierunt, et etiamnum pereunt et damnantur.

Hic sensus dignus est Deo, dignus Christo, dignus Ecclesia. Sentiamus ergo cum Sapiente de Deo in bonitate, a quo, ut ait Isaías cap. xxviii, 21, mala infligere vel inferre alienum est et peregrinum, proprium vero misereri et parcere. Nam, ut ait Psaltes : « Miserationes ejus super omnia opera ejus. » Et Sapiens, cap. xi, 27 : « Parcis autem omnibus : quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas ; » græce significantius, δέσποτα φιλόψυχε. Ipse ergo est φιλόψυχος, et, ut ait Apostolus, ad Tit. iii, 1, φιλάθθωπος, qui ex mero amore animas creavit, easque perditas Christi sui sanguine redemit, ac proinde non vult eas pereire, sed salvari, ideoque singulis gratias et media ad salutem sufficientia, imo copiosa et abundantia, ex immenso hoc amore quo eas prosequitur, suppeditat; ut qui pereunt, non Deo, sed suæ ignavie, vel malitiæ id triguere debeant, ut ait hic Propheta. Vide inter alios Gregorium de Valentia, I part. Quæst. XXIII, disp. i, puncto 3.

Dices : Deus elegit hanc rerum seriem, in qua prævidebat hosce, puta reprobos omnes, peccatores, ideoque damnandos : ergo voluit et intendit eos negligere, et reprobare ante omnem prævisionem operum. Cur enim eos posuit in hac serie rerum, in qua infallibiliter damnandi erant, nisi quia voluit eos abjecere ? alioqui enim possisset eos in alia serie, in qua prævidebat illos salvandos. Respondeo negando consequentiam : inde enim a pari sequeretur Deum intendisse peccata reproborum, quia ea pari modo prævidit in tali serie, in qua eos posuit, certo futura ; hoc autem dicere est impium et blasphemum. Causa ergo cur eos posuerit in tali serie, non fuit illa, quod intenderet eos reprobare aut damnare ; sed quia liberum ei fuit eligere seriem quamcumque voluit, præsertim quia prævidebat Deus quod quamecumque seriem eligeret, semper aliqui cum communibus gratiæ auxiliis (noluit enim omnibus dare extraordinaria et potentissima; hoc enim quasi privilegium paucis reservavit) ex arbitrii libertate, facilitate et fragilitate deficerent et peccarent, ideoque reprobarentur et damnarentur. Quod ergo hanc seriem de facto elegerit, in qua prævidebat hosce defecturos et damnandos; non illam, in qua prævidebat hosce in gratia perstituros et salvandos, sed alios defecturos et damnandos; hoc liberæ ejus electionis et potestatis fuit : est enim ipse summus rerum omnium Dominus. Taceo occultas alias hujus electionis causas, quas pluries in mente sua habuit et habet : has enim homini scrutari nec possibile, nec fas est; sufficiat nobis non fuisse hanc causam, quod hos præ aliis vellet reprobare ante prævisionem operum, uti jam ostendi. Nam dedit eis, æque ac aliis, communia gratiæ auxilia, cum quibus facile bene

vivere et salvari poterant et debebant (hocque volebat et intendebat Deus), sicut multi alii iisdem bene vixerunt, et salvati sunt. Tribuant ergo suæ libertati, fragilitati et negligentiae, non Deo, nec Dei reprobationi, quod gratiæ Dei cooperari strenue, prout res tanta poscebat, noluerint, ideoque reprobati sint.

10. Post DOMINUM AMBULABUNT (quia Dominus) vers. 10.
QUASI LEO RUGIET, — suoque metu percellet cogitque omnes ut se sequantur, et post se ambulant. Id reipsa factum est primo, cum Deus in vastitate et captivitate Isaelitarum rugiit et sœviit quasi leo. Tunc enim multi ex iis plagi fracti, et pavore Dei perculti, ad Deum redierunt, eumque in captivitate Assyriaca coluerunt et invocarunt, petentes veniam et liberationem. Ita S. Hieronymus, Haymo et alii.

Secundo, cum Ezechias convocabat et invitavit Israelitas in Jerusalem ad Dei cultum, II Para. cap. xxx. Rursum et potius, cum Judæi e Babylone redierunt in Judæam : tunc enim multi ex Israel, id est e decem tribubus, Judæis permixti, cum eis redierunt in Jerusalem, ibique in templo Deum coluerunt. Ita S. Cyrillus, Theodoreetus, Chaldaeus, Albertus et Hugo.

Tertio et maxime, Christo incarnato et prædicante, ac rugiente quasi leone, tum per se, tum per apostolos, multi Israelitæ tam ex Samaria et Judæa, quam ex Ægypto, Assyria omnique mundi plaga ad eum conversi sunt, et quasi columbae advolarunt, quos ipse collocavit in domibus suis, puta in particularibus Ecclesiis, ubi pie sancteque Deo servierunt, serviunt et servant. Ad Christum enim avolare hic Prophetam censem Hebrei, S. Hieronymus et alii passim.

Nota : Christus per se et apostolos evangelizans comparatur leoni : primo, quia ipse ut leo terrore et minis judicii et gehennæ terruit peccatores, et reipsa in judicio terribilitatem damnatos inflendo illis ignem æternum; secundo, quia uti leo quasi rex dominatur cæteris feris et animalibus, ita Christus dominatus est philosophis, sectis et erroribus, tam Gentilium quam Judæorum; tertio, quia summa auctoritate et majestate loquuntur quasi leo; quarto, quia summa et leonina fortitudine e captivitate peccati, diaboli et gehennæ veros Israelitas eduxit.

QUIA IPSE RUGIET, ET FORMIDABUNT FILII MARIS, — id est homines marini, v. g. insulani. Sic Isaïæ cap. xxiii, 10, Tyrus dicitur « filia maris, » quia insula; aut « filii maris, » id est Occidentis (mare enim Mediterraneum est ad occidentem Judææ; hinc mare in Scriptura significat Occidentem), hoc est occidentales populi, q. d. Remotissimi quique Israelitæ, qui in Occidentem profugerant, æque ac gentes occidentales, auditio hoc leonis, id est Dei et Christi, rugitu, « formidabunt, » hebraice נְרָבֵן iecherdu, id est trepidabunt, eique se subdent. Nam, ut ait Amos cap. iii, 8 : « Leo rugiet, quis non timebit? » Significat quod ad remotis-

simos quosque Israelitas, æque ac nationes, perveniet vox, terror, potentia et dominans gratia Christi.

Aliter Theodoreus; nam per *filios maris* accipit pisces, quasi dicat: Tam horrendus erit Dei rugitus, ut pisces etiam fugituri sint, et in maris imo se abdituri.

Mystice, *mare* est sæculum hoc varium, æstuans et tempestuosum: filii ergo maris sunt filii hujus sæculi, quos Christus rugiens percult et convertit.

Vers. 11. **11. ET AVOLABUNT QUASI AVIS EX AEGYPTO, ET QUASI COLUMBA DE TERRA ASSYRIORUM.** — Cum scilicet ego Deus rugiam per Cyrum proclamando libertatem, ut Judæi Babylone redeant in patriam, et multo magis cum rugiam per Christum, proclamando libertatem a peccato et gehenna, tunc Israelitæ inter gentes dispersi undique ad me confluent, scilicet a mari, id est ab occidente; ab Aegypto, id est a meridie; et ab Assur, id est ab aquilone et oriente, ut me duce redeant per Esdram in Judæam, et multo magis per Christum redeant ad Ecclesiam, quæ est prima verae eorum patria, ubi « eos in domibus suis » et sedibus, puta in localibus Ecclesiis, « collocabo. » Ita Chaldaeus, qui vertit: *Post Dominum ambulabunt, et verbum ejus sicut leo erit qui rugit: statim enim ac rugiet congregabuntur exsules ab Occidente. Sicut avis quæ aperte venit, sic venient qui in exsilium acti fuerunt in terram Aegypti: et sicut columba quæ revertitur ad columbare suum, sic redibunt qui deportati sunt in terram Assur, q. d. Israelitæ, æque ac gentes, leonis, id est Dei et Christi, augusta voce territi et exciti, ad eum ejusque fidem et sequelam confluent.*

Nota: Per Assyrios et Aegyptios, quaslibet regiones et gentes accipit per synecdochen: hos tamen præ aliis nominat, quia eo fugerant, vel abducti erant Israelitæ tempore captivitatis, indeque quasi columbæ revolarunt.

Quæres, PRIMO, quænam sit avis Aegypti, et cur ei comparetur Israel rediens e captivitate? Respondeo esse ibin, vel accipitrem; utraque enim Aegyptiis erat in honore, et sacra, imo divinis honoribus colebatur. Per eam ergo significat Israelis, non tantum celerem redditum, sed et indemnitatem, ac dignitatem, honorem et reverentiam, quibus ab hostibus ipsis dimissus honorifice et gloriose in patriam sit reversurus. Aegyptii enim, ait Strabo, e terrestribus tria coluerunt, scilicet bovem, canem et felem: e volatilibus duo, accipitrem et ibin: ex aquatilibus duo, sepidotum pisces et oxyryncum. Accipiter avis est rapax, ab accipiendo dicta, ideoque celerima. Unde Aethiopes, rem cito factam significatur, pingunt accipitrem; quod hæc aliarum ferme omnium avis sit velocissima, ait Diodorus, lib. IV, cap. I. Eadem a Virgilio, XI Aeneid., sacra vocatur, dum ita canit:

Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto,
Consequitur pennis sublimem in nube columbam.

Porro accipiter Aegyptiis erat in honore et veneratione. Primo, quia accipiter est hieroglyphicum solis, tum ob vim prolificam qua prædictus est; est enim inter aves secundissimus; tum quia vivacissimus est; tum quia jubar radiosque solis firmiter intuetur; tum quia oculos et visum habet acutissimum: unde Plutarchus accipitrem interpretatur Osirim et solem; Origenes eudem vocat Apollinis nuntium; tum quia trigesimo quoque die feminæ solet conjungi reque ac sol lunæ. Hinc et Zoroastres, teste Eusebio, dixit Deum accipitris habere caput; Deus enim est sol justitiae, Malach. iv, 2. Secundo, quia cæteræ aves dum in sublime tendunt, non recto, sed obliquo feruntur tractu: solus autem accipiter sublimipeta recto meatu volat. Tertio, quia accipiter symbolum est animi alati, ac in altum cœlumque evolantis, ac consequenter sacerdotis et sacerdotii; quod verum et legitimum solus Israel possidebat. Quarto, quia accipiter symbolum est gloriæ et victoriæ, tum quia agilitatis in volatu principatum obtinet; tum quia avis est pugnacissima et solertissima, quo fit, ut dimicans alias aves semper vincat, vincatur nunquam. Quocirca Darius, Persarum rex, qui sibi totius orbis victorias promittebat, pallam gestabat auro distinctam, in qua accipitres tres velut rostris inter se concurrebant, inscripta hac voce, οὐαντικόττας, id est *victoriosissimus*. Et Antiochus, tot victoriis illustris, accipitris cognomine vocari gestiebat. Hæc et plura tradit Pierius, hierogl. 21. cap. II, VI et XIX.

Ibis vero ita propria est Aegyptio, ut alibi non reperiatur. Ibis autem est ciconiæ species, excelsa, rigidis cruribus, procero rostro. Hinc Aegyptus in obeliscis et nummis representatur per ibin, tum quia ibis alibi quam in Aegypto vivere nequit; tum quia Aegyptus habet speciem Δ; unde et Delton vocatur; eamdem habet ibis, tum in rostro, si illud patefaciat; tum in incessu, quo pedes ad æquales trianguli lineas deducit. Porro ibis Mercurio dicata erat, qui totius cordis et sermicationis dominus habebatur: hinc et cordis est symbolum, præsertim quia ibis mirifice cordi confert, uti asserunt medici: et quia ibis duas aequæ drachmas ponderat, teste Plutarcho; quod utique pondus est cordis pueri recens nati. Insuper ibis, rostro purgans alvum, docuit homines usum clysteris; hinc sanitatis et salutis est symbolum, præsertim quia, ut ait Cicero lib. I De Natura deorum: « Ibes maximam vim serpentum conficiunt, itaque avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo in vectas interficiunt atque consumunt: ex quo fit ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ. » Unde Poeta vocat « saturam serpentibus ibim. » Hinc et scribit Josephus, lib. II Antiq. v, Mosen copiis Aegyptiorum a Pharaone præfectum, cum in Aethiopas castra moveret, quia per loca serpentibus plena profecturus erat, vim ibum ingentem papyraceis arcis inclusisse,

iiisque in serpentes immissis, ab iis illæsum in Æthiopiam penetrasse, eamque subjugasse. Hæc Pierius, *hieroglyph.* 34.

Columba cur vocetur avis Responso pri mo. Quæres, SECUNDO, cur «avem Assyriorum» vocat columbam, potius quam aquilam, et cur Israelem Assyriæ? reducem comparat columbæ, non alteri avi? Secundo. Respondeo primo, quia volatus columbæ directus est, æque ac constans. Secundo, quia apud Assyrios columbæ sacræ habebantur, et nefas erat eas occidere: unde tanta ibi crevit harum volucrum copia, ut accendentium mercatorum ora pervolarent. Hac de causa ait hic Osee: «Et avolabunt quasi avis ex Ægypto, et quasi columba de terra Assyriorum.» Hinc et Tibullus, lib. I:

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes,
Alba Palæstino culta columba Syro?

Testatur Eusebius, lib. VIII *Præparat.* v, se, cum ad Ascalonem Syriæ civitatem appulisset, miratum esse multitudinem columbarum, cumque causam rogaret, audivisse lege apud eos columbarum usum esse prohibitum. Causa fuit, quod adulatores Semiramidis, reginæ primæ Assyriorum, finixerint eam commutatam in columbam, eaque specie eam quasi deam coluerint. Quocirca Martialis, lib. XIII, de columba ita canit:

Ne violes teneras præduro dente columbas,
Tradita si Gnidæ sunt tibi sacra Deæ.

Tertio. Tertio, quia columba timida ad umbram etiam accipitris celeriter avolat. Nam, ut ait Poeta:

Terretur minimo pennæ stridore columba.

Ita Israelitæ timidi, data licentia a Cyro, statim e Babylone aufugerunt, et deinceps ad solum Babylonis et idololatrarum nomen trepidarunt, juxta vetus proverbium:

Timeo naufragus omne fretum.

Et:

Vitaret cœlum Phaeton, si viveret.

Quarto. Quarto, quia columbæ unice amant suum columbare, æque ac nidum et pullos; unde etiamsi alio abducantur, mox ut liberæ evadunt, eo statim revolant: quocirca columbis uti solent in obsidione urbium, quasi tabellariis. Obsessi enim per eas ad amicos ultro citroque litteras transmitunt et recipiunt. Ita iis usus est Brutus in obsidione Mutinensi, de quibus Poeta:

Quid vigil obsidio, quid arces
Aut valla prosunt, per spatia invi
Eunte cœli nuntio?

ait Plinius, lib. X, cap. xxxvii. Ita Christiani, Ptolemaidem obsidentes, per columbam tabellariam eam miro stratagemate obtinuerunt. Cum enim per columbam Sultanus misisset litteras, quibus se brevi obsidionem soluturum significabat, Christiani eam intercipientes, contrarias fictasque, Sul-

tani nomine inscriptas litteras, per eamdem in urbem miserunt, quibus significabatur Sultanum aliis districtum urbi succurrere non posse; ergo cum hoste optimis conditionibus componerent. Ita obsessi urbem Christianis dediderunt, uti narrat Egnatius, et ex eo Aldrovandus, Prolegom. in *Ornithol.*

Quin et patresfamilias, ut docet Lipsius lib. II *Saturn.* cap. vi, qui in theatrum aut circum ibant, unde non tam cito dabatur redditus, columbas secum in sinu ferebant, easque emittebant cum tabellis nuntias domum quid vellent, idque probat ex Varrone, lib. *De Rustica*, qui ait: «Columbas redire solere ad locum licet animadvertere, quod multi in theatro e sinu missas faciunt, atque ad locum redeunt, quæ nisi reverterentur non emitterentur.» Id maxime verum in columbis Syriæ et Palestinae, quæ etiamsi ad centum milliaria a columbari abducantur, si e loco alto libere avolare sinantur, statim directe mira vel odoratus vel naturæ sagacitate, ad columbare suum paucis horis revolant: quibus proinde etiamnum mercatores et cives, ut merces advectas aliaque nuntient, pro tabellariis utuntur. Nam eas secum deferentes ad portus, vel ad alias urbes, inde cum litteris domum remittunt, ut mihi Romæ narrarunt viri graves, qui in Syria vixerunt oculisque idipsum conspexerunt.

Idipsum fuse narrat et confirmat R. P. Stephanus Mantegazza Ordinis S. Dominici, in suo *Hierosolymæ Itinerario*, lib. II, cap. xxii et xxiii, ubi narrat se id vidisse Caii in Ægypto, additque in toto Oriente, incolas columbis uti pro nuntiis et veredariis, quibus parent, magno et pretii et temporis compendio, easque ad id edoceri: atque Godefridum Bullonium, qui terram sanctam ante sexcentos annos recuperavit, primusque e Christianis creatus est Hierosolymæ rex, in obsidione Hierosolymæ intercepisse columbam quæ a Sultanô cum litteris ad obsessos mittebatur: ipsum vicissim columbam cum litteris misisse ad obsessos in castello Hesareæ.

Hisce ergo columbis suis recte Israelitas comparat Prophetæ, q. d. Avolabitis e captivitate ad patriam, uti columbæ vestræ alicubi detentæ avolant ad suum columbare et nidum.

Tropologice, fidelis amet Ecclesiam, Religiosus suum Ordinem, uti columba amat suum columbare, et si quo casu inde abducatur, mox ut protest eo revolet, ut dicat cum Job, cap. xxix, 18: «In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies.» Et cum Psalte, *Psalm. LXXXIII, 4*: «Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum, sibi, ubi ponat pullos suos;» mea autem domus est templum, meus nidus altare, de quo subdit: «Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus et Deus meus,» q. d. Altaria tua sunt ad quæ anhelo, uti avis ad nidum suum. De his ait Isaias, cap. lx, 8: «Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?» vide ibi dicta.

Vers. 12. **12. CIRCUMDEDIT ME.**—Hic redit Osee ad sua tempora et ad pristinas minas. Unde Lyranus, Arias, Pagninus et Vatablus hinc inchoant cap. XII. Sensus ergo est, q. d. Cupitis scire causam cur non obstante mea tanta miseratione et amore, Ephraim æterna captivitate, uti jugiter inclamo, damnandus sit? Ea in promptu est, quia scilicet circumvenit me suo mendacio (negavit enim cultum mihi debitum), et reliquas tribus dolo: nam dolose eas seduxit ad colendos vitulos aureos, quos mihi astute substituit.

JUDAS AUTEM TESTIS DESCENDIT CUM DEO, ET CUM SANCTIS FIDELIS, — q. d. Judas autem non fecit sic, quia eodem tempore sub Ezechia pio rege, sua fide, cultu et vita Deo adhaesit, ad ejusque partes ab Israele neglectas, ideoque quasi inferiores, « descendit testis » veritatis, puta divinitatis Dei; itaque « cum sanctis » tum patriarchis et prophetis, tum potius sacerdotibus et levitis (hi enim in schismate Jeroboam retinuerunt cultum Dei, ideoque ex Israel ad Judam et Jerusalem configuerunt, ut patet II Paral. XIII, 9), « fidelis » Deo fuit, veramque ejus religionem et obedientiam fideliter, stabiliter et constanter (hoc enim significat Hebraicum נְמַנֵּם neemann) conservavit; ideoque cum excindetur Ephraim et Samaria, tunc Judas et Jerusalem stabit et florebit. Ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Emmanuel, Mariana et alii. Perperam Complutensia pro fidelis legunt fidelibus. Nota: Noster interpres legit יְהִי ed, id est testis; jam legunt יְהִי od, id est adhuc. Rursum יְהִי rad accepit ut infinitivum a יָרַד iarad, id est descendit: jam accipiunt ut praeteritum verbi יְהִי rud, id est dominatus est; unde vertunt: *Judas autem adhuc dominatur cum Deo.* Ita Chaldaeus, Leo Hebræus, Lyranus et Pagninus, quasi alludat ad luctam Jacobi cum angelo vices Dei gerente, cui cum prævaleret Jacob, vocatus est *Israel*, id est dominans Deo, Genes. XXXII, 28. Verum eodem redit sensus, q. d. Cum Ephraim vastabitur, Judas suum retinebit dominatum et sceptrum, quia cum Deo consentit et conspirat; retinet enim ejus fidem et cultum, quasi testis ejus fidelis; unde regnat adjutus et protectus a Deo, adeoque a Deo et cum Deo regnare videtur: Dei enim regnum terrenum erat in Juda, uti cœlestis est in cœlo. Unde Chaldaeus vertit: *Proles vero Juda validæ fuerunt in cultu Domini;* et Arabicus Alexandrinus: *Judas testis eum Deo remotus ab eis, et factus est fidelis et sanctus* (1).

(1) In aliud sensum abit N. G. Schröder, qui in *Observavit. ad orig. Hebr. cap. I, § 11*, Judæos minime a vate laudari, sed potius accusari, ut supra cap. V, 5, cap. VI, 4, et mox vers. 3, existimat. Quam sententiam parum profecto concinnam, inquit Rosenmuller, probatam fuisse miror Dathio aliquique recentioribus, qui ita vertunt: *Etiam Juda adhuc ultra citroque vagatur cum Deo, et cum sancto fido.* Hanc tamen sequitur Maurer, qui verbum hebraicum יְהִי roud vertit, ultra citroque ire, vagari, prorsus ut in Jeremiæ verbis, cap. II, 31, cur dicit populus meus: *Vagamur* (וְנִרְאֶנוּ radenou), non amplius veni-

Aliter Arias et Albertus, q. d. Judas stetit in cultu Dei quasi testis ejus fidelis, etiam cum descendit de splendore regni, dum scilicet Ephraim, id est Jeroboam, potiorem regni partem occupavit, eamque ad vitulos aureos abduxit.

Rursum Vatablus et Lyranus censem hic innui mysterium SS. Trinitatis. Nam pro fidelis vertit in dativo, et cum sanctis fidei: ac per τὸ sanctis, accipit Deum qui præcessit, in personis trinum, in essentia unum, q. d. Judas descendit cum Deo; cum Deo, inquam, qui sanctissimus est, ac ter sanctus in tribus personis (ut pluraliter vocari possit קָדוֹשׁ kedoscim, id est sancti, tum quia sanctissimus est, tum quia in eo sunt tres personæ sanctissimæ) æque ac fidelissimus. Simili enim modo et causa Deus vocalur Elohim in plurali. Verum primus sensus uti planissimus, ita maxime genuinus est. Porro Septuaginta hæc aliter dispungunt, itaque vertunt: *Circumdedit me in mendacio Ephraim, et in impietate domus Israel et Judas: nunc cognovit eos Deus, et populus sanctus vocabitur Dei;* Septuaginta sequitur Syrus: *Circumdedit me Ephraim in mendacio, et domus Israel et Juda dolo, donec descendit cum ipso Deo populus sanctus et fidelis;* et Arabicus Antiochenus: *Considerate (reperite modum) quomodo removeatis mendacium, o domus Ephraim, et iniquitatem, o domus Israel et Juda: quoniam jam cognovistis Dominum, et vocabimini Deo populus sanctus.*

Denique Hebræi hæc referunt ad transitum maris Rubri, de quo historiam vel fabulam hanc narrant, ait S. Hieronymus: « In exitu Israel ex Ægypto, quando ex alia parte mons, ex alia Rubrum mare, et ex alia Pharaonis cingebatur exercitu, et inclusus populus tenebatur; cæteris tribubus desperantibus salutem, et aut reverti in Ægyptum, aut bellare cupientibus, solus Juda fideliter ingressus est mare; unde et regnum meruit accipere; et hoc esse quod nunc dicitur: Judas testis sermonum Dei, et astipulator ac vindex descendit cum Deo in mare, et inter sanctos fuit fidelissimus, ut verbis jubentis crederet Dei. »

Verum quidquid sit de hac historia, certe de ea hic non agitur (esto eo alludi possit), sed de schismate Israelis facto per Jeroboam, in quo Judas fideliter perstitit in cultu veri Dei.

Moraliter, Judas, id est confessor et testis fidelis Dei, cum eo descendens in apostasia Israelis, est verus christianus, qui cæteris a fide, pietate, castitate vel justitia metu pœnarum, vel spe opum et honorum deficientibus, in iis cum Deo et pro Deo constans usque ad mortem persistit, eum jactura bonorum, famæ et vitæ. Sic toto pene orbe arianizante, unus pro fide Homousii invic-

Moraliter, tes-
tes fide-
les Dei
sunt
apostoli,
doctores
et mar-
tyres.
mus ad te. Qui locus, inquit Maurer, cum verbis præsentis cap. clarissimam lucem accendat, est quod mireris, ad aliena delapsos esse interpretes: longissime omnium a vero aberrant qui verba in bonam partem accipiunt. Quæ quam falsa sint, vel tertius ostendit versus (cap. XII) ubi Judæi minime laudantur, sed accusantur potius.

tus stetit S. Athanasius, quasi Atlas Ecclesiae, hæresimque profligavit, ac de ea triumphum egit. Horum dux et antesignanus est Christus; de quo ait S. Joannes, *Apoc. I*, 5: « Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ: qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. » Tribunus est Moses, dicens *Deuter. IV*, 26: « Testes invoco hodie cœlum et terram, cito perituros vos esse, » si a Deo ad idola desciscatis. Chiliarchæ sunt Apostoli, a Christo ad id deputati, *Act. I*, 8: « Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. » Signifer est S. Paulus, ad id a Christo electus, *Actor. XXII*, 15: « Eris testis illius (Christi) ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audisti. » Hinc ipse ait *Rom. I*, 9: « Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio. » Et *Philip. I*, 8: « Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi. » Et *I Thes-sal. II*, 10: « Vos testes estis, et Deus, quam sancte et juste, et sine querela vobis, qui credidistis, fuimus. » Primicerius est S. Stephanus, ut patet *Actor. VII*, de quo proinde ait Paulus *Actor. XXII*, 20: « Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam et consentiebam. » Prodromus est *Josue cap. XXIV*, 22: « Testes, inquit,

*Testium vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut Dei aies. serviatis ei. » Propheta est Samuel, *I Reg. XII*, 5:*

« Testis, ait, est Dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam » muneris, oppressionis, vel injustitiæ aut criminis. Milites sunt christiani, qui aliis ad haeresim, libidinem, aliave scelera deficientibus, persant in fide, continentia et virtute. Triarii sunt martyres, qualis fuit Antipas, qui bovi æneo includi et cremari maluit, quam Christi fidem negare, *Apoc. II*, 13: « In diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos. » Agmen claudent Elias et Henoch, martyres Christi futuri, et occidendi ab Antichristo, *Apoc. XI*, 3: « Dabo, inquit, duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.

Atque ut veteres præteream, illustre, idque recens et domesticum habemus exemplum quadraginta martyrum e Societate nostra, quorum Provincialis et dux fuit P. Ignatius Azebedo, qui anno Domini 1570, die 15 juli, missi in Brasiliam ad docendum et convertendum barbaros, juxta Palmarum insulam intercepti a pirata Calvinista, Jacobo Soria, segregati a cæteris omnibus laicis et Ecclesiasticis, qui eadem navi vehebantur, quia Jesuitæ, ad unum omnes pro fide Christi proque constanti professione religionis suæ confossi pugionibus, sclopis et lanceis, in mare præcipitati sunt; cum Ignatius quasi dux, elata in altum imagine B. Virginis, hortaretur omnes ad mortem et martyrium animose obeundum: qui proinde capite gladio diffisso, immotus mortem operiens,

tribus confossus lanceis vociferando cecidit: « Testes, inquit, appello mortales et angelos, me profidei catholicae Romanæ professione occumbere, a qua ne latum quidem unguem resiliendum censeo; » sociosque respiciens: « Filioli, inquit, mei, mortem ne expavescite, prælia fortiter prælium Domini; Deus vires suggesteret, qui coronas ostentat. Illi gratias agite, qui vos ad eas vocat. » Ei proximus Didacus Andrada, cum pugionibus confossus in mare præcipitaretur: « Pugnemus, inquit, socii fortiter, sanguinis prodigi: Christi enim sanguine redempti sumus. » Quocirca duo e sociis infirmi, qui facile latere potuissent, in pedes ultiro e lectulo desiliunt, injectaque veste seminudos se jugulumque offerunt. Quin et Joannes Sanctius, cum e Societate non esset, cæteris tamen sociis se adjunxit, ut hanc martyrii palmam aucuparetur; quam et obtinuit. Denique Emmanuel Alvarez martyrii ardore incensus, increpans haereticos, multis plagiis et vulneribus acceptis, contritis manibus, pedibus et ossibus, longa duraque nece emoriens: « Mihi, inquit, o fratres, nolite compati, sed potius invitete: profiteor enim palam me nunquam tantum bonum, tam gloriosam mortem promeritum; quindecim annis servivi Deo et Societati; oppido quam liberaliter Deus omnia obsequia mea, labores omnes hac nobili martyrii laurea compensat et remuneratur! » Ita Petrus Ribadeneira in *Vita P. Francisci Borgiæ*, lib. III, cap. XI: « Nimirum sanctorum vita est interpretatio Scripturæ, » ait S. Hieronymus, imo viva concio, lectorem delectans, docens et movens.

Præclare S. Clemens, lib. V *Constit. Apost. cap. I*: *Martyria elogia.* « Qui, inquit, propter nomen Domini Dei nostri damnatus est, hic est sanctus martyr, frater Domini, filius Altissimi, receptaculum Spiritus Sancti, per quem illuminationem glorie Evangelii singuli fideles acceperunt, cum digni habitu sunt immortali corona, et testimonio passionum ejus, ac societate sanguinis ipsius, ut conformarentur morti Christi in adoptionem. » Et S. Cyprianus ad Fortunat. *De Exhort. Martyr.*: « Martyrium, ait, est baptisma in gratia majus, in parte sublimius, in honore pretiosius: baptisma, in quo angeli baptizant; baptisma, post quod nemo peccat; baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat; baptisma, quod de mundo recedentes statim Deo copulat. » Et in fine: « Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cœlum: minatur Antichristus, sed Christus tuerit; mors infertur, sed immortalitas sequitur; occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur; vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, et quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et appearire eosdem statim ut Deus videatur et Christus? » Sicut balsami frutex incisus balsamum stillat sua-

vissimum, quo vulnera sanantur; ita martyres, secti et cæsi, virtutis suæ odorem et exemplum toto orbe sparserunt, quo infirmorum animi sanantur et ad idem decus excitantur; de quibus S. Chrysostomus, homil. De SS. Martyribus: « Flamma, ait, illos undique obsidente, ac scintillis in ulcera prosilientibus, et quavis fera crudelius vulnera vellificantibus, perinde atque si essent adamantini, et in alienis ista corporibus fieri cernerent, ita generose, ac cum ea quæ illos decebat fortitudine, in confessionis verbis constansse perseverabant; et in omnibus his malis durantes, simul et animi sui robur invictum, et Dei gratiam egregie præ se ferebant. » Deinde eos comparans soli: « Dum, ait, velut crocei quidam radii rivi sanguinis undique illis diffuerent, eorumque corpus multo quam cœlum sol ipse splendidius illustrarent. » S. Gregorius Nazianzenus, uti citat S. Maximus, serm. De Patientia, apogenum narrat arboris, quæ resecta pullulat, et cum ferro certat; et tantum abest ut moriatur, ut potius morte ipsa vivat, sectione germinet, ac decerpta succrescat. Arbor hæc, ait Nazianzenus, est « vir philosophus, qui infortuniis illustratur, et molesta quæque in virtutis materiam transfundit, ipsisque adversis venustatur. » Hunc Horatius, ode iv, lib. IV, ita pingit:

Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Nigra feraci frondis in algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Dicit opes animumque ferro.

Ita « nimirum juvat ire periclis ad Deum. »

Scribit Plinius, lib. XXXVII, cap. ix, et Isidorus, lib. XIII, cap. xvi, alectoriam gemmam esse crystallina specie magnitudine fabæ, quæ invenitur in ventriculis gallorum gallinaceorum, eaque usum Milonem Crotoniatem, in certaminibus invictum fuisse. Utut hoc sit, talis alectoria est animi constantia, quæ omnia hostium tela illæsa excipit et retundit, de qua Chrysostomus apud Nicetam: « Beatus, ait, ille undique petitus, firmius stetit, et sexcenta tela clypeo excipiens deditioñem non fecit, exhausit dæmonis pharetram, nec concidit, imo nec de gradu quidem tantisper motus est. » Sic est amianthus lapis, qui impositus igni ignescit, sed exemptus candidatus appetet et purior, teste Plinio lib. XXXVI, cap. xix. Sic est salamandra, quæ in igne vivit: proinde eam pro insigni assumpsit Franciscus I Galliarum rex, subscripto hoc disticho:

Ursus atrox, aquilæve truces, et tortilis anguis
Cesserunt flammæ jam salamandra tue.

Sed audi ipsos martyres e carcere scribentes et buccinantes ad S. Cyprianum, lib. V, epist. 12: « Quid gloriōsius, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interitum confiteri Dominum Deum? quam inter sævientia sæcularis potestatis

varia et exquisita tormenta, etiam extorto, et ex-cruciato, et excarnificato corpore Christum Dei Filium, et si recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam relicto mundo cœlum petisse? quam desertis hominibus inter angelos stare? quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis, in conspectu Dei jam se liberum sistere? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? quam immaculatam conscientiam de confessione nominis reportasse? quam humanis et sacrilegis legibus contra fidem non obedisse? quam veritatem publica voce contestatum fuisse? quam ipsam quæ ab omnibus metuitur moriendo mortem subegisse? quam per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse? quam omnibus sævitæ instrumentis excarnificatum et extortum, ipsis tormentis tormenta superasse? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse? quam sanguinem suum profluentem non horruisse? quam supplicia sua post fidem amare cœpisse? quam detrimentum vitæ suæ putare, non exisse? » O robora, o nobiles triumphi!

Quid superest? nisi ut classicum Apostoli Hebr. cap. XII, 4, audientes, eorum virtutis æmuli, cum Juda quasi testes fideles cum Deo descendamus in arenam, ac generose pro Christo, religione et justitia decertantes, eamdem, vel similem martyri palmam consequamur: « Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempla. » Nemo se excuset, dicatque: Felicia ista martyrii tempora jam transierunt, desierunt persecutores, transiit Nero, Decius, Diocletianus; nam hostis nulli deest: persecutor jugiter te infestat, nunc dæmon, nunc caro, nunc mundus: cum his acriter conflige, hos supera, martyr eris. Si socios, si mulierculas ad obscena te sollicitantes fortiter repudies, et cum Joseph effugias, martyr eris pudicitiae: si bonorum rapinas, fraudes, injurias patienter sustineas, martyr eris patientiae: si tui contemptum, depressionem, opprobria hilariter feras, martyr eris humilitatis: si Superioris jussa varia et ardua strenue capessas et adimplas, martyr eris obedientiae.

Ita B. Petrus Faber, primus S. Ignatii fundatoris nostri socius, ab eo per omnem vitam variis iussionibus mandatisque exercitus, tandem Romanum revocatus, licet medici ob intensos calores iter dissuaderent, maluit obedire quam vivere: vitam ergo quam in obedientia traduxerat, in obedientia posuit, ideoque inter alias in cœlo laureas hanc unam præcipuam obtinuit, quod sit hostia obedientiae. Post mortem enim apparet ipse cuidam personæ sanctæ, ostendit ei suam gloriam, cum lætissimus sæpius diceret se

Martyrium est
obedientia,
constantia,
mortificatio,
castitas,
etc.

obedientiæ nomine mortem oppetivisse, ideoque miris in cœlo gaudiis perfrui. Ita in ejus Vita, lib. II, cap. xxviii, narrat Nicolaus Orlandinus, idque se accepisse ex litteris R. P. Andreæ Oviedo patriarchæ Æthiopiæ asseverat.

Hoc est quod ait S. Bernardus, serm. 2 in *Festo omnium Sanctorum*: « Martyrii veri genus est paupertas voluntaria, » multo magis castitas et obedientia. « Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ille appetitus? An non merito coronabitur, qui sic certaverit mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et (quod gloriosius est) de semet- ipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem? » Idem, serm. 1 in *Octava Paschæ*: « Memento, ait, et unicum, et quotidianum esse baptismum, similiter et martyrium. Est enim et martyrii genus, et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est et baptismus aliquis in compunctione cordis et lacrymarum assiduitate. » Idem, serm. *De B. Virgine*, in illud Apoc. XII: « Mulier amicta sole, et in capite ejus corona stellarum duodecim, » duodecimam ejus stellam et gemmam assignat « martyrium cordis. » Ipsa enim, ut idem ait serm. 4 in *Cœna Domini*; fuit « martyr non ferro carnificis, sed acerbo dolore cordis: quam amare flebat, quam amare dolebat, » astans Christo crucifixo! Idem in *Sententiis*: « Martyrium sine sanguine triplex est: parcitas in ubertate, quam habuit David et Job: largitas in paupertate, quam exercuit Tobias et vidua: castitas in juventute, qua usus est Joseph in Ægypto. » Idem docet S. Augustinus, serm. 250 *De Tempore*: « Contra mortifera, inquit, blandimenta luctemur, scientes in eo etiam quotidiana martyria Christianis non deesse. » Et S. Gregorius, homil. 35 in *Evang.*: « Ferre, ait, contumelias, odientes diligere, martyrium est in occulta cogitatione. » Et S. Hieronymus in *Epitaphio S. Paulæ*, eam vocat martyrem: « Nam, inquit, non solum effusio sanguinis in martyrio reputatur, sed et devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est. Illa corona de rosis et de violis texitur, ista de liliis. »

Quocirea sapienter S. Pachomius (ut habeat ejus Vita) euidam monacho volenti claustris egredi ad captandum martyrium: « Frater, inquit, monachi certamen fortiter et strenue sustine, et cum vitam tuam nulli reprehensioni affinem ita gesseris, ut Christo placebas, habebis in cœlis communicationem martyrii. » Vide S. Cyprianum (vel quisquis est auctor), tract. *De Duplici martyrio*, passionis scilicet, et actionis, puta sanctæ vite: hac enim testimonium perhibemus Deo, illumque glorificamus æque ac illa: « Fidelis, inquit, tota vita martyrium, hoc est testimonium, reddat Deo: quod adeo negligendum non est, ut, nisi ea præcesserit, martyrium, quod sanguine perhibetur, non sit martyrium. Frustra enim cervicem præbueris carnifici, nisi prius occideris membra, quæ sunt super terram, hoc est, affectus qui militant adversus spiritum, odium, invidiam, superbiam, libidinem, » etc. Quisquis ergo satagit esse Judas et testis, cum Deo descendat in arenam, et persistat cum sanctis ejus fidelis. Huic enim utraque corona promissa est, et debetur dabiturque. Congruit enim ut qui cum Deo et Sanctis ejus fidelis descendit in arenam, cum eis pariter gloriosus ad palmam ascendat in cœlum.

Denique præ cæteris, Ecclesia martyribus annumerat eos qui, morbo laborantibus ministrantes ex charitate, eodem afflantur et emoriuntur. Exemplum illustre est in *Martyrologio Romano*, die 28 februarii, ubi sic legimus: « Alexandriæ commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, et aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis sævissima grassaretur, morbo laborantibus ministrantes, libentissime mortem oppetiere, quos velut martyres religiosa priorum fides venerari consuevit. » Ubi Baronius ex Eusebio, lib. VII *Histor. cap. xvi et seq.*, citat S. Dionysium Alexandrinum Episcopum, epist. *ad Hieracem*, de iisdem sic loquentem: « Ex Patribus qui virtute erant præstantissimi, in hunc modum mortem oppetierunt, quorum nonnulli erant presbyteri, alii diaconi, quidam e populo, virtutis ergo multum laudati: adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem et robustam fidem suscipiebatur, nihil a martyrii splendore abesse videretur. »

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Disceptat, litemque intentat Judæ et Israeli : Primo, quod pascat ventum implorando opem, non Dei, sed Ægyptiorum et Assyriorum. Secundo, quod ingratus sit Dei beneficiis, tam Jacobo patri præstitis, ut quod eum præelegerit et prætulerit Esau, quod eum fecerit Israel, id est dominantem Deo, etc., quam sibi; ut quod per Mosen eductus sit ex Ægypto. Tertio, quod Judas videns vanitatem et punitionem idolatriæ in excidio Israelis, eam tamen non caverit; unde offensus minatur ei necem ei opprobrium (1).

1. Ephraim pascit ventum, et sequitur aestum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat : et fœdus cum Assyriis iniit, et oleum in Ægyptum ferebat. 2. Judicium ergo Domini cum Juda, et visitatio super Jacob : juxta vias ejus, et juxta adinventiones ejus reddet ei. 3. In utero supplantavit fratrem suum : et in fortitudine sua directus est cum angelo. 4. Et invaluit ad angelum, et confortatus est : flevit, et rogavit eum : in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum. 5. Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale ejus. 6. Et tu ad Deum tuum converteris : misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper. 7. Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. 8. Et dixit Ephraim : Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi : omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi. 9. Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festivitatis. 10. Et locutus sum super Prophetas, et ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum. 11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes : nam et altaria eorum quasi acervi super sulcos agri. 12. Fugit Jacob in regionem Syriæ, et servivit Israel in uxorem, et in uxorem servavit. 13. In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto : et in propheta servatus est. 14. Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis, et sanguis ejus super eum veniet, et opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.

(1) Vulgata versum primum hujus capitis refert ad caput præcedens, ceu vers. 12, ad quem notat Paulus de Palacio : « Commodo apud multos hoc loco incipit cap. xi. Est enim materia nova, superiori minime connexa. » Hunc ordinem sequuntur recentiores interpres versus notando.

Hoc capite, inquit Rosenmuller, ex quorumdam sententia nova concio incipit, sequenti capite continuata, finita vero xiv, 1, duabus partibus constans, quarum prior contra Judam, altera (vers. 12 et seqq.) contra Ephraimum sit directa ; ita quidem ut in priori parte, oppositione inter Judæos et Israëlitas facta, Judam de præterita laudet constantia in pietate (1, 2) : eumdem vero de præsenti corruptione arguat (3), et duabus rationibus, quarum prima a justissima retributione Dei secundum bona vel mala cuiusque (3), id quod exemplo Jacob, patriarchæ probatur (4, 5); altera a Dei immutabilitate petita, ad penitentiam revocet (7), tandemque opposito exemplo impii et pertinacis Ephraim (8, 9), doceat, Jovam futuris temporibus Judam singulari favore prosecuturum esse (10, 11), unde denum transeat ad alteram partem hujus concionis adversus Ephraimum directam (12 et seq.). Alii vero et plerique interpres totum caput directe ad Ephraimum referunt, qui cum Juda comparatus deterior sit (1, 2), et corruptionis illi etiam auctor (3), adeoque degener prorsus a Jacobi patriarchæ pietate (4, 5), cum contra Deus ex sua parte semper sit idem (6), frusta ta-

men ob ejus pertinaciam in admittendis et defendendis sceleribus (8, 9). Unde Deus semper sibi constans, ex mente nonnullorum interpretum, ipsis exsilium minatur, secundum alios vero, ex mera misericordia promissionem de futura reipublicæ Israeliticæ restaurazione confirmat (10), ut qui non solum adhuc officio suo non defuerit, per prophetas variis modis locutus, sed etiam in posterum doctores et prophetas missurus sit (11 et seq.). J.-H. Merson in Progr. quod inscribitur : *Sistitur œconomia cap. XII Hoseæ* (Lips. 1788, 4), vatem vicissim et mutuo utrumque regnum, tam Judaicum quam Israeliticum, ab uno ad alterum transeundo, unum alteri implicando, graviter taxare et vituperare observat ; quorum enim criminum reos sese fecerant cives unius regni, eorumdem nomine accusari quoque poterant alterius regni cives.

Ex hac expositione constat quantopere dissentiant interpres, cum de nexu singularum hujus capitinis partium, tum de sensu phrasium et sententiarum. Hanc connexionem instituere sic aggredimur.

PRIMO igitur collationem instituit Propheta inter utrumque populum, et primo, reprehendit Israelis inobedientiam et hypocrisin, laudat fidelitatem Judæ, cap. xi, 12; secundo, exaggerat continuatam Israelis nequitiam, et ad homines perfugium, xii, 1; tertio, insinuat Judæ defecatum a pristina fidelitate, eique judicium minatur.

SECUNDO, jam Propheta Jacobi exemplum proponit popularibus suis, cuius fidem et pietatem imitentur. Simul

Vers. 1. **I. EPHRAIM PASCIT VENTUM.** — *Primo*, S. Hieronymus, Albertus, Clarius et Dionysius exponunt, q. d. Ephraim perdit oleum et operam, facitque rem inanem, inutilem et futilem, imo noxiam et impossibilem, dum, relicto Deo, ad idola et ad idololatras in afflictione et vastatione confugiens, ab eis sperat opem et salutem : perinde enim facit, ac si pastor ventum, velut gregem suum vellet pascere, ut eo se aleret et sustentaret : hoc enim futile est et noxium (ventus enim homine est potentior, eique flando noxam infert), imo impossibile. Pari enim modo Ephraim colit idola saxe, quæ juvare nequeunt, imo nocent : provocant enim iram et vindictam Dei. *Secundo*, ex Hebræo vertas : *Ephraim pascitur vento*. Unde R. David explicat, q. d. Ephraim colens vitulos, similis est homini aperienti os suum vento, et pascenti illum ex quo non vivit. *Pascor enim est verbum deponens, tamque accusativum regit, quam ablativum*. Unde Virgilius, lib. IV *Georg.*, ait : « Apes pascuntur arbusta. » Et lib. III : « Pascuntur vero sylvas. » Sic dicimus : Equus pascitur gramen, æque ac pascitur gramine. Itaque « Ephraim pascit ventum, » partim potest accipi active, ut *pascit* sit idem quod *pascitur vento*; sic Ovidius ait lib. II *Fastor.*:

Pascit ovis pratum, verbenas improba carpsit;

partim passive, ut *pascit* sit idem quod facit se cibum ventis, ut venti, puta Assyrii, eum devorent. Sic S. Augustinus, lib. V *Contra Crescent.*, explicans illud *Proverb.* cap. vi, 10 : « Qui nititur falsis, hic pascit ventos : id est, inquit, fit esca malis spiritibus. » Potius active accipendum hic videtur. Sic enim qui vana spe lactatur, aut seipsum lactat, dicitur *pasci vento*, aut *pascere* et comedere ventum.

Tropologice, ambitiosi pascuntur vento. Quid enim est honor, nisi popularis aura, et ventus in omnem partem mobilis, statimque evanescens? Sunt ergo quasi chamæleontes qui feruntur vivere et nutriti vento. Ita Sanchez. Similia huic proverbia sunt : Reti ventos venarisi : cribro aquam

commemorat Dei favorem erga eum : *primo*, jam in utero materno præferebatur fratri, 3; *secundo*, postea feliciter luctatus cum angelo, ab eodem benedicebatur, 4; *tertio*, deinceps Dei memor et cultor perennavit, 5; *quarto*, ad ejus exemplum opus præstandum a posteris declaratur, scilicet adhæsio ad Deum, misericordia et justitia custodia, ac spei perpetuitas, 6.

TERTIO, ab his virtutibus quam fuerint alieni Ephraimitæ, declaratur, *primo* : tantum abest ut exhortationi hunc locum concedant Ephraimitæ, ut potius Chanaanæos referant, 7; *secundo*, ne putaremus, inquit S. Hieronymus, Chanaan alium quempiam sentiendum, ponit manu*s*tu*s*ti*s*, qui sit iste Chanaan, scilicet Ephraim qui gloriatur se divitem esse, et de opibus fraude partis sibi gratulatur, tanquam de divini favoris argumento, 8; *tertio*, huius impiaæ agendi rationi opponit Deus promissionem divinæ quietæ et lætissimæ commorationis in patria, 9; et probat exemplis quo animo et modo sit, et ante fuerit in populum, tam mandatorum suorum atque beneficiorum

haurus : in arena ædificas : in saxis seminas : ignem dissecas : littus aras : Æthiopem lavas : lapidem elixas : laterem abluis : aranearum telam texis : surdo canis : undas numeras : arenam metiris : ferrum natare doces : aquam in mortario tundis : asinum sub freno currere doces.

ET SEQUITUR AESTUM. — Idem dicit alia similitudine. Pro *aestum* hebraice est קָדִים *kadim*, id est ventus orientalis, qui urens est et noxious, puta subsolanus, qui collaterales habet duos, scilicet Vulturenum ad septentrionem, Eurum ad meridiem. Unde R. David intelligit Euroaustrum. Chaldaeus vertit, *turbinem* : *Israel*, inquit, *seminat ventum, et metit turbinem*. Quin et S. Hieronymus alibi sepe *kadim* vertit, *Notum*, sive *Austrum*; imo Genes. cap. XLI, 6, vertit, *uredinem*. *Kadim* ergo significat omnem ventum urentem, ipsamque *uredinem* et *aestum*, quem Septuaginta vertunt καύσωνα, qui febres, inflammations, aliasque morbos causare, frugesque adurere et consumere solet; sic enim vertunt Septuaginta : *Spiritus malus* (id est voluntas mala, ait Theodoreus) *persecutus est καύσωνα*, id est *aestum*. « *Israel*, inquit Cyrilus, appetivit causonem, cum posset se sub meam umbram recipere. Causonem, id est *aestum*, vocat calamitates incendentes et inflammantes dolore. » Causon, inquit Aristoteles, morbus est, quo pars extima corporis levicula febri calet, intima tamen ferventissimo calore aestuant. Et ab Hippocrate *causon* vocatur febris, quam ardentem et tertianam exquisitam vocamus. Et Celsus, lib. II, cap. VIII : « *Febrem*, inquit, ardentem quam Græci καύσωνα vocant, subitus horror exoluit. » Sic saepe in animi morbis, ait Delrio *adagio* 958, *aestus* venis alitur, et in anima immane incendium est luxuriae, avaritiae, vel iræ, vix se foris prodens, sed suo tempore lethale foventi, et in publicam tandem urbis et reipublicæ erumpens conflagrationem.

Talis est haeresis, præsertim Calvinii, quæ suos asseclas zelotas facit erroris, atque quasi *causon* occulte serpens, in publicum tandem civitatis vel

immemorem, ut se facinorosum et impium se ostenteret, 9-11.

QUARTO, revertitur Prophetæ ad Jacobi historiam, et comparat Jacobi servitutem tunc temporis cum servili conditione Israelitarum in Ægypto : Jacobum liberabat ac felicem reddebat Deus, item Israelitas, 12, 13; sed cum Deus Ephraim tanta præstiterit, illum deseruit Ephraim et ad iracundiam provocavit, quam injuriam sibi illatam Deus per eorum perniciem repensurum esse pronuntiat.

Istud vaticinium, inquit Ackermann, Hosea regnante editum est. Ad tempus interregni prioris pertinere arbitrantur Kuinælius, Eichornius et alii. Maurer cum Mangero, Uhlandio et aliis existimat, versum 2 (primum in Vulg.) tempus depingere, quo Ephraimitæ, quamvis facta nuper cum Assyriis pactione, cum Soo Ægyptio, missis per legatos muneribus fœdus junxerant. Quod tempus etiam vituperatio prodere videtur, quam vers. 3 (2 Vulg.) subeunt Judæi, utpote quorum mores ea actate impii culpa Achasi admodum depravati essent, II *Reg.* XVI, 3 et seqq.

Causon
quid?

provinciae grassatur incendium, uti in Gallia, Scotia, Belgio aliisque regnis hoc saeculo vidi-
mus. Hoc est quod ait S. Hieronymus: « Secun-
dum tropologiam omnes haeretici pessimo da-
emonum spiritu continentur, de quo Ephes. vi: Adversus spiritualia nequitiae in coelestibus. Et
immundus spiritus cum exierit ab homine, et
requiem non invenerit, septem alios spiritus ne-
quiores se sibi copulat, et pristinam revertitur ad
domum. Spiritu ergo pessimo sequuntur κακονες, id est ariditatem, sive ventum urentem, qui con-
trarius est floribus, et germinantia cuncta (virtu-
tum opera) disperdit: tota die inania vacuaque
sectatur; nec proprio errore contentus est, sed
multos discipulos, imo comites sue vanitatis er-
rorisque multiplicat. Fœdus quoque facit cum
Assyriis, quorum princeps est sensus magnus, ut
quæcumque finixerit, sapienter simulasse videatur
ea sapientia quæ destruitur a Deo. Hinc et Theo-
phylactus, et ex eo Leo Castrius, per causonem
accipit zelum Judæorum contra Christum. Ho-
allegoricum est, non litterale, ut ipsi volunt.

TOTA DIE MENDACIUM ET VASTITATEM MULTIPLICAT, — q. d. Israel jugiter concinnat res et spes fallaces,
quæ ei vastitatis et excidii erunt causa. S. Hieronymus hæc refert ad Manahem regem Israel,
qui tributo emebat opem Assyriorum, IV Reg. cap. xv, 19. Melius Lyranus et alii referunt ad
Hosee ultimum regem Israel: hic enim primo
fœdus iniit cum Assyriis, deinde contra eos im-
ploravit opem Sua regis Aegypti, missis ei mune-
ribus, IV Reg. cap. xvii, 4. Porro Lyranus hæc
ita apte distribuit: *Ephraim*, ait, *pascit ventum*,
tribuendo tributa Assyrio: *sequitur aestum*, dum
opem petit ab Aegypto: *mendacium multiplicat*,
dum fœdus cum Assyrio abrumpit, negans ei
pactum tributum: *et vastitatem*; hanc enim illi
attulit violatio et negatio tributi.

ET OLEUM IN AEGYPTUM FEREBAT. — Sub oleo per
synecdochen cæteras fruges et munera intellige,
quæ Israelitæ mittebant regi Aegypti, ut ejus fa-
vorem et opem contra Salmanasar sibi concilia-
rent. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Arias et alii:
oleum, præ cæteris notat, quia illo excellebat
Samaria (uti Romæ excellit oleum Tybure allatum), carebat Aegyptus.

2. JUDICIUM ERGO DOMINI CUM JUDA (« *Judicium* »
id est justa querela, justa expostulatio; hebraice
est בְּרִיב, id est lis, disceptatio, accusatio judi-
ciaria, q. d. Quia Juda secutus est Israelem in
apostasia a Deo et cultura vitulorum, idcirco litem
ei intentat Deus, reumque impietatis in judicio
peragit). **Et VISITATIO SUPER JACOB.** — Per Jacob
accipe Israel, sive decem tribus, q. d. Deus litem
intentat Judæ, sed Israeli visitationem, id est
certam punitionem, qua eum visitet, id est pu-
niat et plectat: uterque enim est reus idololatriæ,
sed Israel magis. Ita Lyranus, Vatablus,
Arias, licet S. Hieronymus, Theodoreetus, Hugo
et alii per Jacob accipient Judam, ut idem dica-

tur et repetatur alio nomine. Porro Lyranus τὸ
cum *Juda* exponit pro *Juda*, q. d. Litigat Dominus
pro *Juda* contra *Jacob*, ut ex poena qua plectetur
Jacob, sapiat *Judas*, nec ejus scelera imitetur,
sed resipiscat. Melius Arias, q. d. Litigat Domi-
nus cum *Juda*, eumque objurgat, ne miretur
Jacob, qui longe gravius peccavit, quod a Deo
visitetur et plectatur. Optime, q. d. Judicium sive
litem intento *Judæ*, quia ejus scelus necdum liqui-
dum est, quia necdum publicum et commune:
eget ergo inquisitione et examine, antequam sen-
tentiam in eum pronuntiem, eumque condemnem
et plectam. « *Visitationem* » vero, id est condem-
nationem, supplicium et excidium intento *Jacob*,
quia ejus scelus est clarum, universale et inexcu-
sabile.

Similem differentiam et gradationem ponit Christus inter judicium et visitationem, puta gehen-
nam, dum hanc et illud diversis iræ gradibus,
quasi poenam commensam assignat. « Qui, inquit,
irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem
dixerit fratri, raca, reus erit concilio: qui autem
dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis, » Matth.
cap. v, 22. Similis gradatio fuit in trina voce Doc-
toris Parisiensis defuncti, qui in vita vulgo habi-
tus sanctus, in exequiis, cum ad illam lectionem
ventum esset: « Responde mihi, quantas habeo
iniquitates et peccata? » e feretro exsurgens, primo
die exclamavit: « Justo Dei judicio accusatus
sum; » secundo die: « Justo Dei judicio judicatus
sum; » tertio die: « Justo Dei judicio conden-
natus sum. » Qua voce percussus S. Bruno cum
sociis, mundo rebusque omnibus valedicens, in
eremum secessit, et ordinem Carthusiensem in-
stituit.

3. IN UTERO SUPPLANTAVIT (Jacob) FRATREM SUUM Vers. 3.
ESAU. — Jacob enim nascens tenebat plantas Esau:
quo significabat Deus se Jacobum præeligere et
prædiligere, ac prælaturum Esau primogenito,
quodque Jacob prærepturus esset Esau jus primo-
genituræ et patris benedictionem, itaque eum
supplantaret, indeque vocandus esset Jacob, id
est supplantator: vide dicta Gen. cap. xxv, 25. Ita
S. Hieronymus, Theodoreetus et Chaldæus, qui ita
vertit: *Nonne de Jacob patre vestro antequam natus
esset prædictum est, quod major evaderet fratre suo?*
Commemorat hic Propheta beneficia Jacobo olim
in utero, ante omne meritum ex mera Dei gratia
præstata, itemque Jacobi sanctitatem, ut Israelitæ
posteri ejus patrem imitentur, Deoque serviant,
et gratias agant. Hæc enim præelectio Jacob, qua
a Deo prælatus est Esau fratri, magis ad posteros
ejus spectabat, puta ad Israelitas, quos Deus
præelegit et prætulit Idumæis posteris Esau. Nam
alioqui Esau, dum viveret, potentior et ditior fuit
Jacobo.

ET IN FORTITUDINE SUA DIRECTUS EST CUM ANGELO.
— « *Directus*, » id est, feliciter luctatus est cum
angelo, quia, ut vertunt Septuaginta et Chaldæus,
prævaluit angelo vicem Dei gerenti. Unde angelus

hic in Hebræo vocatur *Elohim*, indeque Jacob vocatus est Israel, id est dominans Deo, Genes. cap. xxxii, 28. Vide ibi dicta. Hinc et Tigurina versio habet : *Prævaluit Deo, prævaluit, inquam, angelo.* Verum hebræum יְשָׁרֵךְ iascar, proprie significat *directus est*, indeque congrue sequitur : « Et invaluit, » id est prævaluit, « ad angelum, » id est angelo, vel contra angelum : licet in Hebræo hæc verba transposita sint. Est hoc secundum Dei erga Jacobum et Jacobæos insigne beneficium. Nota : *Dirigi* in Scriptura est prospere agere, ut *Psalm. cxxxix, 12* : « Vir linguosus non dirigetur in terra, » et sæpe alibi. « Directus est » ergo Jacob cum angelo, id est prospere egit, recte ei successit lucta cum angelo, quia vicit. Rectius forsitan, « directus est cum angelo, » id est non succubuit angelo, sed recto et imperterritu vultu et pectore aggressus est eum, latus lateri quasi commiscens, ac fortiter stringens, juxta illud Poetæ :

Hæsit pede pes, densusque viro vir.

Vers. 4. **4. ET INVALUIT,** — id est superior evasit et vicit, ut vertit Chaldæus; nam angelus quasi victus dixit Gen. cap. xxxii, 26 : « Dimitte me. » Et Jacob arctius eum stringens respondit : « Non dimittam te, » etc.

In voce *directus* alludit ad nomen *Israel*, quod deduci potest dicique quasi יְשָׁרֵךְ iescar el, id est rectus Dei, vel cum Deo, vel apud Deum, et si hæc non fuerit nominis origo, nec proprium etymon. *Israel* ergo dicitur hic *directus*, vel dirigens se cum Deo, quia non quomodolibet, sed recto et imperterritu vultu ac pectore adorsus est angelum, eumque luctando vicit, ut per hoc significaretur eum intrepidum fore contra Esau et omnes hostes, eosque superaturum. Hinc *Sap. cap. x, 12*, de eo dicitur : « Certamen forte dedit illi ut vinceret. » Ita Antonius Fernandius, *visione II*, in *Præfatione*, et *visione XXII*, sect. II. Unde Syrus vertit : *Et potuit fortitudine angeli (ut angelus) fortitudine congressus est cum angelo;* Arabicus Alexandrinus : *Et corroboratus est in angelo;* Arabicus Antiochenus : *Restitit angelo, et potuit,* id est prævaluit.

FLEVIT ET ROGAVIT EUM, — puta angelum, q. d. Jacob timens fratrem suum Esau contra se venientem cum quadringentis armatis, luctans cum angelo, supplex et flens petiit ab eo benedictionem, ut hoc fratris periculum ope angeli evadere. Hæc de lacrymis et precibus Jacob in Genesi non habentur expressa, sed hic ea supplet Osee quasi ex traditione, vel ex revelatione Dei accepta (1). Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo et

(1) Cæterum fletus facile colligi potest, sive ad eum compulerit summus angor, sive intimus culpæ multiplicis sensus, et intentum divinæ gratiæ divinæ et benedictionis desiderium. Suppliciter enim et vehementer contendentes cum precibus lacrymas miscere solent. (Ackermann.) Recte insuper ad hunc locum observat Sanctius, esse in Scriptura sacra non infrequens, ut cum aliquid ex antiqua

Hugo. Unde Aquila, Theodotion et Symmachus vertunt : *Flevit et deprecatus est me*, quasi Deus loquatur. Aliter R. Salomon, et ex eo Lyranus et Vatablus; ipsi enim hæc de angelo, non de Jacob accipiunt, q. d. Flevit angelus, et suppliciter rogavit Jacobum, qui eum luctando tenebat, ut sineret se abire, quia aurora ascendebat. Verum prior expositio est verior : flendi enim occasio erat in Jacobo, non in angelo. Jacob enim nolebat eum dimittere, nisi sibi benediceret, flensque petebat hanc ejus benedictionem : poterat ergo angelus ei benedicere, itaque dimisisset eum Jacob, ac liber abiisset angelus, uti de facto data ei benedictione ab eo dimissus liber abiit.

IN BETHEL INVENIT EUM, — puta Jacob angelum, vel etiam angelus Jacobum. Eodem enim res reddit : significatur enim reciprocatio occurrentium, puta mutuus occursum Jacobi et angeli.

Est hoc tertium Dei in Jacob et Jacobæos beneficium, quod scilicet Deus Jacobo, ob fratris iram profugo et misero, apparuerit sealæ innixus, eum consolans et confortans : indeque locus vocatus est Bethel, id est domus Dei, dicente Jacobo : « Vere non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli, » Genes. cap. xxviii, 13 et sequent. Qua visione significabat Deus se Jacobi et posterorum ejus Deum fore, tutorem et provisorem in omnibus adversis, æque ac prosperis; seque Jacobo, id est posteris ejus, terram illam lacte et melle manantem daturum in hæreditatem. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Albertus, Hugo, Lyranus, Dionysius et alii (2).

Nota primo : Pro *invenit eum* hebraice est יִמְצַא נָנוּ : pro quo Aquila, Symmachus et Theodotion, alis punctis legentes יִמְצַא נָנוּ *iimtsanu*, vertunt, *iinvenit nos*, scilicet non in persona nostra, sed in persona patris nostri Jacob, in cuius lumbis continebamur, dum ei in Bethel apparuit Deus. Septuaginta vero legentes יִמְצֹא נָנוּ *iimtsauni*, vertunt *in domo on* (id est idoli et vitulorum, puta in Bethaven : hæc enim est Bethel, uti jam saepius dixi) *iinvenierunt me.* Perperam Lyranus legit *iinveniemus eum.*

historia repetitur, addatur interdum aliquid, quod tamen eo loco, ubi res illa tuis tractatur, non reperitur. Exempla non pauca suppeditabit, cap. xi et xxi *Epist. ad Hebr.*, et multo plura in libro *Sapient.* a cap. xvi.

(2) J. Lackemacher in *Observat. de victoria Jacobi, virium et felicitatis regni Israëlitici symbolo, ad Hosæam*, cap. vii, 4, 5, Jacob exemplum duplici consilio hoc loco a vate in medium allatum arbitratur, primum, ut doceret regnum Israëliticum in se ipso satis habere roboris atque virium, quo tueri sese possit ac defendere, si modo Deo confidat, nec necesse proinde fuisse, ut aliorum, nominatim *Aegyptiorum*, efflagitaret opem. Deinde, pessime egisse Israëlitæ culto superstitione Bethele constituto, quippe in leco, ubi singulari prorsus ratione conditoris gentis Deus olim se patefecerit, et beneficia posteritate ejus promiserit eximia. Prius illud vatem significare recitus exemplum Jacobi, in duplice certamine superioris; posterius autem ex illustri illa concludi velle visione, quæ Jacobo obtigisset Bethele

Nota secundo : Jacob bis invenit et vidit Deum, puta angelum Dei vicarium in Bethel. *Primo* enim vidi eum scalæ innixum, uti jam dixi. *Secundo*, dum e Mesopotamia rediens cum tota familia, jussu Dei ascendit in Bethel, ibique erigens altare, se suosque omnes obstrinxit ad jugiter cœlendum Deum, ac proinde a Deo accepit promissionem terræ Chanaan, et magnæ longæque posteritatis, audivitque : « Cresce et multiplicare, » *Genes. cap. xxxv.* De hac secunda apparitione hic vel maxime agitur. Sequitur enim :

ET IBI LOCUTUS EST NOBISCUM , — scilicet Deus per angelum, promittens nobis in patre nostro Jacob Chananæam, et posteritatem jam dictam (1).

Aliter Vatablus ex Chaldæo, q. d. *Ibi locutus est Deus nobiscum*, id est mecum (puta cum Osee propheta) et cum Amos, jubens nobis ut prædicatione nostra invitaremus populum Israel ad pœnitentiam. Nam Amos, cap. vii, 12, dixit Amasias pseudosacerdos Bethel ad prophetam Amos : « Gradere, fuge in terram Juda : in Bethel non adjicias ultra ut prophetes, quia sanctificatio regis est. »

Vers. 5. **5. ET DOMINUS DEUS EXERCITUUM, DOMINUS MEMORIALE EJUS.** — Hebraice est : *Et Jehovah Elohim* (id est Deus) *exercituum; Jehovah* (inquam) *est memoria, vel memoriale ejus.* Est hic multiplex sensus, isque congruus et illustris. *Primo*, q. d. Deus in Bethel locutus est nobiscum, invitans et jubens ut eum coleremus : sed videte, o Israelitæ, ne ab idololatria decipiāmini ; ne, inquam, erretis in Deo falso (quales pseudoprophetæ et gentiles multos vobis obtrudunt : mihi per fraudem supponunt ; uti diabolus pro Deo, perinde ac simia pro homine se supponit, seque Deum ementitur) pro vero colendo. Ecce dico et repeto, nomen meum proprium est Jehovah : Deum ergo colite, qui est Jehovah, id est ipsum Ens, et esse tam suum quam creaturarum omnium, puta qui est plenitudo Entis, creator rerum omnium, pelagus essentiæ, sapientiæ, gloriæ, omnisque boni immensus. Alludit ad *Exod. cap. III, 14* : « Qui est (id est Jehovah), misit me ad vos, etc. Hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem, » q. d. O Israelitæ, ne collatis Apin Ægyptum pro Deo : iste enim est vitulus, non Deus ; sed colite me, qui sum Jehovah, id est, « sum qui sum, » vel « qui est, » fuit et erit. Hoc nomen mihi est æternum : hoc ergo nomine mei memoramini, mihique invocate. Ita Chaldaeus, Arias et Lyranus. *Secundo*, q. d. Deus qui Jacob prætulit Esau, aliaque beneficia ei et posteris præstítit, non est Baal, sed Jehovah ; hoc est

(1) Recte idem Lackemacher : « Diligenter, inquit, animadvertis velim dici Deum non cum solo Jacobo, sed cum omni simul ejus posteritate Bethele colloctum. Scilicet quæ a Jacobo hic dicuntur gesta, eidemque obtigisse, non ad illum ipsum spectant unice, sed ad totam simul gentem ex eo ortam, atque hujus etiam res fortunamque, qua vel usura sit, vel uti certe possit, præsignificarunt. »

nomen et memoriale ejus, quo coli et nominari vult. Ita a Castro.

Tertio, q. d. Jacob Deum verum, puta Jehovah, semper in mente et memoria quasi præsentem habebat, vel actu, vel virtute. Ergo et tu, o Israel, patrem tuum imitare, jugemque Dei memoriam conserva; ideoque ad Deum tuum convertere : « Misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper. » Ita Theodoreus et Lyranus. Quod ut facilius præstes, voluit Deus nomen suum patri tuo tibique imponere, vocando eum et te Israel, id est dominans Deo, ut in hoc nomine jugiter Dei memoria apud te perseveraret, nec posses ejus oblivisci, sicut tui nominis non potes oblivisci ; ac proinde quoties patrem tuum vel te nominas, aut nominari audis, memoreris et reccorderis *El*, id est Dei tui, qui ita includitur in nomine *Israel*, ut ab eo separari nequeat ; quam ergo *El* includitur in *Israel*, tam Deum in te tuaque mente include, ut ab eo nunquam oculos voluerentem avertas. Ita S. Hieronymus et Haymo : licet enim hic in Hebræo nomen Dei sit Jehovah, non *El*, tamen re ipsa Jehovah idem est quod *El*.

Moraliter, hic disce quam Dei jugiter memorari debeamus, utpote qui nobis est præsentissimus ubique et intimus, magis quam anima et spiritus vitalis, quo respiramus et vivimus. Ipse enim est in quo vivimus, movemur et sumus. Ipse est qui halitum nostrum manu sua continet. Ipse est qui mortem et vitam nostram tam præsentem quam æternam in potestate habet, a quo pendemus ut radii a sole, ut umbra a corpore, qui semper nos aspicit, semper in nobis operatur; denique est omnia in omnibus. Praeclare S. Augustinus, epist. 3 ad *Fortunatianum* : « Deus, ait, totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt; totus manus est, quia omnia operatur; totus pes est, quia ubique est. » Quocirca idem in *Soliloq. cap. XIII*, enumeratis perennibus Dei beneficiis : « Hæc, ait, et multa alia beneficia fecisti mihi, Domine Deus meus, vita animæ meæ, de quibus dulce esset mihi semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, ut possim te pro omnibus bonis tuis laudare et amare. » Idem, lib. I *De Verbis Domini*, serm. 6 : « Sicut, ait, vita corporis anima est, sic vita animæ Deus. Sicut exspirat corpus, cum animam emitit : ita exspirat anima, cum Deum amittit. » Merito ergo Psaltes, *Psalm. LXXVI, 4* : « Memor, ait, fui Dei, et delectatus sum. » Causam delectationis dat S. Bernardus, tractat. *De Diligendo Deo*, dicens : « Justum quippe est ut quos præsentia non delectant, præsto eis sit memoria futurorum ; et qui de rerum fluentium qualibet affluentia despiciunt consolari, recordatio illos delecet æternitatis. Et hæc est generatio quærantium Dominum. Dei ergo quærantibus et suspirantibus præsentiam, præsto interim et dulcis memoria est, non tamen qua satientur, sed qua magis esuriant unde satientur. » Hoc sapiebat Isaia

cap. xxvi, 8 : « Domine, nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio anime. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. » Et Jeremias, Thren. cap. iii, 20 : « Memoria memor ero, et tibi bescet in me anima mea. » Vide ibi dicta.

Vers. 6. 6. ET (id est idcirco) TU AD DEUM TUUM CONVERTERIS, — id est convertaris, vel convertere. Est hebræa enallage; ponitur enim futurum pro imperativo, q. d. Tu ergo, o Israel, ad Deum patris tui Jacob ab idolis redi et convertere, quasi genuina Jacobi proles, hæresque pacti ab eo cum Deo initi.

JUDICIUM (id est justitiam) CUSTODI. — Transit enim a Deo ad proximum, ut ex honore et amore Dei id jubentis, proximo suum jus, æque ac misericordiam debitam præstet; veram enim fidem cultumque Dei sequitur fides, id est fidelitas erga proximum; sicut ex adverso infidelitatem in Deum, sequitur infidelitas et injustitia in proximum. Unde subdit :

Vers. 7. 7. CHANAAN, IN MANU EJUS STATERA DOLOSA. — Hoc est, ut Syrus, statera dolosa (Arabicus, statera oppressionum) est in manu Chanaan. Hebræi enim repetunt relativum, ponuntque cum suo antecedente, q. d. Ephraim est Chanaan, id est mercator fraudulentus; in manu enim ejus est statera dolosa et injusta. Nota hic Ephraim, id est Israel, sivi decem tribus, ut sequitur, vocari Chanaan per catachresin : primo, quia Israelitæ impii erant ut Chananæi, ut potius filii Chanaan quam Jacob viderentur. Sic ait Daniel, cap. xiii, 56, seni Susannaë castitati insidianti : « Semen Chanaan, et non Juda. » Et Ezechiel, cap. xvi, 3 : « Radix tua et generatio tua de terra Chanaan. » Sic Isaías, cap. i, 10, Scribis et Judæis ait : « Audite verbum Domini, principes Sodomorum. » Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoreetus, Rupertus, Hugo, Dionysius, Emmanuel et Mariana. Secundo, quia Chanaan hebraice significat mercatorem, uti vertunt hic Leo Hebraeus, Chaldæus, Pagninus, Lyranus et Arias. Unde Proverb. cap. xxxi, 24, dicitur : « Cingulum tradidit Chananæo, » id est mercatori. Chananæi enim terreni et avari, ob maris viciniam mercaturæ, et in ea fraudibus, dolis, furtis et rapinis vacabant; inde hebraice כְּנָעַן kenaani, id est Chananæus, significat mercatorem. Alludit ergo Osee hic ad dolos et fraudes mercatoris, q. d. Jacob pater tuus ob sanctitatem meruit vocari Israel, id est dominans Deo; tu vero, o Ephraim, non mereris hoc nomen, sed potius vocandus es Chanaan, quia habes mores Chananæorum, et quia defraudas proximos in pondere, uti facit mercator, præsertim Chananæus, qui dolosa statera defraudat ementes, utens majori pondere dum merces emit, minori dum eas vendit. Unde Chaldæus vertit : Ne sitis sicut mercatores, in quorum manibus sunt bilances dolosæ, rapinæ studentes; sicut ergo servi vocantur Phryges, furæ Lacones, gulosi et deliciosi Sybaritæ, infames

Ambrones; ita impii et injusti mercatores vocantur Chananaei, quorum unicum est studium decipere, et quæstu injusto ditescere, ideoque bilances habent fallaces, sive, ut ait Sapiens Proverb. cap. xx, 10 : « Pondus et pondus, mensuram et mensuram, » id est duplicita pondera, duplices mensuras. Tales etiamnum multi sunt inter Judæos, qui meri lucriones nil nisi fœnerari norunt, quos proinde in spiritu prævidens Propheta, merito Chananaeos stateræ dolosæ vocavit; adeo ut si institorem avarum et fraudulentum pingere velis, pingas Judæum instar Chananaei, cum bilance et ponderibus injustis.

Tales pariter sunt non pauci mercatores, qui toti lucro inhiant. Fieri enim nequit quin hujusmodi ex tanta lucri aviditate sæpe extra metas juris et justitiae ferantur. Quocirca de talibus ait S. Chrysostomus, homil. 38 in Matth., et habetur cap. xi Ejiciens, distinct. 88 : « Ejiciens Dominus vendentes et ementes de templo, significavit quod mercator nunquam potest Deo placere; et ideo nullus christianus debet esse mercator. » Loquitur enim de lucrionibus qui finem ultimum sumumque bonum in lucro constituunt, parati pecare mortaliter ut lucentur, uti exponit S. Thomas II II, Ques. LXXVII, art. 7, quique fraudibus et perjuris negotiationem exercent, uti exponit noster Lessius, lib. II De Justitia, cap. xxi, dub. 4. Sic Thales Milesius assidue in ore habuisse fertur : « Noli ditari nequiter; lucrum enim fraude partum, damnum est, non lucrum. » Ita Laertius, lib. I De Vitis Philos. cap. i. Chilon Lacedæmonius dicere solebat : « Damnum turpi lucro præferendum est; illud enim semel dolet, hoc autem semper. » Jactura facta sarciri facile potest addita industria, infamia autem ex lucro iniquo contracta nunquam apud viros bonos diluitur; et sic lucrum scelere partum, damnum est, non lucrum. Ita Laertius, lib. I, cap. iv. Antiphanes dictabat « usuram quæstumque breves habere delicias, longam autem calamitatem. » Agesilaus fœneratorum chirographa publice in foro combussit, dicens « nunquam se puriorem ignem vidisse. » Ita Plutarchus in Lacon. Alfonsus, rex Aragonie, teste Panormitano in ejus Vita, « fœnus, » non aliud esse dixit, quam « animæ funus. » Musonius : « Jupiter, inquit, non fœneratur, multo minus fœnerat, » q. d. Deus non accipit ad usuram, multo minus dat. Divinius Psaltes, Psalm. LXX, 15 : « Quoniam non cognovi litteraturam (hebraice סִפְרֹת sphrot, id est ciphras, numeros, ut verit Symmachus et Rabbini, ac Septuaginta, γραμματική, vel ut S. Augustinus, Arnobius et Chrysostomus legunt, πραγματική, id est negotiationem, uti habet Romanum Psalterium), « introibo in potentias Domini. » Vide ibi S. Augustinum, qui et in Psalm. cxxiii : « Lucrum, ait, fecisti, sed ut lucrum faceres Deum offendisti; acquisivisti aurum, fidem perdidisti. De arca gaudes, de corde non plangis? plus perdidisti quam acquisivisti,

Morali-
ter, de
nimia lu-
cri avi-
ditate.

et perdidisti quod nec naufragio tibi potuisset auferri. » Et inferius : « Ille habet aurum, qui novit uti auro; qui autem auro uti non novit, habetur et non habet, possidetur, et non possidet. Estote domini auri et non servi auri, quia et aurum Deus fecit, et te super aurum ipse fecit. Aurum fecit ad subsidium tuum, te ad imaginem suam. Vide quod super te est, et calca quod infra te est. Quid ergo acquisivisti? Tolle tecum ad inferos quod acquisivisti. Cor tuum inane fidei ad poenas exit, quod plenum fide ad coronam exiret. »

Mercator ergo hoc lucri studium temperet, et moderetur timore Dei, et desiderio opum majorum et cœlestium, aureamque illam Sapientis sententiam menti inscribat : « Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles, » Proverb. cap. xv, 16. Et : « Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniuitate, » Proverb. cap. xvi, 8; secundo, jugiter audiat sibi intonantem Apostolum : « Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis abunde omnia ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundatum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam, » I Timoth. cap. vi, 17; tertio, crebro ruminet illud Job cap. xx, 26, de divite impietate et iniquo : « Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus. » Et quod vulgo dicimus et cernimus :

De male quæsitis non gaudet tertius hæres.

Denique illud Christi : « Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; quæ autem parasti, cuius erunt? » Luc. cap. xii, 10.

Tropologice, primo, Chananæus est hæreticus : Chanaan quippe, ait S. Hieronymus, interpretari potest quasi moventes. Et nota quod dixerit, quasi moventes, et non, moventes. Moventes sunt eos, quos deceperint; quasi moventes sunt eos, quos movere tentaverint; sed quia fundati sunt supra petram, nullo possunt turbine concuti, nec pedum suorum mutare vestigium. In istiusmodi Chananæi manu, id est operibus, est « statera dolosa » et iniqua; quidquid enim hæreticus loquitur, Dei justitiam non habet, et plenum est doli et fraudum. Hinc et eques equusque niger, Apocal. cap. vi, 5, denotans hæresim, « habebat stateram in manu. » Vide ibi dicta.

Secundo, statera dolosa est prava intentio, ambitionis et cupido primatus. Audi Theodoreum : « Tu, o Ephraim, imitans malitiam Chanaan, iniquam mentis stateram habes. Justitiam semper vilipendis, iniquam potentiam exoptas, in divitiis elato spiru es, et plurimum tibi arrogas in eorum rationibus perscribendis. » Et Prosperum, part. II De Prædict. cap. xxiv, qui admonens reges et principes : « Ipsi, inquit, caveant qui has

accipiunt potestates, si cupiditate dominantis, nec consulentis affectu suscipiant; si ministrari eligunt, ac non potius ministrare, quod Dominus per seipsum, et per prophetam Osee increpat dicens : Chanaan in manu ejus statera iniquitatem, dominationem enim elegit. Et in Evangelio ipse : Qui voluerit major esse in vobis, erit vester servus : sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. »

Tertio, Rupertus : « Statera dolosa, inquit, est malitiosa terrenæ cupiditatis duplicitas. »

Tertie,
avarus
hypocri-
ta.

Quarto, statera dolosa ipsa malitia, et propositum deliberatum peccandi. Hoc enim, ait Ruffinus, « cum suspensis ab utraque parte ponderibus nefanda committat, dicitur peccasse sub trutina, de quo David, Psalm. LXI, 10 : Verumtamen mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Cum ergo sit præcipuum hujusmodi munus ingenii, ut quid obire debeat, quid vitare, perpendiculo rationis et momentis collationis examinet, profanatus populus veritatem in mendacio detinens, admovit quidem stateram negotiis, sed dolosam, melioribus videlicet deteriora præponens, et noxiis magis quam utilibus acquiescens. »

CALUMNIAM DILEXIT.— Leo Hebræus : *Gaudet vim facere; καταδυναστεύει τράπησεν*, id est, opprimere per potentiam dilexit.

8. ET DIXIT EPHRAIM : VERUMTAMEN DIVES EFFEC- Vers. 8.
TUS SUM, INVENI IDOLUM MIHI.— *Idolum* vocat suas opes et divitias, quasi dicat : Obstrepunt mihi Prophetæ, meque ob stateras dolosas culpant et arguunt: at ego has voces non moror, sed ut garritus graculorum despicio; habeo enim penes me idolum, id est Deum fortissimum (puta Mammonam, id est divitias, quas mea unius industria mihi peperi) quo præsente, neminem timeo, quia omnibus bonis abundo. Ita S. Hieronymus.

Nota : Pro *idolum* hebraice est יְלֹוֹן, quod propriæ significat *iniquitatem* et *rapinam*, ut vertit Chaldæus, aut *vim* et *robur*, ut vertit Arias et Vatablus. Porro Lyranus et Pagninus vertunt, *divitias*, scilicet inique partas; Septuaginta, *requiem*: opes enim avaro sunt *primo*, *idolum*; *secundo*, *rapina*; *tertio*, omne ejus robur; *quarto*, ejus divitiae; *quinto*, omnis ejus spes et requies; sed futilis, fallax et evanida. Ex Chaldæo aliqui sic vertunt et explicant : *Inveni vim mihi*, scilicet pecuniam, quæ quasi dominus mihi vim inferat, meque violenter opprimat. Ita S. Gregorius Nazienzenus, orat. 24, initio : « Aurum, inquit, est occultus tyrannus, per quem multa sursum deorsumque velut in talorum ludo jactantur. » Quæ verba sic explicat Elias Cretensis : « Tyrannum vocat, quod auri cupidis vim afferre, eosque velut tyrannide opprimere possit; invisibilem vero, propterea quod tacens minimeque conspectum avaros subjiciat, ab eisque quæ decreverit, per vim abducat. »

OMNES LABORES MEI NON INVENTENT MIHI INIQUITATEM QUAM PECCAVI,—q.d. Non poterit inveniri in meis

negotiis, contractibus, ponderibus (esto scrutetur ea quisquis volet) ulla injustitia qua peccaverim. Nota hic vocem divitum, quos cæcavit cupiditas et avaritia, qui deo suo, puta Mammona, et opibus superbientes et tumidi omnia justa et licita sibi putant. Uni enim intendunt lucro; hoc eorum idolum est, hoc eorum jus, sive per fas, sive per nefas illud conquirant. Ita Arias et Vatablus.

Tales etiamnum sunt inter Christianos, qui cum jugiter usurarios, aliosque illicitos contractus ineant, nullum tamen sibi movent scrupulum, immo in confessione sacramentali etiam hac de re rogati respondent, se nullos nisi licitos inivisse. Ita in lucro et avaritia occalluerunt et obsurduerunt.

Secundo, lucra mea « non invenient iniquitatem, » id est judicem, qui ea iniquitatis et injustitiae damnare audeat; quia enim dives sum et potens, nullum judicem timeo, aut si quem timeam, muneribus oculos ejus excæcabo; ego enim nullius, omnes mea ope indigent, q. d. Non refert quomodo habeam opes, dummodo habeam. Ita S. Hieronymus et Albertus.

Tertio, Septuaginta passive et contrarie vertunt: *Omnes labores ejus non invenientur ei, propter ini-
quitates quibus peccavit, q. d.* Male parta cito di-
labuntur; et Chaldæus: *Omnes divitiae vestræ non
permanebunt vobis in die retributionis peccatorum,*
juxta illud Psalm. LXXV, 6: « Nihil invenerunt om-
nes viri divitiarum in manibus suis. »

Huic versioni nostram accommodat Lyranus, quasi sit hic correctio Prophetæ, q. d. Vos, o divites, divitiis vestris velut idolo confiditis et præfiditis; altamen scitote ex me, quod ipsæ, quantumvis labore vestro parte, non « invenient » vobis « ini-
quitatem » id est, expiationem iniquitatis.

Vers. 9. 9. ET EGO DOMINUS DEUS TUUS EX TERRA ÆGYPTI, q. d. — Ex eo tempore quo ex Ægypto te eduxi, fui jugis tui custos, dux, Deus, pater.

ADHUC SEDERE TE FACIAM IN TABERNACULIS, — q. d. Exspectabo an pœnitere velis, ac proinde differam pœnam captivitatis, quam tuis sceleribus decrevi, faciamque te in tuis sedibus et urbibus lætum habitare, et idcirco lætam festivitatem Scenopegiæ, ea de causa olim institutam, Levit. cap. XXIII, 39, quotannis de more celebrare, sicut hactenus illam celebrasti. Ita S. Hieronymus. Quare minus recte Theodoreetus hæc accipit ut minas, ac contrarie exponit, q. d. Quia immemor es liberationis tuæ, qua te eduxi ex Ægypto, e domo tua expellam te in Assyriam, ubi quasi exsul in tabernaculis habitabis, ac mœrens recordaberis Paschatis, quo te ex Ægypto exsultantem eduxi, aliarumque festivitatum, quas in patria festive celebrare solebas.

Secundo, Albertus et a Castro hæc referunt ad redditum e captivitate Babylonica; ex ea enim multi Israelitæ cum Judæis mixti redierunt, q. d. O Is-
rael, ibis in captivitatem ob tua scelera; at faciam ut inde redeas, tuncque in memoriam reditus et

transitus felicis per desertum, celebrabis festum Tabernaculorum, sicut olim illud celebrasti in memoriam exitus ex Ægypto, et transitus per de-
sertum, quando scilicet Deus ipsos quadraginta annos te, duce columnæ ignis et nubis, per horridam solitudinem deduxit usque in Chanaan.

Allegorice, q. d. Tempore Christi faciam te ha-
bitare in tabernaculis, id est in Ecclesiis, primo militantibus in terra, deinde triumphantibus in cœlo, ubi continuas et perennes ages festivitates, longe lætiores, quam olim egisti celebrando Pas-
cha, Pentecosten, Scenopegiam, etc. Ita Lyranus et Clarius, qui putant hunc esse sensum littera-
lem.

10. ET LOCUTUS SUM SUPER (id est *ad*, sicut ver-
tunt Septuaginta, Vatablus et alii) **PROPHETAS** (ut te ad pœnitentiam, et consequenter ad festivitatem hanc tabernaculorum invitarent, ideoque) **VISIO-
NES** (prophetias et correptiones tibi ingerendas, eis) **MULTPLICAVI, ET IN MANU PROPHETARUM ASSIMI-
LATUS SUM**, — q. d. Per Prophetarum facta et verba varias formas et similitudines assumpsi, nunc monendo, nunc minando, nunc blandiendo. Rursum assimilavi me nunc pastori, nunc aurigæ, nunc patri, nunc regi, nunc sponso, etc. Denique jussi Prophetis, ut varias figuræ et similitudines induerent, quibus te permoverent ad emendationem. Sic Osee, cap. I, jussi ut suo matrimonio assimilaret me sponso, ambienti sponsam fornicariam. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Lyranus et alii.

Nota hebraismum: « In manu Prophetarum, » id est per Prophetas, quasi per meum organum et instrumentum: manus enim est organum organorum, ait Aristoteles. « In manu » ergo, id est ministerio, opera, sermonibus « Prophetarum assimilatus sum, » q. d. Quis ego sim et qualis, quid velim, quid exigam, ex prophetarum dictis et factis cognosci potest; Prophetæ enim suis me actionibus gestisque, æque ac verbis repræsentarunt; ac meæ non tantum mentis voluntatisque, sed et indolis ac ingenii quamdam quasi similitudinem et imaginem oculis hominum subje-
runt. Ita Pineda, lib. VII *De Rebus Salomon.* cap. XXIII, Emmanuel et Mariana hic. Sic legatus repræsentat suum principem, Apostolus Christum.

Allegorice, q. d. Ego Christus meam incarnationem, humanitatem, passionem, etc., variis Prophetarum figuris adumbravi, assimilavi, et repræsentavi. Ita S. Chrysostomus, homil. 58 *in Genes.*: « Tunc, ait, quoniam initium et principia erant, in figura uniuersique illorum apparebat, sicut ipse per alium Prophetam dicit: Ego visiones multiplicavi, etc.; quando autem dignatus est Dominus humanam formam suscipere, et primicias nostras recipere, non putativam tantum, neque apparentem, sed veram carnem induit. » Sic de Cyro ait Deus, Isaïæ LIV, 4: « Assimilavi te, et non cognovisti me, » q. d. Feci te similem Christo, ejusque typum; sicut enim tu Judæos

Babylone liberabis, ita Christus homines inferno liberabit; sed tu hoc non cognoscis. Hoc est quod ait Paulus, *Hebr. 1, 4*: « Multifariam multisque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio; » ubi pro *multisque modis*, græce est πολυτρόπως, id est multis modis, formis, figuris, similitudinibus.

Vers. 11. 11. Si GALAAD IDOLUM, ERGO FRUSTRA ERANT IN GALGAL BOBUS IMMOLANTES. — Nota: « Galaad » erat urbs et regio trans Jordanem, pertinens ad decem tribus, puta ad Ruben et Gad; unde primo occurrit Assyriis invadentibus terram Israel, et ab eis expugnata est, *IV Reg. xv, 29*. Galgal vero cis Jordanem erat, et spectabat ad tribum Juda, ait S. Hieronymus. Porro tam Galaad fuit celebris idolis, ut patet cap. vi, 9, quam Galgal, ut palet cap. ix, 15. Sermo est ad duas tribus, puta ad Judam, q. d. Vos, o duæ tribus, agnoscitis Galaaditarum vitulos esse idolum, id est rem vanam, numen fictum et pictum, ideoque iniquum et impium (hoc enim significat ἄν aven), eaque de causa vidistis aras illius dirui ab Assyriis, vertique in acervos lapidum, terramque ejus desolari, ac desolatam aratro et sulcis subigi. Cur ergo simile idolum, puta vitulos, sive boves frustra colitis, iisque immolatis in Galgal? Idcirco enim terra vestra in similes acervos lapidum redigetur ac desolabitur, et aratro sulcisque a bobus subigetur. Ita S. Hieronymus, Lyranus, Clarius et alii. Unde ex Hebræo expressius sic verbi potest cum Vatablo: *Si in Galaad iniquitas, vel vanitas, puta idolum iniquum et vanum, fuit utique, vani facti sunt, id est idcirco in vanum abierunt, excisi sunt et evanuerunt; cur, in Galgal bobus (vel boves) sacrificarunt?* Hoc est « judicium Juda, » de quo dicit vers. 2: « *Judicium ergo Domini cum Juda, et visitatio super Jacob,* » q. d. Si Galaaditis idolum non profuit, sed obfuit, pariter et tibi, o Juda, idolum in Galgalis non proderit, sed oberit. In Hebræo est nervosa paronomasia in vocibus ἄν aven, ὄν on, ἄν avon. Respicit enim ad vers. 8, q. d. « *Dixit Ephraim: Dives effectus sum, inveni idolum;* » hebraice *on*: « Omnes labores mei non invenient iniquitatem, » hebraice *avon*. Huic respondet hic Galaad esse *aven*, id est iniquitatem, vanitatem et *idolum*, ideoque laborem et dolorem, idque probat ex eo quod ejus aræ in acervos et sulcos redactæ sint. Videtur ergo hec prophetia edita ab Osee post vastatam ab Assyriis urbem Galaad in tribu Gad, antequam ab eisdem vastarentur Samaria et Galgala, quæ erant trans Jordanem, cum cis eum esset tribus Gad et Galaad. Ita Sanchez.

Secundo, pro ergo hebraice est ἄν ach, id est certe, utique, ergo, verumtamen, tamen, uti legunt Biblia Plantiniana et Haymo, qui proinde exponit, q. d. Si Galaad, id est Israel, colit idolum, ei ex parte condonandum est, quia templo et altari Dei caret; tibi tamen, o Juda, colenti eadem idola in Galgalis, condonandum non est;

quia tu possides Dei templum, altare, sacerdotes, scribas, etc.

Tertio, alii, q. d. Si vultis idola colere, ile in Galaad; ibi enim est sedes idolatriæ: nolite ergo ea colere in Galgalis; quia hic locus pertinet ad Judam, et consequenter ad Deum, Deique templum (1).

NAM ET ALTARIA EORUM QUASI ACERVI SUPER SULCOS AGRI, — q. d. Ne mihi negetis idolum Galaaditis fuisse vanum, frustraneum et noxiū; en appello ipsa altaria idolorum. Hæc enim redacta sunt in acervos et terram arabilem, uti jam dixi. Aliter Clarius, q. d. Miseri ubique acervos lapi-deos colligunt, ut ex eis altaria idolis construant, et diis terminalibus immolent, relicto Deo vero. Prior sensus est verus et genuinus. Sic enim in terris saxosis, qualis est Judæa, solent eximi saxa, ut possint arari et sulcari, quod rustici vocant exossare agros; saxa enim sunt in agris, quod ossa in homine. Sic Persius *satyrā ultima* ait:

Exossatus ager juxta est.

12. FUGIT JACOB IN REGIONEM SYRIÆ. — « *Fugit,* » **Vers. 12.** scilicet a facie Esau fratris sui, indignantis ob erepta sibi ab eo primogenita, *Genes. xxviii*. Redit Propheta ad ostendendam Dei providentiam et curam, quam habuit de Jacob patre Israelitarum, et per consequens de ipsismet Israelitis, ut demonstret eorum ingratitudinem, utque eos ad Deum redamandum rursumque colendum revocet.

SERVIVIT ISRAEL IN UXOREM (q. d. Jacob pro uxore Rachel servivit Laban septem annis): ET

(1) Certe versus hic, inquit Ackermann, quoad nexum, æque ad sensum difficilior est. Sed si meminerimus, concionem capitis nostri habitam fuisse sub ultimo Samariæ rege Hosea, ob cuius defectionem obsidio Samariæ per Salmanasarem, *IV Reg. xvii, 1-4*, proxime instabat; quo vero tempore in recenti memoria erat facta per Teglath-phalassarem, *IV Reg. xv, 29*, coll. I *Paralip. v, 26*, incolarum Galaaditidis et Galilææ ex patria expulsio, et in captivitatem Assyriacam abductio; et nexus, et sensus verborum facilior erit.

Sic hunc versum vertit Maurer, quem secutus est Bodin in sua versione Gallica (*Les Livres prophétiques*, etc., Parisiis 1855): *Num sit Galaad scelus?* num scelestè agant Galaaditæ? nil nisi nequitia sunt, nil nisi nequam, prorsus nequam, nequissimi sunt: *Galgale boves sacrificant, etiam eorum Galgalensium aræ sunt ut acervi lapidum in sulcis agri*, etiam eorum tot sunt aræ, quot acervi lapidum in sulcis agrorum. Sunt duo membrorum paria, quorum prius perstringit Transjordanenses, posterius Cis-jordanenses, ita ut perditissimi dicuntur utrique: conf. cap. vi, 8, et iv, 15. Observa etiam, ita conformata esse singula membra, ut tertium respondeat primo, quartum secundo. □*im*, oblique interrogantis est. Interrogat autem vates, non quasi dubitet, verum ut eo fortius affirmet. Sæpe enim, ut firmissime aliquid asseveremus, asseverationi præmittimus interrogationem... Ad verba *ut acervi lapidum in sulcis agri*, cf. simillimam comparisonem cap. x, 4. Cogitandum de acervis lapidum, quos congerere solent ii qui lapidosos agros expurgant. Est vero eo aptior comparatio, quod istorum acervorum species eminus intuentibus haud absimilis est aræ.

IN UXOREM (id est pro uxore altera, scilicet Lia), **SERVAVIT**, — id est custodivit et pavit oves Labani. Hic enim *servavit* legendum cum Hebræo, Septuaginta et Romanis, non *servivit*, ut paulo ante.

Sensus est, q. d. Deus sua providentia efficit ut Jacob serviens Laban ditaretur, tam in ovibus, quam uxoribus ac prolibus, puta duodecim Patriarchis, ex quibus vos prognati estis. Nota hebraismum : Hebrei enim per *beth*, id est *in*, significant pretium; dicunt enim : Emi domum in argento, id est argento : Comparavi mihi opes in labore, id est labore : Servivi in uxore, id est pro uxore; hoc ergo est *beth* pretii, vel *in uxorem*, id est *ad*, propter uxorem sibi comparandam.

Vers. 13. **13. IN PROPHETA** (id est per Prophetam, puta Mosen) **EDUXIT DOMINUS ISRAEL DE AEGYPTO**, ET IN PROPHETA (per eundem Mosen) **SERVATUS EST**, — a Pharaone aliisque hostibus (1). Quocirca

Vers. 14. **14. AD IRACUNDIAM ME PROVOCAVIT EPHRAIM** (id est Israel, quia tot beneficiis meis ingratus me spernit, et vitulos adorat) **IN AMARITUDINIBUS SUIS**, — id est in peccatis suis, præsertim idolatriæ, quæ mihi amaritudinem, id est dolorem et bilem, movent. Loquitur anthropopathos. Nota hic peccata et idola vocari *amaritudines* Dei : quia maxime Deum offendunt, adeo ut, si dolor, mœror, anxietas, imo mors et interitus in Deum cadere possent ; hæc non aliunde, nec alia sagitta, quam peccato ei obvenirent.

SANGUIS EJUS SUPER EUM VENIET. — « Sanguis »

(1) « In Propheta servatus est. » Eleganter utitur Propheta verbo שָׁמַר *schamar*, *servavit*, cum paulo ante adhibuerit de pastore, gregem imbellem et errabundum curante, vers. 12 : « Et servavit in uxorem, » scilicet greges Labani.

in Scriptura vocatur homicidium, et metonymice poena homicidii, uti hic, q. d. Occidetur ut reus, ac poena suæ necis et sui interitus ipsi obveniet, ipsique imputabitur.

ET OPPROBRIUM EJUS (id est pœnam opprobrii) RESTITUET EI DOMINUS SUUS, — scilicet pro opprobrio quo ipse Deum affecit, adimens ei divinitatem, eamque sacrilege transcribens idolis. Deus enim peccatum nullum, præsertim tam enorme, sinit inultum. Nam, ut ait S. Augustinus in *Psalm. XLIV* : « Peccatum puniturus est (Deus), quia virga directionis est virga regni ipsius. Puniendum est peccatum : si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præveni illum : non vis ut ipse puniat? tu puni. » Et mox : « Puniendum ergo erit aut a te, aut ab ipso. Tu agnosce, ut ille ignoscatur. » Idem in *Psalm. LVIII* : « Quid est, inquit, operantem æquitatem? quia hoc in te odisti quod et odit ille, ut incipiat placere Deo, dum hoc in te punis quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinquiri peccatum, quia verum est : Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem. » Idem in *Psalm. L*, explicans illud : *Ecce enim veritatem dilexisti*, id est, inquit : « Impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti : veritatem dilexisti, sic misericordiam prærogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confidenti, ignoscis, sed seipsum punienti. Ita servatur misericordia et veritas : misericordia, quia homo liberatur : veritas, quia peccatum punitur. » Vide eundem, epist. 122 ad *Victorianum*, ubi docet Deum nemini peccanti, ne sancto quidem, parcere; ideoque permisisse Barbaris Italiam et Hispaniam invadentibus affligere etiam sanctos viros, et violare sacras virginæ.

Deus
nullum
pecca-
tum im-
punitum
relin-
quit.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Israeli minatur excidium, eo quod homines immolaverit vitulis, ut dispergatur, et evanescat quasi nubes, ros, gluma et fumus : quia Deus invadet eum quasi leona, pardus, et ursa raptis catulis. Ergo perditio tua, id est ex te, est Israel : in me vero auxilium tuum. Secundo, vers. 14, avolat ad Christum, docetque quod Christus moriens eos omnesque credentes a morte liberabit, et ex inferno educet : erit enim quasi ventus urens, qui per ignem conflagrationis perdens mundum impium in die iudicii, cuique sortem pro meritis dividet et retribuet (2).

1. Loquente Ephraim, horror invasit Israel, et mortuus est. 2. Et nunc addiderunt ad peccandum : feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem

(2) In hoc capite et in sequenti, quod arcte cum præsenti cohæret, pergit Propheta reprehendere peccata Israelitarum et pœnas eis denuntiare : ita ut quod cap. XII, 15, generalius dixerat, quod Ephraim Deum ad iram provocaverit, nunc et deinceps per specialia explicet.

In definiendo tempore, quo edita fuerit oratio per hæc duo capita decurrent, mirifice inter se dissentiant inter-

pretes, inquit Maurer, qui ad tempus posterioris interregni illam refert propter locos cap. XIII, 11, et cap. XIV, 4. Horum enim primo vates aut frequenter illas atque cruentas regum vicissitudines respicunt, quas tempora viderunt inde a Jeroboamo II ad Hoseam usque (lib. II Reg. XV, 10, 14, 25, 30), aut regnum Israelitarum brevi interitum dicit. Versu autem 4 cap. XIV, ab omni cum Assyriis

idolorum, factura artificum totum est : his ipsi dicunt : Immolate homines vitulos adorantes. 3. Idcirco erunt quasi nubes matutina, et sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, et sicut fumus de fumario. 4. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti : et Deum absque me nescies, et salvator non est præter me. 5. Ego cognovi te in deserto, in terra solitudinis. 6. Juxta pascua sua adimpieti sunt, et saturati sunt : et levaverunt cor suum, et oblii sunt mei. 7. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. 8. Occurram eis quasi ursa raptis catulis, et dirumpam interiora jecoris eorum : et consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos. 9. Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum. 10. Ubi est rex tuus? maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis; et judices tui, de quibus dixisti : Da mihi regem et principes. 11. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea. 12. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus. 13. Dolores parturientis venient ei : ipse filius non sapiens, nunc enim non stabit in contritione filiorum. 14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos : ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne : consolatio abscondita est ab oculis meis. 15. Quia ipse inter fratres dividet; adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, et siccabit venas ejus, et desolabit fontem ejus, et ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.

Vers. 1.

1. LOQUENTE EPHRAIM (1) (« Ephraim » vocat Jeroboam, qui ortus fuit ex tribu Ephraim, primusque ex ea creatus est rex Israelis, q. d. Dum loqui cœpit Jeroboam Ephraimita, ac incitare plebem ad idola, puta ad vitulos aureos colendos), HORROR (vel, ut Symmachus et Theodotion, *tremor*) INVASIT ISRAEL (ut regi idololatræ resistere non auderet, sed ejus metu quasi tremore perculsus, Baal, id est idola, puta vitulos aureos ab eo propositos coleret : itaque) MORTUUS EST, — tam ipse quam rex ejus, id est captivitati, et morti temporali fuit addictus, ac multo magis spiritualem animæ mortem incurrit, perdens eum qui dicit : « Ego sum vita, » Joan. xiv, 6, juxta illud Ezech. xviii, 20 : « Anima quæ peccaverit,

Ægyptiis ineunda societate cives dehortatur; id quod rursus in posterius interregnum valet.

PRIMO, gravitas sceleris Israelitarum exponitur, primo, in suo progressu : quem initiavit vitulorum erectio Jeroboam, promovit Baalis adoptio, amplificavit promiscua idolorum conflatio, et humanorum sacrificiorum immolatio, 1, 2; secundo, in suo demerito, quod secura hinc prosperitatis instabilitas et conversio, atque auxiliis divini substractio ostendit, 3, 4; tertio, in sua ingratitudine, quæ ex beneficiorum collatorum oblivione et abuso patet, 5, 6.

SECUNDO, vindicta divina additur, prædicendo, primo, excidium vi ac insidiis domi forisque, a Deo inferendum, 7, 8; secundo, auxilium divinum subtrahendum, humandum autem insufficiens ad frustrandum, 9-11; tertio, conditionem doloribus afflictissimam, natam ex Dei dissimulatione, et populi ad poenas stupore, 12, 13.

TERTIO, promissio subjicitur salutis et redemptionis futuræ, primo, per Christi resurrectionem, et victoriam de morte ac inferno adhuc revelandam, 14; secundo, per peccati et pœnæ abolitionem, 15.

(1) Quia mox Ephraim ab Israele distinguitur, et quasi ei opponitur, non sumitur quidem Ephraim hoc loco pro decem tribubus, ut supra cap. xii, 1, 2, et saepius apud Nostrum; nec tamen reliqui prorsus excluduntur, sed Ephraim tanquam *primus et præciousus* notatur.

(Rosenmuller.)

ipsa morietur. » Ita S. Hieronymus, Rupertus, Hugo, Lyranus, Emmanuel et Mariana. Ad littoram Baasa occidit Nadab filium Jeroboam, ejusque stirpem evertit, ac regnum ad se transulit, III Reg. xv, 29. Aliter Arias : *horrorem* enim accipit aversionem a Roboam, quam populo impressit Jeroboam, proponens ei illius tyrannidem, et tributorum immanitatem; itaque a populo, averse Roboam, creatus est rex Jeroboam (2).

Secundo, pro *inviasit* hebraice est נִשְׁאָה *nasa*, quod inter alia significat *extulit*, *alienavit*. Unde Chaldæus et Vatablus sic vertunt et explicant : Olim cum ipse Ephraim Deum coleret, tremebant omnes dum ipse loqueretur, tuncque *extulit* ca-

(2) Sunt qui hunc versum in diverso sensu intelligunt : *Ut locutus est Ephraim, terror fuit*, id est, simul atque vocem suam edidit Ephraimita, percussæ sunt tribus reliquæ ; tantopere olim potentia et dignitate eminuit Ephraimita, ut ad vocem ejus omnes circum circa exhorrerescerent, *sustulit ille se*, in summum potentias ac dignitatis fastigium evectus est in *Israele*, inter reliquas Israelitarum tribus ; et, sed *cupam contraxit Baalo*, id est instituendo Baali cultu, et *mortuus est*, id est cœpit inde ab illo ipso tempore interire. In primo et secundo membro cogitat vates de antiquioribus temporibus quæ fuerant ante triste inter Judæos et Israelitas dissidium ; in tertio autem de eo tempore, quo Ephraim regnum sui juris est factum, quoque introductus est inter illos deorum fectorum cultus. Ita Maurer, quem sequitur Bodin. alii vero interpres secundum accentuationem nomen בְּנֵי retet, protasi jungunt, illudque abstracto pro concreto posito per *rem horrendam*, institam, scilicet a Jeroboamo I vitulorum cultum, exponunt, ideoque ad idem tempus, quo Ephraim a Juda divisus fuit, referunt. — Hanc expositionem commendare videntur, inquit Ackermann, primo, parallelismus membrorum sequentis : *Et deliquit in Baale*, qui requirit, ut reatus in priori quoque membro intelligatur ; secundo, quia Ephraimus loquens, de alio tempore intelligi nequit, quam quo Ephraim a Juda divisus est, adeoque tempus notatur Jeroboami I, qui cultum vitulorum primus instituit.

put, faciusque est rex; sed postquam deflexit ad Baal, mortem incurrit, vitaque et regno privatus est. Per Ephraim intellige Jeroboam, vel ipsammet tribum regiam: tribus enim Ephraim in Jeroboam et posteris, regnum in cæteras tribus obtinuit.

Vers. 2.

2. ET NUNC ADDIDERUNT AD PECCANDUM (*q. d.* Insuper peccata peccatis, idola idolis addunt et accumulant: nam) **FECERUNT SIBI CONFLATILE** (conflaverunt idolum) **DE ARGENTO SUO** (vel auro, aliōve metallo) **QUASI SIMILITUDINEM IDOLORUM.** — Hebraice, *juxta intelligentiam*, vel *conceptionem suam idolorum*, sive quam habebant de idolis, hoc est, prout cuique in mentem venit, prout quisque phantasia sua concepit, prout cuique visum fuit, vel libuit effingere aut formare hoc vel illud idolum tali vel tali specie, forma et figura; quod clare Noster vertit, « similitudinem idolorum. » Hæc enim eorum mentis conceptio vel idea non erat aliud quam idea et similitudo idolorum. Unde subdit:

FACTURA ARTIFICUM TOTUM EST, — *q. d.* Idolum nil habet numinis, vel divini, sed totum est artificis idea conceptum, et ejusdem manu fabricatum; dum ergo idolum adoras, ideam et phantasiam fabri adoras: illius enim est opus et imago, nec aliunde quam ex hac ejus officina prodiit; sicut enim artifex mente prius concipit ideam domus quam fabricare cogitat, ac deinde juxta eam domum construit et fabricat; ita et idoloplastes, sive artifex idoli, prius format sibi ideam idoli in mente, ut verbi gratia talem habeat mensuram, talem vultum, tales oculos, talem situm, etc., ac deinde juxta eam illud ex argento vel auro conflat et efformat. Hebræum ergo תְּבָנוֹת tebuna proprie intelligentiam significat, non ideam, a radice בָּנָה ban, id est intellexit; sed in re, intelligentia architecti, artificis et fabri non est aliud quam exemplar et idea rei ædificandæ et fabricandæ, quam Hebræi proprie תְּבָנִית tabnit vocant, a radice בָּנָה bana, id est ædificavit.

Hinc patet, magis subtiliter quam solide et genuine, aliquos per similitudinem idolorum accipere *imagines idolorum*, *q. d.* Quanta est Israelitarum vanitas et stultitia, quod non tantum ipsa idola, sed et eorum effigies ac imagines expingant et exsculpant, easque colant quasi deos.

HIS IPSI DICUNT: IMMOLATE HOMINES VITULOS ADORANTES. — Vox homines est accusativi casus, non vocativi. Patet ex Hebræo זֶבַח אֲדֹם zobeche adam: et ex Septuaginta, θύσατε ἀνθρώπους, id est immolate homines, v. g. filios quasi victimas; vituli enim defecerunt. Sensus est, *q. d.* De idolis dicunt idololatræ, præsertim eorum sacerdotes: Vos, o Israelitæ, qui vitulos aureos Jeroboam adoratis, immolate eis non tantum oves et boves, sed et homines; quia id faciunt gentes, et quia id fecit Abraham, immolans Isaac filium suum, Genes. xxii. Sed vera causa erat, quia dæmon sitit cruorem humanum, eorumque necem sibi de-

poscit. Est nervosa antithesis inter vitulos et homines, *q. d.* Quanta stupiditas est vitulis immolare homines, cum vituli quasi bestiæ homini servire debeant, non homo vitulus? Ita S. Hieronymus, Cyrus, Hugo et alii. Aliqui tamen, ut Lyranus, Pagninus, Vatablus et Arias, τὸ homines accipiunt in vocativo, *q. d.* Vos, o homines, immolate victimas vitulus aureis, eos adorantes.

Nota: Pro adorantes hebraice est יְלַמֵּשׁ iissakun, id est osculantes. Unde Vatablus vertit: Vos, o homines, qui sacrificatis vitulus, osculamini eos. Solebant enim idololatræ, in signum venerationis et adorationis, osculari idolum, aut, si id non possent, manum propriam loco idoli. Hoc est quod ait Job cap. xxxi, 26: « Si vidi solem cum fulgeret, etc., et osculatus sum manum meam, » hoc est, si solem fulgentem adoravi osculando manum meam. Et Ezech. viii, 17: « Ecce applicant ramum ad nares suas, » quasi adorantes et osculantes Deum, cui ramus hic sacer erat. Vide ibi dicta. Hinc adoro idem est quod ad ora applico, scilicet manum osculando. Ita Plinius, lib. XXVIII, cap. II.

3. IDCIRCO ERUNT QUASI NUBES MATUTINA. — Cul- Vers. 3. pæ intentat pœnam excidii, eamque celerem, acrem et plenam, quam proinde quatuor parabolis explicat et exaggerat. Prima est: « Erunt, inquit (scilicet Israelitæ qui vitulos adorarunt) quasi nubes matutina, » quæ cito a sole oriente dissoluta, vel dispulsa interit.

Secunda, sicut « ros matutinus præteriens, » quem scilicet sol matutinus statim sorbet, siccatur et aufert.

Tertia, « sicut pulvis turbine raptus ex area: » pulverem intellige, non arenæ, nec terræ, sed palœarum frumenti triturati, puta glumam et quisquiliæ palœarum (has enim significat hebræum מְסֻטָּה mœstæ) quas ventus turbinis rapit ex area, et hue illucque difflat. Pari enim modo Israelitæ, excisa Samaria, ex ea quasi area sua abrepti sunt ab Assyriis in captivitatem, indeque quaquaversum dispersi.

Quarta, « sicut fumus de fumario, » puta de fumibulo, vel camino, exit et propellitur; qui statim tenues vanescit in auras: ita e Samaria expellentur Israelitæ in Assyriam. Pro fumario hebraice est אֲרַבָּה arubba, quod Aquila, cataractam; Symmachus, foramen, Theodotion, καταράξιον, id est fumibulum, vertit. Cataractam autem proprie vocat foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur, ait S. Hieronymus. Verum Septuaginta aliis punctis legentes אֲרַבָּה arbe, vertunt, locustam; quod explicans S. Hieronymus: Audiat, ait, Ephraim se ἄτρηψ, id est vapor, sive auræ et spiritui, comparari, qui ita tenuis de ore locustæ egreditur, ut non sentiatur.

4. EGO AUTEM DOMINUS DEUS TUUS (fui continuo) Vers. 4. **EX TERRA AEGYPTI** (1) (*q. d.* Ex olitano tempore, quo

(1) Sic cum præced. connectitur hic versus: Ne pœna

ex Agypto te per tot portenta eduxi, jugem cui curam gessi, te protexi, alui, prosperavi quasi Deus, imo pater tuus. Quocirca dixi, et mandavi tibi vicissim id quod sequitur, scilicet : **DEUM ABSQUE** (id est præter) **ME NESCIES** (q. d. Non agnoscet, nec coles, alium Deum quam me), **ET SALVATOR NON EST PRÆTER ME.** — Hebræum vau, significans et, est causale. Et ergo, id est *quia*, q. d. Coles me, quia redemptor et salvator tibi non est aliud quam ego, qui ex Agypto aliisque hostibus te salvavi et liberavi. Ita Cyrillus, Theodoretus, Lyranus et alii.

Vers. 5. **5. EGO COGNOSI** (practice, id est amavi, benefeci, rex et direxi) **TE IN DESERTO.** — Ita S. Hieronymus. Unde Septuaginta vertunt : *Ego te paxi in solitudine, nempe dans manna de cœlo quotidie.* Vere Psaltes, *Psalm. xxii, 1* : « Dominus, ait, regit me (hebraice, *pascit me*, vel *est pastor meus*), et nihil mihi deerit : in loco pascue ibi me collocavit. »

Vers. 6. **6. JUXTA PASCUA SUA ADIMPLETI SUNT,** — q. d. Cum tam largiter et miraculose eos per manna, coturnices, et aquam de petra pascerem in deserto aridissimo, ac si in pascuis uberrimis eos collocassem, ipsi saturi mihi recalcitrarunt. Ita Chaldæus; itaque impleverunt illud Mosis de sevaticinium : « Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, » *Deuter. xxxii, 15.* Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Hugo, Lyranus et alii.

Vers. 7. **7. ET** (id est idcirco, q. d. Quia ipsi mihi, semper affluenter pascenti, ingratiti et rebelles fuerunt, idcirco) **EGO ERO IUS QUASI LEENA.** — Deum vindicem acrem et terribilem, ac consequenter Assyrios, quibus ad hanc vindictam usus est Deus, comparat *primo*, leænæ, quæ sævier est leone, præser-tim dum catulos nutrit; *secundo*, pardis « in via Assyriorum (1), » qui scilicet solent grassari in deserto, per quod ex Judæa et Samaria itur in Assyriam. Notat captivitatem per Assyrios factam : Assyrii enim quasi pardi, per hoc desertum Israelitas vexando, onerando, et verberando quasi mancipia, deduxerunt in Assyriam. Hebraice est **אַשּׁוּר Assur**, id est Assyrius : verum Chaldæus, Rabbini, Clarius, Arias, Pagninus et Vatablus pro **Assur** legunt **אַשְׁוּר asur**, id est aspiciam, accingar ad prædam, insidiabor, a radice **אָשֵׁר sur**, id est aspexit, insidiatus est. Unde vertunt : *Sicut pardus ad viam aspiciam, et insidiabor eis*, ut eos prædeceret et dilaniem.

vers. 3 denuntiata, severior videatur, sed ut potius crimen perfidiæ Ephraimitarum, in admisso cultu idolorum, eo magis pateat : regreditur Dominus ad summa beneficia, populo inde ab antiquissimis temporibus exhibita.

(1) Sunt in pardo, præter robur et sævitiam, celebria quoque cursus velocitas atque insidiosa astutia. Cf. Plinii, *Hist. nat.* lib. X, cap. LXXXIII : Insidunt pardi condensa arborum, occultatique eorum ramis in prætereuntia desiliunt, atque e volucrum sede grassantur.

Tertio : 8. OCCURRAM EIS QUASI Ursa RAPTIS CATU- Vers. 8.
LIS, — sæviens in raptorem, et consequenter in obvios quosque. Mira est sævitia ursæ raptis catulis : quia mirus illius in eos amor. Ursæ enim catulos informes gignit, eosque deinde lambendo sensim format et perficit, quod non faciunt alia animalia. Unde B. Isidorus Pelusiota, discipulus S. Chrysostomi, lib. III, *epist. 267*, legit : « Occurrat eis ut ursa anxia, » aitque hoc simili significari vim Dei ultricem.

Tropologice, si tantus est ursæ amor in foetus informes, tantusque furor in eum qui illos sibi eripit; quantus est amor Dei in suos fideles et filios, quantusque furor in eos, qui illos malo exemplo, vel pravis consiliis, illecebris, etc., a Deo avertunt, et in venerem aliaque scelera pelliunt? Sane in tales sæviet Deus magis, quam ursa in raptorem catulorum. Vide de ursæ in catulos studio Plinium, lib. VIII, cap. XXXVI, et Elia-num, lib. II, cap. XIX.

ET DIRUMPAM INTERIORA JECORIS EORUM. — Hebræus, Chaldæus et Septuaginta : *Dirumpam clausuram cordis eorum*; Leo Hebræus : *Lacerabo pertinax cor eorum*. Alludit ad leones aliasque feras, quæ solent captæ prædæ corpus scindere et findere usque ad cor, ipsumque cor primo devorare. Porro Hebræum **כֶּל leb**, id est cor, in Scriptura per synecdochen significat interiora omnia, puta jecur, præcordia, aliaque viscera. Itaque noster Interpres maluit vertere *jecoris* quam *cor-dis*, quia jecur est sedes amoris et concupiscentiæ; ac proinde juste a Deo punitur, et dirumpitur. Hac de causa in hymno sabbati, ad matutinas Horas, orat Ecclesia :

Lumbos jecurque morbidum
Adure igni congruo.

q. d. Concupiscentiam adure, quæ in lumbis et jecore maxime residet.

Ita sentiunt quoque et loquuntur Philosophi et Poetæ, ut Plato et Horatius, lib. I, *ode xxv*, cum ait :

Cum tibi flagrans amor et libido
Sæviet circa jecur ulcerosum.

Et lib. IV, *ode i ad Venerem* :

Si torrere jecur quæris idoneum.

Et lib. I, *epist. 18* :

Non ancilla tuum jecur ulceret.

Rursum dirumpet Deus jecur, id est vitam, felicitatem et gloriam Israelitarum; horum enim symbolum est jecur, ut dixi *Thren. II, 8.*

ET CONSUMAM EOS IBI QUASI LEO, BESTIA AGRI SCINDET EOS. — « Ibi, » scilicet « in via Assyriorum, » ipsaque Assyria. Ita S. Hieronymus, Lyranus et Vatablus. Aliter Arias : *Ibi*, inquit, *id est in corde*, q. d. Sicut leo cor prædæ petit et vorat, adjempque et sanguinem circa cor diffusum exsugit, cæ-

tera vero membra permittit ursis, lupis, aliisque bestiis devoranda : ita ego corda Israelitarum immissis assiduis curis, mœroribus, anxietatibus et terroribus exedam et consumam : sed bestia agri, id est Assyrii, reliquas corporis partes scindent et laniabunt. Hæc expositio apposita est, æque ac erudita.

Moraliter, Deus credentibus et poenitentibus est mater, aitque : « Venite ad me omnes qui labaratis et onerati estis, et ego reficiam vos, » Matth. xi., 28. « Incredulis vero et nolentibus agere poenitentiam, panther, pardus, ursa, et leo efficitur, » ait S. Hieronymus.

Vers. 9. 9. PERDITIO TUA, ISRAEL, TANTUMmodo IN ME AUXILIUM TUUM. — « Tua, » id est ex te, tuisque peccatis et demeritis tibi obvenit, q. d. Tu, o Israel, tibi es causa perditionis, id est captivitatis et excidii, non ego : quia in me non est perditio, sed auxilium tuum: nullus enim est qui tibi auxiliari possit et velit nisi ego. Tu vadis te perditum, ego non nisi tibi auxiliari, teque salvare opto et conor. Hinc Leo Hebræus, Pagninus et Vatablus pro **תְּנַשֵּׁשׁ** **שָׁכַחַת**, id est perdere, perditio, legentes **תְּנַשֵּׁשׁ** **שָׁכַחַת**, id est perdidit, excidit, delevit, vertunt, *perdidit te vitulus tuus, quem, me relicte, coluisti, sed in me auxilium tuum.* « Perditio » ergo hic non significat peccatum et culpam, sed peccati poenam et excidium : hoc enim significat Hebræum **שָׁכַחַת**. Ita Septuaginta, S. Hieronymus, Lyranus, Vatablus, a Castro, Mariana et alii. Sensus ergo est, q. d. Tu, o Israel, semper tua rebellione, idolis et sceleribus adscivisti tibi clades, ruinas, et mille calamitates : ego ex adverso, quantum in me est, curavi et curo tuam salutem mittendo Prophetas, qui te ad poenitentiam, qua clades imminentes evaderes, hortarentur tibi : ergo tuum excidium imputa, non mihi ; esto enim tandem occursurus sim tibi per Assyrios quasi leo, pardus, et ursa sæviens; tamen tu ad hoc me cogis tua obstinatione et impoenitentia, quæ tanta est, ut ipsa volenti mihi tui misereri et parcere, quasi invito flagellum quo castigeris extorqueat. Hinc Chaldaeus vertit : *Cum vos depravatis opera vestra, o domus Israel, dominantur in vos populi; sed quoties conversi estis ad legem meam, verbum meum fuit vobis præsidio;* Syrus vero : *Corrupi (perdididi) te, Israel; quis adjuvabit te?* Arabicus Alexandrinus : *In perditione tua, o Israel, quis est qui te adjuvet?* Arabicus Antiochenus : *Corrumperent te (hostes, v. g. Assyrii), quis est qui te adjuvet?*

Ubi nota : Vox *tantummodo*, licet expresse non sit in Hebræo, tamen per antithesen intelligitur, duoque significat. *Prius*, Israelem nec ab Assyrio, nec ab Aegyptio, nec ab Hosee rege suo, nec ab ullo alio sperare debere auxilium, nisi tantum a Deo. *Posterior*, Dei tantum esse auxiliari, non perdere, q. d. Sicut tibi proprium est te perdere, ita Dei proprium est tibi auxiliari, teque salvare : per accidens enim ei est, et quasi

alienum ab eo, si ob peccata cogatur te punire. Ita noster Emmanuel Sa.

Secundo, S. Hieronymus ex Hebræo hunc quoque dat sensum : « Dispereas, Israel, quia nihil tibi reliquum est, nisi ut mea solum clementia conserveris. »

Tertio, Septuaginta vertunt : *Corruptioni tuae, Israel, quis auxiliabitur?* id est captivitati tuae, et ultimæ servituti quis eorum, quos tibi præsules aestimasti, poterit ferre auxilium? ait S. Hieronymus. Unde sequitur : « Ubi est rex tuus? »

Loquitur Propheta de perditione et de auxilio primo corporeo et temporali, deinde spirituali et aeterno. Hoc enim illo longe gravius maximique momenti est. Unde sequitur perditionem, reprobationem, obdurationem et damnationem non esse proprie et per se ex Deo perdente, reprobante, obdurante et damnante; sed ex homine peccante, seque in peccatis usque ad finem vitae obdurante. Ex adverso prædestinationem, vocationem et gratiam non esse ex præviis prædestinatur meritis; sed ex Deo prædestinante, vocante, et gratia sua prædestinatos præveniente. Hæc enim sunt auxilium Dei. Ita Theologi, I part. Quæst. XXXIII.

Quocirca licet in prædestinatis non sit causa vel ratio cur prædestinentur, tamen in non prædestinatis est ratio seu causa cur non prædestinentur. Si enim Deus, ex seipso motus, aliquos excluderet a beneficio prædestinationis, ipse esset prima causa perditionis illorum, cum certum sit perituros qui non sunt prædestinati, ait Gregorius de Valentia, I part. Quæst. XXIII, puncto 4, disp. 1.

Est ergo hæc sententia : « Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuum, » generalis et universalis, quam sic quasi per partes et parallela explices :

Captivitas tua, Israel, ex te : redemptio tua ex me.
Interitus tuus ex te : salus tua ex me.

Mors tua ex te : vita tua ex me.
Malum tuum ex te : bonum tuum ex me.
Reprobatio tua ex te : prædestinatio tua ex me,
qui semper ad ostium cordis sto et misericorditer pulso.

Derelictio tua ex te : vocatio tua ex me.
Miseria tua ex te : felicitas tua ex me.
Damnatio tua ex te : salvatio et beatificatio tua ex me.

Nam, ut ait S. Augustinus in *Sententiis*, num. 311 : « Multa bona facit Deus in homine, quæ non facit homo; nulla vero facit homo, quæ Deus non facit ut faciat homo. »

Quod ergo nonnulli Doctores sic exponunt : « Perditio, » id est peccatum et culpa tua, qua te perdis, o homo reprobe, est ex te tuaque mala voluntate : perditio vero, id est reprobatio et permissio peccati, ex qua infallibiliter sequitur peccatum et damnatio, est ex Deo reprobante : hæc, inquam, expositio, huic loco est imperti-

Reproba-
tio est ex
homine,
præ desti-
natio ex
Deo.

nens; quia perditio, uti ostendi, hic pœnam significat, non culpam. Est et falsa, ut videtur: prima enim permissio primi peccati hominis in Deo, non est effectus reprobationis, nec a Deo reprobante: sed est effectus communis providentiae, qua Deus causas secundas et liberas permitit suæ libertati, ut libere bene faciant aut male, prout voluerint; hoc enim exigit hominis libertas, et suavis divinæ providentiae dispositio. Nam reprobatio non est causa peccati, sed potius ejus effectus. Deus enim neminem reprobatur ideo, ut peccet; sed omnem reprobum ideo reprobatur, quia peccavit et reproba gessit; ideoque se reprobum et damnatione dignum efficit. Reprobatio enim est actus justitiae vindicativæ, quæ necessarium peccatum vindicandum et puniendum, quasi objectum proprium præsupponit, non facit, nec causat. Vide dicta cap. xi, 8 et 9.

Præclare S. Bernardus, serm. 8 in Natali Domini: « Recte, inquit, Deus, non pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed pater misericordiarum, eo quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro. » Et S. Augustinus, *Sententia* 379: « Neminem, ait, Deus ad peccandum cogit; prævidet tamen omnes qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet justus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse quæ prætereunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ fecit meminit, nec tamen omnia quæ meminit fecit; ita Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est: quorum autem non est auctor malus, justus est ultor. » Clarius idem, epist. 106: « Si Deus, inquit, quemquam immetitum damnare creditur, immunis ab iniuitate non creditur. » Et lib. *De Bono persever.* cap. viii: « Qui liberatur, gratiam diligit: qui non liberatur, debitum agnoscat. » Et cap. xi: « Investigabilis ergo est misericordia Dei, qua cuius vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis; et investigabilis veritas (id est justitia), qua quem vult indurat, ejus quidem præcedentibus meritis; sed cum eo cuius miseretur plerumque communibus. » Et epist. 105: « Quærimus causam prædestinationis, nec invenimus; reprobationis autem causam quærimus, et invenimus. Nam quibus Deus misericordiam non impertit, ut non impertiatur merentur. » Et lib. I ad Simplician. Quæst. II: « Ille cui subvenit, et ille quem deserit, ex eadem massa sunt peccatorum. Et quamvis debeat uterque supplicium, ab uno tamen exigitur, alteri donatur. » Ibidem asserit Esau odio habitum a Deo propter peccata. Cum ergo reprobatio sit odium, Deus autem nihil odiat in homine nisi peccata, ut ait S. Augustinus, epist. 105, sequitur Deum neminem reprobare nisi propter peccata.

S. Augustinum sequitur S. Prosper ad Capitula

Gallor., in sententia super cap. vii, ubi dicit: « Gratia Dei non prius eos (reprobos) deseruit, quam ab eis deserteretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit. » Utrumque secutus S. Fulgentius, lib. I ad Monimum: « Quæso, inquit, Monime charissime, ut hunc locum Apostoli diligenter attendas. Notum namque est iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniuitas præcessisse. » Deus enim, cum reprobatur, dicitur ab Apostolo velle « ostendere iram, » Rom. ix, 22. Idem docent Scotus, Herveus, Cajetanus Ferrariensis, Joannes Major, Sylvester, Dominicus Soto, et alii quos citat et sequitur Ludovicus Molina, I part. Quæst. XLIII, art. 4 et 5, disp. III, Vasquez, Bellarminus, Suarez et Gregorius de Valentia *ibid.* Hi omnes asserunt Deum neminem reprobare nisi ob ejus peccata, in quibus vitam finit.

Tropologice, « perditio tua, Israel, » non hostium, non infecti aeris, non concursus siderum, non virium accensi ignis, non armorum, non ducum, non hostium, nec exercituum validissimorum: hæc enim omnia imbellia et evanida forent, nec te perdere possent, nisi tu tuis peccatis iram Dei in te concitares, eamque in tui perditionem lacesseres et evocares; tibi ergo eam adscribe, tibi imputa, non hosti. Idem dicat quælibet respublica, civitas et anima peccatrix, quæ suis sceleribus Dei vindictam sibi accersit, suosque hostes in suum exitium concitat et armat.

Rursum idem S. Augustinus, lib. II *De Peccat. merit. et remiss.* cap. v, pulchra similitudine idipsum explicat: Sicul, inquit, corporis oculus non adjuvatur a lumine, si oculum claudas, aut si eum a luce avertas; ita si avertas a Deo, qui lumen est quod illuminat omnem hominem venientem in huic mundum, aut si claudas mentis oculos, incurres in laqueos dæmonum, et peribis; si vero te convertas ad Deum, ille tuam mentem illustrabit, et te ad se convertet. Itaque, o Israel, tua perditio ex te est, quia te avertis a Deo; salus tua tantummodo ex me, quia conversio ad Deum ex peccato a Deo incipiat necesse est. Hinc D. Thomas, I II, Quæst. CXII, art. 3, ad 2, sic explicat: « Defectus gratiæ prima causa est ex nobis; sed collationis gratiæ prima causa est a Deo, secundum illud Osee: Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuum. »

Simili schemate de excidio Trojæ cecinit Poeta:

Non tibi Tyndaridae facies invisa Lacenæ,
Culpatusve Paris; verum inclemencia Divum
Has evertit opes.

10. UBI EST REX TUUS? MAXIME NUNC SALVET TE, Vers. 10.
— q. d. Reges, quos tibi petivisti et creasti, non possunt te ab instantे Assyriorum excidio eripere et salvare, sed ego solus quem tu negligis et spenis. Probatio, quod dixit vers. præcedenti:

« Tantummodo in me auxilium tuum, » q. d. Reges et principes tui non possunt tibi in hac clade auxiliari, disce ergo ipsa experientia quod ego solus tibi opitulari possim.

Pro ubi hebraice est 'תְּנֵהִ ehī, quod Septuaginta, Chaldaeus, Noster, Leo Hebreus et alii vertunt, ubi. Aliqui tamen vertunt ero, quasi ehī sit futurum ab הַיָּה haia, id est fuit, ut sensus sit : Ero rex tuus nunc, q. d. Nunc regam et frenabo te quasi equum rebellem et indomitum. Verum huic versioni repugnant sequentia : « Salvet te, » etc., quæ de rege, non de Deo, accipienda esse liquet.

ET JUDICES (consiliarii et principes, ut sequitur) TUI DE QUIBUS DIXISTI (I Reg. VIII, 5) : DA MIHI REGEM ET PRINCIPES. — Hinc videtur quod populus petens regem a Samuele (qui ei annuens jussu Dei, dedit Saulem) simul ab eo petierit judices, quasi regis consiliarios; licet hoc in historia lib. Regum non exprimatur.

Vers. 11. 11. DABO TIBI REGEM IN FURORE MEO. — « Dabo, » id est dedi tibi Saulem, iratus quod regem alium a me peteres; item Jeroboam, cæterosque reges Israel, quos proinde mox abstuli, eo quod impie viverent. Simili modo brevi auferam ultimum regem Hosee pariter impium, et in eo ac cum eo regnum tuum evertam. Vere S. Augustinus in *Sententiis*, sententia 252 : « Deus, ait, cum male aliquid poscitur, dando irascitur, non dando miseretur. »

Unde S. Hieronymus et Lyranus sic explicant : Dedi tibi Saulem primum regem in furore, et ultimum regem Sedeciam auferam pariter in furore. Aut potius, dedi Jeroboam primum regem tuum, o Israel, in furore (de eo enim hic agitur, non de Sedecia et Juda), et auferam ultimum regem tuum Hosee in furore (1).

Nota : Jeroboam cæterosque reges sequentes Israeli dedit Deus in ira, quia offensus peccatis populi, voluit eum abjecere a Jerusalem, temploque ac regno suo, quod erat in Juda; unde in pœnam peccatorum ejus, dedit ei reges qui schisma facerent a Juda et Deo, populumque ad virtuosos aureos abducerent.

Probat quod dixit, Israelem a regibus suis non ter, Deus debere exspectare tutelam contra Assyrios et salutem; quia, inquit, ego reges hosce dedi Israeli, non ex amore, sed ex ira, ac proinde pariter auferam eos cum regno et populo ex ira. Quocirca ipsi non tam sunt sceptrum, quam flagellum Dei; quia sunt virga, qua Deus non regat gregem suum, sed castiget hostes suos. Vere dixit Livius lib. IX : « Imperia male parta, male gesta, male retenta obruuntur. » Hoc est quod ait Job xxxiv,

(1) Horum verborum sensus hic esse potest, inquit Maurer : Iratus delictis vestris sino vos per seditiones accædes mutare reges pro lubitu. Nescio tamen an accommodation ad ea quæ proxime praecesserunt, hic sit sensus : Iratus concedo tibi regem, id est regiam dignitatem, eamdemque iratus tibi aufero. Cf. cap. x, 15.

vers. 30 : « Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. » Quæ verba explicans S. Gregorius, lib. XXV *Moral. xiv*, docet subditos non debere conqueri de regum et principum vitiis, sed de suis propriis, quia ob ea Deus iniquos eis dat principes. « Culpam ergo, inquit, proprii magis accuset operis, quam injustitiam gubernantis. Scriptum namque est : Dabo reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præesse despiciimus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus ? » Unde concludit : « Sic ergo secundum merita subditorum, tribuuntur personæ regentium. Sic pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium, ut sæpe pro malo regis etiam vere boni, delinquat vita pastoris. » Idem, lib. VI, epist. 7 : « Ita, ait, sibi regentium merita connectuntur et plebium, ut sæpe ex culpa præcedentium deterior fiat vita subjectorum, et sæpe ex merito plebium delinquat vita pastorum. » Probat id exemplo Davidis : « Ille enim Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius, tumore repente elationis inflatus, populum numerando peccavit, et tamen vindictam populus David peccante suscepit. » Cur hoc ? « quia videlicet secundum meritum plebium, disponuntur corda regentium. » Unde infert subditos maxime debere orare tam pro regibus, quam pro toto populi cœtu. Sic Deus Judeis et improbis, in fine mundi, dabit Antichristum regem in furore suo, ut docet ibidem S. Gregorius, imo S. Paulus, « eo quod charitatem veritatis, inquit, non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio, » II Thess. ii, 10, q. d. Quia Judæi noluerunt recipere Christum veracem, ideo mittet eis Deus Antichristum mendacem. Scelera ergo impiorum, quæ in fine mundi erunt maxima, parturient quasi Antichristum, eumque a Deo regem extorquebunt.

Præclare Plutarchus, lib. *De Sera numinis vindicta*, cap. iv, docet impios principes et tyrannos dari a Deo, quasi carnifices, ad sumendum de impio populo pœnas; sicut enim fel hyænae utile est ad morbos sanandos, sic et sævitia tyranni, vel magistratus, valet ad expurganda vitia populi : « Tale medicamentum, inquit, Agricentinis fuit Phalaris, Marius Romanis, Orthagoras Myro, Clisthenes Sycionis. » Hinc Theognides, cum videret urbem fastu et luxu tumentem :

Uterum, inquit, fert civitas hæc; timeo autem ne pariat Virum correctorem malæ insolentiae vestrae.

Anastasius Nicenus, Quæst. XV in *Script.*, duo illustria refert exempla. Primum, cum Phocas, inquit, Imperator quasi tyrannus seviret in innocentes, monachus quidam sæpe cum Deo expostulabat : « Cur, Domine, eum fecisti Imperatorem ? » Cui responsum est cœlitus : « Quoniam non inveni pejorem. » Secundum, monachus quidam hypocrita, sed sceleratus, angeli monitu crea-

tus Thebaidis corruptissimæ Episcopus, cum ex sacro honore insoleceret, audivit ab angelo : « Cur superbis, o infelix? non es creatus Episcopus, quod dignus sacerdotio sis, sed quod civitas tali digna erat Episcopo. » Quin et S. Ambrosius in *Apolog. David*, agens de ejus lapsu : « Regum, ait, lapsus pœna populorum est; sicut enim eorum virtute servamur, ita etiam errore periclitamur. » Porro inter alia peccata, quæ impios principes merentur, Deumque ad eos dandum provocant, excellit contemptus sacerdotum et sacerorum : hunc enim Deus tyrannide principum castigat, inquit S. Cyprianus, epist. 67 *ad Rogatianum*, idque probat exemplo Samuelis. Huic enim dixit Deus : « Non te spreverunt, sed me, atque ut hoc ulcisceretur, excitavit eis Saul regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et pœnas superbum populum calcaret et premeret; ut contemptus sacerdos, de superbo populo ultione divina vindicaretur. »

Vers. 12. 12. **COLLIGATA EST INIQUITAS EPHRAIM** (*q. d. Scelus Israel repositum et reconditum est in scrinio memorie meæ, ut pecunia in arca et loculis colligatur et reconditur: colligatur, inquam, ne excidat, ideoque in mente mea) ABSCONDITUM (est) PECCATUM EJUS, — quia in ea reservatur ad tempus ultiionis, quod brevi aderit, ut puniatur. Ita Chaldaeus, S. Hieronymus, Theodoreus, Vatablus et alii. Alludit ad *Deuter. xxxii*, 34 : « Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis (1)? »*

Tropologice, nonnulli hæc referunt ad fideles, qui ex verecundia aut superbia nolunt Confessario sua peccata confiteri; et ad Religiosos, qui nolunt Superiori detegere suam conscientiam, animæque infirmitates et malas inclinationes. In his enim colligata est lingua, et consequenter iniqüitas; sicut enim morbus ægri curari nequit, nisi ipse eum detegat medico; ita nec vitia animi, quibus hoc proprium est, ut sola humilitate confessionis et charitate, consolatione et instructione Patris spiritualis, vel sanentur, vel mitigentur, ut docet Cassianus, *Vite Patrum*, ipsaque experientia. Unde sequitur : « Dolores parturientis venient ei, » quo enim diutius quis silet peccatum, eo difficilis illud pandit et expellit, sicut puella quæ fœtum mortuum utero gestat, quo diutius eum tacet et dissimulat, eo difficilis parturiet; quia in dies magis is corrumpitur, ut a matrice et virtute pariendi ejici nequeat. Audi Cassianum, *Collat. II*, cap. x : « Illico ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterimus velut e tenebroso et subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem, et traductus quodam modo, ac dehonestatus abscedit. Tam-

(1) Imago desumpta est a rebus pretiosis, quæ colligantur et diligenter asservantur, et in vers. seq. describitur effectus istius ligationis et reconditionis peccatorum Ephraimi.

diu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde. » Confirmat deinde idipsum exemplo Serapionis, qui solitus furari panem ad famem satiandam, furtum confitens, mox tentatione et fame omni liberatus est. Vide et Dorotheum, *serm. 5*. Huc spectat illud *Psalm. xxxi*, 3 : « Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea. » Et *Eccles. IV*, 24 : « Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam et gloriam. » Et S. Augustinus, lib. *De Decem chordis* : « Melior est modica amaritudo in fauibus, quam æternus cruciatus in visceribus. »

13. **DOLORES PARTURIENTIS VENIENT EI, etc.; NUNC ENIM NON STABIT IN CONTRITIONE FILIORUM**, — *q. d.*

*Israel dolebit ut parturiens, dum cernet filios suos ab Assyriis occidi et conteri. Pro in contritione filiorum, Pagninus et Vatablus vertunt, in confractione fœtuum, id est in ipso partu, et partus angustiis; per confractiōnēm enim intelligit angustias uteri materni, ab effectu, eo quod fœtus illic confringantur, *q. d.* Gravissimas de Israele sumam pœnas, et tamen non resipiscet; nam est tanquam fœtus insipiens, qui non conatur statim egredi ex angustiis uteri materni et prodire in lucem; sed illic diu moratur in confractione. Tam stolidi sunt peccatores, qui, cum sint sæpe in extremis angustiis, in illis hærent, ab iisque confringuntur et conteruntur, nec ad pœnitentiam et ad Deum recurrunt: quod si facerent, mox ab iis se expedirent; a Deo enim liberarentur. Aliter Rupertus et Arias, *q. d.* Ephraim non agnoscit suam culpam et scelus, « dicitque : Cuncti labores non invenient mihi iniuritatem; » facit ergo sicut stolida puella, quæ cum fornicata sit, scelus occultat; sed dum ei partus angustiæ obveniunt, illud cum summo dedecore et dolore prodit: nam non stabit in contritione filiorum, id est tantos in pariendo cruciatus et contritiones patietur, ut sustinere et dissimulare nequeat; sed se parere vultu et voce prodat, imo proclamat. Pari modo accidet Israeli in excidio; tanta enim erit ejus clades et dolor, ut omnes agnoscent ejus scelus fuisse enorme, ob quod adeo punitur; licet illud nunc neget et occultet. Ita Rupertus, Arias et Sanchez quem vide.*

Tropologice, sicut puella fœtum, sic peccator peccatum concipit cum modica et brevissima voluptate; sed illud parturit et parit cum magno et longo dolore, præsenti et æterno. Vide S. Hieronymum hic ad vers. 15.

14. **DE MANU MORTIS LIBERABO EOS.** — *Chaldaeus* *vertit in præterito, liberavi eos, q. d.* Hactenus saepius Israelitas pœnitentes, et me invocantes liberavi ab hostibus, morte et excidio: at jam impenitentes mihiæ rebelles tradam hostibus et morti: imo ipse ero eis mors, ut sequitur. Verum Hebræus, Septuaginta et alii passim legunt in futuro : *Liberabo et redimam. Secundo, Leo Hebræus et Clarus subaudiunt conditionalem voculam si,*

veriunctque per subjunctivum, q. d. Si populus Israel esset filius sapiens, et resipisceret a peccatis, ac ad me rediret, de faucibus inferni et mortis liberarem eum : at quia manet insipiens et impoenitens, morti a me tradetur (1). Ubi nota : Pro mortis hebraice est נִשׁוּל sceol, id est *inferni*, ut vertit Syrus, sed eodem res redit : quia haec duo tunc erant conjuncta. Nam ante resurrectionem Christi, qui ibant in mortem, ibant pariter in infernum.

Verum nec Hebræus, nec Septuaginta, nec Chaldaeus, nec alii habent voculam *si*, sed legunt absolute : *Liberabo et redimam*. Haec ergo est vera et genuina lectio.

Queres, quis ejus sit sensus, et de qua liberatione hic agatur ? *Primo*, Ruffinus haec accipit de liberatione urbis Hierosolymæ e manu Sennacherib eam obsidentis, quæ facta est per angelum cædensem 185 millia Assyriorum, IV Reg. xix, 35. Verum illa fuit liberatio Judæ et Hierosolymæ; hic vero agitur de liberatione Ephraim, id est decem tribuum, ut patet vers. 1.

Melius Theodoreetus et a Castro censem hic agi de liberatione e captivitate Babylonica : licet enim ea primario fuerit Judæorum, tamen secundario fuit quoque Israelitarum : multi enim ex iis miscentes se Judæis, cum iis e captivitate in Judæam redierunt. In captivitate enim erant quasi in morte et in inferno, erantque ibi morituri et in infernum descensuri, nisi Deus inde eos liberasset. Typice autem agi hic de liberatione et redemptione Christi, qui moriens et resurgens Patres e limbo et morte liberavit, vitaque restituit. Simili schemate Ezechiel, cap. xxxvii, 1, per osium aridorum vivificationem, repræsentat liberationem Judæorum e captivitate, et typice resurrectionem mortuorum.

Verum alii passim haec non typice, sed ad litteram accipiunt de Christo, qui sua resurrectione Patres inferno et morte liberavit, secumque resurgere fecit ; ac in fine mundi omnes pariter a morte ad vitam revocabit in universali resurrectione. Tunc enim perfecte hoc oraculum implebit Christus, qui inchoate illud implevit in sua resurrectione : in ea euin nos simul cum eo quasi surreximus per fidem et spem. Ita censem S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Rupertus, Lyranus, Vatablus, Arias, Ribera et alii passim hic, et S. Augustinus, serm. 157 *De Tempore*; Eusebius, lib. IV *Demonstrat.*, cap. xii; S. Gregorius, homil. 22 in *Evang.*, et veteres Rabbini apud Galatinum, lib. VIII, cap. xxi, ubi refert verba R. Mosis Hadarsan, dicentes : « Ibat mecum Messias filius David, quoque perveni ad portas gehennæ, cumque viderent captivi, qui in gehenna erant, lumen Messiae, gavisi sunt eum recipere dicentes : Hic educet nos de his tenebris, sicut dictum est, Osee

cap. xiii : De manu inferi redimam eos, de morte liberabo eos. » Probatur haec sententia, primo, quia ita de Christo haec explicat Apostolus, I Cor. xv, 54, dicens : « Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem (in communi resurrectione), tunc fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua ? Ubi est, mors, stimulus tuus ? » Ubi manifeste citat verba Osee hoc loco, uti mox plenius dicam. Secundo, quia id arguunt ipsa verba sequentia : « Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne : » quæ umbratice tantum et tenuiter admodum convenient Cyro Judæos e Babylone liberanti; proprie vero competunt Christo victori et triumphatori mortis et inferni, ut liquet ex ipsis verbis, et passim docent Patres et Interpretes, adeo ut hic videatur communis esse fidelium et Ecclesiæ sensus, cui contradicere est nefas ; tertio, quia Israelitæ, de quibus hic agi nonnulli censem, e captivitate Assyriaca nunquam sunt liberati, sed in ea manserunt. Ergo de iis dici nequit : « Liberabo et redimam eos; » licet enim aliqui cum Judæis e Babylone redierint, tamen id per accidens fuit, illique fuere perpauci. Haec autem sententia et promissio : « De manu mortis liberabo eos, » est generalis et universalis : ergo omnes spectat, et ad paucos arctanda non est.

Dico ergo Prophetam hic de more ab Israelitis sui temporis avolare ad Christum : solent enim Prophetæ tristibus læta subjungere, ne populi animos in desperationem adigant, sed ad spem meliorem erigant. Illa autem læta sunt, liberatio et redemptio facienda per Christum. Cum enim hic Propheta plenum Israelis prædictisset excidium, quæ erat res tristissima, et extreme desperationis occasio, ut hoc leniat, consolatione melioris sortis, utque hoc quasi fel melle jucunditatis dulcoret, subdit eos non tantum e captivitate, sed et a morte ac inferno liberandos per Christum; Christum enim eos, si in ipsum credant, æque ac alios omnes sibi credentes a morte et inferno liberaturum.

Faleor tamen alludi hic ad liberationem e captivitate Babylonica, juxta sensum ex Theodoreto paulo ante allatum : ita tamen ut in ea non sistat Propheta, sed eam obiter tantum, quasi umbram perstringat et prætervolet, ac mentis suæ aciem scopumque figat in Christo, quem unum ad litteram significare intendit. Simili modo Isaías a Cyro avolat ad Christum, dicens cap. XLV, 8 : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum. » Vide Can. IV et V, quos præfixi Prophetis majoribus (2).

(2) Circa nexus æque ac sensum verborum hujus versus dissentiunt interpres. Haec tantum ad expositionem Cornelii annotanda duximus. Communis sententia apud catholicos est haec ad Christum, spiritualemque vitam, et libertatem pertinere ; qui de morte liberat, æterna videbit, quæ peccatum sequitur, et de manu mortis, quæ peccatum est. Porro, inquit Sanctius, observandum est,

(1) Hanc interpretationem sequuntur Rosenmuller Maurer, etc.

ERO MORS TUA, O MORS; MORSUS TUUS ERO, INFERNE. — Rupertus, lib. VI in *Joannem*, post medium, *morsum* passive accipit pro cibo qui mordetur et comeditur, ac talem fuisse Christum, qui descendens ad inferos, seipso pavit, creavit, et vivificavit Patres in limbo : « Quem, inquit, agnum in cruce torridum, illa sacratissima vespера simul omnes in inferno positi velociter comederunt, impleta prophetia quae dicit : O mors, ero mors tua; morsus tuus, inquit, ero, inferne : quem, inquam, agnum mortui in inferno comederunt, nos eumdem manducamus (in Eucharistia) ut in aeternum vivamus. » Verum hoc mysticum est, non litterale, nec genuinum. Potius enim morsus hic active capit, aequae ac mors, quo scilicet Christus momordit infernum, aequae ac mori fecit mortem, eamque moriendo occidit. Hoc enim significat vox Hebraea, ut mox dicam. Unde et pro *morsus* Septuaginta vertunt, *aculeus*, per quem Rupertus, rursum hic et I Cor. xv, accipit divinitatem Christi. Ait enim : « Libera eos a morte. Sed quomodo id fieri? Mordebis me, o inferne, et ut hamum devorabis; sed postea hamo divinitatis meae disrumpam ventrem tuum, et exibo, ac simul exhibunt Patres. Christus est de quo ait Job cap. XL, 23 : An extrahere poteris Leviathan hamo? » Hoc accommodalitium est et elegans : nam ad litteram stimulus hic est mortis, non Christi; vertunt enim Septuaginta : *Ubi est, mors, stimulus tuus?* Ergo quoad sensum litteralem, Theodoretus et a Castro per mortem et infernum accipiunt captivitatem Babyloniam, q. d. E Babylone, quasi e faucibus mortis et inferni, Israelitas liberabo, itaque ipsis quasi mortem interficiam, et infernum destruam. Chaldæus contrarie vertit : *Erit, inquit, verbum meum contra*

quia haec quae de novo Testamento et Evangelii tempore dicuntur, aliena quodammodo videntur ab instituto filioque prophetiae, a quo ad altiora sacratoriaque mysteria spiritus propheticus abripit, qui deinde se ad inchoata, atque interrupta recipit, ideo haec quasi aliena claudenda esse parenthesi; quod si ita fiat, non erit obscurus textus ipse verborum, cum parenthesis tota eximenda sit a textu, et quae a parenthesis videntur esse disclusa, sublata e medio parenthesi conjungenda sint. (Cf. *Jesaj.* xi, 1, 16; *Mich.* I, 2; v, 14; *Ezech.* xxxvii, 15-28; *Zachar.* ix, 1-11 et seq., etc. Hinc credo vera sese prodet hujus loci obscura et impedita sententia. Praecesserat dura populi calamitas parturientis dolore significata, qua instar erat mortis. Ex hoc statu plane misero, ex quo non videbatur sperari posse libertas, excitatus est propheticus spiritus a Deo ad contemplationem illorum captivorum, quorum Deus posterioribus seculis incolumitati atque saluti per Servatorem Christum providebit.

Car. Aurivilius in *Dissertat.* in hunc locum (inter dissertationes ad sacras litteras et philolog. orient. pertin. cum praefat. J. D. Michaelis, Göttingæ et Lipsiæ, 1790), hanc catholicam sententiam firmis argumentis vindicavit; quod miratur Rosenmuller dicens : « Multo sanius ea de re Calvini est judicium, » qui hanc interpretationem ut argutias habet, in qua catholici inscite et turpiter abusi sunt Prophetæ testimonio. Tantæ sunt Rationalistarum et præjudicata opinio et a vera fide abalienatio!

eos in necem, et verbum meum ad disperendum, q. d. Verbo et jussu meo per Assyrios occidam Israelitas, trudamque in infernum. Huc accedit Clarius; vertit enim : *Ero pestes tuæ ad mortem, ero excidium tuum ad sepulcrum*, q. d. Consumam te, o Israel, usque ad internacionem, usque ad mortem et sepulcrum.

Verum ex definitione Ecclesiæ, et Concilii Tridentini, sess. IV, sancientis Vulgatam versionem esse genuinam S. Scripturam, de fide certum est hanc hujus loci esse sententiam : « Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, o inferne; » sic enim habet Vulgata versio. Certum pariter est de Christo victore mortis et inferni hic esse sermonem, uti paulo ante probavi. Mors enim et infernus significant regnum mortis et inferni, quo mors per Adæ peccatum in orbem inducta, omnibus ejus posteris dominabatur, uti docet Apostolus, Rom. cap. IX, 12 et sequentibus, ac in omnes mortuos jus et imperium exercebat, eosque inferno, quasi assecle et carcerario suo, dedebat et mancipabat usque ad Christi adventum. Est prosopopœia : mors enim et infernus hic quasi duæ personæ et duo reges inducunt late dominantes, quos regno et vita spoliavit Christus e morte et inferno resurgens, ac de utroque triumphavit : mortem quidem, quia post resurrectionem mors nulla erit; infernum vero, quia post eamdem nullum amplius poterit capere et devorare.

Hinc resurrectionis Christi et nostræ symbolum *Symbolum resurrectionis phœnix et hydrus.* est primo, *phœnix*, qui fertur emori, resurgere et juvenescere : moriendo ergo occidit mortem, et suscitat vitam. Unde illud Job, cap. xxix, 18 : Dicabant : « In nidulo meo moriar, et sicut palma (Tertullianus, lib. *De Resurrect.* cap. XIII, Vatablus, R. Salomon et alii vertunt, et sicut phœnix) multiplicabo dies. » Hic enim longævus est, et in nidulo moritur.

Secundo, sicut *hydrus* crocodilum interficit, sic Christus mortem et tartarum. Audi B. Petrum Damianum, lib. II, epist. 18 ad Cardin. : « Hydrus, ait, animal est habitans in gurgitibus fluminum, crocodilis feraliter inimicum. Hic itaque cum videbit crocodilum aperto ore in crepidine fluminis dormientem, provolvitur in limo luti, ut faucibus illius lubrico corpore facilis possit illabi. Tunc in os crocodili dormientis perniciter insilit, quem ille desuscitat repente deglutit. Hydrus vero viscera ejus cuncta dilaniat, donec eo jam prorsus extincto, de cadavere illius vivus et victor erumpat. Quid hic crocodilus, nisi figuram tenet mortis et tartari? Quid hydrus, nisi victoriam innuit Salvatoris? Limo ergo hydrus obvolvit, dum Redemptor noster humanæ carnis luto vestitur. Hic ventrem ingreditur crocodili, quia Dominus claustra penetravit inferni. Hic demolitur intima viscerum, et Dominus mortis evertit imperium. Ille, corroso ac penetrato cadavere, post victoriam reddit, quia Salvator noster postquam infernum moriendo momordit, cum triumphali de-

sepulcro gloria resurrexit. Unde morti per Prophetam victor insultat : Ubi est, inquit, o mors, victoria tua? Ubi est stimulus tuus? Et iterum : O mors, ero mors tua : morsus tuus ero, inferne.»

Citat hunc Osec locum S. Paulus, I Cor. cap. xv, 54; sed ex versione Septuaginta hoc modo : « Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? » Unde patet hic duplarem esse ex Hebræo versionem, utramque canonica : tam enim nostra hic in Osee, quam Septuaginta, quos sequitur Paulus, est canonica.

Ubi nota primo : Hebræum אָהִי ehi significat ero, uti vertit Noster hic vers. 14; secundo, ut R. Jona, ehi per metathesin sumitur pro אַיִלְלָה aile, id est ubi, uti vertunt Septuaginta et Paulus, I Cor. cap. xv, 55, et ita τὸ εἷς ehi vertit Noster, Septuaginta et Chaldaeus hic, vers. 10.

Nota secundo : Pro mors tua hebraice est דְבָרֶךָ debarecha : quod si a דְבָרֶר deber deducas, significat pestes tuae, q. d. O mors, ero plenissima pestis et mors tua; et, ut Symmachus vertit : Ero plaga tua. Sin a דְבָרֶר dabar, id est verbum, deducas, significat, ubi verba tua, vel sermones tui? ut vertit Aquila et Vetus Editio. Septuaginta vertunt δῶξην, hoc est causa; pro quo Paulus hic habet ρῆσσαν, id est victoria. Unde putant aliqui Paulum apud Septuaginta legisse ρῆσσαν, vel ρῆσσαν, pro δῶξην: sed omnia vetera exemplaria Septuaginta interpretum, teste Hieronymo, habent δῶξην, id est causa. Melius ergo dicemus Apostolum immutasse verba, non sensum, cum pro causa posuit, victoriā; Græcum enim δῶξην quatuor significat: Primo, causam forensem, et, ut Hieronymus in Osee cap. xiii, vertit, contentionem, q. d. Ubi est, o mors, causa tua contentiosa, qua in Dei judicio homines ob peccatum mortis reos peragebas et vincebas? Secundo, significat δῶξην sententiam, q. d. Ubi est, o mors, sententia tua? scilicet omnes tibi, id est morti, adjudicati sunt. Tertio, significat jus, q. d. Ubi est jus quod olim habebas in omnes? Quarto, significat pœnam, q. d. Ubi est pœna illa durissima qua homines puniebas et perdebas? et hoc quartum alludit ad Hebræum deber, id est pestis; priora tria alludunt ad dabar, id est verbum. Ex quibus patet in re causam idem esse quod victoriā.

Nota tertio : Pro morsus tuus hebraice est קַטְבָּחָה katabcha, quod Symmachus occursum vertit; Theodotion et Vetus Editio, plagam et conclusionem; Septuaginta, κέντρον, id est stimulus, aculeus, quo scilicet mors homines confodiebat et occidebat. Proprie katabcha significat excisionem, qua Christus mortem omnia succidentem succidit. Hoc enim est katob, scilicet evulsio, excisio, excidium, seu exitium, hoc est lues subito evellens et exscindens: qualis est febris valida, pestis, apoplexia, quæ subito mortem adfert, ipsaque mors subitanea, quæ hominem avellit et exscindit.

Noster apte vertit morsum. Ubi adverte : morsus hic tam passive, quam active sumi potest, q. d.

Ego Christus mordebor a te, o mors, et o inferne; sed ita ut a te morsus te vicissim mordeam, ita ut a te quasi absorptus viscera tua disrumpam, itaque fideles electos educam e ventre tuo.

Nota quarto : Pro inferne, ut habent Hebræa, et Noster, et Græca, I Cor. cap. xv, 55 : Πάντων, γάρ, τὸν νόον, ubi est, o inferne, victoria tua? Interpres noster hic vertit : « Ubi est, mors, victoria tua? » eodem sensu : infernus enim et mors significant statum mortuorum : omnes olim ante Christum post mortem in limbum descendebant. Sic Act. cap. ii, 24, et alibi, Græcum θανάτου, id est mortis, noster Interpres vertit, inferni. Eodem ergo redit versio Septuaginta, quam sequitur Paulus, cum nostra et Hebræo. Sensus ergo est : Ubi est, mors, victoria et stimulus tuus, quo solles homines occidere, eisque dominari? q. d. Periit, confractus est a Christo, qui est mors tua, o mors, et morsu suo te, o inferne, disrupt et absorpsit.

Ubi adverte : hoc cœptum est impleri cum Christus resurrexit, et animas sanctorum e limbo reduxit, sive ex infernis quasi morsu hanc partem abstulit. Ita Anselmus et Origenes, homil. 22 in Evang., et S. Augustinus, serm. 137 De Tempore : perfecte autem implebitur in communi resurrectione, ut docet Apostolus. Pulchre S. Hieronymus, in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, mortem alloquens, illique cum Paulo insultans : « Qui, inquit, per Osee quondam tibi rigidus minabatur : Ero mors tua, o mors, ero morsus tuus, inferne, illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus? devorasti, et devorata es, dumque assumpti corporis Christi sollicitaris illecebria, et avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente (vel, ut alii legunt, unco) confossa sunt. Gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti. »

Denique Syrus secutus Septuaginta vertit : Ubi est igitur victoria tua, o mors? aut ubi est aculeus tuus, inferne? Et Arabicus Alexandrinus : Ubinam scientia tua, o mors, et ubi spina tua? puta stimulus tuus. Et Arabicus Antiochenus : Ubi est causa tua (lis tua, jus tuum), o mors? Et ubi telum (vel gladius) tuum, o inferne?

Audi S. Augustinum, serm. 137 De Tempore, Morali-
et ex eo S. Gregorium, homil. 22 in Evangel. : ter, per
« Ero, ait, mors tua, o mors, ero morsus tuus, Christum
inferne; id namque quod occidimus, agimus ut Christia-
penitus non sit: ex eo enim quod mordemus, ni insul-
partem abstrahimus, partemque relinquimus. tant mor-
Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem,
mors mortis exstitit: quia vero ex inferno partem
abstulit, et partem reliquit, non occidit funditus,
sed momordit infernum. Ait ergo: Ero mors tua;
o mors, ac si aperte dicat: Quia in electis meis
te funditus perimo, ero mors tua. Ero morsus
tuus, inferne, quia, sublatis eis, te ex parte
transfigo. » Celebrant veteres robur, victorias et

triumphos Achillis, Herculis, Samsonis, Alexandri, Julii Cæsaris, et similium, quibus nemo in hac vita resistere valuit; sed hi omnes a morte victi sunt, et ad inferos descenderunt. Solus Christus dominator est mortis et inferni. Unde ait ipse, *Apocal. cap. I, 18*: « Habeo claves mortis et inferni. » Et *cap. xx, 13*: « Mors et infernus dederunt (Christo judici) mortuos suos. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. » Itaque in die judicii mors et infernus in triumphum ducentur a Christo, ejusque currum triumphalem sequentur, juxta illud *Habac. cap. III, 5*: « Ante faciem ejus ibit mors. Et egredietur diabolus ante pedes ejus. » Insuper fecit Christus ut non tantum ipse, sed et omnes ejus milites et sequaces infernum et mortem vindicent, de iisque triumphent.

Præclare S. Bernardus, sermone 26 in *Cantic.*, describens mortem lætam et felicem Gerardi fratris sui: « Non, inquit, dubium quin ad illos ieris, quos circa medium extremæ noctis tue invitabas ad laudem, cum in vultu et voce exultationis subito erupisti in illud Davidicum, stupentibus qui assistebant: Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Jam tibi, frater mi, nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, et insulstantem morti: Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Jam non est stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, et moriendo cantat. Usurparis ad lætitiam mater mœroris, usurparis ad gloriam gloriæ inimica, usurparis ad introitum regni porta inferi, et fovea perditionis ad inventionem salutis, idque ab homine peccatore. » Causam subdit: « Juste nimis, quia tu inique in hominem innocentem et justum potestate temeraria usurpasti. Mortua es, o mors, et perforata hamo quem incauta glutisti, cuius illa vox est in Propheta: O mors, ero mors tua, morsustus ero, inferne. Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus, latum lætumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat, larvalis effigies. Gerardus per medias fauces tuas transit ad patram, non modo securus, sed et lætabundus et laudans. »

Ita SS. Vincentius, Laurentius, Sebastianus, aliquique martyres, torloribus, tormentis et morti per Christi gratiam et robur insultarunt. Ita sancti Confessores, Anachoretæ, Religiosi in morte exultarunt, et etiamnum exultant: quia mortem moriendo superant, et ad beatam immortalitatem transeunt, uli multis demonstrat noster Hieronymus Platus, lib. I *De Bono status religiosi*, cap. xxxi. Neque Religiosi tantum, sed et fideles quique. Hinc illæ eorum voces: « Mors Christianis ludus est. Maturus ævi est, qui pro Christo potest mori. Vita mihi in tædio, mors in desiderio. Vita mihi non eripitur, sed in melius commutatur.

Nunc mori desino, et vivere incipio. » In hac enim vita « propter te, » o Domine, « mortificamur tota die. » S. Cyprianus audiens sententiam mortis: « Gratias, inquit, ago Deo omnipotenti, qui me a vinculis hujus corporis dignatur absolvere. » Idem, epist. 1 *ad Cornelium*, laudans ejus et populi Romani in fidei confessione constantiam: « Intellexit adversarius, inquit, milites Christi vinci non posse, mori posse, et hoc ipso invictos esse, quia mori non timent. » Nam, ut ait S. Bernardus, tractat. *De Natura et dignitate divini amoris*, cap. xv: « Hunc transitum ad vitam miseri infideles mortem appellant, fidelis autem quid, nisi Pascha? quia moritur mundo, ut perfecte vivat Deo: ingreditur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. »

Denique ex hoc loco, et ex *I Petr. cap. III, 19*, ubi dicitur Christus prædicasse inferis, Origenes et nonnulli alii opinati sunt Christum aliquando omnes damnatos ex inferno liberaturum, ac consequenter omnes damnatos aliquando salvandos. Ita censuit Marcion, Christum in suo ad inferos descensu omnes animas damnatas liberasse, uti referunt Irenæus, lib. I, cap. xxix, et Epiphanius *hæres. 24*. Sic multi putant animam Trajani Imperatoris precibus S. Gregorii ex inferno fuisse liberatam. Et in nonnullis Patrum historiis (teste Niceta in *orat. 42 Nazianzeni*) refertur Platонem apparuisse cuidam christiano, qui ei sæpe maledicebat, ac dixisse: « Ego quidem peccatorem me esse non inficio; verum cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit. » Verum hæc apocrypha sunt, fabulosa et hæretica, uti docet Bellarminus, lib. II *De Purgat.* cap. VIII; Suarez, III part. *Quæst. LII*, art. 8, disp. 33, sect. III, et alii.

Christus ergo descendens ad inferos, solum Christus Patres e limbo, et animas purgatas, vel purgantes e Purgatorio liberavit. Pie enim multi censem Christum triumphatorem in suo descensu ad inferos, omnibus in Purgatorio existentibus dedit Christus in limbo primum dedit jubilæum. indulgentias, nimis plebriam culparum ac pœnarum remissionem. Sic enim solent reges, cum alicubi inaugurantur, reos omnes e carceribus liberare. Hoc enim decet beneficentiam et magnificentiam novi principis, ut felix sit regni auspicium, utque opinionem clementiæ sibi conciliet. Unde S. Gregorius, lib. XIII *Moral. xx*, asserit Christum descendendo ad inferos liberasse omnes electos. Et S. Augustinus, serm. 137 *De Tempore*: « De electis suis, inquit, nullum apud inferos reliquit. » Et S. Anselmus in *Elocidario*: « Omnes absolvit, et in gloriam duxit rex gloriæ, » juxta illud *Isaiæ, cap. XLIX, 9*: « Dices his qui vincisti sunt: Exite; et his qui in tenebris sunt: Revelamini. » Huc quoque inclinat Marsilius in III, *Quæst. XIII*, art. 2, dub. 3; Major in III, dist. XXII; Gabriel ibid., dub. ult.; Dominicus Soto in IV, dist. XLV, *Quæst. I*, art. 1. Gerson, alphabeto 83, litt. F, dicens Christum forte Pur-

gatorium evacuasse : licet D. Thomas, III part., *Quæst. LI*, art. 8, et ibidem Suarez suspicentur Christum non omnes Purgatorio liberasse, sed aliquibus tantum hanc gratiam indulsisse, nimis illis solis, qui ad illam magis dispositi erant, v. g. qui singularem aliquam perfectiōnē fidei ac devotionis erga Christum, vel passionem, aut gloriam ejus habuerunt dum vivērent. Durius est quod censem Durandus in III, dist. XXII, *Quæst. IV*, Richardus, ibid. art. 3, *Quæst. II*; Abulensis, *paradoxo V*, cap. cxviii, Christum nil penitus indulsisse animabus Purgatorii, sed tantum illas liberasse, quæ jam omne debitum pœnæ exsolverant.

Moraliter, mors est concupiscentia. *Mystice* S. Augustinus, libro LXXXIII *Quæst.*, *Quæst. LXX*, et epist. 57 ad *Dardanum*, per mortem accipit concupiscentiam, sive fomitem peccati : hæc enim concupiscit et contendit contra spiritum : hanc enim mortem, inquit ipse, peccato meruimus. Hæc mors et contentio auferetur in resurrectione et gloria cœlesti : nulla enim erit contentio inter carnem et spiritum, cum mortale hoc induerit immortalitatem : « Mortem, inquit, significari arbitror hoc loco carnalem consuetudinem, quæ resistit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum. Non enim diceretur : Ubis contentio tua? si non restitisset et repugnasset... Ipsius contentio etiam illo loco describitur : Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Hæc enim sibi invicem resistunt et adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Fit ergo per sanctificationem perfectam, ut omnis carnis appetitus spiritui nostro illuminato et vivificato, id est bone voluntati subjiciatur. Hanc autem mortem meruimus. » Et mox : « Ergo aculeus mortis peccatum est, quia peccato facta est delectatio, quæ jam possit resistere bonæ voluntati, et cum dolore cohiberi : quam delectationem, quia in defectu est animæ deterioris effectæ, jure mortem vocamus. Tunc itaque absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfectam delectatione spiritualium delectatio carnis obruitur. »

CONSOLATIO ABSCONDITA EST (hebraice *abscondit se*) **AB OCULIS MEIS.** — Ita Hebræus, Septuaginta et alii passim. Perperam ergo Chaldaeus et Theodotion vertunt, *ab oculis ipsorum*, puta Israelitarum cum exscindentur, q. d. Auferam ab illis omnem consolationem, auferendo meam præsentiam et majestatem, et consequenter omne bonum ab eis. Jam « abscondita est, » id est brevi certoque abscondetur.

Rursum pro consolatio hebraice est **נְאָמֵן noach**, quod tria significat, consolationem, commiserationem, et pœnitentiam. *Consolationem* vertit Noster et Septuaginta; at recentiores, ut R. David, et ex eo Leo Hebræus, Pagninus et Arias vertunt, *pœnitudinem*, q. d. Abscondetur, id est, non veniet in conspectum meum pœnitudo, hoc

est, non mutabo sententiam meam de Israelis excidio pœnitentia ductus, ut sæpe hactenus feci; sed sine ulla commiseratione certo et obfirmate eum disperdam. Verum quomodo hæc coherent cum consolatione **summa**, quæ precessit : « Ero mors tua, o mors; mors tuus ero, inferne? » Rursum hæc ad Christum spectant, non ad Israelem, ut paulo ante demonstravi.

Dico ergo, sensus est quem dat S. Hieronymus : « Dum video et considero, inquit, duram mortis necessitatem (eo quod nullus sit hominum qui vivat, et non moriatur), non valeo consolari; quidquid mente concepero, dolorem meum non potest mitigare, cernentis charissima inter se nomina morie sejungi : ipse, inquit, infernus inter fratres dividit, » q. d. Dum contemplor omnes homines mori, et ad infernum descendere, dum video mortem omnia depasci, et fratres a fratribus separare, valde contristor, sed me consolor, dum ad Christum mortis domitorem oculos reflecto. Ille enim id quod promisit : « Ero mors tua, o mors; mors tuus ero, inferne, » sine dubio reipsa præstabit. Huc accedit Lyranus, qui hanc accipit quasi vocem a morte per Christum suscitandorum, sed anxiorum, eo quod ne sciant suam sortem, an scilicet in die judicii inter electos ad dexteram, an inter reprobos ad sinistram collocandi sint, donec Christus iudex inter fratres dividat, et cuique suam sortem, locum et mercedem pro meritis attribuat. Hæc expositio huic loco congrua est et apposita.

15. QUA IPSE INTER FRATRES DIVIDET. — « Ipse, » Vers. 15 scilicet « infernus, » non captivitatis Assyriacæ, ut vult Theodoretus et Arias, q. d. Quia Ephraim fecit schisma, et divisit se a fratribus, puta a duabus tribubus, idecirco adducet Deus ventum urentem, puta Salmanasar, qui eum in captivitate dividat et dispergat : sed infernus proprius dictus; hic enim dividit fratres vivos a mortuis, quos absorbet : ipsos etiam mortuos dividit, dum unus hoc loco, aliis alio in inferno pro operum diversitate collocatur. Ita Hieronymus et Haymo. Aliter Lyranus. Ipse, inquit, scilicet Christus, dividet in iudicio homines justos ab injustis, puta electos a reprobis.

Nota : Pro *dividet*, uti vertunt Noster et Septuaginta, legentes in Hebræo יִאֲפַרֵּיד iaphrid, jam in Hebræo legitur יִאֲפַרְתִּי iaphri, id est multiplicabit, crescat, fructificabit; unde deducitur nomen Ephraim, id est frugifer, crescens, multiplicans. Inde enim Joseph filium sibi natum vocavit Ephraim, dicens : « Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, » puta in Ægypto, in qua fui incarceratus, pauper et miser, Gen. xli, 52. Quam nomenclaturam confirmans et extendens Jacob, pater Joseph, benedicens Ephraim dixit : « Semen illius crescat in gentes, » Gen. cap. xlvi, vers. 19. Alludit ergo iaphri ad Ephraim, de quo est sermo, q. d. Ephraim juxta etymon suum erat Ephraim,

id est frugifer : crevit enim et germinavit in multam sobolem, juxta benedictiones avi sui Jacob, quandiu in cultu et lege Dei stetit : at quia jam ab eo descivit, adducam ventum urentem, qui omnia hæc ejus germina arefaciat. Ita Clarius et Pagninus. Aut, ut Chaldæus : *Quia, inquit, multiplicaverunt opera corrupta, ideo adducam regem fortem*, puta Salmanasar, qui eos puniat et perdat. Melius Vatablus et alii hoc de Christo accipiunt, q. d. Christus est Ephraim, qui *iaphri*, id est multiplicabit electos suos in die judicii, tum numero, tum gloria, uti in hac vita multiplicavit eos gratia, meritis et virtutibus. Optime de inferno accipias, hunc enim demonstrat pronomen *ipse*, q. d. Quia infernus in immensum crevit, itaque dilatavit os suum, ut majorem hominum partem absumpserit, idcirco adducet urentem ventum Dominus, etc.

ADDUCET URENTEM VENTUM DOMINUS. — Per *ventum urentem*, Theodoretus accipit Cyrum, Arias et Clarius Salmanasar : hic enim Israelitarum, ille Babyloniorum terram, venasque opum, omniaque desiderabilia et pretiosa quasi ventus urens siccavit, perdidit et rapuit.

Verum dico « ventum urentem » esse Christum, q. d. Quia infernus fratres a fratribus divisit, idcirco Deus Pater Christum quasi austrum urentem in orbem induxit, cum eum de inculto hujus mundi deserto, æque ac de inarato B. Virginis utero, quasi de deserto suscitavit, ut venas mortis, puta peccata quibus ad mortem et infernum, quasi ad communem plenumque malorum fontem tendimus, siccaret et aboleret, ipsumque fon-

tem, puta mortem et infernum, desolaret, ac diriperet animas SS. Patrum et Sanctorum, quas mors et infernus, ut supellectilem maxime pretiosam et desiderabilem, in thesauris suis habebat, et arce relinebat. Ita S. Cyrillus, Hieronymus, Rupertus, Haymo et alii.

Rursum non incongrue Lyranus et Vatablus per *ventum urentem* accipiunt ignem conflagrationis mundi, quem Christus quasi administrum præmittet, ut omnes mortis et inferni venas, puta peccata et peccatores, omnemque mundi concupiscentiam perdat et comburat. Hic enim ignis admixtum habebit ventum, quo propelletur per omnes mundi partes, ut universa quaquaversum consumat. Ad Christum enim hæc omnia spectant, ad eum enim avolare cœpit vers. 14, de eoque loqui pergit usque ad finem capitii. Hisce enim omnibus describit Christi de morte et inferno victoriam, spolia et triumphum, ita tamen ut alludat ad Cyri, vel Salmanasar victorias, spolia et triumphos. Sicut enim hi impios perdiderunt, ita et Christus; et sicut Cyrus pios Babylone, ita Christus credentes in se a morte et inferno liberavit. Quare accommodatitium est, non litterale, quod S. Hippolytus episcopus et martyr, tract. *De Consummat. mundi*, initio, per ventum hunc urentem intelligit Antichristum : « Ecquis, inquit, alias ventus uredinis a deserto, quam Antichristus, qui temporibus suis deleturus est et desiccaturus venas aquarum, et fructus arborum, propterea quod homines amplexuri sunt opera ejus? Itaque delebit eos, ipsique servient in impuritate ipsius. »

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædict Samariæ excidium, eo quod toti Israeli fuerit dux idolatriæ. Hortatur ad pænitentiam, eique formulam pænitentiæ, confessionis et deprecationis præscribit, qua postea usi sunt Israelitæ conversi ad Christum, quibus proinde, vers. 5, veniam omnemque Dei gratiam et benedictionem pollicetur, quam variis promissis et parabolis explicat et exaggerat; versu enim 5, uolat ad Christum, indeque usque ad finem capitii felicitatem Israelis, id est populi fidelis et christiani, ample fuseque describit (1).

1. Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum : in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et foetæ ejus discindantur. **2.** Converte, Israel, ad Dominum

(1) Cum arcte cohæreat versus primus hujus capitii cum superioribus, recte a plerisque interpretibus capiti præcedenti accensetur, quod fieri potest sive de certo interitu Israelis ob scelerâ ejus imminentis; sive in sensu mystico de peccati et pœnæ per Christum abolitione intelligatur. Totum igitur hoc ultimum Oseæ caput est adhortatio ad pænitentiam ad avertendas pœnas gravissimas ob rebellionis foedum crimen, populo in superioribus indictas.

Primo, hujus pænitentiæ ratio datur, 2; secundo, for-

mula confessionis præscribitur, 3, 4; tertio, fructus entemerantur, scilicet remissio peccatorum per charitatem gratuitam concessa, 5; status florens et gloriosus inde prouenturus præclaris similitudinibus illustratur, 6-9; quarto, epiphonemate claudit Propheta sermones suos, præcipue eum qui cap. xiii, xiv, continetur, et non solum veræ sapientiæ defectus in plerisque auditoribus suis deplorat, sed omnes et singulos adhuc senel ad seriam salutis suæ curam et piam concionum suarum meditationem excitat, 10.

Deum tuum : quoniam corruisti in iniuitate tua. 3. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum : et dicite ei : Omnes aufer iniuitatem, accipe bonum ; et reddemus vitulos labiorum nostrorum. 4. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra : Dii nostri opera manuum nostrarum : quia ejus, qui in te est, misereberis pupilli. 5. Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis. 6. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lily, et erumpet radix ejus ut Libani. 7. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani. 8. Convertentur sedentes in umbra ejus; vivent tritico, et germinabunt quasi vinea : memoriale ejus sicut vinum Libani. 9. Ephraim quid mihi ultra idola ? ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem virentem : ex me fructus tuus inventus est. 10. Quis sapiens, et intelliget ista ? intelligens, et sciet hæc ? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis : prævaricatores vero corrueant in eis.

Vers. 1. **1. PEREAT SAMARIA.** — Tè pereat potest proprie accipi ut optativum, quasi Prophetæ conformans se voluntati Dei vindicis, ex zelo justitiae justæque vindictæ ad sarcendum Dei honorem a Samaria violatum, optet ut ipsa dispereat. Melius tamen accipias optativum pro futuro, scilicet pereat pro peribit, ut sit propheticum. Ita Hebræa et Septuaginta. Sic et alibi optiones extremorum malorum in viris sanctis, pro prophetiis et prædictiōnibus eorumdem accipiuntur, ut Psalm. LXVIII, 29 : « Deleantur, » id est delebuntur, « de libro viventium, et cum justis non scribantur, » id est non scribentur. Sensus ergo est, q. d. Prima peccavit Samaria inducendo vitulos aureos, prima ergo et ultima puniatur : prima in suis contribulibus, quos videbit ab Assyriis jugulari et vastari; postrema in seipsa, cum ab iisdem ipsa ejusque populus jugulabitur et vastabitur, itaque disperibit.

Pro pereat hebraice est פְשָׁנַת tescam, quod et desolari sive perire, et peccare significat, quia sæpe peccatum est causa desolationis et perditio- nis. Unde Chaldæus vertit : Peccati rea est Samaria; Leo Hebræus et Pagninus, delinquet, vel peccabit, id est peccavit, Samaria. Ulrumque sensum nexuit Symmachus dum vertit, pœnitabit, id est, pœnam peccati luet « Samaria, » ideoque proprie pœnitabit eam peccati, sed sero.

QUONIAM AD AMARITUDINEM CONCITAVIT (Leo Hebræus, exacerbavit) DEUM SUUM. — Septuaginta : ὅτι ἀνέτειν πρὸς τὸν Θεόν, quia restitit contra Deum. Mira ergo est peccati acerbitas, utpote quæ Deum benignissimum et dulcissimum amaricet et exacerbet.

PARVULI EORUM ELIDANTUR, — id est elidentur, ut habent Hebræa, puta ad saxa et muros, itaque occidentur.

ET FOETÆ (id est, matres gravidae et prægnantes : ita Hebræa, Septuaginta et Chaldæa) EJUS DIS CINDANTUR, — id est, discindentur una cum foetu quem utero gestant. Utrumque notat extremam iram, furorem et sævitiam barbaram hostium Assyriorum, ac consequenter gravissimum scelus Samariæ, quod hanc in se Dei iram concitavit. Quocirca Elisæus prædicens Hazaeli quod futurus esset rex Syriæ, quodque parvulos Israelis elide-

ret, et prægnantes divideret, conturbatus est usque ad suffusionem vultus et flevit, IV Reg. cap. VIII, 11. Ita accidisse re ipsa Samariæ certum est ex hoc oraculo, etiamsi in libris Regum id non narretur.

2. CONVERTERE, ISRAEL, AD DOMINUM. — Nota Vers. 2. hic alternantes Dei et Prophetæ affectus. A minis enim subito transeunt ad blanditias, ut ostendant pietatem et clementiam Dei, quæ minatur non ut perdat, sed ut corrigat, salvet et ad se reducat Israelem.

Moraliter, nota hic veram et plenam conversio nem esse, qua mens a venere, vino aliisque cupe diis, quas prius adamabat, aversa, tota conver titur ad Deum, illique tota copulatur et adhæret. Conversio, ait Albertus et ex eo Sanchez hic, est mutatio situs, ut quæ sinistra sunt, dextra fiant; et contra sinistra, quæ dextra fuerant; quæ anter iora, posteriora; quæ superiora, inferiora. Ad quem locum et gradum nisi pervenerit qui sibi in pœnitentiae nomine gratulatur, sane ad Dominum usque non perveniet. Avarus dextras, anteriores et superiores habuit opes terrenas et cadu cas; sinistras, posteriores et inferiores habuit opes spirituales et cœlestes; necesse est ut harum situm et ordinem convertat, si Deo per placere velit, ut scilicet ad dexteram, ante et superiori loco constituat opes cœlestes; ad sinistram vero, posterius et inferiori loco terrestres. Unde S. Gregorius, in lib. I Reg. cap. VII, lib. III : « Perfecte, inquit, convertitur, qui quod semel prave egerat, plangit; quod rursum plangat, ultra non repetit. » Et S. Augustinus, serm. 3 in Ieronim. I Quadrag., docet illum non esse conversum, qui priorum vulnerum cicatrices aperit et resauciat. Idem, lib. VIII De Gen. ad litter. cap. XII : « Tota, inquit, hominis actio bona est, converti ad eum a quo factus est, et ab eo justus, pius, sapiens beatusque semper fieri, non fieri et recedere, sicut a corporis medico sanari et abire. » Cum enim quis sanatus est, re credit a medico, et manet sanus : cum vero quis a peccato sanatur, et convertitur ad Deum, debet semper illi adhærere, ac dicere : « Mihi autem adhærere Deo bonum est : quia ejus præsentia justificatur, et illuminatur, et beatificatur, operante

et custodiente Deo, dum obedienti subjectoque dominatur, etc.; eo autem absente, continuo te-nebratur. » S. Bernardus, serm. 1 *De S. Paulo*, eum statuit exemplar perfectæ conversionis: « Hæc plane, fratres, inquit, perfectæ conversionis est forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, paratum cor meum. Domine, quid me vis facere? O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptance! Quam pauci inventiuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione: Domine, quid me vis facere? etc. Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam a te, sed a me tuam queri et fieri voluntatem. »

CORRUISTI IN INIQUITATE TUA, — q. d. Per, et propter iniqutatem tuam corruisti in tot serum-nas.

Vers. 3. **3. TOLLITE VOBISCU M VERBA** (scilicet mollia et lacrymosa, æque ac pia et sancta, quasi dona et munera gratissima, quæ Dei irati et exacerbati cor mulceant, leniant et ad misericordiam inflectant, puta verba humilitatis, poenitentiae, confessionis, deprecationis et laudis Dei, nimirum) **DICITE EI : OMNEM AUFER INIQUITATEN**, — poenitet nos peccasse, condona ergo, et condonando aufer, quæsumus, iniqutatem nostram.

ACCIBE BONUM, — tam animum nostrum, quam verbum, q. d. Accipe cor nostrum contritum, accipe bonum poenitentiae et deprecationis nostræ.

Secundo, « accipe bonum, » id est, effice ut malitia et iniqutate nostra sublata, per te bono gracie tuæ cum vita et salute donemur, ut sic deinceps bona nostra tum opera, tum sacrificia, nosque toto quasi tibi deditos, tuosque in gratiarum actionem accipias. Unde Chaldæus vertit: *Accipe nos jam bonos*, et tibi devotos, simul et bona opesque quas tacite a te petimus, ut ea tibi reddamus, tuque ea a nobis in sacrificium vel oblationem eucharisticam accipias. « Accipe » ergo, id est « da bonum, » quod vicissim a nobis accipias. Est metalepsis: ad blandiendum enim artificiosi mendici dicunt: *Accipe, non Da*, q. d. *Da non tam nobis, quam tibi; quia nos illud tibi reddimus*, tuque illud rursum a nobis in oblationem et gratiarum actionem accipies. Simili schemate dicitur *Psalm. LXVII, 19*: « Ascendisti in altum, etc., accepisti dona in hominibus; accepisti, id est dedisti, mittens Spiritum Sanctum ejusque dona in Apostolos in Pentecoste, rursus ab eis illa accepturus per laudem et eucharistiam, uti explicat Apostolus, *Ephes. cap. IV, 8*. Vide ibi dicta. Est ergo antithesis, q. d. « Aufer iniqutatem: » et pro ea « accipe bonum, » id est confer gratiam, da iustitiam. Rursum aufer iniqutates, poenas et mala ob eam nobis inficta, vel infligenda, et pro eis confer bonum, puta tuum favorem, beneficentiam, omniaque bona, tum corporalia, tum spi-

ritualia, quæ tuis amicis conferre soles, uti patribus nostris nobisque olim, dum te coleremus, ea contulisti.

ET REDDEMUS VITULOS LABIORUM NOSTRORUM. — Hic explicat quod dixit: « Accipe bonum; » bonum enim hoc, aut boni hujus effectus et fructus sunt vituli, id est hostiæ, « labiorum, » puta Dei laudes et gratiarum actiones, quas pro venia bonisque a te acceptis, labiis nostris tibi offeremus loco vitulorum. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Vatablus, Arias et alii, vel, ut alii, reddemus tibi vitulos, quos tibi labiis nostris vovimus et oblaturos promisimus. Ridicule hæc accipiunt Judæi, q. d. Cum ob vastatum templum non possimus Deo offerre vitulos veros et reales, offerimus ei vitulos labiales, puta lectionem Levitici de sacrificiis in Synagogis, itaque satisfacimus Deo et legi, uti prædictum Osee. Septuaginta vertunt, *fructus labiorum*. Hebræum enim פְרִי־בָּשָׂר, si punctes פְרִי־בָּשָׂר, significat *vitulos*; si פְרִי־בָּשָׂר, significat *fructus*. Huc allusit Apostolus, *Hebr. cap. XIII, 15*, cum ait: « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructus labiorum confitentium nomini ejus; » vox enim *id est* significat eum alio, scilicet huc, alludere. Præscribit hic Propheta Israeli, et cuivis poenitenti formulam confessionis, poenitentiae et deprecationis, nimirum, ut dicant Deo, primo: « Omnem aufer iniqutatem; » secundo: « Accipe bonum; » tertio: « Reddemus vitulos labiorum nostrorum; » quarto, « Assur, » etc. Hac utamur in culpis et cladibus tum privatis, tum publicis. Unde S. Ambrosius, epist. 28 *ad Theodosium*, per vitulos labiorum accipit confessionem peccatorum: « Erant, inquit, tunc (tempore Davidis) sacrificia pro delictis; hæc nunc sunt sacrificia poenitentiae, » qua quasi cultro occidimus priores iniqutates et cupiditates, hominemque veterem cum dolore et pudore, ut novus homo incipiat vivere Deo, legi et virtuti.

4. ASSUR NON SALVABIT NOS, — q. d. Posthac Vers. 4. non confidemus Assyriorum potentiae, nec equitatui et equis gentium, præsertim Ægyptiorum, uti hactenus fecimus, *Isaiae cap. XXXI, 1*. Spem salutis non in hominibus, nec in gentibus, sed in te, Domine, collocabimus. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Chaldæus et alii. Ægyptii enim valebant equorum copia et robore; unde ex Ægypto equos accivit Salomon, *II Paral. cap. I, 16*. Porro equitatus et equorum copia vetita fuit Judæis, eorumque regibus *Deuter. cap. XVII, 16*; tum ne illis præfiderent et superbirent, tum ne equorum emendorum causa in Ægyptum redirent, itaque sensim in Ægyptiorum idololatriam et vitia relaberentur. Vide dicta *Deuter. cap. XVII*, et *Isaiae cap. II, 8 (1)*.

(1) Commemorantur duo flagitia, quibus imprimis Israelitæ indulgere solebant, loco reliquorum omnium; nempe nimia fiducia in alias populos, neglecto Deo, et idolorum cultus.

QUIA EJUS, QUI IN TE EST, MISEREBERIS PUPILLI, — q. d. Misereberis, o Domine, Israelis, qui quasi sine patre et matre, ac ab omnibus derelictus, quasi pupillus « est in te, » id est tuus est, ac tuæ curæ relictus et creditus, ideoque in te uno omnes spes suas reponit : « Tibi enim derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. » Sic I Petri, cap. v, 2, dicitur : « Pascite qui in vobis est, » id est qui vobis creditus, et vestræ quasi pastorum curæ commissus est, « gregem Dei. » Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Cyrillus et alii.

Secundo, pupillus « est in te, » o Domine, per memoriam, miserationem et curam : sicut enim objectum amatum est in amante per amorem ; ita miser, v. g. pupillus, est in Deo miserante per misericordiam. Hebræa enim habent : *Quia in te est miseratio pupilli*; Septuaginta, *in te misereberis pupilli*, q. d. In te tuisque visceribus, o Domine, intimam et visceralem compassionem, miserationem et misericordiam habet pupillus; hoc enim significat **תְּרוֹחַ מִתְּרוֹחָה יְרֻחָם יָתָם**. Hæc ergo est ingens consolatio pupillorum et miserorum, quod in Deo, Deique memoria, miseratione et providentia, quasi in Dei visceribus sint, in eaque securi vivant et habitent, juxta illud *Psalm. xc, 1* : « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » Hucusque formula precationis Israelis pœnitentis. Huic occurrit benignus Dominus ac respondet :

Vers. 5. 5. SANABO CONTRITIONES EORUM. — Hebraice **מִשׁׁׁוֹבֵחַ מִשְׁׁכַּבָּתָם**, id est aversionem eorum, puta apostasiam, qua a me ad idola desciverunt. « Sanabo, » inquam, cum pœnitebunt, dicentque : « Omnem aufer iniquitatem, » etc., uti præcessit : quod fiet umbratice et typice, cum e captivitate dimittentur per Cyrum, inquit Ruffinus; plane vero et plene fiet per Christum, q. d. Per Christum evangelizantem sanare incipiam, et sub finem mundi per eumdem judicantem et beantem perfecte sanabo contritiones, id est vulnera, Israelitarum, quæ ex contritione vel confractione fieri solent, vulnera, inquam, animæ, puta aversionem a Christo et Deo. Faciam enim ut videant suas ærumnas esse poenas aversionis suæ a me, indeque penitentes convertantur ad me, Christumque meum salvatorem et Messiam suum agnoscent. Sequentia enim sublimiora sunt, quam ut Cyro convenient. Ergo ad Christum transit hic de more Propheta, suaque oracula concludit læto de Christo ejusque redemptione nuntio. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoreetus, Haymo, Vatablus et alii passim. « Diligam eos spontanee, » puta sine eorum meritis, gratuitæ et ex mera benevolentia. Hebraice est **נְדָבָה nedaba**, id est animo liberali, regio, magnifico. Unde Leo Hebreus vertit, *liberalissime*.

Vers. 6. 6. ERO QUASI ROS, ISRAEL, etc. — Syrus : *Ero quasi ros Israeli, et germinabit quasi lilyum;* Arabicus uterque : *Ero quasi ros Israeli, germinabit autem ut rosa,* q. d. Sicut ros herbas leniter humec-

tat et fecundat, ita ego lege, doctrina et gratia mea suaviter irrorans Israeli, eum virtutibus et bonis operibus fecundabo. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus et Vatablus. Hinc Ægyptii, ait Horus Apollo, lib. I, *hierogl. 35*, doctrinam indicantes, cœlum pingebant rorem fundens, innuentes quod sicut ros mollit herbas, non saxa, sic doctrina molliat et imbuat dociles, non stupidos, duros et indociles.

Secundo, q. d. Sicut ros e cœlo in terram noctu occulte descendit, ita ego Christus qui sum Filius Dei, e cœlo in uterum Virginis Israeliticæ occulte descendam, ex eaque carnem assumam, ut Israelem salvem : perinde ac ros in vellus Gedeonis descendit, significans Gedeonem liberaturum Israelitas de oppressione Madianitarum, *Judic. cap. vi, 37*. Hoc est quod ait Isaias cap. **XLV, 8** : « Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum ; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. » Ita Rupertus, Lyranus et veteres Rabbini apud Galatinum, lib. III, cap. xvii, et lib. IX, cap. xi. Cur Christus comparetur rori et irrationi varias rationes et analogias assignavi, *Isaiæ cap. XLV, 8*.

Tertio, aliqui per rorem accipiunt Eucharistiam, in quam Christus silenter et latenter instar roris illabitur, germinatque lilia virginitatis, de quibus mox ; præsertim quia manna, quod fuit expressus typus Eucharistie, erat quasi ros concretus et conglaciatus. Imo Hebrei tradunt cum manna depluisse rorem, qui manna tegeret, sicut species panis in Eucharistia tegunt velantque corpus Christi, de quo plura dixi *Exodi cap. XVI, 13* et sequent. Est ergo hic proportio analogica primi ad secundum, qualis est tertii ad quartum. Sicut enim se habet ros ad terram cui illabitur, eam fecundando ; sic se habet divinitas, sive Verbum ad humanitatem tum Christi, cui per gratiam unionis hypostaticæ ; tum nostram, cui per gratiam creatam et Eucharistiam illabitur, eam omnibus donis et bonis operibus fecundans.

GERMINABIT (Leo Hebreus, *florebit*) **SICUT LILIUM**, — q. d. Israel, rore gratiae meæ irroratus, crescat et florebit ut lilyum : *primo*, amplitudine et propagine. Sicut enim lilyum mirifice crescit sequente propagat (2) ; ita Israel, id est populus fidelis, per Christum et Apostolos toto orbe propagatus est. **Secundo**, candore castitatis et puritatis vitæ. **Tertio**, odore et fragrantia bonæ famæ. Ita Cyrilus et Theophylactus : *Lilyum, inquit, odoris fragrantiam habet, magnitudinem non habet, q. d.* Sic vir doctus et sanctus quo humilior est, eo majorem virtutis et sapientiæ exhalat fragrantiam. **Quarto**, admirabili splendore virtutum ; nam, ut ait Theodoreetus : « Admirationem concitat liliï splendor. » Et Theophylactus : « Cum, ait,

Moraliter, fidelis est lilyum ob septem analogias.

(2) Lilio enim nihil fecundius esse, ait Plinius, una radice quinquagenos sœpe emittente bulbos, *Histor. natur. lib. XXI, cap. v.* Qui et addit : *Lilyum rosæ nobilitate proximum est, nec ulli florum excelsitas major.*

in Ecclesia videris aliquem bene vivere, et luce virtutum coram hominibus splendere, illum vocato liliū. » *Quinto*, sicut liliū folia sursum erigit, etiam inter nimbos et grandines; ita Israel, id est sanctus, cor in cœlum ad Deum erectum habet tam in adversis, quam in prosperis. Ita Hebræi apud Galatinum, lib. III, cap. xvii. Israel ergo, id est fidelis et justus, similis est Christo, qui, ut ait S. Hieronymus *Cant.* cap. II, 1: « Ego flos campi, et liliū convallium; sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias. » Sicut enim Christus in mundi hujus campo quasi liliū aestibus in imbris laborum, persecutionum et dolorum, in medio spinarum, id est Judæorum, expositus fuit, inquit S. Ambrosius, lib. *De Instit. virg.* cap. XIV; ita et justus. *Sexto*, liliū symbolum est spei. Hinc in Romanorum Imperatorum nummis ab altera parte visitur Deus, dextera liliū protendens, cum hac inscriptione, *spes publica*, vel *spes Augusta*, vel *spes P. R.*, teste Pierio hierogl. 55. Unde et Virgilius significans spem de Marcello conceptam, sic de eo canit VI *Aeneid.*:

Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tolet avos.

Et mox:

Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.

Sicut enim liliū convallium expositum est radiis solis corporei, ab iisque exspectat et haurit spiritum, vitam, decorem, et omne bonum; illic enim vegetatur et vivificatur; ita et vir bonus, præsertim si sit excellens, radiis divinæ providentiae jugiter irradiatur, iisque alitur et augescit; ideo ab iis omne bonum sperat et postulat. *Septimo*, Gregorius Nyssenus, homil. 4 in *Cant.*, et S. Ambrosius, lib. *De Virgin.*: « Liliū, inquiunt, inter spinas significat, castitatem et virtutem spiritualium nequitiarum sentibus obsideri; unde nemo fructum referat, nisi qui cautus incedat. » Idem Ambrosius, lib. III *De Virgin.*, explicans illud: *Liliū inter spinas*: « Nonne, ait, inter asperitates laborum contritionesque animorum boni flos odoris assurgit? quia contrito corde Deus placatur. » Vide S. Bernardum, serm. 48 in *Cant.*, ubi inter caetera ait: « O candens liliū, o tener et delicate flos! increduli et subversores sunt tecum; vide quomodo caute ambules. Plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt; versari in his, et minime laedi, divinæ potentie est, non virtutis tuæ. » Idem, serm. 70 in *Cant.*: « Quot, ait, virtutes, tot lilia. Hinc Christus se liliū appellavit, quod totus versetur in liliis; et omnia quæ ipsius sunt, lilia sunt; conceptio, ortus, conversatio, eloqua, miracula, sacramenta, passio, mors, resurrectio, ascensio; quid horum non candidum, et non suavissime redolens? Porro ortum candidavit incorrupta virginitas matris, conversationem innocentia vitæ, eloqua

veritas, miracula puritas cordis, sacramenta pietatis arcanum, passionem patiendi voluntas, mortem libertas non moriendi, resurrectionem fortitudo, ascensionem exhibito promissionum. »

ET ERUMPET RADIX EJUS UT LIBANI, — id est jacet Israel et fidelis radices suas ita profundas, ut cedri aliæque arbores Libani, quæ cum sint excelsæ et vastæ, ac ventorum flatibus agitantur, profunde jacent radices, nimis quantum in auras consurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempestate quatiantur, sed stabili mole diu consistant, ait S. Hieronymus, q. d. Pari modo Israel in Dei præsidio tutus firmusque per multa, imo omnia sæcula consistet, nec ullo hostium vel adversæ fortunæ vento loco suo demoveri poterit. Ita S. Hieronymus, Vatablus et Chaldæus, qui ita vertit: *Habitabunt in robore terræ suæ, sicut arbor Libani quæ diffundit suam propaginem.*

Secundo, Libanus hebraice significat *thus*. Unde de thure sic explicat Cyrillus: « Erit Israel sic tutus et firmus, uti est thuris planta, quæ alte jacit radices; talis est mens credentium, qui non moventur ventorum impulsu. » Talis fuit, et est constantia martyrum.

Tertio, Sanchez radicem metonymice sumit pro germine e radice pullulante, quomodo Christus vocatur « radix David », id est germen e Davide quasi radice prognatum, *Isaiæ* cap. XI, et *Apocal.* cap. XXII. Germen enim proprie erumpere dicitur, non radix quæ sub terra se abscondit. Germen autem hoc Libano familiare esse cedrum, quæ est arbor procera et firma, ideoque immortalitatis et æternitatis symbolum. Unde Persius: « Et cedro digna locutus; » quin et Plinius, lib. XVI, cap. XL, cedrum et cupressum vocat « arbores æternas, » eo quod vetustatem et cariem non sentiant. Sensus ergo erit, q. d. Israel pene emortuus revirescat ut germen cedri, ut ejus ad instar in magnam celsitudinem et gloriam, eamque æternam excrescat. Verum primus sensus videtur genuinus: *primo*, quia Hebræa et Septuaginta habent, *mittet*, vel *projiciet radices suas*; mittere autem vel jacere radices, est profunde eas in terra quaquaversum spargere et firmare. **Secundo**, quia si radices proprie accipias, habebis hic causam propriam ejus quod sequitur: « Ibunt rami ejus; ibunt, id est, spargent sese longe lateque. Nam quantum arbor deorsum in profundum et latum mittit radices, tantum sursum in altum et latum spargit ramos, juxta illud Virgilii IV *Aeneid.*, de queru: »

Ipsa hæret scopolis, et quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Tertio, quia ita seipsum in *Comment.* interpretatur S. Hieronymus; ipse enim est auctor versionis Vulgatae. Unde huic sensui non obstat vox *erumpet*, quia radix non tantum in germina, sed et in fibras suas erumpere dicitur; cum enim

ipsa quæ prius videbatur arida et emortua, vim vitalem et vegetantem in se latenter foras emitit, et in fibras, quibus se in terra spargat et figit, exerit, erumpere dicitur.

Vers. 7. 7. IBUNT (id est promovebunt se, crescent, diffundent se) RAMI EJUS. — Per ramos accipit sobolem et liberos, præsertim spirituales, q. d. Israel magnam habebit sobolem filiorum, puta fidelium, quos ad Deum convertet, æque ac virtutum et bonorum operum. Unde Chaldæus vertit: *Israelitæ crescent filiis et filiabus.*

ET ERIT QUASI OLIVA GLORIA EJUS, — q. d. Erit Israel fecundus, speciosus et gloriosus instar olivæ frondibus, et fructibus undique circumdatæ et quasi coronatae; hæc enim est gloria oleæ. Hoc est quod dicitur *Psalm. cxxvii*: « Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. »

Moraliter sanctus est oliva, cur? Nota Ecclesiam et sanctum quemlibet vocari *olivam*, ob fecunditatem bonorum operum, ob præstantem charitatem, misericordiam, lenitatem et splendorem virtutum, horum enim symbolum est oleum. Sic de Elia et Henoch dicitur *Apocal. cap. xi, 4*: « Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. » Et *Jerem. cap. xi, 16*, de Israele dicitur: « Olivam überem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. » Vide ibi dicta. Addit Martinus de Roa, lib. IV *Singular. cap. vi*, olivam pacis, deditiois et obedientiæ esse symbolum: ramos enim olivæ victoribus prætendunt deditiæ, uti fecerunt Judæi Christo, dum in die palmarum quasi rex, vixor et triumphator ingressus est Jerusalem; sive explicat illud *Psalm. cxxvii*: « Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ, » q. d. Filii tui tibi se submittent, eruntque obedientes, atque inter se non rixabuntur; sed concordes erunt et pacifici quasi olivæ novellæ. Chaldæus vertit: *Splendor eorum sicut splendor candelabri sanctitatis. Candelabrum enim templi habebat lucernas septem ardentes oleo olivarum.*

ET ODOR EJUS UT LIBANI. — Per *Libanum*, montem, vel etiam thus accipe: בָּבִון lebona enim hebraice vocatur thus; inde mons thure, cedro, pino, aliisque resinosis et odoriferis arboribus abundans, vocatus est Libanus. Hinc Chaldæus vertit: *Odor eorum velut odor incensi aromatum.* Et *Cyrillus*: « Odor, inquit, ejus ut thuris, odoris optimi est. Idecirco lex Mosis eum sacravit Deo. Odoratus itaque est fructus electorum et vocatorum. » Et *Theophylactus*: « Significatur, ait, eum qui seipsum offert Deo mente et spiritu orans, instar Libani fragrantiam suavis odoris habere. »

Vers. 8. 8. CONVERTENTUR SEDENTES IN UMBRA EJUS, — q. d. E captivitate revertentur Israelitæ, ut sedeant plane securi, stabiles et fortunati in umbra, id est tutela, Christi. Ita Chaldæus, S. Hieronymus, Rupertus, Lyranus, et alii passim. Pronomen enim « ejus, » respicit Christum; ipse

enim est dux Israelis, id est populi fidelis: de Christo enim continuo agit hic Propheta a vers. 5 usque ad finem capitinis.

Aliter a Castro: « Ejus, » inquit, id est Israelis, q. d. Qui sedent in umbra Israelis, id est qui se conjungunt Ecclesiæ et populo fidei, « convertentur » a vita carnali ad Christum, ejusque mores puros et sanctos induent.

Aliter et Arias: « Ejus, » inquit, id est Libani, q. d. Fideles convertentur ut sedeant semper sub umbra Libani, ejusque suavissimo odore etiam recreentur.

VIVENT TRITICO, — q. d. Israelitæ, id est fideles tempore Christi abundabunt annona spirituali, qua affluenter et deliciose pascant recreentque animas; annona, inquam, tum verbi Dei, ut ait Chaldaeus, S. Hieronymus et Theodoreetus; tum Eucharistie, ut ait Emmanuel. Hæc enim panem cœlestem, puta corpus Christi vivificum manducandum nobis exhibit sub specie panis triticei; et sanguinem ejusdem potandum præbet sub specie vini, de quo hic subditur: « Germinabunt quasi vinea, memoriale ejus sicut vinum Libani. » Hoc est « frumentum electorum, » de quo *Zuchar. cap. ix, 17*, et panis vitæ, de quo Christus, *Joan. vi, 50*: « Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. » Et vers. 59: « Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. » Ita Haymo, Albertus et Lyranus. Hinc et Septuaginta vertunt, *bibent* (vel, ut Romani codices Caraffæ legunt, *vivent*), et *inebriabuntur* (licet Complutensia legant ὑπερβολαὶ, id est *firmabuntur*, vel *confortabuntur*) *tritico*. Triticum enim bibitur in potu ex eo confecto, puta in cerevisia, qua Transalpini ut vino deliciantur et inebriantur. Triticum ergo eis est cibus et potus, æque ac Eucharistia fidelibus. Unde S. Hieronymus expônens Septuaginta: « Bibent et inebriabuntur tritico, » hoc est, ait, « rerum omnium abundantia. Quod autem ebrietas hic non eversionem mentis, sed copiam rerum omnium significet, versicolor ille declarat dicens: Visitasti terram, et inebriasti eam, *Psalm. lxiv*; et Joseph convivium, in quo inebriasse dicitur fratres suos, *Gen. cap. xlvi*: Et Dominus loquens ad Apostolos: Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini fratres, *Cant. v*. Sive quia Dominus noster ipse est frumentum, et vinea, quicumque crediderit in eo, inebriari dicitur. Denique sequitur: Et efflorebit quasi vinea, memoriale ejus sicut vinum Libani. » Eucharistie ergo effectus unus e multis est, ut ex ea fideles fiant spiritualliter ebrii, juxta illud *Psalm. xxii*: « Calix tuus inebrians quam præclarus est! » Et *Psalm. xxxv*: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; » ubi S. Augustinus: « Hoc calice, ait, inebriati erant martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quam non agnoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? Nolite mirari, ebrii erant. Ubi ebrii erant? Videte,

acceperunt calicem unde ineibriarentur. » Idem in Psalm. ciii, ad vers. 15 : *Et vinum laetificet cor hominis*: « Videbitur, inquit, ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore justitiae, videbitur postremo in alienatione mentis vestræ, sed a terrenis in cœlum. »

Quin et Rabbini ex hoc similibusque locis agnoscant Messiam mutationem quamdam miram in frumento facturum, puta transsubstantiationem panis in corpus suum; hocque prædicti Psalm. lxxi, 16 : « Erit firmamentum in terra in summis montium, superextolleatur super Libanum fructus ejus : firmamentum enim idem est quod panis cor hominis confirmans. Nam hebraice est *פָסַת בָּר*, quod Burgensis vertit, *placentula frumenti*; R. Emmanuel, *vola*, id est manus plena frumenti : proprie *pissat bar* est particula, libum, vel pugillus frumenti. S. Hieronymus vertit : *Erit memoriale triticum*; Chaldæus : *Erit substantieus panis*; Jonathan clare : *Erit placenta tritici in vertice sacerdotum*. Denique veteres Rabbini verba hæc Psaltis exponunt de sacrificio panis delicatissimo, tempore Messiae offrendo et comedendo. Leo Hebræus hic pro *vivent frumento*, vertit, *reviviscent ut frumenta*; quod Vatablus exponit, q. d. Fideles Christi gratia fortissime ferent afflictiones et persecutiones, iisque quasi vivificabuntur, uti triticum fert frigora hiemis, ex iisque vegetius et copiosius resurgit. Tribulationes ergo non enecant, sed vivificant fideles, eosque in vita spirituali corroborant, ut magnum in ea faciant incrementum, æque ac fructum in proximis. Unde Arabicus Antiochenus vertit : *Et vivent, et permanebunt sine peccato, et permanebit memoria ejus sicut vitis, et sicut ligna (arbores) Libani, quæ sunt Ephraim : quid illi est cum idolis?* Et ego qui corroboro eum velut arbores platani uberis, quæ scilicet ramis et frondibus luxuriat. Et Arabicus Alexandrinus : *Et vivent, et saturabuntur de tritico, et germinabit quasi vinea, et erit sicut incensum*. Denique de hoc vino quod germinat virgines, æque ac de frumento juvenum, sive electorum, plura dicam Zachar. ix, 17.

GERMINABUNT QUASI VINEA, — q. d. Fideles latissime, uberrime, felicissime instar vineæ felicis et fertilis propagabunt se ad hanc, non upupæ, sed cycneam Dei vocem et promissionem. Nam upupa, ait Horus Apollo, lib. II, *hierogl.* 88, canens ante tempus vitium, magnam vini bonitatem et copiam prænuntiat. Unde Ægyptii, præsagium copiæ vini significantes, pingebant upupam.

MEMORIALE EJUS (hebraice זְכֻרוּ *zichro*, id est *memoria ejus*) SICUT VINUM LIBANI. — Ita Syrus, q. d. Memoria et commemorationis Israelis erit gratissima et suavissima, uti erat vinum crescens in Libano. Nam hoc præstantissimum fuisse, æque ac odoratissimum ex afflatu arborum odoratum, quibus abundabat Libanus, docent geographi Terræ sanctæ. Audi Burchardum in *Antilib-*

bano : « *Antilibanus, ait, distat ab illa civitate (Sidone) per leucam et dimidiā, et ibi habetur vinum delicatissimum, de quo dicit Propheta (Osee hoc loco) : Memorale tuum ut vinum Libani.* » Quocirca Arabicus Alexandrinus vertit : *Et erit sicut incensum*; vinum ergo Libani est vinum incensi, puta odoratum sicut thus vel incensum : *Libanus* enim hebraice significat *thus*, vel *incensum*. Unde R. David ex libro Asaph medici docet vinum Libani fuisse vinum *cos*, id est colore, odore, sapore, imo et vi medica excelluisse. Certe Byblus urbs est ad Libanum sita, quæ nomen dedit Byblino vino, quod ab Hesiodo, Achæo, Theocrito et aliis celebratur. Denique Patres Societatis nostræ oriundi e Libano, puta Maronitæ, Romæ mihi asseverarunt vinum Libani etiamnum esse valde generosum et præstans, ideoque vim suam per multos annos conservare. Ad hæc, botros et uvas, e quibus exprimitur, esse ingentes, similes illis quas exploratores e Terra sancta in vecte extulerunt, Num. xiii, 14. Idem suadet situs loci : Libanus enim est in regione calida, frugifera, montosa et vitifera. Bacchus enim amat colles calidos. Quocirca Theodoretus sic explicat : « *Israelitæ similiter ut vinum odoratum in Libano cultum, virtutis fragrantiam possidebunt; atque illinc manantem bonam existimationem quasi fructum percipient.* » Et S. Cyriillus : « *Talis, inquit, est omnis Christi sermo et doctrina,* » item *vitæ ejus mysteria et sacramenta, præsertim Eucharistiæ, quæ sub specie panis et vini corpus et sanguinem Christi nobis exhibet.* Hæc enim est memoria, et memoriale juge Christi, de quo Psaltes, Psalm. cx, 4 : « *Memoriam fecit mirabilem suorum, misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se;* » et Christus ipse : « *Hoc facite in meam commemorationem,* » Matth. xxvi, 26. « *Quotiescumque enim manducabis panem hunc, et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis,* » ait Paulus I Corinth. xi, 26. Sic de Josiæ piissimi regis fama dicitur, Eccl. xlxi, 1 : « *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini.* »

Aliter aliqui apud S. Hieronymum; nam per *vinum Libani* accipiunt vinum thure conditum. Verum hoc insuave est. Aliter et Chaldæus, S. Hieronymus et Haymo; nam per *vinum Libani* accipiunt vinum templi, quod sacrificiis adhibebatur ut libamen, diciturque Libani, quia ex uvis Libani confectum. Unde Chaldæus vertit : *Erit memoriale bonitatis eorum fructificans et indeficiens, juxta ac memoria tubarum clangoris super vino veteri, quod libari solet in domo sanctuarii.* Primus sensus uti simplex et planus, ita et germanus est; cui adde alium valde appositum, quem tradit Sanchez, nimirum vinum Libani vocari vinum aromatibus Libani conditum, ideoque odoratum. Libanus enim adeo odoratis guttis, her-

bis et aromatibus abundat, ut pro ipsis odo-
ribus usurpetur. Tale est vinum myrratum,
foliatum, nardinum. Addit Sanchez, vinum con-
diri solitum non solum ad suavitatem gustus, et
ad salubritatem corporis, sed etiam ad vim odo-
ris et unguenti. Sic vinum in quo spica Cilissa, id
est crocus, incoquitur, pro unguento pretioso
spargebatur in theatris. Sic ait Martialis, in *Am-
phith. epigr. III:*

Et Cilices nimbis hic maduere suis.

Nimbi enim Cilicum sunt vina, quæ sibi odorem
ex croci coctione traxerunt. Sensus ergo est, q. d.
Israelis nuper apud omnes gentes exosi, jam ad
Deum conversi tam grata erit memoria, ejusque
nomen et commemoratio tantam audientibus
suavitatem inhalabit, quantam inhalat vinum
aromate Libani conditum, sive unguentum fra-
grantissimum.

Vers. 9.

9. EPHRAIM (supple, tot a Christo affectus bene-
ficiis dicet, ut habent Hebræa et Chaldeus) QUID
MIHI ULTRA IDOLA? — quid mihi cum idolis?
abeant in malam crucem: mihi deinceps solus
Deus pastor et director erit, Christus amor meus.
Septuaginta vertunt: *Ephraim, quid ultra et ido-
lis?* » Huc allusit Apostolus II Corinth. VI, 15:
« Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars
fidi cum infideli? Qui autem consensus templo
Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei
vivi. »

Aliter S. Hieronymus et Albertus accipiunt hæc
verba, scilicet, non ut Israelis, sed ut Dei, q. d.
Quid mihi, o Ephraim, objectas idola? vides esse
idola, id est res umbraticas et vanas; ea ergo de-
sere, me unum sequere et cole (1).

EGO EXAUDIAM ET DIRIGAM EUM (Ephraim, sive
Israelem), EGO UT ABIETEM (Arabicus, ut platanum)
VIRENTEM. — Abies enim semper viret, nec hieme
folia amittit, ut docet Plinius lib. XVI, cap. xxi, q. d.
Ut abies arbor enodis, procera, semper virens,
recta, semper directe in altum ascendit; ita ego
Israelem virtutibus semper virentem dirigam in
celum ad me, et ad vitam beatam. Ita Rupertus.
Abies, inquit Plinius lib. XVI, cap. x, « e cunctis am-
plissima est, et femina etiam prolixior (est enim
abies mas et femina) materia mollior viliorque,
arbore rotundior, folio pinnato densa, ut imbræ
non transmittat, atque hilarior in totum. » Talis
est et Israel, id est fidelis, quem Deus facit virere
semper, densari, et hilarescere gratia et virtuti-
bus. Ita S. Hieronymus.

Septuaginta pro abies vertunt, juniperus. He-
bræum enim בָּרוֹסֶת berosç, et abietem, et junipe-

(1) Licet utraque explicatio magni nominis interpretes
patronos habeat, præstare videtur, ut statuamus sermonem
Dei ad Ephraimum continuari, quo eum obtestatur, quid
Ipse cum idolis commune habeat in beneficiis collatis et
conferendis, qui omnia solus largiatur. Priori enim inter-
pretationi obstat quod statim sequitur יְהוָה ani, ego, ad
Deum referendum.

rum, et cupressum significat. Vertunt ergo: *Ego*
sicut juniperus condensa cooperiens (2). Juniperus
enim, ait Cyrillus, adeo frondibus densatur, ut
nec solis radios, nec imbræ, quantumvis vehe-
mentes, transmittat: sic et Deus Christusque fide-
libus suis in omni tentatione et tribulatione den-
sam præstat umbram et protectionem: licet enim
Virgilius juniperi umbram vocet *gravem*, nimi-
rum dormienti sub ea; eadem tamen suavis est
et tuta configenti, ut imbræ vitet vel æustum,
ait Delrio, *adagio* 965. Addit Theodoreetus: « Ju-
niperus, inquit, semper viridis existit, nec pu-
trescit, et coma redimitur aculeata. His ostendit,
quod omni studio te curabo, ab omnique perni-
cie tutum efficiam, et invadentem quasi quibus-
dam aculeis perterrefaciam. » Aculeos hosce, sive
spinas aliter interpretatur Theophylactus; nimi-
rum Deum esse spinam, quia suis fidelibus, qui
secundum Deum cupiunt vivere, imperat vitam
asperam, quæ eos pungat et compungat ex con-
sideratione judicii extremi.

EX ME FRUCTUS TUUS INVENTUS EST, — q. d. Dixi
quod faciam te pulchrum et virentem ut abie-
tem; et ne putas te frondosum tantum fore, non
fructiferum, uti est abies, addo me insuper fructu-
s bonorum operum, gratiæ et gloriæ tibi datu-
rum. Eris ergo abies frondibus, vitis et oliva
fructibus. Ita Chaldeus, S. Hieronymus, Lyranus
et alii.

Moraliter, fidelis in verbis et præceptis sanctis
sit abies, sed simul in operibus et fructibus sit
oliva. Ita Jesus erat potens in opere et sermone.
Cur? quia ejus verba et dicta erant facta: quod
docebat verbo, monstrabat exemplo. Phocion,
teste Plutarcho in ejus Vita, dicentes et docentes
bona, sed non facientes, aiebat similes esse cu-
pressis, quæ, cum sint sublimes et pulchræ, nul-
lum tamen edunt fructum. Ita hic Osee ait eos
similes esse abieti virenti.

10. QUIS SAPIENS, ET INTELLIGET ISTA? — scilicet Vers. 10.
oracula mea: illa enim profunda et remota sunt
a sensu hominum carnalium et impiorum, solis-
que justis pervia. Ita S. Hieronymus et Rupertus.
Aut potius « ista, » scilicet mysteria et promissa
Christi, q. d. Quam pauci erunt Judæi qui hæc
Christi, qui est via, veritas et vita, mysteria cre-
dant, sapiant, ament et faciant!

QUIA RECTÆ (sunt) VÍÆ DOMINI (rectaque ducunt
in altum ad Deum rectissimum: unde a solis rec-
tis cognosci terique possunt. Soli enim) JUSTI AM-
BULABUNT IN EIS (sed depressæ et curvæ in terras
animæ, ac celestium inanes, quales sunt Judæo-

(2) Sic etiam de Deo accipit Jarchi apud Rosenmuller: « Et me demittam illi, ut prehendere me ejus manus
possit, sicuti abies viridis sese in terram flectit, quo ra-
mos ejus homo prehendat, ut sensus sit: Facile ei inve-
niar. » Quia vero abies etsi semper viret, non tamen fert
fructum, ideo addit: *Ex me fructus tuus quo indigebis*
inventus est. Per fructum omnia necessaria indicari, res
ipsa docet.

rum, has sapere et ingredi nequeunt; quin vero impingent et) CORRUENT IN EIS, — præsertim cum detrudentur ruentque in gehennam, eo quod eas agnoscere noluerint, nec per eas ambularint.

Secundo, ex Hebræo sic verti potest cum Leone Hebræo, Vatablo, Lyrano et Aria : « Si quis sapiens est, intelligat ista ; si quis prudens, cognoscat ea, quod rectæ sint viæ Domini, et justi in eis ambulabunt, prævaricatores vero corrident in eis, » q. d. Qui sapiens est, intelligit et videt justa esse opera et judicia Domini, tam circa justos, quam injustos ; dum illos dirigit, fovet et præmiat, hos negligit, rejicit et punit : justum enim est quidquid a Deo fit. Unde justi qui soli sapiunt, ambulant, id est observant vias Domini, laudantque Deum in omnibus operibus suis : peccatores vero insipientes eas negligunt, spernunt, vituperant, ideoque corrident in eis.

Censem Alazar ad hæc Osee verba alludere S. Joannem, Apocal. v, 2, ubi ait : « Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus ? » imo censem hunc angelum fortem esse ipsummet Osee, de qua re quid sentiendum sit dixi in Procémio.

Moraliter : Pauci sunt qui viam in cœlum, iterum pauci que ad beatitudinem cognoscant et capessant. Me- cœlum rito ingemuit Moses : « Gens absque consilio est, cognos- et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligen- cœlum rent, ac novissima providerent ! » Deuter. xxxii, 28.

Et Christus : « Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiovia via est quæ ducit ad perditionem, et multi intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam ! » Matth. vii, 13. « Sequamur ergo, Domine Jesu, te, per te, ad te; quia tu es via, veritas et vita : via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio, » ait S. Bernardus serm. 2 De Ascensione.

Porro sapientum, puta fidelium, qui Christum

sequuntur, felicitatem hic quatuordecim partim promissis, partim phrasibus et parabolis graphicè depingit, omnibusque spectandam et amplectendam proponit Prophetæ. Nam primo, iis promittit, vers. 5 : « Sanabo contritiones eorum ; » secundo : « Diligam eos spontanee ; tertio : « Ero quasi ros ; » quarto : « Israel germinabit sicut lilyum ; » quinto : « Erumpet radix ejus ut Libani ; » sexto : « Ibun trami ejus ; » septimo : « Erit quasi oliva gloria ejus ; » octavo : « Odor ejus (erit) ut Libani ; » nono : « Convertentur sedentes in umbra ejus ; » decimo : « Vivent tritico ; » undecimo : « Germinabunt quasi vinea ; » duodecimo : « Memoriale ejus sicut vinum Libani ; » decimo tertio : « Ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem virentem ; » decimo quarto : « Ex me fructus tuus inventus est. »

O stulti ergo filii Adæ, utquid diligitis vanitatem, et queritis mendacium? utquid instar chamaeleontis aere de aura inani vos pascitis? o stolidi, utquid caduca solidis, exilia immensis, terrena cœlestibus, humana divinis, momentanea æternis anteponitis? utquid creaturam Creatori, amasiam Christo, Mammonam Deo antefertis? utquid vilissima, brevissima et foedissima voluptate sempiternos gehennæ ignes, dolores et angores emitis? Pœnitibit vos, et in æternum pœnitibit; sed sero, et frustra. Sapite dum licet, operamini dum lux est, capessite gratiam dum offertur, ne cum fatuis virginibus in morte eam cum lacrymis requiratis, nec inveniatis; ne cum iis nuptiis cœlestibus exclusi, audiatis a Christo : « Nescio vos. Suspicite in cœlum, » despicate in tartara, Deum vindicem cogitate. Vivite

ÆTERNITATI.

« Appende mille annos contra Æternitatem, imo millia millium; quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? » ait S. Augustinus in Psalm. xxxvi.

COMMENTARIA

IN

JOELEM PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Joel, ait Epiphanius lib. *De Vita et obitu Prophet.*, natus est in agro Bethor, de tribu Ruben; sic et Dorotheus in *Vita Joelis*, nisi quod agrum nuncupat Bethomeron in Ruben. R. Salomon putat Joelem fuisse filium Samuelis prophetæ, qui unxit Davidem in regem; eo quod ejus filius vocetur Joel a Josepho, lib. VI *Antiq.* III. Sed alius est iste Joel a nostro; noster enim eo longe posterior fuit tempore, ut mox patebit. Censem nonnulli Joelem æque ac Osee, prophetasse tam contra decem, quam contra duas tribus, puta tam contra Samariam, quam contra Judam. Ita S. Hieronymus ex sententia Hebræorum, epist. 103 ad *Paulinum*: « Joel, ait, filius Phatuel describit terram duodecim (licet Albertus legat duarum) tribuum eruca, bricho, locusta, rubigine vastante corruptam, et post eversionem prioris populi effusum iri Spiritum Sanctum super servos Dei et ancillas, id est super centum viginti credentium nomina, et effusum iri in cœnaculo Sion. » Ita et Theodoretus, Remigius, R. Salomon, Lyranus, Vatablus et alii recentiores Hebræi, qui putant Joelem vixisse, et prophetasse cum Elisæo sub Joram rege, ideoque cap. I, prophetare famem, quæ illo tempore tam Samariam quam Judam afflixit, ut patet IV Reg. VI, 25.

Verum melius idem S. Hieronymus, Præfat. in *Joelem*, censet Joelem solis duabus tribubus, Judæ scilicet et Benjamin, prophetasse: « Quomodo, inquit, in Osee propheta sub nomine Ephraïm ad decem tribus confertur vaticinium, quæ vel Samaria, vel Israel sæpe nominatur; sic in Joel omne quod dicitur, ad tribum Juda et ad Jerusalem pertinere credendum est, et nullam omnino Israelis, id est decem tribuum, in hoc fieri mentionem. » Ita et Epiphanius lib. *De Vita Prophetarum*, in *Joele*, Hugo, Albertus, Haymo, Ribera, Dionysius a Castro, Sanchez et alii; et patet ex verbis *Joelis*, cap. I, 13: « Plangite, sacerdotes, ululate, ministri altaris; » et cap. II, 15 et 17: « Canite tuba in Sion. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes, » etc. Altare enim erat in Jerusalem, non alibi.

Porro Joel prophetavit eodem pene tempore Quando? quo Osee, sub Ozia, Joatham, Achaz et Ezechia regibus Juda, ait S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Ruffinus, et S. Augustinus XVIII *De Civit.* cap. XXVII (1), licet Hebræi in *Seder Olam*, et ex eis R. David, Genebrardus in *Chronol.*, Arias et a Castro hic putent eum prophetasse sub Manasse, ac consequenter post excidium Samariæ et decem tribuum: hoc enim contigit anno sexto Ezechiae, qui fuit pater Manassis: idque verisimile fit ex eo, quod Joel solis duabus tribubus prophetet, non reliquis decem; eo quod illæ jam essent excisæ et abductæ. Rursum ex eo quod Scriptura dicat Deum misisse Prophetas, qui Judææ clades nomine Dei intentarent ob scelera Manassis, IV Reg. XXI, 10, et cap. XXIII, 26. Videtur ergo ex

(1) Nos vero, inquit Rosenmuller, nulli dubitamus, Joelem Hoseæ et Amoso fuisse æqualem, non sane regula illa moti, quam a Judæis acceptam tradit Hieronymus, in quibus Prophetarum scriptis, tempus non profertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus et hi, qui ante eas habent titulos, prophetaverunt, in qua parum esse roboris, vel unius Jonæ exemplum demonstrat; sed rationibus convicti, quas pro illa sententia Campegius Vitringa produxit: « Nostra, inquit, sententia eadem est, quæ Abarbenelis, vixisse Joelem eodem tempore cum Amoso, et paulo ante eum hanc edidisse prophetiam. Argumenta nostra sunt, primo, quod inter hostes Judæorum *Ægyptii* et *Idumæi* tantum occurrant (adde Philistinos et Phœnicios), cap. III, 4, 19, Assyriorum vero aut Babyloniorum nulla fit mentio. Locus enim cap. II, 20, æque ac superiora ad *plagam locustarum* pertinet. Secundo, quod eadem plane exprobret crimina *Tyriis*, *Sidonis* et *Idumæis* (qui captivos ex Judæa omnis sexus et ætatis multos abduxerant, inclementer habuerant et vendiderant exteris, et agros illorum invaserant atque occupaverant), quæ Amos; et simile iis denuntiet judicium, cap. IV, 2-7 (Vulg. III), coll. Amos, 1, 9-11. Tertio, quo tempore Joel concionatus est, sacra adhuc apud Judæos suo stabant ordine, cap. II, 15, 16, 17. Quarto, lætiora etiam tempora in *Judæa* cum omnium rerum ubertate pollicetur, cap. II, 18, 19. Quinto, quam Joel prædictit Judæis instantem calamitatem famis et sterilitatis, Amos demonstrat Israelitas modo pressisse et adhucdum premere, cap. IV, 6, 7. Sexto, Amos incipit suam prophetiam ea sententia, cap. I, 2, qua suam fere claudit Joel, cap. IV, 16: *Jova e Sione rugiet*, et quæ sequuntur.

his fuisse Joel; ipse enim Judææ clades hasce comminatur, æque ac Jeremias cap. xv, 4, qui ob scelera Manassis eas irrogandas diserte asserit. Hæc sententia est valde probabilis; unde in editione Septuaginta Romana, Joel post Michæam ponitur. Hinc et diem excidii Hierosolymæ ita vive et horrifice depingit, ut quasi instantem et pene præsentem oculis eum cernere videatur.

Ex dictis sequitur Joelem comminari captivitatem non Assyriacam, qua vastata est Samaria; sed Babyloniam, qua vastata est Jerusalem et Judæa a Chaldaïs.

Argu-
mentum. Argumentum ergo Joeli est, prædicere Dei vindictam et captivitatem Babyloniam, indeque ejus antitypum judicium extremum, in quo reprobri gehennæ, probi cœlo adjudicabuntur.

Primo ergo, cap. i, Judæis excidium per Chaldaeos comminatur, utque hoc evadant, hortatur omnes ad lamenta et ad poenitentiam.

Secundo, cap. ii, pergit atrocitatem hujus diei et excidii describere, indeque excitat omnes ad luctum et publicas supplicationes. Deinde poenitentibus redditum e captivitate et Babylone pollicetur. Adhæc promittit adventum Christi, qui Spiritum Sanctum in suos fideles effundet. Inde transit ad secundum Christi adventum, ejusque signa prævia enarrat.

Tertio, cap. iii, docet Christum in valle Josaphat quasi judicem judicaturum omnes gentes, ac damnaturum impios ad gehennam; pios vero translaturum in coelestem Jerusalem, cuius delicias, gloriam et felicitatem describit.

Joelis
etymon. Tropologice *Joel* hebraice idem est quod *vōlēns*, *incipiens*, vel *Domini descensus*; *Phatuel* vero pater ejus, hebraice idem est quod *latitudo*, aut *ostium*, aut *suasio Dei*, vel *aperiens Deus*; ut moraliter significetur quod, qui ostium, suasionem et scientiam habuerit Dei, recte incipit prophetare, ut cum Paulo possit dicere: « Os nostrum patet

ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est; » quia audiebat a Domino: « Dilata os tuum, et implebo illud. » Ipsa enim oris adapertio non in hominis, sed in Dei potestate est, dicente eodem Paulo: « Ostium mihi apertum » est magnum et evidens, II *Corinth.* ii, 12. Ita S. Hieronymus, qui in cap. i *Osee* ait: *Joel* idem est quod *Dominus Deus*; ut *Joel* per erasin idem sit quod *Jehova el*, vel *Ja el*, quæ omnia sunt nomina Dei. Denique *Joel* relatus est inter *Sanctos*, ac *Roman Martyrologio* inscriptus legitur 13 julii (1).

(1) Tribus capitibus prophetæ Joeli in Vulgata continentur; aliter dividuntur in textu hebreo, ubi quatuor reperiuntur capita, scilicet, tertium incipit vers. 28 cap. ii in Vulgata, et absolvitur vers. 32 ejusdem capituli. Quod retinendum pro locis et citationibus ab interpretibus qui textum hebreum sequuntur, extractis.

Hujus libri divinitas nulli speciatim difficultati locum dedit, quod et ipse Carpzovius notans ait: Canonica libri auctoritas et fides adeo firmis nititur fundamentis, ut adversariorum, quem sciam, nemo sigillatim illam subruere fuerit ausus.

Stylus hujus Prophetæ est poeticus, vehemens, elegans ac sublimis. Descriptiones locustarum, ingentis luctus, ætatis aureæ, vallis Josaphat, fontis e templo orituri, etc., sunt pulcherrimæ. Sublimis ingenii poeta, inquit Rosenmuller, cui præter Isaiam et Habacucum in omni volumen Hebreorum numero vix invenias parem. Mirum in modum Joeli indolem poetamic extulere De Wette, Jahn, Eichornius et Lowthius *De Poesi sacra Hebreor.* prælect. xxi.

Subjicimus nomina eorum, saltem præcipuorum qui Joeli vaticinia seorsim scriptis illustrarunt, *inter catholicos*: Sebastianum Tuscanum, 1556; Gilbertum Genebrardum, 1563; Mathurinum Quadratum, 1576; Simonem Simonidem, 1593; Joannem Quinquarboreum, 1687: *inter heterodoxos interpretes*: Benjaminum Bonerum, 1597; Joannem Leusden, 1657; Cornelium Hasæum, 1697; Jo. Jac. Schurmannum, 1703; Samuelem Chandler, 1735; Christ. Frid. Bauer, 1741, 1742; Gottlob. Henric. Richter, 1747; Siegm. Jac. Baumgarten, 1756; Carol. Phil. Conz, 1783; Joann. Buttnerum, 1784; Carl. Wilh. Justi, 1792; A. Svanborg, 1806; Holzhausen, 1829; Credner, 1831.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judææ excidium per erucam, locustam, bruchum et rubiginem, puta per varias hostium Chaldaeorum populationes, prædictit. Hinc, vers. 13, sacerdotes et populum hortatur ad pœnitentiam et supplicationem, ut iis Deum sibi reconcilient, plagasque ab eo hic comminatas avertant (1).

1. Verbum Domini, quod factum est ad Joel filium Phatuel. 2. Audite hoc, senes, et aribus percipite, omnes habitatores terræ : si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum? 3. Super hoc filiis vestris narrate, et filii vestri filiis suis, et filii eorum generationi alteræ. 4. Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo. 5. Experciscimini, ebrii, et flete, et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro. 6. Gens enim ascendit super

(1) Præmisso exordio, in quo Prophetæ excitat auditores ad attentionem, 1; exaggerat rem proponendam, 2; et commendat eamdem in memoriam servandam, 3; diem et judicium Domini populo Judææ imminentia prænuntiat.

PRIMO, ut antecedens seu præsagum symbolum judicii futuri describit vastatam per insecta Judæam, *primo*, referens insecta secundum speciem quadruplicem, 4; et secundum multitudinem innumerabilem et vim nocendi maximam, 6; *secundo*, enarrans mala illata vineis et sicibus, 7; agris et oleis, 10; arboribus omnibus, 12; *tertio*, recensens varios damna perppersos, scilicet ebrios et vini amantes, 5; Hierosolymæ incolas, 8; sacerdotes, 9; agricultores et vinitores, 10, 11.

SECUNDO, adhortatur sacerdotes, *primo*, ad agendam pœnitentiam, ob defectum sacrificiorum et oblationum, 13; *secundo*, ad eamdem predicandam, ob imminens Dei judicium, 14, 15; *tertio*, ad considerandam regionis afflictionem hinc apparentem, 16.

TERTIO, ut orationibus et pœnitentia studeant avertere mala quæ impendebant, novam siccitatis calamitatem priori additam exaggerat, utpote ex qua *primo*, jumenta computrescant, ob ruinam stabulorum et defectum necessariorum, 17; *secundo*, greges concidunt et pereunt ob penuriam alimentorum, 18; *tertio*, herbæ et frutices arescant, 19; *quarto*, fontes exsiccantur, et bestiæ sylvestres enecantur siti.

Porro quæ primo et secundo capite continetur locustarum calamitas, ejus Crednerus hanc fuisse rationem putat. Exeunte æstate locustas in Judæam ingruisse per lucere judicat ex loco cap. II, 20: ibi enim advenisse locustas cum vento aquilone dici; aquilonem vero illis in regionibus flare ab exeunte junio ad finem usque septembribus: convenire in illud anni tempus, quod mustum ac poma a locustis vastata dicantur cap. I, 5, 7; sed vastatas dici segetes quoque, cap. I, 10 et seq. Itaque novam locustarum pestem incidisse in æstatem ineuntem anni sequentis, eaque alteram pestem, cum locustæ non vivant in annum sequentem, ortam esse ex foetu relicto a locustis anni superioris (cf. Plinium, *Hist. nat.* lib. II, cap. xxix: «Locustarum ova durant hyeme sub terra; subsequente autem exitu veris emitunt parvas,») mirifice aucto orta siccitate, I, 12, 17, 19, et descriptam a vate cap. II, usque ad vers. 11, quippe in quo non volare, sed repere, currere, subsilire, scandere dicantur locustæ, utpote recens natæ, necdum satis compotes alarum. Sic si res se habeat,

demum intelligi, cur vates, cap. II, 25, utatur plurali **תְּנִינָם** *schanim*. Cæterum, prius locustarum agmen perisse in mari Mortuo, posterius anno sequenti in mari medio, cap. II, 20, tum vero segetes, vites et arbores pluvia a Deo demissa fecundatas, novos illo ipso anno tulisse fructus, cap. II, 19 et seqq.

Hanc Credneri interpretationem expugnat Maurer, satis que verisimiliter probat, uno eodemque anno duas fuisse locustarum e septentrionali plaga venientium in Judæam irruptionem fecisse, unam æstate ineunte, alteram exeunte æstate, utramque aut locustarum allatarum e terris vicinis aut domesticarum, vel si magis placet, unam domesticarum, alteram alienigenarum. Narrant qui istas regiones peragrarent, apparere, si tempestas faveat, quovis anni tempore locustas. Favet autem tum maxime tempestas, cum ver siccum existit. Fuerat autem istius anni ver maxime siccum, I, 12, 17, 19, 20. Sed ne opus est quidem, ut aliam locustarum pestem appropinquante tempore messis, alium vindemiæ tempore fuisse credas. Ineunte vel media æstate si irruerant locustæ, perit una cum spe agricultæ spes vinitoris. Deinde quod ibi repere, currere, subsilire, scandere dicuntur locustæ, eo nullo modo efficitur, cogitandum esse de locustis recens natis necdum satis alatis. Repunt enim, currunt, saliunt, scandunt alatae quoque, simul atque ex aere descendunt ad vorandum. Nihil clarissimum, certius nihil, quam primo capite calamitatem inflictam a locustis, secundo ipsum adventantium locustarum agmen voluisse depingere vatem. Tum falsissimum est, quod quæ cap. II, 19 et seq., habentur ad tempus præteritum refert Crednerus, quasi ibi narrentur facta. Obstat enim totius descriptionis natura atque indoles, quæ talis est, ut scriptorem *omnia coram spectare, inter mediam calamitatem versari* intelligas; obstat quod semel atque iterum cives hortatur, ut animo pœnitentia commoto Jovam placare studeant, I, 14 et seq.; II, 12 et seq. — Evidenter, addit Maurer, ut paucis comprehendendam sententiam meam, cum, cap. II, 20, de uno tantum agmine sermo sit, cum, cap. I, 4, variæ numerentur locustarum species, quarum una absumpserit relicta ab altera, cum, cap. I, 5 et seqq., in describenda a locustis inficta calamitate ita versaretur vates, ut vastatas segetes, vites, arbores simul queratur, modo has, modo illas commemorans: puto certo quodam anno locustarum immensæ magnitudinis agmen aliis post alias accedentibus turmis in Judæam irruisse ineunte vel media æstate.

terram meam, fortis et innumerabilis : dentes ejus ut dentes leonis : et molares ejus ut catuli leonis. 7. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit : nudans spoliavit eam, et projecit : albi facti sunt rami ejus. 8. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. 9. Periit sacrificium et libatio de domo Domini : luxerunt sacerdotes ministri Domini. 10. Depopulata est regio, luxit humus : quoniam devastated is triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. 11. Confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinitores super frumento et hordeo, quia periit messis agri. 12. Vinea confusa est, et ficus elanguit, malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt : quia confusum est gaudium a filiis hominum. 13. Accingite vos et plangite, sacerdotes, ululate, ministri altaris : ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei : quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium et libatio. 14. Sanctificate jejenum, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in dominum Dei vestri, et clamate ad Dominum. 15. Aaaa, diei : quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet. 16. Numquid non coram oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia et exultatio? 17. Computruerunt jumenta in stercore suo, demolita sunt horrea, dissipatae sunt apothecæ : quoniam confusum est triticum. 18. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis : sed et greges pecorum disperierunt. 19. Ad te, Domine, clamabo : quia ignis comedit speciosa deserti, et flamma succedit omnia ligna regionis. 20. Sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbre, suspexerunt ad te : quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, et ignis devoravit speciosa deserti.

Vers. 2. **2. AUDITE HOC, SENES.** — Initio Propheta hisce verbis sibi attentionem conciliat, quod res (puta clades) graves, novas, et ab hominum, quantumvis senum, memoria inauditas sit dicturus, quæ tamen Judæos maxime tangant, ut eorum plane intersit hæc nosse, posterisque tradere, ut ipsi hisce patrum suorum flagellis moniti resipiscant, unique Deo toto corde serviant, cujus providentiam et vindictam in parentibus suis aspiciunt, itaque eamdem evadant, ejusque gratiam et beneficentiam sibi concilient.

Si FACTUM EST ISTUD, — quod sequitur, quodque mox enarro.

Vers. 3. **3. SUPER HOC (de hoc) FILIIS VESTRIS NARRATE,** — juxta præceptum Mosis, *Exod. x, 2* : « Narres in auribus filii tui et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis : et sciatis quia ego Dominus; » et *Psaltis, Psalm. LXXVII, 5* : « Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filii suis : ut cognoscat generatio altera. Filii qui nascentur, et exsurgent, et narrabunt filii suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant. »

Vers. 4. **4. RESIDUUM ERUCÆ COMEDIT LOCUSTA.** — Quatuor hic pestes et plagas recenset et comminatur.

Quatnō. **Prima** est eruca; Septuaginta, κάμπη; Chaldaeus, plague. נַחֲלָה zachala, id est vermis qui post pluviam nas-
Prima est eruca. citur, ac per caules, olera arborumque folia repit, eaque pigro et lento, sed exitiali morsu arrodit et depascitur. Unde hebraice vocatur עַזְזָם gazam, id est tonsor, rasor, rosor, excisor. Sic et eruca latine ab eodem erodendo dicitur, ait Isidorus, lib. XII *Orig. cap. v*, licet Apuleius erucam ab

hærendo dictam velit, quod brassicis, aliisque herbis quas occupat tenaciter adhæreat. Unde Columella, lib. XI *De Re rustica*, cap. III : « Erucæ, ait, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti: sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, si deciderint, non iterum amplius in superiorum partem prorepunt. »

Secunda est locusta, quæ erucam superat acrimoniam, volatu et numero. Unde hebraice dicuntur אַרְבָּנוֹת arbe, id est plurima, a radice רָבָה raba, id est multus fuit: ita Arias et Pagninus; tanta est enim locustarum copia, ut volando solem cœlumque operiant, cubando vero integras provincias obtegant, ut nil nisi locustas videas; quin et maria volando tegant et transeant, ut unam regionem depastæ, aliam invadant et aliam, singulas ex ordine devorantes. Unde locustarum plaga fuit una ex plagiis gravissimis Ægypti, *Exod. x, 4*. Vide ibi dicta. Quocirca locusta dicta est quasi loca urens, vel exustulans, inquit grammatici: licet Isidorus et Lyranus ita dictam velint, quod longis sit pedibus; Albertus Magnus vero: « Locusta, » inquit, dicitur quasi « loco stans. » Ita Aldrovandus in *Locusta*.

RESIDUUM LOCUSTÆ COMEDIT BRUCHUS. — **Tertia** bruchus. est hæc plaga, puta bruchus, pro quo hebraice est בְּלִי elec: quod septies reperitur in Scriptura, et ubique Noster bruchum vertit. *Psalm. civ, 34* : « Dixit, et venit locusta (hebraice arbe) et bruchus» (hebraice elec). *Jerem. li, 14* : « Replebo te hominibus quasi bricho. » Et vers. 27 : « Adducite equum quasi bruchum. » Eodem modo vertit hic, et cap. II, 25, et *Nahum iii, 15* : « Devorabit

te ut bruchus : congregare ut bruchus, multiplicare ut locusta ; » et vers. 16 : « Bruchus expansus est, et avolavit. »

Dicitur *ielec*, id est *ligurio*, quod herbas lingat, lambat et rodat : radix enim פְּלַקְלָקָה lacac significat *lingere*, *lambere* : unde Aquila, teste S. Hieronymo, in *Nahum* cap. III, vertit *comestor*.

Quæres, quid sit *ielec* et *bruchus*? Primo, Suidas et Scaliger, *exerc. xxxvi* : Bruchus, inquiunt, est κάμπη, id est *eruca*, quam Lombardi *bruch*, Galli *bruyère* vocant; verum erucam hic Joel distinguit a bricho. Secundo, Ambrosius Calepinus ex *Sipontino*, et nonnulla Lexica Latina et Græca : Bruchus, inquiunt, est vermiculus similis locustæ, herbas erodens, sine alis. Verum *Nahum*, cap. III, bricho dat alas. Tertio, R. David hic censem *bruchum* esse animalculum alatum instar crabronis, sed minoris quantitatis, quod arborum folia depopuletur, et in maxima multitudine vasset : unde aliqui putant *bruchum* esse insectum illud rubea tunica vestitum (quod statis annis humidioribus turmatim enascitur) quam dum expandit, alas ostentat, quibus volat in arbores, earumque folia depascitur : solent id rustici colligere et, fossa facta, sepelire, uti de bricho ait *Isaias* cap. XXXIII, 4. Verum hoc insectum genus est scarabæi, non bruchi, nec ab ullo classico auctore vocatur *bruchus*, etiamsi pueri in Gallia *bruchum*, vel *bruyant* vocent a bombo, quem volando edit, a quo et Flandri eum vocant *prædicantem*.

Bruchus Dico ergo *bruchum* esse parvam locustam, sive est pullus locustæ ; varii enim sunt locustarum gradus, et, ut ita dicam, species, secundum earum aëtates et incrementa distinctæ. Primo, locusta relinquit semen : ex eo nascitur parva locusta instar vermis, qui vocatur *bruchus*, qui, dum crescit et grandescit, ac modicis alis vestitur, vocatur *attacus* vel *attelabus*. Hic rursum, dum increscit corpore et alis, vocatur *ophiomachus*, qui, dum mole corporis et alis perficitur, vocatur *locusta*. Unde apposite ait Prophetæ : « Residuum locustæ comedit bruchus. » Locustæ enim, cum grandiores sint, grandiora tantum depascuntur, sed post se relinquunt pullos parvos, qui residuum et minima germina quæque usque ad radices stirpium depascuntur. Id ita esse patet primo, quia Septuaginta, *Jerem. LI, 14*, et alibi, pro *ielec*, id est bricho, vertunt ἄκριδας, id est *locustas*. Secundo, quia omnes physici et classici scriptores dicunt *bruchum* esse speciem locustæ, vel locustam inchoatam et imperfectam. Unde in Scriptura passim *bruchus* jungitur cum locusta, quasi proles cum matre. Et Aristoteles, lib. V *Histor. animal.* cap. XXIX, *bruchum* nectit et subjungit locustæ. Sic et S. Hieronymus in *Nahum* cap. III : « Bruchus, ait, est animal nihil volare valens, ventri tantum studens : attelabus saltans potius quam volans parvis alis : locusta jam perfectas alas habens. » Albertus Magnus, lib. XXVI *De An-*

mal. : « Bruchus, inquit, est primus partus locustæ, et cum efficitur major, vocatur archilabus (corripe *attelabus* ; et quando perficitur, est locusta. Bruchus autem eo quod immobilis est, totum depascitur usque ad radices, nihil viroris relinquens. » Lyranus *bruchum* et locustam differre scribit, sicut perfectum et imperfectum in eadem specie. « Bruchus, ait Glossa, vocatur fœtus locustæ antequam alas habeat : deinde cum incipit parum volare, attelabus dicitur : cum vero plene volat, locusta dicitur ; multoque gravior est bruchus quam locusta, vel attelabus, quod jacens in uno loco, radicibus comedit fructus. »

S. Chrysostomus in illud *Psalm. civ, 34* : « Venit locusta et bruchus : » Locusta, inquit, et bruchus non simul existere solent ; aut enim præcedens locusta bruchum parit, aut bruchus auctus in locustam tandem evadit. Βροῦχος, inquit Varius, est εἶδος ἀκρίδος, παρὰ τὸ βρύκειν, οὐ τὸ ἐσθίειν : τὸ αὐτὸ δὲ καὶ μάσταξ καλεῖται, παρὰ τὸ μαστάξθαι : καὶ βροῦχος οὐ κάμπη οὐ νεογέννης, καὶ ἀπτερος ἀκρίς : « Bruchus, inquit, est species locustæ, ita dicta a vorando, quæ et mastax dicitur, a mandendo. Item, bruchus eruca primum nata, et locusta carens alis. » Sic et Hesychius in Lexico ait *bruchum* esse locustarum speciem, ac Cyprios viridem locustam vocare *bruchum*, Tarentinos *attelabum*.

Bruchus ergo dicitur vel a βρύκω, id est *comedo*, vel a βρύχω, id est *dentibus strido* et *frendeo*, vel a βρύχω, id est *sorbeo*, *deglutio*, *voro* ; inde βρύγχος est guttur, quia bruchus non videtur habere aliud quam guttur et ventrem : pedes enim licet oblongos, graciles tamen habet : unde forte Italorum *broccare pro vorare*; et Germanorum *bruchen*, quod *consumere* et *conficere* significat, et Belgarum *brocken*, quod est minutim *conscindere*, ait Aldrovandus. Hoc etymon verius est quam illud quod dat *Anonymous* in *Psalm. civ*, dicens : Bruchus dicitur quasi βράχυς, id est *brevis* et *parvus* ; est enim parvus vermis a locusta generatus. Denique bruchos esse genus locustæ censem *Remigius*, *Pagninus*, *Forsterus*, *Marianus* (qui illud *gryllum* vocat : *gryllus* autem est parva locusta cinerei vel grisei coloris) in *Lexicis*, *Cælius*, lib. III, cap. XXV, *Aldrovandus*, lib. *De Insectis in Locusta*, qui et pag. 414, omnes locustarum species, ac nominatim *bruchum* depingit, ejusque formam in imagine spectandam exhibet. Accedit Syrus, qui vertit : *Quod reliquit locusta non alata* (vermis corrodens frumentum in agro), *comedit locusta volans* ; et *quod reliquit locusta volans*, *comedit locusta parva* (vel locusta quæ vocatur *separata*) ; et *quod reliquit locusta separata*, *comedit sarsur*, quæ etiam est locustæ species, ut mox dicam. Unde patet Syrum per has quatuor *Joelis* plagas accipere quatuor locustæ species. Syro plane consentit *Arabicus* uterque.

Dices : Si *bruchus* est pullus locustæ instar vermis carens alis, quomodo ergo *Jeremias* cap. LI,

vers. 14, dat ei aculeum, eumque vocat aculeatum, et Nahum cap. III, 16, dat ei alas, eumque vocat alatum?

Respondeo nomen bruchi subinde extendi ad alias locustarum species, ac complecti attelabos et ophiomachos. Opponitur enim locustæ: ergo sicut locusta omnem perfectam, ita bruchus omnem imperfectam locustam (quales sunt attaci, attelabi, ophiomachi, qui alati, et pedibus, dentibus et cauda aculeati sunt) significat. Sic agnos, hædos, vitulos subinde vocamus, non tantum pullos recenter natos, sed adultiores etiam et grandiores, puta juvencos anniculos, vel biennes, usque dum generare incipient: imo Hebræi vacas novellas dum primo pariunt vocant עגלות eglot, id est vitulas. Id ita esse patet ex S. Hieronymo, qui est auctor Versionis nostræ: ipse enim scribens in *Nahum* cap. III, per ielec, quem hic vocat bruchum, accipit attelabum: « Attelabus, ait, quem significantius comedorem interpretatus est Aquila, parva locusta est inter locustam et bruchum, et modicis pennis reptans potius quam volans semperque subsiliens, et ob hanc causam ubicumque orta fuerit, usque ad pulverem cuncta consumit, quia donec crescent pennæ, abire non potest. » Et mox: « Confertur exsiliensi attelabo, » etc. Hinc Aldrovandus, lib. *De Insectis*, cap. *De bricho*, pag. 406: « Bruchus, inquit, S. Scripturæ differt a bricho profanorum, sicut perfectum ab eo quod suam perfectionem necdum est consecutum. » Et Cælius, lib. III *Variar. Lect.* cap. xxv, docet locutas quaslibet rodentes sata, vocari bruchos, et attacos, et mastacas, uti est apud Nicandrum. Et Quinquareus in cap. IV *Amos* censemt bruchum esse locustæ genus, quod præter numerum et copiam, volatu etiam præstet celeriore, et latius quam cætera extenditur, pluresque agros celerius conficit et consumit, ideoque a Jeremia vocari aculeatum. Quocirca Chaldæus hic pro ielec, sive bricho vertit פְּרַחַת pircha, id est motitans, cursitans, volitans (radix enim פֶּרַח perach significat motitavit se, volitavit, cursitavit), eo quod hoc atque illuc vastando fruges cursitet et subsiliat. Ex dictis patet vocem *bruchus* significare infimam et minimam speciem locustæ, cum cæteræ omnes species numerantur; cum vero illæ subticentur, pro illis substitui, ut bruchus jam sit attelabus, jam ophiomachus, jam quælibet alia locustarum species. Quocirca cum Jeremias bruchum vocat aculeatum, et Nahum alatum, nomen bruchi extendunt ad attelabum, ophiomachum, aliasque locustæ majoris species: hasce species enarrat Moses, *Lexit.* xi, ubi earum esum Hebræis concedit.

Quarta plaga est rubigo. — **ET RESIDUUM BRUCHI COMEDIT RUBIGO.** — Quarta est hæc segetum et germinum pestis et plaga, scilicet rubigo. Hebraice est לִסְמָשׁ chasil, id est perditor, depastor, absumptor, a radice לִסְמָה chasal, id est assumpsit, eo quod omnia vastet et perdat, ac nil reliquum faciat. Recentiores, Pagninus,

Arias et alii censent esse tertiam locustæ speciem, eamque voracissimam: primam enim vocavit Joel bruchum, secundam locustam, tertiam chasil: itaque pro chasil vertunt locustam Septuaginta et Noster, *Isaiæ* XXXIII, 4, et II *Paral.* vi, 28. Unde non nulli per rubiginem hic accipiunt animal: rubigo, inquit, est vermis qui maxime rorem sequitur. Hinc Aldrovandus in *Locusta*, citans S. Hieronymum: Rubigo, inquit, rorem noxiun sequitur, qui cum in folia depluit, sole superveniente animatur et vivit, varieque plantis nocet.

Suffragatur Syrus, qui pro chasil vertit sarsur: de quo Illustrissimus Dominus Sergius Risius, Archiepiscopus Damascenus, natione Syrus, hæc mihi Romæ asseveravit: Sarsur, inquit, est animal in Syria parvulum ut locusta, imo e genere locustarum; sed a locustis vulgaribus differt, quod locustæ interdum, et certis quibusdam annis pro cœli et auræ temperie proveniunt; hoc autem continuum et perpetuum est. Estque duplex: ejus enim unum genus domesticum est, aliud sylvestre. Quatuor prorsus ut locusta pedes habet, et alios duos parvulos quibus cibum ad se trahit et comedit. Colorem habet nigrum et dorsum planum. Differt etiam a locustis; quod sylvestre valde nocet frumento et herbis, non autem arboribus ut locustæ, quæ ficuum et aliarum arborum corticem omnino corrodunt. Per molestem est ob sonum et strepitum, quem ingentem præcipue noctu excitat, præsertim apud aquas in Ægypto, ubi post Nili inundationem una cum ranis procreatur et remanet; adeo ut ibi horum animalium copia fuerit, homines ob eorum strepitum et damna quæ inferunt, habitare nequeant. Aliud ejus genus est domesticum, habitans cum hominibus, quod in trabibus degit, earumque pulvere et excrementis vesci perhibetur, molestum quoque ob rumorem et strepitum.

Verum pro hebræo chasil, hic vertunt rubigo, non locusta, Septuaginta, Chaldæus, Vatablus et alii, æque ac *Psalm.* LXXVIII, 4, et alibi; Hebræa enim nomina, præsertim animalium, arborum, gemmarum, lapidum, etc., sunt amplæ et variæ significationis, nuncque unum, nunc aliud significant. Quocirca chasil vertunt nunc locustam, nunc bruchum, nunc rubiginem: rubigo enim non minus quam locustæ segetes absunit. Porro rubigo, vel robigo Latinis significat vitium segetum, non locustam. Est enim rubigo, sive aurugo, vel ærugo vitium segetum ex corrupto aere, et quasi earum morbus regius, quo scilicet culmi pallescunt in modum auri vel æris, itaque paulatim arescant et evanescant. « Rubigo, inquit Albertus hic, est ros incensus ab aere defluens, qui primo ad minii colorem, postea in fuliginem convertit segetes marcidas, et in pulverem foetidum versas ac friabiles. » *Agricolæ nebula* vocant. Dicitur rubigo a rubedine: quia rubras facit segetes, uti et metalla, cum situm contrahunt. Hinc Apuleius, lib. III *Florid.*: « Profecto, ait, ut

Quid?

gladius usu splendescit, situ rubiginatur, ita vox in vagina silentii, condita diutino torpore hebetatur. » Et Plinius, lib. XVIII, xvii : « Rubigo maxima segetum pestis, lauri ramis in arvo defixis, transit in earum folia ex arvis. » A rubigine dicta sunt Rubiginalia, id est festi dies et sacra ad amoliendam rubiginem instituta a gentilibus, quales sunt supplicationes amburbiales in diebus Rogationum apud Christianos, quae eadem de causa peraguntur. Hinc Plinius, lib. XVIII, xix : « Rubiginalia, inquit, Numa constituit, quae nunc aguntur ad septimum Calendas maii : quoniam tunc fere rubigo segetes occupat. » Hæc de littera. Jam

Quæritur, quid hæc quatuor plagæ, puta eruca, locusta, bruchus et ærugo significant; et an litteraliter ut sonant, an symbolice sint accipiendæ? Multi eas ut sonant accipiunt, ut significet Joel vere ab hisce animalculis ob scelera sua vastatam fuisse Judæam, indeque sterilitatem ac famem ei inductam. Unde censem hic prædicti famem septem annorum, quam Elisæus quoque prædictis sub Joram, IV Reg. viii, 1 et 2. Hanc enim famem aiunt fuisse inductam per erucas, locustas, bruchos et rubiginem per quatuor annos sibi invicem succedentes, ac insuper durasse tres alias annos, quibus Deus clausit cœlum ne plueret. Ita Remigius, Ruffinus, Lyranus, Vatablus, Arias, R. Salomon et alii Rabbini. Theodoreetus vero putat prædicti hic sterilitatem et famem biennalem, quam prædictit Amos cap. iv, 9, ubi minatur Israelitis auruginem, sive rubiginem et erucas, æque ac Joel hic. Verum Joel diu post Elisæum et Joram prophetavit cum Osee, sub Ozia et posteris ejus, ut dixi in Procemio. Amos autem prophetat Samariæ, id est decem tribubus, ut patet Amos 1, 1, non duabus, ut facit Joel : nec meminit locustæ et bruchi, quæ nominat Joel. Quare si ad litteram hæc accipias uti sonant, de ipsa eruca, bricho, locusta et rubigine, alio tempore in Judæa illa contigisse necesse est. Multa enim comminatur Prophetæ, quæ omnia reipsa accidisse credimus, etiamsi illa alibi non narrentur. Unde Joel, cap. ii, 24, consolans suos hisce plagiæ affliatos, spe melioris sortis et fertilitatis : « Implebuntur, inquit, areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos, » etc. Ergo vere eis immisit erucas, locustas, bruchum et rubiginem. Adde hasce et plures alias plagiæ comminatus est Hebræis Moses Levit. xxvi, 22, et Deuter. xxviii, 22, si ipsi Deum desererent eumque offenderent. Ergo cum eum tempore Joeli offendirent, ideoque excisi sint, verisimile est illas plagiæ Deum eis irrogasse, ac minas suas explesse. Insuper, naturale et ordinarium Dei flagellum est sterilitas et famæ invecta per erucas, locustas, bruchos et rubiginem.

Praeclare S. Chrysostomus, homil. Quod nemo

læditur nisi a se ipso : « Omne, inquit, quod est in rebus, habet aliquid quo corrumpi possit ac lædi : lanam tinea, ovium greges lupus, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corruptit : lolium segetibus nocet, grando vineam lædit; virgulta ac diversa plantaria locustæ ac bruchi exercitus vastant, et singulis quibusque corporibus variæ morborum species inferunt corruptelam. » Plinius, lib. XI, xxix, cum ostendisset quam ingenti copia locustæ vento sublatæ gregatim maria volando tranent : « Tanquam, inquit, parum sit maria transisse, immensos tractus permeant, diraque messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes, et fores quoque tectorum. » Quanta damna locustæ variis provinciis intulerint, multis exemplis et historiis docet Aldrovandus in locusta, pag. 422 et seq. Exstat emblema Alciati cum lemmate : « Nihil reliqui, » his carminibus explicatum :

Scilicet hoc deerat post tot mala, denique nostris
Locustæ ut raperent quidquid inesset agris.
Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas,
Qualia non Atilæ, castraque Xerxis erant.
Hæc fœnum, milium, farra omnia consumperunt:
Spes et in angusto est, stant nisi vota super.

Hinc Ægyptiis locusta erat hieroglyphicum famis, ait Pierius, lib. XXVIII. Porro refert Theodoreetus in Philotheo, S. Aphraatem agrum cuiusdam supplicis sibi, aspersione aquæ benedictæ ab exercitu locustarum, qui Persidem vastabat, tutatum esse, ita ut eum tangere non auderent. Idem fecisse S. Vincentium Fererium in agro Muriæ, civitatis in Hispania, testatur auctor vitæ ejus, lib. III, sub finem. Sic S. Theodorum prece sua locustas agros populantes enecasse scribit Georgius presbyter in ejus Vita, lib. II.

Verum esto hæc plagæ ad litteram accipi possint ut sonant, tamen per eas symbolice et potius significantur hostes vastaturi Judæam. Sic enim eas explicat ipse Joel, 6 : « Gens enim ascendit super terram meam, fortis et innumerabilis : dentes ejus ut dentes leonis. » Et vers. 15 : « A a a, diei, quia prope est dies Domini, et quasi vastitas a potente veniet ! » Et cap. II, 1 et 2 : « Venit dies Domini, dies tenebrarum, etc., quasi mane expansum super montes, populus multus et fortis. » Et vers. 4 : « Quasi equites sic current, » etc. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Lyranus, Hugo, Ribera, Emmanuel, Sanchez et Mariana, qui ait : Utrumque, scilicet famæ et bellum, hic significatur. Est ergo hic ænigma, sive allegoria et parabola continua, significans hostem hosti successorum, cladem cladi usque ad excidium et interacionem Judæorum (1). Simile est Isaiae xxiv,

(1) Sensus allegoricum qui a multis magni nominiis interpretibus propugnatur non excludimus; sed tunc litteralis interpretatio quæ de locustis proprio dictis hanc prophetiam intelligendam censem, fere omnes rationalistas

vers. 17 : « Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit : Qui fugerit a facie formidinis, cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo. » Et *Jerem. XLVIII, 43* : « Pavor, et fovea, et laqueus super te, o habitator Moab. Qui fugerit a facie pavoris cadet in foveam ; et qui condescenderit de fovea, capietur laqueo. » Et cap. xv, 2 : « Qui ad mortem, » scilicet destinati sunt a Deo, « ad mortem, » supple ibunt : « et qui ad famem, ad famem ; et qui ad captivitatem, ad captivitatem. Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus : gladium ad occisionem, et canes ad lacerandum, et volatilia

interpretes defensores habeat, v. g. Eichornium, Justum, Rosenmuller, De Wette, Crednerum, Maurer, etc., etc., illam cum Ackermann præferendam in primo sensu putamus : *Primo*, ob hanc potissimum rationem, quod omnia quæ de locustis dicantur, in proprie dictas locustas conveniant, ut ex singularum partium consideratione liquebit, nec certa figurati sensus occurrunt indicia et criteria. *Secundo*, si sub locustarum figura populum aliquem hostilem descriptsisset Propheta, talia procul dubio immiscisset, quæ hanc ejus mentem clare indicarent. Imo quando cap. II, 4 et seqq., cum equitibus et exercitu hostili, etc., eas comparat, satis clare significat eas ab illis diversas esse, ita, inquit Maurer, ut plano suo ac simplici sensu accipienda esse videbit, quicumque sola quæ cap. II, 4-9, habentur, legerit ab opinione præjudicata liber. *Tertio*, nihil in universo sermone hoc de hominum strage, cæde aut exilio ; sed calamitas consistit in summa frugum fructuumque inopia et sterilitate, cujus causæ sunt locustæ, tum æstus et aquæ penuria, nulla prælia, nullæ urbium expugnations, cædes, etc., qualia commemorari solent, ubi hostiles impetus et grassationes narrantur. *Quarto*, beneficia quoque his calamitatibus opposita promittuntur, cap. II, 22 et seqq., pluvia copiosa ad terram secundandam, indeque orta magna frugum fructuumque ubertas. Qui plura desideraverit de sententia opposita quam præter veteres supra nominatos, tuentur Sanctius, Theiner, Grotius, Ecchermann, Bertholdius, Hengstenberg et alii, videat Glaire, *Introduct. à l' Ecrit. sainte*, lib. IV, pag. 430 et seqq.

De complemento prophetiæ quoque diversæ vigent sententiæ. Calmetus, cum quo fere convenit Rosenmuller, Maurer, etc., non prædictionem sed descriptionem esse putant. Ast Joel, inquit Ackermann, luctuosam Judæam per quatuor species locustarum sese insequentium vastationem describit, quæ ut cap. I, 15; II, 1, 2, 13, 14, disertis verbis annotatur, *futuro œvo*, imminet. Cæterum prædicta Judææ per locustas vastatio non est illa sterilitas, quæ ætate Elisei contigit, neque ea penuria pluvia, quæ *Jerem. XIV* legitur ; sed est illa famæ quæ tempore Machabæorum accidit, *I Mach. IX*, 23-27. Nam Propheta non regem, sed seniores et sacerdotes memorat ; de idolatria, quæ ante captivitatem nullo unquam tempore prorsus desistit, altum silet : regni Israel non meminit, sed nonnisi Judam et Jerosolymam commemorat, atque cap. IV, 1, 2, Hebræos omnes *Israel* compellat, ut solent Prophetæ de temporibus post captivitatem loquentes ; imo cap. IV, 1, 2, captivitatem, dispersionem populi, occupationem regionis, per alias gentes, atque etiam redditum jam dudum contigisse ponit. Hostibus Hebræorum, cap. IV, 4, accenset Tyrios et Sidonios, qui Hebræos vendunt Græcis. Hæc manifeste produnt æstatem Machabæorum, *I Mach. IX*, 23-27; V, 14, 15. Huic sententiæ Ackermann, licet aliqua veri similitudine gaudenti astipulari vix auderemus.

cœli et bestias terræ ad devorandum et dissipandum : et dabo eos in fervorem universis regnis terræ, propter Manassen filium Ezechiae regis Juda, super omnibus quæ fecit in Jerusalem. » Quo forte alludit hic Joel. Simile est illud Homeri *Odyss. e :*

Tradebat Notus hunc Boreæ quandoque vehendum :
Nunc rursum Zephiro jactandum tradidit Eurus.

Et *Iliad. τ :*

Tristia perpetuo mihi tristibus excipiuntur.

Sic Ausonius in *Epigram.* eleganter hosce vocat « labores (et dolores) catenatos, » cum labor ex labore, dolor ex dolore seritur. Hinc adagium : « Malorum panegyris, » quo utitur Pisides apud Suidam : « Omnes, inquit, simul malorum ut in panegyre, alios tenebat aliud infortunium. » Huc spectat illud Diogenianum : « Mali thripes, mali rursum ipes, » de duplice ac multiplici malo dici solitum. Thrips enim vermiculus est, qui lignis innascens ea vitiat : ips item cornis et vitibus est infestus. Et illud Socratis apud Athenæum, lib. IX : « Malis ter mala eveniunt. » Et illa : « Ilias malorum ; thesaurus et lerna malorum ; agmen et mare malorum, » cum malum malo velut unda undæ, fluctus fluctui succedit eumque protrudit ; quibus utitur Euripides in *Ione* dicens : « Me miseram, ut ingens panditur thesaurus, ac penus malorum. » Et Æschylus in *Supplicibus* :

Tantum malorum pelagus aspicio miser,
Unde enatandi nulla spes alluceat.

In hoc pelago voluntur damnati in gehenna. Causa adagii est quod sæpe crucis succedant locustæ, locustis bruchi, bricho ærugo, eaque ingentes calamitates afferant, idque agminatim instar exercitus et aciei hostilis. Hinc castra Madian, quæ prostravit Gedeon, comparantur locustis, *Judic. VI, 5*, uti et *Apocal. IX, 1*, exercitus dæmonis, in fine mundi afflicturus impios, turmis locustarum assimilatur. Adde locustas, bruchos et erucas non raro præire et prænuntiare hostium adventum, et bellorum strages, ut liquet ex historiis. Inde locusta ab Hesychio, Nicandro, Suida, Theocrito, *idyll. 10*, et aliis vocatur μάντις, id est *vates*, vel divinatrix et prænuntia, quod semper famem prænuntiet et inferat, sæpe etiam hostium incursus et clades, licet aliam quoque causam det Cælius lib. XXX, *xxii* : « Mantis, inquit, locustæ genus est, quæ in stipulis enascitur, virens colore, corpore prælongo, pedibus item prælongis, quos et agitat assidue. Aristarchus in commentario Lycurgi scribit locustam hanc, si quod inspicerit animal, protinus illi quippiam prædicere mali : unde mantis vocatur, quæ noxiæ molestique aspectus est : vel dicitur mantis, quod locustis adventantibus præsagium sit incongruentis penuria. »

Exempla pauca, sed rara e multis accipe, quæ recenset Aldrovandus pag. 425 : Anno, inquit, Do-

mini 1534, locustæ illæ quæ ab Oriente per Illyricum stupendis agminibus in Italiam convolarent, maximaque passim damna dederunt, Turcarum adventum portendere visæ sunt. Nam et Turca Rheimum occupavit, Romæque trepidatum est, dum Hostiæ subsedisset; Niccam cepit, Christianorum multa millia in servitutem abduxit. Tamberlanes, referente Crantio, Hierosolymam expugnare statuerat, sed cum bruchi exercitum ejus vexarent, admonitum se interpretatus a Deo, ea de re temperavit. Primam expeditionem sacram (ut Siginus testatur) Hierosolymitanam anno Domini 1096 Claramonte institutam, locustarum repente nata vis tanta præcessit, ut nubium instar solis lucem adimerent. Mirum quod scribit Gregorius Turonensis, duas acies locustarum per Arvernū atque Lemovicum transeuntes Romaniacum campum ingressas, ibidem prælio inter se conflixisse, ingentemque stragem edidisse, cum Clotarius cum Chramno filio suo esset pugnaturus: quem deinde victum una cum uxore et filiis comburi jussit.

Quinam Sed quinam fuerunt hi hostes et vastatores Ju-
bi quæ-
daæ, quos per erucas, locustas, bruchos et rubi-
tuor hos-
tes, et eos secuti S. Hieronymus, Rupertus, Haymo,
clades
Judaicæ
rum?
Prima
senten-
tia.

Sed quinam fuerunt hi hostes et vastatores Ju-
bi quæ-
daæ, quos per erucas, locustas, bruchos et rubi-
tuor hos-
tes, et eos secuti S. Hieronymus, Rupertus, Haymo,
Hugo, Lyranus et Dionysius censem hic significari
quatuor orbis monarchias sibi invicem succeden-
tes, quæ afflixerunt Judæos: scilicet, per erucas
significari Assyrios et Babylonios; per locustam,
Medos et Persas; per bruchos, Græcos, ac præser-
tim Antiochum Epiphanem, contra quem pugna-
verunt Machabæi; per rubiginem, Romanos. Has
enim quatuor monarchias simili modo recenset
et depingit Daniel cap. II et cap. VII, per quatuor
bestias, ac Zacharias cap. I et cap. VI, per quatuor
quadrigas. Verum Persæ et Medi, ut Cyrus et Da-
rius, Judæos non afflixerunt, quin potius e Ba-
bylone eos liberarunt: afflxit tamen eos Camby-
ses, impediens fabricam templi, I Esdræ II. Per
rubiginem vero non intelligi Titum et Romanos,
qui Hierosolymam exciderunt, patet ex eo quod
hisce plagiæ Propheta, cap. II, 18, remedium affe-
rendum dicit a Christo: Christus autem cladem
Hierosolymæ per Titum illatam non reparavit,
imo eam antecessit ac prædixit.

Secunda. Secundo, Theodoretus per quatuor hasce plagas accipit solos Assyrios et Babylonios, qui Israelitas vastarunt: scilicet, per erucam accipit Teglath-
phasar, per locustam Salmanasar, per bruchum Sennacherib, per rubiginem Nabuchodonosor. Verum primi duo tantum vastarunt decem tribus, non duas, de quibus hic agitur. Joel enim Judæus duntaxat et Jerusalem vaticinatur clademque mi-
natur, ut ostendi in Procœmio, ac, ut ibidem dixi, videtur id fecisse sub Manasse, quando jam ex-
cise erant decem tribus.

Tertia et Tertio ergo, aptius et verius S. Hieronymus,
genuina. per quatuor hasce plagas accepit Nabuchodonosorem, qui in suis castris habebat varias gentes

quasi erucas, locustas et bruchos, quæ populatae sunt ita Judæam, ut quod una relinquebat, altera raperet vel vastaret. Aut potius, magisque particulatim, apposite et genuine, per quatuor hasce plagas intellige quatuor expeditiones Nabuchodonosoris, quibus sensim magis et magis carpsit Judæam et Jerusalem, donec eam exscinderet, nimirum prima fuit anno 1 regni ejus (qui fuit annus 3 Joakim regis Juda), quo ipse instar erucæ terram perrepentis, leviter tantum Judæam rasit et perstrinxit; nam duntaxat Joakim regem cum Daniele et sociis Babylonem abduxit, Daniel. I, 1. Secunda fuit anno 8 ejusdem (qui fuit 11 et ultimus Joakim), quo turmas suas instar locustarum alatarum et validarum in Judæam immisit, ac summa germina carpsit. Nam regem Joakim rebellantem cepit et occidit, eique substituit filium Joachin, quem post tres menses Babylonem abduxit, surrogans ei patruum Sedeciam. Tertia fuit anno 18 ejusdem, qui fuit 11 Sedeciae, quo instar bruchi residua germina, etiam minima, erosit. Nam totum populum vel occidit, vel cepit, urbem excidit, regem Sedeciam excæcavit, filios ejus necavit, regnumque Judæorum evertit. Quarta fuit, cum post quatuor menses submisit Nabuzardan, qui ut rubigo templum incendit, æque ac regiam, domosque principum, omniaque in fa-
villas et cineres convertit.

Huc accedit, imo in re pene eadem est exposicio Christophori a Castro, qui hasce quatuor plagas adaptat quatuor Josiæ filiis, scilicet Joachaz, Joakim, Joachin et Sedeciae, qui ob scelera Massassis vastati et occisi, vel in captivitatem abducti sunt: nimirum, ut eruca, quæ leviter tangit terram, significet Pharaonem Necho, qui Joachas abduxit in Ægyptum, relinquens Judæam intactam, imo præficiens illi Joakim, fratrem Joachas; locustæ significant latrunculos Chaldæorum, Syrorum, Moab et Ammon, qui instar locustarum turmatim invaserunt Judæam, et Joakim occiderunt: bruchus significet Nabuchodonosorem, qui post eos quasi pullus locustarum, puta bruchus, cepit Jerusalem, ac Joachin pullum, id est filium Joakim, avexit in Babylonem; rubigo sit idem Nabuchodonosor, qui post undecim annos rursum Jerusalem cum rege Sedecia cepit, templumque ac palatia combussit, et quasi rubigo in favillas redegit, regnumque et rempublicam Judæorum funditus evertit.

Allegorice Hugo de S. Victore, scribens in hunc Allego-
Joelis locum, per quatuor has plagas accipit qua-
tuor persecutio Ecclesie, quarum prima fuit
gentilium imperatorum, Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, etc. Secunda Arii et haereticorum,
qui elati saliunt in alta quasi locustæ, quæ priori
cessanti, per imperium Constantini, mox suc-
cessit. Tertia malorum christianorum, qui carnales
sunt et ventres, ut bruchi. Quarta Saracenorum
et Antichristi, quæ quasi rubigo ferro et flamma
omnia vastat et vastabit. Unde easdem pene qua-

Tropologicae. tuor equis, scilicet primo albo, secundo rufo, tertio nigro, quarto pallido repræsentat S. Joannes *Apocal. vi, 2 et sequentibus*, ut ibi dixi.

Tropologice, plagæ hæ sibi succedentes significant quod unum vitium alteri, imo subinde virtuti ipsi succedat, quodque, uno abeunte, aliud nos oppugnet, ut residuum, quod prius reliquit, posterius depascatur et destruat: nimirum post erucam, quæ toto corpore repens in terra, repræsentat libidinem, superatam vel recedentem, succedit et invadit nos volans locusta, id est vana gloria et superbia. Locusta enim pedibus ambulare nescit, et cum alas vix habeat, volare nititur, ideoque inanes dat saltus. Sic et Lucifer ambiit æqualitatem Dei, ad quam assurgere non potuit, sed corruerit. Idem facit superbus. Post hanc sequitur ventrosus bruchus (totum enim ejus corpus pene in ventrem colligitur), id est gula. Post hanc succedit ignea rubigo, quæ quidquid tangit incendit, puta ira et impatientia, cuius flamma omnes virtutum fructus tabescunt. Quare residuum erucæ, id est libidinis, est castitas; residuum locustæ, id est vanæ gloriæ, est humilitas; residuum bruchi, id est gulæ, est sobrietas; residuum rubiginis, id est iræ, est patientia. Residuum ergo eruce comedit locusta, et locustæ bruchus, et bruchi rubigo: quia sæpe accidit ut e continentia et castitate oriatur inanis gloria, humilitatem sequatur ebrietas et crapula, sobrietatem excipiat ira et impatientia. Ita Hugo loco citato, et S. Gregorius lib. XXXIII *Moral. cap. xxvii.* Alii per rubiginem vel æruginem accipiunt avaritiam, quæ versatur in illis quæ ærugo et tinea demolitur: ærugo enim aurum et argentum depascitur. Porro *primum*, puta luxuriam, docuit corrupta natura; *secundum*, puta superbiam, inventum Lucifer; *tertium*, scilicet gula, parentes nostros perdidit, Adamum et Evam; *quartum*, gigantes et tyranni a Cain prognati adinvenerunt.

Symbolicae, sunt hæc quatuor accipit quatuor passiones et ægritudines animi, puta gaudium, tristitiam, spem et metum, quæ faciunt quasi quadrigam cursus et volubilitatis vitæ nostræ: mox enim gaudio succedit tristitia, tristitiae spes, spei metus, hisque quatuor affectionibus, continua successione agitatur et jactatur anima hominis, præsertim mundani et peccatoris.

Eruca repræsentat ægritudinem tristitiae, locusta gaudium, bruchus metum, rubigo spem. Audi S. Hieronymum: «Has perturbationes uno, et nec pleno versiculo illustris Poeta comprehendit: Hi metuunt, cupiuntque (hoc de futuro), dolent, gaudentque (hoc de præsenti); neque auras, inquit, respiciunt, clausi tenebris et carcere cæco. Qui enim perturbationum tenebris obvolvuntur, clarum sapientiæ lumen non valent intueri. Cavendum est igitur ne ægritudo quasi eruca nos comedat, ne locusta vastet in gaudio, huc illucque volitans, et gestiente lætitia per diversa sejactans:

ne bruchus, id est pavor et futurorum metus, radices sapientiæ devoret: ne rubigo et desiderium futurorum res inutiles concupiscat, et nos perferat ad ruinam: sed ut in omnibus quatuor quadrigas, et quatuor cornua, et quatuor equos, rufos, et varios, et albos, et nigros, id est vel adversa, vel prospera, vel ex utroque sociata frenis sapientiæ gubernemus.» Subdit deinde: «Ego reor erucam esse insipientem in animo passionem; quæ tarda est et discurrere non potest, et mora ipsa ac pertinacia ebit, et exsugit omnem viorem, quam si non occiderimus, in nobis crescit et avolat, et nunc devorat quidquid attigerit, nunc semesa dimittens pergit ad alia, revertensque ad pristinam sedem bruchus efficit, ut non solum fruges, et folia, et cortices, sed et ipsam medullam devoret tarditate.» Hisce verbis, ut hoc obiter notem, indicat S. Hieronymus erucam esse vermiculum, qui crescentis fiat bruchus, ac deinde evadat locusta. Sic et alii nonnulli pullum locustæ vocant vermem atque erucam.

Audi S. Paulinum, epist. 30, quæ est *ad Aprum secunda*: «Vide, inquit, qualiter ista sibi congruant in cordibus nostris monstra vitiorum, qualia in frugibus accidentit vitia monstrorum. Nam (verbi gratia) si quid vetitum concupiscam, et mox abjiciam cogitationem, eruca est in folio sedens, quæ decussa, si abjecero quidem, sed rursus redierit cogitatio, et cœperit abjici, et redire crebrescat, locusta est avolans et revertens. Quod si cœperit immorari, et majus habuerit spatium in comedendo, quam avolando, bruchus dicitur. Quod si ipse bruchus qui non satis avolat, sed magis sedet, non fuerit abjectus, in rubiginem vertitur: quæ jam penitus inhaerescens, ut de stipula, sic de anima nunquam, aut difficile expellitur.»

Qui ergo mentis quietem et celsitudinem ambit, has passiones inter se jugiter conflictantes supprimat et edomet: sic erit imperturbabilis, quietus, excelsus, felix: vide dicta *Apocal. III, 21*, in fine.

5. **EXPERGISCIMINI EBRII** (proprie *a vino*, ut habent Septuaginta), ET FLETE, QUI BIBITIS VINUM IN DULCEDINE (Chaldæus, *vinum merum*; Pagninus et Vatablus, *mustum* jam expressum: hoc enim est **כָּבֵד asis**, a radice **כָּבֵד asas**, id est pressit, expressit): QUONIAM PERIIT (hebraice, *excisum est*, id est brevi exscindetur) AB ORE VESTRO, — per erucas, locutas, bruchos et rubiginem, id est per Chaldæorum turmas, incursus et populationes, quas Deus vinetis agrisque vestris immittet. Ita Chaldæus, Lyranus et Arias.

Tropologice, voluptates omnes, æque ac passiones et perturbationes mentem inebriant, id est dementant, recto judicio privant, sopiunt, excœcant, ac insensibilem suique impotem efficiunt, perinde ac ebrietas hæc eadem causare solet in corpore et capite. Ita S. Hieronymus, Remigius, Theodoreetus, Albertus, Hugo. Audi S. Hieronymum:

Moraliter quam
passio
mentem
demen-
tet.

« Nulla res ita inebriat, ut animi perturbatio. Est ira quæ justitiam Dei non operatur, et furori proxima, mentis sue impotentem facit, in tantum ut labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur; recteque illud laudatur Architæ Tarentini, qui cum villico suo esset iratus: Jam te, inquit, occiderem, nisi iratus essem. Quid referam de gaudio et voluptate, et maxime de amore, qui excæcat cordis oculos, et nihil aliud amantem nisi id quod amat, cogitare permittit? An non est dicenda ebrietas, cum propter vile scortum, et ignominiosam corporis partem, animæ libertas in serviles blanditias inclinatur? cum labore suum alterius facit esse delicias? cum furto, scelere atque perjuris opes futuræ præparat voluptati, et cum videatur ab omnibus, se æstimat non videri, dummodo potiatur eo quod desiderat. Sed et avaritia excæcat animum ejus cui nihil satis est, et muliebris amor, et dulcium cupido vitiorum. » Addit S. Hieronymus, Deum peccatori non raro auferre hæc dulcia, quæ eum deceperant, « ut qui, inquit, Deum non cognoverunt in prosperis, cognoscant in adversis; et qui divitiis male usi sunt, ad virtutes penuria corrigantur, » imo cogantur. Sicut ergo virtus est animæ sobrietas et sapientia, ita vitium quodlibet est animæ ebrietas et insania, quam causat vinum malitiæ expressum ex uva cupiditatis, quod ei propinat dæmon. Audi et S. Gregorium, XXXIII Moral. cap. xxvii: « Ebrii vocati sunt, qui mundi hujus amore confusi, mala non sentiunt quæ patiuntur. » Quid est ergo dicere: « Expergiscimini, ebrii, et flete, nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, et in devastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate! »

Vers. 6.

6. GENS ENIM. — S. Hieronymus per gentem metaphorice accipit locustas. Simili enim tropo de iis dixit Sapiens, Prov. xxx, 25: « Formicæ, populus infirmus: lepusculus, plebs invalida. » Et vers. 27: « Locusta regem non habet, et egreditur universa per turmas suas. » Et Apoc. ix, 1 et seq., myriades exercitus dæmonis immittendi in impios in fine mundi, vocantur locustæ. Sic et Theodoreetus, Rufinus, a Castro, Mariana, Emmanuel et alii. Unde cap. ii, 4, Joel locustas hasce comparat equis, equitibus et quadrigis: « Quasi aspectus, ait, equorum, aspectus eorum: et quasi equites sic current, etc. Velut populus fortis præparatus ad prælium. » Est ergo hic continua metaphora, sive allegoria. Nam toto hoc cap. et seq. loquitur de exercitu Chaldæorum Judæam populantium, sub allegoria locustarum, quæ agros vastare solent et omnia obvia, quacumque eunt; « ut, cum locustas legeris, hostes cogites; cum hostes cogitaris, redeas ad locustas, » ait S. Hieronymus. Unde consequenter populum Judæorum comparat vineæ et ficui, quas arrodere solent locustæ, juxta illud Isaïæ v, 7: « Vinea Domini exercituum domus Israel est: et vir Judæa germanus ejus delec-

tabile. » Locustæ ergo sunt Chaldæi: ficus et vinea sunt Judæi et Judæa. Hinc et Christus, Lucæ xiii, 6, Judeorum impiorum excidium significavit per ficum sterilem, quam paterfamilias jussit exscindī; et Jeremias, cap. xxiv, per ficus bonas et malas significavit Judæos bonos et malos. Sic Virgilius de formicis ait, Georg. IV:

It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectat.

DENTES EJUS (gentis, puta locustarum, hoc est Chaldæorum) UT DENTES LEONIS, — q. d. Chaldæi numero innumeri, robore fortissimi, gladiis quasi dentibus omnia lacerabunt et succident, ac si leones essent, et leoninis dentibus prædam avide, celeriter, audacter et crudeliter discerperent. Sic S. Joannes locustis, id est exercitui dæmonis in fine mundi, qui omnia vastabit, dat dentes leonum, Apocal. ix, 8, utique alludens ad has Joelis locustas, quasi præambulas et antitypas.

ET MOLARES (dentes) EJUS UT CATULI LEONIS. — Ita et Septuaginta et Chaldaeus. *Catulum* intellige grandiores et proiectum (hunc enim significat hebræum כָּבֵד labim), qui ut juvenis ferox et robustus, dentibus suis omnia molit, frangit et comminuit. Habet enim dentes acutiores et firmiores, utpote non attritos, sed recentes et integros. Unde Scriptura dentes leunculorum celebrat, ut Job iv, 10: « Rugitus leonis, et vox leænæ, et dentes catulorum leonum contritis sunt. » Horum enim dentes valentiores et violentiores sunt: nam ob ætatem et continuam prædæ lacerationem leonibus grandævis dentes sæpe comminuuntur, vel excidunt, ut docet noster Pineda *ibidem*. Notat Theodoreetus quod, sicut locusta post se ducit bruchos minores et graciliores, et sicut leo post se ducit catulos; sic Chaldæi bellicosi et strenui secum ducent alias gentes minus fortis, minusque in bello expertas, non minus tamen feroce et noxias, ad vastandam Judæam. Rursum, sicut per dentes, Chaldæorum gladios: sic per molares, balistas, arietes, aliasque machinas, quibus concusserunt Hierosolymam, intellige. Ita a Castro.

Tropologice, Rupertus notat per locustas hicos doceri, quod etiam infirmi, viles et abjecti, uti sunt locustæ, contra eos quibus Deus irascitur, robusti sint, invicti et sævi, Deo dante illis robur, animos et iras: unde Deum per tales solere contundere fastus arrogantium, uti per locustas, ciniphes, muscas et ranas contudit arrogantiam Pharaonis tempore Mosis. Rursum, detractor vocatur locusta: blandus enim et gracilis videtur in narratione lepida, sed habet linguam et dentes leonis, uti docet noster Viegas, Apoc. ix, 8, com. ii, sect. ix. Denique de peccato quolibet dicitur Eccl. xxi, 3: « Dentes leonis dentes ejus, interficienes animas hominum. »

7. ET FICUM MEAM DECORTICAVIT. — Solent locustæ arrodere cortices arborum, qui arborum succum et calorem quasi vestes fovent et conti-

Vers. 7.

nent. Unde iis arrosis vel ablatis, rami quasi tunicis suis exuti, virore deperdito, albi fiunt et exsucci, et arescunt, ac quasi projecti in terram corruunt (1). Ita S. Hieronymus. *Ficus* significat sacerdotes et principes, qui in populo Judaico eminebant, sicut ficus in vinea, quique populum S. Scripturæ sapore divino, et legum sanctarum dulcedine, quasi ficus pascebant et recreabant, quos Chaldae vel vita, vel libertate, vel opibus, quasi corticibus spoliaverunt. Ita Ribera.

Tropologice. Tropologice, cortex et tegmen virtutum est humilitas, quam si tollas, peribunt omnes. Ita S. Gregorius, cuius mox verba recitabo.

ET PROJECTIT, — tum fructus, cortices et folia, quæ arrosit; tum surculos et ramos teneriores: hos enim arrodendo succidit et dejicit locusta: ipsamque denique ficum omni sua veste spolians, et arefaciens talem efficit, ut a colono succidi, et in focum projici debeat. Tales fuere Judæis Chaldae, æque ac Christianis Hunni, Alani, Gothi, Wandali, et etiamnum sunt Turcæ, qui quasi erucæ, bruchi, locustæ et rubigo, sibi ordine succedentes, orbem christianum populati sunt, et etiamnum populantur.

Tropologice, idem in animabus fidelium faciunt dæmones, ait S. Hieronymus, item hæretici, ut Lutherus, Calvinus: ac lenones, parasiti et morum corruptores. Hi enim omnes pietatis fructus, omnes cærimonias, quasi folia, omnem sacramentorum efficaciam, quasi corticem arrodunt, omnemque Ecclesiæ, æque ac animæ ornatum, opes, felicitatem et gloriam evertunt et dissipant, eamque faciunt inopem, aridam, desolatam et mortuam, instar ficus et vineæ a locustis erosæ, ac in desertum redactæ.

Rursum, id in bonis operibus facit vana gloria. Audi S. Gregorium, VIII Moral. xxx: « Insidianibus spiritibus (dæmonibus) Dei vinea in desertum ponitur, cum plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens ista decorat, quia seductam mentem in favoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen (quasi corticem) quo vestitur, ei humiliatis tollit, eamque nudans exspoliat, etc. Albi facti sunt rami ejus: quia ostensa humanis oculis ejus opera candescunt; de sanctitate nomen sumitur, cum recta actio divulgatur; sed subducto cortice rami arescunt: quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, unde placere appetunt, inde siccantur. Mens itaque quæ per jactantium proditur, decorticata recte ficus vocatur: quia et candida est, per hoc quod cernitur; et siccitati proxima, per hoc quod tegmine corticis nudatur.

(1) De incredibili locustarum voracitate sic ait Ludolfius, *Histor. Aethiop.* lib. I, cap. xiii, § 16: « Non herbæ, non frutices, non arbores intactæ manent; quidquid herbidum aut frondosum arroditur, quasi igne tostum eset. Etiam cortices arborum dentibus mandunt. » Cæterum vitibus locustas maxime perniciosas esse, tradiderunt omnes qui locustarum pestes viderunt.

Intus ergo servanda sunt quæ agimus, si ab interno arbitrio vicem recipere nostri operis exspectamus. »

8. PLANGE QUASI VIRGO ACCINCTA SACCO, — q. d. Vers. 8.

O Jerusalem, dire plange et lamentare, quod a Deo sponso tuo, cui in adolescentia et virginitate tua (scilicet cum primum nascereris in *Egypto*) nupsisti, sis deserta, et tradita hostibus Chaldeis; sicut virgo quæ recens nupta fuit, amarissime sollet plangere, cum perdit virum suum, cui primo pubes effecta nupserat, quem proinde intime et tenebrime diligebat. Unde Septuaginta vertunt, ἄδρα ταρθενεῖον, id est virum virgineum cui scilicet se virginem in uxorem tradiderat. *Plange*, inquiunt, super virginem (id est, præ virgine magis quam virgo) *præcinctam cilicio*, quæ *plangit super virum suum virgineum*, quem mors ei abstulit. Ubi adverte hebreum sac, id est saccum, Septuaginta vertere *cilicium*. Erat enim saccus vestis aspera et lugubris lugentium et pœnitentium, qua utebantur in funere suorum luctus ergo, vel in publica calamitate pœnitentiæ causa, ad Deum propitiantum, ut is cladem averteret. Simili modo Ezech. cap. xvi, 8, hortatur Synagogam ad pudorem et dolorem, quod Deum sponsum suum dereliquerit, qui eam juvenculam, et miseram ac projectam in *Egypto* sibi despondit, ut reginam vestiens subtilibus, armillis, torquibus, ac corona in capite eam coronans. Sic et Jerem. II, 2: « Recordatus, ait, sum tui, miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur. » Et cap. III, 4: « Saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. » Porro cubabant in sacco non solum noctu, sed et per diem in gravi calamitate, cum Deo fiebant supplices, ut eum ad commiserationem hoc habitu commovarent. Vide Sanchez hic.

Tropologice, plangat anima quæ per peccatum deseruit Deum, cui in baptismo se desponderat, juxta illud Apostoli, II Cor. XI, 2: « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Hæc enim a Deo vicissim deserta, omni gratiæ et virtutum dulcore et decore spoliata, quasi vinea et ficus comesta a locustis, mancipata et prostituta est dæmoni, qui ea quasi scorto vilissimo abutitur pro sua libidine et tyrannide ad omnem malitiam, injuriam, opprobrium et miseriam. « Anima enim, inquit Hugo de S. Victore, est virgo conditione naturæ, virgo privilegio gratiæ, virgo quoque præmio gloriæ. Animam siquidem meretricem facit inordinata concupiscentia: castitatem ei reddit virilis pœnitentia: virginitatem sapiens innocentia. Fornicaria est igitur anima in prostibulo: conjugata in atrio: continens in domo: virgo in thalamo. In primo exponitur concupiscentia: in secundo opera facit pœnitentiæ: in tertio plangens virum, desiderio afficitur justitiæ: in quarto virginis jucundatur amplexibus et osculis sapientiæ. Fornicaria igitur est anima

per concupiscentiae iniqitatem : casta per continentiae humilitatem : continens per justitiae puritatem : virgo per contemplationis sublimitatem. Vir ejus pubertatis Christus est despensor virginitatis. »

Fœnitia S. Fabiola. Ita peccatum suum planxit S. Fabiola Romana matrona prænobilis, quæ, marito adultero repudiato, alteri nubens, putans id sibi licere, eo mortuo errorem suum et culpam agnoscens, publicam egit pœnitentiam, ac omnibus suis in pauperes erogatis, seipsam in nosocomio ægrorum ministerio mancipavit. Audi de ea S. Hieronymum in ejus Epitaphio *ad Oceanum* : « Quis hoc, ait, crederet, ut post mortem secundi viri in se reversa, etc., saccum indueret, errorem publice fateatur, et, tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, et omni populo collacrymantibus sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? » Et inferius : « Non est confusa Dominum in terris, et ille eam non confundet in celo. Aperuit cunctis vulnus suum, et decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit; descendit de solio deliciarum suarum, et disalceatis pedibus transivit fluenta lacrymarum : sedit super carbones ignis. Faciem per quam secundo viro placuerat, verberabat : oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. » Et mox : « Omnem censem quem habere poterat (erat autem amplissimus, et respondens generi suo), dilapidavit ac vendidit, et in pecuniam congregatum in usum pauperum præparavit, et prima nosocomium instituit. Quoties morbo regio et pædore confectos humeris suis ipsa portavit! quoties lavit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat! Præbebat cibos propria manu, et spirans cadaver sorbitiunculis irrigabat, etc. Angusta misericordia ejus Roma fuit. Peragratabat ergo insulas et totum Heetruscum mare, imo Hierosolymam navigavit, » etc. Quare merito S. Hieronymus eam nuncupat « laudem Christianorum, miraculum Gentilium, luctum pauperum, solarium monachorum. »

S. Paula. Quin et S. Paula post conversionem in Bethlehem commigrans, ita delicias vitæ prioris castigavit et planxit, ut jejuniis, lacrymis aliisque pœnis pene se conficeret. « Mollia, ait S. Hieronymus in ejus Vita, etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat; si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibus pene orationibus dies noctesque jungebat, illud implens de Psalterio : Lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo : in qua fontes crederes lacrymarum : ita levia plangebat peccata, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, ut eos servaret Evangelicæ lectioni, aiebat : Tur-

panda est facies, quam contra Dei præceptum purisso et stibio sæpe depinxi; affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis : longus risus perpeti compensandus est fletu : mollia linteamina asperitate ciliciorum commutanda : quæ viro et sœculo placui, nunc Christo placere desidero. » Vere S. Gregorius, hom. 10 in *Ezech.* : « In sanctorum vita cognoscimus, inquit, quid in Scriptura legere debeamus. »

9. PERIT SACRIFICIUM ET LIBATIO DE DOMO DOMINI. — Pro sacrificium hebraice est *מִנְחָה mincha*, id est sacrificium ex farre vel pane, de quo *Lewit.* II. *Libatio* erat oblatio libaminis, puta vini et olei, quo sacrificia tum farrea, tum carnea condiebantur, q. d. Quia locustæ, puta Chaldæi, vastaverunt agros, vineas et oliveta Judæorum, hinc perit frumentum, vinum et oleum, quod Domino de more sacrificaretur et libaretur. Quocirca « luxerunt sacerdotes, » tum quia perit cultus et oblatio Dei in templo; tum quia deficienibus oblationibus quibus vivunt (nec enim aliam habent hereditatem) non habent unde se sustentent. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Ribera, a Gastro et alii.

10. CONFUSUM EST VINUM. — Est prosopopœia, q. d. Erubuit vinum et quasi pudore suffusum est, videns se non respondere votis et laboribus vinitorum, nec spei a se datæ. Unde Septuaginta vertunt : *Aruit vinum, aruerunt vites.* Hebræum enim *hubisq;* proprie est præteritum *hiphil,* a radice *בָשׁ iabasq;* id est aruit : sed quia ordinis verborum imperfectorum apud Hebræos sæpe commutantur, hinc *hubisq;* potest deduci a *בָשׁ bosq;* id est confusus est, pudefactus est. Adde, si legas aliis punctis *הוּבָשׁ hubasq;* proprie significabit : *Confusum est gaudium, hoc est perit, deficit, ut jam dixi (1).*

13. ACCINGITE VOS (scilicet saccis, sive ciliciis, ut dixit vers. 8), ET PLANGITE, SACERDOTES. — Vestrum enim est pro populo Deum propitiare plancitu, precibus et pœnitentiis.

14. SANCTIFICATE JEJUNIUM. — Nota : *Sanctificare* Vers. 14. Hebræis proprie est segregare ab usibus profanis, et addicere sacris, q. d. Vos, o sacerdotes et pontifices, ac principes, segregate, designate et sanctificate tempus aptum jejunio, illudque cum toto populo pure et sancte obite, et celebrate, ut placetis Deum peccatis vestris offensum. Ita Theodoretus, Arias et alii. Unde Chaldaeus vertit : *Decernite jejunium; Vatablus : Indicite jejunium; Tertullianus, lib. De Jejuniis, cap. xvi : Sancite jejunium.*

(1) Rosenmuller : « Frumentum, mustum et oleum memorantur potissimum respectu ad templum habitu, vers. 9, quia ex illis primitæ, decimæ, et festa cum libaminibus danda erant. »

Notat Bochartus ex *Muffeti Theatro Insectorum*, non morsu solum locutas segetibus, pascuis, hortis pomariisque nocere, sed stercore item nigro, viridi, mordaci, gravi, biliosoque imprimis atque acri saliva, quam multam ex ore interrodendum fundunt.

Secundo. Secundo, S. Hieronymus, Haymo, Hugo et Lyranus : « Sanctificate, » inquiunt, id est sanctum facite, et condite jejunium per eleemosynas, preces aliaque pia opera, ut v. g. quod jejunando subtrahitis ventri, detis pauperibus. Unde S. Gregorius, homil. 16 in Evangel. : « Jejunium, ait, sanctificare, est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cesset ira, sopiauntur jurgia. Incassum enim caro atteritur, si a pravis voluptatibus animus non refrenatur, cum per Prophetam Dominus dicat : Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. » Et superius : « Illud ergo jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. »

VOCATE COETUM. — Symmachus, *synodus*; Aquila, *diem collectæ*, scilicet populi, quod fiebat in die festo, ut in die octava Paschæ, et festi Tabernaculorum. Unde dies hæc octava vocabatur hebraice נַרְאֵת *atsara*, id est cœtus, sive collecta populi. Septuaginta, οὐρανὸς δερπεῖα, id est *prædicate curationem*, id est jejunium quo curantur peccata, ait S. Hieronymus; aut potius *curationem*, id est orationem et supplicationem publicam, qua curentur Dei cultus, invocatio et propitiatio: δερπεῖα enim significat *famulatum, obsequium, cultum*. Unde S. Dionysius, *Eccles. Hierar. cap. x*, monachos vocat δερπευτὰς, id est cultores et famulos, qui jugiter assistunt et obsequuntur Deo. Quocirca Tertullianus, lib. *De Jejuniis*, cap. xvi, vertit : *Prædicate officia curantia Deum*, additum : « Unde, et qui in idolis comendis, et in hac re (alii melius legunt, *in aris*) ornandis, et ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur. » Curatio ergo idem est quod cultura, et curator idem quod cultor. Sic Parochi vocantur a vulgo Curati, vel Curatores, quia currant cultum Dei geruntque curam Ecclesiæ et Parochianorum. Ita ex Platone Leo Castrius hic, et Pamelius in *Tertullianum*. Sic apud Gentiles, ait Tertullianus : « Cum stupet cœlum, et aret annus, nudipedalia denuntiantur: magistratus purpuratas ponunt, fasces retro avertunt, preces invitant, hostias instaurant. »

Vers. 15. 15. A A A DIEI! — q. d. Væ diei quo Jerusalem vastabitur a Chaldaeis! vœ Hierosolymis, vœ Juðæis in illo die! Hebraice est unica dictio dissyllaba אָהָה *ahah*, quæ est interjectio dolentis et desperantis. Noster vertit unica dictione, sed trisyllaba, A a a, tum quia hæc apud Latinos et Europæos est vox et suspirium summe afflicti; tum quia Hebræa aspiratio h sëpe per a vertitur, ut docet S. Hieronymus in *Tradit. Hebr. in Genesim*: sic enim pro Hebræo Aharon vertunt, Aaron, pro Habel Abel, pro *Halleluia* Alleluia.

Jam quia in Hebræo *ahah* duplex est h, et secundum est mappicatum in ventre, ac forte, quod

proinde sonare et audiri debet, ita ut *ahah* licet vox sit dissyllaba, virtute tamen sit trisyllaba; hinc enim per duplex A Noster vertit, cui adde primum A in *ahah*, habebis triplex a a a. Quocirca Septuaginta trinam pariter pro *ahah* habent vocem, ac ter repetunt, ἀμα ἀμα ἀμα, id est οιμε, οιμε, οιμε, vel *hei mihi, hei mihi, hei mihi in diem!* Syrus et Arabicus uterque, *heu, heu, heu huic diei, quia proximus est dies Domini, et direptio a Deo veniet!* q. d. O tristem diem excidii, qui nobis imminet! Hinc Hugo de S. Victore per tria a a a putat significari trinam calamitatem et cladem Judæis a Deo per Chaldaeos infligendam: « Tria siquidem, inquit, Babylonicae captivitatis fuerunt infortunia: templi scilicet eversio, urbis destructio, populi transmigratio, q. d. A civitas destruetur, sed miserere civitati sanctificationis tuæ; A templum evertetur; sed audi, Domine, orationem quam servi tui orant coram te hodie, ut sint oculi tui aperti super domum hanc die ac nocte; A populus tuus in captivitatem ducetur; sed miserere, Domine, plebi tuæ super quam invocatum est nomen tuum. »

Allegorice, idem pathetice et eleganter refert haec ad ruinam Judæorum tempore Christi, et ad excidium eorum per Titum et Romanos, ob repudiatum, imo occisum ab eis Christum, q. d. « A veniet qui avertet iniquitatem a Jacob, et eripiet jugum ab Israel. A et non est ei species, neque decor, et vidimus eum, et non erat ei aspectus. A et quasi absconditus vultus ejus et despectus: unde nec reputavimus eum, et putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. A quia vidimus, et non cognovimus. A quia audivimus, et contempsimus. A quia operantem bona accepimus, et pro nobis orantem interfecimus. Audivimus verba, accepimus beneficia, vidimus miracula, sed A verba contempsimus; A beneficiis ingratii fuimus; A miraculis detraximus. Audivimus docentem in monte; sed A surda aure transivimus: inde dolor. Vidimus eum turbas pascentem; sed A non curavimus: inde mœror. Vidimus eum pendentem in cruce; sed A contempsimus: et inde terror. Audivimus doctrinam, accepimus vitam, vidimus mortem. Doctrina illius nostram cœcitatem illuminavit: A cui non obtemperavimus. Vita ejus nostram informavit: A quam non recepimus. Mors ejus mortem nostram captivavit: A quam contempsimus, imo quam fecimus. » Idem concionator facile accommodet animæ quæ damnanda est in judicio, tum particulari, tum universali.

Symbolice et tropologice idem: « A a a, quia sunt malæ quoque tria » Judæorum, æque ac quorumlibet peccatorum: « Ignorantia, concupiscentia et miseria. Legis naturalis prævaricatio attulit ignorantiam; legis scriptæ transgressio inordinatam propagavit concupiscentiam; prophetæ contemptus ministravit miseriam. A prævaricata est lex naturalis: inde dolor; sed vindicatum est in

ea captivitate Ægyptiaca. A prævaricata est lex scripta : inde mœror ; sed vindicatum est in ea captivitate Assyriaca. A contemnitur prophetia : inde terror ; sed et hoc disponis vindicare captivitate Babylonica. A incidimus in miseriam quam vindicasti ; A decidimus in concupiscentiam quam punisti ; A incidimus in miseriam horrendam quam disposuisti. » Unde causam doloris fusius explicans Joel subdit , aitque Synagogam , æque ac animam , peccando perdidisse omnes suas opes et delicias : « Periit, inquit , sacrificium , id est mortificatio carnis ; et libatio , id est fletus compunctionis ; et regio , id est serenitas conscientiæ : humus, humilitas cognitionis propriæ : triticum , amor justitiae : vinum , fervor sapientiae : oleum , odor misericordiæ : fucus , dulcedo contemplationis , et æternorum suavitas : hordeum, abjectio pœnitentiae : agricolæ , tum efficaces concionatores et pastores , tum gemitus et motus confessionis : vinitores , desideria compunctionis et suspiria contemplationis : palma , contemptus terrenorum : malogranatum , tum charitas unionis fraternaliæ , tum ardor et sitis præmiorum : malum simplex ; boni affectus : ligna alia , cæterarum virtutum sunt desideria : vel potius opera et profectus. His amissis , confusum est gaudium ; quibus possessis , ordinatum et gloriosum disponitur præmium. »

QUIA PROPE EST DIES DOMINI (puta dies judicii , et vindictæ Domini , quam in Jerusalem exeret per Chaldaeos), ET QUASI VASTITAS A POTENTE VENIET. — Hebraice est pulchra et nervosa paronomasia כְּשׁוֹד מִשְׁׁדֵי kesçod missçadai , id est , quasi vastitas potens a vastante potente veniet ; sçadai enim est nomen Dei , et Deum vel misericordem , vel potentem et vastantem significat , uti dixi Genes. cap. xvii. 1.

Vers. 16. 16. CORAM OCULIS VESTRIS (Ita et Septuaginta , licet Hebræus et Chaldaeus habeant : Coram oculis nostris ; sed eodem redit sensus , q. d. Vobis et nobis spectantibus , vastabitur Judæa , ideoque) ALIMENTA (scilicet sacerdotum , puta sacrificia et oblationes) PERIERUNT (id est peribunt) DE DOMO (templo) DEI NOSTRI (ac consequenter peribit) LÆTITIA ET EXSULTATIO , — qua in festis et sacrificiis exsultare solebant , Deumque festive colere psalmis , hymnis , organis , tympanis , etc.

Vers. 17. 17. COMPUTRUEERUNT JUMENTA IN STERCORE SUO , — q. d. Hæc Chaldaeorum strages non tantum homines , sed et jumenta affliget. Nam illa ob metum hostium Jerusalem obsidentium , educi non poterunt ad pascua , sed in stabulis et stercore suo , deficiente herba et foeno , fame morientur , contabescere et computrescere. Ita Remigius , Lyranus , Albertus , Ribera et a Castro. Pro computrueerunt hebraice est וְשָׁבַע abesçu , quod verbum hic tantum reperitur. Septuaginta vertunt : Subsultaverunt vitulæ in præsepibus suis , non præ lascivia , sed præ fame corruentes , pedesque ad terram allidentes , ait Theodoretus. Arabicus Antio-

chenus : Vox animalium super præsepibus , et non saltant animalia , et greges boum plorant præ parentia pabuli ; Arabicus Alexandrinus : Non gustant animalia , et armenta boum boant præ defectu pascuum ; Syrus : Dormierunt vitulæ jejunaæ (incœnatae) in præsepibus suis. Melius Noster , R. Jonathan , R. David et Aben-Ezra vertunt , computrueerunt , id est putredine corrupta sunt.

Pro jumenta hebraice est פְּרַדוֹת perudot , aut potius aliis punctis פְּרַדוֹת pirdot , id est mulæ , a radice פָּר parad , id est divisit , separavit ; muli enim a patre et matre , puta ab equo et asina , specie distinguuntur , nec enim sunt equi , nec asini , sed tertia species , puta mulæ. Sub mulis , qui frequentes erant apud Judæos (adeo ut filii regum iis uterentur , ut patet II Reg. xiii , 29) , equos , asinos , boves cæteraque jumenta per synecdochen intellige. Septuaginta vertunt , vituli ; Chaldaeus vertit , dolia. Computrueerunt , inquit , dolia vini sub operculis suis. Tigurina vertit , semina sparsa et sata in agro. Computrueerunt , inquit , semina dispersa subter glebas suas , ac proinde ex tali semente nulla sperari poterat messis (1).

Tropologice , in stercore et fœtoribus libidinis suæ computruecunt luxuriosi , inquit Remigius , Albertus et Hugo , ac S. Gregorius , lib. XXIV Moral. cap. vi , vel juxta aliam editionem , cap. viii : « Jumenta , ait , in stercore suo computruecere , est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines , sed jumenta declarantur , de quibus per Prophetam (Jeremiam , cap. v) dicitur : Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Et de quibus Propheta alias (Ezechiel , cap. xxiii) , dicit : Ut carnes asinorum carnes eorum , et fluxus equorum fluxus eorum. » Idem ad verbum habet Rupertus , censemque id impletum in Jasone aliquis apostatis , II Machab. iv , æque ac hoc ævo in Luthero , Calvino , Petro Martyre , Bucero , aliquisque ab Ordine ad nuptias transvolantibus , completum vidimus. Et S. Bernardus , serm. 10 in Psalm. xc : « Quomodo , ait , dicunt nobis carnales homines : Crudelis est vita vestra , non parcitis carni vestræ ? Esto non parcamus semini , in quo ei magis parcere poteramus ? Annon melius est illi renovari et multiplicari in agro , quam in horreo putrefieri ? Heu ! computrueerunt jumenta in stercore suo , sic vos parcitis carni vestræ ? Simus nos crudeles interim non parcendo , at vos plane parcendo crudeliiores , si quidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe ; videritis vos ipsi quid ignominiae interim vestra sustineat , quid miseriæ eam maneat in futurum. »

(1) Corrumptitur autem semen sub glebis , inquit Rosenmuller , non solum cum nimis sunt imbræ , sed etiam ex summa siccitate , qua si proprie loqui velimus , semina non tam putriscere , quam vanescere dicuntur. Plinius , Hist. nat. XVIII , xxiv : « Sationem locis humidis celerius fieri , ratio est , ne semen imbre putrescat ; siccis serius , ut pluviae sequantur , ne diu jacens atque non concipiens evanescat. »

Denique S. Hieronymus : « Computrescit, inquit, in stercore cuius Deus venter est, et qui dicit : Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. » Sicut enim luxuriosus in morbo Gallico; ita gulosus in phlegmonibus, vomitu et sordibus suis putrescit, et sic accipi potest versio Chaldaei : *Computruerunt dolia vini*, id est ebriosi et gulosi ventripotentes, utpote quorum venter dolium est. Ita Delrio, *adagio* 679.

DEMOLITA SUNT (vastata vel combusta a Chaldaeis) NORREA.

DISSIPATÆ SUNT APOTHECÆ, — q. d. Apothecæ in quibus grana et annona recondebat, eversæ sunt ab hoste, vel collapsæ ex incuria colonorum, eo quod non haberent frumenta quæ in illis reponerent, ac consequenter nec sumptus ad earum sarta tecta restauranda : « quoniam confusum est (exaruit, periit, ut dixi vers. 10) triticum. »

Vers. 18. 18. **QUIA NON EST PASCUA EIS.** — Veteres Latini usurpaverunt *pascuum* in genere neutro, et in plurali *pascua* substantive; sed adjective vocabant *sylvam*, vel *regionem pascuam*, æque ac *agrum pascuum*, et *rura pascua*. Hinc vox *pascua* adjectiva, scilicet *regio*, vel *terra*, transiit in substantivum. Scriptura enim tam usurpat *pascua* *pascuæ* in singulari, quam *pascua* *pascuorum* in plurali, ut *Psalm. xxii*, 2 : « In loco *pascuæ* ibi me collocavit. » *Job*, *xxxix*, 8 : « Montes *pascuæ suæ*. » *I Paral. IV*, 40 : « Inveneruntque *pascuas uberes*. » *Psalm. LXXXVIII*, 13 : « Oves *pascuæ tuæ*. » *Isaiæ XXXVII*, 27 : « Gramen *pascuæ*. » *Ezech. XXXIV*, 18 : « Reliquias *pascuarum*. » Denique Antonius Nebrissensis in *Dictionario* notat tam dici *pascua* *pascuæ*, quam *pascua* *pascuorum*. Desinant ergo novantes nostrum Interpretarem quasi illatinum suggillare, eique barbarismum impingere.

Vers. 19. 19. **AD TE, DOMINE, CLAMABO.** — In tantis tamque immedicabilibus malis unum superest configium, ut scilicet tuam, o Domine, opem implorem; tu enim solus potes et soles extremis malis mederi, cum a tuis toto corde invocaris.

QUIA IGNIS (succensus ab homine) **COMEDIT SPECIOSA DESERTI**, — q. d. Chaldaei succenderunt speciosas villas, hortos, arbores, segetes, etc., Judæorum. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Riberia et alii (1).

(1) Describitur summa siccitas, quæ et ipsa causa fuit

Causam doloris et planctus, ait Hugo de S. Victore, « subdit magna detrimenta. Detimenta vero sunt haec, putredo foetida jumentorum, anxietas animalium, interitus pecorum, demolitio horreorum, apothecarum dissipatio, pascue inanitione, quorum causa haec est, speciosorum combustio, lignorum succensio, fontium exsiccatio. »

Mystice idem : Quatuor sunt « speciosa deserti, » puta bona spiritualia Ecclesiæ et animæ sanctæ, quæ ipsa peccando deperdit, scilicet, « præcepta, exercitia, virtutes, charismata. Præcepta sunt ad sanitatem : exercitia ad fortitudinem : virtutes ad formam : charismata ad audaciam. Lætitia est de transitoriis : exultatio de æternis. Haec autem alimenta, quæ sunt exultatio et lætitia, perierunt de domo Dei, id est de Ecclesia; quia præcepta calcantur, virtutes contemnuntur, exercitia perierunt, charismata recesserunt. »

20. **SED ET BESTIÆ AGRI**, — q. d. Non solus ego, Vers 20 nec soli homines, sed et bestiæ esurientes et sitientes, uti solet area sicca imbre sitire, v. g. oves suo balatu, boves et vaccæ mugitu, asini ruditu, etc., ad te, o Domine, suspiciunt et vociferantur, diversis, ait Ruffinus, faucium sonis, velut dissona consonantia, et musico concentu, taciteque opem tuam implorant, postulantes a te in tanta fame et siti pabulum et potum; fontes enim « exsiccati sunt » a Chaldaeis, qui eos vel obturaverunt, vel rivos eorum interruperunt et averterunt, ne in urbem influerent. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus et Lyranus.

Tropologice Rupertus : Homines, ait, brutis similes sunt, qui ingemiscere nesciunt, nisi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis, et solum esse miserum sive dolendum reputantes, si ventri quippiam desit.

Rursum Hugo de S. Victore : « Jumenta, ait, sunt luxuriosi : armenta, curiosi : pecora, gulosi : animalia, petulantes et cupidi : bestiæ, simplices et idiotæ : horrea, authentica eloquia : apothecæ, expositorum volumina : pascua, passiones sanctorum et gesta : stercora sunt vitia et peccata : fontes aquarum, doctores populorum : ignis, cupiditas : flamma, luxuria. »

cur locustæ uberiori provenirent. De iis enim ita Plinius, *Hist. nat. lib. XI, cap. XXIX* : « Vernis aquis intereunt ova, sicco vere major proventus. » Siccitatem favere locustarum proventui, docet etiam multis exemplis Ignatius de Asso in libro *De Locustis*.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit horrorem diei excidii Jerusalem per Chaldaeos, et sub ejus typo allegorice horrorem diei judicii describere et comminari. Inde, vers. 12, hortatur omnes ad paenitentiam et planctum, ut Deum sibi reconcilient, itaque has ejus minas evadant. Tertio, vers. 18, paenitentibus promittit salutem per Cyrus, et multo magis per Christum Doctorem justitiae, per quem effundet Spiritum Sanctum in fideles. Denique, vers. 30, dat signa praevia judicio et judici Christo (1).

1. Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terrae : Quia venit dies Domini, quia prope est. 2. Dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et turbinis : quasi mane expansum super montes populus multus et fortis : similis ei non fuit a principio, et post eum non erit usque in annos generationis et generationis. 3. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma : quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum. 4. Quasi aspectus equorum, aspectus eorum : et quasi equites sic current. 5. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exsilient, sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium. 6. A facie ejus cruciabuntur populi : omnes vultus redigentur in ollam. 7. Sicut fortes current, quasi viri bellatores ascendent murum : viri in viis suis gradientur, et non declinabunt a semitis suis. 8. Unusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt : sed et per fenestras cadent, et non demolientur. 9. Urbem ingredientur, in muro current : domos condescendent, per fenestras intrabunt quasi fur. 10. A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli : sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. 11. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui : quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus : magnus enim dies Domini, et terribilis valde : et quis sustinebit eum? 12. Nunc ergo dicit Dominus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. 13. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum : quia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiae, et præstabilis super malitia. 14. Quis scit si convertatur, et ignoscat, et relinquat post se benedictionem, sacrificium et libamen Domino Deo

(1) Descriptam terram siccitatæ et locustis vastatam, sequitur jam in sensu primo litterali ut in præced. cap. ipsius irruentium locustarum agminis descriptio elegansissima, quam quidem locustarum et hostium irruptionem ut diem Domini futurum prædictit.

PRIMO, ad incutieendum terrorem, notat Propheta hujus diei, *primo*, proximam instantiam, 1; horrorem, universalitatem et excessum, 2; comitatum violentum et vastatorem, 3; *secundo*, speciatim enumerat executorum armaturam, impetum et vim nocendi, 4-6; irruptionem, et ordinatam et omnia perstringentem, 7-9; robur ac multitudinem, omnia confusione ac terrore completem, 10, 11.

SECUNDO, ad excitandam paenitentiam, *primo*, requirit tanquam proprietatem, sinceram cordis conversionem et dolorem, 12, 13; *secundo*, promittit tanquam effectum remissionem culpæ et commutationem paenæ; *tertio*, suadet, tanquam adjumentum, communem omnium Judæorum exercitationem, 15, 16; *quarto*, prescribit, tanquam formulam deprecationis, orationem a sacerdotibus faciendam, 17.

TERTIO, consequens est secuturæ ad populi conversionem felicitatis promissio :

Primo, promissio generalis de zelo Dei pro terra et benignitate pro populo Judæ, 18.

Secundo, promissio specialis, pertinens ad Testamentum vetus, *primo*, de fecunditate et abundantia fructuum, 19; *secundo*, de malorum et hostium propulsione, exterminatione et ignominia, 20; *tertio*, de regni securitate, splendore et magnificentia, 21; *quarto*, de felicitate terræ, 22.

Tertio, promissio specialior, pertinens ad Testamentum novum, *primo*, de doctore justitiae et opportunitate gratiae, 23; *secundo*, de donorum et virtutum supernaturalium abundantia, 24-26; *tertio*, de præsentia Dei et singulari tutela, 27; *quarto*, de effusione donorum Spiritus Sancti, 28, 29.

Quarto, datur veluti prævia synopsis de die et judicio Domini gentes olim expectante, quam in capite seq. prosequitur Propheta; et *primo*, recensentur signa judicium præcedentia, 30; *secundo*, indicatur dies judicii, 31; *tertio*, prædictur fidelium salus et evasio ex periculis, 32.

vestro? 15. Canite tuba in Sion, sanctificate jejunium, vocate cōtum, 16. congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. 17. Inter vestibulum et altare plo-rabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo: et ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominantur eis nationes. Quare dicunt in populis: Ubi est Deus eorum? 18. Zelatus est Dominus terram suam, et pepercit populo suo. 19. Et res-pondit Dominus, et dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis: et non dabo vos ultra opprobrium in gentibus. 20. Et eum, qui ab Aqui-lone est, procul faciam a vobis, et expellam eum in terram inviam et desertam: faciem ejus contra mare Orientale, et extremum ejus ad mare novissimum: et ascendet fœtor ejus, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit. 21. Noli timere, terra, exulta et lætare: quoniam magnificavit Dominus ut faceret. 22. Nolite timere, animalia regionis: quia germinaverunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt virtutem suam. 23. Et filii Sion, exultate, et lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem jus-titiæ, et descendere faciet ad vos imbre matutinum et serotinum, sicut in principio. 24. Et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. 25. Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna, quam misi in vos. 26. Et comedetis vescentes, et saturabimini: et laudabit nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: et non confundetur populus meus in sempiternum. 27. Et scietis quia in medio Israel ego sum, et ego Dominus Deus vester, et non est amplius: et non confundetur populus meus in æternum. 28. Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. 29. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. 30. Et dabo prodigia in cœlo, et in terra sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. 31. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. 32. Et erit: omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; quia in monte Sion, et in Jerusalem erit salvatio, sicut dixit Dominus, et in residuis, quos Dominus vocaverit.

Vers. 1. 1. ULULATE, — non tam voce, quam buccina: hebraice enim est *נִרְעַן tariu*, id est *taratantara insonate*; Tigurina: *Classicum canite*, scilicet triste et horrisonum, quale solet cani in adventu hostium; in prælio, in strage et excidio, q. d. En adventat hostis, adest Chaldaeus, instant urbi obsidio et vastitas; personate ergo tubis, tum ut ad arma, tum potius ut ad Deum in templum omnes confugiant, Deique opem implorent et im-petrent; acibihabeant aut asylum, aut sepulcrum.

IN MONTE SANCTO MEO, — in templo et arce montis Sion.

CONTURBENTUR (Tigurina, *contremiscant*) OMNES HABITATORES TERRE — nostræ, puta Judææ; ac tremul. et consternati Dei auxilium unanimes una voce omnes inclament.

Vers. 1 et 2. 1 et 2. QUA VENIT DIES DOMINI (puta dies judicii et vindictæ Domini, quam Dominus in Judæos exercebit per Chaldaeos. Unde hæc dies a Joele mox vocatur) DIES TENEBRARUM ET CALIGINIS, DIES NUBIS ET TURBINIS, — id est summe funesta, tristis, nubila et calamitosa, in qua præ mœrore Ju-dæi caligabunt oculis, ut videatur meridies eis

esse caligo, omniaque videantur sibi videre te-nebrosa et atra. Sicut enim lux est symbolum et causa lætitiae et prosperitatis; ita tenebræ sunt symbolum tristitiae, adversitatis, et carceris ac captivitatis. Ad litteram ergo loquitur de die ex-cidii Jerusalem; tropologice de die mortis, ju-dicii et excidii orbis, cum Archangelus canet tuba novissima, *I Corinth. xv, 52*. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Albertus, Hugo, Arias, Ribera et alii (1).

QUASI MANE, — q. d. Ut mane quaquaversum

(1) Sunt qui tenebrarum mentionem hic non figurante, sed proprie capiendam censem, inquit Rosenmuller, cum in descriptione locustarum plague Ægypto immisæ, ingens illarum multitudo *terram obscurasse* dicatur *Exod. x, 15*. De illis Plinius quoque *Hist. nat. XI, xxix*: «Solem obum-brant, sollicitis suspectantibus populis, ne suas operiant terras.» Shaw. Anglus, præstantissimis itinerum Commentariis celebris, de locustarum agminibus, quæ dum ipse in istis oris versaretur, terras populabantur, haud multo aliter quam vates noster, pag. 331, vers. gall.: «Vers le milieu d'avril, elles s'étaient si prodigieusement augmentées, qu'au plus fort du jour, elles formaient des espèces de nuées qui obscurcissaient le soleil. »

se spargit aurora, et prima lux solis, qui statim ut oritur omnia suis radiis illustrat, omniaque sua luce occupat; ita populus multus et fortis, nimirum locustæ hæ, de quibus dixi cap. I, 4, puta Chaldæorum agmina, celerrime omnes Judææ montes occupabunt. Persistit enim in parabola et allegoria locustarum: « Hoc autem, inquit S. Hieronymus, « de locustis dicitur, ut de hostibus intelligatur; ut dum locustas legimus, Babylonios cogitemus. » Ita et Theodoretus, Remigius, Hugo, Clarius et alii; et patet ex sequent., ubi eos comparat equis et equitibus. Hisce enim similes sunt locustæ, non Chaldæi, qui non similes, sed ipsimet erant equites (1).

Aliter Arias, q. d. Sicut mane luce oriente et occupante montes, tenebræ coguntur in valles; ita venientibus Chaldæis montesque occupantibus, tenebræ calamitatis et vastitatis cogentur in Judæam et in Jerusalem. Illi ergo erit « dies tenebrarum et caliginis, » ut præcessit; cum Chaldæis aliisque gentibus erit mane lucidum, lætum et felix.

SIMILIS EI NON FUIT A PRINCPIO, ET POST EUM NON ERIT USQUE AD ANNOS GENERATIONIS ET GENERATIONIS, — q. d. Per duas, vel per multas generationes et sæcula, nullus hostis nocentior fuit, aut erit Judææ, quam Chaldæi. Nam post plura sæcula, Romanos sub Tito et Vespasiano magis illi nocuisse, planeque eam evertisse et desolasse liquet ex Josepho, et ex moderna Judæorum per totum orbem dispersione. Ita Theodoretus.

3. ANTE FACIEM EJUS IGNIS VORANS (2), — q. d. Quidquid attigerit hic populus locustarum, puta Chaldæorum, id ipsum totum ipse quasi flamma vorax consumet; ita ut ignem manibus præferre, eoque omnia afflare et concremare videatur, adeo ut omnia in solitudinem redigat, et post se non nisi carbones et cineres relinquat. Ita S. Hieronymus. Est catachresis.

Aliter Sanchez: Ignis hic, inquit, est is qui præferebatur regibus et castris Chaldæorum, quasi comes et dux viæ; ignem enim ut Deum colebant Chaldæi. Ignis ergo erat eis quasi militare signum, minans et portendens incendia, cædes et strages. Idem a Chaldæis, iis eversis, accepérunt Persarum reges, quibus prælatum fuisse

(1) Verbis *quasi mane*, seu *ut aurora*, locustarum agmina late et cito se diffundentia depingi putant interpres nonnulli, inquit Maurer, nescio an rectius illa referas ad flavescentem splendorem, qui appropinquantis locustarum agminibus in cœlo appetet, quique oriuntur ex repercuo alis locustarum sole.

(2) « Ante faciem ejus, » scilicet populi locustarum venientis, omnia fere consumit ignis, summa siccitas, et post eum, postquam migrarunt locustæ, *exuret flamma* reliqua. Rosenmuller: « Hæc Oedmann, *Fasc. VI*, cap. VIII, eo refert, quod loca locustis vastata vere tanquam igne adusta apparent, referente Mariti in itineris per Cyprus insulam facti, *Comment. part. I*, pag. 258, cum locustæ non sogetes tantum et gramina, sed radices etiam consumant.

ignem docet Xenophon, lib. VIII *Cyriopædiae*, Curtius, lib. III, et alii. Sic et Holoferni præferebantur lampades ardentes et ignitæ, *Judith x*, 17, juxta Septuaginta. Hunc ergo hujus loci sensum dat: Præcedet castra hostilia in Judæam properantia ignis vorax, proprium insigne Chaldæorum; subsequetur aliis quem sparget hostis, ut Judæam, quæ prius erat hortus voluptatis, comburat et desolet. Simili modo et causa videt Jeremias, cap. I, ollam accensam, qua portendebatur adventus Chaldæorum, qui omnia ferro et flammis erant vastaturi. S. Gregorius Nazianzenus, *orat. 15*, ex Septuaginta sic legit: *Anteriora ejus, hortus voluptatis; posteriora autem, campus exterminii*; sicque explicat: « Joel, inquit, hisce verbis deplorat terræ corruptionem, et famis cruciatum, tragicæ pristinæ pulchritudini posteriore deformitatem opponens, » q. d. Terra, quæ prius erat florida et frugifera, postea effecta est arida et squalida, ac quasi exterminata.

4. QUASI ASPECTUS EQUORUM, ASPECTUS EORUM, — Vers. 4. q. d. Hæc castra locustarum, quæ repræsentant Chaldæorum agmina, erunt similia equis et equitibus. Ita S. Hieronymus. Locusta enim speciem habet equi armati, et equitis cataphracti; unde italicice vocatur *cavalleta*, id est equulus. Huc alludit S. Joannes in suis locustis futuris sub finem mundi *Apoc. IX*, 7: « Similitudines, ait, locustarum similes equis paratis in prælium; » et vers. 9: « Et habebant loricas sicut loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. »

5. SICUT SONITUS (strepitus et crepus) FLAMMÆ Vers. 5. **IGNIS DEVORANTIS STIPULAM,** — quasi dicat: Sicut flamina stipulam allambens et succendens strepit et crepat; sic strepent hæ locustæ, id est Chaldæi, cum arva Judææ instar stipularum arrodent et adurent (3).

6. OMNES VULTUS REDIGENTUR IN OLLAM. — Chal- Vers. 6. dæus: *Nigrescent quasi ollæ*, scilicet præ timore et pavore. Timor enim sanguinem reducit ad cor, ut illi quasi arcii in periculo consulat; unde extremae partes velut exanimis et exsangues pallescunt, mox, metu ingravescente, nigrescent. Levis enim metus pallorem; gravis, uti est mortis nigredinem inducit, ut facies, inquit Russinus, « futuræ mortis lurido vestiantur: hinc non solum pallescent, sed etiam penitus atrabuntur » (sic enim lego cum Delrio, *adagio* 969, non *atra-*

(3) Forskal in *Descript. animal.* pag. 81, apud Rosenmuller: « Transeuntes grylli super verticem nostrum sono magnæ cataractæ ferrebant. » *Sicut sonitus flammæ ignis*, etc. Alia similitudine, ut bene notat Ackermann, strepitus illarum exprimit, desumpta ab igne strepente, quo stipulas in agris exurunt Orientales. Plinius, *Hist. nat.* lib. XI, cap. xxix: « Tanto volant pennarum striore, ut aliae alites credantur. » Cyrillus apud Rosenmuller: « Eas non citra strepitudinem in agros decidere dicunt, sed et tenuem quemdam sonum dentibus edere, dum prostratas fruges mordendo comminuant, tanquam venti flammam agitantis.

hentur). Sic Isaias, cap. XIII, 8, de Babyloniorum clade, ait : « Facies combustæ vultus eorum, » id est nigrescunt pavore et mœrore : sicut enim lætitia vultus fit serenus et splendidus, ita tristitia et metu fuscatur et obnubilatur, ait S. Hieronymus et Theophylactus. Secundo, Theodoretus hæc refert ad famem, quasi ad causam, q. d. Præ fame fient luridi et atri; item solis ardore, cum in Chaldæa quasi mancipia cogentur laborare in luto, et aliis sordidis ministeriis, ait Sanchez, præsertim cum fient ollarii, cacabarii, ferrarii, furnarii, carbonarii; qui quam atri sint, videre est in fodinis Leodiensibus.

Tropologice hic est typus, hic color decolor, hæc species, hæc facies peccatorum omnium coram Deo et angelis ejus.

Vers. 7. 7. ASCENDENT MURUM — Chaldæi. Nota : In parabolis miscetur res cum parabola; unde quædam dicuntur in iis quæ magis proprie rei quam parabolæ ipsi convenient. Tale est hic, ascendere muros Jerusalem, et per eos in urbem obsessam irrumpere, quod magis Chaldæis, quam locustis eorum antitypis, convenient. Talia sunt et quæ sequuntur : « Urbem ingredientur, in muro current, in domos condescendent; » et vers. 11 : « Multa sunt nimis castra ejus, quia fortia : viri in viis suis gradientur. » Viri, id est singuli quasi viri fortes more exercitus, in acie et ordine suo procedent. Hebreum enim vir duo significat : primo, vir, id est unusquisque ; secundo, vir, id est fortis et virilis.

Ita locusta « egreditur universa per turmas suas, » ait Sapiens Proverb. xxx, 27. « Hoc nuper, inquit S. Hieronymus, in hac provincia (Judæa) vidimus. Cum enim locustarum agmina venerint, et aerem qui inter cœlum et terram est occupant, tanto ordine et dispositione jubentis Dei volitant, ut instar tesserularum, quæ in pavimentis artificis figuntur manu, suum locum teneant, et ne puncto quidem, ut ita dicam, ungue transverso declinent ad alteram. » Hoc est quod subdit Joel : « Unusquisque fratrem suum non coaretabit, singuli in calle suo ambulabunt; » Syrus : Singuli in semita sua ibunt, de pondere (gravitate) judicii sui cadent, et non ascendent ad summum. Per has locustarum acies, ordinatam Chaldaeorum aciem intellige.

Vers. 8. 8. SED ET PER FENESTRAS CADENT. — « Nihil enim locustis invium est, cum et agros et sata, et urbes et domos, et cubiculorum secreta penetrant, » ait S. Hieronymus, uti fecerunt locustæ a Mose immissæ in Pharaonem et Aegyptios, Exodi x, 14. Notat Chaldaeorum impetum, impudentiam et audaciam; quod quasi locustæ per fenestras, portis clausis, in domos Judæorum irruituri sint.

ET NON DEMOLIENTUR — passive, id est non lædentur, non sauciabunt se in hoc saltu per fenestras, q. d. Molem corporis sui armis gravati ad humum non allident, de mole et robore suo nihil hoc casu decerpent. Hoc signo notat eorum dex-

teritatem et exercitationem in pugnando, saltando, etc., æque ac audaciam, qua in ipsos hostium gladios intrepidi irruent; quin et illæsi, ex usu et habitu saliendi et digladiandi. Ita Sanchez. Posset quis suspicari, pro *demolientur*, legendum esse *demorientur*, id est vulnerabuntur adeo ut moriantur. Hoc enim significat hebreum נִכְזָבֵב *iibtsau*. Verum codices Latini, etiam antiquissimi, quos Romæ inspexi, constanter legunt *demolientur*, id est destruentur, et, ut Septuaginta apud S. Hieronymum, *consumentur*; idque latinum est, non barbarum. Veteres enim active dicebant *demolio*, *demolivi*, pro *destruo*, *destruxi*; ac consequenter, passive *demolior*, *demolitus sum*, pro *destruor*, *destructus sum*. Sic cap. I, 17, dicitur : « Demolita, » id est *destructa*, « sunt horrea, » Ita Alphenus in leg. Qui *insulam*, in prin. ff.: « Dominus, ait, insulæ, quia ædificia vilium facere diceret, demolierat eam. » Et Ulpianus in leg. Quid tamen, §. 1, ff. Quibus modis ususfructus amitt.: « Si demolitis, ait, ædibus testator alias novas restituerit; » et : « Ædificium demolitum, » in leg. Qui *insulam*, in prin. ff. Locat. Sensus ergo est, q. d. Audaces Chaldæi prædæ avidi, clausis ostiis, per fenestras irrumpent in domos, et non demolientur, id est non concidentur, non lædentur, vel a se suisque armis in hoc saltu, vel ab incolarum, puta Judæorum, se suasque domos defendantium, gladiis; tam enim fortes et dexteri erunt, ut saliendo in arma sua non impingant; tam terribiles, ut Judæi eos invadere non audeant, sed in latebras se abdant.

Nota : Pro *fenestras* hebraice est נַלְׁשׁ *scelach*, id est immissio et emissio, puta *fenestra*, per quam lux et aer in domum emittuntur, sordes vero in plateam emittuntur et ejiciuntur. Rursum, *scelach* significat missile, puta *telum*, vel *jaculum*. Unde Septuaginta vertunt : In *jaculis* cadent, et non consumentur; Pagninus et Vatablus : Super *gladium* dejicient se, et non sauciabuntur, q. d. Chaldæi irruent in gladios Judæorum, iisque non lædentur, sed eos sternent, suisque ipsorum gladiis eos confodient. Rursum, pro *demolientur* hebraice est נִכְזָבֵב *iibtsau*, quod significat vulnerare, item esse avarum, ambire pecuniam. Unde Chaldaeus vertit : Ad locum ad quem missi sunt vadunt trucidantes, et non recipient pecuniam, q. d. Chaldaei vitam Judæis eripent, nec aurum ab eis pro lytro oblatum recipient. Arias et Tigurina vertunt : Lucro non inhiant. Sic et tropologice dæmones animas querunt, non aurum. Denique disce hic avaritiam apposite hebraice vocari עַזְבָּה *betsa*, id est *vulnus*, quia lædit et vulnerat proximum per usuras, fraudes, contractus, etc. Nam, ut ait Philosophus : « Pecunia est anima et sanguis mortali- bus. »

Vers. 10 10. A FACIE EJUS (populi, de quo vers. 2) CON- TREMUIT TERRA, MOTI SUNT COELI. — Est poetica hyperbole, in qua partim alludit Propheta ad locustas, partim ad Chaldaeos, per eas significa-

tos, q. d. Tanta tamque numerosa et densa erit hæc locusta, id est exercitus Chaldeorum; tantus pariter erit ejus horror et pavor in Judæis, ut ipsis hoc metu perculis et attonitis, per locustas hasce quasi nubes, perque pulverem ab eis excitatum, sol et luna obvelari et obtenebrari videantur (solent enim agmina locustarum ita densari subinde, ut dum volant expansis alis, solem cœlumque obtegant), quin et præ horrisono tubarum clangore, tympanorum et tormentorum sonitu, equorum fremitu et cursu ungularum ad saxa collisione, militum clamore et furore, « cœlum ruere, terra fluctuare videatur, » ait S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Ribera et alii. Simili modo Isaias, cap. XIII, 10 et 13, ait in excidio Babylonis solem, lunam et stellas retraxisse suum lumen, cœlum fuisse turbatum, et terram motam de loco suo. Sic Psaltes, *Psalm. xvii*, poetice pingit Deum descendantem ad vindictam impiorum, quasi cœlos, aera, terram totamque mundi machinam quatientem, et, ut Poeta ait: « Qui nutu concutit orbem. » Vide Can. XXXII in *Prophet. Majores* (1).

Secundo, Theodoreus et Arias hæc non hyperbolice, sed proprie accipiunt. Censem enim Deum ante exercitum Chaldeorum præmisso procelas, fulgura et tonitrua ad percellendum Judæos. Hisce enim cœlum, id est aer totus, æque ac terra commovetur et quatitur, juxta illud Virgilii, *Aeneid. IV*:

Tonitru cœlum omne ciebo.

Rursum procellis hisce sol cœlumque obducuntur et obtenebrantur. Unde sequitur:

ET STELLÆ RETRAXERUNT SPLENDOREM SUUM; —
Syrus et Arabicus uterque: *Occidit lumen* (fulgor)
stellarum.

Vers. 11. ET (id est quia) DOMINUS DEDIT VOCEM SUAM ANTE FACIEM EXERCITUS SUI, — id est ante exercitum suum, puta ante Chaldeos. Vox enim Dei est tonitru, ut patet *Psalm. xxviii*, 2 et seq. Ailudit ad vocem ducis, qui suos milites ad instans prælium ingenti animo et voce cohortatur et acuit, *q. d.* Deus quasi dux belli milites suos, puta Chaldeos venientes in Judæam, per tonitru animabit ad bellum; Judæos vero per idem percellet et perterrefaciet, quia ejus benignam vocem et invitationem ad pœnitentiam audire noluerunt, ejusque legatos, puta Prophetas, contempserunt; tonitru ergo Dei audient et sentient, qui ejus blandiloquia audierunt et spreverunt. Nota: Chal-

(1) Crednerus et Hesselbergus et alii, quæ hoc et vers. 11 habentur, non amplius ad locustas, verum ad Dei adventum, præsentiam referri volunt, coll. *Nahum* I, 5. Cum vero, inquit Maurer, cui consentit Ackermann, quæ vers. 11 memorantur *exercitus Jovæ* et *castra Jovæ* et *executores jussorum Jovæ*, manifeste sint *agmina locustarum*, nec quidquam reperiatur in vers. 10, quod in locustas non conveniet, equidem non dubito ad locustas referre hæc quoque.

dæi hic vocantur milites et exercitus Dei, quia quasi lictores fuerunt justitiæ et vindictæ divinæ exercitæ in Judæos aliasque gentes. Licet enim ipsi dominandi libidine, et spoliis ditandi se cupidine Judæos gentesque tyrannice invaserint, ac proinde ad hoc directe a Deo excitari et positive immitti non potuerint; Deus tamen hanc eorum tyrannidem, libidinem et cupidinem directe permittere decrevit, reque ipsa permisit ad hoc, ut per eam Judæorum gentiumque luxum, idolatriam aliaque peccata castigaret. Vide Can. XXXVI in *Majores Prophetas*.

Allegorice, hæc veriora et majora erunt in die mortis, et magis in die judicii, cujus hic viva imago datur in excidio Hierosolymæ per Chaldeos. Itaque hæc dies erit tenebrarum et caliginis, qua locustæ, id est dæmones innumeri armati peccatis nostris quæ in vita commisimus, animam invadent, percellent, lacinabunt, et in extremas anxietates redigent, ut terra, aer ac cœlum nimis ei angustum videatur.

12. CONVERTIMINI AD ME (qui aversi eratis a me, *Vers. 12.*

et conversi ad varias illicesque vestras cupidines) : CONVERTIMINI (inquam) IN TOTO CORDE, — tota mente, tota anima, toto spiritu, toto affectu. Ego enim cordis et mentis sum creator et dominus, ideoque totum illud mihi dedi, imo reddi volo, nec patior ex eo partem aliquam quæ idolis; veneri aut ventri detur, mihi suffurari. Vide S. Gregorium, lib. VII *Moral.* cap. XII, ad illud Jobi: « Involutæ sunt semitæ gressum eorum, » ubi docet peccatores sæpe facere bona proposita, sed, occurrente tentatione, illico ad sua vitia relabi, quia cor non mutant, nec serio et ex toto corde se ad Deum convertunt: « Esse quippe humiles, inquit, sed tamen sine despectu; esse contenti propriis, sed sine necessitate; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis volunt: cumque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quam exhibere belli certamina in campo nesciunt, et triumphare in urbibus de bello concupiscunt. » Cum ex adverso, ut ait S. Bernardus, humiliat via ad humilitatem, passio ad patientiam, mortificatio ad castitatem, jejunium ad abstinentiam. Vera ergo conversio fit per solidum, serum et efficax voluntatis propositum de mutanda vita, si illud crebro innovetur, et in opus conferatur. « Aversio a Deo, inquit Hugo de S. Victore, fit tribus modis: vanitate mundi, voluptate sui, curiositate proximi. At conversio fit confessione oris, compunctione mentis, mortificatione carnis; ut scilicet in ore veritas, in mente puritas, in carne pudica sit sobrietas. » Porro internam hanc cordis conversionem, et compunctionem ostendite « in jejunio, » quo puniatis peccata carnis et gulæ, « et in fletu et in planctu, » quo non tantum lacrymis profusis desfleatis, sed et cum gemibus, suspiriis, tunsione pectoris, complosione manuum, etc., ploretis et plangatis pristina scelera

et cœcitatatem vestram, ac ingratitudinem et injurias mihi illatas.

Recte enim Tertullianus, lib. *De Pœnit.* cap. ix, pœnitentibus hosce actus et gestus ex prisco Ecclesiæ more præscribit: « Exomologesis, inquit, prosternendi et humiliificandi hominis disciplina est, conversionem injungens misericordiae illicem. De ipso quoque habitu ac victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mororibus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; cæterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa; plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum. » Idem, lib. III *Contra Marc.* cap. xviii, ait afflictos « in rebus attonitis, genibus positis et manibus cædentiibus pectus, et facie humi voluntate orationem commendare debere. »

« Convertimini ergo ad me in toto corde, » ut scilicet omnes affectiones in unum Deum referatis. Audi S. Bernardum, serm. 2 *De Quadrag.* : « Attende solerter quid diligas, quid metuas; unde gaudreas, aut contristeris, et sub habitu religionis animum sœcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, et de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Dominum. Convertatur proinde amor tuus, ut nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certe propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum, sic et gaudium tuum et tristitia æque convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundum eum doleas, aut læteris. »

Vers. 13. 13. SCINDITE CORDA VESTRA. — Solebant enim Judæi in blasphemia et simili atroci scelere, æque ac in gravi luctu scindere vestimenta a capite usque ad pectus, ait Arias, ut hac scissione ostenderent internum animi dolorem et displicantiam. Sed in multis hæc scissio erat mera cæremonia, hærens tantum in veste, nec ex corde promanans. Jubet ergo Deus hic cor scindi, potius quam vestem.

QUIA BENIGNUS. — Quinque epithetis declarat immensam Dei pietatem et clementiam erga peccatores pœnitentes. Primum est, quod in eos sit «benignus», hebr. חָנָן channun, id est misericors, gratiosus, benignus; secundum est, quod in eos sit «misericors», hebr. רָחוּם rachum, id est miserator visceralis, sive commiserans ex intimis visceribus; tertium est, quod sit «patiens», hebr. אֶרְךְ אַפִּים erech appaim, hoc est longis, id est latis, naribus, hoc est longanimis, patiens, tardus ad vindictam, facilis ad veniam; qui enim latas habent nares, tarde irascuntur et cito placantur, quia iræ fumos naribus efflant: ex adverso קַצֵּר ketsar appaim, id est angustis naribus, significat facilem ad iram, et tardum ad veniam; quia iræ spiritus et fumos efflare nequit, sed reservat,

et in corde menteque continet, uti dixi *Exodi* xxxiv, 6; quartum est « multæ misericordiæ, » id est *multus pietate et bonitate*; quintum est, « præstabilis, » id est placabilis et pœnitens, « super malitia, » id est afflictione et punitione, quam comminatus est peccatoribus, ut scilicet, pœnitente homine, pœniteat et Deum, nec minarum decreta iis infligat, sed ea revocet et aboleat. Ita Hebræus, Chaldæus, S. Hieronymus et alii. Hebraice enim est מִנְחָה nicham, id est pœnitens super malitia, ut vertunt Septuaginta et Vatablus. « Deus, ait Hugo Victorinus, benignus est, quia iram inimicorum vertit in mansuetudinem; misericors, quia sævitiam in pietatem; patiens, quia contemptum in compunctionem; multus misericordia, quia odium in dilectionem; præstabilis super malitia, quia barrathrum desperationis in gratiam provehit contemplationis. » Unde Arabicus vertit: *Multæ misericordiæ potentia ejus, et gratia ejus, et avertens malum;* Syrus: *Convertens malitiam.*

Præstabilis, id est placabilis, cur?

Nota hic rursum latinitatem, imo elegantiam nostri Interpretis. Nam « præstabilis super malitia, » latine ad verbum idem est quod præstans, vel qui præstat, excellit et eminent malitiæ, hoc est iræ et vindictæ; qui major et melior est malitia, nec sinit se ab ea vinci aut regi, sed eam ipse ut dominus vincit et regit. Ita Ribera. Ira enim est quasi fera tigris, et quasi indomabilis leæna; quis enim hominum furens ira et cholera, eam domet et regat? Ira ergo dominatur irato, eique habenas rationis et imperii executit, imo vero eum quasi mancipium sibi servire et obsequi facit. Unde Poeta :

Ira furor brevis est.

Et Cicero, *Tuscul.* IV: « An, ait, est quidquam similius insaniae, quam ira? Quam bene Ennius initium dixit insaniae: color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum, quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homericō fœdius? Quid Agamemnone in jurgio? nam Ajacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit. » Deus autem tam potens, tam sanctus, tam mansuetus est, ut iræ et vindictæ suæ ad nutum imperet; tam præstans et excellens est ejus bonitas, ut omnem malitiam culpæ, quam pœnæ peccatoribus decretæ, omnem vindictæ cupidinem, omnem puniendi sententiam in eos latam, si pœniteant, mox revocet et deleat. Unde Hebreum nicham verti potest, consolabilis super malitia, q. d. Deus malitiam, id est iram et vindictam, quantumvis trucem, amarissimam et acerbissimam consolari, flectere et dulcorare potest, imo ipsam iram vertere in consolationem et benevoliam summam. Quanta esset vis et dulcedo mellis, quod tel, imo mare felleum dulcoraret! Longe major est vis bonitatis Dei, dulcorantis omnem malitiam et amaritudinem. Hanc sibi proponant irati, in eaque quasi abyssu iras suas mergant et sepeliant.

Porro præstabilis Latinis idem esse quod præstans, excellens, eximium, patet ex Cicerone lib. *De Amicitia*, ubi ait : « Nihil amicitia præstabilis esse putetis, » et lib. II *De Natura deorum* : « Nihil melius mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius; » et lib. II *De Orat.* : « Sumendæ autem res (oratori) erunt aut magnitudine præstabiles, aut novitate primæ, aut genere ipso singulares. Neque enim parvæ, neque usitatae, neque vulgares admiratione, aut omnino laude dignæ videri solent; » et Gellius : « Chilo, ait, præstabilis homo sapientiae. » Sic Deus « præstabilis, » id est præcellentis, eminentis et transcendentis est misericordiae, quæ oritur partim ex ejus celsitudine et magnitudine animi immensa. Verum enim est illud Ovidii, lib. III *Tristium*, eleg. 5 :

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnauimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.
At lupus et turpes instant morientibus ursi,
Et quæcumque minor nobilitate fera est.

Partim ex ejus infinita bonitate. Boni enim viri proprium est, ait Plato, opus suum non destruere, sed perficere; perficitur autem pœnitentia ex parte destructi, et remissione ex parte Dei. Quod videns Moses inter alia arcana sibi ostensa in Sina, dum Deum corpore vestitum a tergo intueretur, exclamavit : « Dominator Domine, Deus, misericors et clemens, patiens et multæ misererationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, » id est in mille generationes, etc., « qui reddit iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam et quartam generationem. » Quantum ergo mille excedit quatuor, tantum bonitas et clementia Dei excedunt justitiam. Hoc est quod Ecclesia profitetur dicens : « Deus cui proprium est misereri semper et parcere. » Vide dicta *Exodi* xxxiv, 6.

Moraliter, fidelis hæc Dei sui, ad eujus imaginem creatus et per Christum recreatus est, attributa jugiter consideret, eaque imitari, induere, et moribus exprimere studeat. Scripsit S. Thomas aq[ue]d[em] de re, Opusc. LXII, quod inscribitur: *De divinis moribus*, quo docet quomodo quindecim attributa Dei æmulari debeamus, itaque fieri divini.

Primum. *Inquit*, est immutabilitas. « Apud » Deum enim « non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio, » *Jac. I, 17*; et ideo immutabilia sunt opera ejus secundum essentiam, scilicet angelus, anima, cœlum et quatuor elementa; mutat quidem multa in mundo, sed omnis hæc mutatio est in creaturis, non in Creatore. Sæculares assidue mutantur, et constantes sunt in sua inconstantia; Sancti vero tendunt jugiter ad mentis constantiam, ut nec adversis fracti, nec prosperis illecti a via recta deflectant; insuper eundem semper in statu, incessu omnique conversione vitæ piæ tenorem servant. *Secundum*, omne bonum Deo placet, omne malum displicet; ita et Sanctis pla-

cet omne bonum semper et ubique, et in qualibet creatura, omnibusque bonum, id est gloriam Dei et salutem proximi impugnantibus fortiter resistunt, multo magis omni malo, id est peccato. *Tertium*, Deus prævidet et providet omnia; ita Sancti prævident tentationes, contra easque se muniunt; item novissima, puta mortem, iudicium, itaque suis rebus et saluti æternæ prospiciunt. *Quartum*, Deus patiens est, quin et solem suum oriri facit super bonos et malos, ac pluit super justos et injustos; ita et Sanctorum propria virtus est patientia, qua inimicos non tantum tolerant, sed et amant, eosque benefactis obruere et amicos reddere student. Rursum, patienter sustinent tot scelera, tot rapinas, tot oppressiones, tot strages et clades publicas et privatas, quæ in hoc mundo fiunt; sicut Deus eadem sustinet. Hoc enim commendat omnipotentiam Dei: non enim est magna potentia iniquum in foveam inferni demergere, sed misericordiam suam parcendo maxime et miserendo manifestare. *Quintum*, Deus est justus, adeo ut quantum est ex parte ipsius, nullus ex alterius malitia recipiat detrimentum. Nihil enim nocet S. Michaeli casus Luciferi, nec Judæ malitia Petri charitatem immunit: securus faciunt mundani, qui unius, v. g. religiosi aut clerici peccatum, in totum ordinem et statum Ecclesiasticum refundunt; at Sancti Dei justitiam imitantur. *Sextum*, Deus est rectus, nihil facit ex privato amore vel odio, nunquam propter justitiam misericordiam deserit, nec propter misericordiam justitiam derelinquit; idem facere student Sancti. *Septimum*, Deus est liberalis, et communicat ex suo quidquid communicabile est, etiam iis qui id non petunt, imo negligunt et contemnunt. Ita angelis communicavit suam beatitudinem, apostolis suam potestatem ligandi et solvendi, prophetis suam præscientiam, doctribus suam sapientiam, martyribus suam fortitudinem, confessoribus suam constantiam inter læta et tristia, virginibus suam puritatem, ac speciatim Mosi suam mansuetudinem, Josepho suam providentiam, Eliæ suum zelum, Samsoni suum robur, Salomoni suam prudentiam, Davidi suam misericordiam, B. Petro suam charitatem, S. Joanni suam castitatem, S. Paulo suam magnanimitatem: sic et Sancti oculos habent ad vindendum pro aliis, aures ad audiendum confessiones, os ad prædicandum, pedes ad ambulandum, cor ad meditandum pro aliorum salute. *Octavum*, Deus est placabilis: nam pœnitentibus offensas etiam gravissimas condonat, ut non quam illarum recordetur, eosque ita diligit, imo magis quam ante; ita et Sancti injuriæ obliviscuntur, familiaritatem suam lœdentibus non subtrahunt, imo omnia probra condonant, et pro exprobrantibus orant. *Nonum*, Deus est benignus nonum. iis qui eum gravissime offenderunt, imo suis irrisoribus et crucifixoribus, quos gratia sua prævenit, vocavitque ad pœnitentiam, gratiam et

gloriam; ita nihil facit Deo sic similem, ait S. Chrysostomus, atque malignis et hædentiibus esse benignum et clementem, cum sit cumulus perfectionis iniunios diligere, et pro ipsis orare, ut fecit Christus in cruce. Rursum, Deus a nemine exigit quidquam supra vires in pœnitentiis, jejuniis, orationibus, eleemosynis omnique disciplina; sed paucis lacrymis et gemitu, imo corde dolente et contrito contentus, omnia scelera indulget: sic Sanctus neminem gravat supra vires, sed tantum exigit id quod facile præstare potest.

Decimum. *Decimum*, Deus est verax in dictis et promissis, ut patet in oraculis hisce Prophetarum: ita Sanctus verax et fidelis est, tum Deo in fide, cultu, obedientia ac votis; tum proximo in omnibus dictis et factis, quia « qui veritatem odit, odit Christum, » et, ut ait S. Chrysostomus: « Veritatis prædicator est non tantum ille qui menit, sed etiam qui libere veritatem non pronuntiat aut defendit, cum opus est. » *Undecimum*, Deus non est acceptor personarum, ut divites et potentes præferat pauperibus et miseris, imo hos illis anteponit et evehit, uti evehit Davide, Saulem, Gedeonem, Josue, etc., ad regnum et principatum, et in donis gratiae non respicit naturæ dotes, atque in donis gloriæ nil nisi merita intuetur; denique æqualis est ei cura de omnibus; ita et Sanctus tam amat et curat pauperes quam divites, tam peregrinos quam cives, tam, imo magis, afflictos quam felices; nam æque omnes juvare, et ad salutem dirigere satagit. *Duodecimum*, Deus nulla re turbatur, sed in omnibus rebus et eventis est æquanimis: ita Sanctus vitat omnem turbationem, quia medica, vel potius nulla gratia quiescere potest in anima turbata. Hinc maledicta et malefacta proximorum dissimulat, et cum Davide quasi surdus ea non audit, et quasi cæcus ea non videt, quia totus in Deo Unique voluntate et dilectione defixus est et conquiescit. *Decimum tertium*, Deus non quærit commodum suum, sed in omni opere creationis, conservationis, gubernationis, redemptionis, etc., spectat bonum hominum et creaturarum: sic et Sanctus non quærit quæ sua sunt, sed pure Dei gloriam, et proximorum utilitatem in omnibus actibus suis procurat; quia quanto magis et purius Deum respicimus, et quanto minus nostram, magisque proximi utilitatem attendimus, tanto acceptabilius est Deo, et tanto universitati fructuosius est opus nostrum. *Decimum quartum*, Deus omnia bene et perfecte facit in operibus naturæ, æque ac gratiae, sive sit ventus, sive pluvia, sive calor, sive frigus, sive sterilitas, sive ubertas, etc., pro illo tempore nil melius fieri potest, quia immensa sua sapientia singula perfecte suo tempore operatur: sic et Sanctus studet esse in singulis operibus suis perfectus, quia tota salus ejus et omnis laus Dei, ac universitatis utilitas ex uno opere penderet; et quasi nunquam ad illud esset reversurus, neque aliud opus incepturus: unde in

eo conquiescit, donec illud absolvat et compleat. Qui enim cupit avetque absolvere, ideoque festinat, ut ad aliud se transferat, minuit affectum et conatum operis, lassescit, et facile ab incepto desistit. *Decimum quintum*, Deus non puniit bis id ipsum: idem facit Sanctus, qui in hoc, et in reliquis universis studet se per omnia conformare sanctissimæ Dei voluntati. Hæc summatim, quæ fuse D. Thomas, *Opusc. LXII.*

14. QUS SCIT SI CONVERTATUR? — Ita vertunt et Septuaginta, Vatablus et alii passim; licet enim rō si non sit in Hebræo, tamen de more ex pharsi Hebræa subintelligitur. Vox *si* significat dubitationem Prophetæ de venia Judæis, etiam pœnitentibus apud Deum impetranda; licet cuim certo sciret Deum pœnitentibus semper remittere offensam, id est culpam et pœnam æternam; tamen sciebat pariter Deum non semper pœnitentibus remittere pœnam temporalem, qualis hic erat excidium Judææ per Chaldæos a se decreatum et comminatum. De illa ergo dubitans Propheta, ait: « Quis scit si convertatur, et ignoscat? » id est an forte ignoscat, quasi dicat: Spero eum ignosciturum, at asserere et promittere non audeo. Simili modo Deus Davidi pœnitenticuli homicidii et adulterii remisit, non pœnam; nam eum punivit morte filii, et privatione regni in persecutione Absalonis, *II Reg. XII, 10.* Ita S. Hieronymus, Theodoreus, Russicus, Rupertus et alii. Chaldæus ex Hebræo, omissis si, vertit assertive et paraphrastice hoc modo: « Qui scit apud se esse peccata, discedat ab eis, et misericordia applicabitur ei; et quicumque pœnitentiam egerit, remittentur ei peccata sua, et recipiet benedictiones, ac consolationes, et erit ejus oratio sicut viri qui offert oblationes et libamina in domo sanctuarii Domini. »

ET IGNOSCAT. — Hebr. **וְנִזְכַּרְתָּ** *venicham*, id est et pœniteat, hoc est, revocet sententiam, non wastando Judæam per Chaldæos, uti decreverat.

ET RELINQUAT POST SE BENEDICTIONEM. — Est propopœcia: loquitur enim de Deo, quasi de homine offenso, qui pœnitentia amici a quo offensus est placatus, iram et offensam ponens, ad amicum reddit blandus et serenus, imo cum musculis et donis, quæ deinde abieqt illi relinquunt, tanquam symbola amicitiae redintegratæ, q. d. Simili modo Deus vobis, o Judæi, relinquet benedictionem, id est frugum et honorum omnium copiam, ex qua illi in gratiarum actionem « sacrificium et libamen » crebro et large offerre possitis. Paulo aliter rō post se explicat Christophorus a Castro, q. d. Post suam vindictam, puta post 70 annos captivitatis Babylonice.

15. CANITE TUBA IN SION, — ut sono tubæ omnes convocetis ad publicam supplicationem et litaniæ ad tantam cladem avertendam. Judæi enim ad populum convocandum utebantur tubis, ex præscripto Dei, *Numer. x, 1*, non campanis: hæ enim propriæ sunt Christianorum, et initio qui-

Decim.
mum.Undeci-
mum.Duode-
cimum.Deci-
mum ter-
tium.Deci-
mum quar-
tum.

dem fuerunt minores, sed pace Ecclesiæ redditæ per Constantiū, paulatim grandiores factæ, nomen autem campanarum acceperunt a loco, ubi primo majores factæ sunt, nempe a civitate Nola in Campania; unde et minores campanulæ dicuntur Nolæ. Ita *Ration. divin. Offic.* lib. I, cap. iv, num. 4, Cardinalis Baronius, tom. I, anno Christi 58, Judocus Lorichius in *Thesaur. Theolog.*, verbo *Campana*.

Moraliter, de publicis litanis.
Ex hoc loco refellitur Lutherus, et eum securi Magdeburgenses, *Centuria III*, cap. x in *Tertull.*, qui processiones et litanias publicas referunt ad

Montani hæretici cæremonias, et Tertulliani errores. Nam illas hoc loco Deus indici jubet per Prophetam, uti et *Josue* cap. VI, 4, ubi per illas corruerunt muri Jericho. Easdem indixit David, I *Paral.* XIII, 2, et Josaphat, II *Paral.* XX, 21; imo eas sanxit Christus suo facto et exemplo, dum publica populi processione ingressus est Hierosolymam in die Palmarum, *Matth.* XXI, 8. Ita Gregorius Magnus in publica lue et peste publicas litanias indixit, quibus aversa est ira Dei et plaga, ut ipse testatur lib. XI, epist. 2. Et Carolus Magnus imperator, lib. VI *Legum*, cap. LXXIV: « Litanie, inquit, major more Romano septimo Calendas maii celebretur. » Eamdem sanxit Concilium Moguntinum habitum anno Christi 813, cap. XXXIII. Ita anno 36 imperii Theodosii Imperatoris, cum Constantinopolis terræ motu quateretur, totus populus supplicans inclamavit: « Kyrie, eleison, » ac puer raptus in cœlum jussus est Episcopo et populo nuntiare, ut litanias facerent, dicerentque: « Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. » Proclus ergo Episcopus, hac suscepta litania, præcepit populo sic facere, et statim terræ motus cessavit, inquit Paulus Diaconus, lib. XIV *Var. Hist.* Plura vide apud Judocum Coccium in *Thesauro Cathol.* part. II, lib. III, art. 7. Vere S. Leo, serm. 3 *De jejunio septimi mensis*, cap. III: « Plenissima, ait, peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est oratio, et una confessio; si enim duorum vel trium Sanctorum piò consensui, omnia quæ poposcerit, Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum milium plebi unam observantiam pariter exsequenti, et per unum spiritum concorditer supplicant? » Et Tertullianus in *Apologetico*: Puplica, ait, omnium oratione, « quasi manu facta expostulamus, et vim facimus Deo. Sed haec vis grata est Deo. »

SANCTIFICATE JEJUNIUM (indicite sanctum jejunium. Vide dicta cap. I, 14), **VOCATE CŒTUM.** — Mystice S. Bernardus, serm. 4 *De jejunio Quadrages.*: « Sint, ait, jejunio nostro, ut facile celos penetret, duas alæ, orationis scilicet et justitiae, ut reddas fratri unitatem et pacem quam debes. Unde ait: « Vocate cœtum. Quid est enim cœtum vocare? Unitatem servare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus jejunium habuit, jejunium sanctificavit, qui nimis

et jejunavit bis in sabbato; et gratias egit Deo, sed non vocavit cœtum, dicens: Non sum sicut cæteri hominum, ideoque ala una nitens jejunium ejus, non pervenit in cœlum. Vos ergo, charissimi, lavate manus vestras in sanguine peccatoris, et omnino solliciti estote ut alas duas habeat jejunium vestrum, sanctimoniam scilicet, et pacem, sine qua nemo videbit Deum; sanctificate jejunium ut pura intentio et devota oratio divinæ illud offerat Majestati. Vocate cœtum, ut congruat unitati; laudate Dominum in tympano et choro, ut concors sit mortificatio carnis. »

16. SANCTIFICATE ECCLESIAM, — q. d. Facite quæ monendo, qua exhortando, qua minando, qua sanctæ vitiæ exemplo præundo, ut totus Ecclesiæ populus se Deo suo sanctum præstet, itaque ejus offensam placet, eumque sibi reconciliet. Ita S. Hieronymus.

COADUNATE SENES, — q. d. Congregate omnis ætatis, ordinis et sexus homines, ut omnes clament in cœlum, flagitantque misericordiam, eamque communi omnium voce, quasi armata manu, a Deo extorqueant. Nominat præ cæteris « senes, » quia hi effecta ætate solent esse puriores a vitiis carnis, et ob affectam debilemque valetudinem proniores ad preces et vota. Item « parvulos et sugentes ubera, » ut hi innocentes suo miserabili vagitu aures Dei pulsant flectantque ad misericordiam. Sic de parvulis ab Herode occisis ait S. Augustinus, serm. 1 *De Innocentibus*: « Miserebatur lamentatio matrum, et ad cœlum transibat oblatio parvulorum, » Deum concilians matribus totique Judææ. Sic pullos corvorum lamentabili crocitatione, quasi naturali prece, poscere cibum a Deo docet Psaltes, *Psalm. CXLVI*, 9: « Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. » Et leunculos suo rugitu: « Catuli leonum, inquit, rugientes, ut rapiant, et querant a Deo escam sibi, » *Psalm. CIII*, 21. Et vers. 27 de omnibus animalibus ait: « Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore. » Hæ enim sunt quasi naturales animalium obsecrations, quibus tacite ab auctore naturæ postulant cibum et potum sibi congruum. Unde Deus illorum conditor eas audit et exaudit, dum cuique escam providet et largitur. Adde parvulos hos suo ploratu excitare parentes et vicinos, ut ferventius orent et plorent.

EGREDIATUR SPONSUS, — q. d. Sponsi et sponsæ complexibus et voluptate thalami abstineant, ac dent se penitentiae et lacrymis, adeantque ecclesiæ, ut una voce omnes vociferentur in cœlum, flagitantes veniam. Docet hic Propheta, tempore publicæ calamitatis, penitentiae et supplicationis, conjugibus abstinentiam conjugio, ut melius sedent orationi; quod et docet Apostolus I Cor. VII, 5. Et Rituale Romanum jubet ut pastores hac de re moneant conjuges, dum eos matrimonio conjungunt. Ita Nicolaus I, in *Respons. ad quæst. Bulgar.* cap. I, scribit ut toto tempore Quadragesimæ,

ut pote orationis et jejunii, usu conjugii abstinent. Ita Noe eo abstinuit toto tempore diluvii, degens in arca, idque volente Deo, uti ex S. Ambrosio dixi, Gen. viii, 16.

Symbolice Hugo Victorinus: Sponsus, inquit id est sapiens, « egrediatur de cubili suo, id est de studio sapientiae; et sponsa de thalamo suo, id est de privilegio descendat contemplativae gratiae, et squalorem subeant pœnitentiae, obtentu quærendæ veniæ. »

Vers. 17. 17. INTER VESTIBULUM ET ALTARE. — Nota ex lib. III Regum, vi, templum Judæorum proprie tantum duas continuisse partes, scilicet Sanctum, et Sanctum sanctorum, sed ante se habuisse vestibulum, sive porticum, quam Aquila vertit πρόσπερον, quasi præviam templo. Hebraice vocatur עַלְמָת ulam, id est colligatum et connexum templo; Symmachus vertit προπύλαιον, q. d. Antefores, proforium, idque dupli de causa: prior, ad dignitatem Basilicæ et ad majestatem incolarum. Hac enim de causa palatiis addi solent vestibula, ut docet Vitruvius lib. VI, cap. viii. Sic Romæ ante basilicam S. Petri, S. Laurentii, S. Clementis, S. Crucis, etc., videmus vestibula, sive porticus

Vestibulum quod ejus etymon? suis columnis subnixas. Posterior, ad adventantium stationem. Unde Macrobius, lib. VI, cap. viii, vestibulum dici putat quasi *ve stabulum*, vel *ve statio*; *ve* autem tum intensionem significat, tum munitionem. Nam *vetus* dicitur ab ætatis magnitudine, quasi *ve*, id est magna ætas; *vehemens* quasi vi mentis instructum. *Vecors* autem et *vesanus* privationem significant sanitatis et cordis. Ergo locum ante fores relictum dici putant vestibulum a stationis excessu, quia in eo diu stabant adventantes, domus dominum salutaturi, exspectantes audientiam. Et Gellius, lib. XVI, cap. i, vestibulum dici putat, quasi *venientium statio*: Servius vero, quod januam vestiat: vel quod Vestæ consecratum esset. Unde nubentes pueræ limen non tangunt. Hinc Lucanus, lib. II:

Translata vetuit contingere limina planta.

Porro vestibulum hoc templi ad magnificentiam habebat in altitudine 120 cubitos, ut docet Vilalpando lib. III De Templo, cap. xlvi. Erat ergo instar ingentis turris: unde in ejus pinnaculo, hoc est culmine, statuit diabolus Christum, eum tentans et dicens: « Mitte te deorsum, » q. d. Si tu es Filius Dei, ergo hoc tuum est templum: mitte ergo te deorsum, ut illæsum te sistas inter vestibulum et atrium sacerdotum; illique æque ac laici, hoc miraculum videntes, te ut templi dominum, Deique Filium agnoscent et colant. Ita Franciscus Lucas in Matth. iv. Nam ante hoc templi vestibulum, erat atrium sacerdotum sub dio, et in eo erat altare holocaustorum; post hoc atrium sacerdotum sequebatur atrium extimum laicorum, quod ab atrio sacerdotum dividebatur muro trium cubitorum altitudinis, teste Josepho lib. VIII Antiq. cap. ii; ita ut populus spectare posset

sacerdotes, holocausta cæteraque quæ fiebant in atrio sacerdotum, non autem illud ingredi.

Jubet ergo hic Propheta sacerdotibus, ut inter templi vestibulum et altare holocaustorum, id est in atrio suo, sed proxime ad vestibulum et templum, supplices orent et plorent; idque primo, quia decebat eos proxime ad templum, in tanta populi necessitate supplicare; secundo, ut populus eos spectare posset, et eorum exemplo accendi ad communes preces et complorations: ita S. Hieronymus, Lyranus, Ribera, a Castro, Vilalpando et alii; tertio, quia sacerdotes prius sacrificabant, et per victimas pro peccato et holocausta parabant sibi aditum ad Deum, ut deinde accedentes ad vestibulum templi, sua vota precesque Deo supplices offerrent. Quare tropologice significabatur accedenti ad orationem præmitendum esse mortificationem: altare enim holocaustorum symbolum erat mortificationis, templum orationis.

Denique in hoc loco a Joele hic designato occisus est et martyr occubuit Zacharias propheta, de quo Christus, Matth. cap. xxiii, 35, ait: « Usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachie, quem occidistis inter templum et altare, » quod hic dicitur: « Inter vestibulum et altare. » Vestibulum enim templo erat connexum, et quasi pars extima templi; quare nomine templi comprehendit illud Christus. « Plorabunt, » id est prostrati, cinerisque et sacco operi plorent et dicant: « Parce, Domine. » Hebrei enim sæpe futurum capiunt pro imperativo vel subjunctivo. Ita S. Hieronymus.

Nota hic sacerdotum esse flere et plorare peccata populi. Ita olim pii sacerdotes fluebant lacrymis in sacrificio. Hac de causa sudario utebantur, ut etiamnum utuntur. Audi Amalarium lib. III De Eccl. Offic. cap. xxiv: « Propter effusionem lacrymarum tergendam fertur sudarium, ut in Martyrologio Bedæ legitur 19 julii, quod Pater noster Arsenius propter redundationem lacrymarum tergendam, semper sudarium in sinu vel in manu habuerit. In manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tedium nos pati superflui humoris, hoc est carnalis delectationis. » Porro Beda, in Collectan., agens de vestibus sacerdotum, tom. III, hoc sudarium vocat mappulam, sive amapham, ita dictam a mundando sudore et humore; eamque ait sacerdotem gestare in sinistra. Unde videtur quod mappula hæc fuerit manipulus: nam et manipulus videtur dici quasi manus mappula; quodque in locum mappulæ, deficiente devotione et lacrymis sacerdotum, successerit noster manipulus. Quocirca Amalarius inter vestes sacerdotis non nominat manipulum, sed ejus loco ponit sudarium. Hinc et sacerdos induens manipulum ait: « Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris. » Manipulus ergo eum moneat compunc-

tionis, devotionis et lacrymarum prisorum sa-
cerdotum.

NE DES HÆREDITATEM TUAM (populum tuum, de
quo dixisti : « Pars autem Domini populus ejus,
Jacob funiculus hæreditatis ejus, » *Deut. xxxii, 9*;
et : « Eritis mihi in peculium de cunctis populis, »
Exodi xix, 5) **IN OPPROBRIUM, UT DOMINENTUR EIS NATIONES**, — Chaldæi.

QUARE DICUNT (id est dicent; Septuaginta, *ne
dicant*) : **UBI EST DEUS EORUM?** — q. d. Si nos tradis
Chaldæis, gentes et nos, et te, o Domine, subsan-
nabunt et blasphemabunt dicentes : Deus Hebreorum
suos Judæos deseruit, quia infirmus eos con-
tra Chaldæos tutari non valuit; aut, si valuit,
immisericors et crudelis noluit. Averte hæc pro-
bra a te, a nomine tuo glorioso.

Vers. 18. 18. **ZELATUS EST** (zelabitur, id est amore et zelo
prosequetur) **DOMINUS TERRAM SUAM** (Judæam), **ET
PEPERCIT** (id est parcat) **POPULO SUO**, — cum Cy-
rum flectet, ut eos e Babylone in Judæam liberos
dimittat, scilicet postquam eos captivitate septua-
ginta annorum punierit, in eaque contritos, pœ-
nitentes sibique supplicantes, uti præcessit, au-
dierit. Consolatur de more Prophetæ suos post
minas et supplicia. Vide *Canon. XII*. Ita S. Hiero-
nymus et alii passim. Unde Arabicus vertit : *Zela-
tus est Dominus terræ, et pepercit populo suo.*

**Elogia
pœnitentiæ.** Tropologice, vide hic fructum contritionis et
pœnitentiæ, quæ Deum non tantum ad miseri-
cordiam et amorem, sed et ad zelum parcendi,
et tuendi pœnitentes excitat et accedit. Quare
merito exclamat hic Hugo Victorinus : « O fructuosa et virilis pœnitentia! O virago amplectenda,
mediatrix peccatorum fidelissima! O secunda
naufragii tabula! O refugium pauperum, miserorū
auxilium! exsulum spes, debilium fomes,
lumen cæcorum, petulantum virga, vitiorum se-
ra, virtutum apotheca : quæ sola judicem flectis,
conditorem arguis. Omnipotentem sternis, dum
vinceris vincis, dum cruciaris crucias, dum vul-
neras sanas, dum salubriter succumbis gloriose
triumphas. Tu sola, cæteris silentibus, thronum
gratiæ audacter conscendis. » Probat id et illus-
trat exemplis : « David, inquit, manu dicens re-
concilias, Petrum restitus, Paulum illuminas,
Publicanum sumptum de telonio Apostolorum
fiderent inseris choro, Mariam de prostibulo le-
vas in æthera, et jungis Christo : latronem affi-
xum patibulo adhuc vernantem sanguine inseris
paradiso. Quid plura? Tui juris est cœlestis curia. »
Et mox per antitheta, mala culpæ inflictæ, cap. I,
10, bonis (quæ sequuntur vers. 22) pœnitentiæ
opponens, et emendans : « Contra terræ vastita-
tem, inquit, ipsius opponit ubertatem; contra fa-
mem, saturitatem; contra opprobrium, gloriæ
securitatem; contra crudelitatem et incursionem
hostium, ipsorum fœtorem et interitum; contra
sterilitatem fructuum, et arborum ariditatem, ip-
sorum germina et ubertatem; contra famem verbi
et sitim doctrinæ, fontem vitæ inducit, et docto-

rem justitiæ; contra tristia gaudium, contra con-
fusionem solatium, contra convicium gloriam,
contra mortem vitam, contra cinerem coronam. »

19. RESPONDIT DOMINUS (per me Joelem hoc loco): **Vers. 19.**
ECCE EGO MITTAM VOBIS FRUMENTUM, — quod abstuli
per erucam, locustam, bruchum et rubiginem,
cap. I, 4.

ET NON DABO VOS ULTRA OPPROBRIUM. — « Ultra, » id
est in longum tempus, puta hoc sæculo, vel quam-
diu durabit vestri memoria. Sic rō *non ultra*, non
perpetuum, sed longum, et immemoriale tempus
significat, *III Reg. x, 10*; *IV Reg. vi, 23*, et alibi.

20. ET EUM QUI AB AQUILONE EST (Aquilonarem **Vers. 20.**
tyrannum), **PROCUL FACIAM A VOBIS** (1).

Quæres, quisnam hic Aquilonaris? S. Hierony-
mus, Theodoretus, Remigius, Albertus et Hugo ac-
cipiunt Sennacherib, quem Dominus longe fecit
a Jerusalem; quia dum eam obsideret, angelus
Domini una nocte percussit centum octoginta
quinque millia militum, itaque eum fugere com-
pulit, *IV Regum, xix, 35*.

Verum Joel tota prophetia agit de vastitate Ju-
dæis imminente, non a Sennacherib, sed a Nabu-
chodonosore et Chaldæis, uti jam sæpius dixi.
Hic enim veniens ab Aquilone, id est e Chaldæa,
cepit et vastavit Jerusalem, ac Judæos in captivi-
tatem Babylonem abduxit. Unde Jeremias, cap. I,
14, comminans ejus cladem, eumdem vocat aqui-
lonem : « Ab Aquilone, inquit, pandetur malum
super omnes habitatores terræ. » Hunc Deus pro-
cul fecit et abegit a Judæis, dum ejus filium, vel
nepotem Balsasarem cum urbe Babylone, totoque
regno per Cyrum evertit. Quocirca Chaldæi, qui
tum in Judæa degebant, illique præsidebant, ut
patet *Jerem. xl, 10*, audita hac Balsasaris domini
sui clade, perterriti fugerunt in invias solitudines,
partim versus mare Mortuum situm ad orientem
Judææ, partim versus mare Mediterraneum situm
ad occidentem ejusdem, multique ex illis a Ju-
dæis et Persis cæsi sunt, ita ut occisorum fœtor

(1) Intelligendum esse (saltem in primo sensu litterali)
agmen locistarum a septentrionali cœli plaga in Judæam
illatum docet nexus. Hac potissimum voce nituntur, in-
quit Maurer, qui quæ duobus hosce capitibus continen-
tur, ad populos hostiles, Assyrios maxime et Chaldæos,
referenda putant. Negant enim a plaga septentrionali
venire locustas. Sed frustra. Res nota quidem est, plera-
que locistarum agmina in Palæstinam venire a plaga
cœli meridiana. Ratio est, quod vera ac propria locusta-
rum patria sunt deserta calida et arenosa : cf. Hierony-
mum *advers. Jovin.* lib. II, cap. vii : « Orientales et Li-
byæ populos, quia per desertum et calidam eremi vasti-
tatem locistarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est. » Aliquando tamen etiam ex septentrionali plaga
in Palæstinam locustas inferri, testis est, qui locistarum
agmina suis ipse oculis vidit Hieronymus, qui ad hunc
locum : « Greges locistarum, inquit, magis austera quam
aquilo consuevit adducere; » testes sunt itinerum a re-
centioribus susceptorum commentarii, ut qui doceant,
diversissimis itineribus ferri locustas. Cogitandum haud
dubie de locustis ex deserto Palæstinæ ad Orientem sito
illatis in Syriam, ex Syria in Palæstinam.

et putredō aerei completeret, sicque punita est eorum superbia et tyrannis, qua populum Dei superbe opprimebant. Ita Theodorus et a Castro.

Secundo, S. Hieronymus et alii multi mox citandi per hunc venientem ab Aquilone, melius et plenius intelligunt Holofernem, qui missu alterius Nabuchodonosoris regnantis in Nинive Judaeos Babylonie reversos invasit, sed eversus et cæsus est a Judith. De eo enim dicitur: « Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ, » *Judith* xvi, 5. Cæso enim Holoferne, milites Assyrii fugerunt in via, dispersique sunt versus mare Occidentale et Orientale. Judæa enim ab occasu habet mare Mediterraneum, quod hic novissimum dicitur; ab oriente vero habet mare Galilææ, quod et Genezareth et Tiberiadis dicitur; e regione cuius erat Bethulia, ubi fugati sunt Assyrii, q. d. Exercitum immensum Holofernus, qui videbatur pertingere a mari Galilææ usque ad mare Mediterraneum, quaquaversum in omnem mundi plagam dispergam. Probatur hæc explicatio ex eo quod post redditum populi e Babylone in Judæam, in eaque pacem et copiam frugum, Deus promittit hanc de tyranno ab Aquilone venturo victoriam: at nec in Scriptura, nec apud Josephum, aliud tunc ex Aquilone venisse legimus, nisi Holofernem. Adde, huic magis congruit, quod hic dicitur de fuga militum ad mare Galilææ et Mediterraneum, quam Nabuchodonosori et Chaldaeorum. Ita Ribera. Licet enim Pererius in cap. i *Danielis*, Genebrardus lib. II *Chronol.*, Canus lib. XI *De Locis*, cap. vi, a Castro hic, Serarius in cap. i *Judith*, et nonnulli alii putent historiam Judith contigisse ante captivitatem Babyloniam sub Manasse rege Juda; tamen Suidas, verbo *Judith*, et Julius Africanus apud eundem, S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. xxvi*, Eusebius in *Chron.*, Beda, *De Tempor.*, Habanus, Hugo Cardinalis, Dionysius in *Judith* cap. i, Gerardus Mercator in *Chronol.*, Ribera et alii multi putant post eam contigisse, regnante vel Cambyses, vel Dario Hystaspis, vel ejus filio Xerxe, de quo jam plura dixi in libro *Judith*.

Allegorice, Aquilonaris hic tyrannus est diabolus, qui quasi Boreas frigus, id est acediam et torporem, mentibus hominum immissit, hic memque virtutum et bonorum operum inducit: sed hunc fugavit Christus, qui quasi Auster, calorem et fervorem mentibus Apostolorum et fidei aspiravit. Unde de eo dicitur, *Cant. cap. iv*, 16: « Surge (transi, abi), Aquilo, et veni, Auster: perfla hortum meum, et fluant aromata illius,» puta aromata virtutum, ait ibidem Theodorus et Nyssensis. Unde Richardus de S. Victore ibidem addit: « Per Aquilonem enim colliguntur aquæ ne fluant; inde dictus est Aquilo quasi aquas ligans. » Hinc et « Deus ab Austro veniet, » ait Habacuc cap. iii, 3. Porro Hugo Victorinus singula ita adaptat: Is qui ab Aquilone est « apostata angelus, qui per incarnationem Christi, per

verbum fidei, per gratiam baptismi expulsus est in terram inviam, id est in ariditatem gentilis et judaici populi. » Unde Christus: « Cum, ait, immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, querens requiem, » *Matth. cap. xii*, 43. Pergit Hugo: « Mare Orientale sunt electi, novissimum reprobi, facies intentio, extremum inclusio, vel mare Orientale sunt primitæ electionis gentium, novissimum crudelitas Judæorum: fœtor ejus est mors Antichristi: putredo super eum, sententia judicii. » Unde de his ait Isaías, cap. ult. vers. ult.: « Egreditur (beati), et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur: et erunt usque ad satietatem visionis omni carni. » Vide ibi dicta. Arabicus uterque vertit: *Occidentalem* (vel *Occidentem*) *expellam a vobis*. Sub Aquilone enim intelligitur ei vicinus Occidens, in quem tendunt reprobi: diabolus enim eos trahit in occasum; sicut sub Austro intelligitur ei vicinus Oriens, in quem tendunt Sancti et Beati.

Moraliter: « Terra est reproba anima; via est, quia sine visitatione angelorum: deserta, quia sine fructu virtutum, et semine morum: demonis expulsio est peccati confessio: mare Occidentale est mens per compunctionem amara, per devotionem contemplationis Oriens facta: mare novissimum est mens fœtore conscientiæ amara, desperatione venie absorpta: facies ejus, astuta intentio nocendi: extremum ejus, furor et insania triumphandi: fœtor est odium peccati, putredo contemptus mundi. » Hucusque Hugo.

MARE ORIENTALE. — « Mare Orientale » est mare Galilææ, vel potius mare Mortuum, sive lacus Asphaltites, in quem versa est Sodoma et Pentapolis, dum cœlesti igne conflagravit, quod proinde vocatur mare salsissimum, et ponitur limes Judææ, sive terræ Judæis promissæ ab Oriente, *Numer. cap. xxxiv*, 3. Sicut *ibid. vers. 9*, limes ejusdem ab Occidente ponitur mare magnum, sive Mediterraneum. Ita S. Hieronymus, Albertus, Lyranus. Minus recte ergo aliqui, per *mare Orientale*, accipiunt Oceanum. Hic enim non tangit Judæam, atque tam versus meridiem aliasque mundi plagas, quam versus orientem porrigitur.

Loquitur hic jugiter Propheta de exercitu Assyriorum, vel Chaldaeorum sub allegoria locustarum, atque alludit ad plagam locustarum, Egypto a Mose inflictam. Has enim, orante Pharaone, tollens Moses, induxit ventum occidentalem, puta Zephyrum, qui « arreptam locustam projecit in mare Rubrum, » *Exod. cap. x*, 19. Simili enim modo Deus Assyrios dispersit ex Judæa, ut fugerent versus ejus limites, puta versus mare Mortuum, et ad mare Mediterraneum in exteriores regiones.

ASCENDET PUTREDO EJUS. — Hebraice *תְּהַנֵּן צָהָנָאֹת*, quod S. Hieronymus, Tigurina et ali

vertunt, *putredo ejus*; Septuaginta vertunt, βρόμος αὐτοῦ, quod Romani vertunt pariter, *putredo ejus*. Sed Complutensia vertunt, *sonitus ejus*: quia βρόμος et putredinem sive fœtorem putidum, et sonitum sive crepitum, fremitum et mugitum significat. Hic tamen potius *putredinem* et *fœtorem* vertas: hunc enim significat hebreum *tsachanato*, ut verlunt S. Hieronymus, Tigurina et alii (1).

Vers. 21. 21. **NOLI TIMERE, TERRA** — Judææ scilicet; Judææ enim, id est ejus incolis, puta Judæis post redditum e Babylotie, promittit bona quælibet temporalia, eaque per antithesen malis singulis quæ iisdem cōminatus est cap. 4, vers. 4 et seqq. opponit. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Hugo et alii. Mystice, sub hisce temporalibus intelligit bona spiritualia per Christum danda, ad quæ sensiti assurgit: «Omnibus, ait S. Hieronymus, quibus supra cōminatus fuerat, nunc contraria pollicetur, et lœtis tristia mitigat, et lacrymas vertit in risum.»

QUONIAM MAGNIFICAVIT DOMINUS UT FACERET. — Hoc est, magnifice Deus tecum fecit, id est faciet: magnifica tecum facturus est, magna tua rerum damna majore copia et magnificentia sarciet, imo obruet. Est hebraismus: repetitur enim *tu ut faceret*, quod continentur in voce *magnificavit*.

Vers. 22. 22. **NOLITE TIMERE, ANIMALIA REGIONIS** (præ fame et defectu pascuorum squalentia et tabescientia, ut dixit cap. I, vers. ult.): **QUIA GERMINAVERUNT SPECIOSA DESERTI**, — q. d. Post redditum e Babylone faciam ut germinebit loca atricena, antea desolata et deserta, faciam ut prata, imo et steriles ericas proferant pituita pascua, et agri lœtas segetes, quibus vos, o animalia, pascamini et impinguemini.

FICUS ET VINEA DEDERUNT VIRTUTEM SUAM, — id est fructum vigoris sui, ait Chaldaeus, puta vigorosas, sapidas et succulentas tuvas et ficus. Est metonymia: ponitur enim causa pro effectu, *virtus*, sive vigor pro fructu vegeto et vigoroso (2).

Vers. 23. 23. **ET FILII SION, EXSULTATE ET LÆTAMINI IN DOMINO DEO VESTRO.** — Qui licet omnium sit communis Dominus, tamen proprie se vestrum duntaxat Deum ostendit, dando vobis tanta et tam magnifica dona, ac si vester tantum esset pater, provisor et procurator; ceteras vero gentes præ vobis negligeret. Porro «Sion», non carnalem, sed spiritualem hic accipit. «Filii» ergo «Sion»

(1) «Quia superbe egit,» hebraice, *quia nimium fecit*, ad locustas refertur a pluribus, scilicet magnam edidit stragem frugum. Alii exponunt de Deo: *Nam magna Deus facit*; addita autem haec esse putant ad fidem faciendam liberationi inexpectatæ, quemadmodum sub finem seq. vers. euodem in finem repetuntur, *nam magnificavit*, etc. (Ackermann.)

(2) «Haec autem, inquit S. Hieronymus, quia a Dominis rēpromissa sunt, credimus juxta litteram accidisse, et sterilitatem præteritam novis frugibus compensatam, ut quidquid locusta, bruchus, et rubigo, et eruca consumperat, annis sequentibus impleretur.»

sunt omnes filii Ecclesiae Christi, omnes fideles et christiani. Ad Christum enim salit et avolat Prophetæ: hic enim est Doctor justitiae, ut jam dicam. Solent enim Prophetæ a solutione captivitatis Babylonicae, et libertate data per Cyrus quasi a typo salire ad antitypum, puta ad solutionem captivitatis humanæ e potestate diaboli; et libertatem filiorum Dei datam per Christum.

QUIA DEDIT VOBIS DOCTOREM JUSTITIAE. — Pro doc-torem hebraice est כורע more, quod aliqui vertunt *pluviam*, siveque hunc locum transferunt: *Quia dedit vobis pluviam propter justitiam*. Unde apposite sequitur: «Et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum.» Favet versio Septuaginta: *Quoniam dedit vobis escas (triticum ex pluvia fecundante agros) in justitiam*, q. d. Post redditum e Babylone dabit vobis Deus pluviam, indeque messem et annonam copiosam, in præmium vestrae pietatis et justitiae, utque studiosius ei servias in justitia. Ita S. Hieronymus et Theodoreetus. Hinc et Syrus, et Arabicus uterque vertit: *Dedit vobis cibum justitiae*.

Verum melius *more* vertas *doctorem*. Primo, quia ita vertunt S. Hieronymus, Chaldaeus, Vatablus, Clarius, Arias et passim alii. Secundo, quia de pluvia mox subdit: «Et descendere faciet ad vos imbrem;» ergo hic *more* non imbrem, sed doctorem significat: alioqui esset tautologia, et idem bis diceretur. Tertio, quia hebraice est: *Dedit vobis more ad justitiam*, quod proprio de doctore accipi debet, non de pluvia: nec enim pluvia, sed doctor datur ad docendam justitiam. Quarto, quia *more* semper alibi a Nostro, Septuaginta et aliis vertitur *doctor*, aut *legislator*: pluvia enim hebraice non *more*, sed כורע iore, vocatur. Ita Psalm. LXXXIII, 8: «Etenim benedictionem dabit legislator;» Hebr. *more*: licet R. David ibi vertat: *Piscinas operiet pluvia*. Isai. xxx, 20: «Et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum,» hebraice כורע morecha. Et alibi passim. Unde a *more* dicitur Syrum mara (unde maranata, id est dominus noster venit), Arabicum mir, id est magister, dominus: unde maria idem est quod magistra, domina. Alludit tamen *more* ad הורן thorax, id est lex, et ad כורע iore, id est pluvia: quia Hebrei doctrinam vocant *rorem* vel *pluviam*, eo quod illam doctor instar pluviae suaviter, sensim et guttatum instillet auribus et mentibus discipulorum, easque sapientia irriget, lœtificet et fecundet. Unde Moses, Deuter. cap. XXXII, 2: «Concrescat, ait, ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.» Quocirca in Hebreo hic est pulchra paronomasia inter *more*, id est doctorem, iore, id est pluviam, et כורע iored, id est descendere faciet, q. d. Deus dabit vobis *more*, id est doctorem, qui iored, id est descendere faciet, et quasi e cœlo stillabit in vos iore, id est pluviam cœlestis doctrine. Sic Isaias Christum comparat rori e cœlis descendedenti

et terram irroranti , cap. XLV , 8 : « Rorate , ait , cœli desuper , et nubes pluant justum . » Vide ibi dicta .

Doctor justitiae quis? Quæres , quisnam hic « doctor justitiae ? » Rabbinis , quos sequitur Ruffinus , asserunt esse Ezechiam regem , qui populum excitavit ad pietatem Deique cultum , II Paral. cap. xxx , ideoque Jerusalem ab obsidione Sennacherib liberavit . Alii volunt esse Josiam , pium pariter regem , qui aras idolorum evertit . Verum hic non agitur de Sennacherib , sed de Nabuchodonosore , vel Holoferne : hunc enim doctorem promittit post captivitatem Babyloniam , ut dixi versu 20 . Adde , hic augustus titulus « doctor justitiae , » in Scripturis non datur Ezechiae , Josiae aut Prophetis , sed soli Messiae , ut patet Isaiae cap. xxx , 20 , et cap. LV , 4 : « Ecce testem populis dedi eum , ducem ac præceptorem gentibus ; » quo hic alludit Joel , præsertim quia hic doctor in Hebræo habet articulum , et vocatur חַמּוֹר hammore , id est ille eximius et singularis orbis doctor , puta Doctor doctorum et Prophetarum omnium , quem singuli avide exspectamus , utpote a Prophetis omnibus promissum . Unde Jeremias , cap. xxiii , 6 , loquens de Messia : « Hoc , ait , est nomen , quod vocabunt eum , Dominus justus noster . » Et Daniel cap. ix , 24 : « Et adducatur justitia sempiterna , et ungatur Sanctus sanctorum , » puta Christus . Tertio , quia sequentia vers . 28 : « Effundam spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri . Et dabo prodigia in cœlo , etc . Sol convertetur in tenebras , et luna in sanguinem : antequam veniat dies Domini magnus et horribilis , » ad nullum nisi ad Christum pertinent .

Iisdem rationibus confutatur sententia recentiorum Rabbinorum , quos sequuntur Lyranus , Hugo et Dionysius , qui per doctorem accipiunt doctores , id est prophetas Judæorum post captivitatem Babyloniam , quales fuerunt Zacharias , Aggæus et Malachias : fateor tamen ad eos alludi , eosque quasi obiter perstringi (alludit enim Joel ad felicitatem populi Babylone redeuntis , cui dedit Deus frugum copiam . Unde subdit : « Et implebuntur areæ frumento . Et reddam vobis annos quos comedit locusta ») ; sed ita ut acies Prophetæ primario et directe figatur , finiatur et expleatur in Christo : sicut Moses , Deuter . XVIII , 18 , promisit post se Prophetam , id est Prophetas , et inter eos unum eximium et singularem , puta Christum ; Christus enim est unus noster magister et rabbi per excellentiam , ut ipse ait Matth . cap . XXIII , 8 . Ita Remigius , Rupertus , Haymo , Albertus , Arias , Vatablus , Ribera , a Castro et alii .

Imber matutinus et serotinus vocatur , qui in autumno depluit , quis? cum sementis fit in Judæa , ut illius grana solvantur , et radices figant in terra . Serotinus , qui maturescente segete , descendit in aprili aut mar-

tio . Ita Chaldæus , Rabbini et passim Interpretes . In Judæa enim calida et sicca regione , tota æstate , id est a maio usque ad octobrem , per quinque menses non pluit , sed sudum jugiter et serenum est cœlum , tam nocte quam die : unde noctu in tectis sub dio dormiunt , uti a viris gravibus qui ibi habitarunt accepi . Quocirca duplex ibidem est tempus pluviae , prius post æstatem cum jacintur semina , illudque dicitur mane , sive matutinum respectu segetis , quæ tunc e terra erumpit , uti mane in aurora exurgit sol : posterius , ante æstatem , quod segetes incrassat et maturat , illudque dicitur serotinum respectu matutini jam dicti . Segetes enim suum quasi habent diem , cuius aurora est germen et germinatio : vespera , seges et messis , cum scilicet in horrea conduntur .

Nota : Per hunc imbre significat messem , et fruges temporales copiose dandas Judæis post redditum e Babylone . Ita S. Hieronymus , Theodoretus , Remigius , Albertus , Hugo et Lyranus . Verum sub his tropice et metaphorice , longe magis intendit significare fruges et bona spiritualia danda per Christum , q. d. Christus doctor justitiae talem vobis doctrinam et tantam ubertatem honorum spiritualium dabit , qualis et quanta olim in veteri Testamento , imbre illo matutino et serotino adumbrabatur . Ita Rupertus , Haymo , Arias , Ribera , a Castro et alii . Id ita esse patet ex rationibus paulo ante allatis , et ex eo quod hæc bona promittat in aeternum ; aeterna autem sunt bona spiritualia Christi , non temporalia Judæorum . Quocirca imber matutinus est prædicatio prima , sive doctrina , illustratio et gratia præveniens , quæ primo peccatorem convertit , facitque justum : serotinus , est illustratio , et gratia consequens , quæ justum in justitia promovet , et ad perfectionem dederit , ac præsertim est donum perseverantiae ; hoc enim justum ad gratiam consummatam , id est , ad gloriam et beatitudinem coelestem perducit . Ita S. Hieronymus , Arias , a Castro et alii .

Symbolice , imber matutinus fuit vetus Testamentum , quod prima pietatis semina pullulare fecit : serotinus est novum , quod veteris semina maturavit , et ad messem virtutum perduxit . Ita S. Hieronymus et Haymo .

Rursum Rupertus : Matutinus , ait , imber fuit prædicatio Evangelii facta Judæis a Christo et Apostolis : serotinus erit , quæ fiet ab Elia et Henoch in fine mundi , cum omnis Israel salvus fiet . Vers . 24.

24 . ET IMPLEBUNTUR AREÆ FRUMENTO . — Perstringit obiter fertilitatem Judææ post redditum e Babylone , sed per hanc intelligit præcipue copiam charismatum et virtutum datam agris , et areis , ac olivetis et vinetis , id est Ecclesiis particularibus per Christum . Porro « torcularia , » in quibus exprimitur vinum et oleum , sunt tum gymnasia , monasteria , collegia aliaque asceteria ; tum persecutiones et tribulationes , quibus vinum sapientiae et fortitudinis , ac oleum consolationis divinæ exprimitur et hauritur .

Toreular Tropologice : « Toreularia, ait Hugo Victorinus, est cor sunt ipsa corda inter spem et timorem posita, pressum. constantiam superius, patientiam inferius habentia : constantiam in tentatione, patientiam in tribulatione. Constantia siquidem premit, et desuper arcet; patientia inferius jacet et pondus sustinet. Inter hæc duo mens sancta quasi in torculari posita premitur, defæcatur, eliquatur. Premitur flagellis, defæcatur vitiis, eliquatur ab otiis. Premitur a calamitate, defæcatur ab iniquitate, eliquatur a vanitate. Hinc nāmque elicitor gemitus puræ confessionis : hinc fluunt lacrymae anxiæ compunctionis : hinc manant suspiria jucundæ devotionis : hinc liquefiunt desideria suavissimæ dilectionis : hinc eliciuntur stillicidia limpidisimæ contemplationis. Frumentum est perfectio justitiae; vinum claritas spiritualis intelligentiæ, oleum suavitas purissimæ conscientiæ. »

Vers. 25. 25. ET REDDAM VOBIS ANNOS, QUOS COMEDIT LOCUSTA, BRUCHUS, etc. — q. d. Præteritam inopiam, quam vobis intulerunt Chaldaei, tum litterales, tum pōtius mystici, id est dæmones et vitia, compensabo gratiarum et opum cœlestium ubertate. Unde Chaldaeus vertit : *Reddam vobis annos bonos pro annis quibus vexarunt vos populi, gentes et reges; Chaldaei enim fuerunt fortitudo mea magna; hebraice et chaldaice, exercitus meus robustus.* Al ludit ad id quod de locustis significantibus castra Chaldaeorum dixit versu 11 : « Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui; quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia, et facientia verbum ejus. »

Porro, per locustas et Chaldaeos intelligit exercitum spiritualium hostium, q. d. Ego Deus tentationes, peccata, dæmones, carnem et mundum, quasi hostes et prædones vestros immisi in vos (eo sensu et modo quo dixi Can. XXVII in Propteras Majores) ad puniendam vestram superbiam, aliaque peccata priora. Hi vastarunt agros Ecclesiarum et animarum vestrarum, ac depasti sunt omne germen virtutum et bonorum operum. At jam idem ego placatus et reconciliatus vobis, omnia hæc damna sarciam, vobisque pristinam bonorum cœlestium copiam restituam, imo majori fœnore cumulabo, ut dicatis cum Psalte, Psalm. LXXXIX, 15 : « Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti : annis, quibus vidimus mala. »

Tropologice significatur hic vis pœnitentiæ, quæ lapsi, sed pœnitenti, omnes priores virtutes, omnia priora merita restituit, ut docet S. Hieronymus hic, ac S. Thomas et theologi, tract. De Pœnitentia, ideoque facit ut homo lapsus semper ad majorem gratiam resurgat : præter enim gratiam præteritam, quam omnem reducit, addit insuper propriam, tum virtuti, tum sacramento pœnitentiæ commensam. Vide Franciscum Suarez Opusc. V De Reditu bonorum operum, ubi, disp. 2, sect. III, cum Joanne Majore, Gabriele, Ockam, Medina et Henrico a Gandavo docet hunc reditum fieri vi pœnitentiæ non in altera vita, uti censuit

Scotus et Durandus; sed in præsenti, adeoque in eodem pœnitentiæ instanti; nec tantum per actus pœnitentiæ prioribus virtutum actibus intensiores, uti censuit D. Thomas et Paludanus, sed etiam per actus ejusdem remissiores.

Symbolice Hugo Victorinus : « In adventu, ait, Christi redduntur nobis anni quos præfata pestis devoraverat; quia in eo nobis contra locustam veram, id est contra fastum, dedit humilitatem, dicens : Discite a me quia mitis sum et humilis corde : contra bruchum, id est gulam, perfectam sobrietatem, dicens : Videte ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ : contra rubiginem, id est iram, perfectam patientiam, dicens : Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram : contra erucam, id est luxuriam, perfectam castitatem, dicens : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. Locustam igitur exterminavit, dicens : Beati pauperes spiritu : beati qui lugent. Bruchum, dicens : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : beati misericordes. Rubiginem, dicens : Beati pacifici : beati mites. Erucam, dicens : Beati mundo corde. » Vides hic quatuor hæc animalia et pestes octo beatitudines depasci, easque reduci per Christum et per pœnitentiam.

26. ET COMEDETIS VESCENTES, ET SATURABIMINI : ET LAUDABITIS NOMEN DOMINI. — Ille enim dedit vobis escam, eamque talem tamque succulentam et copiosam, ut vos abunde saturaret, fortesque vegetos et alacres efficeret.

Moraliter, disce hic fruges, escas, omniaque bona naturalia, et multo magis supernaturalia, esse dona Dei, eorumque laudem et gloriam non nostro labore, sed Deo, ejusque beneficentiæ adscribendam. Qui secus facit, Deo quod suum est suffuratur, et se Dei donis indignum facit, iisque spoliari meretur. Deus enim est zelotes suæ gloriæ, utpote quæ ei omni jure debetur; unde ait ipse : « Gloriam meam alteri non dabo, » Isaïæ cap. XLVIII, 11. Quocirca S. Franciscus hoc mire suis inculcabat, ac inter alia illud documentum dabat : « Quando, inquit, servus Dei orans visitatur, divinitus dicere debet : Istam consolationem mihi peccatori et indigno de cœlo misisti, Domine, et ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem, » dum ejus laudem et gloriam tibi suffuror, et mihi adscribo. Ita S. Bonaventura in ejus Vita, cap. XVIII.

28. ET ERIT POST HÆC : EFFUNDAM SPIRITUM.— He bræi hinc inchoant novum caput. Jam iidem, et ex iis Ruffinus, sicut per doctorem justitiae versu 23 acceperunt Ezechiam; ita spiritum a Deo effusum censem in ejus nuntios, quos ipse misit per totam Judæam, ut omnes ad avitam fidem Deique cultum revocaret : S. Petrum vero in concione sua, Actor. II, tantum hæc accommodasse suo tempori, eo quod illi quoque congruerent; ac Ruffinus audaces vocat eos qui contrarium censem.

Sed audacior est hæc ejus censura, utpote repugnans SS. Patribus et interpretibus pene omnibus, ipsique S. Petro, *Actor. cap. I, 17.*

Alii sicut per doctorem accipiunt doctores, puta prophetas qui fuerunt post redditum e Babylone, v. g. Aggœum, Zachariam, Malachiam; ita per eosdem ardenter concionantes, putant effusum spiritum pietatis in populum. Verum cum superiorius probatum sit doctorem justitiae intelligi Christum, sequitur ad illius tempora hæc pertinere, præsertim quia nunquam alias effusum Spiritum Sanctum legimus. Adde, pro *et erit post hæc*, S. Petrus, *Act. II*, vertit: «Et erit in diebus novissimis, puta in diebus Messiae. Illius enim ætas lex et tempus in Scriptura vocatur «novissimum»: quia illi nulla alia lex, religio vel Ecclesia succedit. De fide ergo est hæc ad litteram non de Ezechia, Aggœo, aut quovis alio, sed de Christo esse intelligenda. Ita enim definit Vigilius Papa in Concilio Romano contra Theodoretum Mopsuestenum, uti dixi in Proœmio.

Ait ergo et promittit dicens: «Post hæc,» id est post Christum doctorem, ejusque mortem et ascensum in cœlum, ego Deus effundam Spiritum Sanctum in Pentecoste, ac deinceps: primo Ecclesiæ sæculo visibiliter in Apostolos, et Christi discipulos; sequentibus vero sæculis, invisibiliter eumdem effundam in omnes, quotquot per baptismum in Christo renascentur, ejusque Ecclesiæ incorporabuntur. De Pentecoste enim hunc locum explicat S. Petrus, *Actor. cap. II, 17*, quem sequuntur omnes Patres et interpretes orthodoxi, ut S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoreetus, Remigius, Rupertus, Albertus, Haymo, Lyranus, Hugo uterque, scilicet Cardinalis, et Victorinus, Dionysius, Vatablus, Arias, Clarius, Ribera, a Castro hic, Chrysostomus, OEcumenius et alii in *Act. II*, Didymus et Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. VII, Justinus *Contra Tryph.*, Hilarius lib. VIII, *De Trinit.*, et alii. Quin et Rabbini, ut Chaldæus, R. Salomon, R. David, R. Jesua apud Lyraum et Galatinum, lib. VIII, cap. ult., et alii, hanc missionem Spiritus Sancti ad tempus Messiae referunt. Porro cum ait: «Effundam,» loquitur idem qui dixit: «M. ttam doctorem justitiae,» scilicet Deus Pater; esto ipse simul cum Filio uti spirat, ita et mittat Spiritum Sanctum. Ita Chrysostomus in *Act. II*. Hinc Cyrillus Hierosolymitanus, *catech. 17*, censuit hic loqui Christum, cui, inquit, Pater omnia dedit in manus, ac potestatem dandi Spiritum Sanctum, quem non ad mensuram accipit.

Nota: Vox *effundam* significat ubertatem et copiam donorum Spiritus Sancti, tum gratum facientium, ut gratiae, charitatis, fortitudinis aliarumque virtutum; tum gratis datorum, ut prophetiae, etc., effundendam in Apostolos et fideles. Unde in Scriptura hæc effusio vocatur *baptismus*, ut, *Matth. cap. III, 11*, ait Joannes Baptista de Christo: «Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto

et igni,» q. d. Ipse vos replebit Spiritu Sancto, in eumque ejusque ignem quasi immerget, ut homo immersetur in aquam, dum baptizatur. Et Christus ascensurus in cœlum, *Act. cap. I, 8*, ait: «Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.» Quocirca pro *effundam* Arabicus Antiochenus vertit: *Inundare faciam spiritum meum super universos homines*; et Arabicus Alexandrinus: *Inundabo de spiritu meo super omnes homines*. Sicut ergo flumen, vel mare turgidum exundat in agros, ita Spiritus Sanctus in homines. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus, *Act. II*. Audi Hugonem Victorinum: «Christus, ait, spiritum suum effudit, non Mosi abstulit, nec Eliæ rapuit, sed suum largiter distribuit.»

Nota *in* *effudit*. «Primo enim fudit, secundo infudit, tertio effudit. Fudit in paradiſo, infudit in deserto, effudit in cœnaculo. In paradiſo legem dando naturæ; in deserto præcepta et cæremonias legis scriptæ; in cœnaculo plenitudinem gratiæ. Fudit ergo *primo*, rigando aream naturæ; *secundo*, infudit torrentem doctrinæ; *tertio*, effudit fluvium gratiæ, q. d. In exordio mundi rigavi aridam naturam; in squalore deserti Mosi in sinum stillavi legis doctrinam; in plenitudine temporis ubertatem gratiæ effundam.» Et paulo post necessariam docet fuisse hanc effusionem: «Trinamque, inquit, erant hominis mala: ignorantia boni, concupiscentia mali, malitia impoenitendi. Venit ergo Filius, sapientia Dei et virtus; missus est Paraclitus, benignitas ipsius. Sapientia fusa nævum sustulit ignorantia; virtus infusa sordes purgavit concupiscentiæ; effusio Spiritus mundavit fræces malitiæ, siquidem sapientia illuminavit, virtus sanavit, benignitas sedavit. Quod Psalmista prævidens ait: Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, q. d. Dele fundendo, lava infundendo, munda effundendo; fundendo sapientiam ab oculis dele ignorantiam; infundendo virtutem ab intimis lava concupiscentiam; effundendo benignitatem a toto corpore extermina malitiam.»

Nota *secundo*: Pro *effundam spiritum meum*, S. Petrus, *Actor. cap. II, 17*, ait: «Effundam de spiritu meo, etc.;» ubi particula, de significat hanc communicationem gratiæ et donorum Dei provenire a Spiritu Sancto, tanquam Patre lumen. Rursum Spiritum Sanctum partiri inter fideles sua dona, ut uni det gratiam docendi, alteri exhortandi alteri miraculorum, etc., ut docet Apostolus *Roman. cap. XII, 6*.

Nota *tertio*: Didymus et S. Ambrosius, lib. *De Spiritu Sancto*, ex hoc loco probant Spiritum Sanctum esse Deum: quia, inquiunt, non dicitur effundi a Deo, nisi quod de ipso participabile est. Angelus enim non dicitur effundi, quia cum sit creatura, non est participabilis. Licet enim

charitas donaque Spiritus Sancti dicantur effundi quoque a Deo, tamen nulla substantia, vel persona (qualis est Spiritus Sanctus) dicitur effundi in animam mentemque; ita ut eam possideat, illuminet, sanctificet, satiet et implete, nisi Deus: solus enim Deus menti illabi potest, camque docere, ignire, implere, flectere et movere quicunque vult; hoc enim nequit angelus. Ubi nota, cum anima sit justa et sancta, aut iustior et sanctior, non tantum gratia et charitas, vel ejus incrementum, sed ipse Spiritus Sanctus, adeoque tota Trinitas realiter per sanctificationem menti nostrae illabitur, in eaque inhabitat quasi in throno et templo suo; perinde ac Verbum, assumens humanam naturam, eidem illapsum est personaliter, ita ut in illa habitaret plenitudo divinitatis corporaliter, ut ait Apostolus, *Coloss.* cap. II, 9. Hoc est quod ait Christus, *Joan.* cap. XIV, 23: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Sicut ergo Beatis Deus realiter est praesens, cum illis suam essentiam per visionem beatificam, et lumen glorie ostendit, eaque eis fruendam et possidendum communicat: sic et idem ipse est in anima sancta, ac proinde in ea suam gratiam, charitatem aliaque dona divina diffundit; perinde ac sol ubi oritur, mox suam lucem, radios et calorem spargit. Posita ergo ultima dispositione ad iustitiam, v. g. contritione, statim subintrat in animam quasi in templum suum, Spiritus Sanctus totaque S. Trinitas, eam sanctificans, sibiique quasi dedicans et consecrans; ac deinde eodem instanti temporis, sed posterius natura, eidem suam charitatem et gratiam communicat. Hoc significat *ad eum tenemus, et mansionem apud eum faciemus.* Est enim haec summa Dei unio cum anima sancta, qua nulla purae creaturæ major dari potest; nam per eam sumus divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus, *epist.* II, cap. I, 4. Vide hic, o Christiane, dignitatem sanctitatis ad quam vocatus es, eamque omni studio consecrare, conserva et adauge.

Denique Nazianenus, *orat.* 49, sub finem, probat Spiritum Sanctum mitti a Filio de propria ipsius substantia, ex hoc loco: « Effundam de spiritu meo; » et ex illo *Joan.* XVI, 14: *De meo accipiet, et annuntiabit vobis:* « Ex eo utique, inquit, quod est Filius, quia et filius de eo, quod Pater est, » q. d. Spiritus ex eo quod a Filio accipit, annuntiabit; sicut Filius annuntiat Spiritui Sancto, ex eo quod accepit a Patre.

SUPER OMNEM CARNEM, — id est super omnem hominem; per synecochen enim pars capitul pro toto, caro pro homine, ut cum dicitur: « Verbum caro factum est; » caro, id est homo; poterat dicere pariter: Verbum anima, id est animatus homo factum est; sed maluit dicere, caro, tum ut significaret summam dignationem Verbi, qua, ut ait S. Augustinus *epist.* 120, cap. IV, se

humiliavit ad nostram carnem, que inter omnes animalium carnes miserrima est et infirmissima; tum quia morbus noster, puta concupiscentia, residet in carne; hanc autem curare venit cœlestis medicus, puta Christus, æque ac Spiritus Sanctus; unde Græcis *σάρκωσις* vocatur *incarnatio*, et, ut Tertullianus ait lib. *De Carne Christi*, cap. I, incorporatio, id est vivificatio carnis corrupte, ait S. Thomas; tum denique, quia per eam pro corde lapideo et duro, accepimus cor carneum, id est molle, flexible, obediens, II *Corinth.* cap. III, 3. Sensus ergo est, q. d. Super omnem hominem Christo credentem, eijuscumque ætatis, sexus et status sit, effundam Spiritum Sanctum in Pentecoste, et deinceps. Simpliciter itaque et plane capitul *vox omnem*; loquitur enim de fidelibus tantum, creditibus et obedientibus Christo. Quocirca arctius nonnulli vocem *omnem* accipiunt, non pro singulis generum, q. d. Effundam spiritum super omne hominum genus, puta super aliquos viros, aliquas feminas, aliquos juvenes, aliquos senes, aliquos servos, aliquos nobiles; non autem super omnes, id est singulos. Nam super singulos discipulos suos effudit, et effundit jugiter Christus Spiritum Sanctum.

Nota: Sicut Joel et Prophetæ solis Judæis proprie et directe promittunt doctorem iustitiae, puta Messiam; ita iisdem solis Joel hic promittit Spiritum Sanctum. Ita Chrysostomus, *Actor.* II. Unde sequitur: « Et prophetabunt filii vestri. » Verum quia ex misericordia Dei gentes ascitæ sunt per fidem in familliam Abrähæ, puta in Ecclesiam et congregationem fidelium, hinc pariter benedictionum et promissionum Abrähæ a Deo factarum (inter quas prima est effusio Spiritus Sancti, justificatio et adoptio) sunt participes et hæredes, uti docet Apostolus *Rom.* cap. IX, 10 et 11. Et hoc significat *super omnem carnem*. Quocirca in Cornelium Centurionem aliosque credentes ex gentibus effusus est Spiritus Sanctus specie visibili, æque ac in Apostolos et Judæos, ut patet *Act.* cap. X, 44. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Albertus, Lyranus et alii passim.

Moraliter, Spiritus Sanctus ostendit suam munificientiam animumque regium, dum in omnes indifferenter beneficus et liberalis est, nec privatos habet amores et amicitias, sive omnem excludit æmulationem et invidiam, ait Chrysostomus in *Actor.* II.

ET PROPHETABUNT FILII VESTRI, — tum proprie futura prædicendo, uti fecerunt Apostoli, B. Virgo, *Luc.* cap. I, 46; Zacharias, Anna et Elizabeth, *Luc.* cap. II, 38; Philippus, *Actor.* cap. XXI, 9; Agabus, *ibid.* vers. 10; S. Joannes in *Apocalypsi*, et alii in primitiva Ecclesia. Vide Bozium, lib. VI *De Signis Ecclesiæ*, cap. XII; tum ex Spiritu Sancti afflato loquendo, et celebrando variis linguis Deum, quod *Actor.* cap. II, 11, dicitur: « Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. » **Prophetare enim in Scriptura ample capitul pro docere,**

exhortari, orare, canere Dei laudes, miracula facere, etc., uti dixi *I Cor. cap. xiv*, initio capituli; sub prophetia ergo hic donum linguarum aliaque Spiritus Sancti charismata intellige.

SENES VESTRI SOMNIA SOMNIABUNT, ET JUVENES VESTRI VISIONES VIDEBUNT. — « Somnia » intellige divina et a Deo immissa, ideoque rerum arcana-rum, vel futurarum præsaga, qualia fuerunt Pharaonis, *Genes. cap. XL* et *XLI*, et Nabuchodonosoris, *Daniel. cap. II* et *IV*. Pari modo « visiones » accipe divinas et propheticas. Apposite senibus ætate fessis, et in somnum propensis tribuit somnia; juvenibus vero excitatis et vigilibus visiones, quæ in vigilia hominibus a Deo immittuntur. Deus enim sæpe se suaque oracula attemperat conditioni hominum, et cuique pro suo statu et gradu accommode et opportune appetet; alioqui et senex Joannes in Apocalypsi multas habuit visiones, et Paulus juvenis somnia, ut patet *Actor. cap. XVI*, vers. 9. Per *visiones* ergo et *somnia*, quaslibet revelationes et prophetias accipe. Addit D. Thomas II II, *Quæst. CLXXIV*, art. 3, quod, licet visio quæ fit vigilanti, in se sit perfectior somnio, quod fit dormienti; tamen quando in visione solum videtur species et imago prognostica futurorum, nec auditur vox aut verbum illam explicans, quæ audiri solet in somnio (juxta illud Mosis, *Num. cap. XII*, 6: « Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum »), tunc somnium divinum est perfectius quam visio. Unde moraliter aliqui per filios ac filias accipiunt incipientes in fide et virtute; per juvenes, proficientes; per senes, perfectos. Primi prophetant, dum bona indole dant spem frugis; secundi vident, dum meditando et orando clarius divina hauriunt; tertii somniant ob passiones sedatas, mentemque pacatam. Hos tres gradus distinguit S. Joannes, *epist. I, cap. II*, 12, primisque assignat condonationem peccatorum, secundis victoriam in agone, tertiiis Dei cognitionem. « Scribo, ait, vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. Scribo vobis, adolescentes et juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis. Scribo vobis, Patres, quoniam cognovistis eum qui ab initio est. » De visione plura dixi, *Can. I in Prop. Major.*; de somnio *Genes. XL*, et *Dan. II.*

Vers. 29. 29. **SED ET SUPER SERVOS MEOS ET ANCILLAS, etc., EFFUNDAM SPIRITUM MEUM.** — Hebræus, Chaldaeus et Septuaginta: *Et etiam super servos et ancillas effundam de spiritu meo, q. d.* Non tantum super vos, Judæi, sed et super servos et ancillas vestras, sæque ac meas, effundam spiritum meum. Ne quis enim putet solos heros et dominos Spiritum Sanctum accepturos, addit illius participes fore quoque servos et ancillas. Nullum enim quantumvis vilem et abjectum aspernatur Spiritus Sanctus; non enim est personarum acceptio apud Deum, *Rom. II*, sed omnes promiscue ad gratiam et salutem vocat: omnibus enim dedit animam

sæque nobilem, puta rationalem ad imaginem sui creatam, eamque ad suam gratiam, gloriari et felicitatem ab aeterno destinavit. Ita Hebræi, Cyrillus Hierosolymitanus, *catechesi* 17, Ruffinus et a Castro. Alii per servos et ancillas accipiunt gentes; Judæi enim in lege veteri erant quasi filii Dei, gentes quasi servi; sed per Christum in filios sunt adoptati. Ita Rupertus, Ribera et alii.

Moraliter, illustris et perhonorificus titulus est, *Servus Dei*; servire enim Deo regnare est. Hinc Psaltes, *Psal. cxv*, 16: « O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus et filius ancillæ tuæ. » Sic Abraham, *Gen. xxvi*, 24, vocat se servum Dei. Ita vocatur et Moses *Num. cap. XIII*, 7, *Job*, 1, 8. Quin et Christus *Isaiæ*, cap. *XLVIII*, 3. Sic *Abdias* hebraice idem est quod *servus Dei*, quo nomine vocatur unus e duodecim Prophetis. Sic Paulus initio epistolarum hoc titulo gloriatur: « Paulus servus Jesu Christi. » Sic B. Virgo vocat se ancillam Dei: « Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, » *Lucæ I*. Et B. Agatha præsidi sibi objectanti: Cur tu, cum sis nobilis, servilem vivis christianorum vitam? respondit: « Christianorum humilitas et servitus longe præstat regum opibus et superbia. » Denique B. Damasus, *epist. 2 ad Stephanum*, S. Gregorius et alii deinceps Pontifices hoc titulo: « Servus servorum Dei, » humilitatem, imo dignitatem suam significant.

30. **ET DABO PRODIGIA.** — Prodigium est id quod porro dicit, id est futura prædicti, ait Cicero lib. *I De Divin.* et ex eo S. Augustinus, lib. *XXI De Civit. VIII*: « Signum quo significatur aliud: illudque in magnis est, et in cœlo; hoc in parvis, et in terris, » ait Hugo Cardinalis. Origenes vero in *Joan.*: *Tépata*, ait, id est *prodigia*, « vocantur, quæ præter opinionem sunt, et humanam consuetudinem excedunt: » *σημεῖα*, id est *signa*, « quæ aliquid significant, » et, ut Ammon ait in *Catena Greec. in Joannem*, « quando non fit aliquid præter natum. » Verum sæpe hæc duo confunduntur, idemque significant. Jam quoad sensum, Rabbini, qui hæc referunt ad Ezechiam, censem prodigia hæc revera uti sonant accidisse in cœlo et terra, cum angelus percussit castra Sennacherib, etsi in libriss Regum id non narretur. Verum hæc prodigia sunt Judæorum commenta et figura: nec enim Scriptura, nec Josephus, nec Josippus, nec quis alius, tunc prodigia aliqua in cœlo exstitisse commemorat.

Secundo, Catholici nonnulli putant hæc prodigia contigisse, primo, in Christi nativitate, cum stella apparuit Magis, et angeli cecinerunt: « Gloria in excelsis Deo. » Secundo, in Christi resurrectione, cum angeli fulgorantes perculerunt milites custodes sepulcri Christi, ac consolati sunt Magdalena ejusque comites. Tertio, in passione Christi, cum sol universalis eclipsi toto orbe obscuratus est, terra contremuit, lapides scissi sunt, monumenta aperta, etc.; tunc enim e latere Chri-

Prodigia
hæc quo-
mo lo-
cide-
rint.

sti mortui lancea militis aperto, exivit sanguis et aqua, quæ ignem charitatis in discipulis et fidelibus accenderunt, idque ante diem resurrectionis Christi, qui Judæis fuit horribilis. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo. *Quarto*, in Pentecoste; tunc enim Spiritus Sanctus in igne et linguis igneis apparuit et insedit Apostolis. Ita S. Hieronymus. Et videtur favere S. Petrus, *Acto. cap. II, 17*, ubi agens de missione Spiritus Sancti in Pentecoste, allegat hæc prodigia Joeli: ergo illa circa tempus Pentecostes videntur edita, puta tempore passionis et resurrectionis Christi. Hæc expositio probabilis est, sed incompleta; tunc enim cœperunt hæc prodigia, sed complebuntur sub diem judicii, uti mox dicam.

Tertio, S. Chrysostomus et OEcumenius hæc prodigia patrata putant paulo ante excidium Hierosolymæ per Titum; hic enim dies fuit Judæis horribilis. Tunc enim plurimus Judeorum fusus est sanguis, urbs et templum igne combusta in fumum et vaporem abierunt. Et P. Prado in *Ezech. cap. x, 2*: « Dabo, inquit, Hierosolymæ tria supplicia, » scilicet, « sanguinem, et ignem, et vaporem fumi, id est cædem civium, aedificiorum incendium, et quod gravius est, veritatis ignorationem excæcationemque oculorum, quæ eadem tria in *Psalm. LXVIII, 25*, Judæis vaticinatus est Christus: Furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, obscurentur oculi eorum ne videant. » Hanc autem cladem soli Christiani evaserunt, invocantes nomen Domini: quia divinitus præmoniti de urbe exscindenda, ex illa fuga se proripuerunt in alias regiones et urbes, uti docet Eusebius lib. III *Hist. cap. v*.

Quarto et genuine, certum est hic agi de signis et prodigiis quæ præibunt diem judicii extremi; hic enim erit dies magnus et horribilis. Et de eo hic agi patet ex sequentibus initio cap. III, cui hæc connectenda sunt (imo Hebræi hæc referunt ad caput III, ut dixi vers. 28): « Quia ecce in diebus illis, etc., congregabo omnes gentes, et deducam illas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis. » Hoc autem fiet in die judicii. Porro ante diem judicii prodigia existent quæ prædictit Christus *Matth. cap. XXIV, 29*, et *Luc. cap. XXI, 25*, dicens: « Erunt signa in sole, et luna, et stellis; nam sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo. » Rursum luna videbitur sanguinea, *Isaie cap. XXIV, 23*; item mare videbitur sanguineum, *Apocal. cap. VIII, 8*. Multus etiam fidelium ab Antichristo, et tandem ipsius Antichristi, ejusque exercitus Gog et Magog sanguis effundetur. Ignis erit fulgurum et stellarum cadentium de cœlo: rursum ignis conflagrationis mundi, quo omnia mundana in fumum et vaporem abibunt. Unde Syrus et Arabicus fumum a vapore distinguunt, et quatuor prodigia assignant; vertunt enim: « Dabo sanguinem, et ignem, et vaporem, et fumum. » Vapor enim est exhalatio subtilior et albior, fumus vero

densior et nigrior. Hæc signa prædicta sunt a S. Joanne Apoc. cap. VIII et IX. Ita Theodoreus, Rupertus, Lyranus, Vatablus, Arias, Ribera, a Castro hic, S. Chrysostomus et OEcumenius in *Actor. II*, Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion. cap. XXXIX*, Origenes, tract. 30 in *Matth.*, S. Thomas in cap. XXIV *Matth.*, et alii passim. Quin et S. Hieronymus hoc tandem inclinat, censemque hæc signa magis ad diem judicii quam ad passionem Christi esse referenda. Causam horum signorum dat S. Chrysostomus in *Matth. cap. XXIV*: « Moriente, ait, patrefamilias domus turbatur, familia plangit, et nigris se vestimentis induit; sic humano genere, propter quod facta sunt, circa finem constituto, cœli mysteria lugent et candore positio, tenebris induuntur. »

Dices: Quomodo ergo S. Petrus hæc prodigia refert ad Pentecosten, *Act. II*. Respondeo: S. Petrus recenset ea, non quasi tunc contigerint, sed hoc sensu, q. d. Ne miremini, o Judæi, hæc Spiritus Sancti et linguarum ignearum prodigia, quæ cernitis in hac Pentecoste; videbitis enim majora dari a Christo in vindictam infidelium in fine mundi, q. d. Aut ergo nunc in Christum credite, aut terribilem ejus manum et vindictam tunc exspectate. Ideo enim Propheta, post doctorem Christum et effusionem Spiritus Sancti, statim subjungit hæc prodigia futura in fine mundi, ut significet post Christi legem, nullam aliam esse exspectandam, ideoque illam ab omnibus qui salvi esse velint, capessendam. Ita Ribera. Adde hæc prodigia inchoari cœpisse tempore Christi: nam in ejus passione obscuratus est sol et luna, in Pentecoste et deinceps Spiritus Sanctus in specie ignis apparuit, etc.; perfecte vero et complete fient in fine mundi, q. d. Joel: O Judæi, cum veniet Christus, licet humilis et pauper, eum recipite; quia ipse effundet Spiritum Sanctum in vos, dabitque prodigia benefica credentibus, malefica et horrifica incredulis, eaque inchoabit vivens, sed perficiet in fine mundi, quando pro igne Spiritus Sancti, quem increduli respuerunt, dabit eis ignem conflagrationis mundi, indeque flamas gehennæ. Simili modo Jacob benedicens filiis suis ante mortem, *Genes. XLIX*, quædam prædicit quæ paulo post, quædam quæ post longum tempus sub Christo evenerunt, quædam in fine mundi eventura.

Symbolice Hugo Victorinus: « Sol, ait, est Christus, luna Ecclesia: sol in tenebras versus, Christus cruci affixus. Unde de cæcitate Judeorum Jeremias loquens, *Thren. III*: Dabis, inquit, eis, Domine, scutum cordis laborem tuum. Luna versa in sanguinem, Ecclesia est Christi imitans passionem. Sanguis professionem designat martyrum; ignis chorum virginum ardore dilectionis æstuantium. Vapor est frequens et devota compunctio continentium. Dies magnus et horribilis, dies est passionis et resurrectionis: magnus fidelibus, horribilis non credentibus, horribilis iis

qui dixerunt : Sanguis ejus super nos et super filios nostros; magnus iis qui dixerunt : Vere filius Dei erat hic. Alter : sol in tenebras versus, Christus est in cordibus electorum in articulo mortis obscuratus. Unde et dixerunt : Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Luna in sanguinem versa, Synagoga est Christi passione cæcata. » Deinde per sanguinem accipit Iudeorum stragem sub Tito; per ignem, incendium urbis et templi; per vaporem, Iudeorum per maria et insulas relegationem.

Tropologice : « Visio est propria cognitio sui, somnium excessus animi, prophetia contemplatio sponsi, cœlum animus, terra caro : vel cœlum contemplativi, terra activi : vapor compunctio mentis, sanguis mortificatio carnis, ignis fervor dilectionis. Sol versus in tenebras, animus est in sui confusus cognitione. Luna in sanguinem, caro in sui mortificationem. » Hucusque Hugo. Et inferius : « Post data in cœlo prodigia, post lucem propriæ cognitionis, post fumum devotæ compunctionis, post sanguinem justæ mortificationis, post ignem perfectæ dilectionis, sola restat suavitas contemplationis. » Hæc est invocatio nominis Dei, de qua sequitur : « Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Hæc Hugo.

Vers. 31. 31. ANTEQUAM VENIAT DIES DOMINI. — Dies hujus vitæ sunt nosiri, quibus agimus quod lubet : ille dies erit Domini, id est judicis, quo aliorum diuinorum nostrorum omnium rationes exiget, juxta illud Psalm. LXXIV, 3 : « Cum accepero tempus, ego justias judicabo. » Sic dies singuli hebdomadæ sunt scholarium, sed sabbatum est dies magistri : quo rationem profectus et modestiæ a singulis exigit, et negligentes petulantesque flagellat.

Dies iudicii magnus cur?

MAGNUS. — Magnus erit dies judicii, quia, primo, finem dabit orbi, sceleri, merito et demerito; secundo, quia erit horizon temporis et æternitatis; hanc enim ab illo dividet et distinguitur: nam hic dies erit ultimus temporis et primus æternitatis; tertio, quia magna in eo fient, nimurum Christus cum omnibus angelis descendet in vallem Josaphat, ibique in magnifico throno sedebit judex : omnes homines qui unquam fuerunt, sunt et erunt, coram eo judicandi sistentur : omnium cogitata, dicta et facta exactissime discutentur : de omnibus fcretur sententia absoluta, et irrevocabilis per omnem æternitatem : sancti cœlo, impii inferno addicentur : statuetur chaos magna et medium, quod in æternum hos ab illis secludet, ut impii nunquam Sanctos, nunquam cœlum, nunquam Deum visuri sint; sed carcere æterno conclusi igni cremabuntur, quamdiu cœlum erit cœlum, quamdiu Deus erit Deus. Sic Osee, cap. 1, 4, vocatur « magnus dies Jezrahel. » Sic apud Romanos « magnus dies » vocabatur, qui dabat victoriam, belloque aut gravibus malis finem imponebat, ut docet Cornelius Tacitus in Vita Agricolæ, et Turnebus, lib. I Advers. cap. xxiv.

ET HORRIBILIS. — Hebraice est נָרָא nora, quod primo propriæ deductum a radice נַרְאֵה iare, id est timuit, significat tremendum, terribilem; et per catachresin mirabilem, gloriosum, augustum et reverendum ob summam potestatem, æquitatem, majestatem et gloriam. Hinc Chaldaeus vertit, נְדַחֲלָה dechila, id est formidabilis. Secundo, nora deduci potest a רָאֵה raa, id est vidit, ut raa mutetur tempora a iara : saepè enim ordines verborum imperfectorum apud Hebreos inter se commutantur, ut unus ab alio suam inflexionem desumat, et tunc nora significat illustrem et manifestum. Unde Septuaginta vertunt ἐπιφανίς, id est clarus, conspicuus. Eos sequitur S. Petrus, Actor. II, dicens : « Antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. » Erit enim in die illa lux magna, et magna claritas Christi gloriosi omniumque ejus angelorum et sanctorum. Et : « Ignis in conspectu ejus exardescet, » Psalm. CLIX, 3, quæ omnia reis et damnandis extremum horrorem incutient. Videbunt enim se suaque in tanta luce latere non posse : videbunt se oculos et manus Judicis nusquam evasuros, videbunt excusationi, simulationi, fraudi, appellationi nullum fore locum : videbunt gehennæ incendia flammantia sibi parata et decreta in æternum, seque certissime in illa præcipitandos.

Pathetice S. Basilius in illud Psalm. XXXIII : Moraliter de ho: rora diei judicii.
 « Venite, filii, timorem Domini docebo vos, v horrorem hujus diei describit, atque : « Cum te appetitus invaserit peccandi, velim cogites horrible illud et intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit judex in alto et excelsø throno, astabit autem omnis creatura ad gloriosum ejus conspectum contremiscens. Adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus rationem reddituri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam et deformes assident angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes, noctisque vultu similes, propter macorem et odium in humanum genus. Ad hæc cogita profundum barathrum, et inextricabiles tenebras, et ignem carentem splendore, urendique vim habentem, sed privatum lumine; deinde vermium genus venenum emittens, et carnem vorans, inexplebiliter esuriens, neque unquam saturitatem sentiens, atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Postremo, quod supplicium omnium gravissimum est, considera opprobrium illud et confusionem sempiternam. Hæc time, et hoc timore instructus, animam a peccatorum concupiscentia, tanquam freno quodam reprime. »

Hujus horribilis diei schema et vivam hypotyposin dedit Deus in judicio Udonis, antistitis Magdeburgensis. Cum enim ille impure et scandalose viveret, cœlitus ad eum missa est vox :

Da finem ludo, quia lusisti satis, Udo.

Eaque tertio ab eo audita. Verum cum ille, licet

ad horam perculsus, mox ad suas veneres rediret, citatus est ad tribunal Dei. Nam S. Mauritius evaginatum teneps gladium, in ecclesia sua (cujus Udo erat antistes) valenter exclamavit : « Omnes sancti quorum reliquiae hic habentur, surgite et venite ad iudicium Dei. » Mox maxima et præfulgida apparuit utriusque sexus multitudo : Christus sole splendidior, stipatus B. Virgine, et duodecim Apostolis, regali solio consedit, jussitque Udonem adduci. Raptus ille ex lecto adductus est. Accusavit eum S. Mauritius, conclamarunt omnes : « Reus est mortis. » Tulit ergo Christus in eum sententiam mortis, quam exsecutus S. Mauritius eum decollavit. Vedit haec Canonicus quidam ; simulque alias conspexit animam ejus a dæmonibus ad gehennæ incendia abripi, ibique maledicere diei nativitatis suæ suisque amasiis ; ac mane clericis venientibus ad Ecclesiam, Udonem in suo sanguine tabefactum ostendit. Porro crux Udonis etiamnum adeo indelebiliter adhaeret pavimento, ut quasi de essentia marmoris esse videatur. Cumque creantur novi antistites, ibidem oraturi prosternunt se, ut videntes Udonis sanguinem, sibi caveant ne forte pereant sicut ille. Rem gestam fuse et graphice narrant Nauclerus, volum. III Gener. xxxiv; noster Canisius, lib. V *Marial.* cap. xx; Fulgosius, lib. IX, cap. XII et alii.

Chrysa- Simile judicii schema, imo exemplum reale ex-
rii. stat in Chrysaorio, cuius horribilem judicii sui visionem et mortem enarrat S. Gregorius, hom. 12 in *Evang.*, et in aulico Coenredi regis Merciorum, apud Bedam, lib. V *Hist. Angl.* cap. xiv, et in **Mauritii.** visione Mauritii Imperatoris, qui ob peccata cito-
tus ad Dei tribunal, petiit in hac vita potius puniri, quam in futura, idque obtinuit : unde a Phoca et imperio et vita cum uxore et prolibus est spoliatus, uti narrat Eutropius lib. XVII, Zonaras lib. III, Nicephorus lib. XVIII, cap. xl; et in visione Petri Telonarii, qui avarus et immisericors, vidit se sisti judici Christo, omniaque peccata in unam lancem reponi, in alteram vero unam duntaxat eleemosynam suam, qua a manibus dæmonum liberatus, audivit : « Recedens adde huic pani, et operare. » Quare vitam et mores mutans, totum se dedit operibus misericordiae et charitatis, uti narratur in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*. Quin et S. Hieronymus, raptus ad tri-
Petri
Telonarii. bunal Christi, audivit : « Ciceronianus es, non christianus ; » ideoque acriter vapulavit, ut ipse refert epist. ad *Eustochium*, quæ incipit : « Audi, filia. » Ecce ut vita Sanctorum est commentarius legis scriptæ, imo ipsa est lex viva, suis moribus edicens quid formidare et fugere, quid amare et prosequi debeamus. Graphice quoque hunc iudicii diem describit Daniel cap. vii, et S. Joannes Apoc. cap. I, et Christus, Matth. xxiv et xxv, et S. Petrus epist. I, cap. iii.

Pathetice etiam S. Hieronymus ad *Heliodor.* : « Tunc, ait, ad vocem tubæ pavebit terra cum

populis, tu gaudebis. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Adducetur cum suis stultus Plato discipulis : Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus et pauper exsultabis, et dices : Ecce judex, qui involutus pannis in præsepio vagiū, » etc. S. Chrysostomus in cap. xxiv et xxv *Matth.* : « In illo, ait, die, nihil est quod respondeamus, ubi cœlum, terra, aer, aqua et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum : et si omnia faceant, ipsæ cogitationes nostræ, et ipsa opera specialiter stabant ante oculos nostros ante Deum accusantes. »

S. Bernardus, serm. *De Virginibus* : « Merito, ait, dies illa dies iræ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis prædicatur, in qua :

Judicii signum tellus sudore madescet;
Decidet e cœlis ignisque et sulphuris amnis,
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.

« Ignis enim ante Dominum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus, quos tunc instar Sodomitarum inveniet nudos et inctectos. » Et paulo ante : « Cauet tuba, ad cuius clangorem timebit mundus. Fragor igitur tubæ illius, dum tubabit angelus, dum expurgiscentur homines, tartara etiam tenebrosa concutiet. Audient miseri qui ibi sunt, audient tunc qui nunc audiunt et facere nolunt : Exite obviam ei : quando Dominus advocabit cœlum desursum et terram, discernere volens populum suum ante se, et prudentes virgines ab infatuatis separare. Advocabit cœlum desursum, ut virtutes illæ cœlorum de suis sedibus moveantur, et omnes angeli cum eo ad judicandum congregentur. Tunc plangent se omnes tribus teræ. Tunc dicent moabitibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos. » Idem in *Cant.* : « Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quam astuta verba; conscientia bona, quam marsupia plena : quoniam quidem judex non falleter verbis, nec flectetur donis. »

S. Anselmus, lib. *De Similitud.* : « A dextris, ait, erunt peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix justus salvabitur. Heu ! miser peccator, sic deprehensus quo fugies ? latere enim erit impossibile, apparere intolerabile. » Quam sapiunt, qui hunc diem semper præ oculis habent, et ad illum se suasque actiones compnunt, ut nihil dicant vel faciant, quod in illo die eis periculum salutis creare possit, quodque justam Dei censuram et vindictam subeat ! « Nil, ait S. Ambrosius in *Offic.*, est quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus eum judicem futurum, quem et occulta non fallunt, et indecora offendunt, et honesta delectant. » Ita S. Hieronymus. « Sive comedo, inquit, sive bibo, sive aliud facio, semper tuba illa insonat auribus

meis : *Surgite, mortui, venite ad judicium.* » Hoc est quod Christus serio premonuit, *Luc. xxi*, 36 : « Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt (in die judicii), et stare ante Filium hominis. » Hac de causa indictæ fuerunt olim nocturnæ vigiliæ et preces, quod Christus ad judicium media nocte venturus crederetur, juxta illud *Matth. xxv*, 6 : « Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei, » inquit S. Hieronymus et Hilarius ibidem, et Lactantius lib. VII, cap. xix. Vide dicta *Apoc. vi*, in fine. Quocirca S. Bernardus, *epist. ultima*, hanc regulam vitæ sanctæ præfigit : « Talis studeas vivere, qualis affectas in extremo judicio inveniri. »

Vers. 32. 32. ET ERIT OMNIS QUI INVOCAPERIT NOMEN DOMINI, SALVUS ERIT, — q. d. In die judicii, ab hoc ejus terrore, et horribili tot reorum et damnatorum sententia, liberabuntur, evadent (hoc enim significat Hebræum פָּלַח palat), et salvabuntur veri Dei cultores, qui scilicet in hac vita Deum puro corde, in vera fide, spe et charitate coluerint, invocarint, prædicarint et celebrarint.

Invocare nomen Dei quid? Hæc enim omnia significat vox vocare, vel invocare apud Hebreos, nimirum omnem tam internum, quam externum Dei cultum, publicamque veræ fidei et religionis professionem in ejus Ecclesia. Ecclesia enim dicta est Hebraice מִקְרָא, a נָרָק cara, id est vocavit : græce ἐκλησία, ab ἐκκαλέων, id est a vocando et invocando quod a Deo vocata sit ad sincerum et publicum ejus cultum et invocationem. Unde de ea subdit : « Quia in monte Sion, » etc. Porro nomen Dominus est ipse Dominus, quem per nomen invocamus. Rursum, est ipse Christus, qui est nomen, id est notio et definitio, Patris, ait S. Cyrillus, lib. XI in *Joanem*, cap. XX.

Symbolice nomen Dei est ejus virtus, gloria, potentia omnisque perfectio. Hinc *Psalm. viii*, 2, dicitur : « Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum, » id est tua sapientia, potentia, clementia, etc., « in universa terra ! » Et B. Virgo canit : « Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus ; » in incarnatione enim Verbi omnis Dei sanctitas, virtus et perfectio eluxit.

Deus semper invocandus. Moraliter, disce hic quam Deo grata sit sui invocatio, quamque invocantibus adsit, opem et salutem afferat. Causa est, quod invocans Deum fateatur suam miseriam et impotentiam, Dei vero gloriam et omnipotentiam, utpote a qua auxilium sperat et flagitat. Sibi ergo honori ducit Deus, quod quis ad se in tribulatione confugiat, et sua magis uti velit, quam aliena ope et misericordia, juxta illud *Psalm. xlvi* : « Invoca me in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me ; » quia qui Deum invocat, fidem et spem in eo collocat, eumque quasi facit Deum suum. Unde *Martialis*, lib. VIII, epigr. 24, docet Deos non tam fieri ab ido-

loplastis, quam a cultoribus eos invocantibus

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui rogat, ille facit.

Hinc passim in Psalmis Psaltes Deum invocat, eumque in afflictione invocari jubet. Nam Deus ipse promittit, *Jerem. xxxiii*, 3 : « Clama ad me, et exaudi te. »

QUIA IN MONTE SION ET IN JERUSALEM ERIT SALVATIO. — Per « Sion » et « Jerusalem » intelligit Ecclesiam, quam Christus primo erexit in Sion et Jerusalem, q. d. Qui fidem et pietatem Ecclesiæ, quam Christus docuit in Judæa et Jerusalem, sectati fuerint, hi salvabuntur. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Rupertus, Lyranus, Arias et alii. Al ludit ad *Isaiae* IV, 3 : « Et erit : Omnis qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerusalem. » Vide ibi dicta. Unde subdit Joel : « Sicut dixit Dominus, » scilicet tum mihi hic, tum *Isaiae* cap. IV, et cap. II, 2, tum aliis Prophetis.

ET IN RESIDUIS. — Repete, « erit salvatio » q. d. In die judicii soli salvabuntur qui in Sion, id est in Ecclesia, Deum invocant, sancteque coluerint ; item residui, id est reliquie Judæorum, quæ in fine mundi a Deo vocatae et electæ, Christo et Ecclesiæ aggregabuntur, itaque salvæ fient, uti docet *Apostolus Rom. xi*, 26. Secundo, a Castro explicat, q. d. Qui superioribus sæculis Deum invocantes in Christi gratia obierint, hi in die judicii salvabuntur : insuper residui, id est, ii qui in persecutione Antichristi, cæteris carentibus, fortes steterint in fide et professione Christi, itaque superstites remanserint tantæ fidelium cladi et ruinæ.

Nota : Pro *residuis* hebraice est בְּשֶׁרֶד baseridim, quod Rabbini nonnulli, teste S. Hieronymo, putant esse nomen loci, puta montis vel urbis, q. d. Cladem istius diei effugient qui profugerunt in Sion, in Jerusalem, aut in Seridim. Septuaginta legerunt בְּשֶׁרֶד bassurim, id est, evangelizati, quos Dominus vocavit, uli legunt codices Romani : licet Theodoreetus legat evangelizantes, vel annuntiantes active, et S. Hieronymus, evangelizans, vel annuntians in singulari, quod sic explicat : « Hos residuos Dominus vocavit, sive evangelizavit eos quos vocavit : sic enim Septuaginta interpretati sunt. » Omnes enim salvandi vel sunt evangelizantes, vel evangelizati ; nemoque nisi per Evangelium Christi salvatur. Hoc enim « virtus Dei est in salutem omni credenti, » ut ait *Apostolus Rom. i*, 16.

Simile huic loco est, quod pathetice proclamat *Isaias* cap. I, 9 : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen (residuos et reliquias aliquas, qui prosemnarent et propagarent stirpem Israel) quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrah similes essemus. » Ita S. Hieronymus.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit diem judicii, paenam reproborum, et gloriam electorum. Primo ergo docet Christum in valle Josaphat judicaturum Tyrios, Sidonios aliasque gentes, quae Judæos et fideles affixerunt, impieque vixerunt. Secundo, vers. 15, mittit Christus angelos cum falcibus, qui demetant omnes gentes, easque adducant in vallem concisionis, ubi Christo contra eas irato et rugiente, sol, luna et stellæ obscurabuntur, ac cœli et terra movebuntur. Tertio, vers. 17, docet Jerusalem cœlestem tunc fore sanctam, felicem et gloriosam in æternum: Stillabunt, inquit, montes dulcedinem, et colles fluent lacte, etc. Ita passim Interpretes. Quare minus recte Mariana, in fine capituli, suspicatur hoc capite describi ad litteram stragam castrorum Sennacherib factam ab angelo, IV Reg. xix, 35; hanc enim factam esse prope Jerusalem in valle Josaphat, ac sub ejus typo depingi cladem impiorum in die judicii. Futeor tamen ad stragam Sennacherib hic alludi, eamque allusive perstringi (1).

1. Quia ecce in diebus illis, et in tempore illo, cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem: 2. Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi super populo meo, et hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, et terram meam diviserunt. 3. Et super populum meum miserunt sortem: et posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino ut biberent. 4. Verum quid mihi et vobis Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? et si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. 5. Argentum enim meum et aurum tulistis: et desiderabilia mea et pulcherrima intulistis in delubra vestra. 6. Et filios Juda, et filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longe faceretis eos de finibus suis. 7. Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos: et convertam retributionem vestram in caput vestrum. 8. Et vendam filios vestros, et filias vestras in manibus filiorum Juda, et venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est. 9. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscite robustos; accedant, ascendant omnes viri bellatores. 10. Concidite aratra vestra in gladios et ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum. 11. Erumpite, et venite, omnes gentes de circuitu, et congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. 12. Consurgant, et as-

(1) Post synopsim præviam judicii, Propheta describit in hoc capite:

PRIMO, *adjuncta judicij extremiti, primo*, tempus, post plenam superstitionem adhuc Israelitarum conversionem, et sub finem sæculi, 1; *secundo*, locus, vallis Josaphat, 2; *tertio*, rei evocandi, cum accusationis capitibus, scilicet, gentes universæ, quæ oppresserunt Ecclesiæ, 2, 3; speciatim Tyrii, Sidonii et vicini Palestinae, hoc est hæretici, schismatici, apostatae, 4-6; *quarto*, actores vices illis redituri, fideles suscitandi et ut judices collocandi, 7, 8; *quinto*, præmonitio judicialis, nihil hic valiturum aut multitudinem aut fortitudinem aut armaturam, 9-11.

SECUNDO, *judicium ipsum, primo*, mortuorum suscitatio et evocatio, 12; *secundo*, vivorum ad judicem translatio, 13; *tertio*, judicandorum multitudo ac divisio, 14; *quarto*, judicis sententia terribilis impiis, benigna et grata fidelibus, 16, 17.

TERTIO, sequelam judicii, *primo*, piorum beatam et abundantem, 18; *secundo*, impiorum desolatam, perditam et vindicem scelerum, 19; *tertio*, utrorumque æternam, 20, 21.

Juxta Ackermann, in sensu primo litterali, reddit Pro-

pheta in tempora Machabæorum, et grave minatur judicium gentibus quæ Judæos malis affecerunt (1-17). Tum postquam Deus gentes iis infensas puniit, Judæi Deo protegente securi, lætique agent (18, 21). Cæterum, inquit, particula 'ב ki, quia, vers. 1, multos interpretum movit, ut statuerent, caput tertium per errorem librariorum locum, quem nunc occupat, obtinuisse, et ad finem libri potius reponendum esse; atque caput quartum immediate conjungenlum esse cum secundo: sic enim omnia ordine chronologico sese insequerentur; post Syro-Macedonum et aliorum hostium Judaicæ gentis cladem, et felicitatem temporis Machabæorum sequeretur suo ordine effusio Spiritus Sancti, et reipublicæ, et ecclesiæ Judaicæ, sive veteris œconomiæ dissolutio et destructio. Cum vero hæc conjectura nulla auctoritate aut codicum, aut antiquarum versionum nitatur, statuunt alii caput tertium per parenthesis esse insertum. Quæ sententia non multum differt a nostra, quam supra statuimus, nempe Prophetæ in prospectu objecta fuisse, et tempora Machabæorum, et Messiae, euïque ordinem temporum non servasse. Particulam 'ב ki vero quod attinet, commode ut redundans respici potest. Cf. Ruth iii, 12. Zachar. iii, 8.

cendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu. 13. Mittite falces quoniam maturavit messis : venite, et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia : quia multiplicata est malitia eorum. 14. Populi populi in valle concisionis ; quia juxta est dies Domini in valle concisionis. 15. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. 16. Et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam ; et movebuntur cœli et terra : et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel. 17. Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo, et erit Jerusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius. 18. Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ : et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum. 19. Ægyptus in desolationem erit, et Idumæa in desertum perditionis : pro eo quod inique egerint in filios Juda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua. 20. Et Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generationem et generationem. 21. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram : et Dominus commorabitur in Sion.

Vers. 1. 1. **QUIA ECCE IN DIEBUS ILLIS.** — In die extremi judicii, de quo præcessit in fine cap. præced. : « Cum convertero captivitatem Juda, » non Babyloniam, sed ea longe acerbiorem, eaque tantum adumbratam, scilicet captivitatem peccati et cæcitatibus, qua Judæi tenentur captivi, et obsecrati sub jugo legis Mosaicæ, quam pertinacissime retinent; quod fiet in fine mundi, q. d. Postquam Judæos in fine mundi, a Judaismo convertero ad Christianismum, et a servitute Judaica traduxero ad libertatem Evangelii, ad sortem, inquam, et gloriam filiorum Dei, « congregabo omnes gentes » ad judicium extremum. Ita S. Hieronymus, Rupertus et alii mox citandi.

Vers. 2. 2. **ET DEDUCAM EAS IN VALLEM JOSAPHAT.** — Quæres primo, quando, et ubi id factum? Primo, aliqui Rabbini censem hic significari victoriæ, quam Josaphat rex Juda consecutus est de Ammonitis, Moabitæ et Idumæis, cum illi ipsi mutua se cæde trucidarent; idque in valle Josaphat, id est judicii et vindictæ divinæ, quam poposcit Josaphat II Paralip. xx, 12, dicens : « Ergo non judicabis eos? » Verum hæc vallis longe distabat a Jerusalem, eratque in Asasonthamar, quæ est Engaddi, uti ibi dicitur vers. 3. Et licet vers. 26, vocetur vallis illa « Benedictionis », nusquam tamen ab historicis, vel chirographis vocatur vallis Josaphat. Adde, hæc victoria diu præcessit tempora Joelis, qui de futuro tempore vaticinatur hic contra Tyrios, Sidonios et Ægyptios, non contra Ammonitas, Moabitæ et Idumæos. Insuper sub Josaphat nulla fuit captivitas Juda, imo Juda tunc erat hostibus suis dominans et formidabilis. Isdem rationibus refelluntur alii, qui hæc intelligunt de clade Sennacherib, cum angelus cecidit in ejus castris 183 millia, IV Reg. xix, Fateor tamen hic alludi ad hanc vallem et victoriæ Josaphat, q. d. Impii judicabuntur et damnabuntur a Christo et Sanctis ejus in valle Josaphat, sicut Moabitæ cæsi sunt a Josaphat in sua valle, hujus antitypa. Unde et in valle Josaphat,

alias amoenissima, erat Tophet et gehenna, ubi cremabant filios idolo Moloch : quæ proinde erat viva imago inferni et damnatorum, qui igne æterno cruciantur, ad quem a Christo in eadem valle damnabuntur. Ita Sanchez.

Secundo, Cyrillus et Theodoretus hæc referunt ad tempora Esdræ et Nehemiæ : tunc enim Judæi redierunt e captivitate Babylonica. Verum tunc nullæ gentes hostiles a Judæis cæsæ sunt in valle Josaphat. Porro toto cœlo errant Judæi moderni, qui hæc accipiunt de captivitate et clade romana, qua ipsi a Tito et Vespasiano vastati sunt, quasi hic eis promittatur ejus solutio et liberatio, cæsis Romanis, Gog et Magog in valle Josaphat. Nam hæc non fuit captivitas, sed excidium gentis, durabitque usque ad finem mundi, uti prædictum Daniel cap. ix, 26. Unde ipsi eamdem nunc patiuntur per 1600 annos, nec affulget, vel unquam affulsit eis ulla spes restorationis. Adde, nullam hic Romanorum fieri mentionem, sed Tyri, Sidonis et Ægypti.

Tertio, Christiani aliqui hæc referunt ad tempora persecutorum Ecclesiæ, puta Neronis, Decii, Diocletiani, etc., a quibus liberavit eos Christus per Constantimum. Verum tunc gentes omnes congregatas in vallem Josaphat, ibique cæsas nusquam legimus.

Dico ergo, certum est hæc spectare ad diem judicii; de eo enim egit in fine cap. præced., cui hæc proxime subjicit Prophetæ, dicens : « Quia ecce in diebus illis et in tempore illo, » utique jam paulo ante a me designato, puta judicii extremiti. Tunc enim omnes omnino gentes congregabit Deus, et judicabit in valle Josaphat : nunquam enim alias Deus congregavit omnes gentes toto orbe dispersas. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Remigius, Haymo, Lyranus, Vatablus, Clarius, Ribera, a Castro et alii passim; quin et veteres Hebræi, quos citat S. Hieronymus, et Galatinus, lib. XII, cap. I.

Quæres, secundo, quænam et ubinam sit vallis

Vallis Josaphat, in quam congregabuntur omnes homines, et ad quam e celo descendet Christus iudex, ut in eo omnium judicium peragat? Aliqui censent nomen *Josaphat* hic non esse proprium, sed appellativum, significans *Domini iudicium*; ac proinde non designare certum locum aut vallem, sed indefinite significare locum iudicii, quisquis ille sit futurus. Unde vers. 14 vocatur hæc vallis « concisionis, » quod in ea Deus concidet gentes: ita Chaldæus, vertit enim: *Congregabo omnes gentes in vallem divisionis iudicii*. Et S. Hieronymus hic, et epist. 142 ad Damasum, ait gentes congregandas in vallem iudicii Domini, hoc est in iudicium Domini profundum: græcum enim οὐτεξει idem est quod *deorsum ducam*. S. Hieronymum sequuntur Haymo et Albertus. Alii censent vallem Josaphat certam esse vallem, sed adhuc innominatam et incognitam, quæ ab evenitu, puta a judicio Christi in ea peragendo, nominanda sit vallis Josaphat, id est iudicii Dei: Josaphat enim idem est quod יְהוָה תִּרְאֵן *ie sephat*, id est *erit iudicium*, scilicet tali loco quem Deus novit et decrevit. Sic locus in quo sedebit Antichristus, vocatur, id est vocabitur, *Apadno*, id est palatium regale, *Daniel. xi*, 45. Sic locus in quo cæduntur reges sub finem mundi, *Apoc. cap. xvi*, 16, vocatur, id est vocandus dicitur, *Armagedon*, id est anathema excidii, sive plenum excidium. Sic locus in quo cædetur Gog, *Ezech. cap. xxxix*, 11, nominatur, id est nominandus prædictus, *Polyandrium*, vel *vallis multitudinis Gog*. Ita Rupertus, Arias et Clarius.

Verum melius, magisque genuine cum Syro, Arabico utroque et aliis, nomen Josaphat hic accipias ut proprium. Est enim vallis Josaphat sita inter Jerusalem et montem Oliveti, quam perluit torrens Cedron: « Ubi hortus erat, in quo Judas proditor tradidit Salvatorem, » ait S. Hieronymus, in *Jeremiæ xxx*. Ita Venerabilis Beda, Bochardus, Saligniacus, Adrichomius et alii in *Descriptione Terræ sanctæ*: « Vallis Josaphat, ait Adrichomius, quæ et vallis Cedron, et vallis montium vocatur, vallis est lata et profunda, inter Jerusalem et montem Oliveti interjecta, totam ab Oriente cingens urbem, quam torrens Cedron transiens suis aquis egregie fecundat. In hac valle pii ac religiosi reges Juda Asa, Ezechias et Josias templi combusserunt idola, eorumque cineres in torrentem Cedron projecerunt. Hæc vallis communis totius civitatis erat cœmeterium, ubi vulgus et ignobiles sepeliebantur: extra urbem enim Iudeis sepeliri mos erat: ibique nunc Turcæ sepeliuntur. In hac quoque valle die illa cunctis mortalibus tremenda omnes undique homines ad extremum iudicium sunt congregandi, ut a Christo iudice recipient debita pro meritis præmia quisque suis. Unde et vallis concisionis appellatur, quod ibi mali a bonis separabuntur. Tempore quo Christiani Palæstinam potiebantur, erat hic Abbatia quædam, in qua Domina Melisendis re-

gina Jerusalem sepulta est. » In valle ergo Josaphat erat villa Gethsemani, et hortus, in quo Christus orans sudansque sanguinem, proditus a Juda, captus est a Judæis; et in eadem sepulta est B. Virgo Maria, ut notat Adrichomius. Porro vallis hæc nomen accepit a Josaphat rege, quod eam ipse insigni titulo et fabrica, v. g. arcu triumphali post victoriam de Ammonitis et Idumæis, ornarit: vel quod in ea mausoleum illi erectum sit, pulchra pyramide insignitum, ut tradunt Beda et Saligniacus: licet enim Josaphat sepultus sit in Sion, uti dicitur II Paral. xxI, 1; tamen mansoleum illi erigi potuit in hac valle, in quod forte ejus ossa translata sunt.

Hæc sententia probatur primo, ex eo quod Septuaginta, Noster et alii retinent nomen hebreum *Josaphat* quasi proprium. Et sane qui hebraice sciunt, ex ipsa compositione et terminatione norunt Josaphat esse nomen proprium, æque ac Josias, Joannes, Josue, etc. Secundo, quia in hac valle Josaphat, Ezechias et Josias idololatras et idola combusserunt, in typum quod Christus in eadem iudicaturus esset infideles et impios, eosque in ignem gehennæ detrusurus. Tertio, quia in eadem valle erat cœmeterium Jerusalem: ergo par est ut ibidem resurgent Hierosolymitæ, id est fideles Ecclesiæ cives judicandi a Christo. Rursum in valle Josaphat erat gehenna, in qua cremabant infantes idolo Moloch: ergo par est ut illi ibidem a Christo damnentur ad gehennam ignis æterni. Addit S. Thomas in *Isaiæ xxx*, 33, Hebræos opinari ibidem esse fauces inferni, sive quædam infernalis incendii spiracula, qualia nonnulli opinantur esse in Aetna, olla Vulcania, Vesuvio, Hæcla et similibus montibus qui flamas vomunt. Iudicium afferunt, quod ibi duæ palmæ jugiter fument, uti fumat Aetna. Verum hujus rei fides sit penes ipsos: apud Latinos enim nil tale legi. Quarto, quia vallem Josaphat esse juxta Jerusalem patet ex eo quod vers. 16 subdit Joel: « Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam. » Confirmatur, quia Jerusalem censetur esse medium terræ, in quo Deus, ut ait Psaltes *Psalm. LXXXI*, 12, salutem operatus est per passionem, mortem et ascensionem Christi: ergo decet ut ibidem Sancti fructum sanguinis et passionis ejus, ac gloriam ascensionis participant. Quinto, quia Christus Hierosolymis vixit, docuit, miracula fecit, judicatus et occisus est: ac in monte Oliveti, qui huic valli imminet, gloriam et majestatem suam ascendens in cœlum ostendit, ibique angeli eum redditum ad iudicium prædixerunt, *Act. I*, 11, dicentes: « Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. » Ergo decet et convenit ut in eadem iudicet incredulos et inobedientes sibi, qui tantæ ejus charitati, redemptioni, doctrinæ et miraculis, quibus doctrinam suam cœlestem esse, seque a Deo missum Messiam et Salvatorem probavit, credere et obe-

dire noluerunt. Justum enim est ut ibi Christus suæ gloriæ majestatem ostendat, ubi summam ignominiam sustinuit; utque ibi judicet, ubi judicatus est, et vindictam sumat de suis persecutoribus, aliisque omnibus qui suo sanguine uti noluerunt. Ita S. Hilarius, Canon. XXV in *Math.* : « Congregantibus, ait, angelis conventum futurum in loco passionis ostendit; et digne illic claritatis adventus exspectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporeæ humilitatis operatus est. » Ita et Remigius, Lyranus, Vatablus, Emmanuel, Mariana hic, D. Thomas et Albertus in cap. xxiv et xxv *Math.*, D. Soto, Paludanus, et passim alii Scholastici in IV, disp. XLVII, aut XLVIII, ac nominatim Suarez, III part. Quæst. LVII, art. 6, disp. LIII sect. III.

Porro Christus judex non descendet in ipsam vallem Josaphat: sic enim a tot hominum millionibus judicandis videri non posset, sed in aerem hinc valli et monti Oliveti incumbentem et vicinum. Sedebit enim in nube lucida et gloria. Assidebit ei Virgo Mater, quæ in hac valle sepulta est et resurrexit: item Apostoli et viri Apostolici. In valle vero locisque ei vicinis consistent homines judicandi, circumstantibus angelis: sed electi et beati rapientur in nubibus obviam Christo in aera, ut ait Apostolus II Thessal. IV, 16.

ET DISCEPTABO CUM EIS IBI. — Hebraice: *Et judicabo*, id est *judicio contendam cum eis*, ut veritatem Syrus; Arabicus: *Et dijudicabo eas ibi pro populo meo*. Alludit per paronomasiam in voce יְשָׁפֵט nispatti, id est *judicabor*, hoc est *disceptabo*, ad nomen *Josaphat*, quod hebraice significat *Domini judicium*, q. d. In valle Josaphat, id est judicii Domini, ego Christus, quasi Deus et judex, *judicio contendam cum omnibus gentibus*, omnesque infideles et impios sceleris convincam et condemnab.

Discep-tatio-nis Christi cum im-piis in-die judicii.

nabo, quod scilicet meam redemptionem vel non crediderint, vel neglexerint, et aspernati sint. Atque inter cætera argumenta hoc proferam: Ecce ego resurgens a morte ex hoc monte Oliveti, publice coram Apostolis plurimisque discipulis in cœlum conscendi, ut ostenderem me e cœlis venisse, indeque a Patre æterno missum, ejus legem et doctrinam cœlestem vobis tradidisse, ac per vera miracula confirmasse: ideoque eo me, peracto legationis et redemptionis officio, a Patre revocari et regredi, ac consequenter vitam meam fuisse innocentem et cœlestem, nec mortem crucis me meis peccatis promeritum, sed pro vestris eamdem amplexum sponte subiisse. Cur ergo mihi non credidistis? cur meam redemptionem et salutem non acceptastis? cur mœsi legi non paruistis? Sane nihil habetis causæ, quod vestrae incredulitatib; et inobedientiæ prætendatis, inexcusabiles estis: convincit vos vestra ipsorum mens et ratio, judicat et condemnat vos vestrum ipsorum judicium, vestra ipsorum sententia, vestra conscientia vos reos et ingratos, mortem et gehennam promeritos; me vero æquum, miseri-

cordem et pium esse proclamat. Christus ergo supra vallem Josaphat in throno judiciario consensu disceptabit, et indignans rugiensque dicet impiis in valle consistentibus et pavidis: Ecce ego in hoc ipso loco pro vobis laboravi, et atrociam passus sum; ecce hic in Gethsemani pro vobis sudavi aquam et sanguinem, proditus et captus sum, ligatus quasi latro, tractusque per Cedron in urbem: ecce juxta hanc vallem in domo Caiphæ, ac mox in domo Pilati, pro vobis judicatus et damnatus ad mortem, flagellatus, spinis coronatus, colaphis cæsus, irrisus et consputus sum: ecce hic totam urbem circumductus, crucem bajulans, tandem in Calvariæ monte pro vobis crucifixus sum: ecce hic nudus inter cœlum et terram suspensus, distensis manibus, pedibus, totoque corpore memet ipsum pro vobis in victimam Deo Patri obtuli. Testis es, Pilate, testis Anna, testis Caipha, testis Juda, testes pontifices, testes Judæi, qui hoc ipso loco contra me contentis vocibus clamastis: « Reus est mortis: crucifigatur, crucifigatur. » Meministi, Pilate, quod quasi reus hic steterim coram tuo tribunali, et sententiam mortis a te acceperim; cum tamen tu innocentem me scires, dicesque: « Innocens ego sum a sanguine justi hujus. » Meministi, Caipha; meministis, pontifices, quod in concilio a vobis adjuratus: « Dic nobis si tu es Christus Filius Dei vivi, » responderim: « Tu dixisti; verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. » Mihi tamen non creditis, imo subsannastis, et quasi blasphemum condemnastis et crucifixistis. Ecce nunc dies illa quam vobis prædixi et intentavi: ecce nunc sors mea cum vestra commutata: judices sedistis, steli ego reus: nunc rei vos, judex ego. Nunc videtis me eum esse quem dixi, Messiam Filium Dei, orbis dominum et judicem: quomodo vos in me sceleratas manus immittere, quomodo sacrilegum Filium Dei blasphemare et occidere ausi fuistis? Cernite manus quas fodistis, pedes quos perforasti: cernite sacra stigmata, quæ corpori meo impressistis. Hæc vos judicant, hæc contra vos clamant, hæc condemnant. Ite ergo, sacrilegi, ite, deicidæ, cum Lucifero in ignem æternum. Et vos, o infideles, o Turcæ, o pravi christiani, hæc scivistis, vel scire potuistis et debuistis; et tamen neglexistis, sprevistis meos labores, sudores, dolores: sanguinem testamenti pollutum duxistis: maluistis sequi vestras concupiscentias, quam me, meamque doctrinam et legem: delicias, opes, honores momentaneos æternæ saluti a me promissæ prætulisti, gehennæ incendia minitatem me contempsisti. Ecce nunc videtis quem contempseritis: nunc cernitis minas meas non fuisse vanas, sed veras; promissa mea non vana, sed certa: nunc cernitis vanas et fallaces fuisse amasias, divitias, dignitates: nunc cernitis vos in earum amore fuisse stultos et insensatos: nunc

gemitis et plangitis, nunc pectora tunditis; sed sero et frustra. Ite ergo, improbi; ite, ingrati; ite, increduli; ite, insensati; ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus a constitutione mundi.

Vos vero, o Apostoli, qui me hoc in loco damnari, flagellari, crucifigi, occidi vidistis, et tamen in me credidistis, me secuti estis usque ad mortem et crucem: vos pariter, o viri Religiosi et Apostolici, qui meam paupertatem, humilitatem, mundi contemptum et crucem amplexi estis; qui que meam fidem, doctrinam et religionem toto orbe propagastis: vos denique, o fideles, qui me redemptorem vestrum credidistis, sperastis, amastis, colustis; qui per omnia meæ legi parvistis, qui christianam, meque dignam vitam egistis; qui sobrie, pie et juste in hoc sæculo vixistis expectantes beatam spem, et hunc meum adventum gloriæ magni Dei: Venite, o dilecti et electi, venite, o benedicti Patris mei, possidete regnum cœlorum vobis paratum ante sæcula, ab omni æternitate. Et ibunt illi in ignem æternum, justi autem in vitam æternam. Beatus qui hæc jugiter cogitat, prævidet et providet. Similem exprobationem Christi judicis ad impios habet S. Augustinus, serm. 67 *De Temp.*, qui est *De Die judicii*.

Hæc cogitabat S. Pelagia pœnitens, quæ a vanitate mundi conversa per B. Nonnum Episcopum Heliopoleos, perpetuæ pœnitentiae se addixit, ad eamque de legit hunc locum. Nam in monte Oliveti tugurium erexit, ex quo in vallem Josaphat despectus est, ut jugem Christi patientis, æque ac judicis venturi imaginem sibi ob oculos poseret. Ita habet ejus Vita 8 octobris, et Adrichomius in *Descript. Terræ sanctæ*.

B. Xaverius Ad hanc quoque vallem B. Xaverius citavit praefectum Malacæ, qui, cupidine auri victus, iter ejus in Sinas, ac consequenter Sinarum conversionem impediens: « Ego, inquit, nunquam posthaec illum, neque ille me visurus est in hac vita, nisi cum apud summum illum Judicem in valle Josaphat eum accusaturus sum, quod improbissima turpissima cupiditate occæcatus, tantam animarum impedierit messem. Ita Tursellius in ejus Vita lib. V, cap. VII. Ad eamdem nos oraculo Joelis citat hic Deus, reipsa citaturus per Archangelum, cum ille tubali voce omnes e monumentis evocabit ad tribunal Christi.

Fatetice S. Cyrillus, orat. *De Animæ excessu*, quam fuse recitat noster Raderus in *Viridario Sanctorum*, pag. 186: « Metuo, inquit, mortem, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quoniam æterna est. Metuo tartarum (ita vocat gehennam frigoris et glaciei, qua æque ac igne torqueri damnatos in inferno multi censem, moti illo Jobi, cap. xxiv, vers. 19: « Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium. » Ita ibidem Philippus presbyter, S. Thomas, Titelmannus, Stunica et alii), quoniam nihil habet caloris. Metuo verem veneniferum, quoniam æternus est. Metuo

angelos judicio præficiendos, quoniam immisericordes sunt. Metuo, cum cogito illius diei terrible, et muneribus inexpugnabile concilium, tribunal horribile, judicium incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimaque flamma torrens, et acutos enses. Metuo severissimas poenas. Metuo supplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilem. Metuo inevitabiles probationes. Nihil enim accusationibus eget judex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus, sed quemcumque fecimus, diximus, decrevimus, ea in medium adfert ob oculos nocentium. Tum nullus est qui adsit et pœnis eripiat, non pater, non mater, non filius, non filia, non amicus, non defensor, non pecuniarum largitio, non divitiarum abundantia, non potentiae fastus: quin hæc omnia cineris ritu in pulverem abeunt, solusque reus ex suis factis absolventer aut condemnantem sustinet sententiam. » Et inferius: « Tunc ubi hujus mundi jactantia? ubi inanis gloria? ubi apparatus? ubi reges, ubi ornatus? ubi pecuniae? ubi nobilitas, ubi delectatio? ubi corporis virilitas? ubi falsa illa et inutilis mulierum pulchritudo? ubi tunc vestimentorum comptus? ubi qui cum tympanis et cithara vinum potant? ubi theatra? ubi venationes? » Et post nonnulla: « Acerbum est in igne esse, et clamare, neque subveniri. Insuperabiles fauces, immensus gurges, ubi inclusus quis et detentus evadere aut aufugere nequeat: insuperabilis custodiæ murus, immites custodes, tenebricosus carcer, tetri Æthiopes, infracta vincula, inconvulsæ catenæ, diri ferique flammæ illius ministri, graves illæ quæ ad supplicium adhibentur scuticæ, firmi unguies et infracti, duri nervi, turbida pix atque torrens, foetens sulphur, ignea illa cubicula: inexstincta pyra, putidus virosusque vermis: inexorable concilium, invictus gratia judex, inexcusabilis defensio: notis compuncti magnatum vultus, exoleti optimates, mendici reges, imperiti sapientes, fatui oratores, dementes divites: non auditæ falsa scribentium assentationes; manifestæ malitiosorum versutiæ, perspicueæ fraudatorum calliditates: vœ improbis! profani, scelerati et impuri sunt in conspectu Dei! vœ contentacibus, contentiosis et turbulentis! vœ perjuris! vœ helluonibus, quorum Deus venter est! »

SUPER POPULO MEO ET HEREDITATE MEA ISRAEL.

— *Populum suum*, sive *Israel*, vocat suos fideles et sanctos. Horum enim typus erat populus Israel, olim a Deo electus, fidelis et sanctus: illique in ejus a Deo et Christo apostatantis locum subrogati et adoptati sunt, ut docet Apostolus Rom. ix, 8; nam ut idem ait Galat. vi, 16: « Quicumque hanc regulam (Christi et Evangelii quod ego prædico) secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. » Vox et

significat *id est*, q. d. « *Pax* » sit « super illos, » id est super Israelitas : quia illi sunt veri Israëlitæ, non carne, sed fide et spiritu : sequuntur enim fidem et virtutem Israelis, Isaaci et Abrahæ. Horum ergo dispersionem, id est persecutions et exsilia se vindicaturum hic dicit Deus. Sensus ergo est, q. d. In valle Josaphat disceptabo cum infidelibus et impiis, qui populum meum Israel, id est fideles meos, et pios verosque Dei cultores affixerunt, eosque condemnabo et puniam æterna morte.

ET TERRAM MEAM (populi mei, ideoque meam, illo ejecto, inter se) **DIVISERUNT**. — Persistit in typo et allegoria vastationis et excidii Judææ per Chaldaeos, sed per hoc intelligit expilationes et injurias fidelibus irrogatas. Sic enim Turcæ Christianorum prædia et provincias invaserunt, occuparunt, diviserunt : sic Angli etiamnum orthodoxorum bona confiscant, et per muletas exhausti, uti olim fecerunt Nero, Decius, Diocletianus, etc., quibus recte competit id quod sequitur :

3. ET SUPER POPULUM MEUM MISERUNT SORTEM, — sortito inter se dispergentes tam ipsum quam ipsius bona, ut milites Christi crucifixi vestimenta, eo inspectante, sortito inter se diviserunt : quæ ingens fuit contumelia et afflictio. Alludit ad sortem quam jecit Aman super Judæos de die et mense, quo eos trucidare destinabat, *Esther* III, 7. Arguit gentium turbam « super tribus, ait Hugo Victorinus, de avaritia, de luxuria, de gula. De avaritia, quia super populum Domini sortem misit. De luxuria, quia puerum prostituit. De gula, quia pro vino puellam vendidit. »

Tropologice : « Dæmones terram Domini, id est fidelem animam, vitiis dividunt; superque populum virtutum, peccatorum sortem mittunt. Tunc puerum, id est puritatem mentis, prostituunt illicitis desideriis. Tunc puellam, id est cordis innocentiam, vendunt pro vino, id est lætitia temporali et terreno delectamento. » Hucusque Hugo.

ET POSUERUNT PUEBUM IN PROSTIBULO, — q. d. Pueros populi mei posuerunt in lapanari, ut scilicet ex eorum corpore exposito pæderastis ad innaturalem et exsecrandam libidinem, lucrum et quæstum facerent; sic et puellas vendiderunt partim ad libidinem, partim ad servitium, ut ex earum pretio vinum emerent, eoque gulam suam explorarent. Unde Hebræa ad verbum habent : *Dederunt puerum in meretricem*, vel pro meretrice, quam S. Hieronymus vertere et vocare solet *prostibulum*. Unde in *Comment.* hic ait : « Posuerunt puerum in prostibulum, » hoc est, prostituerunt puerum lenonibus quasi scortum masculum, « ut eum virilem cogerent mutare naturam, » ut fecit Jason, II *Machab.* IV, 9. Sic et Theodoreetus, Remigius, Rupertus, Hugo et Vatablus. Quocirca Arabicus uterque vertit : *Commutaverunt pueros in mercedem meretricum*, scilicet meretricibus substituendo pueros meritorios, ex quibus captarent turpem mercedem, qualis solet dari meretricibus.

Syrus vero vertit : *Dederunt pueros in mercedem adulterarum*, ut eis servirent quasi famuli. Noster recte vertit, « in prostibulum. » *I rostibulum* enim latine non tantum lupanar, sed et meretricem significat. Audi Plautum in *Aulul.* : « Bellum et pudicum vero prostibulum populi. » Eadem dicebatur prostibula feminine. Audi Festum : « Aliariæ meretrices appellabantur, in campis solitæ ante pistrina aliciariorum versari quæstus gratia; sicut hæ quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibula. »

Secundo, Septuaginta vertunt : *Puerum dederunt meretricibus*, scilicet pro pretio corporis earum sibi prostituti, q. d. Tam vili æstimarunt pueros Judæorum, ut eos loco pretii darent meretricibus pro usu corporis earum, sive pro mercede meretricandi. Ita Chaldaeus, Lyranus, Pagninus, Clarius, Arias et a Castro. Huic sensui favet Hebræum בָּזְבּוֹן *bazzona*, id est pro meretrice, sicut mœx de puellis ait, eas venditas בֵּיאַן *beïauin*, id est *pro vino*; utrobique enim est *beth* pretii.

Tertio, Hieronymus Prado in *Ezech.* XVI, 15 : « Posuerunt puerum in prostibulo, » hoc est, inquit, ad edulia in capona prostituta, ut vendantur hospitibus, emenda et comparanda, q. d. Dederunt in pretium esculentorum puerum Judæum captivum, æque ac pro vino dederunt in pretium puellam Judæam. Hebræum enim גְּזֹנָה *zona*, id est prostibulum, significat proprie cauponam, quæ prostituit edulia, vel merces, vel operas suas, vel etiam corpus, et tum vocatur *meretrix*. Verum latinum *prostibulum* nunquam cauponam, nec esculenta venum prostituta significat. **Primus** ergo sensus est genuinus, eumque exigit nostra Versio latina; deinde **secundus**, qui valde congruit textui Hebræo. Pauca hic, sed enormia in innocentibus pueros et puellas scelera, in die judicii judicanda et punienda recenset Propheta, atque per synecdochen sub his quævis alia subintelligit. Ita Lyranus.

4. VERUM QUID MIHI ET VOBIS TYRUS ET SIDON, ET OMNIS TERMINUS PALÆSTINORUM? — Phrasis illa : « Quid mihi et vobis est? » aversantis, indignantis, abjicientis, reprobantis et condemnantis est, quod adversus ipsum Deum bella moveare, odioque et similitates exercere præsumpserint, cum populum Dei persequebantur. Nam, ut ait S. Hieronymus : « Qui populum Dei persequitur, ipsum Deum persequitur, cuius est populus. » Unde Christus Saulo ait : « Quid me persequeris? Ego sum Jesus, quem tu persequeris, » *Acto.* IX, 4. Jam Haymo, Rupertus, Arias, Vatablus et Ribera censem Tyrum, Sidonem et Palæstinos hic ad litteram capi metaphorice, pro quibusvis impiis : ac, vice versa, per Judæos significari omnes pios et sanctos. *Tyrus* enim hebraice idem est quod coarctatio, et *Tyrii* idem quod coarctantes, angustiantes, affligentes; *Sidonii*, idem quod venantes, scilicet ad mortem : *Philistini*, idem quod conspergentes cinere, id est luctum afferentes, ut

notat S. Hieronymus. Alii, et melius, hæc proprie accipiunt; sicut enim Joel ex multis sceleribus in die judicii judicandis, pauca tantum per modum exempli paulo ante recensuit, ex his cætera omnia synecdochice subintelligens; ita et hic ex omnibus gentibus tum judicandis per modum exempli producit paucas et fama, et vicinia, et scelere apud Judeos insigniores, atque ex his cæteras omnes partim per synecdochen, partim per metaphoram intelligendas relinquit. Tyrii enim, Sidonii et Philistini fuere acres, et pene perpetui, populi Dei, puta Judæorum, hostes, in eosque sæpe crudeliter desævierunt spoliando, occidendo et vendendo eos Græcis, id est gentibus Asianis. Unde contra eos tonant Prophetæ uno ore, et excidium per Chaldaeos eis intentant, ut Isaias cap. xiv, 29, et toto cap. xxiii, Jeremias toto cap. XLVII, Ezechiel toto cap. XXVII et XXVIII. Eadem de causa Joel hic eisdem idem per Chaldaeos temporale excidium (sed obiter perstringendo id tantum), ac multo magis æternum in die judicii, puta condemnationem et gehennam, intentat. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Lyranus, Ribera et alii. Miscet ergo Joel litteram allegoriæ: quia mixtim loquitur de hostibus Judæorum sui temporis, et de hostibus fidelium et sanctorum quo-vis ævo. Sic Isaias, cap. xiv, miscet casum Baltasaris cum casu Luciferi; et Ezechiel, cap. XXVIII, miscet casum regis Tyri cum casu Cherubini. Vide Can. IV et LII in Prophetas Majores.

Quare minus recte aliqui hæc referunt ad Tyrios, Sidonios et Palæstinos, qui tempore Titi et Romanorum Judæos afflixerunt; alii ad eos qui Christianos et nascentem Ecclesiam Christi in Judæa persecuti sunt: præsertim cum non legamus Tyrios, sed Judæos ipsos persecutos fuisse Christum et Christianos. Sensus ergo est ad litteram, q. d. Quid mihi vobiscum est, o Tyrii, Sidonii et Palæstini, qui acerbi et continui fuistis hostes populi mei (Judæorum), ac consequenter mei ipsius, qui populi hujus mei tutor sum et Deus? Num ultiōnem de me, quod sæpe per Judæos vos ceciderim, sumere vultis hoc ipso, quod cum me non possitis, populum meum opprimitis, ejusque aurum et opes diripitis, templum meum spoliatis, ut delubra Beli et idolorum vestrorum ornetis, ac Judæos quasi mancipia venditis Græcis, id est gentilibus, ut fecit Nicanor, II Machab. VIII, 14. Sed agite, ecce ego vicissim ulciscar me, et hasce populi mei injurias, ac talionem vobis rependam: suscitabo enim et liberabo populum meum de manu vestra, faciamque ut ille vestri dominetur, et vicissim filios vestros vendat Sabæis, qui sunt prædones notissimi, ut patet Job I, 15: licet enim hoc reipsa factum alibi non narret Scriptura, hic tamen futurum prædict, unde factum esse, non dubium: sic enim multa a Prophetis prædicta, facta non legimus, et tamen facta non dubitamus. Credimus enim oracula eorum fuisse vera, ac proinde reipsa impleta. Vide Can. XLII in Prophetas

Majores. Ita Theodoretus, Remigius, Lyranus (1).

Hic est sensus primus et quasi fundamentalis, sed sub hoc aliud magis præcipuum intendit Propheta: nimurum per hæc Tyriorum, Sidoniorum et Palæstinorum scelera, et eorumdem punitiōnem, significat similia crimina tum Turcarum et Saracenorum in Christianos, tum quorumvis impiorum qui pios perseguuntur, quos Deus in die judicii, cum suos fideles et pios a morte suscitat ad vitam, et in libertatem gloriæ filiorum Dei asseret, puniet et vendet Sabæis, id est tradet cruciandos dæmonibus. Hisce enim Sabæi moribus et nomine erant similes. Sabæi enim per scin significat hebraice captivitatem, uti vertunt hic Septuaginta, et captivantes, quales sunt dæmones. Unde et Arabicus Alexandrinus vertit: Venundabunt eos in captivitate, captivitatem (captivos abducendos) ad gentem remotam. Ita Rupertus, Clarius, Arias, Vatablus, Ribera et a Castro. Rursum Sabæi per sin hebraice significat epulantes, saturos a radice יְבָשׁ saba, id est saturatus est; vel potentes et ebrios, a radice בָּשָׁר scaaab, id est potavit, ut sit metathesis. Dæmones enim laniabant impios in gehenna, eorumque carnibus, sanguine et pœnis se pascent, et quasi inebriabant. De judicio enim extremo agit Propheta in præcedentibus, æque ac in sequentibus: unde symbolice per Tyrios, Sidonios et Palæstinos notantur hic tres, id est omnes classes impiorum. Tyrus enim superba, et instar arcis in mari eminenſs, notat superbos: Sidon mercaturæ dedita, venansque opes, notat avaros: Palæstini, id est caudentes, notant carnales, qui quasi porci corruunt in ventrem et venerem, ac volutantur in cœno gulæ et libidinis. Nam, ut ait S. Joannes epist. I, cap. II, 16: « Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum (avaritia, sive cupiditas auri et argenti), et superbia vitae. » Hos Deus ejusque Sancti judicabunt et damnabunt in die judicii, juxta illud Psalm. CXLIX: « Exsultabunt Sancti in gloria, etc.; gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. Ut faciant in eis judicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis ejus. »

ET OMNIS TERMINUS PALÆSTINORUM. — Ita et Tigrina et alii passim, q. d. Et omnes fines omnesque regiones Palæstinorum. Verum Septuaginta

Sabæi
etymon.

Tyrii
sunt su-
perbi,
Sidonii
avari,
Palæstini
gulosi.

(1) Sic vertit Maurer: *Et vos quid mihi tandem vultis facere, cogitatis inferre mali, Tyre et Sidon, et omnes regiones Philistææ? Num opus rependere vultis mihi, nunc cogitatis referre malum mihi, pro eo quod hanc vobis pœnam annuntiavi, 1-3? Si retrubuitis mihi, malum mihi refertis, cito, celeriter, referam opus vestrum in caput vestrum, referam vobis quod mihi intuleritis malum.* Hæc sola difficultioris loci interpretatio, inquit Maurer, sententiam ad nexum aptam ita præbet, ut non vim inferat verbis.

hebræum גָּלִילְוֹתִים *gelilot* retinuerunt quasi nomen proprium, vertuntque : *Et omnis Galilæa alienigenarum, id est Philistinorum. Mirum hoc : nam nulla Galilæa fuit in Philistæa ; unde in Hebræo non est alienigenarum, sed Palæstinorum.* Audi S. Hieronymum : « Pro Galilæa, in Hebræo scriptum est *gelilot*, quod Aquila, οὐας; Symmachus, terminos transtulit : οὐας autem id est tumulum arenarum, referamus ad littora Palæstinæ, non ad Galilæam Philistiū, quæ omnino nulla est. » Quare credo Septuaginta, qui id sciebant, voluisse retinere hebræum nomen *gelilot*, ut Galilæa sit nomen appellativum, non proprium, significans fines, terminos : hi enim hebraice vocantur *gelilot*, indeque regio Galilæa nomen accepit, puta a revolutionibus et molibus arenarum, quibus determinatur ; quia enim mari adjacet, hinc ab eo se dividit, et tutatur in littore congestis arenarum tumulis : radix enim גָּל gal significat volvere, con volvere. Ita Andreas Masius in *Josue XIII, 2.* Ubi pariter Noster vertit : *Omnis Galilæa Philistiū et Gessuri;* Septuaginta vero, Chaldaeus et Rabbini vertunt : *Omnes limites vel littora Philistinorum et Gessuri.*

Vers. 8. **Sabæi** qui et ubi ? **SABÆIS.** — Sic et Aquila et Symmachus, licet Septuaginta vertant, *in captivitatem*, בְּשֵׁבֶת scebi enim hebraice est captivitas. Sabæi autem sunt vel Æthiopes, vel Arabes Arabiæ Felicis, de quibus Poeta : « Centumque Sabæo thure calent aræ. » Duplex enim est Saba, una in Æthiopia, altera in Arabia : utraque longinqua longeque distans a Judæa, uti docte docet P. Pineda, lib. V *De Rebus Salom.* cap. vi, num. 3 et 4 ; unde Preto Joannes Imperator Abyssinorum hoc titulo gloriatur : « Dominus Sabaim (id est utriusque Sabææ, et utrorumque Sabæorum) et successor reginæ Saba, » quæ cum muneribus venit ad Salomonem, III, *Reg. x.* Porro « Judæi, inquit S. Hieronymus, promittunt sibi, imo somniant, quod in ultimo tempore congregentur a Domino, et reducantur in Jerusalem. Nec hac felicitate contenti, ipsum Deum suis manibus Romanorum filios et filias asserunt tradituros, ut vendant eos Judæi non Persis, et Æthiopibus, et cæteris nationibus, quæ vicinæ sunt; sed Sabæis, genti longissimæ : quia Dominus locutus sit, et populi sui ulciscatur injuriam. Hæc illi, et nostri judaizantes (Chiliastæ) qui mille annorum regnum in Judæa sibi finibus pollicentur, et auream Jerusalem et victimarum sanguinem, et filios ac nepotes et delicias incredibiles, et portas gemmarum varietate distinctas (de quibus Apoc. cap. xxi) : « Nos autem dicamus quod et suscitavit Dominus post adventum suum et quotidie suscitat, et suscitaturus est eos quos varius error eduxerat de finibus suis; pulchreque : Suscitabo, ait, quasi jacentes et corruentes, ut qui jacebant in hæresi, stent in Ecclesia, reddens hereticis quod fecerant, ut filios eorum et filias, quos in mysticis et carnalibus erudierant, tradat in manus filiorum Juda, id est in manibus eorum qui Ecclesiarum principes extiterunt, ut ad me-

liora conversi, ecclesiasticis dogmatibus incipient esse subjecti. » Hoc tropologicum est : nam ad litteram agit Joel de impiis, quos in die judicii æternæ servituti et carceri Deus mancipabit.

9. CLAMATE HOC IN GENTIBUS (proclamate hæc **Vers.** voce præconis apud gentes) : SANCTIFICATE (Tigurina, indicite; Chaldaeus, præparate) BELLUM.— Est catachresis : quia enim festa futura solebant apud Judæos sanctificari, id est indici et præconis voce publicari, ut ad ea quasi sancta populus se sancte compararet; hinc sanctificare idem est quod indicere et proclamare. Vide dicta *Jeremie* VI, 4; unde Theodoretus : « Sanctificate bellum, » hoc est, inquit, « excitate pugnatores et segregate ad bellum : quoniam enim sanctus seipsum a sceleribus segregat, hinc omne quod segregatur ad aliquid, vocat sanctificare. »

Tropologice Hugo Victorinus : « Sanctificare bellum, est bellum sanctitate donare : nonne bellum sanctificatur, ubi virtus triumphat, et vitium necatur? »

Nota hæc per ironiam dici, q. d. Defendite vos, o Tyrii, aliæque quælibet gentes, quantum potestis ; at non evadetis judicium meum, manum meam, vindictam meam, quam exercebo in vos tum per Chaldaeos, tum potius per Christum et angelos in die judicii. Ita S. Hieronymus, Lyranus, Clarius et Vatablus, Addit Arias omnes impios, quasi classico evocatos, ruituros in bellum contra Christum et Sanctos, ac properaturos in vallem Josaphat, itaque instar furentium ruituros in suum exitium, quod ibidem eis inferet Christus. Verum hoc parum est verisimile : nam morientur omnes ante judicium, ac classicum Archangeli audient : « Surgite, mortui, venite ad judicium ; » scient ergo se evocari ad judicium, non ad bellum. Minus etiam verisimile est quod censem Rupertus et Hugo, hæc dici concionatoribus, ut bellum indicant peccatis et peccatoribus ; aut viris sanctis, ut contra impios parent arma, de iisque se ulciscantur. Patet enim ex seq. hæc ad impios in fine mundi ironice dici. Unde sequitur :

ASCENDANT, — prodeant in prælium, acies suas explicit, arma viresque suas ostentent.

10. CONCIDITE ARATRA VESTRA IN GLADIOS (**Hæc Vers. 10.**) phrasis significat bellandi cupidinem, æque ac necessitatem extremam, tantam scilicet, ut opus sit ex aratris fabricare gladios, quibus pro vita pugnetur, etiam a languidis et infirmis. Hoc est enim quod subdit) : **INFIRMUS DICAT : QUA FORTIS EGO SUM, — q. d.** Infirmus in tanta necessitate infirmitatem excutiat, vires et arma suscitet : agitur enim de ejus et omnium aliorum capite et salute. Ex adverso Isaias, cap. II, 4, significans pacem summam a Christo nascente orbi afferendam, ait : « Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. » Simili phrasi tempus belli exprimit Virgilius, I *Georg.* :

Et Ovidius, lib. I Fastor. :

Sarcula cessabant, versique in pila ligones :
Factaque de rastri pondere cassis erat.

Et Martialis, lib. XIV, epigr. 34, cuius titulus :
Falx ex ense :

Fax me certa ducis placidos conflavit in usus.
Agricola nunc sum, militis ante fui.

Sic S. Paulum gladium persecutionis vertisse in vomerem Evangelii, cum ex lupo factus est agnus, docet Tertullianus *Contra Gnosticos*, cap. XIII : « Paulus Apostolus, inquit, de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, et convertens machæram in aratrum : lupus rapax Benjamin, deinde afferens etiam ipse escam. »

Tropologice Hugo Victorinus : « Quid, ait, sunt aratra, nisi membra mortificata ? Quid est aratra in gladiis concidere, nisi membra mortificata pro cura fidei, pro virtute verbi neci frequenter opponere ? Ligones sunt variæ mentis compunctiones : lanceæ sunt severæ comminationes. Quid est autem ligones in lanceas concidere, nisi e varia mentis compunctione ardorem fidei, virtutem verbi, vim sententiarum concipere ? Gladius est, de præsenti virilis conceptio : lancea, de futuris salubris comminatio. » Unde sequitur :

Vers. 11. IBI OCCUMBERE FACIET DOMINUS ROBUSTOS TUOS (1), — q. d. Quantumcumque, o gentes, sitis armatae, quantumlibet fortes et pugnaces, tamen in valle Josaphat cædemini a Domino, occumbetis, et in tartara detrudemini. Dicit « robustos tuos, » non vestros, quia loquitur collective toti gentium populo, tanquam uni. Omnes enim hi Dei hostes, et impii unus censemur reproborum cœtus, unus damnatorum populus. Sic sæpe alibi Scriptura de iisdem loquitur nunc in plurali, respiciens singulos, qui sunt plures; nunc in singulari, respiciens populum, qui est unus.

Pro *occumbe* *faciet* hebraice est *חַנְחָת* *hanchat*, id est descendere fecit, hoc est faciet : propheticæ enim præteritum capitur pro futuro. Unde Tigrina versio habet : *Ibi sternet Dominus heroes tuos*. Sic et Chaldæus et Pagninus. Rursum *hanchat* potest accipi ut imperativus. Unde Vatablus vertit et explicat : *Descendere fac, o Domine, fortes tuos, ut scilicet contra gentes pro Ecclesia tua dimicent*; vel *descendere facies e cœlis angelos tuos fortes, juxta illud Judic. cap. v, 20* : « De cœlis dimicatum est contra eos. »

Septuaginta aliter hæc accipiunt; vertunt enim : *Mansuetus sit pugnator*, q. d. Pac, o Domine, ut tui bellatores descendant de sua ferocia, ponant animos et iras, sintque mansueti, ut vindictam clementia temperent : forte etiam pro

(1) Quod secunda persona subito transit in tertiam, nihil potest habere difficultatis in loco, in quo iterum itemque mutatur persona.

hanchat legerunt *חַנְחָת haane*, id est humilia, humiles fac et mites.

Nota : Loquuntur Joel et Prophetæ de die judicij quasi de die prælii, quo Christus confliget et proteret reprobos, utpote hostes suos, calcans eos quasi in torculari, et concidens eos in valle concessionis. Idem Christi prælium describitur Apoc. cap. XIX, 11; Sapient. cap. v, 18; Isaiæ cap. LXVI, 15 et 24.

12. CONSURGANT ET ASCENDANT GENTES IN VALLEM JOSAPHAT. — Sunt verba Christi omnes gentes evocantis et citantis ad suum tribunal, q. d. Gentes, ubilibet mortuæ et sepultæ, a morte et e sepulcro resurgent, pergantque in vallem Josaphat : « Quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes. » Ita S. Hieronymus, Rupertus, Remigius, Lyranus, Hugo, Vatablus et alii. Dicit, « ascendant : » primo, quia ascendere Hebræis idem est quod ire, pergere; secundo, quia Jerusalem sita est loco alto, ut aliunde venientes eo scandere oporteat: alioqui ex ipsa Jerusalem in vallem Josaphat descenditur, non ascenditur; tertio, quia tribunalia judicum solent esse loco sublini et conspicuo, ut eo euntibus scandendum sit: sic Christi tribunal erit loco edito super vallem Josaphat, ut gentes ad illud euntes recte ascendere dicantur; quarto, ascendere Hebræis est verbum militare et forense. Milites enim dicuntur ascendere in prælium, cum pergunt contra hostem, cum ecque confligunt; ascendere enim significat aggredi rem arduam, ad quam animos erigere, viresque excitare et acuere opus : tale autem est prælium, vel militare, vel judiciale, puta quo reus cum testibus et judge discepit, et quasi confligit pro se suoque capite.

13. MITTITE FALCES. — Loquitur hic Christus ad Apostolos aliosque qui secum sessuri sunt judices in die judicij, ut impios condemnent. Ita S. Hieronymus et Remigius; vel potius ad angelos, qui demetent homines in fine mundi, ac mox eosdem resuscitabunt, et ducent ad tribunal Christi, ab eoque damnatos detrudent in tartara, q. d. Vos, o angeli, demetite omnes homines viventes, ut moriantur : « quoniam maturavit, » id est matura est, « messis, » id est quia completus est electorum omniumque hominum numerus, ac mundi sæcula a Deo præstituta jam evoluta sunt; ac proinde Deus illis finem imponere decrevit. Ita Rupertus, Haymo, Lyranus et Vatablus. Proprie autem impiorum maturitas significat tempus eorum post felicem vitam decursam, cum nimis illa in omni voluptate et turpitudine usque ad maturam ætatem est transacta: tunc enim maturitas est tam ætatis quam iniquitatis, quasi segetis quæ poscit manum et falcem messoris, ut in tartaro, velut horreo condantur. Huc allusit Christus, Matth. cap. XIII, 39 : « Messis, ait, consummatio sæculi est; messores autem angelii sunt. » Et mox vers. 41 : « Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia

scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. » Huc quoque allusit S. Joannes, Apoc. cap. xiv, 15, ubi vidit tres angelos cum falcibus demetentes messem, et vindemiantes botros terræ. Ibidem P. Alcazar censet primum angelum, qui vers. 15 dicit: « Mitte falcam tuam et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ, » ad litteram esse Joelem, qui hic idem dicit quod angelus ille Joannis: secundum, qui vers. 17, vindemiat botros terræ, esse Mosen qui est typus sapientiæ: tertium vers. 18, qui secundum admonet ut botros vindemiet, esse Eliam, qui est typus zeli: hæc enim demessio et vindemia terræ erit opus summæ Dei sapientiæ æque ac zeli.

Porro addit Alcazar Joelem, æque ac Joannem, messi jungere vindemiam hoc sensu, q. d. Vos, o mессоры, id est prædicatores Evangelici, strenue prædicando insistite messi Dei colligendæ; neque enim vobis laborantibus et sudantibus deerit vini copia et affluentia, quæ vos reficiat et soletur. Nam cum vos totos in messem Domini impendetis, Dominus vicissim vindemiæ curam suscipiet, imo messem vestram illico in vineam maturam convertet, et ex ea exprimet mustum delicatissimum. Nihil enim est quod prædicatores ita recreet, nullum vinum sapidius, quam copiosa seges et fructus prædicationis ipsorum. Dum enim vident tot converti, adeo sanctos evadere, imo martyres fieri, bibunt vinum consolationis suavissimum. Verum hic sensus nec est litteralis, ut patet, sed potius literalis, qui est de damnatione reproborum, adversus et oppositus: ac consequenter nec est mysticus. Hic enim fundari debet in literali, eique congrue et ex æquo respondere, ut ei naturaliter insertus, et quasi innatus videatur.

VENITE, ET DESCENDITE, QUIA PLENUM EST TORCULAR — botris et uvis: in illud ergo vos, o angeli, descendite, ut hasce uvas prematis et calcetis, uti habent Septuaginta. Torcular hoc, sive prælum plenum uvis, id est impiis premendis et conculcandis, erit gehenna, sive infernus. Unde Chaldæus vertit: *Conculcate imperfectos*. Nota metaphoram: *calcare enim torcular*, in Scriptura significat ulcisci, et acres pœnas de reo sumere; quia sicuti torculari vinum, ita vindicta et supplicio sanguis, anima et vita exprimitur. Sic Thren. cap. I, 15, dicitur: « Torcular calcavit Dominus virginis filiae Juda. » Et Isaiæ cap. LXIII, 3: « Torcular calcavi solus, etc., calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea. » Et Apocal. cap. xix, 15: « Ipse (Christus) reget eas (gentes infideles et impias) in virga ferrea: et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. » Vide ibi dicta.

Vers. 4 **14. POPULI POPULI** (hoc est, plurimi populi scilicet erunt) **IN VALLE CONCISIONIS**, — id est Josaphat, ubi coincidentur, id est perdentur impii, juxta illud Psalm. CXXVIII: « Dominus justus concidet cervices peccatorum. » Ita S. Hieronymus, q. d. O

quot populi, quot turbæ, o quot gentes coincidentur in valle Josaphat! Ita Vatablus. Unde Septuaginta vertunt: *Sonitus auditus sunt in valle judicii*. Hebræum enim חַמּוֹנִים hamonim significat tumultus et strepitus turbarum et populi multi. Unde Syrus vertit: *Murmur (fremitus) clamoris in profundo cœtum* (in valle congregationis populi); Arabicus: *Hic est tumultus casuum, quorum incursus in valle Josaphat*.

Nota: Hebræum ψυρόν charuts, primo, verti potest concisionis. Ita vertunt Aquila, Symmachus, Quintus editio et Noster.

Secundo, charuts verti potest, *tribulationis, triturationis*, vel tribulæ, sive trahæ ferratae et dentatae, instar serræ ad serrandum, qua grana ex aristis quasi serrando excutiuntur, triturantur et a paleis separantur. Unde Tigurina vertit: *Turbæ, turbæ convenient in valle excussionis*; alii, *in valle serrationis*; Chaldæus, *in valle divisionis judicii*; alii, *in valle concisionis*, id est separationis, in qua scilicet boni a malis, triticum a palea, agni ab hædis separabuntur. Ita Remigius et Lyranus. Ubi nota: Congruë respondet hæc tribula passiva impiorum tribulæ activæ eorumdem, qua ipsi tribularunt in hac vita pios et justos. Justum est enim ut tribulationem injustam, quam aliis intulerunt, ipsi sentiant et subeant. Rursum, tribula hæc apte respondet torculari, de quo præcessit. Tunc enim excutienda est, æque ac exprimenda omnis impiorum felicitas, et humor pristinæ felicitatis, ait P. Pineda in Job cap. XXIV, 24.

Tertio, Vatablus: Vallis, ait, dicitur charuts, id est concisionis, vel decisionis, id est *judicij definiti, determinati et concisi*. Unde Septuaginta et Theodotion vertunt, δίκην τοῦ τῆς χριστεῖς, id est, *causæ et judicij*. Rursum vallis concisionis, id est decurrationis et abbreviationis, ut vertit Syrus hic et Noster, Isaiæ cap. x, 23, est vallis in qua concisus, curtus, brevis et exiguis conflabitur Beatorum numerus. Ubi nota: Pulchra est antithesis inter gentium omnium immensam multitudinem, et concisionem sive abbreviationem: amputatis enim, resectis et rejectis impiis, quorum infinitus est numerus, colligit Deus brevem quamdam justorum et electorum summam et numerum, juxta illud Isaiæ cap. x, 23: « *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ* »: sicut in tritura, rejectis paleis, pauca restant tritici grana.

Quarto, vallis charuts verti potest *vallis excisionis, consumptionis, excidi*, scilicet impiorum.

Quinto, charuts significat aurum concisum, vel confusum, aut potius præcisum, discretum et separatum, id est expurgatissimum, quod obrizum vocant. Sicut ergo Romæ Vaticanus vocatur Mons aureus, quia in eo crucifixus est S. Petrus Apostolorum princeps: ita vallis Josaphat vocari potest Vallis aurea, tum quia sanctis et electis erit aurea et felicissima, æque ac reprobis ferrea et

Vallis
charuts,
id est
conci-
sionis,
mul-
tipli-
ter.

infelicissima, tum quia excoctis in judicio sordibus peccatorum, purum aurum remanebit, inquit ex Hebrais S. Hieronymus; tum quia in judicio, Christi justitia, et Sanctorum charitas et gloria fulgebit ut aurum.

*Sexto, charuts, id est concisus, vel præcisus, vocatur vir acutus, sollicitus, acer et strenuus. Vallis ergo charuts verti potest primo, vallis acuta vel aspera, nimirum reprobis, uti apud Lovanium est Asper collis, ita dictus ab ascensu arduo olim et prærupto, in quo visitur imago miraculosa B. Virginis, quæ inde Aspericollensis nuncupatur. Secundo: Vallis sollicitorum et anxiorum ubi scilicet impii dicent montibus: « Cadite super nos; et collibus: Operite nos. » Tertio, Vallis acrum, fortium et strenuorum, ubi scilicet sancti Apostoli, virginis et martyres, qui fortiter usque ad mortem pro virtute laborarunt et certarunt, a Christo judge coronabuntur. Ita P. Pineda in *Salomon.* prævio lib. IV, cap. xviii. Ubi nota: Hebræi non habent verba composita, sed ea per simplex significant, v. g. γῆ charuts significat cædere cum suis compositis, puta concidere, excidere, præcidere, succidere, etc. Hinc tanta ex Hebræo sensuum varietas, et versionum multiplicitas, quæ magnam conceptuum rerumque copiam concionatoribus subministrat, uti patet hic in charuts.*

Vers. 15. 15. SOL ET LUNA OBTENEBRATI SUNT — in die judicii tam calamitoso et horribili; non enim agit hic de signis judicio præviis: de his enim egit cap. II, 30, sed de ipso judicio, cum ad illud omnes cogentur in vallem Josaphat. Nota hyperbolam hypallagen crebram apud Prophetas, quæ dicant solem, lunam et stellas obscurandas esse, cum significare volunt magnitudinem et atrocitatem afflictionis, timoris et horroris, q. d. Dies ille (judicii) tante calamitatis erit, ut hominibus ex illa attonitis et consternatis, ac ad vultum irati judicis expavesceribus, sol, luna et stellæ deficiere et obscurari videantur. Mœstis enim et pavidis omnia videntur tristia, mœsta et atra. Similis phrasis est *Isaiæ* cap. XIII, 10, *Amos* cap. VIII, 9, et alibi. Vide Can. XXXII in *Isaiam.* Ita S. Hieronymus, Remigius et Rupertus.

Addunt aliqui revera in die judicii obscurandum esse solem, lunam et stellas, ut judici creatori suo se conforment, ejusque iram et indignationem partim induant, partim excipiant, eo quod impiis in suis sceleribus luxerint et servierint, ideoque verecundentur, et quasi sibi timentes a vultu irati judicis se abscondant. Ita S. Hieronymus. Aut quia tanta erit claritas Christi aliorumque corporum beatorum, ut suo fulgore offuscet lucem solis et stellarum. Ita Remigius et Lyranus.

Alii apud Origenem, tract. 30 in *Matth.*, censem solem et stellas obscurandas a fumo, qui prodibit ex igne conflagrationis mundi. Alii ex defectu nutrimenti; censem enim, sicut lucerna alitur oleo, sic et solem et stellas vapore, simili re

ali, eo que deficiente extingui; sed hoc refellunt Physici.

Symbolice, Origenes ibidem: « Sicut, inquit, in dispensatione crucis (dum Christus in cruce pendebat) sole deficiente, tenebræ factæ sunt super universam terram: sic signo (cruce) Filii hominis apparente in cœlo in die judicii, deficiet solis lumen, et lunæ, et stellarum, quasi consumptam a multa virtute signi illius. »

Allegorice Haymo: Sol, ait, est Christus, luna B. Virgo, stellæ Sancti, qui lucem, id est serenitatem et favorem vultus sui, retrahunt a reprobis. Ex adverso Origenes loco citato: Sol, ait, mundi hujus est diabolus, luna est Ecclesia malignantium, stellæ sunt pseudoprophetæ et hereticæ, quasi stellæ cadent de cœlo, id est, de sua dignitate et gradu excedent in die judicii, quando sententiam damnationis a Christo accipient.

Tropologice Hugo Victorinus: « Sol, ait, est mundi philosophia: luna sæcularis potentia; stellæ cæteræ potestates subditæ. Sol ergo et luna in Josaphat, id est in humilitate judicii obtenebrati sunt: quia ex quo sapientes hujus mundi, potentes hujus sæculi ad fidei claritatem accesserunt, statim sui erroris tenebras agnoverunt. Stellæ vero retraxerunt splendorem suum; quia dum discipulos Christi in causa fidei contemptum arripere mundi, et abjectionem sui agonemque sitiæ martyrii; dum eos fulgentes signis, ornatos prodigiis, gloriosos miraculis prospexerunt, mox ab elatione conversi, a dignitate terrena prostrati, humilitatem Christi sectati, colla fidei subdiderunt. »

16. DOMINUS DE SION RUGIET. — Christus judex Vers. 16. impiis terribilis, tanquam leo de tribu Juda, Apoc. cap. V, 5, rugiet de Sion, uti leo rugit, cum e specula speculatur et prospicit hostem, q. d. Christus judex sedens in aere super vallem Josaphat, ut supra Sion et Jerusalem (hæc enim vicina sunt et contigua), spirans iras et ignes in impios quasi leo, fulmen, id est sententiam æternæ damnationis, horribili voce, et quasi rugitu in eosdem pronuntiabit et intorquebit, adeo ut hac voce cœli et terra concuti et tremere videantur, sicut ad rugitum leonis tremit tota domus. Est hyperbole. Ita Lyranus.

Mystice Rupertus: De Sion et de Jerusalem, id est, inquit, de medio angelorum et hominum beatorum, quibus in die judicii cingetur, Christus rugiet in impios. Minus recte Arias vertit: Pro Sion et pro Jerusalem, id est pro vindicanda Ecclesia sua suisque electis rugiet Christus contra sceleratos, qui eam afflixerunt.

ET MOVEBUNTUR COELI ET TERRA. — Censem aliqui cœlos et terram, totumque orbem quasi conturbatum et indignantem ad passionem sui creatoris, in Christi cruce et morte fuisse concussum, et e suo centro convulsum, parique modo concutiendum et convellendum, cum Christus judex ejus sedebit in valle Josaphat. Pugnabit enim

Symbolice, tenebræ so-
lis.

cum illo orbis terrarum contra insensatos, *Sapient.* cap. v, 21. Prius probant ex *Matth.* cap. xxvii, 51, ubi dicitur quod, Christo pendente in cruce, non tantum petræ scissæ, et monumenta aperta, sed et terra (utique tota, puta globus ipse terræ) mota sit. Terra enim suo motu, et quasi sensu significabat Christum qui patiebatur esse Deum, eumque terram conquassare, terramque ob tantum scelus in Dominum suum admissum hominibus quasi indignari, in eosque vindicem insurgere.

Mystice, significabatur nova terra et novus mundus fidelium, per Christum instituendus. Insuper commovenda fore per hanc Christi necem, terrea et saxea hominum corda ad pœnitentiani. Ulrumque probant ex illo *Job* cap. ix, 6: « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. » Ita censem *Didymus* in *Catena Græcorum Job* cap. i, 9, et favet ibidem *Philippus presbyter*, et *Hugo Victorinus* hic, qui ait: « Vox Christi tam excelsa erit atque terribilis, ut cœlorum cardines et terrarum fundamenta quantiantur. »

Secundo, movebitur terra, quia dehiscet et absorbebit reprobos, mittetque in tartara; movebitur et cœlum, quia sinu suo excipiet Beatos, eisque quasi applaudit. Ita *Lyranus*.

Tertio, « movebuntur cœli, » id est ecclites, puta Beati, ad exsultandum et jubilandum, cum a Christo judice audient: « Venite, benedicti Patris mei, et terra, » id est reprobri terrigenæ et terræ filii, ad tundendum pectora, vellendum crines, complodendum manus et brachia, cum ab eodem rugiente audient: « Ite, maledicti, in ignem æternuin. » Ita *Rennigius* et *Haymo*.

ET DOMINUS SPES POPULI SUI, — q. d. In illa die (judicii) rugiente Christo contremiscent cœli et terra; populus autem ejus, puta verus Israel, non carnis, sed spiritualis, hoc est fideles et sancti, securi et confidentes stabunt; nam confident in Deo suo, ab eoque sperabunt salutem, gloriam et regnum æternum; sperabunt, et obtinebunt: Deus enim erit « spes, » id est complementum spei, sive adimplens et complens spem ipsorum. Idem erit eis « fortitudo, » corroborans eorum mentes et corpora, faciensque ea immortalia, æterna et gloria. Hoc est quod ait *Sapiens*, cap. v, 1: « Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt. »

Vers. 47. 17. ET SCIETIS QUIA EGO DOMINUS DEUS VESTER, HABITANS IN SION. — Promittit hic Deus Sioni et Hierosolymæ ingentia et multiplicita bona, quæ Judæi carnales carnalia exspectant in adventu sui Messiae. Accedunt judaizantes Chilastæ, qui ex hoc loco et ex *Apoc.* cap. xx, 4, putarunt post resurrectionem et diem judicii, sanctos hic in terra, puta in Jerusalem, cum Christo victuros in omnibus carnis deliciis, et in omni felicitate terrena per mille annos, quibus exactis eos rapierdos in cœlum ad æternam gloriam, ut dixi *Apoc.*

cap. xx. Verum hic agi de Sione spirituali, non carnali, id est de Ecclesia et electis Dei, non de Synagoga et Judæis, deque spiritualibus ejus bonis, non carnalibus, patet primo ex eo quod hæc futura sint in fine mundi, cum scilicet Christus in valle Josaphat judicabit omnes omnium sæculorum gentes, ut dixit vers. 1, 2, 12. Unde vers. 13, jubet mitti falces, quibus omnes gentes demetantur. Quocirca, ut ait, sol et luna obtemperati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum, et movebuntur cœli et terra. Quæ omnia significant hæc futura in fine, commotione et mutatione totius mundi. Frustra ergo Judæi hæc in hoc mundo et in hac vita exspectant.

Secundo, quia *Daniel*, cap. ix, 26, prædixit everisionem Hierosolymæ et templi factam a Tito et Romanis fore perpetuam et duraturam usque ad finem mundi; ergo hæc non spectant ad Sionis et Jerusalem terrestris restaurationem.

Tertio, quia certum est multa hic non posse, nisi absurdissime, ad litteram carnaliter, uti sonant, accipi, sed accipienda esse mystice. Talia sunt in versu 18: « Stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egreditur, et irrigabit torrentem spinarum, » etc.

Quarto, quia vers. 20, ait: « Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generatione et generationem; » ergo agit de Judæa et Jerusalem cœlesti, non terrestri: illa enim æterna erit, cum hæc sit temporalis.

Secunda sententia est *S. Hieronymi*, *Remigii*, *Ruperti*, *Hugonis* et *Vatabli*, qui hæc omnia usque ad finem capit is referunt ad primitivam Ecclesiæ, et ad charismata Spiritus Sancti in Pentecoste, de qua dixit cap. ii, 28: « Effundam Spiritum meum super omnem carnem. » « Montes » ergo, inquit *Vatablus*, « sunt Apostoli eorum quo successores; mustum, verbum Dei et doctrina Evangelica: itidem et lac: sed vinum robustis, lac parvulis datur, q. d. Apostoli assidue docebunt Evangelium. Alvei et rivi sunt Ecclesiæ particulares: aqua viva, verbum Dei: fons aquæ vivæ, copia prædicationis Evangelicæ et inexhausta illa doctrina Evangelii, unde animæ fidelium irrigantur: domus Dei Ecclesia. Egredietur autem opera prædicatorum. Torrens, Ecclesia: settim, genus cedri electi, quod ut cedrus nescit corruptionem: ita fideles vivent vita æterna. Ægyptus et Idumæa, omnes nationes quæ non receperunt Christum, quæ gratiis illis erunt vacuae: Juda et Jerusalem, Ecclesia militans, in qua fideles sunt viri Judæi vere confitentes Deum, q. d. Licet Ecclesia a multis opprimatur, tamen manebit invicta. Et mundabo fonte baptismatis vel sanguine Christi, sanguinem electorum, quem non munderaveram ante passionem Christi. »

Verum etsi hæc inchoate facta sint, et fiant in Ecclesia militante, tamen plene et perfecte fiant in triumphante; de ea enim proprie agit Pro-

phela. Omnia enim hæc consequenter et connexa erunt cum die judicii, quod fiet in valle Josphat, de quo egit toto cap. hucusque. Subjungit ergo congruo ordine judicio et damnationi impiorum gloriam piorum et electorum, quam ipsi a Christo judice in illa die accipient, ejusque copiam et magnificentiam per varias metaphoras describit. Idem rursum confirmatur ex eo quod S. Joannes alludens, imo citans et interpretans Joelem, iisdem pene verbis describat cœlestem Jerusalem, cap. **xxi**, uti patebit ex parallelis utriusque, quæ mox combinabo. Ita explicant Remigius, Haymo, Rupertus, Hugo, Lyranus, Riberia, a Castro et alii.

Jernsa- De hac ergo cœlesti Jerusalem, sive cœtu Beatorum triumphante, dicit Joel **primo**, quod ejus cives, puta Beati, scient, id est sentient, videbunt et gustabunt, quod in ea, et in illis ipsis, habitet Deus per gratiam et gloriam, illisque ibidem suas opes, felicitatem et magnificentiam ostendat et communicet, itaque eos beat, et ineffabili gaudio repleat. Hoc est quod hoc alludens, totidem, imo pluribus verbis de eadem ait S. Joannes, *Apoc. cap. xxii*, 3 : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. »

Secund- Secundo, quod sit mons sanctus, quia sublimis est ejus felicitas, æque ac sanctitas, quod S. Joannes, *Apoc. cap. xxii*, 10, ait : « Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum. »

Tertium. Tertio, quod sit Jerusalem sancta; quod S. Joannes ibidem ait : « Et ostendit mihi civitatem sanctam, Jerusalem descendenter de cœlo a Deo. » Dicitur *Jerusalem*, id est visio pacis; quia in visione Dei Beati fruentur pace summa, amplissima et æterna, puta bonorum omnium affluentia: hanc enim Hebreis significat pax. Dicitur sancta, quia in cœlesti Ecclesia non est macula vel ruga, ut ait Apostolus *Ephes. cap. v*, 27; sed plena puritas, plena integritas, perfecta sanctitas. Unde de ea subdit : « Et alieni non transibunt per eam amplius. » Alluit ad alienigenas, puta Tyrios, Sidonios, Philæos, Chaldaeos, Romanos, qui profanaverunt et vastaverunt Jerusalem, q. d. Pari modo Ecclesia militantem polluerunt, vexarunt et afflixerunt pagani, Saraceni, hæretici, impii; sed eam translatam in cœlum, et triumphantem non polluent, nec affligent amplius. Huic parallelum est quod S. Joannes, *Apoc. cap. xxii*, 27 : « Non intrabit in eam aliquod coquinatum, aut abominationem faciens. » Tropologice Hugo Victorinus : « Jerusalem, ait, id est Ecclesia, est sancta in Sacramentis, in præceptis, in judiciis, in consiliis, in promissis. Sacramenta siquidem ejus sunt sine face, præcepta sine mole, judicia sine lite, consilia sine zelo, promissa sine furore fallacie, sine zelo invidie, sine lite controversie, sine mole angariæ, sine face concupiscentie. Est ergo sancta, cuius est

contemplativus intellectus, cœlestis affectus, spiritualis sensus, angelicus actus. »

Quarto, quod in ea « stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, et per omnes rivos Juda ibunt aquæ, et fons de domo Domini egreditur, et irrigabit torrentem spinarum. » Huic respondet quod ait Joannes *Apocal. cap. xxii*, 1 : « Et ostendit mihi fluvium aquæ vitae splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni; et ex utraque parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium. »

Quinto : « Et Iudea in æternum habitabit, et Jerusalem in generatione et generationem. » Huic ^{tum.} aequipollit id quod ait S. Joannes cap. **xxi**, 16 : « Civitas in quadro posita est; » et vers. 18 : « Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; » et cap. **xxii**, 5 : « Nox ultra non erit, etc., quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. »

18. STILLABUNT MONTES DULCEDINEM, — q. d. Tunc ^{Vers. 18.} in montibus illis cœlestibus, puta in Sione cœlesti, quæ sita est et fundata in montibus tum cœli empyrei, tum æternitatis et divinitatis SS. Trinitatis, implebitur illud toties de terra sancta lacte et melle manante promissum, ac decantatum; hoc est, tunc Beatis in cœlo vita erit jucundissima, omnibus bonis et deliciis affluens, et omnes « rivi Juda, » id est omnes potentiae, omnes vires, omnes sensus, omnia ora, omnes linguae Sanctorum Deo confitentium et laudantium (hos enim hebraice significat Juda) manabunt, scilicet perennibus aquis laudis, gratiarum actionis et jubili, æque ac voluptatum et bonorum omnium.

Symbolice, a Castro per montes accipit tres personas divinas, quæ creatis omnibus totoque mundo eminent, quasi divini montes. Ex his enim omne genus suavitatis profluet in terram illam viventium, qua inebriabuntur omnes Beati, et colles beatorum spirituum fluent candidissimum lac cognitionis et puritatis angelicæ, atque per omnes rivos, puta per cæteros beatos homines, fluent aquæ gaudiorum, quia omnes affluent Dei possessione et fruitione. Hoc est quod ait Psaltes, *Psalm. xxxv*, 9 : « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente (non seypho, non poculo, sed torrente) voluptatis tuae potabis eos. » Torrens, ait ibidem S. Augustinus, tum impetum, tum copiam voluptatis significat : « Quoniam apud te est fons vite, et in lumine tuo videbimus lumen. »

Tropologice Hugo Victorinus : « Montes, ait, sunt contemplationum sublimia, colles innocentiae opera, rivi poenitentiæ exercitia : dulcedo est perfecta dilectio, lac est sancta devotio, aqua devota compunctio; in illa ergo die, hoc est, in illa unionis felicitate, sponsa per gaudium contemplationis dulcedinem accipit perfectæ dilectionis;

» qua descendens, et ad seipsam rediens affluit lacte devotionis: unde sese præ amore supernorum crucians, immergitur aquis compunctionis, indeque egrediens per pœnitentiam exercetur asperam. Post hæc ad innocentiae trahitur opera, demum ad contemplationis avolat fastigia, dicens: Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? »

ET FONS DE DOMINA DOMINI (de throno Dei) EGREDIETUR. — Fons hic, sive, ut S. Joannes, Apocal. xxii, 1, vocat, fluvius procedens de sede Dei et agni, est profluvium bonorum, quod Deus emanat et effundit in Beatos per sui visionem beatificam, ut dixi Apoc. xxii.

ET IRRIGABIT TORRENTEM SPINARUM. — Nota primo: Pro torrentem hebraice est נחל nachal, quod significat vallem angustam, indeque torrentem qui per eam decurrere solet. Unde torrens hic metonymice pro valle tali capit, et Symmachus vertit, vallem; sed maluit Interpres vertere torrentem quam vallem, ut persistat in metaphora fontis, et ejus exuberantiam ostendat. Nam, ut ait S. Bernardus in Meditat. cap. iv, « in torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, et superabundans lætitia. »

Secundo, pro spinarum hebraice et chaldaice est Settim, illudque quasi nomen proprium in latina versione retinent Lyranus et Vatablus, item Syrus et Arabicus uterque; sed Theodotion, Symmachus et Noster vertunt, spinarum; Septuaginta, funiculorum; Nazianzenus, orat. 40 in S. Baptisma, junctorum. Audi S. Hieronymum: « Septuaginta trans-tulerunt torrentem funiculorum, id est, χειραρχητῶν σκάνων, quod aut funiculum significat, aut juxta Ægyptios mensuram certi itineris. In Nilo enim solent naves funibus trahere certa habentes spatia, quæ appellant funiculos, ut labori defessorum recentia trahentium colla succedant. » Torrens ergo funiculorum est torrens hæreditarius, quem scilicet funiculis dimetiuntur, et inter hæredes, puta cœli cives, dividunt. Porro Settim locus est trans lacum Asphaltitem in Moab, sex milliaribus distans a Liviade urbe, ubi filii Israel fornicati sunt, colueruntque Beelphegor, ideoque a Deo cæsi sunt, Num. xxv, 1. Ibi arbores nascentes a loco dictæ sunt settim, erantque hæc ligna settim imputribilia, et, ut vertunt Septuaginta, Exod. xxv, 5, ἀσπερτα. Unde Hebræi censem ea fuisse optimum cedrorum genus. Erant enim levissima, fortissima, solidissima, pulcherrima, et tam graves arbores, ut latissima ex illis tabulata cæderentur, ait S. Hieronymus. Quocirca ex illis facta erat arca Testamenti, tabernaculum ejusque vasa, ut dixi Exod. cap. xxv, 5. Noster hic et Isaiæ, cap. xli, 10, settim vertit spinam, non quod spina sit, sed quod spinæ albæ colore et foliis sit similis. Minus ergo verisimile est quod censem Lyranus, Settim esse Cetim, id est Græ-

ciam, unde egressus dicitur Alexander Magnus, I Machab. cap. i, 1; nam Settim per samech, Cettim per caph scribitur, et longissime distat a Jerusalem. Nec placet quod ex R. Saadia scribit Arias, torrentem Settim esse torrentem, qui in Jordanelm influit juxta urbem Settim. Nemo enim chorographorum hujus torrentis vel urbis meminit.

Ex dictis patet hæc omnia non carnaliter, ut sonant, sed mystice esse accipienda; nec enim ullus unquam fuit, vel erit fons, qui de Jerusalem egrediatur, et tanto terrarum tractu transmisso effundat se in campestria Moab, ubi est torrens et vallis Settim. Vallis ergo Settim, æque ac arca et tabernaculum, facta ex lignis Settim, significant locum Beatorum in celo empyreo, quem Deus in sua amœnitate, deliciis et pulchritudine in æternum conservabit; quia jugiter velut fons perennis in illum, æque ac incolas ejus, puta in Beatorum animas et corpora influet perpetuum virorem omnis gratiæ et gloriæ, ut fiant settim, id est immortalia et imputribilia, ac candidantia ut spinæ, instar fluvii irrigantis et fecundantis paradisum, qui perennem ei virorem et fructus amœnissimos afferebat, Genes. ii, 6. Ita Rupertus, Lyranus, Ribera, Emmanuel et alii. Vide dicta Apocal. xxii, 1 et 2.

Allegorice S. Hieronymus, in *Apolog. ad Pamachium*, pro lib. *Adversus Jovin.* in fine: « Christus, inquit, virgo, mater virginis nostri, virgo perpetua, mater et virgo, etc. Hortus conclusus, fons signatus, de quo fonte ille fluvius manat juxta Joel, qui irrigat torrentem vel funium, vel spinarum; funium peccatorum, quibus ante alligabamur: spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias. » B. Virgo ergo est fons, ex quo manavit fluvius, id est Christus irrigans torrentem funium et spinarum, id est peccatorum et vitiorum nostrorum.

Hinc mystice Nazianzenus loco citato, per hunc fontem accipit baptismum; S. Hieronymus hic gratiam Spiritus Sancti, quæ a Deo promanans, ex terra cordis spinas vitiorum evellit, et pro eis virtutes quasi arbores fructiferas inserit, ut spinas nostras ait S. Hieronymus: « et vitia atque peccata, quæ nullam frugem habuere justitiæ, commutent in Domini novalia, et ariditatem nostram rigent aquis largissimis, et pro spinis et vepribus flores virtutum multiplices germinemus, et in eo loco ubi quondam fornicatus est Israel, et initiatus est Beelphegor (deo obscenitatis) lilia castitatis, et rosæ pudoris ac virginitatis exuberent. » Sic et Remigius, Hugo, Arias.

Unde Hugo Victorinus: Torrens, ait, spinarum est impetus, fervor et crudelitas gentium. Porro fons de domo egressus torrentem spinarum rigavit, quando per Apostolos et eorum successores Evangelica doctrina gentilem populum a crudelitate convertit, fide initiavit, et ad baptismi gratiam perduxit.

Quæres cur Settim significet locum Beatorum? Settim

Settim et
torrentis
spina-
rum
quis?

soit ty- Respondeo, primo, quia in Settim fuit ultima man-
pus co- sio Hebræorum in deserto, Numer. xxxiii, 49,
li ob sep- ubi Settim vocatur Abelsatim, ex qua proxime in-
tem ana- gressi sunt Hebræi in terram promissam. Unde in
logias.
Prima. eam ex Settim exploratores misit Josue, cap. ii, 1.
Sicut ergo terra promissa typus erat cœli, sic et
ei vicinum Settim.

Secunda. Secundo, quia in Settim, ut patet Numer. xxv, 1, Israel benedictus fuit a Deo per Balaam, magnificis multisque benedictionibus, quæ recensentur, Numer. xxiii et xxiv, qui fuit typus, simili modo Sanctos in cœlis benedicendos a Deo omni benedictione cœlesti.

Tertia. Tertio, quia Balaam, Numer. xxiv, 5, inter alias benedictiones, quas Deo afflatus Israeli imprecatur, affert hanc: « Quam pulchra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israel! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. » Quæ optime convenient mystico Israeli et Settim, id est cœlitibus et cœlo, eoque videtur hic alludere Joel, dum ait: « Per omnes rivos Iudeæ ibunt aquæ, et fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum, » hebraice *settim*. S. Gregentius Archiepiscopus Thephrensis, *Disputat. cum Herbano Judæo*, tom. IV *Bibliothe. SS. Patrum*, legit: *Torrentem juncorum*; et per *fontem* hunc accipit « inenarrabile illud gaudium et lætitiam inexplicabilem, et fruitionem, et odoris suavitatem Spiritus Sancti, quæ ex ipso præpotente Deo ineffabiliter et perenniter manat, et rigabit sanctorum agmina, et cor ipsorum tremenda illa et incomparabili suavitate implebit. » Hæc comparantur juncis; quia sicut junci, utpote sacci et fungosi, sitiunt et bibunt aquam copiosam; ita Sancti sitiunt et bibunt pelagus divinæ voluptatis, juxta illud: « Tor- rente voluptatis tuæ potabis eos. »

Quarta. Quarto, ligna settim imputribilia significant corpora Beatorum impassibilia. Rursum, sicut arca et tabernaculum compacta erant ex tabulis settim; sic Ecclesia cœlestis compaginabitur ex sanctis et electis Dei: arca enim existens in Sancto sanctorum, habens super se propitiatorium quasi thronum Dei, et utrinque Cherubinos, Ecclesiæ cœlestis typum gessit.

Quinta. Quinto, in Settim Phinees suo zelo occidens fornicantes, placavit Deum, expiavit scelus populi, et maledictionem plagamque ei a Deo immisam vertit in benedictionem, Numer. xxv, 7. Ita Christi zelus, quo abolevit peccatum, et ab eo suos expiavit, in cœlo settim, id est spinas mortalitatis, et maledictionem laborum et dolorum, a Deo Adæ et posteris inflictam, Genes. iii, 18, convertet in benedictionem gaudiorum et bonorum omnium.

Sexta. Sexto, in Settim Balaam dixit et prædictit de Israele: « Orietur stella ex Jacob. » Stella est Christus, qui licet corporaliter ortus et natus sit

ex Jacobæis, sive Israelitis in Bethlehem, tamen spiritualiter et gloriose orietur ex eis, imo præ eis post resurrectionem, quasi sol in cœlo, illuminans et beans omnes veros Israelitas: stellæ enim proprius locus est cœlum, non terra.

Denique juxta Settim, puta in Cades, Moses e *Septima*. petra elicit fontem aquarum decurrentem per solitudinem, forte per Settim, Numer. xx, 11. Rursum, Numer. xxii, 17, Deus dedit Mosi et Hebræis puteum aquarum, cui ipsi accinuerunt: « Ascendat puteus, puteus quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in datore legis, et in baculis suis. » Ad hæc loca et aquas hasce videtur alludere hic Joel in hisce rivis Juda, et fonte Dei irrigante Settim; præsertim quia Chaldaeus et alii censem petram illam Moysis, ejusque fontem aquarum comitatam fuisse Hebræos per Settim, aliaque deserti loca, illudque velle Apostolum, I Cor. x, 4, cum ait: « Bibebant autem de spirituali consequente eos petra. » Vide dicta Num. xxii, 19. Pari enim modo fons ille aquarum viventium ubique comitabitur Beatos in cœlo empyreo.

19. AEGYPTUS IN DESOLATIONEM ERIT, ET IDUMÆA Vers. 19. IN DESERTUM PERDITIONIS. — Nominat *Aegyptum*, quia ipsa superstitionis et idololatriæ fuit inventrix et magistra, ideoque Judæis et animo infesta, et exemplo ac vicinia sua noxia, utpote pelliciens eos ad suum Apim: hunc enim Jeroboam expressit vitulis aureis, quos in Dan et Bethel erexit, populoque quasi numina adorandos proposuit. Nominat *Idumæam*, quia perpetuo fuit æmula et hostis populo Dei, scilicet Judæorum. Unde Edom vel Idumæa hebraice idem est quod terrena et cruenta: Misraim, id est *Aegyptus*, idem est quod angustians, coarctans, tribulans, ait S. Hieronymus; sed sub his per synecdochem cæteras gentes idololatras, infideles et impias intelligit, q. d. *Aegyptii*, *Idumæi*, et eis in impietate similes cæteræ gentes perdentur, earumque regiones tot peccatis pollutæ desolabuntur, atque ipsi ibunt in tartara in die judicii, cum Judæi, id est fideles confitentes et laudantes Deum, salvabuntur, ibuntque in Sion cœlestem.

20. JUDÆA IN AETERNUM HABITABITUR. — Patet hoc Vers. 20. de terrena Judæa, ut volunt Judæi, non intellegi. Nam hæc in fine mundi pariter suum habebit finem, et quia S. Scriptura promittit Judæis, sæque ac aliis gentibus, post hanc vitam, et post resurrectionem in fine mundi regnum aeternum et gloriosum in cœlis. Ergo necesse est hæc accipere de Judæa et Jerusalem cœlesti, ut pluribus ostendit vers. 17. Cœlum ergo empyreum dicitur Judæa, id est confessio et laus Dei, quia in eo jugiter Sancti Deum laudant laudabuntque in aeternum; et, ut ait Tobias cap. xiii, 22: « Per vicos ejus alleluia cantabitur. » Et Psaltes, Psalm. lxxxiii, 5: « Beati qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. » Hoc enim est otiosum eorum negotium, et negotiosum otium.

Idem cœlum, vel potius pars et civitas cœli, in qua simul quasi cives degent Beati, frumentos Deo et Christo, vocatur Jerusalem, id est visio pacis, id est possessio bonorum omnium, totiusque aeternitatis, quin et ipsius Dei ac sanctissimæ Trinitatis; hæc enim erit sors et hereditas aeterna Sanctorum. Ibi enim Deus erit omnia in omnibus, juxta illud Sapientis :

Te cernere finis,
Principium, rector, dux, semita, terminus idem.

Tropologice Hugo Victorinus : « Judæa, inquit, et Jerusalem in aeternum habitabuntur; Judæa confessio, Jerusalem dicitur pacis visio. Mens enim devota et perfecta, vel ad sui descendens cognitionem delicta confitetur Deo per humilitatem compunctionis; vel ad Dei ascendens cognitionem, per gratiam contemplationis sublimatur ad visionem pacis; et tunc in voce exsultationis et confessionis sonus in ea fit epulantis: nunquam fidelis anima deserit Judæam, quia vel compuncta confitetur scelera, vel devota gratias agit propter gratiæ munera, vel sublimata eructat hymnum recipiens præmia. »

Vers. 21. **21. Et MUNDABO SANGUINEM EORUM, QUEM (male Complutensia legunt, quos) NON MUNDAVERAM.** — Rabbini, ut R. Abraham et R. Kimchi, ex Hebræo sic vertunt et explicant, « et mundabo, » id est spoliabo Ægyptios suis opibus, easque dabo Judæis in adventu Messiae: at « sanguinem eorum (ab eis injuste in Judæa effusum) non mundabo, » q. d. Non condonabo eis cædes et strages Judæis illatas, sed ob eas illos morte puniam. Verum hiulca et torta est hæc versio et explicatio. Nam *τὸν sanguinem eorum* pertinet ad *mundabo*, quod præcessit, non ad *non mundabo*, quod sequitur. Ergo supplendum est in Hebræo de more relativum *ψώνισκας*, id est *quem*, sicque cum Nostro vertendum: *Et mundabo sanguinem eorum* (puta Judæorum et Hierosolymitanorum, de quibus proxime fuit sermo, id est fidelium et electorum meorum), *quem non mundavi*.

Jam tripliciter id exponi potest. **Primo, q. d.** Sanguinem, id est homicidia, et quævis alia scelera (horum enim symbolum in Scriptura est sanguis) quæ ante passionem Christi, et ante adventum Spiritus Sancti non mundavi, eo adveniente in Pentecoste emundabo: iustificationes enim et cæremoniæ veteris Testamenti corpus tantum abluebant, et conscientiam non emundabant, *Hebr. ix, 9.* Ita S. Hieronymus et Arias, qui putant Joelem redire ad effusionem Spiritus Sancti, de qua dixit cap. II, 28; aut, Haymo, q. d. Pecata quæ electi in hac vita perpetrarunt, nec plene emendarunt, ego in morte, vel post mortem in Purgatorio expiabo, ut mundati cœlum ingredi possint. Aut, ut Ribera, q. d. Auferam peccata, et poenam sanguinis Christi et Apostolorum a Judæis, quem ipsi olim sibi imprecati sunt, di-

centes: « *Sanguis ejus super nos et super filios nostros;* » nam sub diem judicii convertentur Judæi ad Christum.

Secundo et melius, Lyranus et Dionysius: « *Mundabo,* » id est, mundum declarabo sanguinem servorum meorum, ab Ægyptiis et Idumæis, aliisque tyrannis quasi immundum, et reum damnatum et effusum, quod antea non declaravi. *Hebræum* enim *τὸν nicka*, significat mundare, innocentem declarare, absolvere et excusare. Unde Marinus in *Lexico* hunc locum ita vertit: *Absolvam sanguinem quem non absolveram;* Syrus et Arabicus uterque: *Ulciscar sanguinem eorum, et non parcam;* qui enim non absolvit reum, ei non parcit, si sit judex, ut hic est.

Tertio et genuine, q. d. In die judicii « *mundabo,* » id est ulciscar sanguinem fidelium meorum injuste ab Ægyptiis aliisque impiorum effusum, quem antea non sum ultus: quo facto « *Dominus,* » Christus, « *commorabitur,* » et gloriose cum suis fidelibus regnabit perpetum in « *Sion* » coelesti. Unde Chaldaeus, Septuaginta, Syrus et Arabicus uterque pro *mundabo* vertunt, *vindicabo*. Hanc enim vindictam petunt animæ Sanctorum dicentes: « *Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum,* » *Apocal. vi, 10.* Ita S. Hieronymus, Theodoreus, Remigius, Hugo et a Castro. Plane enim respicit ad sanguinem de quo paulo ante dixit: « *Pro eo quod inique egerint (Ægyptii et Idumæi) in filios Juda, et effuderint sanguinem innocentem in terra sua.* » Nec mireris *mundare sanguinem* significare vindicare sanguinem. Nam phrasim Scripturæ, terra recipiens sanguinem innocentem et injuste effusum, eo ipso censetur pollui fierique immunda, a qua pollutione et immundicie mundatur et expiat, dum a judice et vindice puniuntur et plectuntur homicidæ qui eum effuderunt, ut patet *Psalm. cv, 38:* « *Infecta est terra in sanguinibus.* » *Jerem. II, 34:* « *In alis tuis inventus est sanguis animalium pauperum,* » q. d. Ob sanguinem fusum immunda es, ergo per vindictam emundabo te. Sic Salomon ait *Banaiæ, III Reg. II, 31:* « *Amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est a Joab, a me, et a domo patris mei; amovebis, vindicando ejus homicidia, quibus occidit Abner et Amasam, eumque par modo occidendo.* » *Ezechiel VII, 23:* « *Terra plena est judicio,* » id est reatu « *sanguinum.* » *Isaiæ xxvi, 21:* « *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra imperfectos suos,* » ad quem locum videtur alludere hic Joel: idem enim dicit. Hac de causa jubebat Deus Judæis, ut, invento cadavere alicujus occisi, magistratus urbis vicinæ pro expiatione terræ offerret vitulam, *Deuter. xxi, 3.* Vide ibi dicta. Clarissime vero Ezechiel, cap. XXIV, 6: « *Væ, ait, civitati sanguinum! etc.* Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidis-

simam petram effudit illum, etc. : Ut superinducerem indignationem meam, et vindicta ulciscerer : dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur. » Quod explicans versu 13 : « Immunditia, ait, tua execrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis, sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te, » donec scilicet vindictam exeram in te; vindicta ergo sanguinis et scelerum est eorumdem emundatio et expurgatio.

Dices : Hoc sensu potius mundatur terra, quam sanguis innocentium in terram effusus. Respondeo utrumque mundari. Nam sicut terra excipiens sanguinem injuste effusum censetur polluta, ita pariter sanguis ipse injusta et impia hac sui effusione censetur violatus, maculatus et pollutus, tum quia vis ei facta est, et injuria ac læsio illata; tum quia maculam nominis et famæ apud homines incurrit : damnatus enim et effusus est quasi noxious et reus : unde talem eum homines cestimarentur. Jam per vindictam utraque hæc macula tollitur; nam et injuria talione sarcitur, et infamia tollitur vindicta, qua declaratur ejus innocentia hoc ipso, quo Deus juste eum vindicat. Hac enim vindicta Deus declarat nocentes esse eos qui eum effuderunt, ac consequenter ipsum fuisse innocentem, et injuste ab eis effusum.

Notent hoc principes et judices, scilicet se dum puniunt homicidas et sonentes, emundare sanguinem innocentium qui clamat vindictam in cœlum, ac simul expiare terram suam eo pollutam, jusque vindictam divinam a suo capite et domo avertere. Ad hæc se, innocentibus occisis, quasi Manibus justa persolvere et parentare, ac divinæ

justitiae et vindictæ placabilem et gratissimam hostiam offerre. Denique se imitari, imo prævenire judicium rigidum Christi, quo omnes omnino sonentes plectet in valle Josaphat. Porro cogitent se non tantum sanguinem fusum, sed et fundendum emundare; dum enim homicidas plectunt, terrent maleficos, eorumque audaciam, iras et rixas frenant, itaque multas multorum cædes inhibent. Nam, ut ait Apostolus : « Magistratus non sine causa gladium portat : Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit, » Rom. XIII, 4. Meminerint oraculi divini intentati Achab regi : « Quia dimisisti virum dignum morte (Benadad regem Syriæ, homicidam et hostem Israëlis) de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus, » III Reg. XX, 42. Quippe, ut ait Seneca : « Delictorum impunitas homines audacieores facit ad malum; » et ut Cicero, lib. III Offic. : « Impunitas peccandi maxima est illecebra; » veterem enim ferendo injuriam, invitatas novam. Quocirca Socrates apud Platonem, lib. II *De Legibus*, asserit « civitates optime gubernari, cum injusti dant pœnas. » Idem dixit Solon, teste Cicerone, *ad Brutum*; Theophrastus apud Stobæum, cap. XLI, rogatus quidnam vitam humanam conservaret, respondit : « Beneficentia, honor et pœna. » Lycurgus apud Ciceronem, loco citato, censet Spartam omnesque respublicas stare pœna et præmio. Quin et Democritus duos tantum deos credidit, pœnam et beneficium, ait Plinius, lib. II, cap. XVII. Modestius Pius IV Pontifex emblemata habuit laurum et virgam, hoc lemmate : « Poena et præmium. » Denique Sapiens cap. XIV, 7 : « Benedictum, ait, est lignum, per quod fit justitia. »

Vindicta
expiatur
terra, et
sanguis
innocens
(effusus).

COMMENTARIA

IN

AMOS PROPHETAM.

ARGUMENTUM.

Amos
qualis et
cujus
fuerit? S. Epiphanius in *Vita Amos*, et Clemens Alexan-

drinus, lib. I *Stromat.*, censem Amos fuisse pa-

trem Isaiæ; ipse enim cap. I, 1, vocat se filium

Amos. Verum hunc Amos alium esse ab Amos

patre Isaiæ docent S. Hieronymus, S. Basilius in

cap. I *Isaiæ*, S. Augustinus, XVIII *De Civit. xxvii,*

Isidorus in *Vita Amos*, et alii. « Amos Propheta,

inquit S. Hieronymus, non est ipse quem patrem

Isaiæ prophetæ legimus. Ille enim יְמֹנָם amots

scribitur per primam litteram aleph et ultimam

tsade, et interpretatur *fortis atque robustus*; hic

vero דָבָר amos per ain et samech, et interpretatur

populus avulsus; » et mox: « Fuit de oppido The-

cue, quod sex millibus ad meridianam plagam

abest a sancta Bethlehem, quæ mundi genuit Sal-

vatorem, et ultra nullus est viculus, ne agrestes

quidem casæ et furnorum similes, quas Afri ap-

pellant mapalia. Tanta est eremi vastitas, quæ

usque ad mare Rubrum, Persarumque et Aethio-

pum, atque Indorum terminos dilatatur. Et quia

humidum arido atque arenoso nihil omnino frugum

gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterili-

tatem terræ compensent pecorum multitudine.

Ex hoc numero pastorum et Amos propheta fuit,

imperitus sermone, sed non sapientia. Idem enim

qui per omnes Prophetas, in eo Spiritus Sanctus

loquebatur. » Ita S. Hieronymus. De solo arido

dissentit S. Cyrillus, qui censem Thecue fuisse irri-

guam, ideoque compascuam: « In qua, ait, gen-

tes quam plurimæ pascunt pecudes; est enim

propter amplitudinem, irrigationem, herbarum-

que diversitatem, ad ovium greges alendos per-

commoda. » Fuit ergo Amos rusticus et armen-

tarius, indeque a Spiritu Sancto, qui humiles exal-

tat, evectus ad prophetiam, æque ac David, et alii

quos recenset Nazianzenus, orat. 25, et S. Gregorius,

homil. 30 in *Evang.* Hinc crebro sumit similitu-

dines a rure. Fabulantur R. Salomon et R. David

terram Thecue, utpote olivarum fertilem, proge-

nuisse viros sapientes; regiones enim oleis abund-

antes gignere viros sapientes, ideoque Amos lo-

cum originis nominare Thecue, ut inde liqueat

eius sapientia. Verum hæc eorum de more fabella

est, forte a Gentilibus hausta, qui Minervam, quæ

dea est sapientiae, faciunt olivæ inventricem, juxta

illud Virgilii, *Georg. I :*

Adsis, o Tegæ pater, oleaque Minerva
Inventrix.

In hoc deserto Thecue, ubi vixit Amos, vitam ege-
runt postmodum multi miræ sanctitatis monachi,
quia Saracenis sunt interfici, uti narrat Cassianus
Collat. VI, cap. I.

Amos apud Septuaginta et in codice Vaticano
secundus est inter duodecim minores Prophetas,
et proxime sequitur Osee; illi enim fuit coævus,
cum eoque prophetavit: cœpit enim prophetare
anno 25 Oziæ, uti ostendam cap. I, 1. Verum He-
brei, æque ac Latini, ponunt tertium; secundum
enim collocant Joel.

Argumentum Amos est: Directe prophetat ad
Israel, id est ad decem tribus; sed obiter quo-
que ad Judam aliasque gentes: utrique captivita-
tem prænuntiat, Israeli Assyriacam, Judæ Baby-
lonicam. Incusat Israelis scelera, ac nominatim
immisericordiam, quod fratres egenos ope et op-
ibus non adjuverit, sed vendiderit et oppresse-
rit; ac tandem more Prophetarum læta tristibus
subjungens, promissione Messiæ, qui libertatem,
pacem, felicitatem, et quasi aureum sæculum sit
allaturus, Israelitas consolatur (1).

Argu-
mentum
Amos.

(1) In duas partes dividi possunt prophetæ Amos juxta Hengstenberg (*Christologie des A. T. Th.* III, seit. 197), quarum prior sermones propheticos, cap. I-vi, posterior propheticas visiones complectitur. *Prior* pars ex unica oratione usque ad finem sibi constante; *posterior* vero ex orationibus hanc sibi cohærentibus constat.

Paulo alter hunc librum dispertint Rosenmuller et H. Kilber. Oracula a Nostro litteris consignata, inquit Rosenmuller, maxima quidem ex parte in *comminationibus* versantur, videlicet inde ab initio usque ad cap. ix, 10; in promissiones tamen, lætam rerum conversionem, impiis plane deletis, prænuntiantes, desinunt ix, 11, 18. *Comminationes* partim sunt *nudæ*, 1, 2, usque ad vi, 14; partim vero imaginibus et emblematis *figuratæ*, vii, 1, usque ad ix, 10. *Comminationes nudæ* quatuor absolvuntur concionibus, quarum aliæ ab aliis proœmiali forma

Prophetam Amos luculenter citat S. Stephanus disputans contra Judæos, *Acto. vii*, 42. Isidorus in *Vita Amos* scribit eum prophetasse sub Amasia rege Juda, ab eoque percutsum, et ab ejus filio Ozia vecte transfixum et occisum. Verum

distinguuntur. *Prima* contra gentes finitimas, i, ii, 1-3, et simul contra Judeos ipsos, deinde vero contra Israelem dirigitur, et ii, 14-16, propter singulorum tres prævaricationes, additamque his quartam, quæ precedentium complementum est, extrema denuntiat. *Secunda* Israelitas primo in universum, deinde vero speciatim incolas regni decem tribuum, denuntiatione imminentis excidii reipublicæ denuo terret, ut, i, 1-15. *Tertia*, primo magnates, mox incolas regni Israelitici universos, propter injustitiam, idolatriam ac in peccatis perlinaciam, comminatione penæ divinitus inligatæ ad penitentiam excitat, iv. *Quarta* canit lamentum super instantे utriusque regni excidio, sermone directo primo ad decem tribus, v, 1-17; deinde vero ad cives utriusque regni tam Judaici quam Israelitici conjunctum, vers. 18 usque ad vi, 4.

Comminationes emblematicæ tribus constant sermonibus. *Primus* imminentia Israelitis divinitus immittenda supplicia exponit, eaque primo inchoata sub imagine locutarum, vii, 1-3, et ignis, vers. 4-6; dein consummata sub symbolo perpendiculari, vers. 7-9, adjuncta narratione de actis Amosum inter et Amasiam super hac ipsa prophetia, vers. 10-17. *Secundus* finem reipublicæ Israeliticæ, diramque oraculorum divinorum in exilio famem, prænuntiat sub imagine fructuum aestivorum, viii. *Tertius*, Judaico potissimum regno, sub emblemate percussarum a Deo columnarum templi, comminatur excidium, quod primo exaggerat, ix, 1-8; deinde restringit, additis promissionibus felicioris aliquando secutæ ætatis, quæ totius libri partem constituunt alteram, vers. 9-15.

Porro Amosum prophetam, quæ suum nomen præ se ferant, ipsum litteris mandasse, cur in dubium vocetur (quod factum est ab Hobbesio in *Leviathane*, cap. xxxiii), ratio idonea nulla est. Quod enim de vate nonnunquam in tertia persona sermo fit (i, 1; vii, 12, 13), inquit idem Rosenmuller, minime argumento esse, alium quemdam hunc librum composuisse, vix est quod moneamus. Nemo sane dubitaverit unquam, sintne C. Julii Cæsaris de bello quod cum Gallis gessit, *Commentariorum* lib. VII, ab ipsius Cæsaris manu, propterea quod in iis Cæsaris res gestæ in tertia narrantur persona. Sed quæ Noster sibi visa toto cap. vii, item viii, 1, 2; ix, 1, edisserit, ita de se in prima persona et αὐτορρωστός describit, ut eumdem et vaticiniorum præconem, et libri hujus scriptorem manifeste doceat... Præterea ac stylus ac sermonis habitus Amosum quippe ipsum arguunt libri, qui ejus nomen gerit, scriptore quippe quicum inter Thecuanos rusticam ageret vitam, nec haberet unde politioris sermonis facultatem sibi compararet, dictione utitur plana et simplici, solis exornata imaginibus e rure, gregibus, desertis rebusque naturalibus aliis, petitis. Quod perfecte ostendit C. G. Haase in *Dissertat. inscripta*: *Stylus Amosi Prophetæ ex illius vita erutus*, Hall. 1755. (Rosenmuller.)

Attamen stylus Amosi, de quo S. Hieronymus scripsit: « Imperitus sermone, sed non scientia, » est summe poeticus et nequaquam humilis, ut post S. Augustinum notarunt Lowthius, Eichornius, De Wette et Jahn, qui dicit: « Immerito Hieronymus Prophetam imperitum sermone vocavit. » Aliunde ex notionibus geographicis, astronomicis et historicis, quæ in hisce prophetiis occurrent,

lapsus est memoria, et deceptus identitate nominum Amasiæ et Oziæ. Nam hic Amasias, successor Amos, non fuit rex, sed sacerdos idolorum in Bethel, ut patet *Amos* vii, 10. Id ipsum patet ex chronologia: Amos enim cœpit prophetare, non sub Amasia rege, sed sub filio ejus Ozia, ut ipse ait cap. i, 1. Ita Epiphanius in *Vita Amos*, Romanum Martyrologium, 31 martii, Torniellus in *Annal.* anno mundi 3208, et alii passim. Amos, inquit Adrichomius in *Descriptione Terræ sanctæ*, in Bethel prophetans contra Israelem, vecte per tempora transfixus, in Thecua ex dolore exspiravit, cujus sepulcrum ibi adhuc ostendebatur ætate S. Hieronymi, ut ipse scribit hic cap. i et in *Jerem.* cap. vi, et in *Loci Hebr.* Sed audi ipsum S. Hieronymum: « Amos aliquantulum exorsus est prophetare antequam Isaias (unde et Eusebius in *Chronico*, Amos æque ac Osee, præponit Isaiae), maxime autem contra decem tribus locutus est, pauca de duabus interserens. Hunc ablatum de numero pastorum misit Dominus, ut in Samaria prophetaret, quem Amasias sacerdos (vitulorum in Bethel) frequenter in plagis affixit; tandem filius ejus Osee vecte per tempora transfixit. Post haec semivivus in terram suam devectus, post aliquot dies dolore vulneris exspiravit, sepultusque est cum patribus suis. »

Eadem habentur in Romano Martyrologio 31 martii, ubi Amos Sanctorum catalogo quasi martyr, adscriptus legitur, Thecuæque sepultus dicitur. Eadem habent Isidorus, Dorotheus, ac Epiphanius in *Vita Amos*, qui et causam martyrii addit, « quod ipsum (Osee) de insidiis duarum juvenarum ex auro suggillaset, » puta, quod eum ob cultum vitulorum aureorum, quibus seducebat populum, increpasset. Arias censem Amos per biennium duntaxat prophetasse, scilicet quod præcessit terræ motum, et lepram Oziæ regis, ob quam regno est amotus, de quo cap. i, 1; idque valde probabile esse censem Sanchez. Verum incertum est an illi duo anni, cap. i, 1, tantum initium prophetiae Amos, an totam ejus prophetiam spectent.

patet Amosum pastorem cultum fuisse. Probabile est igitur, inquit De Wette (*Dictionnaire encyclopédique de la Théologie catholique*, verbo *Amos*), S. Hieronymum non tam severe styli imperitiam in Amos reprehendisse, veluti præjudicata opinione, nisi ante cognovisset Amos fuisse ovium pastorem priusquam munus propheticum obiret.

Amosus seorsim illustratus est commentariis, inter catholicos, Hieronymi Savonarola, Venetiae, 1519; Joannis Augustini de Thou, 1588, Turoni; Joannis Quinquarborei, Parisiis, 1556: inter heterodoxos, Eliæ Schadæi, Argentorati, 1583; Joannis Gerhardi, Lenæ, 1676; C. B. Michaelis, Hal. 1786; Christoph. Harenbergii *Amos Prophetæ expositus*, etc., Lugd. Batav. 1749; Ludov. Jos. Uhland, etc.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Damasco ob tria et quatuor scelera, præsertim eo quod sævierit in Judæos, excidium intentat. Idem facit Gazæ, vers. 6, et Tyro, vers. 9, et Idumææ, vers. 11, et Ammonitis, vers. 13.

1. Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue : quæ vidi super Israel in diebus Oziæ regis Juda, et in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel, ante duos annos terræ motus. 2. Et dixit : Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam : et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli. 3. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum, eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad. 4. Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos Benabad. 5. Et conteram vectem Damasci : et disperdam habitatorem de campo idoli, et tenentem sceptrum de domo voluptatis ; et transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus. 6. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Gazæ, et super quatuor non convertam eum ; eo quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa. 7. Et mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus. 8. Et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone : et convertam manum meam super Accaron, et peribunt reliqui Philistinorum, dicit Dominus Deus. 9. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Tyri, et super quatuor non convertam eum : eo quod concluserint captivitatem perfectam in Idumæa, et non sint recordati fœderis fratrum. 10. Et mittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus. 11. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Edom, et super quatuor non convertam eum : eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, et violaverit misericordiam ejus, et tenuerit ultra furem suum, et indignationem suam servaverit usque in finem. 12. Mittam ignem in Theman : et devorabit ædes Bosræ. 13. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum : eo quod dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum. 14. Et succendam ignem in muro Rabba : et devorabit ædes ejus in ululatu in die belli, et in turbine in die commotionis. 15. Et ibit Melchom in captivitatem, ipse, et principes ejus simul, dicit Dominus.

Vers 1. 1. IN PASTORIBUS. — Ita legunt Romana, Chaldaea, Symmachus et Vetus Editio, q. d. Amos fuit unus e pastoribus Thecue. Minus recte Aquila ἐν παιμνοτρόφοις, id est *in pastoralibus* (et ita legunt Biblia Plantini, ac textus S. Hieronymi in *Comment.*), quia tunc subaudire et supplere oportet substantivum *locis*, vel *opilionibus*. Septuaginta retinent nomen hebraicum, quasi proprium loci, vertuntque : *Qui facti sunt in Accarim*, quia pro נָקְדִים legerunt נָקְדִים, puta pro נָקְדִים nokedim, נָקְרִים naccarim. Unde in Septuaginta pro Accarim legendum videtur naccarim. Quare perperam Theodo-retus et alii legunt Cariathiarim; Complutensia, Accarpi. Putant aliqui Amos non fuisse pastorem, sed mercatorem gregibus divitem, qui sub se plures haberet suorum gregum pastores, qualis fuit Abraham, Job, et Mesa rex Moab, IV Reg. III, 4,

qui in Hebræo vocatur נָקְדָה noked, æque ac vocatur Amos hoc loco. Verum id ipsum refellit Amos cap. VII, 14, dicens : « Armentarius ego sum vellicans sycomoros, et tulit me Dominus, cum sequerer gregem ; » fuit ergo Amos bubulcus, vel, ut S. Hieronymus ait, opilio. Uterque hebraice vocatur noked (unde nekoda, cap. II, 48, Esdræ, id est Nicodemus, ait Marinus in Lexico), id est punctator, inuster, hoc est armentarius et pastor, qui pecudes suas propriis notis, punctis vel maculis inurit, ut eas ab alienis secernat, omnibusque constet eas esse suas. Radix enim נָקְדָה nakod significat punctum, stigma, maculam, quæ pecudi inuritur vel imprimitur. Unde S. Isidorus in Vita Amos : « Amos, inquit, pastor et rusticus, » etc.

Moraliter, disce hic quod infirma mundi eligat Deus, ut confundat fortia; virtus enim Dei in ter, quod

Deuseve- nostra infirmitate perficitur, *I Cor. XII, 9.* Spiritus hat et enim Sanctus tam potens est, ut inopes, ignorantes et miseros evehat ad summam scientiam, dignitatem et gradum. Audi S. Gregorium, hom. 30 in *Evang.* : « Ecce, ait, David, Amos, Daniele, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, et Sanctus iste Spiritus qualis sit artifex, considerare volo; sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharædum puerum, et psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vel licantem, et Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, et judicem senum facit. Implet piscatorem, et prædicatorem facit. Implet persecutorem, et doctorem gentium facit. Implet publicanum, et Evangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat: abnegat hoc repente quod erat, et habet repente quod non erat. »

De THECU. — Urbs erat Judææ, ex qua oriunda fuit mulier sapiens et diserta, quam Joab misit ad Davidem, ut Absaloni redditum ab exilio impetraret, quæ inde dicta est Thecuitis, *II Reg. XIV, 4.* « Thecua, inquit Adrichomius in *Descript. Terræ sanctæ*, civitas est in monte sita, uberrimis abundat pascuis, distat a Bethlehem millibus (leucis, quarum quæque continet tria milia passuum; distabat enim a Bethlehem sex millibus passuum, uti initio dixi ex S. Hieronymo) duobus. Hanc Roboam munivit aedificiis: de hac fuit Amos pastor. » Ait Guilielmus Tyrius, lib. VIII *Belli sacri*, cap. I et XV, « etiam fuisse domicilium prophetæ Habacuc. Est autem nunc Thecua vicus, ait S. Hieronymus, in nono ab Ælia millario, contra meridionalem plagam. »

Mystice, *Thecua* hebraice idem est quod clangor tubæ, vel buccinæ; quia, ut ait S. Hieronymus, verba Amos, quo tempore populus Israel avulsus erat a Domino, et aureis vitulis serviebat, sive avulsus a regno stirpis David, clara voce cecinerunt instar clangentis tubæ. » Amos enim hic classicum canit Chaldaëis ad invadendum et puniendum Israelem; unde et nomine suo prophetat. Amos enim idem est quod populus avulsus, ut quoties Israelitæ eum nominarent, meminissent se esse Amos, id est populum a Deo et a Davidis domo avulsum.

QUE VIDIT (quæ revelatione divina accepit: hæc enim revelatio et prophetia vocatur *visio*, vel verbum Domini, de quo plura *Isaiae*, I, 1) **SUPER ISRAEL.** — Potest verti, *contra Israel*; sed melius *super Israel*, quia Amos non tantum adversa, sed et prospera Israeli prænuntiat: « Primus Osee, ait S. Hieronymus, prophetat ad decem tribus, quæ appellantur Ephraim, Samaria, dominus Joseph, et Israel. Secundus Joel ad Jerusalem et duas tribus, nullam omnino Israelis faciens mentionem. Tertius Amos nequaquam ad Jeru-

salem, quæ regebatur a tribu Juda, sed ad Israel et in Samaria prædicat. » Idipsum patet ex cap. VII, 10, ubi dicitur: « Misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel, dicens: Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel, non potest terra sustinere universos sermones ejus. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Jeroboam, et Israel captivus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Juda, et comedere ibi panem, et propheta-bis ibi, et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes. » Obiter tamen Amos etiam de aliis gentibus, ac de Juda quasi per contentionem et oppositionem prophetat: cum illis enim confert, componit et opponit Israelem.

IN DIEBUS OZIAS REGIS JUDA, — qui alio nomine Azarias dicitur: « Quando, inquit S. Hieronymus, apud Assyrios regnabat Sardanapalus, de quo insignis orator: Turpior, ait, vitiis quam nomine; et apud Latinos Procas Sylvius, cui Amulius, expulso Numitore germano, successit in regnum; quo imperfecto, congregata pastorum et latronum manu, Romulus sui nominis condidit civitatem. » Ergo sub initia Romæ prophetavit hæc Amos. Porro Ozias dictus est Azarias, id est auxilium Dei; quia adjuvit eum Deus, ut occiso a rebellibus patre, regnum paternum occuparet, et victorias illustres contra Philistinos, Arabes et Ammonitas obtineret, uti narratur *II Paral. XXVI, 7* et 16. Dictus est Ozias, id est fortitudo Dei, eadem de causa; vel quia, ut ait S. Hieronymus, fortitudine Dei percussus fuit lepra, cum usurpans sacerdotium obtulit incensum.

ET IN DIEBUS JEROBOAM. — Hic Jeroboam non est filius Nabath, qui peccare fecit Israel, erectis vitulis aureis; sed filius Joas, filii Joatham, filii Jehu, ac consequenter pronepos ejusdem Jehu, sub quo prophetaverunt Osee, Joel et Amos, ait S. Hieronymus (1).

(1) Quod Amos officii sui partes implevisse dicitur regnibus Usia et Jeroboamo, id triplici modo posse accipi satis recte observat Maurer. Possit indicari, posuisse Amosum in colendo munere propheticō totum tempus, per quod regnarunt Usia et Jeroboamus, id est annos 66 effluxos ab anno ante Christum 823 usque ad annum 738; vel possit certe illud tempus, quo Usia et Jeroboamus æquales fuere, totum munus suum obiisse dici vates, id est annus 27 præterlapsos ab anno ante Christum 809, Jeroboami 151, quo imperium Judæorum ad Usiam venit, usque ad annum ante Christum 783, Osiæ 27, quo mortuus est Jeroboamus. Possit denique pars tantum significari temporis, quo duo illi reges fuerunt σύγχρονοι, atque sic sane statuendum est. Per partem tantum temporis Jeroboamici, eamque extremam, prophetæ munus obiisse Amosum, intelligit qui vatem consulit ipsum. Ex cap. VII, 10, quidem nil nisi regnante Jeroboamo vatem provinciam suam administrasse cognoscimus. Verum ex illis quæ VII, 14, habentur, collatis cum *II Reg. XIV, 23, 28*, atque ex iis locis, quibus Israelitarum perstringitur securitas et insolentia, VI, 1-13, atque luxuries, III, 12, 15; VI, 4 et seqq., clare perlucet, vatem exstissemus Amosum, non solum post insignem illam a Jeroboamo reportatam a Syris victoriam, sed cum du-

Synchro-
nismus
annorum
Oziæ et
Jero-
boam.
Nota ex III Reg. xiv, 23 : Jeroboam cœpit reg-
nare anno 15 Amasiæ patris Oziæ, et regnavit 41
annis; Amasias vero regnavit 29 annis: desiit ergo
Amasias regnare et vivere anno 15 Jeroboam.
Successit Amasiæ filius Ozias; sed quia puer erat
trium duntaxat annorum, per tutores administratum
est regnum per 13 annos, usque ad annum
27 Jeroboam : illo enim anno per se regnare
cœpit Ozias, vel Azarias, cum jam 16 esset anno-
rum, et regnavit deinceps 52 annis, uti dicitur
IV Reg. xv, 1. Unde sequitur ultimis 14 annis,
quibus in Israel regnavit Jeroboam, regnasse in
Juda Oziam; sic ut ultimi anni 14 Jeroboam co-
incident cum annis primis 14 regni Oziæ, quibus
necessere est prophetasse Amos. Ita Arias et Ribera
hic. Melius alii, ut Torniellus in *Annal.*, Cajetanus
in IV Reg. xv, et a Castro hic negant hoc inter-
regnum inter Amasiam et Oziam, censemque
eumdem annum Jeroboam nunc vocari 15, nunc
27; quia scilicet annus hic erat decimus quintus
ab eo tempore, quo ipse post mortem patris solus
regnavit; idem erat vigesimus septimus, sed ab
eo tempore quo, vivente adhuc patre, ab eo crea-
tus rex, cum eo regnare cœperat; quo fit ut hi 27
anni inchoandi sint ab anno 4 Joas, patris Jero-
boam, quo ipse a patre regni consors factus,
cum eo regnavit 11 annis. Ex qua sententia sequitur
Jeroboam cum Ozia regnasse non tantum 14,
sed 27 annis, uti fusius dixi Isaiæ vii, 8; unde et
Amos, regnantibus Ozia et Jeroboam, prophetavit
hoc anno 25 Oziæ, puta duobus annis ante terræ
motum, qui contigit anno 27 Oziæ, uti jam os-
tendam. Favet Eusebius in *Chronico*, dum ad
annum 17 Oziæ et sequentes annotat : « Propheta-
tabant apud Hebræos Osee, Amos, Isaias, Joel et
Jonas prophetæ. »

ANTE DUOS ANNOS TERRÆ MOTUS. — Hujus terræ
motus meminit et Zacharias, cap. xiv, 5, dicens :
« Fugietis sicut fugistis a facie terræ motus in die-
bus Oziæ regis Juda. »

Terra
motus
Amos
quando ?

Quæres, quis, quando et qua de causa fuit hic
terræ motus? Primo, Lyranus secutus R. Salomo-
nem, et Arias censem esse illum de quo in visione
Isaiæ, cap. vi, cum scilicet ipse vidit Deum seden-
tem in throno, et Seraphinos illi acclamantes,
« Sanctus, » dicitur : « Et commota sunt superli-
minaria cardinum a voce clamantium, et domus
repleta est fumo. » Verum obstat primo, quod hæc
fuerit visio imaginaria, Isaïæ menti objecta, non
autem realis terræ motus; secundo, quod hæc fue-
rit imaginaria concussio templi et cœli (in templo
enim cœlesti residebat Deus) non terræ; tertio,
quod illa visio contigerit anno quinquagesimo
secundo Oziæ, quo ipse mortuus est, ut ait Isaias;
tunc autem non regnabat, nec vivebat Jeroboam,

dum pacis artes coluisset rex, et longa Israelitæ usi fui-
sent felicitate, id est annis Jeroboami extremis. Ejusdem
temporis indicia sunt, 1, 5; et v, 7, ubi jamjam Assyrio-
rum minatur arma; item viii, 2, ubi regni interitus
appropinquare dicitur.

utpote qui mortuus sit anno 14, vel potius 27
Oziæ, uti paulo ante ostendi. Respondet Lyranus
visionem illam Isaiæ contigisse eo anno quo mor-
tuus est Ozias morte, non naturali, sed civili,
scilicet cum percussus lepra ob usurpatum offi-
cium sacerdotale, templo, et hominum convictu
regnoque ejectus est, ac pro eo filius ejus Joathan
regni administrationem suscepit. Unde Chaldæus
verit: *In anno quo percussus est Ozias.* Verum tamen
mortuus, ad litteram mortem naturalem, non civi-
lem significat, uti cæteri omnes Interpretes do-
cent; qui proinde communiter censem visionem
illam Isaiæ exhibitam fuisse anno 52 et ultimo
Oziæ.

Dico ergo hunc terræ motum contigisse anno 27
Oziæ, ac consequenter Amos hæc prophetantem
biennio ante terræ motum, prophetasse ea anno
25 Oziæ. Unde ab hoc anno 25 Oziæ, et ab hac
prophetia Amos, Isaias, cap. vii, 8, computat 65
annos, post quos regnum Israelis evertendum
prædictum. Nam præcise 65 anni fluxerunt ab anno
25 Oziæ, usque ad annum 6 Ezechiæ, quo ab
Assyriis eversa est Samaria et regnum Israel, uti
ostendit Isaiæ vii, 8. Hæc sententia est communis
doctorum et interpretum, puta Hebraeorum,
S. Hieronymi, Cyrilli, Remigii, Procopii, Ru-
perti, Hugonis, Lyrani, Clarii et aliorum. Accedit
fere Torniellus et alii chronologi, qui hunc terræ
motum censem contigisse anno 25 Oziæ, ac con-
sequenter Amos biennio ante, puta anno 23 Oziæ,
cœpisse prophetare.

Porro iidem omnes, excepto Torniello, et uno Quatuor
alterove, secuti Josephum, lib. IX *Antiquit. xi.*,
addunt hunc terræ motum contigisse ob fastum
Oziæ regis, quo ipse victoriis et secundis rebus
inflatus, arrogavit sibi munus sacerdotale, obtu-
litque incensum in altari thymiamatis. Hunc enim
regis fastum Deus tribus plagiæ, æque ac portentis
punivit, ait Josephus. Nam primo, mox ut rex
sacerdotibus, prohibentibus eum aditu altaris,
minatus est mortem : « Ecce ibi terra vehementer
concutitur; » secundo : « Fisso superne templo,
radiis solis os regis ferit, quod e vestigio lepra
contactum est; » tertio : « Eodem terræ motu ante
urbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium
montis ad Occidentem vergentis revulsum, per
quatuor stadia volutum, objectu demum Ori-
entalis montis constitut, obstructa via publica, et
oppressis ruina hortis regiis. » Hæc Josephus et
alii jam citati ex ipso. Vide hic obiter quam acriter
Deus superbos, præserit sacrilegos et sacra
invadentes, puniat. Accessit quarta plaga, quod
rex lepra tactus templo et regno ejectus, usque
ad mortem vitam privatam et separatam, juxta
legem egerit; quocirca regnum administravit filius
ejus Joathan. Hæc Scriptura et Josephus.

Censem ergo auctores citati anno 27 Oziæ eum
adolevisse incensum, ideoque percussum lepra,
et terræ motu percussum, e templo et regia seces-
sisse, ac vixisse privatum per annos 25, puta ad

annum 52 quo mortuus est, successitque ei filius Joathan, qui tum erat 25 annorum. Unde sequitur Joathan natum esse eodem anno 27, quo Ozias pater percussus est lepra. Quare necesse est dicere Oziam per optimates deinceps regnum administrasse, donec Joathan adolesceret et regeret; quod quia nusquam legimus, hinc aliqui de tota hac re dubitant, putantque hunc terræ motum ad peccatum et lepram Oziæ non pertinere, sed alio tempore, aliaque de causa accidisse, præsertim quia Josephus loco citato innuit Oziam paucum duntaxat tempore fuisse leprosum. Ait enim: «Et cum aliquandiu privatus extra urbem vixisset, filio Joathamo rempublicam administrante, mœrore tandem confectus obiit anno ætatis sexagesimo tertio, regni quinquagesimo secundo.» Unde Torniellus in *Annal.* censet Oziam lepra percussum anno 48 regni sui, cum jam Joathan filius ejus 16 esset annorum, ut pro eo regnum administrare posset. Favet tamen priori sententiæ tot auctorum jam dictæ, quod ipsa apposite combinet et conciliet Amos cum Isaia, cap. vii, 8, ex eaque liquet Amos hæc prophetasse 65 annis ante excidium Samariæ, puta anno 25 Oziæ. Favet etiam quod Scriptura, II *Paral.* cap. xxvi, 16 et 21, indicet Oziam, citius lepra percussum, longiore tempore leprosum vixisse. Ait enim vers. 16: «Cum roboratus esset (quod factum est victoriis, quas contra Philistinos, Arabes et Ammonitas primis viginti quinque, ut videtur, annis obtinuit, ut ibidem dicitur vers. 6 et seq.), elevatum est cor ejus in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini adolere voluit incensum;» et vers. 21: «Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, et habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini;» ubi verba «usque ad diem mortis;» et, «habitavit;» et, «ejectus fuerat,» indicant diutinam fuisse ejus lepram et separationem. Favet tertio, quod videatur Deus insolecentem jam Oziam voluisse præmonere per Isaiam et Amos, ne imitaretur scelera et sacrilegia regum Israel, qui per se et sacerdotes a se constitutos offerebant incensum suis diis, puta vitulis aureis in Dan et Bethel, III *Reg.* XIII, 1 et 33; alioqui sciret se regno ejiciendum, sicut ob idem peccatum post 65 annos exscindendum erat regnum Israel cum suo rege. Vicissim, ut reges Israel visa post biennium punitione et ejectione Oziæ ob usurpatum sacerdotium, conjicerent sibi idem eventurum, verasque esse prophetias et comminationes excidii, quas Amos et Isaías eis intentarunt. Atque hæc videtur esse causa, cur Amos et Isaías tam præcise tempus suæ prophetiae consignent; Amos dicendo: «Ante duos annos terræ motus;» Isaías: «Adhuc sexaginta anni, et desinet Ephraim esse populus.» Favet, quarto, quod de alio terræ motu, et diverso ab hoc Oziæ, nec in Scriptura, nec apud Josephum, Josippum, Eusebium aliasque histo-

ricos quidquam legamus. Ergo non videtur fuisse alius quam hic Oziæ (1).

Denique Amos, ut nomine suo (Amos enim hebraice idem est quod *populus avulsus*, ut dixi), ita et hoc terræ motu significat motum animorum Israelis, quo ipse avellens se a Deo et a regno David, schisma et divortium fecerat, erigens collensque vitulos aureos; eaque de causa, tunc, uti et alias sëpe, hunc terræ motum Deus immisit, ut simul minaretur terræ et populo, ejusque exsilium et excidium portenderet. Ita anno Domini 458, Antiochia, cum Nestorii schisma et hæresim amplexa est, ingenti terræ motu conquassata est, uti narrat ex Marcellino Baronius. Eodem Pontica regio ob Eutychetis hæresim concussa est anno Domini 499, ut idem narrat ex Theodoro *Collectan.* lib. II. Ob eamdem hæresim anno Domini 518 in Dardania assiduo terræ motu viginti quatuor castella uno momento collapsa sunt, et ex iis duo cum omnibus, alia cum multis habitatoribus demersa; ac paulo post eodem anno Anastasius Imperator Eutychianus fulmine a Deo icatus interiit. Ita Marcellinus in *Chronico*. Ita cum S. Joannes Chrysostomus in exsilium pulsus est, Constantinopolis terræ motu contremuit, quo cubilis imperiorii pars collapsa est. Unde territus Imperator, misso notario, eum revocavit ut plane constiterit «propter justum suum Dominum commovisse terram,» ait Palladius in *Dial.*, et Theodoreetus lib. V, cap. xxxiii. Hucusque titulus Prophetæ; nunc orditur suam prophetiam, aitque:

2. DE SION RUGIET (2),—quasi dicat: Deus verus, *vers. 2.* cuius in Sione (non autem in Dan et Bethel, uti vos, o Israelitæ, imo idololatræ, falso præsumitis) est templum, solium et oraculum ex propitiatorio a Cherubinis sustentato; hic, inquam, Deus potens et acer sui templi, cultusque et sanctitatis vindex, per me, perque Osee, Isaiam aliasque Prophetas, ex Sione et Judæa a se missos, instar leonis rugiet, dum horribilem vastationis et excidii sententiam contra impios Israelitas, aliasque vicinas gentes, ob varia earum scelera per nos proferet et proclamabit. Simili sensu ait Isaías, cap. XXXI, 4: «Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super prædam suam, etc., sic descendet Dominus exercituum ut prælietur super montem Sion.» Et vers. 9: «Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, et caminus ejus in Jerusalem,» quasi

Terra
motus
sunt pe-
næ schis-
matis:
hoc enim
indicat et
punit
scissio
terre.

(1) Quidquid sit de re satis dubia in qua varie sentiunt interpres, dicendum est cum Sanctio, istum terræ motum rem fuisse notissimam omnibus; neque enim alter notaretur annus ille gravi illo terræ concussu, nisi res esset inter Hebræos notissima, et ex ea annus ille maxime celebris. Quod confirmatur quoque, inquit Ackermann, ex eo quod post redditum ex captivitate, Zacharias cap. XIV, 5, ejus quoque mentionem facit tanquam eventus celeberrimi.

(2) Hoc est veluti totius vaticinii procœdium, complectens quoddam quasi compendium comminationis, non modo contra Israelem, sed cæteras quoque nationes, quibus devastationem denuntiat.

dicat : Deus qui in Sione residet, ibique igne sacro et sacrificiis colitur, inde quasi leo rugiens exsiliat gravis ultior in hostes suos, puta in impios, qui ejus cultum et numen vel idololatria, vel aliis sceleribus violaverunt. Ita S. Hieronymus.

LUXERUNT (id est lugebunt) SPECIOSA PASTORUM,— scilicet pascua; per quae metaphorice intelligit speciosas urbes et palatia, æque ac agros et prata Judææ, q. d. Sicut, leone rugiente, aufugiunt pastores cum gregibus, ideoque pascua deserta ac desolata lugere et squalere videntur, ita, Deo rugiente et per Chaldaeos sæviente contra Israelitas aliasque gentes, omnes eorum speciosæ urbes et domus, æque ac agri et campi vastabuntur et desolabuntur, cæsis, vel abductis eorum incolis et cultoribus, ita ut mœrere et lugere videantur. Sicut enim metaphorice agri et prata ridere dicuntur, dum florent; ita et lugere, cum desolantur. Ita Remigius, Hugo et Vatablus, ac S. Hieronymus, qui notat Amos, utpote pastorem, apposite uti metaphoris desumptis a pascuis : « Naturale est, inquit, ut omnes artifices suæ artis loquuntur exemplis, et unusquisque in quo trivit ætatem, illius similitudinem proferat, v. g. qui nauta est et gubernator, tristitiam suam comparat tempestati, damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat. Rursum, prosperitatem et lætitiam auroram placidissimam et secundos nominat ventos, tranquilla maria et æqua. E regione miles quidquid dixerit, scutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnus et victoriæ sonat. In ore philosophorum semper Socrates, Plato et Aristoteles; oratores, Gracchos et Catones, Tullios et Hortensios in cœlum laudibus ferunt, etc. Sic et Amos qui pastor fuit, non in locis cultis, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum ferocitas, et imperfectio pecorum, artis suæ usus est sermonibus; ut vocem Domini terribilem, rugitum leonum et fremitum nominaret, eversionem Israeliticarum urbium pastorum solitudini, et aridati montium comparans. » Hoc est quod vulgo dicitur

Navita de ventis, de bobus narrat arator.

Et Eccl. cap. xxxviii, 26 : « Qui tenet aratum, et qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, et conversatur in operibus eorum, et enarratio ejus in filiis taurorum, » etc. Denique Arabicus Antiochenus vertit : *Contristati sunt pastores gregum;* Arabicus Alexandrinus : *Lugent pascua pastores,* quia exsiccatum est caput Carmeli.

Carmeli duo. EXSICCATUS EST VERTEX CARMELI. — « Duo , ait S. Hieronymus, sunt montes hoc nomine. Alter, in quo fuit Nabal Carmelus, maritus Abigail ad australē plagam, I Regum, xxv. Alter juxta Ptolemaidem, quæ prius vocabatur Acho, mari imminens, in quo Elias propheta flexis genibus pluvias impetravit. Si ergo de Carmelo dicit in quo habitavit Nabal, magis pastorum gregibus conve-

nit, quia est juxta solitudinem. Sin autem de illo qui vicinus est littori, ad reges et ad superbiam pertinet regni Israel, quos imminentे captivitate instar montium desertorum dicit esse vastandos. » Ut libet ergo Carmelus hic accipi potest, et uterque fertilis in proverbium abiit, estque symbolum fertilitatis, abundantiae et lætitiae. Unde lingua Punica, sive Arabica, quæ Hebreæ vicina est, adhuc hodie in Boëtica, amoenissimæ et pulcherrimæ villæ vocantur *Carmenes*, ait Delrio, *adagio* 980. Commodius tamen accipias de priore, qui pascuorum et pastorum erat; ab eo enim Amos, utpote pastor, pastoritiam duxit similitudinem. Sensus ergo est, quasi dicat : Israelis, et vicinarum gentium Carmeli, id est villæ, agri, vineæ, pascua, opes, copia et gaudium disperduntur per Chaldaeos. Rursum, in voce *vertex* notantur reges regumque arces, palatia, horli et villæ; et symbolice potentia, imperium et gloria destruenda a Babylonii. Unde Chaldaeus vertit : *Desolabuntur habitacula regum, et desertum fiet praesidium arcium illorum.* Accedit Theodoretus, qui per verticem accepit tum Jerusalem, quæ erat caput et vertex Judææ, tum Samariam, quæ erat vertex Israelis, sive decem tribuum, Isaïe VII, 8 et 9. Denique Albertus et Hugo censem hic ad litteram prædicti siccitatem, sterilitatem et famem Israeli et gentibus impiis immittendam et infligendam a Deo.

Porro *Carmelus* hic non tantum notat agros et opes Judææ, sed et aliarum gentium; omnis enim ager et locus fertilis, dives et speciosus, proverbialiter vocatur *Carmelus*. Id ita esse patet ex sequentibus; nam hanc propositionem : « Dominus de Sion rugiet, etc., et luxerunt speciosa pastorum, et exsiccatus est vertex Carmeli, » initio quasi thema propositum, sic in sequentibus explicat de Damasco, vers. 4, dicens : « Et mittam ignem in domum Azael, et devorabit domos Benadad. » Speciosa ergo pastorum, et vertex Carmeli Damasci, sunt domus Azael et Benadad. Et de Gaza, vers. 7 : « Mittam ignem in murum Gazæ, et devorabit ædes ejus. » Speciosa ergo pastorum, et vertex Carmeli Gazæ, sunt murus et ædes ejus. Et de Tyro, vers. 10 : « Mittam ignem in murum Tyri, et devorabit ædes ejus. » Speciosa ergo et Carmelus Tyri sunt murus et ædes ejus. Idem de Idumæa dicit vers. 12, et de Ammon, vers. 14, et de Moab, cap. II, 2, et de Juda, cap. II, 5, et de Israel, cap. II, 6, 13 et 15.

3. HÆC DICIT DOMINUS : SUPER TRIBUS SCELERIBUS Vers. 3. (perperam Arabicus Antiochenus vertit, regionibus, vel climatibus) DAMASI, ET SUPER QUATUOR NON CONVERTAM EUM. — Incipit Amos a minis, quas Deus gentibus Israeli inimicis intentat, eo quod Israelem afflixerint : *primo*, ut ex hostium suorum vindicta sciat Israel se Deo suo curæ et cordi esse; *secundo*, ut ex poena infidelium, puta Damascorum, Gazensium, Tyriorum, Idumæorum, Ammonitarum et Moabitarum, suam, puta fidelium,

æstimet. « Si, enim, in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? » ait Christus, *Lucæ cap. XXIII, 31.*

Tria et Quæres primo, quid sibi vult τὸ super tribus
quatuor sceleribus Damasci, et super quatuor?

Damasci Vatablus, Clarius, Emmanuel et Mariana per quæ et tria et quatuor accipiunt septem, id est plurima quæ? sceleræ Damasci, q. d. Damascus nullum facit finem peccandi, sed jugiter sceleræ sceleribus accumulat; si tantum bis aut ter peccasset, peperisset illi; nunc quia non cessat, sed alia aliis jugiter addit, non parcam ei. Septenarius enim in Scriptura symbolum est multitudinis et universitatis, ex eo quod septem diebus Deus omnia creaverit, *Genes. cap. I*, et septem diebus hebdomadæ jugiter recurrentibus decurrant omnes dies omniaque tempora. Sic dicitur *Ecclesiastæ, cap. XI, 2*: « Da partem septem, nec non et octo, » id est omnibus indigentibus distribue partes panum et eleemosynarum. *Proverb. cap. XXIV, 16*: « Septies, id est frequenter, in die cadit justus. » *Zachar. cap. III, 9*: « Super lapidem unum septem oculi, » id est multæ excubiae. *I Regum, cap. II, 5*: « Donec sterilis peperit septem, » id est multis filios. *Psalm. CXVIII, 164*: « Septies in die laudem dixi tibi. » Hic sensus videtur planus; tria enim et quatuor faciunt septem, præsertim quia repetit τὸ super, dicens: « Et super quatuor; » ergo hæc quatuor sceleræ alia sunt a tribus quæ præcesserunt; si alia, ergo juncta tribus prioribus faciunt septem. Melius alii censem hic quatuor tantum Damasci sceleræ denotari; τὸ enim quatuor idem est quod quartum, ut vertunt Syrus et Arabicus; Hebræi enim sèpe numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. Exempla sunt in hac eadem voce *Prov. cap. XXX, 15*: « Tria sunt insaturabilia, et quartum (hebr. וְאַרְבָּעָה ve'arba, id est et quatuor), quod nunquam dicit: Sufficit. » et vers. 18: « Tria sunt difficultia mihi, et quartum (hebraice ve'arba, id est et quatuor) penitus ignoro. » Similia sunt vers. 21 et 29. Porro has phrasis utuntur ad auxesin, ut significant quarti eminentiam super tribus quæ præcesserunt. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius, Haymo, Hugo, Lyranus et alii. Simile est illud Virgilii, *Ecloga III*:

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imber,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

q. d. Quartum et ultimum, puta iræ Amaryllidis nobis sunt tristissimæ. Et Theocritus, *idyl. VIII, ex quo more suo id mutuatus est Virgilius*: « Arboribus metuendum malum tempestas, aquis cœnum, avibus laqueus, feris agrestibus retia; viro autem teneræ virginis amor, » q. d. Virginis amor præ ceteris omnibus viro metuendus est; quia illi eripit cor et mentem. Tale est illud *Proverb. cap. XXX, 16*: « Tria sunt insaturabilia, et quartum quod nunquam dicit: Sufficit. Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua; ignis vero nunquam dicit: Sufficit, q. d. Ignis accedit quartum.

Tria
sunt om-
nia, cur?

omnium maxime est insaturabilis. Et *Proverb. VI, vers. 16*: « Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus, puta eum qui seminat inter fratres discordias, » q. d. Hunc maxime odit Deus.

Sensus ergo est, q. d. Super tribus sceleribus Damasci, et maxime super quarto irascor, nec parcam, sed puniam illam; quodnam sit hoc quartum explicat dicens: « Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad. » Similiter explicat quartum scelus Gazæ, vers. 6, et quartum Tyri, vers. 9, et quartum Idumææ, vers. 11, et quartum Ammon, vers. 13, et quartum Moab, cap. II, 1 (1).

Quæres, secundo, quænam sint hæc quatuor sceleræ Damasci? Rursum, an hic numerus scelerum sumendus sit definite, an indefinite? Definite accipiunt Rupertus, Albertus, Lyranus, Dionysius, Palacius et Arias, qui censem tria sceleræ esse idolatriam, incestum, homicidium; Albertus vero, esse rapinam, mulctam et gladium, quibus Damasceni persecuti sunt et afflixerunt Israelitas. Quartum vero exprimit Propheta dicens: « Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad. » Verum tria priora non exprimit Propheta; quo circa illa ex cerebro interpretum conficta vindentur.

Dieo ergo tria et quatuor hic indefinite sumi, et significare plurima sceleræ Damascenorum, quæ ipsi perpetrarunt sub Asael rege, tum contra Hebræos, tum contra alias gentes, *IV Reg. VIII*. Terarius enim familiaris est sanctæ Scripturæ, et primus est numerus multitudinis; hinc ejus est symbolum: « Tria enim sunt omnia, et ipsum ter in omnem partem se effundit, » ait Aristoteles, lib. *I De Cœlo, cap. I*. Intellige *omnia*, non sola, sed prima; nec enim unitas, nec duo, faciunt omnia, sed mox ut sunt tria, si ea singula adsint, dicimus adesse omnia. Unde S. Chrysostomus, homil. 41 in *Matth.*, explicans illud cap. XIII, 33: « In farinæ satis tribus: » Tria, inquit, sata sunt

(1) Sic vero locus aliqua laborat difficultate, inquit Maurer. Nam si propter tria et quatuor delicta Deus propositum se executurum dicit, enumerationem exspectas vel totidem vel plurium certe delictorum. Quotiescumque enim istiusmodi numeris res singulæ subjiciuntur, subjiciuntur aut totidem quot sunt numeratae, aut plures certe, (ut in his supra citatis a Cornelio), hoc vero quem tractamus loco, unum tantum delictum subjicitur, et sic quoque reliquis, quibus repetita est ista locutio, plerisque hujus et sequentis capituli locis... Sed verum si quæris, potest, qui dicit propter tria delicta et propter quatuor te puniam, si voluerit delictorum afferre exempla, aut quatuor afferre, aut etiam unum. Potest enim aut totum numerum, quaternarium, inquam, respicere, aut solum id quod quartum est. Cujus rei causa in ipsa natura istius locutionis posita est, in eo, inquam, quod, ut subsistamus in exemplo quo supra usi sumus, id quod quartum est seorsum ponunt, nam qui propter tria delicta et propter quatuor te puniam dicit Hebreus, idem dicit, ut si dicat, puniam te propter tria delicta quibus accedit quartum.

(Maurer.)

multa. Quando vero ternario unitas additur, ut fiat quaternarius, tunc maxima multitudo, quæ communem et ordinariam superat, significatur. Sic Virgilius :

O terque quaterque beati,

id est plurimum beati, imo beatissimi. Et Seneca in *Hippolyto* : « O terque quaterque prospero fato dati ! » Hinc et Deus vocatur « ter maximus, ter felix, ter sanctus. » Causa et origo hujus rei et phrasis est, increatus ternarius, puta ipsa Sanctissima Trinitas ; hæc enim est sanctissima, felicissima, maxima, ac omnia, imo infinita bona in se complectitur, eaque ternariis a se creatis communicat, ideoque mentibus hominum, etiam gentilium S. Trinitatem ignorantium, inseruit hanc augustam de ternario opinionem, ut cum Aristoteles tele, lib. I *De Cælo* cap. I, censerent ternarium esse principium multitudinis, eoque in arcanis uterentur, quasi sacrae, quod vehementior atque efficacior ad omnia putaretur, uti ait Plinius lib. XVIII, cap. III, et Macrobius, lib. I *Saturn.* cap. VI. Hinc priscis ternio absolutissimus et sacer erat, adeo ut quidquid ter dictum aut factum esset, id ratum et efficax haberetur. Hinc et Galli per tres, id est ter, significant superlativum, puta summum et maximum in suo genere, ut *tres-bon*, id est optimus; *tres-sage*, id est sapientissimus, *tres-riche*, id est ditissimus, etc. Insuper « ternarius ad quascumque controversias dirimendas maxime idoneus est, ut qui principium, medium et finem in se contineat, » ait Dionysius Halicarnassus, lib. III. Quocirca Plutarchus, tract. *De Pythag. discip.* tradit unitatem a Pythagoræis Apollinem nuncupari, dyada (id est dualitatem) litem et audaciam, triada justitiam et virtutem, quæ est medium duorum vitorum. In ternario enim, aiebant, ipsum unum est medium, quasi centrum et numen, quo æqua distributio regitur, et ad quod quasi finem refertur; hinc ternarius est quasi circulus, et complexio omnium; in ternario enim est principium, medium et finis: unde et tria sunt omnia. Et prisci theologi ut designarent principium, medium et finem referenda esse in Deum, tria in sacrificiis offerebant. Et tria posita sunt a philosophis in cultu Dei: adoratio propter reverentiam; thus ob distributionem suavissimæ cognitionis divinæ, et celestium ac terrestrium virtutum; hymnus secundum Pythagoram, propter concentum cœli. Hinc Nicomachus: « Ter, ait, libant et ter sacrificant, qui vota sua petunt a Deo consummari. » *Theocritus, idyll. II*:

Ter libo, ter et hæc pronuntio mystica verba.

Virgilius, IV *Georg.*, de sacrificiis Oceani:

Ter liquido ardente perfudit nectare Vestam :
Ter flamma ad summum tecti subjecta relaxit.

Ovidius, III *Fastor.* :

Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.

Idem dicunt alii passim. Seraphini ter clamant : « Sanctus, sanctus, sanctus, » *Isaiæ* cap. VI.

Tres sunt virtutes Theologicæ, quibus Deum colimus : fides, spes, charitas. Tres partes pœnitentiae, quibus eum conciliamus : contritio, confessio, satisfactio. Tria opera bona, quibus eum demeremur : oratio, jejunium, eleemosyna. Arithmetica docet ternarium in qualibet re inveniri. Mundus enim est triplex : scilicet angelicus, corporeus, humanus. Anima tres habet potentias : intellectum, memoriam, voluntatem. Tres sunt angelorum hierarchiæ, et in singulis tres ordines. Tria eorum officia : purgare, illuminare, perficere. Triplex eorum cognitio : matutina, quæ est in Verbo; vespertina, quæ est rerum in se; meridiana, quæ est aperta Dei visio. Castitas triplex : virginalis, viduialis, conjugalis. Coelum triplex : empyreum, sidereum, aereum. In sole sunt tria : substantia, radius et lumen; sic in Deo, qui est Sol increatus, sunt tres personæ, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. In omni re sunt tria : essentia, virtus, operatio; vel entitas, species, ordo. In compositis est materia, forma et unio. Tres sunt aeris regiones : infima, media, summa. In arbore et planta sunt tria : folia, flores, fructus. Ita in rebus omnibus SS. Trinitas sui vestigia posuit, ex quibus eam agnosceremus et contemplaremur. Tres in homine sunt spiritus : animalis, vitalis, naturalis. Tres animæ vegetativæ operationis : nutritio, augmentatio, generatio. Bonum est triplex : utile, delectabile, honestum. Tres rerum sunt ordines : naturæ, gratiæ, gloriæ. Tres præcipuae corporis partes : venter, cor, cerebrum. Tres causæ artificiales et artificum : efficiens, formalis, finalis. Philosophia triplex : ethica, physica, mathematica. Syllogismi tres sunt propositiones : major, minor, conclusio. Triplex lex : naturæ, Mosis, Christi. Tres temporis differentiæ et partes : præteritum, præsens, futurum. Locus triplex : summus, medius, infimus. Triangulus tres habet angulos, æque ac lineas. Anguli sunt tres : rectus, acutus, obtusus. Quantitas corporis tria est : longitudo, latitudo, crassities. Denique omnia in ternario, puta in mensura, numero et pondere creavit et disposuit Deus, *Sap. cap. XI, 21*. Hæc et plura Petrus Bongus lib. *De Numeri mysteriis, in ternario*. Hisce ergo de causis ternariis symbolum est multitudinis, plenitudinis, perfectionis, universitatis.

Itaque sensus hujus loci est, ait S. Hieronymus, q. d. « Exspectavi multo tempore, ut Damasceni de suis sceleribus agerent pœnitentiam, et ideo nolui punire peccantes, ut aliquando conversi reciperent sanitatem; verum quia tertio et quarto eadem faciunt, cogor mutare sententiam, et plagiis corriger delinquentes. » Sic et Theodoretus : « Quod vero, inquit, super tribus et super quatuor, multitudinem significat, hoc est, ut subdit, infinitas iniurias. » Sic et Ribera, *Delrio adagio* 971, aliisque supra citati. Hic sensus appositus

Ternarium
Deus cuique rei inseruit.

est, planeque genuinus videretur, si Propheta dixisset (*super tribus et quatuor sceleribus*); sic enim dicimus: «O terque quaterque beati.» Verum quia tribus non jungit quatuor, sed potius, quatuor a tribus separat et disjungit, dicens: «Et super quatuor;» hinc magis genuinus videtur sensus, quem *Quæst. I* indicavi, nimirum ut *quatuor* sumatur pro *quarto*, sensusque sit: Quia Damascus tria, id est plurima, perpetravit scelera, nec his contenta addidit quartum, præ cæteris omnibus insigne et enorme, hac de causa indigna plane est venia, ideoque non parcam, sed plectam eam. Aut ut a Castro, q. d. Cum semel, iterum et tertio pepercerim Damascenis, quarto enormi sceleri, quod cæteris addiderunt, nequaquam parcam, sed puniam. Quartum hoc scelus est, quod subdit: «Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.» Cur enim inter tot scelera hoc unum exprimit et subdit Propheta, nisi quia hoc quartum erat, et enorme? Idem facit, idemque ut quartum scelus Gazæ, Tyri, Edom, Ammon et Moab nominat, et taxat vers. 6, 9, 11, 13, et cap. II. Cum enim post *quatuor*, id est quartum scelus; hoc unum subjiciat, plane significat illud ipsum esse quartum. Omnino enim enorme, cæteraque omnia superans erat hoc scelus, quod inaudita crudelitate plaustris ferreis triturarent Israelitas, puta Galaaditas.

Tropologice S. Hieronymus: «Primum, ait, peccatum est cogitasse quæ mala sunt; secundum, cogitationibus perversis acquieuisse; tertium, quod mente decreveris, opere complesse; quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, et in suo sibi complacere delicto. Hoc faciunt omnes hæretici, qui non solum cogitant et faciunt mala, sed doctrina sua quosque simplices decipiunt, et in morem Damascenorum, qui interpretantur sanguinem bibentes, eorum quos deceperint sanguinem bibunt.» Et Rupertus: «Primum, ait, scelus est voluntas perversa, et tunc peccator moritur interius; secundum, voluntatem opere complevisse, et hoc facto mortuus est peccator, et foras elatus; sed adhuc suscitiari potest, sicut illum juvenem Dominus suscitavit, qui per portam civitatis mortuus efferebatur. Tertium scelus est, opus in consuetudinem vertisse; et tunc peccator mortuus et sepultus est; sed adhuc ad vitam suscitiari potest, sicut Lazarum sepultum jam quatriuanum et fœtentem Dominus suscitavit; quartum scelus est, in suo sibi peccato complacere, Deoque ad pœnitentiam revocanti, et legi ejus redarguenti superbiae spiritu resistere. Hoc scelus diabolicum est: est enim cor impœnitens, et rebellio, ac defensio scelerum,» ideoque plane venia indignum et pene irremissibile.

Denique Hebræi nonnulli, quos sequitur Georgius Venetus in *Problem. S. Script.* tom. V, num. 114, censem Amos hic significare quod difficile convertantur ii qui quater vel pluries in idem

peccatum corruunt, q. d. Super tribus sceleribus convertam eos, super quarto autem non convertam; sed ipsos sibi suisque sceleribus et consuetudini voluntariæ derelinquam. Hoc tropologicum pariter est, non litterale, ut ipsi censem.

NON CONVERTAM EUM. — Aliqui codices legunt *eam*, scilicet Damascum; sed Romana, Hebræa et Interpretes passim legunt *eum*, scilicet populum: hunc enim Damascus significat; metonymice enim ponitur continens pro contento, civitas pro civibus et incolis. Hebraice est **לֹא אַשְׁבָּנָנוּ**, id est non faciam reverti eum, non reducam eum; Vatablus: *Non revocabo eum*, scilicet furorem meum, sed effundam et complebo eum in Damasco; Septuaginta: *Non aversabor eos*, id est non avertam faciem meam, inquit Theodore, a Damascenis, sed iratus firmiter illam convertam ad eos, ut iras meas in eos effundam. Unde Arabicus subinde vertit: *Non revertar ab eis*. Cum enim Deus scelera alicujus ulciscitur, dicitur firmare in eum vultum suum; ex adverso David petens veniam et gratiam Dei, ait: «Averte faciem tuam a peccatis meis,» *Psalm. L, 11*. Verum quia nulla furoris, nec faciei Dei præcessit mentio, hinc secundo et genuine, «non convertam eum» (Damascum, id est Damasci populum), scilicet ad me, seu ad veniam et misericordiam meam; sed eum in suis sceleribus, æque ac ira et vindicta mea, derelinquam. Unde Chaldæus et Pagninus vertunt: *Non parcam ei*, sed acriter puniam. Ita S. Hieronymus, Albertus et Hugo. Hinc Syrus vertit: *Non retraham, non reverti faciam ab eis*; Arabicus Antiochenus: *Non ero pœnitens super eo*; vel *non convertam eum in locum suum*, q. d. E captivitate non reducam eum in solum patrium. Huc pertinet expositio Sanchez, q. d. *Non convertam eum*, id est non revocabo eum a morte, quæ ex judicio et decreto Dei tam certo ei eveniet, ut judicari debeat jam advenisse. Videtur ergo jam esse mortuus, quia certæ morti destinatus: ab hac ego eum non convertam, id est non reducam, non liberabo.

Tertio, Arias *ascibennu* vertit, *retribuam ei*, hoc est scelera ejus ulciscar, sicque per interrogacionem legit, et explicat: Numquid ob tria et quatuor, id est plurima, scelera non retribuam ei? omnino retribuam, et plectam eum. Arabicus Alexandrinus vertit nove: *Super tribus et super quatuor sceleribus Damasci non sum tristitia affectus*, q. d. Peccata me non affligunt, sed ipsum peccantem. Melius idem cap. II, 1: *Non differam, non prolongabo*, scilicet vindictam.

Impertinens est Ruperti expositio: «Non convertam eum,» scilicet verticem Carmeli, ad pristinum suum viorem et fertilitatem. Erronea est R. Salomonis, qui ex hoc loco contendit tribus tantum vicibus peccatorem pœnitentem a Deo recipi, quarto non recipi. Quin et theologi nonnulli peccatorem quandoque adeo graviter et sæpe peccare censem, ut in pœnam Deus deneget

illi auxilium sufficiens ad poenitendum : quo fit ut poenitere et converti nequeat. Id autem fieri , cum implevit mensuram peccatorum a Deo determinatam, de qua accipiunt illud *Matth.* cap. xxiii, 22 : « Et vos implete mensuram patrum vestrorum. » Verum hoc de copioso et efficaci auxilio verum est ; de sufficienti falsum ; sic enim peccator non esset amplius viator , sed cum damnatis quasi damnatus, utpote privatus auxilio necessario ad salutem , sine quo impossibile est eum salvare , et necesse damnari.

Impunitas est ingens flagellum. Moraliter, disce hic gravem Dei esse punitionem, cum ipse peccatores non convertit, nec a peccatis revocat, sed in iis derelinquit et obdurat, uti obduravit Pharaonem ; tunc enim ruunt in interitum praesentem, et aeternum, uti contigit Pharaoni, *Exodi*, cap. vii, 3. Vide ibi dicta. « Impunitas incuriae soboles, insolentiae mater, radix impudentiae, transgressionum nutrix, » ait S. Bernardus lib. III *De Consider.* cap. v.

Eo quod TRITURAVERINT IN PLAUSTRIS FERREIS GALLAAD. — Quartum et summum hoc est scelus Damasci, ideoque irremissibile quoad vindictam ; ob hoc enim Deus Damascum destinavit gladio et excidio Assyriorum, q. d. Damascus tria, id est plurima, scelera perpetravit ; ea dissimulavi, iisque adhuc pepercisse. Verum quia quartum addidit, tam crudele et horrendum ; hinc ulterius non parcam, sed ultor exsurgam, in eumque deserviam, uti ipse servit in Israelem. Certa ergo eum manet ulti, certum excidium. Nota : Perpetua a tempore Josue fuere bella inter Syros, quorum caput erat Damascus, et Israelitas, tum ob viciniam, tum ob disparitatem fidei et morum. Syri ergo saepe afflixerunt Israelem, dissimulante Deo ; sed intoleranda fuit afflictio, qua eos plaustris ferreis triturarunt, quam proinde Deus dissimulare et decoquere non potuit. Hae afflictio contigit sub Azael rege Syriae, illamque ei flens praedixit Eliseus, cum ei regnum promitteret : « Scio, inquit, quae facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succedes, et juvenes eorum interficies gladio, et parvulos eorum elides, et prægnantes divides, » *IV Reg.* cap. viii, 12; itaque factum esse patet *ibid. cap. XIII*, 4 : « Attriverat, inquit, eos rex Syriae; » et vers. 7 : « Interfecerat eos rex Syriae, et redegerat quasi pulverem in trituram areæ. » Unde perspicuum est, ait Theodoretus, « quod Damasceni in aream quamdam mulieres Israelites projectantes, rotis ferratis tanquam spicas crudeliter triturabant. »

In PLAUSTRIS FERREIS. — Hebreum γύρη charuts significat *traham*, sive *tribulam*, qua super segmentum circumacta grana ex ea excutiuntur, teruntur et triturantur; unde et *tribula* a *terendo* dicta videtur. Radix enim γύρη charats significat strin gere, excutere, concidere, excidere; Hebrei enim triturabant plaustris ferratis et dentatis, quasi tribulis. Hoc, ait S. Hieronymus, est genus plaus-

tri, quod rotis subter ferreis atque dentatis volvit, ut, excussis frumentis, stipulam in area conterat et comminuat. Unde Septuaginta vertunt : *Secuerunt in serris ferreis*; Symmachus, *in rotis ferreis*; Tigurina, *in rastris ferreis*; alii, *in carpentis ferratis*; Vatablus, *in tribulis ferreis*.

Aliqui haec metaphorice accipiunt, ut hac phras tantum significetur acerbitas afflictionis, qua Azael afflxit Israelitas, ut eos « instar tribularum frumentum in areis triturationis, jugularet atque contereret, » inquit S. Hieronymus et Clarius. Verum alii passim idipsum proprie accipiunt, tum quia idipsum Azaeli praedixit Eliseus loco citato ; tum quia enormis hic servitia significatur, et punitur ; tum quia olim victores victos, præsertim infideles, servos et barbaros ita mulcabant. Sic David Ammonitas, eo quod legatos a se missos violassent et subsannassent, « serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris et traduxit in typo laterum, » *II Regum*, cap. xii, 31.

Moraliter, disce hic quam crudelitas Deo et hominibus sit exosa, quamque Deus par pari referat, ut crudelis sit in crudeles, imo eos simili quod aliis intulerunt tormento occumbere cogat ; quia crudelitas haec justitia est, justaque vindicta. Hac de causa hic per Amos, eque ac per Isaiam cap. xiv, 29 et seq., Jeremiam cap. xlvi et seq., Ezechielem cap. xxv et seq., aliasque prophetas, Philistinis, Idumæis, Tyriis aliasque gentibus acerrima supplicia intentat, eo quod servient in Israelem populum Dei. Quocirca Aristoteles ad Alexandrum hoc ei dat documentum : « Parce effunde humum sanguinem ; quia hoc illius est, qui novit secreta cordium. » Periander apud Ausonium :

Moraliter, de crudelitate.
Multis terribilis caveto multos.

Cassiodorus in *Psalm. x* : « Quid prodest crudelibus perseQUI, quos vident persecutionibus semper augeri? » Exosa et explosa fuit uxor Annibalis, ipseque Annibal, qui inspecta humani sanguinis fossa, pulchrum in ea spectaculum dixerunt. Ita Fulgentius, lib. IX, cap. xi. Crudeli Syllæ dixit Q. Catulus : « Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? » Ita Eutropius in *Sylla*. Augustus Cæsar, auditio Herodis infanticio : « Mallem, ait, Herodis porcus esse, quam filius; » porcos enim non mactabant Judæi. Ita Macrobius, lib. II *Saturn.* cap. iv. Neroniana vox est : « Me mortuo terra misceatur incendio. » Ita Dion Nicæus in *Vita Neronis*. Quocirca mater Neronis Agrippina, cum ejus jussu occideretur, centurioni ferrum stringentem ventrem ostendens, clamabat : « Hunc percutere : hic est ferro fodiendus, qui portentum istud genuit. » Ita Suetonius in *Nerone*. Hi sunt Phalarides, Mezentii, Maximini, Timones, Diocletiani. C. Caligula frequenter exclamare solebat : « Utinam universus populus Romanus unicam cervicem haberet! » scilicet ad eam uno ictu

amputandam. Ita Eutropius. Ejusdem fuit hæc vox : « Mementote mihi omnia in omnes licere. » Vitellius, occiso Othonem cum suis, dum ejus asseclæ tabem cadaverum abhorrent, dixit, « optime olere occisum hostem et melius civem. » Sed hic tandem religatis post tergum manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus inter ludibria, tandem apud scalas Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus confectusque est, indeque unco in Tiberim tractus. Ita Fulgosius, lib. IX, cap. xi. Sic misere periit Deo vindice, imo se occidit Nero. Sic et misere perierunt Caligula, Maximianus, Diocletianus, Annibal, Herodes. Vere Thales Milesius, rogatus quid difficile unquam vidisset, respondit : Tyrannum senem. Quocirca Phalaris tyranus dicere solebat : « Ego qui expertus utrumque sum, tyrannidi malim subesse quam præesse. Subditus enim aliorum malorum securus, unum tyrannum metuit : tyrannus autem et eos qui foris insidianter, et illos per quos servatur. » Ita Stobæus, serm. 47. Quidam tyrannicidam optans, Bruti statuæ subscrispsit : « Utinam viveres! » quod opera Bruti Tarquinius ex urbe pulsus esset. Et Cæsaris statuæ hos versus subscripti-
runt :

Brutus quia reges ejecit, primus consul factus est :
Hic quia consules ejecit, rex postremus factus est.

Nec multo post Cæsar a senatoribus viginti tribus vulneribus in curia confossus est. Mithridates una epistola octoginta millia Romanorum in Asia, per urbes negotiandi causa dispersa, interemit; tantumque provinciam injusto, sed non inulto, sanguine respersit. Nam a Romanis in eas angustias redactus est, ut veneno mortem sibi conciverit. Quocirca ipse cum maximo cruciatu, veneno repugnantem (ex longo ejus usu) spiritum suum tandem succumbere coegit. S. Cyprianus, tract. *De Oratione Domini*, ait homines superare bestias crudelitate : leones enim pepercérunt Danieli in lacu, in quem eum conjecerant Medi; et cum Achab persequeretur Eliam, paverunt eum corvi, III Reg. xvii : « O humanæ malitiæ, ait, detestanda crudelitas! fere parcunt, aves pa-
cunt, et homines insidianter et sæviunt. » Idem ad Demetrianum, sub Decio et cum Decio ac Valeriano, persecutorem christianorum : « Innoxios, inquit, justos, Deo charos domo privas, patri-
monio spolias, catenis premis, carcere includis, bestiis, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, et sim-
plici ac veloci brevitate poenarum : admoveas laniandas corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandas visceribus numerosa supplicia; nec feritas, neque immanitas tua usitatis potest contenta esse tormentis : excogitat novas poenas ingeniosa crudelitas. Quæ hæc est insatiabilis carni-
ficinæ rabies? quæ inexplicabilis libido sæviendi? » Sed et Decio vices repedit Deus, effectique ut a

Gothis acie victus, fugiens cum equo in paludem inciderit, a qua absorptus nunquam postea comparuit. Valerianum vero Saporis Persarum regi captivum tradidit, qui consensurus equum eo pro scabello utebatur. Denique septem illi Machabæi fratres, crudeliter ab Antiocho excruciatu et frixi, eidem quasi leones insultarunt, et crudellem æque necem ei quasi Prophetæ intentarunt, II Machab. vii, inter quos minimus natu, vers. 31 : « Tu vero, ait, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebreos, non effugies manum Dei. » Et mox : « Tu autem, o scelestæ, et omnium hominum flagitosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus. Nondum enim omnipotens Dei, et omnia insipientis, judicium effugisti. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt : tu vero judicio Dei justas superbias tuæ poenas exsolves. » Verus fuit vates : nam Antiochus paulo post acerrimo viscerum dolore, et fœtore intolerabili excruciatu, corrosus a ver-
mibus, blasphemam animam dæmoni exhalavit, II Machab. ix.

4. ET MITTAM IGNEM IN DOMUM AZAEL, — puta in vers. 4. familiam et posteros Azael. Jam enim Azael mortuus erat, et regnabat filius ejus Benadad, de quo sequitur, ut patet IV Reg. XIII, 22 et seq. Ignem intellige, tum proprie dictum; solent enim victores, dum urbes rebelles capiunt et exscindunt, ferro flammaque in eas grassari : tum acres poenas et efficaces strages, ac excidium gentis et regni. Hoc enim in Scriptura per catachresin significat *ignis*, qui omnia depascitur et in cineres redigit. Porro hæc strages Damasci facta est a Teglathphalasar rege Assyriorum, qui vocatus ab Achaz rege Juda, presso et pene oppresso a Rasin rege Syriæ, et a Phacee rege Israel, in auxilium, Damascum obsedit, cepit, excidit, Rasin occidit, Damasci cives transtulit Cyrenem, ut patet IV Regum, cap. xv, 5. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius, Lyranus, Arias et alii. Nominat Azael, quia is vixit, et afflxit Israelem paulo ante tempora Amos, puta sub Joachas, avo Je-roboam, sub quo prophetavit Amos. Porro Deus non punivit Damascum et Azælem statim, sed de more exspectavit, ut posteri implerent mensuram peccatorum a se vindictæ præstitutam, quod factum est tempore Rasin : unde tunc et filios, et patres in filiis punivit et evervit.

ET DEVORABIT DOMOS (palatia) BENADAD. — Benadad hic fuit filius Azælis, IV Reg. cap. XIII, 24, ac proinde diversus a Benadad, qui pugnavit contra Samarium tempore Achab, III Reg. x, 1; illum enim occidit Azael, ejusque regnum occupavit, IV Reg. VIII, 7 et seq. Porro illo tempore multi reges Syriæ vocati sunt Benadad. Adad enim, sive Adarezer, fuit primus rex Syriæ, quem devicit David, II Reg. VIII. Ab hoc successores dicti sunt Benadad, id est filius, vel hæres et successor Adad. Jam strages hæc facta est, non sub Bena-

dad filio Azaelis, sed sub nepote ejus Rasin, ut jam dixi.

Vers. 5. **5. ET CONTERAM VECTEM DAMASCI.** — « Vectem, » id est portas : hæc enim vectibus obserari solent. Rursum « vectem, » id est robur, ut vertit Chaldaeus (robur enim portarum est in vectibus : hinc vectis typus est roboris), puta duces, milites, arma, animos, munitiones, annonam, quibus quasi vectibus se communierant, et invictos putabant Damasceni : sed nil horum Deo, per Assyrinos oppugnanti eos, resistere valuit, imo omnia ab eo contrita, illico prolapsa corruerunt.

ET DISPERDAM HABITATOREM DE CAMPO IDOLI. — Damascus, eique adjacens planities, vocatur hic *campus*, isque « idoli; » quia idolis abundans, iisque addictissima, inquit S. Hieronymus et Theodoreetus. Tigurina et Arias vertunt : *De valle vanitatis*. Talis et fuit Damascus : quæ vanitati dedita, ideoque, Deo puniente, excisa et evanescens, toti orbi vanitatis speculum dedit. Septuaginta et Theodotion retinent vocem hebraeam, vertuntque, *de domo On*; Symmachus et Vetus Editio, *de domo iniquitatis*; Aquila, *de domo inutili*. Eadem Damascus mox vocatur *domus voluptatis*, id est deliciis affluens : in qua sceptrum tenebat rex Rasin, quando ea, illo occiso, ab Assyriis eversa est. Pro *voluptatis* hebraice est γένιον eden : unde græcum ἡδονὴ, id est voluptas. Hinc pro *eden* Septuaginta vertere solent ἡδονὴ, hoc tamen loco vertunt, *Charran* : quia *Eden* regio, in qua situs erat paradiſus terrestris, fuit in Mesopotamia et locis vicinis, in quibus sunt *Charrae*, urbs Parthorum, ubi cæsus est Crassus Romanus, ut ostendi *Genes.* cap. II, 8. Porro Theodoreetus id ipsum sic exponit, q. d. Non solum Damascus, sed et accolias omnes, et eos qui ex *Charran* eo habitatum commigrarunt, captivos efficiam. Complutensia retinent *Eden*, sed corrupte legunt *Adam*; vel, ut Villalpando in cap. *xxvii Ezech.* 23, legit *Adam*, eo quod *Eden* fuerit locus *Adami*; ipse enim a Deo in *Eden* collocatus est. Hinc et Syrus vertit, *in domo Adon*. Porro Damasci regio et ditio non longe abest a Mesopotamia, in qua fuit *Eden* et paradiſus terrestris. Rursum, ipsa Damascus urbs et regio amena est et fertilis : quo circa et ipsa suam habuit *Eden* urbem, vel regionem, ad quam hic alludit Amos. Unde de hac Damascena *Eden* loqui *Ezechielem* cap. *xxvii*, 23, et *Isaiam* cap. *xxxvii*, 11, censem *Marinus* in *Lexico*, et alii nonnulli. Alludit ergo Amos ad *Eden* paradiſi, et ad *Adam*, quem nonnulli a Deo creatum censem in Damasceno agro, ex terra rubea, indeque dictum *Adam*. *Adam* enim, vel *Edom*, hebraice idem est quod rubeus, vel rufus, de quo dixi *Genes.* cap. II, 7, q. d. Sicut Adamum ob peccata expuli ex *Eden* paradiſi, sic Damascenos ob scelera expellam ex sua *Eden*, id est loco voluptatis (1). Addunt alii in Damasco occisum esse

(1) *Eden* est hodienum nomen regionis et vici Libani

Abelem a Cain, indeque nomen accepisse : Damascus enim hebraice idem est quod *sanguinem bibens* (ait S. Hieronymus in cap. *xxvii Ezech.*), scilicet Abelis. Ita Sanchez. Sic etiamnum hodie Deus gentes suis regionibus, et privatos suis distinctionibus opulentis, et viridariis, ac paradisis deliciosis expellit ob eorum crimina, præsertim illis ipsis locis commissa, ut vidimus in Belgio. Denique Arabicus vertit : *Et concidam elationem (fastum) de virtute (robore) ejus*.

ET TRANSFERETUR POPULUS SYRIÆ CYRENEM. — Duae urbes dictæ fuerunt hebraice קִר kir, et latine Cyrene. *Prima* fuit in Libya, a qua denominata est regio Cyrenaica, ait S. Hieronymus et Strabo, lib. XVII. De hoc ait Lucas, *Actor.* II, 10 : « Et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem. » *Secunda* fuit in Media. Hic agitur non de prima, ut censuit S. Hieronymus, Remigius et Hugo, sed de secunda; hæc enim Assyriis erat subjecta et vicina : unde eo Syros, expugnata Damasco, transtulerunt Assyrii, *IV Reg.* XVI, 9; idque diserte asserit Joseph, dicens lib. IX, cap. XIII : « Teglathphasar Damascenos (a se victos et expugnatos) in superiore Medium destinavit. »

Dicta est Cyrene ab Hebreo et Chaldeo (lingua enim Assyria et Chaldea vicinæ sunt, et dialecti duntaxat linguæ Hebreæ) *kir*, id est paries, murus; quod egregie murata et munita esset quasi arx et propugnaculum regionis. Id ita esse patet ex *Isaiæ* XVI, 7, ubi tertia *kir*, sive Cyrene in Moab, hebraice vocatur קִר חַרְשֵׁת kir chares̄et, id est habens muros lateritios. Unde Noster vertit : « Muros cocti lateris. » Vide ibi dicta. Septuaginta pro Cyrene vertunt, ἐπίκλητος, id est nominatus : *Transferetur*, inquit, *populus Syriae nominatus*; quia hebraeum קִר kir, id est Cyrenem, acceperunt non ut proprium urbis, sed ut appellativum : rursum *kir* censuerunt idem esse quod נָרָק kira per aleph, id est vocatio, nominatio. Ita S. Hieronymus. Verum *kira* est feminimum, non masculinum. Melius ergo Noster et alii vertunt ut proprium, *Cyrenem*.

6. SUPER TRIBUS SCELERIBUS GAZÆ. — A minis et onere Damasci transit ad minas et onus Gazæ et Philistinorum, ob tria, id est plurima, eorum scelera, et quatuor, id est quartum, scilicet quod « transtulerint captivitatem perfectam, » de quo mox. Phrasim hanc jam explicui in onere Damasci, vers. 3. Porro Philistæa quinque habuit urbes et satrapias, totidem satrapi, sive principibus subjectas. Urbium nomina sunt, Geth, ex qua natus est Goliath, quem occidit David; Accaron, Azotus, Ascalon et Gaza, quæ Judæis fuerunt infensissimæ, et perenne cum eis bellum ges-

in valles Cœlesyriæ descendere incipientis. Vide Laroque, *Voyage de Syrie et du mont Liban*, pag. 195 et seqq., et Steph. Schulzii *Itinerarium*, cui titulum fecit : *Leitungen des hochsten*, tom. V, pag. 458, necnon J. D. Michaelis, *Suppl. ad Lexx. hebr.* pag. 1838. Grotius γένιον eden videtur is esse Syriae locus qui Ptolemæo Παράδεισος nominatur.

serunt. Dicitur *Gaza* hebraice גָּזָה *hazza*, vel *Gaza* (hebræum enim *ain*, quia guttural, imo pectorale, solet sœpe verti per *g*, ut patet in *Gomor*, *Gomorrha*, *Phegor*, in quibus pro *g*, hebraice est *ain*), id est fortis a munitione. Ita S. Hieronymus et alii. Errat ergo Pomponius Mela, lib. I *De Situ orbis*, cap. xi, dum ait huic urbi inditum esse nomen persicum, dicique *Gazam*, id est ærarium; *gaza* enim persice pecuniam opesque significat, eo quod Cambyses, inquit, cum Ægyptum invaderet et spoliaret, in *Gazam* belli opes contulerit. Nam tempore Amos, imo Mosis et Abrahæ, qui longe præcesserunt Cambyses, haec urbs vocabatur *Gaza*, ut patet *Genes.* cap. x, 19, et *Deuter.* cap. ii, 23. Illud ergo etymon *Gazæ*, quod affert *Mela*, verum esse potest de *Gaza* Mediæ (hæc enim Persis erat vicina), de qua Ptolemæus lib. VI, cap. ii, aut Æthiopiæ, de qua Ptolemæus lib. IV, cap. vii, non Palæstinæ, ut ipse habet, *Gaza* postea dicta est *Gazara*.

Contra *Gazam* et Philistæos prophetat quoque Jeremias, cap. XLVII, eisque excidium per Chaldaeos intentat. Vide ibi dicta.

Tropolo-
gice.

Tropologice S. Hieronymus: *Gaza*, inquit, hebraice idem est quod fortitudo, vel imperium. *Edom* est rufus, sanguinarius et terrenus. *Azotus*, vel, ut hebraice *asdod*, idem est quod ignis uberis, sive patrui. *Ascalon* idem est quod ignis homicida, sive appensa et ponderata. *Accaron* idem est quod στερίωσις, id est sterilitas; et ἐξριζώσις, id est eradicatio. Hisce omnibus significantur Judæi (æque ac hæretici) qui persecuti sunt fideles. Hi enim dicuntur *Gazæi*, quia fortitudinem scientiæ suæ, et imperium sibi repromittunt. Vocantur *Azotus*, quia ubera Synagogæ jam non lacte, sed igne sunt plena; et quæ mentitur ignem habere se patrui, ejus universa generatio ignibus depunctata est. Vocantur *Ascalon*: sicut enim ignis Domini salvos faciet eos, quorum corda penetrauerit; sic ignis iste qui de cœlo decidit quasi fulgur, qui succedit diaboli sagittas, quoscumque afflaverit interficiet. Vocantur *Accaron*, quia steriles sunt et eradicati, juxta illud *Osee* IX: « Quid dabis eis? Da eis vulvam sterilem, et ubera arentia. » Vocantur *Geth*, id est torcular, scilicet diaboli. Vocantur *Philistiim*, id est cadentes poculo: cum enim inepti fuerint corruent, et in suo vomitu volutabuntur. Hucusque S. Hieronymus. Pressius Rupertus: « *Gaza*, ait, sonat fortitudinem, et Judæorum designat rebellionem adversus veritatem. *Azotus* interpretatur ignis uberis, sive patrui; et ardenter in illis significat invidiam patris eorum diaboli, quæ exuberat in eis. *Ascalon* interpretatur ignis homicida, et homicidiam illorum furem designat. *Accaron*, sterilitatem, et inopiam illorum, quia fructum spiritus fugiunt, et paleam litteræ sectantur, significat. *Philistiim*, potionem cadentes, et illorum vere ebriosum hoc nomine intelligimus scandalum, juxta illud *Psalm.* LXVIII: Fiat mensa eorum

coram ipsis in laqueum, et in retributionem, et in scandalum: Obscurerunt oculi eorum ne videant, » etc.

Eo quod transtulerint (Gazenses et Philistæi) **CAPTIVITATEM PERFECTAM** (id est plenam et absolutam, ita ut vix unum Judæum reliquerint, quem non captivum abduxerint), **UT CONCLUDERENT EAM IN IDUMÆA**. — Vatablus, et tradiderint eam ipsi *Edom*, q. d. Philistini omnes pene Judæos abduxerunt, eosque vendiderunt Idumæis infensis simis Judæorum hostibus, ut ibi velut æterno carcere clauderentur, sine ulla spe liberationis et libertatis, ibique agerent vitam servilem et asperam in sordidis, duris et continuis laboribus, seminudi, famelici, afflicti, oppressi. Hæc enim est perfecta captivitas. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius, Hugo, Lyranus, Arias, Riberia, Sanchez et alii. Quando hanc captivitatem ex Judæa abduxerint Philistæi, nec ex Scriptura, nec ex Josepho liquet. Nam quod Remigius et Hugo putant, eam contigisse in excidio Samariæ et decem tribuum: alii, in excidio Jurasalem et Judææ per Chaldaeos: alii, tempore Achaz, II *Paralip.* xxviii, 17 et 18, falluntur. Hæc enim omnia contigerunt post tempora Amos: ipse enim prophetavit sub Ozia, qui fuit avus Achaz: captivitas autem hæc ejus prophetiam antecessit, eratque jam præterita, ut ipse hic ait (1). Pro perfectam hebraice est נִלְשׁוֹן scelema, id est perfecta, ut vertunt Noster, Aquila, Symmachus et Theodoreetus. Verum Septuaginta aliis punctis legentes נִלְשׁוֹן scelomo, vertunt *Salomonis*. Jam captivitas *Salomonis* est captivitas Judæorum, qui fuerunt populus et posteri *Salomonis*: a rege enim tam præclaro et illustri, splendorem et claritatem populi demonstrat, inquit Theodoreetus.

7. ET MITTAM IGNEM IN MURUM GAZÆ. — « Ignem, » Vers. 7. id est cladem et stragem, vel etiam ignem proprium dictum. Minatur *Gazæ* et Philistinis excidium per Nabuchodonosor. Hic enim Philistæos vastavit, ut patet *Jerem.* cap. XX, 20, et cap. XLVII, vers. 4. Vide dicta illis locis.

9. SUPER TRIBUS SCELERIBUS TYRI (A Philistæis Vers. 9. transit ad Tyrios, eisque præter tria, id est plurima, sceleræ, idem quartum de Judæis in captivitatem abductis objicit, pœnamque eamdem subiicit et intentat) : **NON CONVERTAM EUM**, — scilicet

(4) Sæpe novimus ante Amos crudeles fuisse Palæstinæ in Dei populum, at non constat nobis, quando captivum duxerint, et tradiderint Idumæis, quamvis accidisse certo credamus. Rosemüller sententiae a Cornelio expugnatæ astipulatur, quamvis et ante hoc, inquit, tempore Joramini, qui cum Edomitis itidem bello implicatus fuit (II *Reg.* VIII, 20 seqq.), simile quid fecisse potuerint, coll. II *Paral.* xxi, 16, 17. Cæterum, ut bene notat idem auctor, crimen auget Amos a proposito ac fine *Gazæorum*, sive *Philistæorum*: Ideo, inquit, transtulisti Judæos seu Israelitas, ut eos Idumæis, hostibus maxime infensis, proderetis. Crudele est, aliquem e solo patrio transferre, crudelius, quem transtuleris, hostibus quæ infestissimos habet, tradere.

ad gratiam et veniam, q. d. Non parcam Tyro, sed « mittam ignem » in eam. Eadem scelera, idemque excidium per Chaldaeos intentat Tyro Isaias cap. xxiii, Ezechiel cap. xxvii, Jeremias cap. xlvi, 4. Vide dicta illis locis.

EO QUOD CONCLUSERINT CAPTIVITATEM PERFECTAM IN IDUMÆA. — Hebraice לְאַדָּם leedom, id est *ipso Edom*, q. d. Quia captivarunt omnes Judæos, eosque vendiderunt Idumæis, qui nati sunt hostes Judæorum, æque ac Philistini; cum quibus aliisque vicinis gentibus conspirarunt in excidium Israelitarum, juxta illud *Psalm. lxxxii*, 6 : « Adversum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ, Gebal, et Ammon, et Amalec : alienigenæ (Philistini) cum habitibus Tyrum. » Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, Hugo et alii. Porro quando hanc captivitatem intulerint Judæis Tyri ignoratur, uti de Philistinis dixi vers. 6. Albertus et Vatablus censem eam illis intulisse, quando illi fugientes e Judæa, ob invasionem Assyriorum et Chaldaeorum, in Tyrum, quasi in asylum, a Tyriis capti et venditi sunt Idumæis. Remigius vero et Arias censem Judæos mercium causa venientes Tyrinna Tyriis comprehensos venditosque fuisse. Theodoretus autem : « Externi, inquit, Judææ tribui vici, continenter cum hac bellum gerentes, quos capiebant non aliis quam Idumæis vendebant, qui illorum inimici et maximi hostes erant (1). »

ET NON SINT RECORDATI FOEDERIS FRATRUM, — quod scilicet Hiram rex Tyri pepigit cum Salomon rege Judæorum : illud enim tantum tamque arctum fuit, ut se invicem fratres nominarent, ut patet *III Reg. cap. v et ix.* Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo et Lyranus.

Aliter Vatablus, « foederis fratrum, » id est quod debuerat esse inter fratres, puta inter Jacob et Esau, eorumque posteros Israelitas et Idumæos, q. d. Tyrii inter fratres excitarunt odia, nimurum Idumæos concitarunt contra Judæos, dum eis Judæos quasi servos vendiderunt. Hoc scelus est ingens, mihique displicens, ideoque excidio Tyri illud puniam et vindicabo.

10. MITTAM IGNEM IN MURUM TYRI. — *Ignis* synecdochice, vel catachresticæ quamvis pœnam, stragem et calamitatem significat, uti dixi vers. 4. Hæc vastatio Tyri facta est per Nabuchodonosorem, qui post tredecim annorum obsidionem, eam expugnavit et vastavit, uti docet Ezechiel, cap. xxix, 18, et Jeremias, cap. xxvii, 3, et cap. xlvi, 4. Vide ibi dicta. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus et alii passim.

(1) Cæterum in libris veteris Testamenti historicis hoc momentum diserte quidem non memoratur; dubitari tamen vix potest, quin ad idem tempus, quo Philistæorum, referenda sit etiam Tyriorum erga Judæos immunitas, non modo propter vaticinii ordinem, quo Tyrii Philistæis proxime subjungantur, verum etiam propter parallelismum *Joel iv*, 4, ubi simile inhumanitatis exemplum n̄ique genti una exprobatur.

11. SUPER TRIBUS SCELERIBUS EDOM. — A Tyriis *Vers. 11.* transit ad Idumæos, idemque scelus persecutionis Judæorum in iis culpat et plectit. Cœpit enim hoc dissidium ab ipso Esau, qui ob erupta sibi primogenita a Jacobo, eum internecino odio persecutus est : unde factum, ut odium fratrum servetur in posteris, ait S. Hieronymus; nam illud cum semine propagarunt, non tam ipse, quam nepotes ejus in posteros : quod tam acre et continuum fuit, ut *Psalm. cxxxvi*, 7; *Numer. xx*, 18, et alibi, acerbe de eo querantur Prophetæ. Porro, quam hoc scelus Deo displicuerit, declarat hic ipse dicens : « Quod persecutus sit in gladio fratrem suum (alludit ad *Genes. xxiv*, 41, et magis ad *Numer. xx*, 18, ubi Idumæi armati Israelitas ex Aegypto tendentes in Chanaan transitu prohibuerunt), et violaverit misericordiam ejus; » Tigrina : *Corrupit viscera miserationis suæ*, quibus scilicet debebat fratrem suum prosequi, ejusque afflitti misereri. Septuaginta, *quod violaverit μητέρα*, id est matricem, sive vulvam matris (Hebreum enim Κῆρυς rechem, et vulvam, et misericordiam significat, ait S. Hieronymus) *in terris*. Jacob enim et Esau fuerunt gemini, et ex eadem Rebeccæ matrice eodem tempore prodierunt : unde inter se dissidentes, videntur vulvam matris, ipsamque matrem violasse et lacerasse. Quocirca Romana editio Septuaginta habet, *quod violaverit μητέρα*, id est matrem; et Symmachus : *Quod violaverit viscera propria, ut obliveretur germanitatis, et obduraret viscera misericordiae, fratremque se esse nesciret, et contemneret vulvam Rebeccæ, quæ uno partu geminos edidisset infantes*, ait S. Hieronymus. Et mox tropologice Idumæos, id est terrenos et sanguinarios, ait esse Judæos, qui persecuti sunt fratres, id est Christum, Apostolos et Christianos. « Hi enim violaverunt misericordiam ac jura naturæ, oblitique sunt matris suæ Rebeccæ, quæ interpretatur patientia, et simul eos generavit in Christo, et dummodo nos interficiant, volunt igne comburi. » Denique Arabicus vertit : *Et esurire fecerunt anxiōs in terra eorum, et furtim rapuerunt testimonium debitum animis eorum.*

Moraliter, nota hic quam displiceat Deo fratrum discordia, lites et bella, quamque severe illa puniat et vindicet. Arctissima enim in fratribus sanguinis conjunctio, jure naturæ, divino et humano, summam postulat concordiam et amorem. « Frater » enim dicitur, quasi « fere alter, » ait Gellius, lib. XIII. Et Cicero, lib. III, epist. 7 : « Fratris, ait, officium est, erga fratrem ceu fere alterum affici. » Hinc Sallustius in *Jugurtha* : « Quis, ait, amicior quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? » Quocirca Antisthenes « fratres concordes » dicebat « omni pariete esse fortiores. » Ita Laertius, lib. VI, cap. 1. Et Sapiens, *Proverb. xviii*, 19 : « Frater, inquit, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. » Cain fratrem Abel occidens, a Deo maledictus, tremulus, vagus fuit et profugus, *Genes. iv*, 14. Et Ismael,

Moraliter, de fratribus discordia.

quia persecutus est fratrem Isaac, jussu Dei ab Abraham domo pulsus et exheredatus est : « Ismael, » ait S. Augustinus lib. I *De Unico baptismo*, et habetur dist. LVI, Can. *Ismael*, « ut separaretur a populo Dei, non obfuit mater ancilla, Agar; sed fraterna discordia. » Pygmalion rex Tyri, quia Sichæum patruellem occidit, ut ejus opibus poteretur, orbis fuit probrum, de quo Virgilius, lib. I *Eneid.* :

Pygmalion scelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor. Ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat.

Romulus Remum fratrem occidit, itaque, ut ait Lucanus I *Pharsal.* :

Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

Quocirca Horatius, *Epod. VII* :

Acerba, ait, fata Romanos agunt,
Scelusque fratrnæ necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi,
Sacer nepotibus crux.

Antiochus Epiphanes Demetrium, fratri Seleuci filium, regno paterno exclusit : hinc inter utriusque posteros, continua per ducentos annos fuerunt bella, altero alterum vicissim obtruncante, et pro eo regnante. Audi Plutarchum, tract. *De Fraterno amore* : « Antiochi, Seleuci, Gryphi, Cyziceni, cum non didicissent secundo a fratribus esse loco, sed purpuras ac diademata appeterent, seipsos invicem ipsamque adeo Græciam multis calamitatibus oppleverunt. »

Jugurtha, rex Numidarum, perfide fratres regno spoliavit, ideoque a Mario consule cæsus, captusque Romæ in carcere necatus est, ut patet ex Sallustio in *Bello Jugurthino*.

Vere etiam Petrarcha, *Dialogo 83* : « Ut ferme nullus amor æquior fraterno, sic nullum, ubi incœperit, iniquius odium, nulla acrior invidia. Sic paritas incitat animos, atque incendit, cum cedendi pudor et amor excellentiæ ardentior, quo incunabulorum recordatio, et quæcumque benevolentiam paritura viderentur, ubi semel a recto calle deflexum est, odium et contemptum pariunt. » Et Aristoteles, lib. VII *Polit.* vii : « Fratrum contentiones et iræ sunt acerbissimæ; et qui se nimium amant, hi se nimium oderunt. » Caracalla Imperator occidit fratrem Getam : ad mitigandam invidiam parricidii, suasit ei Bassianus præfectus ut fratrem Getam appellaret divum : « Sit, inquit, divus, dum non sit vivus, » et sic fratrem in divos retulit. « Ita regnandi cupiditas nescit jura pietatis, » inquit Spartianus. Quocirca, Deo vindice, pari modo a Martiali tribuno Caracalla obtruncatus est, cum paulo ante ei in somnis apparuisset pater cum gladio, dicens : « Ut tu fratrem tuum interfecisti, ita ego te interficiam.

Ita Dion Cassius, lib. LXXVIII *Histor. Romanæ.*

Ex adverso, amor fraternus Dei et hominum Fratrum gratiam conciliat. Cyrus apud Xenophontem, lib. VIII : « Qui, inquit, ex eodem semine sunt orti, et nutriti ab eadem matre, et in eadem domo adoleverunt, ab eisdem parentibus amati, eamdem matrem eumdemque patrem appellant; quomodo hi non sint omnium inter se conjunctissimi? » Tales inter ethnicos fuere Agamemnon et Menelaus, Eumenes et Attalus, Ariamenes et Xerxes, Craterus et Antigonus, Cassander et Pirilaus, Castor et Pollux, ait Plutarchus loco citato : « Dulcior, ait S. Chrysostomus, ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternalis commendat. »

Hierocles, lib. *De Fraterno amore* : « Sicut oculi, inquit, manusque, si animæ et mentis per se compotes fierent, reliquias partes omni studio curarent, propter intercedentem ipsis communio nem; quoniam ne ipsæ quidem functionem suam recte administrare possunt citra præsentiam aliarum partium; ita nobis etiam qui homines sumus, et animam nos habere fatemur, omnibus viribus annitendum est, ut fratribus decenter utamur. Magis enim quam partes corporis ad auxilium mutuum fratres compositi esse videntur, » q. d. Fratres quodammodo corporis tui partes sunt, sicut oculi tui, pedes, manus, etc.; eos ergo dilige et juva, uti pes juvat manum, manus pedem. Intaphernis uxor, Dario permittente ut unum ex suis eligeret, cuius vitam sibi deposceret, fratrem elegit. Rege admirante, et causam sciscitante : « Alius, inquit, maritus, alii liberi, si Deus volet, possunt contingere; alium fratrem, parentibus vita functis, non est quod sperem. » Ita Plutarchus loco citato, qui et addit : « Sicut, inquit, minores numeri additi majoribus eos multiplicant, et vicissim multiplicantur ipsi; sic frater obsequens fratri evecto ad honores auget illius dignitatem, et vicissim ornatur illius splendore. »

Porro Joseph abbas apud Cassianum, *Collat. XVI*, cap. vi : Fraterni, ait, amoris primum fundamentum est, superbiam mundi contemptui habere; injustum enim est ut supellex vilissima pretiosissimæ rei, puta dilectioni fratris, præferatur; secundum, ut unusquisque suas resecet voluntates, ne se sapientem et consultum esse judicans, suis malit, quam fratris definitionibus obedire; tertium, ut sciat omnia, etiam quæ utilia ac necessaria aestimat, postponenda bono charitatis et pacis; quartum, ut credat nec justis, nec injustis de causis penitus irascendum; quintum, ut aduersus se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eo modo quo suam, curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam esse alterius tristitiam, ac si aduersus alium ipse moveatur, nisi eam, quantum in se est, de fratris etiam mente depulerit. Ita Pimenius abbas in *Vitis Patr.* lib. VII, cap. XLII, jussit fratribus ut

idolum lacecerent injuriis; cumque idolum nulla injuria moveretur, ait: « Fratres, ecce septem sumus; si vultis ergo pariter manere, ut lucrum animæ faciamus, sit idolum istud nobis in exemplum, ne, quando injuriatur aliquis, irascatur; ne, quando ab eo venia petitur, glorietur aut extollatur: quod si non ita vultis, unusquisque vadat quo vult. » Praeclare S. Hieronymus, lib. I in *Thren.* cap. III: « Ille vere et non ex parte perfectus est, qui et in eremo squalorem solitudinis, et in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat. » Fratrum ergo et sororum concordia suavissimum edit concentum in aribus Dei et hominum, adeoque sorores concordes sunt quasi Musæ. Nam ob benevolentiam et amorem sororum, Musæ quasi δμοῦ ονται, id est simul semper degentes, nuncupantur, ait Plutarchus loco citato.

Tales Musæ divini consensus et concentus fuerunt SS. Fides, Spes et Charitas, tres filiæ S. Sophiæ, quæ tam sanguine, quam sanctitate ac martyrio sorores, sicut in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separatae, quam gloriosam pro Christo obierunt die prima augusti. Tales SS. Ruffina et Secunda die 10 juli; tales SS. Nymphodora, Menadora et Metrodora sorores, virginis et martyres sub Maximiano, 10 septembbris; tales S. Tarsilla et Æmiliana materteræ S. Gregorii, de quibus ipse homil. 28 in *Evang.* Tales S. Pulcheria, Placilla, Arcadia et Marina, sorores Theodosii Imperatoris, quas S. Pulcheria in aula quasi in cœnobia educavit, secumque virginitatem Deo consecrare docuit. Ita Cedrenus, Zonaras et alii, atque ex his noster Raderus in *Aula Theodosii*; ut merito Patres omnes in concilio Chalcedonensi, Pulcheriæ jam Augustæ, uno ore acclamarint: « Nova Helena, munimen orthodoxorum, et gloria Ecclesiarum. » Tales musæ et musici cœlestes fuere SS. Joannes et Paulus sub Juliano Apostata, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos; tales S. Basilius et S. Gregorius Nyssenus; tales S. Gregorius Thaumaturgus et Athenagoras; tales SS. Gregorius Nazianzenus et Cæsarius cum S. Gorgia; tales septem fratres Machabæi II *Machub.* cap. VII; tales septem filii S. Felicitatis, et totidem S. Symphorosæ, quos ardens charitas et in vita et in morte conjunxit, ac simul omnes eadem martyrii laurea decoravit; tales Godefridus Bullonius et Baldinus ejus frater, qui conjunctis animis et armis terram sanctam recuperarunt, primique Hierosolymæ reges coronati sunt; tales Judas, Jonathas et Simon Machabæi, qui conspirantes, paucis copiis, sed unitis, numerosos Antiochi exercitus profligarunt. Funiculus triplex difficile rumpitur. Nota est Sciluri historia.

ET TENUERIT ULTRA FUOREM SUUM. — Hebraice יְתַנֵּר וְתַנֵּר, id est et rapuerit, id est instar animalis rapacis sævierit, ait Vatablus. Septuaginta vertunt: *Et rapuit in testimonium horrorem suum,*

*et impetum suum custodivit in victoriā, id est, ut S. Hieronymus legit, in æternū; hebraice enim נִצָּחָה lanetsach, id est in victoriā, idem est quod in finem, ut patet in inscriptione *Psalm. IV, V, VI, VIII.* Complutensia legunt εἰς νίκην id est in contentionem, pro εἰς νίκην, id est in victoriā. Rursum pro עֲלֹה laad, id est ultra, vel in secula, ut vertit Syrus; vel in æternū, Septuaginta et Arabicus legerunt עֲלֹה laed, id est in testimonium. Noster optime ἕττον vertit, tenuerit; quia rapere ultra furorem suum, Hebræis idem est, quod eum servare et retinere, nimis ex furore rapere, sævire et lacerare prædam, vel hostem; vel rapere furorem ultra metas humanitatis, et inhumanitatis sævire. Unde Marinus in *Lexico* vertit: *Eo quod lacerarit in æternū furore suo.* Denique hebræum עֲבֹד appo, et furorem, ut vertit Noster, et horrem, ut vertunt Septuaginta, significat; atque עֲבֹד ebra, tam indignationem, ut vertit Noster, quam impetum, ut vertunt Septuaginta, denotat. Ita S. Hieronymus.*

12. MITTAM IGNEM — per Chaldæos et Nabuchodonosorem, ut patet *Jerem. xxv, 27*, et *Ezech. xxvii*. Vers. 12.

THEMAN. — Urbs est et regio Idumææ, cuius rex fuit Eliphaz, amicus Job, qui inde dictus est Themanites; distat a Petra urbe Arabiæ quinque millibus passuum. In hac urbe viguit studium sapientiæ, ut patet *Baruch*, cap. III, 22. Tempore S. Hieronymi villa erat. Ita ipse in *Locis Hebr.*, Borchardus, Bredembachius et alii in *Descript. Terræ sanctæ* (1).

BOSRA. — Urbs est in Idumæa, non longe a Themani, ita dicta a firmissima munitione, vel arce. *Bosra* enim hebraice idem est quod munita. Est alia Bosra in Arabia, et tertia in Moab. Est synecdoche: a parte enim præcipua, totam Idumæam intelligit.

13. SUPER TRIBUS SCeleribus filiorum AMMON. — Vers. 13. Ab Idumæis transit ad Ammonitas, eodem stylo et censura. Ammon fuit filius Lot, nothus ex ejus incestu cum filia; inde prognati dicti sunt filii Ammon, vel Ammonitæ: habitarunt in Arabia; metropolis eorum erat Babba, quæ postea dicta est Philadelphia. Ita S. Hieronymus et Theodoreetus.

Eo QUOD DISSECUERIT PRÆGNANTES (Syrus et Arabicus, ventres prægnantium; Arabicus vero Antiochenus: *Quia serris ferreis secabant prægnantes*) **GALAAD** (2). — Ne scilicet ex matribus gravidis filii

(1) Quod *Sela*, id est *Petra*, urbis primariæ Idumæorum, mentio facta non est, id Crednerus in *Joel*, pag. 53, non casu et fortuito, sed consilio et ratione factum esse putat. Fuisse enim tunc temporis urbem illam in potestate Judeorum, utpote expugnatam ab Amasia, II *Reg. cap. XIV, 7.*

(2) Haud abhorret a veritatis specie, inquit Calmetus, illos (Ammonitas) nactos occasionem, cum regio Galaad turbis agitaretur eo tempore quo reges Syriae eadem potiti sunt, et cum regnum Israel trans Jordanem non levia passum esset detimenta, in Galaaditidem irru-

nascerentur, qui terram occuparent; sed, hæreditibus atque incolis deficientibus, ipsi terram eorum invaderent et occuparent. Unde sequitur: « Ad dilatandum terminos suos. » Idem avaritiae crimen, et cupidinem dilatandi suos terminos, objicit Ammonitis Jeremias, cap. XLIX, 1: « Numquid, ait, non filii sunt Israel? aut hæres non est ei? Cur igitur hæreditate possedit Melchom Gad: et populus ejus in urbibus ejus habitavit? » Ita Theodoretus, Remigius, Hugo et Lyranus, ac S. Hieronymus, qui censet Ammonitas dissecuisse prægnantes Israel eo tempore quo regnabat Saul, cum scilicet Naas rex Ammon vastavit Jabel Galaad, I Reg. XI; licet ibi dissectionis prægnantium non fiat mentio. Nota: Pro prægnantes hebraice est *הרונות harot*; quod si ab *הר har*, id est concepit, deducas, significat prægnantes; si ab *הר har*, id est mons, significat montes. Unde Arias, Vatablus et Pagninus vertunt: *Eo quod dissecuerunt montes Galaad*, ut scilicet ditionem transmontanam Galaaditarum suæ conjungerent; verum Septuaginta, Chaldaeus, Noster, Tigurina et alii jam citati vertunt, *prægnantes*. Hoc enim est quartum enorme scelus, ob quod Ammonites a Deo excidio destinantur. Dividere autem montes non est enorme scelus; sed dividere, sive secare prægnantes, ut fecit Azael rex Syriæ Israelitis gravidis, IV Reg. cap. XV, 16.

Symbolice, Villalpando in Ezech. cap. XXIV, 14: Prægnantes, ait, vocantur civitates munitæ et populosæ; has enim merito prægnantibus compares, utpote populis plenas.

Tropologice S. Gregorius, III part. Pastor. cap. XXV: « Galaad, inquit, id est acervus testimonii, est Ecclesia, quæ ore cunctorum fidelium de Deo quæ vera sunt testatur. Prægnantes autem Galaad vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex divino amore concipiunt, et si ad perfectum tempus veniant, conceptam animæ intelligentiam, boni operis ostensione paritutæ sunt. Terminum vero suum dilatare, est opinionis suæ nomen extenderé. Secuerunt ergo prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum: quia nimis hæretici mentes fidelium, quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perversa predicatione perimunt, et scientiae sibi nomen extendunt; parvulorum quippe corda jam de verbi conceptione grava, erroris gladio scindunt, et quasi doctrinæ sibi nomen faciunt. » Sic et S. Hieronymus: « Prægnantes, ait, sunt animæ credentium, quæ in principio fidei possunt dicere: A timore tuo, Domine, concepimus et parturivimus, » etc. Notent hæc illi qui pusillos scandalizant, atque eos qui parturiunt meliorem vitam, seducunt, et partum spiritualem impediunt. Hi enim sunt homocidæ, non corporum, sed animarum; ac ut tales

pisse, ibique fanda et nefanda perpetrassæ omnia, quæ ipsis hoc in loco exprobrantur. Juxta Rosenmullerum, factum hoc fuerat regnante Hazaele, II Reg. VIII, 12. Coll. II Reg. XV, 16; Hos. XIV, 1.

horrende a Deo punientur, qui hanc animarum a se creatarum et redemptarum ruinam ita sentit; sicut sentit mater dolorem, cum ejus disrumpuntur viscera, ut fœtus tradatur lacerandus canibus. Ipse enim de suis ait: « Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva, » Isaïæ cap. XLVI, 3.

14. IN ULULATU IN DIE BELLI (Ululatum tum tubarum, tum militum confluentum, ac victorum et occisorum, æque ac vincentium intellige. Hinc Tigurina vertit: In classico in die belli; Vatablus, in vociferatione, quæ scilicet fit sub conflictum), ET IN TURBINE. — Tigurina, in tempestate, id est in valido impetu, in horribili incursu hostium. Hunc enim comparat turbini, qui rapit et ventilat paleas, æque ac hostes hi ventilatur erant Ammonitas. Hostes hi fuere Chaldæi, ut patet Ezechiel. cap. XXI, 20, Jerem. cap. XXVII, 6. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo et alii. Postea rursum vastati sunt Ammonitæ sub Antiocho a Juda Machabæo, I Machab. cap. V, 6.

Ubi nota ex Josepho: Nabuchodonosor anno 28 regni sui, qui fuit undecimus Sedeciæ regis Juda, cepit et vastavit Jerusalem; deinde quinto anno post, puta anno regni sui 23, vastavit Ammonitas, Moabitæ, Idumæos, cœpitque obsidere Tyrum, quam post 13 annos expugnavit, anno regni sui 35, uti ostendi Daniel. cap. II, initio.

15. ET IBIT MELCHOM IN CAPTIVITATEM. — Melchom, sive Melech, vel Moloch, erat idolum Ammonitarum, speciem habens regis, puta Jovis. Unde Melchom hebraice idem est quod rex eorum, ut vertunt Chaldaeus et Vatablus. Quis fuerit Melchom, an Jupiter, an Saturnus, dixi Levit. cap. XVIII, 21. Septuaginta in Vaticano, et apud S. Hieronymum habent: Et ibunt reges eorum in captivitatem, principes eorum, et sacerdotes eorum simul (1). Hæc de littera; nunc tropologiam totius capitisi accipe.

Per hasce septem gentes, quæ persecutæ sunt Judam, id est animam et populum fidelem, significantur septem vitia capitalia, puta primo, per Damascum (quæ hebraice idem est quod sanguinis saccus, vel sanguinem potans) gula et gulosi, qui toti in carne et sanguine voluntur; secundo, per Gazam, avaritia et avari, quorum totum robur est in gaza, id est in auro et argento. Idem significat Ascalon, id est, ut vertit S. Hieronymus in Nomin. Hebr. in Acta, ignis insanus, ubi corrigere, ignis infamis; וְנִסְעֵן enim est ignis, נַלְפָכָלָן est infamia. Idem significat Accaron, id est ste-

Tropolo-
gia to-
tius ca-
pitis.

(1) Cum nostro loco nihil deprehendatur in textu, quod ad restrictam illam *idoli* notionem nos ducat, neque de idolorum cultu, sed de populi sui afflictione Deus queratur, et regi huic jungantur non *sacerdotes*, sed *principes*, rex vero hic respondeat *sceptifero*, vers. 5-8, atque *judici*, II, 3, videtur potius intelligi homo apud Ammonitas supremæ potestatis, in Rabbath residens, qualis memoratur Nahasc, I Sam. XII, 2; Chanun, II Sam. cap. X, 1, 2, et Balis, Jerem. XL, 14.

rilitas (hanc enim parit avaritia), vel eradicatio (male in S. Hieronymo in Nomin. Hebr. in Josue legitur, eruditio) tristitiae, ait S. Hieronymus hic; tertio, per Tyrum, superbia et superbi: Tyrus enim superba in mari eminebat quasi arx; quarto, per Edom, id est sanguinarium, ira et iracundi, qui in verba, verbera et cædes prorumpunt; quinto, per Ammon, libido et libidinosi: Ammon enim ex incestu Lot cum filia natus est; sexto, per Moab, de quo cap. sequenti, vers. 1, invidia et invidi; Moab enim idem est quod de patre, quia ipse patris sui ex filia fuit filius, simul et nepos; ac consequenter Lot ei fuit tam avus quam pater: sic invidi fratres excludunt, eorumque locum opes et nomen sibi arrogant, perinde ac nepotes non raro excludunt patruos imo fra-

tres et parentes suos ab avita hæreditate; septimo, Israel sunt acedia et acedi, qui ex pigritia ad paupertatem redacti, vendunt pro argento justum, et pauperem pro calceamentis, uti de iis dicetur cap. II, 6.

Cujusque horum quatuor scelera sunt, quatuor gradus vitii cuiusque; scilicet primus est, peccatum voluntatis; secundus, operationis; tertius, consuetudinis; quartus, gloriationis, uti dixi vers. 3, ex S. Hieronymo et Ruperto. Hosce omnes Deus disperdet in die judicii, mittetque in ignem gehennæ, eo quod pios persecuti sint, et fœdus fratrum ruperint, suscitando bellum inter carnem et spiritum, imo faciendo ut caro incarceraret et opprimeret spiritum, cui quasi frater, imo quasi servus obsequi et servire debuerat.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob tria et quatuor scelera Moab, vers. 1, et Judæ, vers. 4, et Israelis, vers. 6, cladem et excidium intentat, ac deinceps Israeli pergit exprobrare ingratitudinem, eo quod cum Chananæam, expulsis Chananæis, dono a Deo acceperit, insuper Prophetas et Nazaræos, iis tamen ingrate contra Deum, Deique jussum abusus sit. Unde minans subdit, vers. 13: Ecce ego stridebo subter vos, etc.

1. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum: eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad cinerem. 2. Et mittam ignem in Moab, et devorabit ædes Carioth: et morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ: 3. et disperdam judicem de medio ejus, et omnes principes ejus interficiam cum eo, dicit Dominus. 4. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Juda, et super quatuor non convertam eum: eo quod abjecerit legem Domini, et mandata ejus non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum. 5. Et mittam ignem in Juda, et devorabit ædes Jerusalem. 6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento justum, et pauperem pro calceamentis. 7. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant: et filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. 8. Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare: et vinum damnatorum bibeant in domo Dei sui. 9. Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum: cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus: et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter. 10. Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Ægypti, et duxi vos in deserto quadraginta annis, ut possideretis terram Amorrhæi. 11. Et suscitavi de filiis vestris in prophetas, et de juvenibus vestris nazaræos: numquid non ita est, filii Israel, dicit Dominus? 12. Et propinabis nazaræis vinum: et prophetis mandabis, dicentes: Ne prophetetis. 13. Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plastrum onustum feno. 14. Et peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam. 15. Et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam. 16. Et robustus corde inter fortis nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.

et Juda, iisque singulis eodem schemate totidem scelera objicit, et similem poenam committatur.

Eo quod incenderit (Moab) ossa regis Idumææ. — R. David, Clarius et Arias censem hunc regem fuisse filium regis Idumææ, qui a Mesa rege Moab in conflictu captus eo tempore, quo Mesa pugnabat contra Josaphat regem Juda, et contra regem Edom regemque Israel; quem tandem Mesa a tribus hisce regibus obsessus et ad extrema redactus, ex ira et desperatione mactavit et obtulit diis suis, eumque quasi catharma et piaculum cum ossibus concremavit, et in cineres redegit, in conspectu patris urbem obsidentis: quo facto, pater, puta rex Edom, indignans regi Israel, quod eum ad hoc bellum excitasset, quo in conspectu suo filius mactabatur et cremabatur, fœdus abrupit, et domum rediit, idque censem significari illis verbis IV Reg. cap. III, 27: « Arripiensque (rex Moab) filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, » ubi τὸν γιον τοῦ βασιλέως, scilicet regis Edom: Hebræum enim vau, quæ est nota pronominis affixi, tam eum, quam suum significat. Verum Septuaginta, Chaldæus, Hebræi, S. Hieronymus, Ruffinus, Rupertus, Lyranus, Abulensis, Burgensis, Cajetanus, Vatablus, Pagninus, quin et Philo Biblius, vetus Phœnicum historicus, apud Eusebium, lib. IV Praepar. Evang., ac Josephus, lib. IX Antiq. cap. III, tradunt regem Moab, IV Reg. cap. III, immolasse filium suum, id est proprium, non alienum, puta regis Edom. Cur id fecerit, varias causas afferunt Abulensis IV Reg. cap. III, et Pererius tom. III in Gen. cap. xxii, num. 98. Melius ergo Hebræi, S. Hieronymus, Ruffinus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus et Pererius loco jam citato, Ribera et a Castro censem hunc fuisse ipsummet regem Idumææ, qui cum Josaphat et Joram pugnavit contra Moabitæ, eosque obsidens in tantam desperationem coegit, ut rex Moab filium proprium diis suis immolaret, ut eorum ope in tanta necessitate imploraret et impetraret. Quocirca Moabitæ tanto in regem Idumææ odio exarsisse, ut ejus postea mortui et sepulti ossa effoderint, cremarint et redegerint in cineres. Addunt aliqui Moabitæ ex his cineribus calcem fecisse, eaque domos suas oblinivisse, ut perenne odium in regem Edom testarentur. Unde Chaldæus vertit: *Eo quod combusserit ossa regis Idumææ, et oblinierit eis quasi calce domum suam.* Et hebraeum קִרְבָּן lassid, tam in calcem, quam in cineres, verti potest. Unde et Syrus vertit: *Eo quod incenderit ossa regis Idumææ usque ad calcem, vel cinerem.* Quo præcise tempore et anno id fecerint Moabitæ, non narrat S. Scriptura, nec Josephus; sufficit ex hoc loco Amos constare id contigisse, et tempore Amos fuisse rem omnibus notam et celebrem; erant enim crebra bella inter regem Moab et Edom, ob viciniam et confinia; et in aliquo horum vic-

tor Moab hanc injuriam et ignominiam intulit regi Edom.

Porro minatur hic Deus se Moabitum odia et crudelitatem in ossa regis Edom exercitam puniturum, ut ostendat se non tantum Judæorum, sed et aliarum gentium esse Deum creatorem, provisorem et vindicem, ut quasi talis ab omnibus agnoscat, timeatur et colatur. Porro inhumatum est et probrosum valde exhumare mortuos, et illorum insultare cineribus, tum quia honor sepulcri sunt ultima justa naturæ, quæ defunctis decrevit vivorum pietas apud omnes pene gentes; tum quia hoc est cum mortuis dicicare, et eos rursus quasi interficere; tum quia animæ fit injuria, cum ejus corpus inhonoratur. Unde Gentiles sepultra dicabant, et saepe inscriebant: « *Diis manibus.* » Hinc pessime apud omnes audivit Cambyses, teste Herodoto lib. III, qui Amasis regis Ægypti jam defuncti effodit cadaver, illudque flagris cedi, vellicari et stimulis pungi jussit. Crudelis Sylla C. Marii ossa effossa dispersit; quod ne sibi jure talionis fieret, jussit se post mortem cremari. Idem eamdem ob causam secuti sunt Romani, ut docet Plinius lib. VII, cap. LIV. Quin et Scythæ cætera despicientes, cum Darius eis metum vel inertiam exprobraret, quod bellum declinarent, responderunt ipsum cognitorum animos et vires Scytharum, cum ad parentum suorum sepultra venissent; pro iis enim se usque ad mortem præliaturos. Ita Valerius lib. V, cap. IV. Hac de causa Deus impio Jeroboam, aliisque regibus Israel idololatris, quasi poenam extremam minatur, quod ossa eorum sepulcris eruta projicienda sint canibus, *Jerem. cap. VIII, 1, et Baruch, cap. II, 24.*

Hinc moraliter disce quantum nefas sit mortuorum famam lacerare; fama enim pluris est quam ossa; ossa laniant canes, famam detractores; canini ergo sunt, et crudeliores canibus. Ita Sanchez.

2. Mittam ignem in Moab; — per Nabuchodonosorem, qui quasi flagellum gentium omnium in manu Dei, quinto anno post excisam Hierosolymam percussit et vastavit tam Moabitæ, quam Ammonitas, teste Josepho lib. X Antiq. cap. XI.

Et devorabit ædes Carioth. — Aliqui *Carioth* accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum, vertuntque, *urbes;* קִרְבָּן *kiri'a* enim in singulari est urbs, inde *carioth* in plurali vocantur urbes. Unde Septuaginta vertunt: *Fundamenta urbiuum suarum disperdet;* sic et Chaldæus.

Melius Noster, Tigurina et alii *Carioth* accipiunt ut nomen proprium urbis et metropolis Moab. Sic enim accipit Jeremias cap. XLVIII, 21. Forte urbs haec ab amplitudine dicta est *Carioth*, eo quod urbes plures in se complecteretur, uti Praga, Cracovia, Leodium, Parisii, tres imo plures urbes in se continent.

ET MORIETUR IN SONITU MOAB. — Tigurina, *in fremitu, q. d.* In strepitu horrisono expugnatio-
nis urbis Carioth et cæterarum Moabitidarum oc-
cidentur et morientur Moabitæ. Ita Vatablus.
Unde explicans addit: *In clangore tubæ, q. d.* Tu-
bis clangentibus, armis personantibus et hosti-
bus vociferantibus, cæduntur Moabitæ magno
terrore et horrore.

Vers. 4. 4. SUPER TRIBUS SCELERIBUS JUDA. — A gentibus transit ad Judam (id est ad duas tribus, Judam et Benjamin), qui gentium idololatriam et scelerata imitatus est, imo superavit, ideoque ei excidium per eundem Nabuchodonosorem et Chaldaeos comminatur (1).

Tropologice S. Hieronymus: « Avarus, inquit, aurum, gulosus ventrem, libidinosus scortum et Beelphegor colit; lasciva mulier, quæ cum sit in deliciis, mortua est, adorat venereas voluptates. » Hæc sunt idola Judæ, id est, fidelium et christianorum.

Vers. 6. 6. SUPER TRIBUS SCELERIBUS ISRAEL. — A Juda transit ad Israel, id est ad decem reliquas tribus, quarum caput erat Samaria, easque pariter arguit et plectit ob tria, id est multa, scelera et ob quatuor, id est quartum, quod est crudelitas et oppressio pauperum, nimirum, « eo quod vendiderit pro argento justum et pauperem. »

R. Samuel Marochianus, tractat. *De Adventu Messiae*, cap. vi, et ex eo Galatinus, lib. IV, cap. xxiv, et Arianus Finus, lib. VI *Flagelli Judæor.*, cap. xlvi, censem quartum scelus fuisse, quod Christum, qui justus fuit per excellentiam et Antoniasiam, vendiderint triginta argenteis: *primum*, inquiunt, scelus fuit, quod vendiderint Joseph, *Genes. xxxvii*, 28, propter quod puniti sunt captivitate Ægyptiaca; *secundum*, quod Davidem, et in eo Christum spreverint, dicentes: « Non est nobis pars in David, » atque adoraverint vitulos aureos, propter quod puniti sunt captivitate Assyriaca; *tertium*, quod filios suos immolarint Moloch et idolis, ac Prophetas eos argentes occiderint, propter quod puniti sunt captivitate Babylonica; *quartum*, quod Christum vendiderint et occiderint, propter quod plane excisi, et desolatione semper duratura vastati sunt a Tito et Romanis. Verum obstat quod Christus non ab Israele, utpote jam abducto in Assyriam, sed a Juda venditus et occisus sit: quocirca potius Judæ, quam Israeli hoc scelus adscribendum fuisse. Adde quod tempore Christi nec Judæi, nec Israelitæ coluerunt idola, quæ hic vers. 4, in Juda arguit Propheta. Ad litteram ergo loquitur de quolibet justo et paupere, ab Israeliis injuste

vendito et oppresso; sed quia inter hos excelluit Christus, quem Prophetæ habent pro scopo, hinc ad Christum quoque videtur acies Prophetæ finaliter dirigi. Primo enim Prophetæ taxant scelera sui sæculi, *deinde* sub iis taxant similia posterorum criminis, maxime committenda tempore Christi contra ipsum Christum: Prophetæ enim omnibus temporibus scripserunt hæc oracula. Unde et inter septem gentium scelera, Amos hoc ponit ultimum, quasi maximum: tale enim est venditio et occisio Christi; præsertim quia non legimus Israelitas, alio tempore quam Christi, vendidisse justum et pauperem vere et proprie. Porro hoc fuit scelus tam Israeli quam Judæ, quia post vastatam ab Assyriis Samariam, Israelitæ cladi superstites fugerunt Hierosolymam, et cum Juda commixti coaluerunt in unam gentem. Nam ab olim, puta a patriarcha Jacob, Israel et Juda, id est decem tribus et duæ, fuerunt quasi fratres; quocirca scelera hic Israeli adscripta, ad Judam quoque pertinent. Quartum enim scelus Damasci, et cæterarum gentium, hic assignatur crudelitas; ergo eadem Judæ quoque assignanda videtur; cumque in oraculo Judæ, vers. 4, illa non inveniatur, ex onere Israeliis hoc versu mutuanda est. Id clarissimum patet cap. III, 1, ubi S. Hieronymus et alii passim per filios Israel intelligunt tam duas quam decem tribus: Israeli tamen potius, quam Judæ adscribit eam Amos, quia ipse directe et proprie a Deo missus fuit ad Israelem, non ad Judam, ac prophetavit in Samaria et Bethel, non in Judæa et Hierosolyma; unde in sequentibus pergit prophetare contra Israelem. Israeli ergo onus ultimo ponit, illudque aggraviat, ut de eo continua serie prophetet.

Sensus ergo est, q. d. Quartum et gravissimum scelus Israeli est: « Quod vendiderit pro argento justum, » id est justam justorum, puta pauperum innocentiam, causam et substantiam, ut eam in judicio adjudicaret dicitur propter pecunias et munera accepta ab eis qui illos illorumque bona injuste invadabant, et a judice sibi dari deposcebant. Venditio ergo hæc justorum, tempore Amos, non fuit ipsorummet justorum, ut censuit Remigius; hoc enim eos fecisse nusquam legimus, sed prædiorum et opum eorumdem, qua scilicet donis judicii oblatis pervertebant judicium, ac emanabant ab eo sententiam injustam, per quam ipse eis adjudicabat bona pauperum. Ita Chaldaeus, S. Hieronymus, Albertus, Lyranus, Clarius, Arias, Vatablus, Ribera et a Castro. Proprie vero quartum hoc scelus Judæ et Israeli est: « Quod vendiderit, » id est venditurus sit, « pro argento, » puta pro triginta argenteis, « justum, » scilicet Christum, qui auctoritate est justus, quia Sanctus sanctorum. Christo enim proprie singula hæc verba competit, et non alteri; et ad Christum, quasi ad scopum et amorem suum, data vel levi occasione et similitudine, subito avolare solent Prophetæ. Est ergo hic duplex sensus, isque

(1) Cæteris supra dictis urbibus et gentibus, ut recte notat S. Hieronymus, non exprobrat, quod legem Dei abjecerint, et illius mandata contempserint; non enim habuerunt scriptam legem, sed naturalem. Judas autem... increpatur a Domino, et convincitur, et digna supplicia recepturus est, quare abjecerit legem ejus, et mandata illius non custodierit.

litteralis, vel potius prior de justis quibuslibet tempore Amos litteralis, posterior de Christo allegoricus. Denique Arabicus vertit : *Eo quod posuerunt contra veritatem pro argento et vestimentis, q. d. Quia veritatem et justitiam vendiderunt argento et calceamentis, hoc est vilissimo pretio.*

ET PAUPEREM PRO CALCEAMENTIS. — Hebraice est duale נַהֲלָהִים *nahalahim*, id est pro duobus calceis, sive pro pari calceorum. Perperam R. Salomon, et ex eo Lyranus vertit, *pro clausuris, q. d. Sepem qua pauper claudebat agrum, cogebat dives dirui; ut ejus agrum invaderet, et suo, qui vicinus erat, copularet.* Nam Septuaginta, Chaldaeus et alii passim *nahalahim* vertunt, *calceos.* Remigius proprie id accipit, censemque Israelitas vendidisse pauperes in servos vicinis gentibus, vel ipsis etiam Israelitis, idque vilissimo pretio, puta pro pari calceamentorum. Hoc scelus in jure vocatur *plagium*, quo scilicet homo liber rapitur venditurque in mancipium; quod proinde lege divina morte punitur, *Exod. xxi, 16* : « Qui suratus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxae, morte moriatur. » Lege vero civili, puta lege Flavia, punitur verberibus et plagiis, a quibus reus dictus est plagiarius, et crimen plagi. Verum hoc jam refutavi, neque verisimile est hominem liberum ab eis tam vili pretio, puta duobus calceis, venditum fuisse.

Melius ergo alii censent pauperem hic dici venditum, eo quod ejus jus, causa et substantia sit vendita. Sic enim vulgo dicimus hominem vendidum in judicio vel extra judicium ejus status vel jura venduntur. Ita S. Hieronymus, Clarius, Vatablus, Arias et alii paulo ante citati. Nota adagium, *pro calceamentis*, id est exiguo et vili pretio. Sic vulgo etiamnum dicitur : Non pluris eum facio quam meos calceos : tanti eum aestimo, quanti veteres calceos ; *pro calceis istud dabo.* Ita S. Hieronymus. Sic Christus a Judaeis venditus est vili pretio, puta triginta argenteis, qui totidem florenos Brabanticos, ut aliqui ; vel, ut alii, dimidiam eorum partem, puta quindecim florenos Brabanticos conficiunt ; florenus Brabanticus continet quatuor julios : quindecim ergo floreni faciunt sexaginta julios, puta quinque aureos. Annon hoc vile pretium, quo Dominus universorum aestimatus et venditus est? Minus recte Theodoreetus sic exponit, q. d. *Judices, advocati et procuratores ita affligebant pauperes causam suam agentes, ut cum non haberent quod pro stipendio eis solverint, sordida avaritia et tyrannide calceos eis exuerent et raperent.* Et Clarius, q. d. *Dives, invadens agrum pauperis, cogebat illum renuntiare juri suo extracto calceo, juxta morem Israelitarum, qui narratur Ruth iv, 7.* Denique Arabicus vertit : *Fecerunt pauperem loco calceamentorum, hoc est, vili aestimaverunt, non pluris fecerunt quam veteres calceos, ut vulgo dicitur.*

Vers. 7. 7. **QUI CONTERUNT SUPER PULVEREM TERRE CAPITA PAUPERUM,** — q. d. Deprimunt pauperes in ju-

dicio, ut causa cadant ; quin et extra judicium eosdem dejiciunt et conculeant, æque ac conculcatur mancipium, vel bestia, quæ in pulvrem dejicitur, ibique caput et capillos opplet luto et pulvere, ut videatur tota esse pulverulenta. Ita S. Hieronymus. Nota divitum fastum et saevitiam in pauperes. Nam, ut recte advertit P. Pineda, lib. VI *De Rebus Salomon.* cap. xx, num. 14, apud insolentissimos divites Israelis res non erat insolens, ut obvios pauperes pro libidine pessumdarunt, et injecto opprimerent pede, ac tantum non suffocarent, animamque extorquerent. Unde Septuaginta vertunt : *Conculcabant super pulvrem terræ, et pugnis percutiebant in capite mendicum;* Vatablus vero et Tigurina : *Anhelabant super pulvrem terræ in caput tenuium, q. d. Desiderant opprimere pauperes, quos libenter vident projici in terram et luto oppleri (1); Chaldaeus : Qui contemnunt quasi pulvrem terræ caput mendicorum ; alii : Qui absorbent quasi pulvrem terræ caput pauperum ; hebraice enim נְאֵשׁ שְׂאָפָה significat respirare, attrahere, aphelare, optare, inhiare, absorbere.* Ita Pagninus, Marinus, Forsterus, et alii in *Lexicis.*

ET VIAM HUMILIA DECLINANT, — q. d. « *Viam*, » id est jus, rem et causam pauperum in judicio ob munera subvertunt, litemque et victoriam diviti munera danti transcribunt. Ita Theodoreetus, Vatablus et Arias. Unde Chaldaeus vertit : *Et jus obscuriorum pervertunt. Secundo, generalius, q. d. « Viam, » id est consilia, instituta, conatus pauperum subvertunt, eosque cogunt incepto desistere, illisque sua potentia et iniuritate omnis boni aditum et viam præcludunt. Tertio, simplicius et magis connexe ad præcedentia : « Viam humilium, » id est humiles et pauperes viatores, ut sit hypallage, « declinant, » id est dejiciunt, et in terram prosternunt, ac conculeant. Hoc enim apte respondet priori hemisticchio, quo dixit : « Qui conterunt super pulvrem terræ capita pauperum. » Solent enim Hebrei, in rhythmis præsertim et carminibus, posteriori hemisticchio idem aut quasi idem dicere, quod dixerant priori. Simile est Job xxiv, 3 : « Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ. » Ubi vide P. Pinedam, qui decem expositiones illius æque ac hujus loci afferit. Alter S. Hieronymus, q. d. « In tantum elevantur superbia, ut nolint cum humilibus ambulare vel agere ; » et Lyranus, q. d. Cum in via occurruunt pauperi, ex fastu cogunt eum sibi cedere, et de via declinare. Mystice Albertus, q. d. Pauperum*

(1) Rosenmullerus adductis antiquorum et recentiorum interpretationibus, prosequitur : « Ego malim : *Qui in id anhelant* (vel, ut ait Maurer, *qui inhiant*, id est qui nihil magis cupiunt), et toti in hoc incumbunt, *ut sit pulvis in capite tenuium*, id est, ut humi eos raptent, et distrahanter, ut eorum capita pulvere terræ, quam calcant suis pedibus, aspergant et compleant, ut oppressione sua vexatos in luctum conjiciant.

bona diripiunt, itaque cogunt eos vel per impatientiam, vel per indigentiam a via virtutis et justitiae declinare ad furtarum aliaque scelera, ut victimum sibi comparent. Primus sensus est litteralis et genuinus: *via* enim in Scriptura saepe rem, negotium, jus et causam significat.

Moraliter, ad advoca-
tos jura
perven-
tentes. Notent haec judices et advocati, qui pauperes opprimunt, cum ex juramento eos tueri, imo ex officio causam eorum gratis agere teneantur. Aperver- diant fulmen Dei, *Deuter. xxvii, 19*: « Maledicen- tes qui pervertit judicium advenae, pupilli, et viduae. Et dicet omnis populus: Amen. » Recte S. Ambrosius in *sermon.*: « Juste advocato dicitur: Redde quod accepisti, quoniam contra veritatem fecisti, iniuritati adfuisti, judicem fecisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti. » Cassiodorus in *Psalm. lxxiii*: « Hi, ait, sunt in conviviis scurræ, in exactionibus harpyæ, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Hi sunt, quorum si nares afflaverit cujusquam rubiginosi aura marsupii, confestim videbis illic oculos Argi, et manus Briarei, et Sphyngarum ungues, et perjuria Laomedontis, Ulyssis argutias, Sino- nis fallacias, fidem Polymnestoris, et pietatem pigri Leonis adhiberi. » Et Alanus, lib. *De Con- questione naturæ*: « Si quis armatus est pecunia, tanquam loricis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgor incursus Hectorei, robur virtutis Herculeæ, versipelles Ulyssis vilipendit astutias. In tantum enim habendi fames incanduit, ut dialectæ muta sit subtilitas, rhetoricae languescat civilitas, ubi nummorum perorat pluralitas. Nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat universis. » Haec de rabulis litigiosis, avaris et inquis: veri enim advocati juris tutores, pauperum patroni, novi Ivones sunt.

ET FILIUS AC PATER EJUS IERUNT AD PUELLAM (*eamdem*, ut habent Septuaginta. Notat Israelitarum incestum, quod filius socrum, id est uxore patris, vel potius pater nuru, id est uxore filii abutetur, inquit S. Hieronymus, Remigius, Hugo et Lyranus, aut certe eamdem puellam et meretricem haberet uterque pro concubina: itaque) **VIOLARENT NOMEN SANCTUM DEI**, — exponendo illud infamiae et ludibrio gentilibus dicentibus: Ecce quam spurci et obseni sunt Israelitæ; quam spurca ergo eorum fides et religio sit oportet: et qualis eorum Deus, qui ista tolerat, nec punit! Hujus blasphemiae causam dabant suo incestu Israelitæ.

Ver. 8. 8. ET SUPER VESTIMENTIS PIGNORATIS ACCUBUERUNT JUXTA OMNE ALTARE. — Israelitæ cœnaturi, vel convivaturi non sedebant ad mensam, sed juxta eam discumbebant, id est jacebant in lectulis, qui inde cœnatorii dicebantur. Ita discubuit in lectulo Christus in domo Simonis Leproxi, cum a tergo ei Magdalena pedes lacrymis suis lavit. Taxat ergo eos quod immolantes victimas vitulæ aureis in Dan et Bethel, ex iisque deinde juxta

altare epulantes, discumberent in lectulis et vestibulis, quas a pauperibus, præsertim nolentibus edere hosce vitulos, vi extorserant, quasi pignora pro debitis: aut quod iis divenditis ex pretio victimam et epulum instruerent: unde ad illud accumbentes, censebantur ad vestes pauperum pignoratas discumbere, et super iis epulari; cum tamen Deus jussisset pignus pauperi ante noctem reddi, *Deuter. xxiv, 12*. Ita Hebræi, et ex eis S. Hieronymus, Lyranus et Vatablus. Peccabant ergo dupliciter: primo, quod has vestes eriperent pauperi; secundo, quod iis colerent idola. Ita Sanchez.

Aliter Septuaginta, qui per accubitum intelligunt concubitum: *Vestimenta, inquaint, eorum ligantes funibus, περιπτερα, id est velamina, faciebant adhaerentia altari*, ut nemo eos ibi in idolio concubentes et fornicantes videret. Sic enim Beelphegor colebant fornicando juxta ejus idolum et altare, ut patet *Numer. xxv, 1*. Ita Septuaginta explicat S. Hieronymus et Theodoretus. Unde Syrus et Arabicus vertunt: *Colligaverunt vestimenta sua funibus, et fecerunt incessus coram templo meo, et biberunt vinum cum lusu in domo deorum suorum.*

Denique Clarius censet eos dormiendo in vestibus hisce in pignus acceptis, captasse oraculum, uti Græci dormientes in pelle arietis Jovi immolati, captabant ejus responsum, teste Herodoto, lib. VIII. Talia fuerunt lectisternia Gentilium in fano Serapidis, Æsculapii, Podalyrii et aliorum, quibus incubantes somnia captabant, de quibus P. Delrio, *Disquisit Magic.* lib. IV, cap. III, Quæst. VI. Huc accedit explicatio Martini de Roa, lib. II *Singul.* cap. IX, qui per vestes pigneratas accipit sacras, quibus se suis diis devovebant et consecrabant. Erant haec vestes, inquit, quæ quasi pignus devotionis, aut initiationis, diis consecrabantur; aut quæ ipsi initiati devotique tanquam insigne ejus numinis, cui sese dicaverant, gestabant. Sic ait Cicero *Philipp. XIV*: « Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet, » id est tanquam suum, sibique devotum et debitum usurpare. Et Suetonius in *Claudio*, cap. X: « Primus Cæsarum, inquit, fidem militis etiam præmio pigneratus, » id est quasi pignore sibi obligans. Et Seneca, lib. III *De Benef.* cap. IV: « Nemo non victuram in animo suo memoriam dixit, nemo non deditum se et devotum professus est, et si quod aliud humilius verbum, quo se oppigneraret, invenit, » id est quod se illi consecratum aut devotum significaret. Simili modo erant haec vestes diis eorum oppigneratae, per easque seipsos diis suis oppignerabant et devovebant. Subdit tamen Roa pignora hic potius judicialia significari, quæ juris peritus ea dicuntur, in quorum possessionem quis a judice mittitur: sive quæ aliquo jure cuiquam adjudicata attributaque sunt, esto injuste, uti hic fiebat. Ergo vestis pignerata non est aliud quam vestis damnatorum,

ut vinum etiam damnatorum, de quo sequitur.
ET VINUM DAMNATORUM (quos per calumniam et vim damnarant ad spolium, vel ad mortem. Unde Septuaginta vertunt: *Vinum de calumniis bibebant; Chaldæus: Bibebant vinum rapine, utique expressum ex oppressione et conculcatione pauperum*) **BIBEBANT IN DOMO DEI SUI**, — q. d. Pauperes, præsertim Dei veri cultores, nec in Dan et Bethel, sed in Jerusalem sacrificantes, calumniis et falsis testibus circumventos damnabant, bonisque mulcabant, ex quibus instituebant symposia, seque inebriabant in suis idoliis, quasi hac idolatria, calumnia, rapina et ebrietate deos suos, honoraturi, et Deum verum Judæorum offensuri (1). Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Lyranus et Vatablus. Paulo aliter P. Prado in *Ezech.* xxiii, 31: *Bibebant, ait, vinum damnatorum, id est vinum generosum, delicatum, pretiosum, quale propinari solet damnatis a familiaribus et amicis, ut animosius tolerent cruciatus, et supremum mortis agonem; quasi sola gula et ebrietas hic eis improprietur. Verum prior sensus simplicior, plenior et nervosior est. Simile scelus impiis improprietat, Job cap. xxiv, 6: « Agrum, ait, non suum demetunt, et vineam ejus quem vi oppresserunt vindemiant, » uti fecit Achab in agro Naboth, III Reg. xxi. Porro ex damnatorum bonis olim diis sacrificari consuevit docet Servius in illud *Aeneid.* IV :*

Simil Divum templis indicit honorem.

« Indici, inquit, dicuntur, quia paupertas majorum ex collatione sacrificabat, aut certe de bonis damnatorum; unde et suppicia dicuntur. » Ac D. Isidorus, lib. VI, ex Festo: « Supplicationes, ait, quæ sunt de bonis passorum suppicia. » Hinc etiam sacer homo, sacra bona, et sacrum pro exsecrando sumptum, quia sacræ res de bonis exsecrandorum fiebant. Audi rursum Isidori, et ex eo Martinum de Roa, lib. II *Singular.* cap. ix: « Supplicium proprie dicitur non qui quoquo modo punitur, sed ita damnatur, ut bona ejus consecrentur, et in publicum redigantur. Nam suppicia dicebantur supplicamenta, et supplicium dicitur de cuius damnatione delibatur aliquid Deo: unde et supplicare. » Vinum ergo damnatorum est, quod ex damnatorum mulcta et suppicio comparabatur; ex quo diis sacrificare, ac proinde convivari etiam peracto sacrificio veteres consuevere.

9. EGO AUTEM EXTERMINAVI AMORRHÆUM, — q. d. Ego, duce Josue, Chananæa expuli Amorrhæos,

(1) Veteres intra ipsum templum solebant solemnia sacrificiorum convivia agitare, uti appareat ex historia, quam refert Herodotus (I, xxxi), de Cleohe et Bitone, qui in fano post sacrificium epulati et somno se dedisse narrantur. De convivis, quæ post sacrificia peracta celebrari solebant, ad quæ et I Cor. viii, 10; x, 21, respicitur, vide plura in J. P. Pfeifferi *Antiquit.* Græc. pag. 55 et seqq.

aliasque sex gentes ejus incolas, eamque dedi vobis, o Israelitæ: hæcne ergo mihi rependitis? Recenset beneficia eis præstata, ut eorum ingratitudinem et apostasiam acris arguat. Nominat Amorrhæos præ cæteris: quia hi tam statura et robore, quam sævitia et scelere superabant cæteros Chananæos: inde dicti sunt Amorrhæi hebraice, id est loquentes, sive famosi et frequenti sermone celebrati, ait S. Hieronymus. Unde subdit:

CUJUS ALTITUDO CEDRORUM, ALTITUDO EJUS, — q. d. Amorrhæi alti et proceri erant instar cedri, q. d. Erant gigantes. Est hyperbole: et hebraismo redundat pronomen ejus. Simile est illud Virgilii:

Abietibus juvenes patriis et montibus æquos.

ET FORTIS IPSE (populus Amorrhæus) **QUASI QUERCUS**. — De qua Seneca in *Hercule Oeteo*:

Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque cuneos, resilit excussus chalybs;
Vulnusque ferrum patitur, et truncum fugit.

Sic Lucanus, lib. I, Pompeium assimilat quercui: hæc enim est fortitudinis symbolum, ait Pierius hierog. 51. Sic et Philo, ait S. Hieronymus, Esau vocat δέντων, id est *quercinum*, roboreum, quasi ex quercu excisum: imo Festus a *robore*, id est *quercus*, robur dictum putat. Sensus ergo est, ait Ruffinus, q. d. « *Sylvam gentium longa jam ætate prævalidam, ita celsis verticibus comminantem, et profundis radicibus innitentem, sedulus quasi castrorum metator excidii, ne habitationis levia saltem impedimenta sentirent. Quidquid ergo roboris fuerat, stirpitus amputavi.* »

ET CONTRIVI FRUCTUM EJUS DESUPER, ET RADICES EJUS SUBTER, — q. d. Penitus hunc populum everti, instar cedri, cujus tam sursum rami quam deorsum radices succinduntur. Perstat enim in metaphora et similitudine cedri. Porro per ramos et radices accipi possunt filii et patres. Deus enim volens gentem et stirpem tam impiam radicitus delere, jusserat Mosi et Josue, ut Chananæos omnes, etiam pueros et infantes, occiderent, itaque omne eorum semen abolerent, *Deuter.* vii, 2; *Josue* vi, 21; *Sapient.* xii, 11, ubi Chananæi vocantur « *semen maledictum.* » Ita Theodoretus, Remigius et Arias.

11. ET SUSCITAVI DE FILIS VESTRIS IN PROPHETAS, Vers. 11. — q. d. Filios vestros implevi spiritu prophetiae, fecique Prophetas, eaque ratione tam filios vestros, quam vos in filiis evexi et honoravi.

ET DE JUVENIBUS VESTRIS NAZAREOS. — Repete « suscitavi. » Nazaræi erant quasi religiosi legis veteris, qui, ut Deo melius vacarent, ex voto abstinebant vino, et gestabant cæsarium intonsam, ideoque dicti sunt nazaræi, id est separati a mundo, et addicti Deo. Unde S. Nazianzenus, orat. in laudem S. Basillii, religiosos nostros vocat nazareos. Vide dicta *Num.* vi. Nota hic nazareatum, id est statum Religionis, et vocationem ad

eam, vitamque in ea, esse opus Dei, quod nec nisi Deo auctore, suscipi, nec nisi eo adjutore, retineri potest. Insuper eamdem esse magnum Dei donum quo Deus honorat familias eiusque benedit, dum filios earum in eum sibi, quasi in suam familiam, adsciscit, eosque facit quasi auxilios aulae sue celestis, ut merito parentes hoc Dei donum in filiis impedire et everttere non debeant, nisi Deo ingratii esse, eique resistere velint; sed potius de eo sibi gratulari, Deoque gratias agere, ac filios eo impellere, eosque Deo eorum creatori offerre, imo reddere, uti docent S. Basilius in *Aacet.*, S. Chrysostomus lib. III *Contra Vituper.*, *vite monast.*, S. Ambrosius lib. I *De Virgin.*, S. Bernardus, *epist. 111*. Vide P. Platum, lib. III *De Bono status religiosi*, cap. xxxv, et lib. II, cap. XII, XIII, XIV, XV, XVI, et XIX.

Vera. 12. 12. ET PROPINABATIS EIS VINUM. — Ita legunt omnes codices Latini, Græci et Hebrei in præterito. Unde in Romanis vitio typographico irrepssisse videtur : *Propinabitis et mandabitis*, in futuro. Taxat enim præterita eorum scelera, nimirum quod nazareis contra votum et professionem eorum, propinarint vinum, et Prophetis a Deo missis ad prophetandum mandarint, dixerintque : « Ne prophetetis, » itaque nazareis et prophetis, ipsique Deo eorum datori non tantum ingratii, sed et hostiliter oblectati fuerint. Qua de causa iratus eis vindictam et excidium horribile comminatur. Notent hæc ii qui Clericos et Religiosos ad sua vota et instituta violanda invitant et sollicitant. Audiant fulmen Dei quod sequitur : « Ecce ego stridebo, » etc.

Ex hoc loco, ait S. Hieronymus, « haeresin suam Tatianus Encratitarum princeps statuere nittitur, vinum asserens non bibendum; cum et lege præceptum sit ne nazarei bibant vinum; et nunc accusentur a Propheta, qui propinent nazareis vinum. » Eamdem ante sexennium renovavit fanaticus quidam in Hollandia, docens christianis abstinendum esse vino et carne, quod hisce vescens nequeat servare castitatem: sed explosus ab oenopolis et lanionibus, ac a magistratu flagellatus, et in exsilium pulsus, insaniae suæ poenas dedit.

Vera. 13. 13. ECCE EGO STRIDEBO SUBTER (male quidam codices legunt super : hebraice enim est תַּחַת, id est subter; et græce ὑπὸ κάτω, id est subtus) vos. — Pro stridebo hebraice est מִן־מֵיכֶם meic, quod primo Chaldaeus vertit active : *Ecce ego adduco super vos angustiam, et angustiis afficiet vos, in loco vestro, sicut angustiis premitur plastrum onustum manipulis;* dum scilicet manipuli fœni vel segetum laxi, ab auriga comprimuntur et stringuntur, ut currus capiat multos, itaque justum onus suscipiat. Verum Hebrei Græci et Latini codices legunt, *subter vos, non, super vos*, ut dixi. Secundo ergo, alii sic vertunt : *Coarctationem, vel compressionem facio subter vos*, id est coarctabo et angustiabo vos undique, subtus et supra, sicut auriga

densat et coarctat manipulos in curru, tam inferiores, quam superiores, q. d. Multiplicabo et densabo angustias vobis circumquaque, sicut stringuntur et densantur segetes in curru, præsertim imæ, quæ subtus sunt, ut aliis fiat locus, pluresque super eos possint injici. Unde Emmanuel et Mariana ex Chaldaeo sic exponunt : *Stridebo*, id est obsidione vos premam, sicut plastrum premitur et coarctatur plenum manipulis. Hinc et Arabicus Alexandrinus vertit : *Ego devolvam vos ut plastrum volvens. Tertio et optime vertit Noster*, cui consentit Tigurina, quæ sic habet : *En ego onustus nimium premor, strideoque sub vobis, perinde ac plastrum onustum manipulis premitur ac gemit; quod explicans Vatablus : Conqueritur, inquit, Deus de Israelitis, quod eum onerent peccatis et sceleribus suis : hinc sequitur quod et Deus eos in angustias ducturus sit, e quibus eluctari non possint.* Et R. Abraham : *Non est robur, ut feram vos; sed gemo sub onere, juxta illud Isaiae, cap. I, 14 : Laboravi sustinens.* » Et cap. XLIII, 24 : « Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. »

Optime S. Hieronymus : « Idecirco, inquit, sicut plastrum stipulæ vel fœni onere prægravatum, stridore et sonitu longe exululat; sic ego peccata vestra ultra non sustinens, et quasi stipulam tradens incendio, clamabo et dicam : Peribit fuga a veloce, » etc. Hinc Syrus vertit : *Ecce ego anxius (compressus) sum (ero) subter vos, uti comprimitur (angitur) plastrum plenum spicis.* Et Arabicus Antiochenus : *Ego deflectar ne sim vester iudex, eo modo quo volvitur plastrum plenum arundinibus.*

Vox ergo *stridebo*, tria significat. Primo, Deum quasi gravatum mole peccatorum Israelitarum sub iis gemere; unde ait, « subter vos. » Secundo, indignari et stridere, ac diras omnes impis cum excidio intentare; stridor enim est is qui sequitur : « Peribit fuga a veloce, » etc. Tertio, « *stridebo*, » id est stridere faciam, premam, et affligam vos ut strideatis. Hebreum enim מִן־מֵיכֶם meic est conjugationis *hiphil*, ac proinde plane activum. Unde Chaldaeus et alii vertunt, *coarctabo* vos, nimirum per Salmanasar et Assyrios, qui obsidebunt et vastabunt Samariam. Quocirca Ribera recte sic exponit : « *Stridebo subter vos*, » id est in terra vestra audiri faciam magnum stridorem, et molestissimum auribus vestris sonum; puta clamorem hostium vincentium et exultantium, ululatum vero vestrorum civium occumbentium, vel captivorum. Ergo τὸ stridebo, non tam est vox et stridor Dei sub onere gementis, quam indignantis, vindicantis et punientis. Gemitus enim in Deo non est signum animi fracti, aut imbecilli; sed infensi, sese intendentis, et excitantis ad plagani. Aliter enim gemit qui gravius portat onus quam vires ferant; aliter gladiator aut lignator, qui tunc gemunt, cum se ad firmitatem et conatum intendant: ille ut hostem feriat, hic ut quercum securi dejiciat. Sed in Deo videre est utrumque,

et gemitum ac stridorem ex fastidio, et ex offensione suspirium, quo se Dominus excitat ad anhelatam plagam, ait Sanchez. Rursum « stridebo » significat Deum hic comparari plaustro, non tam quatenus ipse hostes instar plaustri onusti premit et calcat, uti putant Aben-Ezra, Lyranus et Palacius, quam quatenus instar plaustri fœno onusti, quod ex sceni levitate nunc in hanc, nunc in illam partem inclinando conquassatur, fremit et stridet. Ubi nota strepitum hostium, armorum, præliorum et bellicæ vastitatis, recte comparari stridori plaustri, quod re levi, puta fœno, vel stipula onustum magis stridet, quam si lapidibus oneretur : lapides enim magis premunt, strungunt, onerant, ideoque firmiter degravant plastrum, ejusque succussionem et stridorem impediunt : contrarium per omnia facit fœnum. Simul apposite voluptates peccatorum recte comparantur rebus levibus et vilibus, puta fœno et stipulæ, quæ statim marcescunt, arescunt, a vento rapiuntur, igne consumuntur : pari enim modo voluptates transeunt, marcescunt, et igne gehennæ comburuntur, Rursum pro fœno hebraice est יְמֻמָּה amir, id est manipulus, id est manipuli, quibus significatur multitudo peccatorum : « Hoc est fœnum, ait S. Hieronymus, de quo Propheta, Psalm. cxxviii : Fiant sicut fœnum ædificiorum, quod priusquam evellatur exaruit. Et : Omnis caro fœnum : stipula autem illa est, super cuius incendio flebiliter propheta Michæas, cap. vii, complorat dicens : Heu mihi ! quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, etc. Hoc est fœnum, et stipula, de quo et Apostolus loquitur I Corinth. iii : Ligna, fœnum, stipula uniuscujusque opus manifestum fiet; quoniam in die Domini in igne revelabitur. » Quocirca aliqui apud Vatablum sic vertunt : Ecce ego gemere faciam (vos) sub vobis, id est in locis vestris, vel stridere vos faciam, scilicet sub onere tribulationum. Meic enim significat ita aliquid premere, arctare, gravare tot ponderibus et angustiis, ut res pressa et oppressa sub iis gemat et strideat instar plaustri nimis onusti. Et tò sub vobis, vel subter vos ; Hebrais idem est quod in loco vestro, ut patet Exodi xvi, 29, Habacuc iii, 16, et alibi. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus et alii. Consentunt Septuaginta, qui vertunt : Ecce ego volvo (angustias et tribulationes) subter vos (in loco vestro) sicut volvitur plastrum plenum stipula; ita ut eas fugere et effugere non possitis. Unde subdit : « Et peribit fuga a veloce, » etc. Ita Theodoreetus. Et S. Hieronymus : « Volvere, inquit, se subter eos sicut plastrum comminatur Deus, fœno vel stipula prægravatum, ut quia frumentum non habent quod in horrea condatur, fœnum eorum et stipula incendio concremetur. » Simili modo « stridula plausta » dixit Ovidius, lib. III Trist. eleg. 12, et Virgilius, lib. VIII Aeneid. :

Striduntque cavernis

Stricturæ chalybum.

Et IV Georg. :

Stridere opes utero et ruptis effervere costis.

Et Aeneid. lib. I :

Cardo foribus stridebat ahenis.

Moraliter S. Gregorius, lib. XXXII Moral. cap. VI: Moraliter, stridor Dei. « Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plastrum onustum fœno ; quia enim fœnum est vita carnalium, sicut scriptum est : Omnis caro fœnum, in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fœnum se portare testatur. Cui sub sceni onere stridere, est pondera et iniqüitates peccantium cum querela tolerare. » Addit Ruffinus : Queritur, ait, Deus, quia diu peccatum populum sustinebat, se oneratum instar plastri, sed cui onus vilis materia configisset, q. d. « Si plastrum onustum haberet aliquam discernendi facultatem, indignarius sine dubio strideret, si vilia, quam si pretiosa portaret : sic et Deus noster majorem se sarcinam pronuntiat experiri, eorum peccata tolerando, in quibus nihil queat de pretiosis studiis reperire, sed qui omnes ad vile fœnum, quod facile ignibus consumitur, accesserunt. » Et Rupertus : « Fœni, ait, similitudine utitur, quia plastrum fœni tardius præreditur, et ideo velocius comprehenditur ab in sequente, et celerrime incendio absumitur. »

Allegorice, Christus stridebit contra reprobos in die judicii, dicens : « Ite, maledicti, in ignem æternum ; » ibique instar ferri in igne, jugi folium flatu succenso, stridentis, stridere eos faciet; nam, ut ait S. Mathæus vii, 12, « ibi erit fletus et stridor dentium. »

14. ET PERIBIT FUGA A VELOCE. — Hæc verba Vers. 14. accipi possunt dupliciter. Primo, quasi pendentia a verbo *stridebo*, quod præcessit, quasi stridor, vox et rugitus Dei contra impios Israelitas, sit hic : « Peribit (pereat) fuga a veloce. » Secundo, quasi non pendeant a verbo *stridebo*, sed hujus stridoris Dei sint fructus et effectus, q. d. Cum stridebit Deus contra Israel, omnes communis clade involvet, a qua proinde velox eripere se non poterit velocitate sua, nec miles fortis bellica sua fortitudine, vel agilitate, etc., ut vitam suam tueatur et servet. Id ita accidisse Israeli et Samariæ, cum eam vastavit Salmanasar, patet JV Reg. xvii et xviii, et II Paral. v. Porro S. Hieronymus (et ex eo Remigius, Albertus et Hugo) scribit Rabbinos singula hæc adaptare singulis regibus Israel, a primo Jeroboam usque ad ultimum Hosee, hoc modo : « Peribit, inquit, fuga a veloci, quem Hebræi Jeroboam filium Nabath intelligunt, qui prius in Ægyptum fugerat, » persequente eum Salomone, III Reg. xi. « Et fortis non obtinebit virtutem suam, fortem Baasam interpretantur, qui fuit ad bella promptissimus. Et robustus non salvabit animam suam, hunc Amri sentiunt. Et tenens arcum non stabit, sive

sustinebit, de Jehu filio Namsi, qui Joram regem Israel sagitta percussit, dictum putant. Et velox pedibus suis non salvabitur, Manahem intelligunt, qui frustra festinans, regi Assyriorum dona direxit. Et ascensor equi non salvabit animam suam, hunc Phacee filium Romeliae interpretantur, qui juncto Aram, id est Syro, sub rege Achaz, Iudeæ multa vastavit. Et robustus corde, nudus fugiet in die illa : solus Hosee, qui ultimus rex decem tribuum fuit, et errantem populum ad Dei cultum revocare conatus est, quasi nudus egreditur de incendio ; nudum autem vocat, quia sub ipso decem tribus captæ sunt. » Ita Hebræi apud S. Hieronymum.

Verum priora ex his jam erant præterita : hic autem intentatur Israeli futura clades extrema, ejusque excidium, quod coepit a Phul tempore Manahem, ac perfectum est a Salmanasar tempore Hosee, IV Reg. xv, 19, et IV Reg. xviii, 9.

Vers. 15. 15. TENENS ARCUM NON STABIT, — q. d. Sagittarii Israelitarum, qui eminus jaciendo sagittas pug-

nant, non consistent contra adversarios, puta Assyrios. Ita Vatablus.

16. ROBUSTUS CORDE INTER FORTES NUDUS FUGIET. Vers. 16. — Tigurina : *Qui inter heroes magnanimus est, nudus aufugiet in die illa*, puta projecto clypeo et ense, inermis, q. d. Viri fortis tam corpore quam animo, non sustinebunt impetum Assyriorum; sed cadent animis, et, projectis armis, terga vertentes, aufugient. Hinc Septuaginta vertunt : *Fortis non inveniet cor suum in potentibus*; S. Hieronymus legit : *Inter potentes nudus fugiet*. Ad litteram agitur de Israelitis fugientibus Assyrios, ut patet ex præced. Quare minus recte Isidorus Pelusiota, lib. I, epist. 53, ad litteram censem hic agi de passione Christi, et per nudum intelligi adolescentem, qui « sindone cooperitus ad nudum, carnificum Domini sœvitiam, reicta ipsius sindone, effugit. » Mystice censem notari hic viros religiosos, qui se terrenis nudant, ut leves et expediti a mortali frœce, ad eam vitam quæ ab interituremota est, quasi additis alis evolent.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prophetat Israelem Assyriis, et Deo, quasi leoni rugienti, et aucipi in prædam dandum. Secundo, vers. 9, advocat Philistinos et Ægyptios, ut videant scelera, indeque stragem Israelis, qua tanta erit, ut ex ea vix duo vel tres, iique miseri et ægri evadant; sed tam ipse, quam ejus idola et aræ, ac palatia domusque eburneæ diruantur (1).

1. Audite verbum, quod iocutus est Dominus super vos, filii Israel : super omnem cognitionem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens : 2. Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognitionibus terræ : idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. 3. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi convenerit eis ? 4. Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam ? numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit ? 5. Numquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe ? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit ? 6. Si clanget tuba in civitate, et populus non expavescet ? si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit ? 7. Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. 8. Leo rugiet, quis non timebit ? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit ? 9. Auditum facite in ædibus Azoti, et in ædibus terræ Ægypti ; et dicite : Congregamini super montes Samariae, et videte insanias

(1) Pendet hujus capitatis initium ex superioribus. Supradicte enim, ultima capitatis præcedentis particula, supplicium divinum in Israelitas immittendum præixerat Propheta ; hic vero docet illud æquum esse ; quod facit in isto capite, in quo videre est veluti *præparationem, convictionem et denuntiationem*.

PRIMO igitur, præparat auditores ad habendam fidem, *primo*, per anteoccupationem, qua declaratur, electionem Israelis in populum Dei non impedire, sed potius urgere vindictam divinam, 1, 2; *secundo*, per multiplicem probationem, qua ostenditur, prophetis etiam minantibus esse credendum : quia non nisi a Deo, et conjuncti cum Deo prædicere possunt certo futura, 3; quia non minan-

tur, nisi ob crimina jam præsentia, 4; quia sicut non temere ac fortuito homines incident in mala, sic nec vates prænuntiant, 5; quia omnium afflictionum auctor est Deus, atque hinc earum prænuntia commovere debent, 6; quia futurorum revelatio est auditoribus utilis, et promulgatio prophetis necessaria, 7, 8.

SECUNDO, Israelem couvincit de criminibus quæ a gentibus etiam reprobantur, 9, 10.

TERTIO, denuntiat judicia Dei et penas, quæ sunt *primo*, eversio et spoliatio urbium, 11; *secundo*, translatio populi omnimoda, paucis exceptis, 12; *tertio*, destructio altarium in Bethel, 13, 14; *quarto*, subversio palatiorum et domorum nobilium.

multas in medio ejus, et calumniam patientem in penetralibus ejus. **10.** Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem et rapinas in ædibus suis. **11.** Propterea hæc dicit Dominus Deus : Tribulabitur, et circuetur terra; et detrahetur ex te fortitudo tua, et diripientur ædes tuæ. **12.** Hæc dicit Dominus : Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ; sic eruentur filii Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, et in Damasci grabato. **13.** Audite, et contestamini in domo Jacob, dicit Dominus Deus exercitum. **14.** Quia in die cum visitare cœpero prævaricationes Israel, super eum visitabo, et super altaria Bethel : et amputabuntur cornua altaris, et cadent in terram. **15.** Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiva; et peribunt domus eburneæ, et dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

vers. 1.

1. FILII ISRAEL. — S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus et alii per *filios Israel* accipiunt omnes duodecim tribus, ac consequenter et Judam, eo quod sequatur : « Super omnem cognitionem quam eduxi de terra Ægypti. » Verum ex seq. vers. 12 et 14, liquet Prophetam proprie loqui Israeli, id est Samariæ et decem tribibus, ita tamen ut sermonem mox dilatat et extendat quoque ad Judam, *q. d.* Vos, o Israelitæ, quin et tu, o Juda, adeoque omnes quos Deus eduxit ex Ægypto, qui cognati estis, uti sanguine, ita et scelere, futuri et similes in poena strageque, audite ex ore meo Dei iras, minas et onus quod vobis imponit. Ita Theodoretus, Albertus, Arias et alii.

vers. 2.

2. TANTUMmodo VOS COGNovi EX OMNIBUS COGNATIONIBUS TERRÆ, — *q. d.* Vos, o Israelitæ, solos ex omnibus gentibus *elegi*, ut vertit Chaldaeus, mihi in populum, in familiares et amicos, imo in filios, ut vos quasi pater aleram, tuerer, proveherem et exaltarem. Subaudi cum Chaldaeo, Vatablo et aliis : Cur ergo a me ad vitulos aureos defecistis? « Idcirco visitabo (puniam) super vos omnes iniquitates vestras. »

Secundo, «cognovi,» id est curavi, et curo vos, resque vestras per peculiarem providentiam, qua vobis legem dedi, tot miracula et bona contuli, pœnas et præmia proposui, rex et direxi, imo rego et dirigo, ideoque bene agentibus mihiique obedientibus prospера omnia, male vero facientibus adversa immittio, ut vos quasi pater castigem, eoque quasi freno vos infrenem, et per viam virtutis ad me reducam, cum alias gentes præ vobis non cognoscere, id est non curare et negligere videar, easque ut alienas a me, dimittam sequi desideria cordis sui, in futuro acerrima et æterna pœna eas puniturus. Magnum enim indicium animi vere paterni, et de filiorum commodis solliciti est, admovere aut ægrotanti cauterium, aut pigritanti aculeos, aut erranti flagellum, ait Sanchez.

vers. 3.

3. NUMQUID AMBULABUNT DUO PARITER, NISI CONVENERIT EIS? — Septuaginta : *Nisi cognoverint se;* Aquila : *Nisi constituerint inter se.* Quæreres, quorum dicuntur, et quid significat hoc adagium, et quinque quæ sequuntur usque ad vers. 6, et qui-

nam sunt hi duo simul ambulantes? Respondent *primo* Theodoretus, Remigius et a Castro in paraphrasi, hosce duos esse Deum et Assyrios, *q. d.* Deus et Assyrii pariter ambulant, pergitque ad vestrum excidium, o Israelitæ: Deus enim est qui Assyrios in vos immittit, ut scelera vestra puniat. Idem censem significari sequentibus quinque adagiis: putant enim omnia eo spectare, ut significant non nisi Deo vindicante hostes immitti, sicut duo non ambulant simul, nisi prius inter eos convenerit, et sicut leo non rugit, nisi capta præda, et sicut auceps non aufert laqueum, nisi capta ave, et ita de cæteris: nihil enim eorum fit, nisi posita conditione; sic nihil fit in cladiis et excidiis, nisi annuente et puniente Deo. Probant, quia Deus hæc adagia concludens, eorumque scopum et sententiam indicans, subdit vers. 6: « Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus? » quasi dicat: Hæc duo pariter parique passu ambulant, Dominus et malum, sive numen et providentia, Deus et vindicta, puta castigatio impiorum; quia nec est Deus sine providentia, sive numen sine vindicta impiorum; nec aliqua eorum vindicta exercetur sine Deo et nomine. Hic sensus sublimis est et moribus congruens.

Secundo, Arias censem hos duos esse Juda et Israel, sive duas tribus et decem; rursum, esse Nabuchodonosor et Salmanasar, *q. d.* Juda et Israel schismate a se videntur divisi, sed tamen in idolatria et scelere consentiunt, et pariter ambulant ad colenda eadem idola. Idcirco pariter contra eos ambulabunt Nabuchodonosor et Salmanasar: ille ut Judam, hic ut Israelem puniat et perdat. Deus enim utrumque immittet et diriget ad idem utriusque excidium.

Tertio, Hugo, Lyranus et Vatablus, per duos hos simul ambulantes, accipiunt Deum et Prophetam, *v. g.* Amos, *q. d.* ait Vatablus: « Sicut duo nunquam aliquo simul proficiisci solent ob aliquod negotium, nisi prius de eo conveniat inter ipsos: sic Prophetæ, per quos prædicam me visitaturum iniquitates vestras, uti jam dixi, non accedent ad vos ut hæc annuntient, nisi maxime illis mecum conveniat, ut de hoc vos admoneant. Hac enim similitudine voluit ostendere præstan-

tiam prophetiae, magnumque esse inter Deum et Prophetas consensum. Unde paulo post vers. 7, seipsum declarat his verbis : Quia non facit Hominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas (1). »

Quarto et congruentius, magisque genuine Rupertus, Clarius et Ribera censemt hos duos simul ambulantes esse Deum et populum Israel, q. d. Ego Deus ambulavi simul cum Israele, olim pio et obsequente, cum scilicet eum quasi manu tenuens eduxi ex Aegypto, et per desertum perduxii in Chanaan : quia tunc ipse mecum conveniebat, sinebat se a me regi, meumque ductum et legem libens sequebatur. At nunc, me relicto, ambulat cum diis alienis. Quocirca ego pariter non ambulabo cum eo, quod ipse cum idolis convenit, non mecum; sed potius contra eum ut hostis incedam, uti minatus sum Levit. xxvi, 24; puta ambulabo cum eo, uti carnifex cum reo, quem ducit ad furcam; sicut leo ambulat cum preda quam discepit; auceps cum ave quam cepit; venator instructus laqueo cum fera quam illaqueavit. Rugiam enim in eum quasi in praedam meam, et per Amos aliosque Prophetas, certum et inevitabile ei per Assyrios exitium praedicam et intentabo.

Tres partes parabolæ. Ut hæc expositio explicetur et probetur, suppono quod, sicut in fabulis et apologis (v. g. Aesopi) sunt tres partes, scilicet μῦθος, πρεμβολὴ et ἐπιμέθη, id est fabula, profabulatio et affabulatio : profabulatio est ipsa prælibatio et quasi prologus, significans in quos et quorum dicatur fabula; affabulatio est epilogus fabulæ, significans quid ex ea discere, quem fructum capere debeamus : ita pariter in adagiis, ænigmatibus et parabolis sunt tres partes, puta parabola ipsa, proparabola et postparabola. Proparabola est ipse prologus parabolæ, indicans ejus finem et scopum, qualis est illa Luc. xiv, 7 : « Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, » q. d. Scopus Christi in parabola sequenti, quæ est de invitatis, est taxare ambitiosos, qui primas cathedras et discubitus primos ambiunt : postparabola est

(1) Hanc tertiam interpretationem ut longe probabiliorrem ducimus, quia cum antecedentibus et consequentibus optime concordat. Et revera, quia dixerat supra Prophetam (ii, 12) Israelitas interdixisse prophetis, ne vaticinarentur; nunc vult eorum auctoritatem et consensum cum Deo asserere (ut in analysi ad synopsim adjuncta exposuimus). Ab hoc igitur versu usque ad octavum, sequuntur quæstiones seu interrogaciones parabolicæ, in quibus tertium comparationis non expressum, sed lectoris acumini erendum relictum est. Earum applicatio brevis verss. 7, 8, sequitur, omniumque harum interrogationum propositorum finis videtur esse, ut ostendatur, se aliosque prophetas non proprio instinctu, sed jussu et auctoritate divina vaticinari, quod mandatum detrectare velle temerarium est. Sic similitudine hujus versus tertii voluit demonstrare magnum esse inter Deum et prophetas consensum. Sic Rosenmuller, Ackermann, Maurer, Kilber, d'Allioli, etc.

conclusio parabolæ, significans ejus usum et fructum, qualis est ibidem vers. 11 : « Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. »

Hoc supposito, dico horum sex adagiorum sive parabolarum sensum venandum esse ex proparabola, sive prologo qui immediate præcessit; et ex postparabola, quæ immediate postea subjungitur. Prologus autem hic est : « Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filii Israel, super omnem cognitionem quam eduxi de terra Aegypti, dicens : Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognitionibus terræ; » et maxime id quod mox sequitur, et immediate adagia hæc præcedit, nimirum : « Idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras, » q. d. Puniam vestra in me scelera, eo quod, cum ego eduxerim vos ex Aegypto et vobiscum jugiter quasi pater ambulaverim : vos tamen superbe et ingrate vertentes mihi dorsum, me spreto, ambulaveritis cum idolis et vitulis aureis. Postparabola est vers. 6 : « Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Quia non facit Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit? » q. d. Uti in proparabola dixi, ita in postparabola dico et repeto me, non alium, mala et clades vobis intentare per Prophetas, eaque mox reipsa per Assyrios inflicturos, ut in vos rugiam et sæviam, sicut leo in praedam, eo quod tanquam hostes contra me incesseritis, ambulantes cum idolis, qui sunt jurati mihi inimici. Ecce hic videamus clare tam prologum, quam conclusionem parabolæ significare, eo spectare parabolas hasce, ut per eas indicet Deus se olim cum Israele ambulasse quasi patrem cum filio, eo quod recte illi cum eo conveniret : at jam post ejus apostasiam, schisma et idolatriam, se amicam illam præsentiam, et paternam curam opemque ab eo ablaturum, et contra eum incessurum, ac per Prophetas suos, strages et exitium ei intentaturum, illudque mox illaturum per Assyrios. Ergo hic est horum sex adagiorum et parabolarum scopus et sensus.

Ubi nota : Duo hic in postparabola significat Deus : prius, nihil mali immitti civitati, v. g. Samariæ, nisi a Deo; secundum, illud ipsum malum se ei non infligere, nisi prius ipsam de eo præmoneat per Prophetas, ut vitam corrigat et malum evadat; utque sciat malum, cum id ei obvenerit, non aliunde quam a Deo vindice, qui illud ei per Prophetas comminatus est, obvenire. Prophetæ enim hic vult fidem et auctoritatem, æque ac certitudinem conciliare suæ prophetiae ac minis, quæ ex Deo Israeli intentabit : auctoritatem, dicendo Deum non facturum quidpiam mali Samariæ, nisi illud prius sibi revelaverit et per se prænuntiarit : certitudinem, dicendo hæc sua minacia oracula esse sibi a Deo revelata,

esseque minas et verba ipsius Dei, qui est prima veritas, fallique aut fallere nequit. Credant ergo Israelitæ has non esse minas verbales et inanes, sed reales et efficaces, utpote Dei irati et sævientis instar leonis. Quocirca hic se Prophetæ non constituit alterum, vel secundum a Deo, sed quasi eumdem cum Deo, scilicet ut Dei os et tubam, quæ clangat et rugiat contra Israel, qui est alter, vel secundus a Deo. Duo ergo ambulantes hic sunt, Deus per Prophetam minans, et Israel minas hasce Dei excipiens. Jam secundum hæc, reliqua quinque adagia sigillatim explicanda et adaptanda sunt. Secundum ergo est quod sequitur: « Numquid rugiet leo? » etc. Ita S. Hieronymus, Emmanuel, Mariana et alii.

Allegorice S. Hieronymus: Non possunt duo, puta Gentiles et Judæi, ambulare simul, nisi convernent in una fide unoque capite Christo. Quod si discordia separantur, statim eos leo rugiens et auceps diabolus invadet et capiet.

Tropologice, Rupertus: Non potest Deus ambulare cum peccatore, si ille peccatum defendat. « Nos duo sumus, inquit, ego qui arguo vel corripio, Deus, et Israel qui corripitur; nimur non convenit nobis, quia me corripiemus Deum correptus Israel non audit. In hoc nobis animus disconvenit: quia ego arguo, ille se defendit. » Et S. Augustinus, in *Psalm. LXXV*: « Quamdiu, inquit, non confiteris peccata tua, quodam modo rixaris cum Deo. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi displicet laudas? Psalmi vox est dicentis: Incipite Domino in confessione. Quid est: Incipite Domino in confessione? Incipite adjungi Deo. Quomodo? Ut hoc vobis displiceat, quod et illi displicet. Displicet illi vita tua mala: si placeat tibi, disjungeris ab illo; si dispiceat tibi, per confessionem illi conjungeris. »

4. NUMQUID RUGIET LEO IN SALTU, NISI HABUERIT PRÆDAM? — Leo est Deus, præda est Israel, rugitus sunt minæ Prophetarum, Israeli excidium per Assyrios ex Dei jussu intentantium, q. d. Sicut leo famelicus rugit, dum in unguibus, vel etiam in oculis habet prædam: rugit, inquam, ut iras et animos excitet, ad feram quam prædari vult invadendam; aut, si eam ceperit, ad eam contra lupos, ursos aliasque feras et homines tutandam, ne sibi eripiatur: ita Deus rugit, indignatur et minatur per me aliosque Prophetas, vobis, o Israelitæ, quos jam invadit per Assyrios, quosque quasi jam captos in manu habet, et proximæ cladi et captivitati destinat. Sicut enim leo nunquam rugit, quin prædam capiat, laceret et devoret: ita Deus non minatur obstinatiœ pœnas, quin protinus illas eis infligat, eosque cœdat et mactet, uti vos, o Israelitæ, mactabit per Salmanasar. Nota ex Aristotele, Plinio et aliis mox cœlandis. Leo solet rugire bis: primo, cum famet, et quærerit videtur prædam; secundo, cum eam capiat: tum enim partim ira, ne sibi eripiatur;

partim fame et ingluvie frendens et murmurans rugit. Leo enim gulosus est et helluatur, ita ut partes integras ossaque deglutiat, antequam dentibus ea comminuat. Unde ita se infarcit, ut repletus ad biduum vel triduum non esuriat, nec comedat ordinarie nisi alternis diebus, puta semel in biduo, uti docet Aristoteles lib. VII Hist. anim. cap. v, Plinius lib. VIII, cap. xvi, et Elianus lib. IV Hist. anim. cap. xxxiii. Hinc et ex ingluvie hac, halitus ejus gravis est et fetet: « Animæ leonis virus grave, » ait Plinius lib. XI, cap. xxxiii. Simili modo rugit Deus tum ante excidium Israeli per Prophetas ei minando; tum in excidio Israelem per Assyrios concidendo, nec permittendo ut Ægyptii aliive eum sibi eriperent. Magis tamen hic Prophetæ loqui videtur de rugitu leonis ante prædam: suas enim prophetias minaces per Amos, Osee et alios editas de futuro et instanti excidio, Deus hic comparat rugiti leonis. Adde, major et horribilior est rugitus leonis, cum videt hostem, ut eum invadat et prædetur, quam dum eum capit et devorat. Porro dicitur tunc eam habere, tum quia eam habet oculis suis propositam, tum quia in spe certa eam habet. Sequitur tertium adagium secundo simile:

NUMQUID DABIT CATULUS LEONIS VOCEM DE CUBILI SUO, NISI ALIQUID APPREHENDERIT? — Tigurina: Num catulus leonis vocem suam edit egressus de lustro, cum nihil prædæ cepit? Repetitione hac Prophetæ Dei potentiam et oraculi certitudinem astruit, q. d. Si præda salvari nequit a leone et a catulo leonis rugiente, quis vestrum, o Israelitæ, evadet manus Dei irati? Leoni subjungit catulos; quia, utpote petulci et latrante semper stomacho famelici rugiunt magis, juxta illud *Psalm. cii*, 2: « Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi. » Unde in Scriptura ira Dei, æque ac hostium acer insultus, comparatur rugiti leunculorum, ut *Isaiæ xxxi*, 4: « Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super prædam suam, etc.: sic descendet Dominus ut prælietur. »

5. NUMQUID CADET AVIS IN LAQUEUM TERRÆ ABS- VERS. 5. QUE AUCUPE — qui avi laqueum posuit? q. d. Non: sicut ergo avis non capit laqueo nisi ab aucupe, ita et vos capiemini ab Assyriis, non alio id agente, quam Deo, qui Assyrios quasi laqueum vobis posuit. Hebreum וְפִזְבָּחַ mokes significat illaqueatorem, puta aucupem, ut vertunt Septuaginta, Noster et alii. Potest secundo cum Vatablo verti, offendiculum, q. d. Sicut avis non cadit in laqueum sine offendiculo, id est quin eo capiatur et stranguletur; sic nec vos cadetis in manus Dei et Assyriorum, quin ab eis capiamini et strangulemini. Verum quia illud significatur proxima parabola, hinc ut sit gradatio, simplicius Noster et Septuaginta vertunt, absque aucupe. Sequitur ergo quartum adagium tertio connexum:

NUMQUID AUFERETUR LAQUEUS DE TERRA, ANTEQUAM

QUID CEPERIT? — q. d. Sicut laqueus a venatore non tollitur, nisi eo avem vel feram illaqueaverit et ceperit, sic nec ego tollam expansum rete meum, puta Assyrios e Samaria, donec eam ceperint et vastarint, sed quasi auceps continuo assistam et intendam iis, quasi meis laqueis, nec desistam donec vos capiant et jugulent. Excludit omnia effugia impiorum et incredulorum, qui hæc ejus oracula vel elevabant, vel eludebant dicendo: Minæ hæ sunt solitæ Prophetarum, sed minæ duntaxat, sicut parentes pueris ostentant virgam, non ut feriant, sed ut minis eos percelant: veniet Assyrius, ostentabit se Samariæ; sed non audebit urbem tam potentem et munitam aggredi: nobis ergo intactis et illæsis domum redibit. Hæc effugia et has illusiones minarum et oraculorum suorum succidit hic Deus, certoque denuntiat Assyrium non recessurum a Samaria, donec eam capiat, sicut venator non tollit laqueum, donec eo avem constrinxerit. Nota minas Prophetarum et prædicatorum hic comparari rugiti leonis, reti aucupis et clangori tubæ, vers. 6. Vere Nicetas in Vita Alexii Comneni: « Laqueos, ait, et retia divinæ providentiæ nemo evadere potest, » uti eosdem evadere nequivit Pharaon, Diocletianus, Maximianus, Julianus Apostata, Valens imperator aliisque similes. Similem laqueum Judæis intentat David, Psalm. LXVIII, 23: « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum. » Hæc est divinæ justitiæ venatio: sicut enim principes viri apros luposque, ita Dei vindicta venatur tyrannos et impios. Sic de Sedecia ait Deus, Ezechiel. XII, 13: « Extendam rete meum super eum, et capietur in sagena mea, » per Chaldaeos. Sequitur adagium quintum:

Vers. 6. **6. SI CLANGET TUBA IN CIVITATE, ET POPULUS NON EXPAVESCIET?** — q. d. Sicut tuba tempore belli personante, et classico perstrepente, ac significante hostem adesse, paranda esse arma et aciem, fieri nequit quin populus metu hostis et cladi, ac horrore clangoris bellici percellatur; sic multo magis vos, o Israelitæ, deberetis pavere et percelli ad voces hasce meas, quibus ex Deo classicum cano, ac hostem, ignem et flammarum vobis prædico et intento. Clangor ergo tubæ est prophetia: clangens est Deus: tuba est os Prophetæ: hostis est Assyrius: civitas, Samaria: populus, Israelitæ metu percellendi et exanimandi.

SI ERIT MALUM IN CIVITATE, QUOD DOMINUS NON FECERIT? — Hic est postparabola, sive conclusio et applicatio parabolæ quas jam recensui, significant malum, id est afflictionem et cladem extremam afferendam Samariæ per Assyrios, non ab alio, quam a Deo a quo apostatarunt, quemque irritarunt, præponendo ei vitulos aureos. Cum ergo hæc clades vobis, o Israelitæ, advenerit, certo scilote a me illam vobis inferri: ideo enim ego solus illam per Prophetas vobis prædico et com-

minor, quia solus illam vobis infligam, non Baal, non Chamos, non quis alias inanum deorum. Unde explicans subdit: « Quia non facit Dominus, » etc. (1).

Moraliter, disce hic rapinarum, incendiorum, stragum et calamitatum omnium, tum publicarum, tum privatarum, quæ impiis et peccatoribus infliguntur, Deum esse auctorem: Deus enim, gubernator universi, judex est et vindex omnium. Recte Plutarchus in Moral.: « Ut amnes, ait, quidam repente se condunt sub terram, nihilominus eo perferuntur quo tendunt: ita numinum iræ, licet occultæ, tamen in extremas calamitates afferunt aliquando nocentes, » etiam dum non cogitant « ultorem post caput esse Deum. » Et Horatius :

Raro antecedentem scelestum,
Deseruit pede pœna claudio.

Et Jeremias, Thren. III, 37: « Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egreditur nec mala nec bona? Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? » vide ibi dicta. Et cap. XVIII, 11: « Ecce ego fingo contra vos malum. » Et Isaïe cap. XLV, 7: « Ego Dominus, et non est alter formans lucem, et creans tembras; faciens pacem, et creans malum. » Vide S. Basilius, hom. Quod Deus non est auctor malorum, ubi ostendit proprie nihil malum esse nisi peccatum, cuius auctor est voluntas creata, non Deus: cætera vero mala pœnæ, quæ vocantur, bona esse, non mala, præsertim quia per ea Deus interficit peccatum, et vivere facit justitiam, aut potius facit hominem mori peccato, ut vivat justitiæ. « Quantum enim, ait, exterior homo noster corruptitur, tantum interior renovatur. Non igitur alium interficit, et alium vivificat; sed eundem per ea quæ interficit vivificat. Caro igitur percutitur ut anima sanetur. Peccatum perimitur, ut justitia vivat. »

Vers. 7. **7. QUIA NON FACIT DOMINUS DEUS VERBUM, NISI RE- VELAVERIT SECRETUM SUUM AD SERVOS SUOS PROPHE-TAS.** — Tò quia potest accipi pro verumtamen, effaciens tamen accipias proprie, ut causale ejus quod præcessit, q. d. Non est malum in civitate quod non faciat Dominus; quia ipse omnia mala civitati eventura prius revelat Prophetis, et per eos illa se civitati mox inflictum comminatur: ergo cum mox illa civitati infligantur, ipse est, non

(1) Estne quidquam, inquit, in urbe quapiam mali et calamitatis, cuius non sit auctor Deus? quod ille non immiserit? ob peccata videlicet civium. Debuerat ad similitudinem postremam subdere παράδοσιν. Num a Prophetâ prænuntiabitur nomine Dei quidquam mali alicui civitati, et non contremiscet populus? Annon mala prænuntiante Prophetâ a Deo, populum par est pertimescere? Sed quia mala non prænuntiat Prophetâ nisi a Deo, et cum prænuntiata per Prophetam mala accident, accident a Deo, propterea id memorat, quod ex priori consequatur: num vero fortuito quidquam mali in civitate accidit, quin potius auctor ejus est Deus?

Moraliter, nil mali, nisi a Deo infligi.

alius, qui ea civitati quasi judex et ultor infligit, uti comminatus est. Porro Deus hanc cladem civitati Samariæ non inferet, nisi vobis, o Samaritæ, per Prophetas premonitis, idque duas ob causas. *Prior* est, ne causari possitis vos nunquam fuisse reprehensos. *Posterior*, ut certi sitis eam ob sclera vestra vobis infligi, Deumque eorum vindicem ejus esse auctorem: qua re Propheta declarat tum dignitatem, tunc necessitatem sui muneris, puta prophetæ, utpote a Deo accepti, ut scilicet ipse esset quasi legatus Dei ad Israel, et inter eos internuntius, sequester et mediator; tum misericors Dei consilium, ut mox ostendam.

Quocirca nota: « Verbum » metonymice significat rem, puta cladem verbo significatam et prædictam. Unde mox idem vocat « secretum suum, » et, ut Theodotion, *consilium suum*, puta arcanum ejus decretum de clade hac inferenda. Septuaginta vertunt, παιδίαν, id est eruditionem, vel potius, ut S. Hieronymus vertit, correctionem suam: quo significatur minas et plagas Dei non proficiendi ex odio, sed ex amore paterno erga homines. Sicut enim pater corripit et castigat filium quem diligit, ut eum erudit; sic et Deus peccatorem. Quapropter castigationem hanc invitus, et quasi coactus infert, ideoque ut eam pœnitendo evadant homines, prius per Prophetas et prædicatores eam comminatur et prænuntiat, quæ omnia miram Dei clementiam significant, ait S. Hieronymus. Ita ante diluvium præmonuit peccatores per Noe, qui ea de causa centum annis arcum fabricavit, ut per centum annos homines sciscitantes fabricæ hujus causam, monerentur de instantे diluvio, illudque pœnitendo averterent et evaderent, uti excidium evaserunt Ninivitæ præmoniti a Jona. Sic per Moysen nullam Ægypto plagam inflixit, nisi prius per eumdem de ea Pharaonem et Ægyptios præmoneret, ut patet *Exod.* cap. vii, viii et ix. Sic clades per Syros, Ammonitas, Madianitas et Philistæos, quæ narrantur in libris *Judicium*, *Hebreis* non intulit, nisi iis præmonitis per Josue, cap. xxi, perque Debboram, *Judic.* IV, 4, et alios Prophetas. Sic excidium per Titum et Romanos Judæis non irrogavit, nisi præmonitis per Christum, *Luc.* cap. xix, 42, et Apostolos. Sic cladem extremam orbi non inferet, nisi præmissis Prophetis et Angelis, qui septem tubis insonantes eamdem toto orbe proclamabunt, *Apocal.* cap. xvi, 1.

Vers. 8. 8. LEO RUGIET, QUIS NON TIMEBIT? (q. d. Quanto magis Deus rugiens et comminans ab omnibus timendum est? Unde partim explicans, partim inferens subjungit): **DEUS LOCUTUS EST, QUIS NON PROPHETABIT?** — Hæc enim propositio prioris est parallela partim explicatio, partim illatio et conclusio, q. d. Si, leone rugiente, omnes timeant; ergo multo magis, Deo fremente, omnes timeant oportet; ac imprimis nos Prophetæ, qui primi hunc Dei in nobis loquentis rugitum audimus, illius metu percellimur; ideoque trepidi tacere non possumus, sed prophetamus et inclamamus

omnibus, ut sibi caveant et prospiciant, ne ejus præda fiant et ab eo discerpantur; præsertim quia ideo in nobis loquitur et rugit, ut nos eumdem rugitum prophetando aliis promamus et exprimamus, q. d. Cum Deus nos Prophetas mittat jubeatque prophetare, silere non possumus: ita S. Hieronymus, Emmanuel, Mariana et alii. Amolitur aliud incredulorum Israelitarum effugium, vel potius improperium. Improperabant enim jugiter Prophetis, quod ipsi tristia semper prophetantes Israeli, viderentur de ejus clade gaudere, eique insultare. Respondet Amos se invitum hæc prophetare, cogique a Deo, nec posse se illi resistere. Deo enim loquente, mandante et mittente Prophetam, quis non prophetet? quis silere, quis Dei imperium detrectare audeat? Deus enim est quasi leo rugiens, qui Prophetam inobedientem, æque ac populum rebellem discerpat: sicut per leonem discerpsit Prophetam illum in re modica inobedientem, scilicet quod contra jussum Dei cibum sumpsisset in Bethel, deceptus licet ab alio propheta, qui Deum jussum suum revocasse asserebat, *III Reg. cap. xiii, 24*. Sensus ergo est, q. d. Minæ meæ non sunt meæ, sed Dei: rugitus meus non est meus, sed Dei: Deus enim quasi leo rugit in mente nostra, et inde in ore nostro, ut vos percellat: ne ergo nobis hæc tristia oracula imputetis. Deo enim loquente per mentem ei os nostrum, tacere non audemus, nec possumus. Rursum, si leo fame, vel, catulis raptis, tremens et rugiens e saltu incurrat in urbem, quis eum eminus videns, non inclamet omnibus: Fugite, leo fremens imminet, prospicite vobis? quin ergo ego Amos videns Deum iratum in Samariam incurrere, ut eam disperdat, omnibus inclamem, ut sibi caveant? Hoc est quod Deus Ezechielii edixit, cap. iii, vers. 27: « Fili hominis, speculatorum dedi te domui Israel, etc., si dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei, etc., sanguinem ejus de manu tua requiram. »

Simile fuit responsum S. Aphraatis eremitiæ. Cum enim ipse egressus eremo Arianis grassantibus resisteret, ac Valentem imperatorem de arianismo et persecutione orthodoxorum increparet; Valens autem ei objiceret: Quid tu, monache, qui vitam solitariam profiteris, silentio et quiete reclita, urbem et forum ingrederis? respondit: Si virgo, in thalamo abscondita, videret quempiam faces domui injicientem, nonne a domo prosiliret, et inclamaret: Incendium, incendium, ut se suosque ab eo liberaret? Ne ergo me reprehendas, qui quietem reliquerim; sed te ipsum reprehende, qui hanc flammatum in domum Dei injeceris, et non me, qui conor extinguere, ideoque omnibus inclamo ut caveant a te, et a tua hæresi, qua quasi igne Ecclesiam Dei succendere conaris. Ita refert Theodoreus in *Philotheo*, cap. viii. Pari modo Amos obstrepentibus sibi Israelitis: Quid tu minaris nobis? armentarius es, non Propheta:

quid nos flagellas? vade ad tua pascua, flagella tuos boves, respondet : « Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit. » Hoc est quod in eadem causa Judæis respondit Jeremias, cap. xx, 8 : « Factus est, ait, mihi sermo Domini in opprobrium, et in derisum tota die. » Et mox : « Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens. » Et cap. vi, 10 : « Cui loquar? et quem contestabor ut audiat? ecce in circuncisæ aures eorum, etc. Idecirco furore Domini plenus sum, laboravi sustinens. »

QUI NON TIMEBIT? — Vere S. Augustinus in *Sententiis*, num. 77 : « Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur : Deus sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum confugiatur, » scilicet ab ipso irato ad ipsum clementem et placidum.

Vers. 9. 9. AUDITUM FACITE IN AEDIBUS AZOTI. — Advocat Deus vicinas gentes, puta Azotios et Ægyptios, in Samariam. Primo, ut, visis eorum sceleribus ac punitione, testes sint, uti beneficiorum multiplicium et insignium Israelitæ, tum in exitu ex Ægypto, tum in deserto, tum in Chananæa a Deo collatorum; ita et vindictæ mox ab eodem exercendæ in eumdem, utpote ingratum. Secundo, ut magis doleant Israelitæ, videntes se gentibus hostilibus in probrum et ludibrium exponi, quodque hostes clades ipsorum videant et rideant, gaudientque de eorum strage et excidio, juxta illud *Psalm. cxxxvi*, 7: « Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die (excidii) Jerusalem : qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. » Porro hoc schemate et artificio conatur Deus Israelitas ad se revocare, dum oculis eorum objicit infamiam et probra; quæ laturi sunt a gentibus, si in apostasia pergant, ideoque a Deo per Assyrios vastentur.

Per Azotios, cæteros Philistinos accipe. Est synecdoche. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Hugo, Lyranus, Arias et alii. Miratur, et merito, S. Hieronymus apud Septuaginta pro Azotiis legi, in *Assyriis*: videtur mendum librariorum.

SUPER MONTES SAMARIÆ. — Hi montes imminent Samariæ, quæ fuit urbs ab Amri rege ædificata in monte Somer, indeque et urbs, et ab ea, utpote metropoli, tota regio dicta est Samaria: eam posse Herodes Ascalonita nominavit Sebasten, id est Augustam, in honorem Augusti Cæsaris: perinde ut nunc vocatur Augusta Vindelicorum, Augusta Trevorum, etc. Herodes enim eam a fundamentis instaurans, firmissimo muro per viginti stadia circumdedit, et in ejus medio templum maximum sesquistadii magnitudine, modis omnibus ornatiissimum Augusto Cæsari dedicavit, et Sebasten nuncupavit. Ita Josephus, lib. IV *Antiq. cap. x*, et ex eo Adrichomius in *Samaria*.

ET VIDETE INSANIAS MULTAS IN MEDIO EJUS. — Hebraice *בְּמִזְרָחַת מִזְרָחַת mehumot*, id est *tumultus* et conturbationes ingentes, ut vertit Chaldæus. Hinc Septuaginta vertunt, *admirabilia*, quæ scilicet ad-

miratur erant Philistini et Ægyptii, ad spectaculum hoc a Deo evocati.

Jam per *tumultus*, Arias accipit *tumultus* civium Samariæ, cum ea capta ab Assyriis, cives turmatim fugientes se invicem obtriverunt, et ab instantibus Assyriis obtriti sunt. Melius de culpa quam de pœna hæc accipias. Unde Noster vertit, « *insanias*, » scilicet in colendis vitulis aureis, ait S. Hieronymus, Rupertus, Hugo et Lyranus; aut *insanias*, id est insanos tumultus et seditiones, quibus se invicem obtruncarunt. Ita Theodoreetus. Unde Vatablus vertit, *confractiones multas*; has enim significat hebræum *mehumot*. Hinc et sequitur, « et calumniam patientes, » vel, ut Vatablus, oppressos per vim et calumniam, supple et repepe, videte.

Tropologice, insanæ sunt figmenta hæreticorum, ait S. Hieronymus, « dum unusquisque fingit quod voluerit, et adorat figmentum suum : ut Marcion bonum Deum et otiosum : ut Valentinus αἰώνα; triginta, et extremum Christum, quem appellat ἀβτόνα, id est abortivum : ut Basilides, qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat ἄρχαξε, et eumdem secundum Græcas litteras, et annui cursus numerum, dicit in solis circulo contineri. » Talia sunt hodie Calvini et Lutheri placita : hominem carere libero arbitrio, opera bona nil mereri, fidem solam justificare, omnia opera Sanctorum esse concupiscentia et peccato contaminata, Deum esse auctorem omnium operum, tam malorum quam bonorum; Christum in cruce quasi desperasse, et pertulisse pœnas damnatorum, vota castitatis Deo nuncupata esse impossibilia, nec servanda, Deum præcepisse legem impossibilem. An non hæc insanæ lymphaticorum, quibus nihil insanius vidit hæc ætas?

10. THESAURIZANTES INIQUITATEM, — iniquas opes, scilicet partas per vim, calumniam, furta, etc. Unde Vatablus vertit: *Hi sunt qui thesaurizant rapinam et prædam in palatiis suis*, congregant opes per fas et nefas, ut dicitur.

ET RAPINAS: — Septuaginta, et miseriam; Syrus, et pressuram, angustiam. Unde videntur ipsi hæc de pœna Samariæ accipere, cum potius de culpa accipienda videantur, uti dixi.

11. PROPTERA HÆC DICIT DOMINUS (puniens tuas rapinas et scelera): TRIBULABITUR ET CIRCUIETUR (id est cingetur obsidione et circumcircœa obsidebitur ab Assyriis) TERRA, — ne quis effugiat. Tigurina vertit: *Angustiae tibi erunt, idque undique in terra*. Quod explicans Vatablus: *Hostis*, ait, *venturus est, et in circuitu terræ hujus castrametabitur, ne quis possit effugere*. Loquitur hic Propheta tanquam attonitus magnitudine tribulationis et stragis futuræ, quam quasi præsentem spiritu propheticō intuebatur: propterea uitur locutionibus concisis, multaque subtiler et subaudit, ut admirationem et terrorem incutiat audientibus. Mirum est Septuaginta hæc de Tyro accipere; eo quod hebræum *תֹּצֵא tsor* significet angustias, et

petram angustam, indeque Tyrum in petra conditam. Vertunt enim : *Tyrus, et in circuitu terra tua deserta erit.* Agitur enim hic de clade Samariæ, non Tyri. Melius ergo Symmachus *tsor* vertit πολεωχίαν, id est *obsidionem*; et Theodotion, *fortitudinem*.

DETRAHETUR EX TE FORTITUDO TUA; — Tigurina : *Deficiet a te robur tuum, et diripientur palatia tua;* Vatablus : *Hostis auferet tibi opes tuas, in quibus tuum belli robur consistit, q. d.* Assyrii rapient tuas opes, quas per vim, dolum et calumniam concessisti.

Vers 12. QUOMODO SI ERUAT PASTOR DE ORE LEONIS DUO CRURA, etc. — Per *pastorem*, Deum; per *leōnem*, hostem; per *crura* et *extremum auriculæ*, paucitatem Israelis ab hoste servandam intellige, q. d. Sicut pastor leoni rapienti et discerpenti ovem aut bovem, aliquam ex eo partem, sed parvam et ad esum inutilem, v. g. duo crura, quæ leo non curat, eripit; sic aliqui Israelitæ, sed pauci, iisque infirmi, pauperes et viles ab hac eorum strage et captivitate eruentur, ii scilicet, quos Assyrii contemnent, et ut quisquilius fæcesque plebis relinquunt in Samaria ad colendum agros et vineas. Ita Theodoretus, Clarius, Arias et Vatablus. Ecce Amos, utpote pastor, crebro a re pastoriæ sibi familiari petit similitudines.

Aliter, imo contrarie S. Hieronymus; censemus hæc ironice per sarcasmum dici, q. d. Israelitæ præfisi robori Samariæ, et auxiliis Damasci, id est Syrorum, putant quod eruent et expedient se de manibus Assyriorum, sicut pastor ope canum de ore leonis extorquet et eripit duo crura, etc.; sed errant et falluntur. Verum prior sensus, uti communior, ita simplicior est et verior : Deus enim, post commendatam justitiam, commendat hic suam misericordiam, eaque illam temperat, q. d. Non omnes omnino peribunt : nam aliqui servabuntur, licet pauci. Porro per crura et ossa significat eos nudos ac spoliatos, vita vix salva, stragi communi eripiendos.

Rursum censet Theodoretus duo hæc crura a pastore eripi, ut iis fidem faciat hero, pecus a leone esse laniatum, non a se venditum, aut furto sublatum.

Symbolice notat Rupertus duo crura et extremum auriculæ ad hoc reservari, ut ex iis constet quale fuerit pecus devoratum, an ovis, an bos, an equus : sic videlicet ex parvis Judæorum reliquiis, colligi quales fuerint ipsi ante peccatum, et ante Christum, atque illas ipsas fidem christianorum confirmare, dum testimonium legis et Prophetarum nobis circumferunt, ex quibus Christum salutis auctorem cognoscimus, eumdemque Gentilibus demonstramus per Judæorum, fidei nostræ hostium, libros et monumenta.

Tropologice, S. Hieronymus hæc applicat doctoribus et prædicatoribus : « In crure, ait, via ostenditur doctrinarum, in aure sacramenta dictorum. Unde Apostoli absque calceamentis et ulla

mortui animalis pellicula jacentur incedere, Matth. cap. x. Et ad credentes dicitur : Qui habet aures audiendi audiat, » Luc. viii. In corporis ergo totius strage auris eripienda est, qua monita salutis audiamus; et crura, quibus in illis et juxta illa ambulemus et conversemur. Unde Stephanus Cantuariensis in *Sylva allegorice* per duo crura accipit continentiam mentis et corporis, per extremum vero auriculæ perseverantiam in obedientia : crura vero restringit et applicat Prælatis : « Sic enim, inquit, cum multi sint Prælati, major pars peribit, et consumetur a leone, scilicet diabolo, et parvæ reliquiæ salvæ fient per illum pastorem qui dicit: Ego sum pastor bonus. »

In **PLAGA LECTULI**, — id est in latere vel angulo lecti. Sic enim quatuor plagæ mundi vocantur quatuor ejus latera. Nam hebraice est שׂתָּה פְּנַיִם *pea mittæ*, id est in angulo, latere, vel extremitate lecti : in angulo enim utrinque corpus fulcitur; hinc melius et plenius in eo quiescit. Huc facit illud Thomæ a Kempis : « In omnibus requiem quæsivi, et non inveni, nisi in angello cum libello. » Porro *plaga* vox est desumpta a Græcis : hi enim πλάγια vocant latera et angulos transversos. Rursum *plaga* et *plagulæ tapetes* græce dicuntur, latine *stragula*. Unde Varro *De Vita populi Rom.* : « Eburneis lectis et plagiis sigillatis. » Et Livius, lib. IX in *Bello Mace.* : « Luxuriae, ait, peregrinæ origo ab exercitu Asiatico advecta in urbem : ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, et alia textilia, etc., Romam adverserunt. » Nec hoc longe ab hebræo *pea*, id est angulus, extremitas : stragula enim sunt angulata, et in angulis signata et plagulis insignita. Sensus est, q. d. Pauci Israelitæ, ut dixi, habitantes in Samaria, in eaque secure quasi in suavi lecti stragulo, vel angulo quiescentes, eruentur a clade Assyriorum. Samariam vocat plagam, vel angulum lectuli, eo quod instar lecti elevata esset et montosa, æque ac mollis, deliciosa, opulenta, indeque culta et populosa, ut videretur esse angulus et arx decem tribuum. Unde in ea fidenter quasi in lectulo quiescebant, non timentes Assyrios. Ita S. Hieronymus et alii. Adde, per *plagam* accipi potest clima, situs et regio Samariæ : hæc enim Hebræi vocant *pea*, id est angulum terræ. Rursum, proprie Samaria sita erat in angulo respectu Judææ et montium urbi Samariæ imminentium, ut patet in tabula ejus chorographica, quam exhibet Adrichomius post paginam 24.

Jam *primo*, Chaldaeus sic vertit et explicat : *Eruentur qui habitant in Samaria, in fortitudine potestatis, et in Damasco innitentes, q. d.* Eruentur qui confidant Samariæ munitioni, et opere Damascenorum ac Syrorum, in qua pariter quasi in grabato quiescent et securi dormiunt.

Secundo, Lyranus per *plagam lectuli* accipit Jerusalem, in qua erat templum, in quo quasi in lecto requiescebat Deus, q. d. Salvabuntur pauci

ex Israel, scilicet ii qui profugerint in Jerusalem ad alas Dei et Ezechiæ regis, vel in Damascum ad alas Syrorum.

Tertio, Vatablus, q. d. Cladem Assyriacam pauci effugient, scilicet ii duntaxat qui post lectum in angulo se absconderint : aut ægroti, qui in lectis decumbentes sua ægritudine movebunt Assyrios, ut iis parcant, q. d. Assyrii parcent solis miseris, qui adeo pauperes erunt, ut bini vel terni in lecto, aut non tam in lecto, quam in parte et angulo lecti requiescere cogantur.

Quarto, Septuaginta pro *in plaga lecti et Damasci grabato*, vertunt, contra tribum et in Damasco, « ut juxta tropologiam referamus tribum (Hebræum enim מִתְמָתָה mitta lectum; sed, si legas alio puncto מִתְמָתָה matte, virgam et tribum significat) ad Judæam, et Damascum ad vocationem gentium, de quibus unus grex factus est Domini : cujus sæpe oves leonum feritas laniat, de quorum faucibus vix duo crura, aut extremum aufertur auriculæ, » ait S. Hieronymus.

Quinto, probabiliter P. Prado in *Ezech. xxiv*, 40, hæc accipit de lectulis mensalibus, q. d. Qui habitant (quiescunt) « in Samaria in plaga lectuli, » id est, qui primos habent discubitus in lectis stratisque inter convivas. Nam pro *plaga* hebraice est *in angulo lecti*, id est in capite, in loco primario. De quibus rursum dicit cap. vi, 4 : « Qui dormitis (cubatis) in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. »

Ex his omnibus maxime genuina videtur tertia explicatio, tum quia vox *plaga*, vel angulus « lectuli » ac vox *grabato*, significant hæc ad pauperes et ægros pertinere. Hi enim jacent in grabatis et angulis ; tum quia hi recte comparantur cum duabus cruribus, et extrema auricula leoni eruptis ; alioqui enim non constabit similitudo Prophetæ, ejusque vis et nervus, nisi his duo crura et extremum auriculæ adaptes. Sensus ergo totius hujus versiculi est hic : Sicut pastor de vervece aut vitulo a leone devorato eripit, servatque duo crura, aut extremum auriculæ, ab illo carnibus jam satiato, utpote ossea et insipida neglecta, ut ea ad herum deferat, quo demonstret vitulum non a se subductum, sed a leone laniatum : ita ex tota Samaria quasi e corpore politico, duo vel tres, id est pauci duntaxat cladi illius eripientur, iisque viles et inutiles, puta pauperes macie confecti, ut sola crura ossea habere videantur ; et ægri, qui bini vel terni in ejusdem lecti et grabati lateribus decumbant, sive in Samaria, sive in Damasco. Ita a Castro. Quocirca forte idcirco Interpres pro hebræo *pea*, id est angulus, vertit *plaga*, quæ et latutus, et vulnus morbumque significat, ut innueret eos in latere lectuli decumbere ex vulnere et morbo, q. d. Salvabuntur ii qui ex plaga vulneris et morbi decumbunt in plaga, id est in latere et angulo lectuli. Proprie *plagæ*, vel *plagulæ* sunt commissuræ, sive assumpta, quæ tapetibus, casulis, stragulis, lectis, vestibus altexuntur vel as-

suuntur ; pretiosæ (uti sunt effigies aureæ et gemmeæ in casulis) a divitibus ornatus et splendoris ergo ; rudes et viles a pauperibus necessitatis causa. Laceris enim stragulis, lectis et vestibus pauperes assuunt partes, puta plagulas, ut rupturam sarciant, præsertim ad angulos : ibi enim facilius ob affictum parietis aliarumque rerum, franguntur. Plaga ergo lectuli est angulus lectuli pauperis, assumpto resarciti, et, ut S. Francis-cus dicere solet, rappeciati. Pauperes enim lectos habent non integros, sed plagulis tum majoribus, tum minoribus consarcinatos instar centonum. Quare dormire in plaga lectuli, idem est quod dormire in centone, aut potius in assumpto et latere centonis, ita ut in altero lecti latere dormiat alius, vel plures. Sensus ergo est, q. d. In Samariæ excidio salvabuntur soli pauperes et miseri, qui in centonibus gregatim ob paupertatem dormiunt.

ET IN DAMASCI GRABATO. — Sicut Samariam *lectum*, sic Damascum vocat *grabatum* : quia Israelites vexati ab Assyriis, miseri et afflicti confugiebant Damascum, ibique quasi ægri in lecto secure quiescebant, seque recreabant. Damascus ergo iis afflictis, fessis et ægris erat quasi lectus; ita S. Hieronymus, Rupertus, Remigius, Hugo et alii. « Ut quomodo qui fessus est refocillatur in lectulo, sic illi fractas vires vicinæ gentis (Damasci) auxilio roborarent, » ait S. Hieronymus (1).

Perperam recentiores, ut R. David, Pagninus et alii, hebræum דָמֵשֶׁק *dammescec*, id est Damasci, accipiunt non ut proprium, sed ut appellativum, quasi compositum ex דָם *de*, et מֵשֶׁק *mescec* : *mescec* autem significat *tibiam* vel *crus*. Unde vertunt, *in crure*, id est pede vel sponda lecti; aut, ut Arias, *in lecto mobili et agitabili*, ut ejus agita-

(1) Verba שָׁרַב וּבְדָמֵשֶׁק, *oubi damesceq ares*, obscura sunt. *Damnesceq* vel pro nomine proprio, vel appellativo sumunt interpres. Qui nomen proprium esse statuunt, in diversas partes abeunt : præferenda autem ea videtur explicatio quæ cum Vulgata *in Damasci grabato* vertit, id est in lecto Damasceni operis et artificii, vel in lecto Damascenisi stragulis instrato. Huic interpretationi quidem obstat, quod Hebræi genitivos non præponere solent, nec enim dicunt, *hominis filius*, sed *filius hominis*; deinde Damascus hebraice scribitur *damesceq*, hoc autem loco scribitur *dimesceq*, ut jam monuit Petrus de Figueiro; interim tamen omnes antiqui interpres ceu nomen proprium פָלָשָׁה *demesceq* accepérunt. Qui *demesceq* ceu nomen appellativum capiunt e fontibus arabicis ita exponunt : primo *sericum*, peculiariter album, imprimis genus illud, quod ex ruptis bombycum telis loculisve in fila attenuatum ; secundo, et ipsa bombycis tela in ovi formam neta ; tertio, pannus sericus (*Isai. iii, 24*; II *Reg. vi, 14*), quin et linum, II *Reg. ii, 18*. Quamcumque vero assumas ex his interpretationem, sensus est : Israelitæ qui nihil timent, et secure ac molliter vivunt, peribunt. Usque huc Ackermann.

Addere libet cum Maurer, hic *pannus Damascenus*, in quo jacent, id est sericus artificiose textus, qui hodieque in linguis occidentalibus ab urbe Damasco denominatur (angl. et dan. *Damask*, ital. *Damasco*, gall. *Damas*, germ. *Damast*).

tione ægro somnus concilietur, uti matres agitant cunas infantium, ut hoc motu ipsi somnum concipient. Unde ipse exponit, q. d. Assyrii iis solis parcent, qui ex gravi longaque infirmitate decumbentes in lectulis, seipso movere, et ab una parte in aliam convertere non poterunt, sed instar puerorum moveri et converti ab aliis debeant. Perperam inquam: nam hebraice non est *mesœc*, sed *dammesœc*, quod non aliud quam *Damascum* significat, uti vertunt Septuaginta, Chaldæus, Noster et alii. Adde *¶ de* Hebreis non esse articulum, nec solere præfigi nominibus.

Tropologice, lectus avari est mammona, lectus superbi honor, lectus gulosi mensa opipara, lectus luxuriosi cubilia et impudicitiae, lectus acedi torpor et somnus. Nam « sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo, » Proverb. cap. xxvi, 14. Hi lecti varios habent angulos et stragula mollia, quæ quisque sibi fingit, captat et adaptat.

Vers. 13. 13. AUDITE, — vos, o populi, ait S. Hieronymus, vel potius vos, o Prophetæ, cladem ad quam non ego, sed Deus per os meum destinat domum Jacob, id est posteros Jacobi sive Israelis, puta decem tribus earumque aras et delubra, in quibus colunt vitulos aureos in Dan et Bethel. Ita Albertus, Hugo, Arias et Vatablus. Unde Septuaginta habent: *Sacerdotes, audite.* Sed recte notat S. Hieronymus: « Puto, inquit, Septuaginta ipsum verbum posuisse, quod quidam non intelligentes, pro *Ἄρες* legerunt *ἱπποις*; id est *sacerdotes. Ares* enim noster Interpres et alii ad versum præcedentem referunt, vertuntque *lectulum*; sed Septuaginta huc referunt, retinentque ut nomen proprium.

ET CONTESTAMINI, — id est contestando Deum, eumque in testem vocando prædicite et prædicate instans eis exitium, nisi ab idolis et sceleribus resipiscant.

15. ET PERCUTIAM DOMUM HIEMALEM CUM DOMO ~~AS~~
TIVA. — Ita et Aquila, Symmachus et Theodosius. Verum Septuaginta vertunt: *Domum pinnatam, eo quod ostiola habeat per fenestras, et quasi pinnas ad magnitudinem frigoris repellendam*, ait S. Hieronymus, qui hac re significari putat Israëlitæ deliciosos « tantarum fuisse opum, ut duplices haberent domos, hiemales et aestivas, quarum aliæ (hiemales) versæ essent ad Aquilonem, aliæ (aestivæ) ad Austrum, ut pro varietate temporum, frigoris et caloris cœlique temperiem providerent. » Sic *Jerem. xxxvi, 22*, Joakim dicitur fuisse in domo hiemali mense nono. Ita in Belgio domos aestivas in villis ad delicias comparatas, ob luxum in iis admissum, per bella hæc destruxit et rasit Deus.

Mystice idem S. Hieronymus: « Domus, ait, hiemalis erat regnum Israel, in qua frigus erat religionis et cultus Dei, variique ventorum turbines et sæva tempestas: et domus aestiva, Juda et Jerusalem, in qua erat templum, et offerebant holocausta mane et vespere, et vigebat calor religionis. »

ET PERIBUNT DOMUS EBURNÆ. — « Legimus Achab regem Israel tantis fluxisse deliciis, ut domum sibi eburneam fecerit, » *III Reg. xxii, 39*, ait S. Hieronymus, non quod fecerit eam ex ebore solido: unde enim tantum eboris habuisset? sed quod illam ebore incrustarit; hæc enim vocatur *domus eburnea*, teste Plinio lib. *XVI*, cap. *XLIII*. Vide Sanchez.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur Deus Israelitis, quod Assyrii levabunt eos in contis, et reliquias eorum in ollis ferventibus. Deinde ob impura et sacrilega eorum sacrificia ait se eos percussisse sex plagiæ, scilicet fame, siccitate, vento urente, auragine, eruca, peste: denique pene eos subvertisse sicut Sodomam, eos tamen hisce plagiæ nihil meliores effectos, nec rediisse ad se. Quocirca dira et extrema quæque illis intentat additque: Præparare in occursum Dei tui, qui creat montes, ventos, nebulas, etc. (1).

1. Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariae: quæ calumniam facitis egenis, et confringitis pauperes; quæ dicitis dominis vestris: Afferte, et bibemus. 2. Juravit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, et levabunt vos in

(1) Hocce caput continet sermonem secundum contra Israelitas, maximeque contra opulentos et potentes Samariae, alternatque expositionem culpæ et pœnæ.

PRIMO, exponit, *primo*, culpam, lasciviam, et violenciam in pauperes complectentem, 1; *secundo*, pœnam, exsilium scilicet et exitium inferentem, 2, 3.

SECUNDO, rursum exponit ironice culpam, idolola-

triæ multiplicem et cultum sacrilegum exercentem, 4, 5; *secundo*, pœnam jam illatam, sed ab obduratisraelitis frustratam; cuiusmodi erat penuria annonæ, 6; *defectus imbrium et aquarum*, 7, 8; *depopulatio frugum per insecta*, 9; *clades et vastitas ab hostibus illata*, 10, 11; *tertio*, pœnæ in posterum repetendæ, nec ulla ratione devitandæ, 12, 13.

contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus. 3. Et per aperturas exhibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon, dicit Dominus. 4. Venite ad Bethel, et impie agite: ad Galgalam, et multiplicate prævaricationem: et afferte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras. 5. Et sacrificiate de fermentato laudem: et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate: sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus Deus. 6. Unde et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris: et non estis reversi ad me, dicit Dominus. 7. Ego quoque prohibui a vobis imbre, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem: et plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui: pars una compluta est, et pars super quam non plui, aruit. 8. Et venerunt duæ et tres civitates ad unam civitatem ut biberent aquam, et non sunt satiatæ: et non redistis ad me, dicit Dominus. 9. Percussi vos in vento urente, et in auragine, multitudinem hortorum vestrorum et vinearum vestrarum: oliveta vestra et ficula vestra comedit eruca: et non redistis ad me, dicit Dominus. 10. Misi in vos mortem in via Ægypti, percussi in gladio juvenes vestros, usque ad captivitatem equorum vestrorum: et ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: et non redistis ad me, dicit Dominus. 11. Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorram, et facti estis quasi torris raptus ab incendio: et non redistis ad me, dicit Dominus. 12. Quapropter hæc faciam tibi, Israel: postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui, Israel. 13. Quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens super excelsa terræ, Dominus Deus exercituum nomen ejus.

Vers. 1. 1. AUDITE VERBUM HOC, VACCÆ PINGUES. — Hebraice *vaccæ Basan*. Ita Septuaginta, Theodotion, Aquila et Hebræi passim. Verum quia regio Basan, pascuis opima, pingues alebat boves et vaccas, ut patet *Deuter.* cap. xxxii, 14; hinc recte vertit Noster, « *vaccæ pingues*; » et Symmachus, *boves saginatæ*; ali, *vaccæ lascivientes*. Jam Theodoreetus per *vaccas* accipit mulieres Samariæ lascivas, rapaces et imperiosas. « *Vaccas*, inquit, *Basanitides*, mulieres vocat luxu et voluptatibus diffluentes. Ejusmodi enim erant *vaccæ Basanitides*, ob pabuli copiam exsultantes. Unde fiebat ut bona tenuiorum in rem suam converterent (uti *vaccæ depascebantur prata Basan*), atque viris quibus ex divina lege subditæ erant, imperare non vererentur, in ordinemque eos redigi jubarent: qualis fuit Jezabel, viro (*Achab*) tanquam mancipio utens. » Sic et Lyranus, Arias et Vatablus. Est enim vacca muliebris ingenii, petulantiae et salacitatis symbolum. Unde Alianus, lib. IV, cap. xlvi, scribit in Ægypto vaccam, simul et Venerem religiose coli, eo quod vacca affinitatem et convenientiam cum dea habere existimetur: quin et vacca Veneri in Ægypto immolabatur, ait Giraldus in *Syntagm.*; nam, ut ait Columella, lib. VI, xxiv, *vaccæ* « *post vernam pinguedinem gestientes, et pabuli nimietate exhilaratæ lasciavitæ*. » Insuper « *vacca, quamvis plena fœtu, non expletur libidine*. » Quocirca Amos hic describere videtur familias et domus impiorum, quæ sunt « *sicut congregatio taurorum in vaccis populorum*, » *Psalm. LXVII, 31*.

Vaccæ Basan quæ? Melius S. Hieronymus, Ruffinus, Rupertus, Albertus, Glossa, Hugo, Clarius et alii censem hæc tam, imo magis ad viros, quam ad mulieres Samariæ spectare: viri enim quia effeminati, lascivi et impudentes, vocantur *vaccæ*, vel *vitulæ* populorum, *Psalm. LXVII, 31*; *Osee x, 11*, et alibi. Id patet ex sequentibus: « *Ecce dies venient super vos*, » scilicet viri. Hebræum enim *χειρ* masculinum, viros notat: *vaccas ergo Basan*, vocat opulentos (unde Chaldeus vertit, *divites substantiarum*), et principes Samariæ, qui bona pauperum depascebantur, tum quia gulæ et ventri erant dediti, tum quia saginæ et mactationi destinabantur. Audi S. Hieronymum: « *Loquitur ad principes Israel, et optimates quosque decem tribuum, qui deliciis ac rapinis vacabant, ut audiunt sermonem Dei, et non aratores boves, sed vaccas pingues de armento se esse noverint, sive quæ nutriantur in pascuis Basan, quæ sunt loca herbarum fertilissima, ac per hoc significat eos non agriculturæ, sed immolationi et esui præparatos* (1). »

Porro, cur hi vocentur *vaccæ Basan*, tres causas adfert Ruffinus. Prima, quod gloria ipsorum ignominia erat terminanda; *Basan* enim hebraice

(1) Maurer postquam notavit istas *vaccas pingues* et ferocietas, esse aulicos illos *divites*, *luxuriosos* et *lascivos*, de quibus dixerat Propheta cap. iii, 9, seq. et 15; addit: *vaccas*, non *tauros* eos dicit, *mollitiem* et *effrenatos* eorum mores notans. Ubi terminatione feminina utitur, respicit *vaccas*; ubi masculina, eos qui *vaccis* significantur.

confusionem et ignominiam significat. *Secunda*, quod vox eorum humana in vaccinam, puta in mugitum, præ dolore erat commutanda. *Tertia*, quia Deus eorum erat venter, ac jugibus vacabant conviviis et symposiis, ideoque, ut ait Psaltes : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. » *Quartam* adde, quod vaccas, puta vitulos aureos, quasi deos coluerint. Unde Rupertus per *vaccas Basan* accipit sacerdotes Bethel, quæ visibiliter substrati vitulis quos colebant, erant instar vaccarum; invisibiliter vero suas animas tauris infernalibus, id est dæmonibus, prostituebant. Hi enim dicebant principibus : Date nobis victimas et oblationes, quas comedamus et bibamus; nos vicissim vos vestraque peccata expiabimus apud Deum, et excusabimus apud populum.

Tropologice S. Hieronymus : *Vaccæ Basan* sunt hæretici veneri et gulæ addicti, uti fuerunt Lutherus, Calvinus, Bucerus, etc. Item divites et nobiles insolentes et rapaces, qui ex aliorum, præsertim pauperum, bonis se ditant, iisque luxuriantur.

QUÆ DICITIS DOMINIS (puta regibus et principibus) **VESTRIS** : **AFFERTE, ET BIBEMUS**, — q. d. Afferte spolia pauperum, ut inde vobiscum epulemur et compotemus; vel, ut S. Hieronymus : « Date nobis, et bibemus, id est jubete tantum, et nos cuncta vastabimus, » id est *diripiemos*, inquit Chaldaeus, ut lictores, vel ut ebrii absorbebimus. Nam « voce : *bibemus*, ebrietatem eorum significat in vino atque luxuria, quæ statum mentis evertunt, » ait S. Hieronymus.

Tropologice, idem dicunt iniqui advocati et procuratores judicibus; consiliarii, scabini et prætores principibus et magistratibus, æque impiis. Hi enim quasi harpyiae inhiant bonis populi, in eaque involantes illa inter se distribuunt, atque ex iis opipara convivia et symposia instruunt. Hoc scelus enorme, ut rempublicam evertit, ita horrendam certamque Dei iram et vindictam provocat. Unde subdit :

2. JURAVIT DOMINUS DEUS IN SANCTO SUO. — Hebraice **בְּקָדֵשׁ** *becodesço*, id est *in sanctitate sua*, hoc est per sanctitatem suam : Hebræum enim *beth*, id est *in*, est nota jurantis. Ita Chaldaeus, Symmachus et passim Hebræi, q. d. Juravit Deus per semetipsum : ipse enim est summa et increata justitia et sanctitas, quam vos, o judices et principes, in terra imitari et tueri debebatis, nunc autem eamdem violastis et evertistis. Quocirca hæc Dei sanctitas jurat se hujus violationis, et, ut ita dicam, sacrilegii, acerrimum fore vindicem. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus et alii, qui insuper tres alios afferunt sensus. *Primus* est, juravit Deus per sanctitatem, id est per sanctum templum suum; *secundus*, per filium suum sanctum; *tertius*, per sanctos Prophetas. Unde Septuaginta vertunt: *Juravit Dominus per sanctos suos*. Verum quod initio dixi litterale est et genuinum.

QUIA ECCE DIES VENIENT SUPER VOS, ET LEVABUNT

VOS IN CONTIS. — Septuaginta, Syrus et Arabicus, *in armis*; Symmachus, *in clypeis*; melius Theodotion, *in hastis*, q. d. Instant dies, quibus Assyrii vos, o Samaritæ, contis et hastis suis configent. Unde Tigurina vertit : *Ausferet vos lanceis*. « Servat vaccarum metaphoram, ait S. Hieronymus, ut quas esse pingues dixerat vaccas, earum carnes narret in contis vel scutis esse portandas. » Forte etiam alludit ad morem militum, puta ad feros sævosque victores, qui capita cæsorum in lanceis gestant quasi in triumphum, uti faciunt Turcæ. Contus enim vocatur sudes et hasta longior, vel pertica oblonga nautarum, qua ipsi navem protrudunt et dirigunt. Unde Virgilius, *V Eneid.* :

....Et acuta cuspide conti.

ET RELIQUIAS VESTRAS IN OLLIS FERVENTIBUS. — Arabicus, *in ollis ardentibus*; Syrus, *in olla venatrix*; Hebraice **בְּסִירוֹת דָּגָה**, *besirot duga*, id est in ollis piscium, quas scilicet piscatores servant plenas ferventi aqua, uti pisces recentes, quos e mari extrahunt, illico coquantur, q. d. « Sicut lebes ferventissimus minutos pisces pariter involvit, ita et vaccæ Basan absque ullo ordine captivitatis miseriis opprimentur, » ait S. Hieronymus. Aut pressius et concinnius, q. d. Sicut laniones capita boum et vaccarum a se mactarum longis contis et perticis ostentant, ut inde populus cognoscat qualis quantaque vacca sit mactata, et ad ejus carnes emendum accurrat; reliquias vero, puta hepar, stomachum, intestina conjicit coquitque in ollis ferventibus: ita et milites Assyrii capita, id est optimates Samariæ a se occisos, vel captos ostentabunt, ut ex iis aliæ gentes conjiciant qualis quantusque fuerit Samariæ populus, quantaque de iis strages et Victoria: reliquias vero, puta milites civesque, qui in arces, urbes domosque munitas, aut in caveas et speluncas confugient, in illis ipsis quasi pisces in ollis ferventibus comburent. Ita Lyranus et Dionysius. « Sicut enim Jerusalem, ait S. Hieronymus, habens clausos populos et obsessos, assimilatur olla ferventi et plenæ carnium, *Ezech. xxiv*; 2 : sic et urbes Samariæ ollis ferventibus comparantur, quæ fame et pestilentia clausos populos exire compellant, et ire in captivitatem. » Addit a Castro, q. d. Corpora eorum dilacerata, et in frusta concisa in ferventes ollas injicient, uti fecit Antiochus Epiphanes Machabæis, *II Machab. vii*.

Aliter Rupertus et Remigius, q. d. Assyrii Samarias confuse sine ullo ordine in Assyriacam captivitatem quasi in ollam conjiciunt.

Secundo, hebraicum *besirot duga* Pagninus, Vatablus et Clarius exponunt, *in hamis piscatoris*, q. d. Sicut piscatores hamis pisces extrahunt ex mari, ita Assyrii suis armis vos extrahent ex Maria abducentque in Assyriam (1).

(1) Imago a belluis domandis repetita, quarum naribus

Tertio, Chaldaeus vertit : *Elevabunt vos in clypeis et filias vestras in scaphis*, vel navibus piscatorii, q. d. Per naves quæ excavantur et orbiculari instar clypeorum, e Samaria avehent et ablegabunt vos in Cyprum, aliasque remotas insulas.

Quarto, R. Abraham et R. David pro *olis* vertunt *spinis*; has enim quoque significat hebreum *siroth*. Jam *spinis*, id est hamis; vel *spinis*, id est contis, et lanceis acutis instar spinarum, ut more hebreo idem dicat hemistichio posteriore quod dixit priore; vel *spinis*, id est flagellis: ex spinis enim tyranni faciebant flagella, quæ, quia suis aculeis carnes pungebant, lacerabant et discepabant, vocabantur *scorpiones*, quos Roboam tyranus minatus est populo, dicens : « Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus, » III Reg. XII, 14.

Quinto, Arias pro *in contis* vertit, *in frigoribus*, sensumque dat, q. d. Assyrii vos, o Samaritæ, quasi vaccas æstate lascivientes transferent in regiones frigidas et algentes, ubi pro cibis non aliud habeatis quam viles pisces, qui olim mancipiis dabantur in escam.

Denique Septuaginta vertunt : *Tollent vos in armis, et eos, qui vobiscum sunt, in ollas ferventes pestilentes*; ἐπιπορειαν enim ferventes significat; pro quo aliqui legunt, ἐπιπορειαν, id est desolati, vel desolatores; Complutensia, ἐπιπορειαν, id est mercatores. Unde sic habent: *Tollent vos in armis et eos qui vobiscum sunt in lebetes negotiatores pestilentes*.

V. rs. 3. **3. ET PER APERTURAS** (muri Samariæ, qui ab Assyriis eam obsidentibus arietibus diruetur et aperietur) **EXIBITIS ALTERA CONTRA ALTERAM**, — id est una cum altera, vel una post alteram, hoc est singuli, vel simul bini et terni, vel vicissim et ordine suo exhibunt captivi abducti ab Assyriis: ita S. Hieronymus. Unde Chaldaeus vertit : *Confringent super vos muros, et edacent vos quasi mulieres, singuli ante se*. Dicit : « Altera contra alteram, » id est alter contra alterum; quia persistit in nomenclatura vaccarum, qua eos vocavit vers. 4; solent enim vaccæ gregatim educi per portas, ita ut binæ, ternæ et quaternæ simul egrediantur, aliae pari ordine et turma sequantur. Aliter alii, q. d. *Alteram, scilicet vacca, egredietur contra alteram, scilicet aperturam muri*, q. d. Quælibet egredietur per aperturam sibi oppositam, quo significat multas fore muri rupturas; sicuti de muris Iericho circum circa corruentibus, ait Josue, cap. VI, 3: « Muri funditus corruent, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint. » Unde

hami et annuli injiciebantur, inquit Gesenius: cur piscatori hami memoretur, intelligitur ex Ezech. XXIX, 4; Job XL, 26. Solebant enim pisces majores jam captos ex annulis, quibus nares perforabant, suspensos aquæ denuo immittere. Rectius forsitan Rosenmuller de *hamo* proprio dicto vult cogitari, ut sensus sit: Israelitas ab hostibus ex urbibus sedibusque extrahendos esse, ut ex aqua a piscatore piscis *hamo* extrahatur.

Vatablus vertit: *Egrediemini unaquæque ante se, id est per rupturam quæ primo vobis occurret*. Sic et Clarius et Arias.

ET PROJICIEMINI IN ARMON, — q. d. Assyrii abducunt vos in Armeniam, quæ adjacet Assyriæ. Ita S. Hieronymus, Chaldaeus, Symmachus, Remigius, Rupertus, Hugo et Clarius. Hebreum est חַרְמוֹן *haharmona*, quod primo Noster et alii jam dicti vertunt, « in Armon, » vel *in Armeniam*. Hæc enim ab Aram filio Sem, primo incola, dicta est Aram, vel *Harmon*; littera enim *aleph* sæpe cum *he* commutatur. Secundo, alii, *Harmona* per diastolen dividunt. Unde Theodotion vertit, *in montem* (hor enim hebraice significat *montem*) *Mona*; Aquila, Syrus et Arabicus, *in montem Armona*; Septuaginta, *in montem Remnam*, vel, ut Theodoreetus legit, *Armana*, q. d. Abducemini in montes Armeniæ: hæc enim montosa est; unde in ejus montibus primum quievit et subsedit arca Noe, Genes. VIII, 4; imo a montibus dictam esse hebraice Aram, sive Armeniam, q. d. Altam, excelsam censem viri docti: eo quod cæteris provinciis omnibus excelsior et montosior sit. Vetus Editio vertit, *in montem excelsum*.

Tertio, recentiores, R. David, Vatablus, Arias, a Castro, Marinus et Pagninus, Harmon vel Armon accipiunt ut nomen, non proprium, sed appellativum, significans palatum, domum excelsam, arcem; hebreum enim מִרְםָה *ram*, altum, celsum significat; unde Abram vocatus est quasi *Ab*, id est pater; *ram*, id est excelsus. Sensus est, q. d. Assyrius Samariam expugnando, obviosque trucidando, vel capiendo, reliquos vestrum stringet et coget confugere, et conjicere se in arces munitas, sed frustra; nam et illas expugnabit, vosque capiet et trucidabit. Aliter Pagninus; vertit enim, *Dejicietis palatum*, scilicet regis muro adhærens, ut per illud manus instantis Assyrii effugiat.

Tropologice, vaccæ Basan, id est hæretici, projiciuntur a dænone in montes Armeniæ, id est superbiæ; omnis enim hæreticus est superbus, quia suum judicium præfert toti Ecclesiæ. Hinc Reunnam idem est quod visio alicujus, ait S. Hieronymus, quia hæretici non omnia Ecclesiæ dogmata carpunt; « sed partis alicujus scientiam sibi promittunt, ut projiciantur, eo quod scire se credunt; » sui enim ingenii et judicii lima politula limare volunt fidem et Ecclesiam.

4. VENITE. — Est sarcasmus, id est hostilis irrisio, q. d. Agite, sacrilegi, vitulamini cum vitulis vestris in Bethel, cum idolis in Galgalis; satiate vos eorum victimis, ingurgitate vos vestris idolothylis; at scitote vos ibidem ab Assyriis mactandos, quasi victimas Deo ulti. Ita S. Hieronymus. Quocirca hunc sarcasmum candide explicant Chaldaeus et Septuaginta, dum assertive et increpando vertunt: *Ingressi estis in Bethel, et inique egistis in Galgala, multiplicasti impie agere*.

AFFERTE MANE VICTIMAS VESTRAS, — q. d. Juge sacrificium agni, quod ex lege solebatis mane et

vespere offerre Deo vero Hierosolymis, nunc vitulatores illud ipsum mane offerte vitulis vestris. Ita Clarius, Arias, Vatablus et alii. Quodnam et quale fuerit hoc juge sacrificium dixi *Exodi xxix*, 38. Secundo, S. Hieronymus putat per *mane* significari aviditatem, celeritatem et multitudinem sacrificiorum, q. d. Agite quod agitis, pergitte summo mane ex ardore idololatrandi offerre victimas, ut, aliis et aliis supervenientibus, ante vesperam omnia absolvere possitis, ne dies citius vos deficiat, quam sacrificia et scelera vestra. Addit S. Hieronymus, *mane* notare victimas pridie immolatas, et contra legem servatas in posterum mane, q. d. Vos ex lege *Levit. vii*, 15, debbatis victimas eodem die comedere quo eas immolastis; at nunc contra legem vel ex avaritia, vel ex crapula, quia scilicet tot victimas eodem die vorare non potestis, servatis multas eorum reliquias in mane sequentis diei; nam et mox taxat eos, quod contra legem fermentum offerrent in sacrificio.

TRIBUS DIEBUS DECIMAS VESTRAS. — Septuaginta, tertio die, vel, ut habet codex Vaticanus, in tri-duum decimas vestras, q. d. Vos contra legem *Levit. vii*, 17, servatis victimas in tertium diem. Ita S. Hieronymus, Remigius et Hugo. Verum lex illa *Levit.* vetat tantum victimas servari, non decimas, de quibus hic agitur.

Secundo, Arias, Vatablus et Pagninus vertunt: *Afferte ad tertium dierum*, id est tertio die, hoc est tertio anno decimas idolis vestris, juxta legem *Deuter. xiv*, 29. Nam *dies* apud Hebraeos saepe significat *annum*, ut *Genes. xxiv*, 1: «Erat Abraham senex, dierumque (id est annorum) multorum.» Verum illa lex *Deuter.* non jubet afferti ad templum, sed tantum domi suae servari decimas, easque tertio anno distribui in levitas, peregrinos, pupilos et viduas, uti fecit Tobias, cap. i, 7, «ita ut in tertio anno proselytis et advenis ministraret omnem decimationem.»

Dico ergo proprie hic tres dies accipi. Jusserat enim Deus Hebreis, *Exod. xxiii*, 14 et 19, ut tribus diebus, sive festis praecipuis per annum, puta in die Paschatis, Pentecostes et festi Tabernaculorum, adirent templum sacrificii et orationis causa; et tunc partim ad iter, partim ad oblationes et epulum sacrum (quo cum levitis ex victimis suis pacificis epulaturi erant coram Domino, id est in templo coram arca et Sancto sanctorum in quo residebat Deus) ferebant secum unam decimam suarum frugum et opum, quem ad hoc separare jubentur, *Deuter. xiv*, 22; itaque fecit Tobias, ut patet cap. i, 6 et 7. Idem fecisse Israelitas in Bethel, quasi simias Judæorum, docet hic Propheta, q. d. Agite ter in anno; sive tribus praecipue festis afferte decimas in Bethel vitulis, quas olim afferre solebatis Deo in Jerusalem. Ita Rupertus, Lyranus, a Castro et alii (1).

(1) Qui ימִם iamim interpretantur annum, afferunt

5. ET SACRIFICATE DE FERMENTATO LAUDEM. — Vers. 5. «Laudem,» id est *sacrificium laudis*, ut vertit Tigurina, seu *gratiarum actionis*. Unde Aquila vertit, *eucharistiam*. Hoc enim a fine vocatur hebraice תְּדָבֵד toda, id est confessio, laus, gratiarum actio. Est ironia et sarcasmus, irridet enim eorum sacrificia fermentata, ideoque impura; nam Judeorum erant azyma et pura, idque ex præscripto Dei, *Levit. cap. ii, 11*, et *cap. vii, 12*, et ita S. Hieronymus, Rupertus, Lyranus et Hugo. Quare imperite Græci nonnulli hunc locum citant, ut contra Latinos probent Eucharistiam celebrandam esse in pane fermentato, non azymo. Nam Amos non laudat, sed culpat et damnat hic sacrificium fermentatum.

Nota: Nihil fermentatum inferri poterat altari; poterant tamen panes fermentati afferri tanquam donaria pro sacerdotibus, ut ipsi illis vescerentur, uti ostendi *Levit. vii*, 13. Quare minus recte Vatablus et Arias censem in sacrificio laudis potuisse offerri fermentum; hoc enim diserte vetaur *Levit. ii, 11*.

Mystice fermentum est symbolum corruptionis et malitiæ, I *Corinth. v*, 6; unde Chaldaeus vertit: *Colligunt ex rapina sacrificium laudis. Quia de fermentato laudem immolat, qui Deo de rapina sacrificium parat*, ait S. Gregorius hom. 22 in *Evang.*

ET VOCATE (celebrate, proclaimate, et deprædicate vestras victimas, quasi liberales, spontaneas et) VOLUNTARIAS OBLATIONES, — sed frustra. Nam Deus eas, uti impuras et idololatricas, abominatur. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Remigius et Hugo. Secundo, «vocate,» id est, ut Vatablus, indicite voluntaria sacrificia et oblationes, æque ac festa vitulorum, atque in iis convocate populum, ut voluntarias oblationes iis offerat, ut fecit Aaron in fabricatione et dedicatione vituli aurei, *Exod. xxxii*, 2: «Tollite, ait, inaures aureas de uxorum, filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. Fecitque populus quod jusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, etc., fecit ex eis vitulum aureum.» Ita homines in rebus divinis parcet avari sunt, sed in iis quæ spectant pompam, aut ventrem, puta in obsequio mundi et diaboli, profusi sunt, suasque opes libenter et liberaliter exhausti. Unde Arias vertit: *Vota nuncupate; Pagninus: Vocate ad solemnitatem, voluntaria congregari facite.*

usum Scripturæ, ex quo saepius iamim pro שְׁנַת יְמִים schenat iamim, anno dierum, id est pleno, occurrit, *Gen. xl*, 4; *Exod. xiii*, 10; *Levit. xxv*, 29, etc.; porro, ut ait Cornelius, addunt hoc loco respectum haberi ad *Deut. xvi*, 28. — Qui vero iamim dies sensu communi interpretantur, negant iamim, si numerus erit additus, annos notare, atque hoc ad augendam irrisionem dictum esse existimant. Cum lex, ut observat Rosenmuller, jubeat post tres annos demum afferri decimas extraordinarias, vos, ut diligentiores et ardentes in cultu idolorum vos ostendatis, non tertio quoque anno, sed tertio quoque die afferte, in idola vestra, et eorum ministros impendentes, quæ Jovæ et ministris ejus erant exhibenda.

Nam a קִרְעָה *kiru*, id est vocate, dicta est מִקְרָאֵה *micra*, id est convocatio, et cœtus populi; indeque solemnitas et festum. In festo enim convocabant *micra*, id est Ecclesiam et cœtum populi, ad celebrandam solemnitatem, et ad offerendum victimas ac alias quaslibet oblationes.

Vers. 6. **6. UNDE ET EGO DEDI VOBIS STUPOREM DENTIUM** (perperam Arabicus *vertit, benedictionem*) **IN CUNCTIS URBIBUS VESTRIS.** — Ita et Chaldaeus et Septuaginta. « Stuporem dentium » intellige ex fame; subdit enim quasi explicando : « Et indigentiam panum in omnibus locis vestris. » Nam longa fames, uti hebetat sopitque appetitum; ita pariter contrahit gingivas, itaque hebetat et stupefacit dentes. Ita Ruffinus. Unde hebræum נִקְיָון *nikyon* significat vacuitatem (ut dentes vacui sint a cibo) et munditiem dentium, uti vertunt Aquila, Symmachus, Theodotion, S. Hieronymus, Arias, Vatablus, Pagninus, Marinus et alii. Cum enim in fame et penuria dentes non habent quod mordent et mandant, innocentes sunt et mundi; indeque arescentibus et contrahentibus se gingivis et nervis hebetantur, constipantur et obstupescunt, æque ac oculi deficientibus spiritibus caligant et obstupescunt; idcirco Noster et Septuaginta vertunt, « stuporem dentium. » Est metalepsis, nisi malis esse onomatopœiam, ut vox *nikyon* suo sono repræsentet sonum et stridorem dentium stupentium. Sensus est, q. d. Quia vos me privatis sacrificiis mihi debitiss, ego pariter privabo vos pane et cibo necessario ad vitam, faciamque ut dentes vestri ex fame et ex comedione fructuum immaturorum, qui acerbi sunt et pontici, obstupescant. Nota, « dedi, » scilicet proprie in præterito; sæpius enim Deus per Eliam et Elisæum Israelitis, ob idola et scelera, intentavit et induxit siccitatem, indeque famem, ut patet III Reg. xvii, et IV Reg. vi, 25. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Rupertus, Hugo et Lyranus, licet Vatablus et Clarius prophetice accipiant *dedi* pro *dabo*, quasi Deus hic comminetur famem futuram. Plenus foret sensus, si *dedi* ample acciperes pro *do*, *dedi* et *dabo*, q. d. Ob idola et scelera vestra sæpius vobis induxi famem, et etiamnum induco, ac in posterum inducam, tum per me cohibendo pluvias, tum per hostes, præsertim Assyrios, populando urbes et agros Samariæ. Verum primum sensum exposcit id quod post hanc plagam aliasque quatuor sequentes singulis versibus subdit: « Et non redistis ad me. » Et illud vers. 12: « Quapropter hæc faciam tibi, Israël; » quæ verba significant famem hanc aliasque plágas fuisse præteritas, non futuras.

Nota quod ait: « Stuporem dentium in cunctis urbibus, » significat communem et publicam fore hanc cladem et famem, ut non tam singuli, quam urbes integræ a se alienari et obstupescere videantur. Est enim stupor alienatio quædam vel mentis, vel sensuum, quod scilicet sensus constipentur. Sic ait Livius lib. V: « Privatos

deinde luctus stupefecit publicus pavor, postquam hostes adesse nuntiatum est. »

7. EGO QUOQUE PROHIBUI A VOBIS IMBREM, CUM AD- Vers. 7. HUC TRES MENSES SUPERESSENT. — Extraordinaria et miraculosa fuit hæc siccitatis et sterilitatis plaga, utpote qua una pars urbis innocens et pia fuerit compluta, non altera, quæ erat nocens et impia. Similiter ager heri justi fuerit complutus, cum vicinus heri injusti pluviam non senserit, idque ad hoc ut omnibus manifesto pateret hoc discrimen Dei vindicis esse opus. Sic discriminavit Deus agros Gessen, ubi erant Hebrei, ut non sentirent plagas, quas cæteris agris Aegypti infligebat Moses, Exod. viii, 22. Simile contigisse Græcis per merita et preces S. Francisci, in ejus Vita, cap. viii, commemorat S. Bonaventura. Cum enim lupi et grandines agros vastarent, S. Franciscus dixit ad indigenas: « Ad honorem et laudem omnipotentis Dei fidejubeo vobis, quod pestilentia hæc omnis abscedet, et respiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes, misereamini vestri, ut vestra confessione præmissa, dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuntio vobis quod, si beneficiis integrati ad vomitum conversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, majori in vos ira desæviet. Ab illa utique hora, pœnitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessaverunt clades. Imo quod majus est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. » Porro in Palæstina tantus est ardor et siccitas, ut, si desit pluvia, hominibus et bestiis siti pereundum sit. « In his locis, ait S. Hieronymus, præter parvos fontes omnes cisternarum aquæ sunt; et si imbres divina ira suspenderit, majus sitis quam famis periculum est. »

Quando hæc sterilitas Amos configerit ignoratur. Nam quod alii ad famem quæ contigit tempore Eliae, alii ad eam quæ tempore Elisæi, hæc referunt, non satis congrue id fieri videtur: nam illa siccitas et fames Eliæ, uti et illa Elisæi, fuit universalis et æqua omnibus, sine discriminatione nocentum et innocentum; hæc autem discriminabat noxios ab innoxiiis. Rursum illa Eliæ fuit trium annorum, Elisæi etiam diutina extitit; hæc vero Amos fuit trium duntaxat mensium, illorum scilicet, qui præibant messem. Cœpit ergo hæc siccitas in fine aprilis, quando incipere solebat in Judæa pluvia serotina, maxime necessaria. Hæc enim faciebat ut germina crescerent, et culmi evaderent in spicas, spicæque turgentes conciperent grana, et parerent triticum quod sine hac pluvia exaruisset, et in fronde sola, sine graniis et fructu desisiisset. Erat ergo hæc pluvia serotina in aprile, messis; sicut matutina in octobre, erat seminis, scilicet ad semina sataque riganda, ut radices figerent in terra. Ita S. Hieronymus.

Notent hic agrorum domini et coloni siccitatem

et sterilitatem agris immitti peculiari Dei providentia et vindicta. Cum ergo eam sentiunt, ad Deum per pœnitentiam precesque recurrent, uti faciunt coloni Hispani, qui tempore siccitatis publicas processiones et diverberationes agricolarum indicunt; itaque saepe pluviam a Deo reconciliato eliciunt, imo quasi vi facta extorquent.

Tropologice S. Gregorius, homil. 10 *in Ezech.*: Dominus, ait, pluit super unam civitatis partem, non super aliam, cum facit ut una pars populi prædicationis verbique Dei semina excipiat, non alia. Rursum pars una ejusdem agri compluitur, non alia, cum aliqui unum vitium edomant, non aliud, v. g. gulam, sed non iram; aut patientes sunt, sed avari remanent; aut casti sunt, sed superbi, etc.

Vers. 9 9. PERCUSSI VOS IN VENTO URENTE. — Tres hic nominat agrorum plagas, ventum urentem, auruginem, et erucam germina depascentem, quæ æque ut siccitas, sterilitatem et famem afferunt. Ventus urens, vel uredo, est Eurus aestuans, qui suo aestu, omnem succum aristarum et germinum dessiccat et adurit; vel Boreas, qui suo acerrimo frigore, nebula et pruina pariter segetes adurit et arefacit. Unde dicitur frigus urens. Audi Poetam :

Illigat æquoream immodi vi frigoris undam,
Et prata algenti mordet adusta gelu.

Ventus
urens
quis?

Quocirca Theodotion, Symmachus et Aquila vertunt ἀνεμοφθορίαν, id est corruptionem a vento, vel aerem corruptum; a Plinio lib. XVIII, cap. xxviii, vocatur carbunculus in vitibus, eo quod illæ ure-dinis quasi carbone exustæ videantur; in segetibus ab eodem vocatur rubigo, a rubore quem culmis indit; a Theophrasto lib. IV, dicitur aerugo, quod colorem quasi æneum segetibus afflet. Paganus et Vatablus vertunt, ariditas, ab effectu quem segeti inducit. Secunda plaga est aurugo, quæ proprie vitium est, et quasi morbus regius segetum, cum scilicet culmi ex nimio humore (unde hebraice vocatur יְרָקָן ierakan, quasi vi-rescens) marcescunt et pallescunt in modum auri vel aeris; unde et aerugo ac rubigo dicitur; marcidæ vero arescunt et evanescunt. Hinc a Theodotione vocatur ωχρίσις, id est pallor, ab Aquila, Symmacho, et Septuaginta, ἔκτροπος, id est morbus regius; hic enim color est in ictericis. Unde, vice versa, morbus regius vel ictericus, a Cornelio Celso et Apuleio vocatur aurugo, a colore auri quem in homine producit. Et quia idem color ex timore oritur, hinc Jerem. xxx, 6, dicitur: «Conversæ sunt universæ facies (Israelitarum ex nimio pavore) in auriginem. » Ubi nota: Ierakan, id est aurugo, vel aerugo, aut rubigo proprie oritur ex humore, quo marcescunt segetes; quia tamen idem color, eademque corruptio et arefactio segetum oritur ex uredine et aestu (licet Plinius loco citato contendat ex solo frigore oriri), hinc pariter uredo interdum vocatur aurugo, aerugo

et rubigo, ut paulo ante dixi. Tertia plaga est eruca, de qua dixi Joelis I, 4.

10. MISI IN VOS MORTEM IN VIA ÆGYPTI. — Quinta est hæc plaga, sed hominibus inficta, scilicet pestis, ut habent Hebræa et Chaldæus, quam Noster vocat « mortem », quia pestis certam mortem afferit. Adde hebræum בְּדַךְ deber, id est pestis, per catachresin significare famem, gladium, et quidquid instar pestis exitiale est et mortiferum.

Quæres, quænam et quando contigit hæc plaga? S. Hieronymus, Theodoreus, Rupertus, Hugo, Lyranus et alii putant contigisse Israelitis illis qui mittebantur ad Ægyptios, ut ab iis poscerent opem contra Assyrios; Vatablus et Arias, illis qui cum milite præsidario ibant in Ægyptum, ut ibi coemerent frumenta ad levandam famem Samariæ. Hos enim in itinere partim peste, partim a latronibus occisos, ac cadavera eorum insepulta et putida foetorem exhalasse, qui post longam priorum moram, aliorum in eorum locum submissorum nares offenderit. Verisimilius Ribera et a Castro hæc referunt ad cladem quam Joachaz rex Israel accepit a rege Syriæ, quæ tanta fuit, ut ex toto Israelis exercitu non superfuerint nisi quinquaginta equites, IV Reg. XIII, 7. Tunc enim partim aer corruptus et aestuans, partim ex tot cæsorum cadaveribus orta putredo, foetorem et pestem superstibus afflavit.

Dices: Hæc clades contigit in Samaria, non in via Ægypti. Respondeo: Verum id est; quocirca subintelligenda videtur more hebræo particula sicut, sicque vertendum cum Chaldæo: Misi in vos pestilentiam (Arabicus: Percussi vos febribus et malis insipientibus, incognitis) sicut in via Ægypti; scilicet cum in deserto patres vestros ex Ægypto tendentes in Chanaan, ob eorum murmura, peste aliisque plagiis punivi et occidi, v. g. cum misi serpentes ignitos, qui ardorem pestiferum morsu suo eis inferrent, Numer. XXI, 6. Adde forte hoc prælium et hanc stragem contigisse in via, qua ex Samaria tendebant in Ægyptum; sicut enim nunc strata et trita est via Romana, via Mediolanensis, via Parisina: sic tunc celebris et publica erat via Ægypti, ut patet Jerem. II, 18; Isaïæ X, 24; unde eam in tabulis chorographicis Terræ sanctæ depingit Adrichomius, et alii.

Denique per hebraismum בְּדַרְךְ bederech, id est in via, exponi potest per בְּדַרְךְ kederech, id est instar viæ, secundum viam, hoc est secundum rationem, modum et morem Ægypti, q. d. Puniam te peste ea ratione et acerbitate, qua punivi Ægyptios per Mosen; quinta enim plaga Ægypti fuit pestis adeo gravis, ut per eam occisi sint omnes equi, asini, cameli, omniaque animantia quæ erant in tota Ægypto, ut patet Exod. IX, 3, 6. Sic bederech, id est in via, accipitur pro kederech, id est secundum viam, id est morem, Isai. cap. X, 26: «Suscitabit, ait, super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in Petra Oreb, et virgam suam super mare, et leva-

bit eam in via Aegypti, » id est secundum viam Aegypti, hoc est secundum modum quo per virgam Mosis percussit Aegyptum, eique decem plaga inflixit, simili modo percutiet Sennacherib et Assyrios, per angelum occidens una nocte 185 millia in eorum castris.

USQUE AD CAPTIVITATEM (Chaldaeus et Septuaginta, cum captivitate) EQUORUM VESTRORUM. — Videtur, ut dixi, alludere ad tempora Joachaz, quando Israelitae a Syris ita attriti sunt, ut solum eis superessent quinquaginta equites, IV Reg. XIII.

ASCENDERE FECI PUTREDINEM. — Hebreum enim וְנַכְנֵבֶשׁ significat putredinem et foetorem; sed Septuaginta aliis punctis legentes וְנַכְנֵבֶשׁ id est in igne, vertunt: Adduxi in igne castra vestra. Ita Complutensia, licet Romana legant, eduxi.

Vers. 11. 11. SUBVERTI VOS. — Primo, per Teglathphala-sar regem Assyriorum, inquit Arias, qui cepit et evertit omnes urbes Israelis, una excepta Samaria, IV Reg. XV, 29; id enim factum est sub anno 52 Oziæ, sive Azariæ regis Juda, ut dicitur *ibid.* vers. 27. Amos autem cœpit prophetare anno 25 Oziæ, ut dixi in Proclamatio; facile ergo fieri potuit ut idem superstes sub anno 52 Oziæ, post cladem Israeli a Teglathphalasar illatam, hæc proloqueretur; Prophetæ enim per plurimos annos prophetarunt, ut Isaías annos 96, Jeremias annos 45, Daniel annos 76 (1).

Secundo, per Syros, qui tum alias, tum maxime tempore Joachaz, uti jam dixi, ita attriverunt Israel, ut pene everterint eum instar Sodomæ, paucis duntaxat evadentibus et reliquis. Id ita esse patet ex prophetia Jonæ, quæ refertur IV Reg. XIV, 26: « Vedit, ait, Dominus afflictionem Israel amaram nimis, et quod consumpti essent usque ad clausos carcere et extremos, et non esset qui

(1) Recte notat Sanctius: Hyperbolicus loquendi modus, qui a Scriptura sacra alienus non est. Neque enim ab igne coelesti conflagravit Samaria, civitatesque aliae Israelitides, et multi mortem effugerunt immissam a Deo, quod Sodomæ et Gomorræ non sunt consecuti. Est autem hæc proverbialis figura, qua grave aliquod infortunium sive supplicium significatur; proverbia autem in omni lingua sëpe sunt hyperbolica.

Attamen, juxta Rosenmuller, quemadmodum in calamitatibus quatuor superioribus, quibus Israelitas ad frugem revocare studuit Deus, verba communi interpretum consensu, uti sonant, sunt accipienda, ita sensus proprius et hoc loco retinendus. Vix dubium mihi quin respiciatur ad magnum aliquem terræ motum, quo isto tempore nonnullæ regni Israelitici regiones sunt vastatae. Addit Rosenmuller hic forsitan questionem esse de terræ motu de quo diserta mentio fit cap. I, 4; quod omnium minime cogitari potest, asserit Maurer. Ibi enim expresso verbo vates exstitisse Amos dicitur biennio ante terræ motum (illum qui incidit in Oziæ ætatem). Quid multa? sëpius accidunt in istis regionibus terræ motus. Respiciuntur, ut in his quæ præcesserunt, tempora superiora, inde ab initiis rerum Israeliticarum usque ad illud tempus præterlapsa, et quæ in illis acciderant mala omnia. Cæterum ad totum hunc qui a vers. 6 usque ad presentem versum decurrit locum, conferenda sunt quæ leguntur Deuter. cap. XXVII, 15-26; cap. XXVIII, 15-68.

auxiliaretur Israeli. Nec locutus est Dominus, ut deleret nomen Israel de sub cœlo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas, qui restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare Solitudinis. » Quod enim hæc prophetia Jonæ a tempora Joachaz maxime spectet, non ad alia aliorum regum, ut volunt aliqui, patet ex serie et gestis regum Israel. Nam Jehu, qui regnum Israel familiæ Achab ademit, et ad se transtulit, fuit bello potens et felix, sub eoque floruit regnum Israel. Successit ei Joachaz, sub quo a Syris attritum est, ut dixi. Joachaz successit filius Joas, cui Elisæus per trinam sagittæ percussionem prædicti trinam victoriam contra Syros, quam re ipsa Joas adeptus est, ut patet IV Reg. XIII, 18 et 25: sub Joas ergo floruit pariter regnum Israel. Joas successit filius Jeroboam, qui cœpit regnare ante Oziam regem Juda, et cum eo regnavit 14 ultimis vitæ sue annis, de quo prædicti Jonas, quod ipse restituet collapsum statum Israel cunctis diebus Joachaz, idque diserte ait Scriptura IV Reg. XIII, 22: « Igitur Hazael rex Syriæ afflxit Israel cunctis diebus Joachaz. »

Denique Albertus hæc accipit prophetice de futuro, q. d. « Subverti, » id est subvertam Israel per Salamanasar; hic enim anno sexto Ezechie cœpit Samariam, et regnum Israel plane evertit. Sic et Rupertus, qui accipit hæc de excidio Jerusalem, tum per Chaldaeos, tum per Titum et Romanos. Verum patet ex dictis hæc proprie pertinere ad Israel, id est ad decem tribus; posse tamen extendi ad Judam et Jerusalem non nego. Prophetæ enim qui Judæ prophetarunt directe, indirecte quoque respergerunt Israel, et vice versa. Rursum hæc non ad futurum, sed ad præteritum tempus spectare, patet ex eo quod subdit Amos: « Et non redistis ad me. Quapropter hæc faciam tibi, Israel. » Quod enim Rupertus respondet, hæc omnia præterita exponenda esse in actu inchoato, vel destinato, hoc modo: « Percussi, misi in vos mortem, subverti, » etc., hoc est, percutere, mittere in mortem, subvertere vos decrevi, et per Prophetas comminatus sum; sed tamen vos has minas non curastis, nec redistis ad me; quo circa hæc faciam tibi, Israel. Hæc, inquam, expositio dura et contorta videtur in tam multis præteritis, quæ omnia actionem realem, non destinationem, vel minas significant. Quapropter S. Hieronymus, Remigius, Lyranus, Clarius, Dionysius, Ribera, a Castro et alii passim hæc præterita proprie ut sonant accipiunt.

SICUT SUBVERTIT DEUS SODOMAM, — q. d. Sicut ego subverti Sodomam. Loquitur Deus more hebreo de se ipso in tertia persona, honoris causa, uti faciunt Germani. Sic dicitur Genes. XIX, 24: « Pluit Dominus a Domino sulphur et ignem super Sodomam, » id est pluit a se ipso: licet Eusebius, lib. V *Demonstr.* cap. XXIII, censeat Patrem hic loqui de Filio, q. d. Ego Pater subverti Israel, sicut Filius meus subvertit Sodomam. Sic multi ex-

ponunt illud *Genes. xix* : « Pluit Dominus a Domino, » q. d. Pluit Filius a Patre. Vide ibi dicta.

QUASI TORRIS, — q. d. Pene eversi et ad intercessionem consumpti estis, instar Sodomæ ; sed Deus miserens vestri, volensque servare reliquias seminis et gentis vestræ, manum suam hostesque cohibuit, et paucos hac clade eripuit, sicut ex incendio eripitur torris aliquis ambustus et fumigans.

Vers. 12. — **12. QUAPROPTER** (quia scilicet sex plagis jam reconsitis, puta fame, siccitate, vento urente, auragine, eruca, peste, quas tibi inflixi, non resipuisti, nec redisti ad me, sed iis instar Pharaonis magis obduristi) **HÆC FACIAM TIBI, ISRAEL**. — « Hæc, » scilicet, quæ initio capit is comminatus sum, nimirum : « Levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus, et projiciemini in Armon. » Ita a Castro. Verum hæc minora videntur plagis quas jam inflixit, dicens : « Subverti vos si-
c ut subvertit Deus Sodomam, » etc. Hic autem graviorem plagam se inflictum minatur, eo quod præteritas omnes contempserint. Quocirca nerviosius et efficacius alii : « Hæc, » inquiunt, scilicet dirissima et atrocissima quæ indignans mente concepi, nec eloqui præ horrore possum. Loquitur enim anthropopathos, et ad pathos per aposiopen-
sin verba minasque incidit, ut Virgilius, *Aeneid. I* :

Quos ego (scilicet acerrime puniam); sed (nunc) motos
præstat componere fluctus.

Ita solent Hebræi in juramentis, maxime comminatoriis et execratoriis, uti hac formula : « Hæc faciat mihi Deus, et hæc mihi addat, » nec exprimunt quænam sibi addi vel fieri imprecantur, quasi non audeant illa nominare præ timore et detestatione, utpote mala horrenda et atrocia. Simili euphemismo, id est bona ominatione, maledictionem et blasphemiam significant voce contraria, eamque vocant *benedictionem*, ut *Job II, 9*, et *III Reg. xxi, 10*.

POSTQUAM AUTEM HÆC (has atroces plagas quas mente concepi) **FECERO** (facere et infligere cœpero : significatur enim hic actus inchoatus) **TIBI, PRÆPARARE IN OCCURSUM DEI TUI, ISRAEL**, — q. d. Si præterite plaga tibi leves videntur, si hos contemnis satellites, si cum peditibus pugnare dedianaris ; en ego formans montes et creans ventos, etc., te invadam quasi eques cataphractus, vires exeram, hastas telaque mea omnia in te con torquebo : obfirma pectus, clypeum apta, oppone te mihi, mecum manus consere, ictum dexteræ meæ declina aut sustine, si potes. Est sarcasmus. Unde Symmachus et Aquila vertunt : *Cum hoc fecero, præparare ut adverseris Deo tuo*. Ita Albertus, Arias, a Castro, et Prado in *Ezechiel. cap. v, 8*.

Ita suo Jovi occurrit vecors C. Caligula imperator, qui iratus cœlo, quod turbidius suis pantomimis et spectaculis officeret, Jovem ad pugnam provocavit, imo ad duellum internecinum, illud Homeri exclamans : « Aut tolle me, aut ego te. »

Secundo, alii, iique plurimi contrarie hæc accipiunt, quasi Deus hic Israelem eversum, ne plane desperet, consoletur invitetur ut per pœnitentiam et conversionem se præparet ad Deum (Dei que clementiam et gratiam), præsertim post aliquot sæcula nasciturum in Bethlehem : eo enim censem assurgere Amos more propheticō. Unde in sequentibus Dei omnipotentiam et magnificientiam graphice describit, ne ejus in carne paupertatem et humilitatem despiciat Israel, uti fecit. Quocirca Septuaginta, Syrus et Arabicus uterque vertunt : *Verumtamen quia sic faciam, præparare ut invoces Deum tuum, Israel*. Et in sequentibus, pro annuntians homini eloquium suum, vertunt, annuntians in homines Christum suum ; et Chaldaeus : *Præpara, ait, te ut suscipias doctrinam legis Dei tui, Israel*, q. d. Præpara te, ut Deum carnem factum, in assumpta humanitate venientem toto mentis affectu excipias. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Vatablus et Lyranus, qui putant hanc prophetiam complendam in fine mundi : tunc enim omnis Israel convertetur ad Christum, et salvus fiet, ut ait Apostolus *Rom. xi*. Perperam ergo Theodoreetus hæc refert ad Cyrus, qui Judeos Babylone liberavit. Agitur enim hic non de Judæis, sed de Israelitis in Assyriam abductis, quos inde nec Cyrus, nec quis alias unquam liberavit. Prior sensus videtur litteralis et genuinus : posterior, quia plurimorum, probabilis et accommodus est, ac vel ut litteralis, vel ut mysticus admittendus est, uti mox ostendam ; ut sit antiphasis, q. d. Occurre et resiste Deo irato et vindici, si vales ; sed quia id non vales, occurre ei ut Salvatori humili et mansuelo, venienti in carnem ut te redimat et salvet. Aut, ut S. Hieronymus, q. d. « Feci ut te corrigerem quæ præteritus sermo descripsit : et quia noluisti reverti ad me, faciam tibi quæ meo continentur arcano. Occidisti seruos meos quos ad te miseram, mittam novissime Filium meum : tu autem juxta consuetudinem tuam, qua semper voluntati Dei restitisti, præpara te ut contradicas et adverseris Deo tuo, juxta illud quod scriptum est : Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur. Loquitur non præcipiendo, sed prædicendo, quasi arguens et increpans, ut saltem correptus non faciat quod prædictum est. » Huic sententiæ favet vox *postquam*, pro qua hebraice est *כִּי עָקֵב*, id est finis, vel merces : merces enim est finis operis et operantis. Unde ex Hebræo sic vertas, *in fine* ; vel, ut Aquila, *postea* ; vel, ut Theodotion, *novissime occurre ei*. In fine enim sæculorum incarnatus est Christus, et in fine mundi eidem occurret Israel. Aut sic : *Pro mercede*, qua ego te ut filium flagellavi, totque flagellis conatus sum te ad me reducere, pro hac, inquam, mea in te paterna cura, loco mercedis hoc saltem mihi da, ut, cum in carnem veniam, mihi occurras, meque ut tuum Messiam recipias. Unde Ecclesia in Officio Ecclesiastico hisce Amos .

verbis suos excitat, ut Christo occurrant. Causam subdit Propheta, immensam ejus majestatem et potestatem: « Quia, » inquit, ecce « ipse » est « formans montes, » etc. Quod tropologice exponens S. Hieronymus: « Excelsus, ait, in excelsis est Dominus, et non habitat in humilibus qui excelsus est; sed creator montium ascendit in montes, in his qui municipatum habent in cœlestibus, et in carne ambulantes non vivunt secundum carnem, sed secundum spiritum. » Septuaginta vertunt, *firmans tonitruum*, ne scilicet orbem conquasset, ut suo fragore minari videtur.

Vers. 13. 13. CREANS VENTUM (1). — Hebræum רוח ruach significat spiritum, animam, ventum. Unde primo Chaldæus, Septuaginta et S. Hieronymus in *Comment.* vertunt, *creans spiritum*, quod macedoniani hæretici negantes divinitatem Spiritus Sancti avide arripiebant, indeque probabant Spiritum Sanctum non esse Deum, sed creaturam Dei: quos refutant S. Athanasius, epistola ad *Serapionem*; S. Basilius, lib. III *Contra Eunomium*; S. Hieronymus hic, et S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. vii; non enim agitur hic de Spiritu Sancto et cœlesti, sed de spiritu sublunari et corporeo: jungitur enim nebulæ, montibus, etc. Secundo, S. Hieronymus, Rupertus et Remigius vertunt, *creans animam*; vel, ut Arias, *creans spiritus et animos militares*, id est, indens militibus audaciam et virtutem bellicam. Tertio, Arabicus Alexandrinus vertit: *Ego sum qui formavi tonitruum, et creavi spiritum*; Arabicus vero Antiochenus: *Et reduco in homines spiritum, halitum*.

Verum optime Noster et Tertullianus, lib. *Contra Hermog.* cap. xxxii, ac Clarius, Vatablus, Pagninus, aliique recentiores vertunt, « creans ventum. » Recte enim venti junguntur montibus, nebulis, etc., aliisque creatis sublunaribus, quæ cum homini obviæ sint et admirabiles, ostendunt ei Dei creatoris potentiam et magnificentiam, præsertim venti, qui, cum eorum natura sit invisibilis, et tamen sensibilis, origo incognita, motus item varius, sed status et pro loco ac tempore fixus, recte demonstrant se a Deo creari, regi, mutari ad ejus nutum. Unde Deus dicitur insidere et inequitare ventis, *Psalm. xvii*, 11: « Ascendit super Cherubim, et volavit: volavit super pennis ventorum. » Et ventus turbinis vehebat Deum sedentem in solio cherubico, *Ezech. i*, 4. Quocirca angeli comparantur ventis, *Psalm. ciii*, 4: « Qui facis angelos tuos spiritus (subtiles, celeres et fortes ut ventos);

(1) Sic necti potest hic versus cum præcedenti: Noli putare, addit Amos, facultatem Deo deesse ad effectum perducendi, quæ minatus est, si non eum placare studeas emendatione vitæ, et sic te præpares in occurrsum ejus; nam creator et rector est totius naturæ.

Et venti creator, rei montibus plane contrariae, observat Rosenmuller, qui cum sit tenuissimus et raræ substantiæ ac levissimus, mira tamen et incomparabilis potentia ac efficacia, ut robustissima quæque et alioqui firmissima dejiciat et prosterat.

et ministros tuos, ignem urentem. » Hinc et Deus dicitur ventos educere de thesauris suis, *Jerem. x*, 12, ac proinde ex iis Job, cap. xxviii, 25, ostendit Dei potentiam: « Qui, inquit, fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura. » Hinc et Sancti invitant ventos, ut opus magnificum Dei, ad laudandum Creatorem suum tam potentem, ut Psaltes, *Psalm. cxlviii*, 8: « Laudate Dominum de cœlis, etc. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus. » Nam, ut ait Seneca lib. V *Natur. Quæst. cap. xviii*, « inter cætera Providentiae opera, hoc quoque aliquis ut dignum admiratione suspexerit. Non enim ex una causa ventos aut invenit, aut per diversa dispositi. Primum, ut aera non sinerent pigescere, sed assidua vexatione utilè redderent, vitalemque terris. Deinde ut imbres terris subministrarent, iidemque nimios compescerent. Nam modo adducunt nubes, modo deducunt, ut per totum orbem pluviae dividi possent. In Italiam austri impellit, aquilo in Africam rejicit; etesiæ non patiuntur apud nos nubes consistere: iidem totam Indiam et Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant. » Et Plinius, lib. II, cap. xlvi: « Omnes venti vicibus suis spirant majori ex parte, aut ut contrarius desinenti incipiunt, etc. Sol et auget et comprimit flatus, auget exoriens occidentis que, comprimit meridianus aestivis temporibus. Itaque medio diei aut noctis plerumque sopluntur, quia aut nimio frigore aut aestu solvuntur, » etc.

ANNUNTIANS HOMINI ELOQUIUM SUUM. — Hebraice מה שיחו ma sicho, id est quænam sit meditatio, cogitatio, consilium, eloquium, opus suum; מישיכו siach enim significat meditationem, et rem meditatem, gravem et seriam, quam ore proloquimur et opere perficiimus: ita vertunt Aquila, Symmachus, Theodotion, Chaldæus et passim Hebrei. Soli Septuaginta, verbi similitudine et ambiguitate decepti, ait S. Hieronymus, nimur pro מה שיחו ma sicho, legentes מישיכו meschicho, id est Messiam vel Christum ejus, verterunt: *Annuntians in homines Christum suum*; per quem licet Theodotion accipiat Cyrum, omnes tamen alii accipiunt Christum Dominum. Ita S. Athanasius, lib. *De Fide unit. et Trinit.*; Didymus, lib. II *De Spiritu Sancto*; Tertullianus, loco citato; S. Basilius, lib. IV *Contra Eunomium*; S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. vii; S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit. II*; imo Concilium Sardicense apud Socratem, lib. II, cap. xx. Quarè non est credibile Septuaginta hic esse deceptos, sed consilio ita vertisse; vel quia in Codicibus Hebræis tunc erat duplex lectio, una meschicho, altera ma sicho; vel quia per ma sicho intellexerunt significari meschicho. Messias enim sive Christus est Patris meditatio, conceptio, dictio, eloquium et opus summum, immensum, increatuum ac divinum.

Est hic ergo duplex versio, est et duplex sensus; sed prior posteriori subordinatus. Prior: « Annuntians homini eloquium suum, » q. d.

Deus per Prophetas annuntiat hominibus sua consilia, decreta et eloquia. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo et Lyranus. Quocirca Syrus vertit : *Ostendens hominibus quid sit gloria (laus) sua; et Arabicus : Mittens laudantem (præcinentem) in hominibus.* Quis enim Dei consilia et gloriam agnitam non laudet?

Posset quoque verti, ait S. Hieronymus : *Annuntians homini eloquium ejus* (quia Hebræi idem habent pronomen reciprocum et absolutum. Nam per *vau cum cholen* significant tam *ejus quam suum*), q. d. Deus novit secretas hominis cogitationes, quid scilicet animo meditetur et destinat, imo illas ipsi, si bonæ sint vel indifferentes, ingredit et suggerit, easque ipsi per internam inspirationem, vel aliis per Prophetas enuntiare et eloqui potest. Ita Arias et Vatablus.

Posterior est : « Annuntians homini eloquium suum, » puta Christum, qui est unicus Patris conceptus, unicum verbum, quo omnia dicit, creat, mandat et gubernat : hoc enim Dei verbum et eloquium cætera omnia complectitur. Simile est *Deuter. cap. xviii, 18*, ubi Moses Prophetam, id est Prophetas alios post se a Deo dandos promittit; sed inter eos unum eximium et principem, qui antonomastice vocetur Propheta, puta Christus. Sensus ergo est, q. d. Deus Pater annuntiat per nos Prophetas, se ad homines missurum in carnem Verbum suum, ut hominibus ejus voluntatem, legem, salutem, gratiam et gloriam revelet, eamque illis reipsa conferat et impertiatur. Quocirca vos, o Israelitæ, huic Messia vestro venienti occurrite, in eum credite, sperate, illum amate, colite, sectamini; ipsi obedite : ita ipse vos ab ira Dei, a peccato, a morte, a gehennæ, ab omni hoste liberabit. Ipse vos Dei amicos, filios et hæredes, ac beatos in æternum efficiet. Solent enim Prophetæ omnium captivitatum et miseria rum finem et liberatorem statuere Christum. Unde cum multas clades multaque tristia prædixerunt, omnia hæc mitigant et dulcorant promittendo Christum : Christus enim est finis et scopus legis et Prophetarum. Confirmatur, quia pro *eloquium suum* Aquila vertit, τὸν ὄμιλαν αὐτοῦ; Symmachus, τὸ φῶνημα αὐτοῦ, Theodotion τὸν λόγον αὐτοῦ; id est *sermonem et verbum ejus*. Atque ex hoc loco et similibus videtur S. Joannes sumpsisse nomen λόγος, quo jugiter vocat Christum, dicens : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Ubi pro *Verbum*, græce est λόγος; non quod vocem λόγος; S. Joannes acceperit a Theodotione, qui duobus sæculis S. Joanne fuit posterior : sed quod Hebræum Τῷ siach idem sit quod λόγος, ideoque Theodotion vertit λόγος. Denique Theophanes Nicænus in *Symbolo novi et veteris Testamenti*, quem citat Turrianus, lib. II *De Hierarchiæ ordinibus*, cap. I, ex versione Septuaginta censem hic esse prophetiam de Transfiguratione Christi. Ecce, inquit Amos, *firmans tonitru* (id est *creans nu-*

bem, ex cuius collisu erumpit tonitru) *et creans spiritum, sive ventum, ex cuius verberatione, cum intentione significandi, existit vox de qua subdit : Et annuntians hominibus Christum suum, scilicet cum vox Patris de nube intonuit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ; ipsum audite, » Matth. xvii, 5.*

FACIENS MATUTINAM NEBULAM. — Ita proprie sonant Hebræa, quæ tamen alii varie vertunt. Primo, Septuaginta addentes et, vertunt : *Faciens mane et nebulam*; secundo, Pagninus : *Qui facit auroram et tenebras*, id est diem et noctem, læta et tristia; tertio, Tigurina : *Qui auroram facit caligine*; quarto, Clarius : *Qui facit auroram ex caligine*, id est ex tenebris noctis, ut scilicet nocti succedat aurora et dies; quinto, alii ex adverso : *Qui facit ex aurora caliginem*, id est diem mutat in noctem, prospера in adversa; sexto, Arabicus vertit : *Creavi abyssum primo, et ascendi super altitudinem terræ, et mittens laudantem (præcipientem) in hominibus*; septimo, mystice Chaldaeus : *Qui præparat lumen justis quasi lumen auroræ, et præparat tenebras impiis*. Porro matutina nebula ostendit magnam Dei potentiam et sapientiam. Primo, quia hæc nebula post noctes serenas subito in aurora producit per solem orientem, qui vapores et exhalationes e terra educens et elevans, iis quasi nebula tegit aerem. Secundo, quia mane nebula maxima est et latissima, velatque, vestit et ornat totum horizontem instar tapetis. Tertio, quia hæc nebula cingit et fasciat solem orientem, uti infans dum oritur et nascitur, fasciatur linteolis. Sic enim de prima nebula, primisque tenebris recens creatum mundum et mare involventibus, loquitur Job, cap. xxxviii, 9: « Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem. » Ubi auctor Catenæ : « Sicut, inquit, infanti panni sunt perquam commodi, sic etiam mari nubes ac nebulae. » Quarto, quia hæc nebula Deum, quasi cum sole mane orientem, velat, ut homines eum intueri nequeant : sed eum ut invisibilis suspiciant et revereantur. Sic Virgilius, lib. I *Aeneid.*, ait de Aenea et Achate heroibus :

At Venus obscuro gradientes aere sepsit,
Et multo nebulae circum Dea fudit amictu.

Quinto, quia hæc nebula est roscida et fecunda. Quinto. Producit enim manna et rorem, quo herbæ et sata irrorantur et impinguantur. Insuper, calorem et halitum vitalem terræ et terrestribus omnibus affert. Hinc experimur « nebulas nec æstate, nec maximo frigore existere : rores neque gelu, neque ardoribus, neque ventis, nisi serena nocte, » ait Plinius lib. II, cap. LX. Quocirca ex nebula Dei magnificentiam celebrat Jeremias cap. x, 13: « Elevat, ait, nebulas ab extremitatibus terræ. » Psalm. cxlvii, 16 : « Qui dat nivem sicut lanam : nebulam sicut cinerem spargit. » Eccl. xxiv, 6 : « Ego (Sapientia) sicut nebula texi omnem ter-

Nebula
commo-
da quin-
que.

ram. » Et cap. XLIII, 15 : Aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves. » Et cap. L, 6, de Simeone pontifice dicitur : « Quasi stella matutina in medio nebulæ. »

GRADIENS SUPER EXCELSA TERRÆ, — puta super montes altissimos, et petras rupesque hominibus invias et inaccessas, q. d. Deus omnia terrena, quantumvis celsa et inaccessa, majestate sua pervadit et transcendit, suaque providentia continet et gubernat, ita ut ventos et turbines ciere, nebulas hostibus suis superbis et impiis offundere, montes transferre, et in valles dejicere possit, q. d. Deus est qui montes, ventos, fulgura, tonitrua, omnesque res sublunares, æque ac cœlestes producit, temperat, regit. Unde omnes creaturæ sunt exercitus Dei, qui illi ad nutum obediunt, semperque ei præsto sunt, ut ad ejus nutum ferantur, ejusque inimicos et impios invadant et sternant. Ita S. Hieronymus, Albertus, Clarius et alii. Audi S. Hieronymum : « Præpara te, inquit, in occursum Dei tui, ut venientem ad te Dominum tota aviditate suscipias. Iste est qui firmat tonitruum, sive montes confirmat : ad cuius vocem cœlorum cardines, et terræ fundamenta quatiuntur. Iste est qui creat spiritum. » Quocirca Timæus Pythagoricus Deum vocat « mundum exemplarem. » Sicut enim mundus suo complexu omnia cingit et stringit, sic et Deus. Ipse enim est maxima universalisque natura, ubique præsens, omnia videns audiensque, cuncta continens, nullius vero ambitu contenta. Ipse est mundus increatus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum, causa, fons, creator et rector cæterorum omnium. Quocirca Egyptii, ait Eusebius, lib. III *De Præpar. Evangel.* cap. III, Deum, quem ipsi *Eneph* vocant, pingunt humana forma, colore cœruleo, zonam tenentem et sceptrum, ac pennam gerentem in capite, ovum insuper ab ore producentem. Testa enim ovi, cœli omnia cingentis imaginem exhibet : vitellus, ignis : spiritus qui sunt in ovo, aeris : albumen, aquæ : terræ porro symbolum sunt partes magis concretæ. Addit Eusebius aliud Dei hieroglyphi-

cum. Illud est, homo complicatos habens pedes, vescem talarem, eamque auream, pilam capite sustinens, quo mundi forma, immobilis constitutio, rotunditas, et stellarum varietas significatur, eaque omnia regi a Deo sustentarique, et in Dei cognitionem mentes hominum perducere. Nam ex ventis, nebulis, montibus aliisque creatis Deus agnoscitur, quasi ex ungue leo, quasi ex linea Apelles, quasi ex voce choraulis, quasi ex carmine poeta. Unde S. Augustinus, *epist. 28*, docet mundum hunc esse Dei carmen et canticum. « Si homo, inquit, carminis artifex novit quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur succendentibus ac decedentibus sonis, pulcherrime currat ac transeat : quanto magis Deus, nulla in naturis nascentibus et occidentibus temporum spatia, quæ tanquam syllabæ ac verba ad particulas hujus sæculi pertinent, in hoc labentium rerum quasi mirabili cantico, vel brevius, vel productius quam modulatio præcognita et præfinita deposita, præterire permittit ? » Insuper S. Dionysius, *Cœlest. Hierarch.* cap. xv, docet Deum designari per ventum, propter naturalem vim movendi atque animandi, et celarem insuperabilemque discessum, ac nobilium principiorum et finium incognitas et invisibilis latebras. Pari modo, Eusebius, loco citato, docet *Tertium. Agyptios*, ut Dei providentiam significant, pinxisse solem radiis circumfusum in navi, quæ aduerso flumine rapiebatur remis velisque incitata, ac deportabatur a substernente se crocodilo. Sic enim Deus quasi gubernator regit hanc mundi navim, omniaque in eo animalia et inanima, quantumvis fera, horrenda et vasta, edomat ac regit. Rursum Deus princeps temporum est quasi sol, qui, ut ait Lucanus lib. XII :

Tempora dividit ævi,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.

Denique S. Paulinus, *Natali 9 S. Felicis* :

Est naturæ opifex Deus omnis et artis, in omni
Fons opere, et finis, faciens bona, factaque servans.

Hiero-
glyphi-
cum Dei.
Primum.

Secun-
dum.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædict et plangit Samariae vastitatem extremam et æternam, infligendam a Deo terribili, qui facit Arcturum et Orionem, ac subridet vastitatem super robustum, ob ejus scelera, præsertim ob rapinas et oppressiones pauperum. Deinde, vers. 14, hortatur eam ad penitentiam. Nam, vers. 21, asserit se ejus victimas et cæremonias externas non curare, imo detestari (1).

1. Audite verbum istud, quod ego levo super vos planetum : Domus Israel cecidit, et non adjicet ut resurgat. 2. Virgo Israel projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam. 3. Quia hæc dicit Dominus Deus : Urbs de qua egrediebantur mille, relinquuntur in ea centum : et de qua egrediebantur centum, relinquuntur in ea decem in domo Israel. 4. Quia hæc dicit Dominus domui Israel : Quærite me, et vivetis. 5. Et nolite quærere Bethel, et in Galgalam nolite intrare, et in Bersabee non transibitis : quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis. 6. Quærite Dominum, et vivite : ne forte comburatur ut ignis domus Joseph, et devorabit, et non erit qui extinguat Bethel. 7. Qui convertitis in absinthium judicium, et justitiam in terra relinquitis. 8. Facientem Arcturum et Orionem, et convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem : qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen est ejus. 9. Qui subridet vastitatem super robustum, et depopulationem super potentem affert. 10. Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt. 11. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo : domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabis in eis : vineas plantabis amantissimas, et non bibetis vinum earum. 12. Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra : hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in porta. 13. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. 14. Quærите bonum, et non malum, ut vivatis : et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis. 15. Odite malum, et diligite bonum, et constituite in porta judicium : si forte misereatur Dominus Deus exercituum reliquii Joseph. 16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator : in omnibus plateis planctus ; et in cunctis, quæ foris sunt, dicetur : Væ, vœ! et vocabunt agricolam ad luctum, et ad planctum eos qui sciunt plangere. 17. Et in omnibus vineis erit planctus : quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus. 18. Vœ desiderantibus diem Domini ! ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, et non lux. 19. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber. 20. Numquid non tenebræ dies Domini, et non lux : et caligo, et non splendor in ea? 21. Odi et projeci festivitates vestras : et non capiam odorem cœtum vestrorum. 22. Quod si obtuleritis mihi holocausta, et munera vestra non suscipiam : et vota pinguium vestrorum non respiciam. 23. Aufer a me tumultum carminum tuorum : et cantica lyræ tuæ non audiam. 24. Et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis. 25. Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? 26. Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. 27. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen ejus.

(1) Sermo iste tertius continet admixtas adhortationi et exprobrationi prædictiones.

PRIMO, prædictit summarie Prophetæ, primo, ultimum

Israelis excidium, 1, 2; secundo, paucitatem reliquiarum futuram, 3.

SECUNDO, hortatur ad resipiscentiam, si quo modo etiam

Vers. 1. 1. **AUDITE VERBUM ISTUD, QUOD EGO LEVO SUPER VOS** (*Chaldæus et Septuaginta, assumo contra vos*) **PLANCTUM.** — Est apposito, q. d. Audite verbum, id est planctum et lamentum, sive lugubre carmen quod ego pango et plango de instante excidio vestro, o cives Samariæ. Unde Tigurina clare vertit: *Audite sermonem istum, o domus Israel, quem de vobis sumo, lugubre scilicet carmen;* alii: *Audite verbum quod ego levo super vos in planctum et lamentum.* Propheta ergo prævidens suorum cladem, commiserans et ingemiscens edit hoc lugubre carmen, quo publice miseram Samariæ sortem jam imminentem deplorat. Simile carmen et lamentum de Tyro, ejusque rege et civibus excisis canit Ezechiel cap. xxvii, 2, et de Ægypto ac Pharaone eversis, cap. xxxii, 2, ac de Babylone et Balsasare a Cyro vastatis Isaias cap. xiv, 4, ac de Hierosolymæ excidio Jeremias in *Threnis*. Porro lugubre hoc carmen, et quasi epitaphium Samariæ est id, quod mox subdit Propheta dicens: « *Domus Israel cecidit,* » etc.

DOMUS ISRAEL CECIDIT. — Ita et Septuaginta, S. Hieronymus in *Comment.*, Remigius, Lyranus et alii. Licet enim hebræum בֵּית beth, id est domus, sit masculinum; נָפְלָה naphela vero, id est cecidit, sit femininum, tamen in re et sensu est concordantia: nam per beth, id est domum Israel, intelligit נָדָע eda, id est synagogam et congregationem populi, quæ est feminini generis, et recte concordat cum feminino naphela, id est cecidit. Comparat enim hic domum, id est populum Israel, feminæ, puta virgini afflictæ et prostratæ; immerito ergo Massoretæ et Chaldæus Hebræa aliter dispungentes, nimirum ponentes hypocolon post τὸ domus Israel, ita legunt: *Audite verbum istud, quod ego levo super vos, planctum domus Israel: Cecidit, et non adjiciet ut resurgat virgo Israel.* Sed quomodocumque dispungas et legas, eodemredit sensus.

CECIDIT, — id est cadet prostrata in terra sua ab Assyriis Samaria, ejusque regnum, adeo ut nunquam resurgat et reflorescat. Decem enim

jam latam sententiam avertere queant, *primo*, evocans Israelem ad Deum, rerum omnium conditorum potentissimum, 4, 6, 8, 9; *secundo*, avocans eos ab idololatria, vers. 5, 6.

TERTIO, causam reddit, cur excidium regno Israel præter idololatriam sit timendum, et alia exprobrat crimina, qualia erant, *primo*, violatio justitiæ et contemptus Dei, 7; *secundo*, aversio a prophetis, meliora consulentibus, 10; *tertio*, oppressio pauperum et acceptio munerum, 11-13.

QUARTO, repetit adhortationem jam positam ad vitandum malum, et faciendum bonum, maxime in administranda justitia, 14, 15; sed cum ex moribus eorum aliud deprehendat, quam ut de obedientia certa spes concipi possit, rursus prædictit excidium explicatus, *primo*, per universalitatem tum hominum, tum locorum, 16, 17; *secundo*, per frustrationem mediorum in vanum adhibitorum, 18-20; *tertio*, per ultionem divinam sacrificiis haud placabilem, 21-23; *quarto*, per commensurationem vindictæ cum præsentibus et præteritis delictis, 24-26; *quinto*, per translationem captivitatis, 27.

tribus, quarum fuit hoc regnum, abductæ in Assyriam, nunquam inde redierunt.

2. VIRGO ISRAEL. — Solent Hebræi urbes et regna, ob speciem, opes et gloriam vocare *virgines*. Hinc Jerusalem vocatur « *virgo filia Sion,* » et de Babylone ait Isaias cap. xlvi, 1: « *Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon.* » Sic Ægyptus vocatur « *virgo* » et « *filia,* » *Jerem.* cap. xlvi, 11. Virgo ergo Israel est Samaria, ejusque regnum speciosum et opimum, quod defloratum et vastatum ab Assyriis, simile fuit virginis regiae olim ornatæ, nunc spoliatæ, violatæ, prostratæ et conculetæ. *Secundo*, vocatur « *virgo,* » quia intacta a jugo hostis: nunquam enim antea Samaria ab Assyriis, aliisve gentibus subacta fuerat; sed ejus regnum et respublica instar virginis liberum et illibatum efflorescebat. Ita Ruffinus, Clarius et Arias.

Addunt S. Hieronymus et Theodoretus, Samariam olim fuisse virginem, id est puram in cultu Dei, cum in suis patribus Deum verum coluit. Sed hoc accipi debet de priscis patribus, qui schisma, quo divisum et erectum est regnum Israel, præcesserunt. Nam cum schismate, adeoque cum regno Israel coepit ejus impietas et idololatria vitulorum aureorum, quos erexit primus Israelis rex Jeroboam.

PROJECTA EST IN TERRAM SUAM. — Hebraice נִתְשַׁחֲתָה nitteshat, quod Tigurina vertit: *Afflita est ad terram suam;* Vatablus: *Derelinquetur in terra sua;* Pagninus et alii proprie: *Dimissa est in terra sua*, q. d. Cecidit virgo Israel, tamque valido ictu ab Assyriis prostrata est, non qualitercumque, sed usque in imam terram, ut jaceat humili toto corpore prona, plane afflata, projecta est quasi desperata, ab omnibus derelicta dimissaque, sine ulla ope et spe resurgendi: quia nec ipsa, utpote conquassata et confracta, se erigere poterit; nec rex Ægypti, ait Theodoretus, aut quis alius: tanta est ejus clades, adeo atrita, membris luxata, et diffracta est, ut nemo eam sibi restituere possit; perinde ac olla testacea allisa ad petram, dissilit et diffingitur, ut a nullo figulo redintegri queat. Unde sequitur:

NON EST QUI SUSCITET EAM. — Alludit ad medicos, qui videntes quem ex turri lapsum et omnibus membris confractum, ut curari et sibi restitui nequeat, eum ut desperatum et humili jacentem dimittunt et derelinquent. Physice alludit ad virginem, quæ si lapsa et corrupta libidine virginitatem amisit, suscitar nequit, ut decus virginitatis recuperet. Unde S. Hieronymus ad Eustochium, *De Custodia virginitatis*: « *Cave, inquit, quæso, nequando de te dicat Deus: Virgo Israel cecidit, et non est qui suscitet eam.*

Audenter loquar. Cum omnia possit Deus, suscitere virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de poena, sed non vult coronare corruptam. » Rursum τὸ suam, auget cladem et movet commiserationem, q. d. Projecta est, et afflita in terra, non

aliena et hostili, quod minus mirum et miserandum est; sed in sua, quam unice amabat, et a qua vicissim quasi a matre et nutrice amabatur et alebatur: sicut res miseranda est, si filia occidatur in sinu matris.

Vers. 3.

3. URBS DE QUA EGREDIEBANTUR MILLE, RELINQUENTUR IN EA CENTUM, — q. d. Tot cladibus afflentur Israelitae ab Assyriis, tum in obsidione triennali Samariæ, IV Regum, cap. xviii, 10; tum ante et post eam, ut gladio, fame et peste plerique omnes absumantur, ita ut mille redigantur ad centum, et centum ad decem, adeoque ex tanto Israelitarum numero vix decimus quisque tante stragi superstes sit. Ita Remigius, Hugo, Arias et alii. Idem Judæ comminatur Isaías, cap. vi, 11: «Et dixi, ait: Usquequo, Domine? Et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, etc. Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, » id est rursum erit in deprædationem et ostensionem, ut ibidem explicat S. Hieronymus.

Tropologice ex Origene, homil. 8 in Josue, Riga, de fabrica et ruina animæ. Urbs, ait, est cujusque anima, quæ aedificatur a Domino ex lapidibus vivis, id est ex virutibus variis, de qua quisque sanctus pugnando ejicit peccatores, id est cogitationes et cupiditates pravas: ac contra eas sanctificat bellum, hoc est, iis sancto sui odio mortificatis, sanctum se efficit corpore et spiritu, ut mereatur venire in conspectum Dei viventis, et pro palma victoriæ virtutis merito coronari a Christo. Egrediebantur olim ex anima hac fervida, quæ Deo adhærebantur, mille, id est omnium virtutum opera, quasi milites strenui cum diabolo et vitiis pugnaturi: at postea cum cupiditate rerum terrenarum capta, fervorem hunc remittit, profert centum, numerum decuplo minorem; et si prius centum educebat, decem in ea relinquuntur: quia haec remissio et declinatio animæ, non unius alicujus, sed omnium virtutum opera minuit, et omnibus modis efficit imperfectiora, idque sensim magis et magis, ut tandem plane ab iis casset, totaque a dæmone et vitiis opprimatur et possideatur, itaque in extremam ruinam et interitum abeat.

IN DOMO ISRAEL. — Domum vocat familiam, id est rempublicam et Synagogam Israel, in qua multæ erant urbes, oppida et pagi.

4. QUIA HEC DICIT DOMINUS etc.: QUÆRITE ME, ET VIVETIS. — Quia ponitur pro igitur, q. d. Hoc quod jam dictum est, accidet domui Israel propter idolatriam: agite igitur pœnitentiam, relinquite idola, et quærите Dominum. Nam hebræum קְרִבָּה, id est quia, ponitur pro igitur, quocirca, vel verum enim vero: ki enim Hebreis sepe tantum est initium et exordium orationis. Post minas enim Deus hic invitat Israelem ad pœnitentiam, ut minus territus resipiscat. Paulo aliter Vatablus; nam pro quia, vertit, sic enim dixit Dominus (quærite me) volens scilicet revocare ab idolatria, propter quam multa mala illi eventura

erant, nisi resipisceret et quæreret Dominum.

5. NOLITE QUÆRERE BETHEL, — ut colatis vitulos aureos, quos in Bethel erexit Jeroboam.

ET IN BERSABEE NON TRANSIBITIS. — « Bersabee » urbs erat ultima Terræ sanctæ, ejusque terminus ad meridiem, sicut Dan erat ejusdem terminus ad septentrionem (unde de tota terra sancta dicitur: « A Dan usque ad Bersabee »); ita dicta a juramento et foedere quod ibidem juxta puteum Abraham iniit cum Abimelech, dando ei septem agnas: בֵּרֶשׁ beer enim hebraice est puteus; יַעֲשֵׂה saba per scīn juramentum, per scīn septem significat. « Bersabee » ergo idem est quod puteus juramenti, vel puteus septem, scilicet agnarum. Vide dicta Genes. xxi, 31.

Pertinebat hæc urbs ad tribum Simeonis, sed quia Simeonis sors erat exigua, eaque intra sortem tribus Judæ continebatur, hinc Josue, cap. xiv, 28, Bersabee ponitur inter urbes Juda. Hic multo tempore habitarunt Abraham, Isaac et Jacob: unde et vocatur oppidum Isaac. Tempore S. Hieronymi erat vicus grandis, in eoque erat praesidium Romanorum, et Vicus salutaris vocabatur: nunc Gibellina nuncupatur. Ita Adriachomius in Descript. Terræ sanctæ. Porro in Bersabee posita erant idola, æque ac in Bethel et Galgalis, ut patet IV Reg. cap. xxiii, 8. Unde jubet hic Prophetæ ne eo transeant, ad colenda scilicet idola. Quia enim Abraham in Bersabee oratorium Deo statuerat, in quo eum invocaverat, Genes. cap. xxi, 33, hinc posteri ejus ibidem altare stauerunt, at non Deo, sed suis idolis. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius, Hugo, Lyranus et alii. Unus Arias aliter explicat, q. d. Ne colatis idola in Bethel et Galgalis: ita fiet, ut non abducamini in captivitatem, nec per Bersabee transeatis in Assyriam. Verum sic potius dixisset: Et in Dan non transibitis. Nam per Dan, utpote aquilonarem, ibatur in Assyriam; per Bersabee vero, utpote meridionalem, ibatur in Egyptum.

QUIA GALGALA CAPTIVA DUCETUR. — « Galgala » erat civitas duarum tribuum, puta sortis Juda; sed vicina decem tribubus, et cum iis excisa. In Hebreo est elegans agnominatio: Galgal galigale, id est volubilitas volvendo volvetur, vel rota rotando rotabitur, vel migratio migrando migrabit; Galgal enim dicitur a גַּל gal, id est volvit, devolvit, migravit. Unde Tigurina vertit: Galgal transmigrans transmigrabit; Pagninus: Gilgal demigrando demigrabit.

ET BETHEL ERIT INUTILIS. — Septuaginta et Syrus: Bethel erit quasi non sit; Hebreus: Bethel erit in Aven, q. d. Bethel fiet Bethaven, id est domus fortis fiet domus vanitatis, inanitatis (inanis et vacua, ut vertit Arabicus) et nihili, vel domus Dei fiet domus iniquitatis, et doloris luctusque.

Tropologice, per peccatum anima quæ erat Bethel, id est domus et templum Dei, fit Bethaven, id est domus scelerum et diaboli. Rursum domus cœli fit domus gehennæ, ut in ea ardeat in

aeternum. Hoc videt et sentit anima peccatrix in hora mortis, quando opes, honores et deliciae, quibus illecta Deum offendit, vertentur ei in nau-seam, opprobrium, miseriam, et tormentum aeternum.

Vers. 6. **6. QUÆRITE DOMINUM, ET VIVITE,** — id est, et vivetis, vel ut vivatis. Ita Vatablus et Pagninus.

NE FORTE COMBURATUR (id est ardeat et desflagret) **UT IGNIS DOMUS JOSEPH, ET DEVORABIT** (vicina), **ET NON ERIT QUI EXTINGUAT BETHEL,** — hoc est, ignem immissum a Deo in Bethel, ut patet ex Hebraeo et Graeco. Pagninus et Vatablus vertunt: *Ne forte diffindat ut ignis domum Joseph: diffindat, inquit Vatablus, id est perrumpat et disperdat. Ignis enim validissima quæque perrumpit et consumit. Per Joseph intelligit Ephraim, qui fuit filius Joseph; per Ephraim autem intelligit decem tribus: quia Jeroboam primus earum rex, et regni conditor, fuit ex tribu Ephraim.* Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo et Vatablus. Israel ergo nunc vocatur Ephraim, nunc Joseph, nunc Jacob, nunc Samaria.

Vers. 7. **7. QUI CONVERTITIS IN ABSINTHIUM JUDICIUM.** — Cohererent hæc cum initio versus precedentis, q. d. Quærite Dominum vos, o Israelitæ, qui ab eo aversi convertitis judicium, ejusque suavitatem et dulcedinem in absinthii amaritudinem. Ita Rupertus. Alter Vatablus; connectit enim hæc cum verbo *devorabit*, q. d. Ignis hic devorabit vos qui convertitis judicium in absinthium. Jam « *judicium* » primo, accipe proprie dictum. Sæpe enim Prophetæ culpant Israelem, quod perverteret judicium adjudicando causam nocentibus, utpote amicis, vel divitibus et dantibus munera; atque innocentes, quia pauperes vel inimici, condemnando, quibus proinde æquitas et consolatio, quam quærebant ex judicio, vertebar in amaritudinem injustitiae et condemnationis, quæ illis acerba et amara erat instar absinthii. Ita Rupertus, Hugo et Lyranus. Unde explicando subdit Amos: « *Et justitiam in terra relinquitis;* » Tigurina: *Justitiam in terra affligitis;* Vatablus: *In terra jacere sinitis.*

Secundo, S. Hieronymus, « *judicium* » generaliter accipit pro justitia et sanctitate, puta pro debito et officio virtutis, quod quisque Deo et proximo præstare debet. Sic sæpe Psaltes, *Psalm. cxviii*, ait se fecisse judicium, id est quod æquum est, debitum et gratum Deo, q. d. Vos qui convertitis virtutem in vitium, justam et sanctam vitam in peccati amaritudinem, eaque quasi absinthio potatis Deum. Hinc peccata in Scriptura vocantur *amaritudines*, quia amaricant, exacerbant, offendunt et ad iram concitant Deum. Ita ait Ossee cap. XII, 14: « *Ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus suis.* » Rursum peccatum per catachresin vocatur, fel, toxicum, absinthium: *primo*, quia animam vellit, cat, lædit, occidit; *secundo*, quia qui peccat, Deo quasi fel propinat; *tertio*, quia modicum mel et

voluptas peccati aeternum fel et dolores amarissimos peccatori accersit. Hinc ait Moses *Deuter. cap. xxxii*, 32: « *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* » Et S. Petrus ad Simonem Magum, *Acto. cap. viii*, 23: « *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.* »

Huc pertinet expositio Ariæ, qui per judicium accepit legem Dei. Hæc enim *Psalm. cxviii*, et alibi sæpe vocatur *judicium*, quia secundum eam judicandum est quid sit bonum, quid malum, q. d. Vos legem Dei, quæ suavior est melle et favo, *Psalm. xviii*, 11, ob vestras pravas concupiscentias et consuetudines, abominamini; quia æstimatis eam amaram ut absinthium, illamque ut talem apud alios depingitis et traducitis, itaque eos ab illa ad scelera vestra abducitis.

Tertio, Septuaginta hæc referunt ad Deum; sic enim vertunt: *Quærite Dominum, et vivite, etc., qui facit in excelso judicium, et justitiam in terra posuit*, q. d. Quærite Deum, timentes justum æque ac rigidum ejus, utpote acerrimi vindicis, judicium. Et Arabicus: *Dominus faciens judicium in altissimis, et ipse est qui fundavit justitiam in terra, et operatur omne, et parat illud.*

Et **JUSTITIAM IN TERRA RELINQUITIS.** — **Justitia** idem est quod *judicium*, de quo jam dixi: Hebrei enim versu posteriore explicant priorem. Alter S. Hieronymus, Lyranus et Ribera. Hi enim per *justitiam* accipiunt Deum, qui est *justitia essentialis et increata*, q. d. Vos adoratis injusta et sordida idola; *relinquitis vero, imo in terra quasi jacentem contemnitis et conculcatis ipsam justitiam*, id est Deum *justissimum et omnipotentem, utpote facientem Arcturum et Orionem,* etc.; unde et Chaldæus vertit: *Desierunt timere a facie Domini, qui facit Arcturum, etc.* Sed prior sensus, uti simplicior et communior, ita germanior est.

8. **FACIENTEM ARCTURUM.** — Ribera ex Remigio Vers. 8. hæc connectit cum verbo *relinquitis*: illud enim hic repetit, q. d. Relinquitis jusitiam, quin et ipsum Deum facientem Arcturum. Unde Syrus vertit: *Derelicherunt illum qui facit Arcturum et Orionem.* Rursum plane hæc referas ad vers. 6: « *Quærite Dominum,* » q. d. Quærite Deum creatorem, gubernatorem, judicem et vindicem, æque ac remuneratorem omnium, utpote qui facit Arcturum, Orionem, etc., cætera enim hic intermedia, quasi per parenthesim interjiciuntur. Sensus est, q. d. Quærite Deum, non idola: solus enim Deus creat, gubernat, judicat, vindicat, præmiat universa, non idola; unde Septuaginta vertunt: *Qui facit omnia et transformat.* Ita S. Hieronymus, Vatablus et Lyranus. Quocirca si illum quæsieritis, vivetis etiam in mediis periculis et hostibus, securi et incolumes: ille enim potens est dare suis vitam, salutem et omne bonum: sin autem moriemini,

Pecca-tum est
absin-thium,
cur?

et ab hoste Assyrio exscindemini : Deus enim immittet ignem in domum Joseph, ut dixi versu 6; ipse enim facit Arcturum, Orionem, cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt et fiunt.

ARCTURUM. — Ita hebræum כִּימָה *kima* Arcturum vertunt Septuaginta, Job. cap. IX, 9, Pagninus, Vatablus, Arias hic. Secundo, Symmachus et Theodotion vertunt, *Pleiadas*, sive *Vergilius*, quæ sunt septem stellæ in cauda Arietis, aut potius in Tauro; et ita vertit Noster, Job cap. XXXVIII, 31. Tertio, Tigurina vertit, *Cynosuram*, id est ursam minorem. Quarto, Arabicus et alii vertunt, *succulas*, quæ sunt in capite Tauri, et a Græcis vocantur Hyadæ ab ὡρᾳ, id est *pluere*, eo quod pluvias concidunt. Alii aliter vertunt: Hebræa enim nomina arborum, animalium, stellarum plures earum *Arcturus* species significant. Porro *Arcturus* est ursa minor quis? puta septem stellæ quæ sitæ sunt juxta polum Arcticum, ideoque circa eas volvitur axis cœli, nobisque semper apparent et nunquam occidunt, inquit Albertus. Verius *Arcturus* est stella ingens in sidere Bootæ, sive bubulci post caudam majoris ursæ, indeque vocatur *Arcturus*, q. d. Ursæ cauda: ἄρκτος enim est ursa, ῥάξ cauda. Oritur *Arcturus* die 5 septembri, ait Columella lib. II, cap. IV, suoque ortu, æque ac occasu, grandines et procellas ingentes concitat, ait Plinius, lib. II, cap. XXXIX. Unde Virgilius, I *Aeneid.* :

Unde imber, et ignes,
Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones.

Et Horatius, lib. III Carm.:

Stella micans radiis Arcturus nomine claro.

Et Cicero, lib. II De Natura deorum, ait eam sitam subter præcordia Bootis, qui et *Arctophylax*, id est custos ursæ dicitur, quia eam sequitur quasi custos. Unde Cicero *ibid.*:

Arctophylax vulgo qui dicitur esse *Bootes*,
Quod quasi temone adjunctam præ se quatit Arctum.

Et Ovidius, III Fastor.:

Sive est *Arctophylax*, sive est piger ille *Bootes*.

Horum omnium situs clare patet insipienti globo astronomico: in eo pingitur *Arcturus* ut clara stella inter femora Bootis, sive *Arctophylaxis*, qui sequitur ursam majorem, sive *plastrum*, ut vulgus vocat, eo quod septem ejus stellæ formam *plaustri* vel *currus* exhibeant. Porro *Arcturus* acer est et vehemens in ciendis procellis. Unde Plautus in *Rudent.*:

Arcturus signum sum omnium quam acerrimum:
Vehemens sum exoriens, occidens vehementior.

Quocirca Plinius vim ordinariam majorem et quasi divinam in concitandis tempestatibus in Arcturo agnoscit, lib. XVIII, cap. XXVIII. Et hoc innuit hic Propheta dicens: Deus est « qui facit Arcturum, » hoc est, qui vim tantam jaculandi nim-

bos, grandines, fulgetra ei indit, quantam quotannis cernimus et experimur. Jampridem enim Deus fecit, id est creavit, Acturum, puta ab origine mundi: quare Propheta cum ait hic, « facientem Arcturum, » in præsenti, non videtur de præterita ejus creatione loqui.

ET ORIONEM. — Sic et Syrus et alii passim. Arabicus vero vertit, *Geminus*. *Orion* sidus est meridionale ante taurum constans 28 stellis, et pingitur in globo astronomico quasi vir pede insitens lepori, inter Hyades et *Syrium*, sive canem majorem. Dictus est græce *Orion*, ἀπὸ τοῦ ὄπιστον, id est turbare, eo quod ejus ortu oritur pariter hiems, et quia oriens nimbis et procellis aerem terraque turbat. Inde hebraice dicitur כְּסֵיל *kesil*, id est inconstans, eo quod inconstans sit in micando, et inconstantiam auræ, puta serenitatis et tempestatis adducat: nascitur nono mense, puta novembri, qui inde hebraice dicitur *kasleu*. In novembri enim magna est cœli inconstantia et intemperies, quam significat et inducit *kesil*, id est *Orion*. Unde Virgilius, I *Aeneid.* :

Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion.

Hinc Poetæ fabulati sunt *Orionem* vel *Urinem* filium esse Neptuni, itaque dictum ab urina Jovis. Plautus *Jugulam* vocat, quod sit quasi armorum gladius, stellarum fulgore (unde Noster, Isaiae cap. XIII, 10, hebraeum *kesil* vertit, *splendor*) terribilis. Idcirco ab Ovidio, lib. IV *Fastor.*, *Orion* vocatur *ensifer*. Hic si fulget, serenitatem; si obscuratur, tempestatem denotat. Quocirca Horatius, lib. I *Carm.*:

Notus, inquit, devexi rapidus comes Orionis.

Devexum vocat, quia in devixa cœli parte, id est in occasu positus: comitem vero ejus *Notum* facit, quia tempestatem et ventos secum fert *Orion*.

Sub Arcturo et *Orione* per synecdochen, reliquas stellas et astra omnia accipe. Unde Symmachus pro *Orione* vertit, *stellas*; Theodotion, *vesperum*, qui secum stellas omnes abducit, ut idem hic dicatur quod Psalm. CXLVI, 4: « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat. » Quamobrem Septuaginta hic vertunt: *Omnia faciens et fabricans*.

Quæres, cur hæc duo astra præ cæteris nominet Propheta? Respondet primo S. Hieronymus, quia hæc duo sunt celebriora et nobis notiora; secundo, quia grandines, procellæ, etc., ab horridis sideribus exeunt, velut Arcturo, *Orione* et *Hædis*, ait Plinius lib. XVIII, cap. XXVIII. Hæc ergo sidera cœntia tempestates, iræ Dei sunt symbola: iram autem et vindictam hic Israelitis minatur Deus; ita Ribera et Pineda in Job, cap. IX, 9: quæ sane ratio huic loco valde congruit; tertio, quia *Orion* præcipuum est sidus meridionale, *Arcturus* præcipuum septentrionale: sub his ergo duabus omnia, puta tam meridionalia quam septentrionalia comprehendit.

Addunt aliqui hæc duo juvare ad producendos flores et fructus vernos. Unde Job. xxxviii, 31, pro eo quod nos legimus : *Numquid conjungere valibus micantes stellas Pleiadas (hebr. kima) aut gyrum Arcturū (hebr. kesil) poteris dissipare?* Sic transfert Pagninus : *Numquid ligare poteris manibus tuis fructus delicatos Vergiliarum, vel serotinos fructus Orionis aperire facies?* Et Tigurina : *Num prohibebis delicias Pleiadum, aut contractiones Orionis aperies?*

Quarto, Christophorus a Castro : Videntur, inquit, posse his duobus præcipuis sideribus æstatis et hiemis significari quatuor anni tempora : nam ver æstati adjungitur, hiemi autumnus, q. d. Qui facit quatuor anni tempora; sicut mox adiicit : « Qui facit noctem et hiemem. » Qui enim adeo facile tempora commutat ex ortu siderum, æque facile e periculis eruet, et sortes infestas in felices faustasque commutabit, et captivitatem instantem avertet.

Tropologice S. Gregorius, lib. IX *Moral.* cap. vi: « Arcturus, inquit, semper versatur, et nunquam mergitur; sic et Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Arcturus dum versatur, erigitur : quia tunc S. Ecclesia valentius in veritate reficitur, cum ardenterius pro veritate fatigatur. Quid post Arcturum per Oriones, nisi martyres designantur? Ex Orionibus igitur hiems inhorruit, quia, clarescente sanctorum constantia, frigida mens infidelium ad tempestatem se persecutionis excitavit. Orionas ergo cœlum edidit, cum S. Ecclesia martyres misit. Qui dum loqui rudibus recta ausi sunt, omne pondus ex frigoris adversitate pertulerunt. » Subdit deinde : Post Oriones sequuntur Hyades, id est doctores, qui post martyres doctrinæ suæ pluvia rigarunt Ecclesiam : nam post tria sæcula martyrum, sub Constantino cœpit quartum sæculum doctorum.

CONVERTENTEM IN MANE TENEBRAS, — q. d. Qui tenebras noctis convertit in mane et lucem auroræ, qua noctem convertit in diem, ac vicissim diem in noctem mutat. Unde Pagninus vertit : *Est qui converit in mane umbram mortis, et diem in noctem tenebrescere facit;* Tigurina : *Qui tenebras mortis, id est mortiferas, convertit in lucem matutinam, et diem nocte obtenebrat.* Nota : Tenebrae noctis hebraice vocantur **תְּמַוֵּת** tsalmavet, id est umbra mortis, hoc est maximæ et densissimæ, æque ac horribiles, uti est umbra mortis, in sepulcris et in inferno. Syrus : *Convertit in mane umbras mortis, id est umbras tristissimas, et tenebras densissimas.*

Porro hæc umbra et tenebrae symbolice denotant ingentia pericula, ait Theodoretus, clades et ærumnas, q. d. Deus consolationem in desolationem, risum in luctum, prospera in adversa, securitatem in timores, plausum in planetum commutat, et, vice versa, desolationem in consola-

tionem, etc., prout ei libuerit, et prout merentur vel demerentur homines. Ita Chæremon abbas apud Cassianum, Collat. XII, cap. xii, hunc Amos locum explicat de mira mutatione cordium, quam facit sua gratia potens, æque ac misericors Deus. « Quis, inquit, plane non miretur opera Dei, ac totu[m] proclamet affectu : Quia ego cognovi quod magnus est Dominus ; cum se vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumque perspexerit, et egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntarie perfruentem ? Ista sunt prodigia quæ posuit Deus super terram, quæ Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos advocat, dicens : Venite et videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ : arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. Quod enim majus potest esse prodigium, quam sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis Evangelii prædicatores patientissimos reddi, ita ut eam quam persequabantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent ? Ista sunt opera Dei quæ se quotidie una cum Patre operari Filius protestatur, dicens : Pater meus usque modo operatur, et ego operor, Joan. v. De istis operibus B. David in spiritu canens : Benedictus, inquit, Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, Psalm. LXXI. De istis et Amos propheta : Qui facit, inquit, omnia, et convertit ea, et transmutat in matutinum umbram mortis. Hæc nempe est mutatio dexteræ Excelsi. »

Rursum Cassianus, Collat. XV, cap. xviii, hasce mutationes mentium miraculis præfert, dicens : « Et revera majus miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis. Et magnificentius signum est, virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quam aeris potestatibus imperare : plusque est exclusisse edacissimos de corde proprio tristitiae morbos, quam valetudines alterius febresque corporeas expulisse. Postremo multis modis præclarior virtus sublimiorque profectus est, animæ proprie curare languores, quam corporis alieni. » Causam dat : « Quanto enim hæc sublimior carne est, tanto præstantior ejus est salus; quantoque pretiosioris excellentiorisque est substantiæ, tanto gravioris ac perniciosioris est et ruinæ ? » Notent hoc qui in animabus convertendis desudant : scient se tot miracula patrare quot animas convertunt, imo quot vitia extirpant; eaque non corporalia et transitoria, sed spiritualia et in omne ævum in cœlis ad perenne tropheum mansura.

QUI VOCAT AQUAS MARIS (q. d. Qui calore solis evocat et attollit in aerem vapores ex aquis maris, eosque resolvit in pluviam; itaque) **EFFUNDIT EAS** (aqua) **SUPER FACIEM TERRE** : DOMINUS NOMEN EST

EJUS. — Pro *Dominus hebraice est Jehova*, id est qui est, vel τὸς ἦν, qui est ipsum esse, tum suum formale, tum causale rerum omnium, puta qui est plenitudo, universitas et complexus entis, essentiae et existentiae; qui est Oceanus essendi, et immensum pelagus existendi. *Suscipitur Sanchez, Amos*, utpote rusticum, alludere ad rusticorum opinionem, licet falsam, quae censem Iridem bibere et haurire aquas e mari, de qua Rhodiginus, lib. XXII, cap. xxix.

Tropologice: « S. Paulus, ait S. Hieronymus, quasi turbo violentus, et sæva tempestas, et tumentis maris gurges persecutus est et opprimere nitebatur Ecclesiam Dei. Qui vocatus a Domino, effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Hierosolymis usque ad Illyricum, etc., ut usque ad Hispanias tenderet, et a mari Rubro, imo ab Oceano usque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum, et solem, de quo legimus: A summo cœlo egredio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus; ut ante eum deficeret terra, quam studium prædicandi. »

9. QUI SUBRIDET VASTITATEM SUPER ROBUSTUM. — Hebraice est מְלָכֵב *mablig*, quod primo Septuaginta vertunt: *Qui dividit contritionem super fortitudinem*, id est qui varias contritiones quasi divisas et dissecatas jaculatur in fortes et potentes, ut eos sternat; quique, ut explicat Theodoretus, facile infirmos corroborat, et robustos infirmit et conterit; secundo, Chaldaeus, Vatablus et Arias: *Qui fortificat debiles, eosque facit prevalere robustis et fortibus; tertio, Lyranus: Qui contemnit vastationem a robusto factam, et depopulationem*, id est populi stragem, et abductionem e regno potentii facit; quarto, Pagninus: *Qui roborat vastatorem super populum robustum; quinto, Tigurina: Qui contorquet vastatorem super fortem; sexto, Arabicus: Exaltans humilem super fortem, et infirmum super magnificantem se; et Syrus: Qui præficit vilem (abjectum) forti, et humilem super excelsum (elevatum) elevat.* Hæ omnes interpretationes eodem tendunt, scilicet significant Deum esse qui dat robur et victoram cui vult, ac sæpe infirmos robrire, ut prævaleant fortibus. Sic tropologice ait S. Hieronymus: « Fortitudo corporis imbecillitas animæ est; rursum animæ fortitudo imbecillitas corporis est. »

Noster eodem fere sensu, sed nervosius magisque proprie, cum Aquila vertit: « Qui subridet, » id est, subridendo comminatur et immittit vastitatem. Iræ enim magnitudo subinde subridendo ostenditur, aut potius ab heroibus per risum dissimulatur, ut patet ex illo Virgilii, *Aeneid. X.*

Ad quem subridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere.

Ita Deus omnem humanam potentiam sibi adversam subridet, id est subridendo despicit, deridet et sternit. Risu ergo ostendit eam minorem esse

sua ira, et indignam cui succenseat et irascatur; uti leo canes, lupos, ursos non dignatur sua ira: sed si ei obsistant, quasi ludens et ridens eos discerpit. Sic Deus ludens in orbe terrarum, deridet fastum homuncionum, et subridens mactat impios, cum per homines debiles et infirmos, resque viles eos contundit, uti Pharaonem contudit per ranas, locustas, ciniphes et muscas. Hic est ludus, hic risus Dei omnipotens. Hinc a Castro ita explicat: « Qui subridet, » etc., id est qui sollet quasi per risum extimulare debilem quemque in robustissimum, ut eum devastet. Et Mariana: Deus, ait, « subridet, » id est videtur ludere in nostris malis. Et Emmanuel: « Subridet, » id est ridendo, vel deridendo facile immittit « vastitatem. » Sic de struthione ait Job cap. xxxix, 18: « Deridet equum et ascensorem ejus. » Et de Leviathan, cap. xli, 20: « Quasi stipulam aestimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. » Et Psaltes de Deo ait, *Psalm. II, 4:* « Qui habitat in cœlis irridebit eos. » Et *Psalm. xxxvi, 13:* « Dominus autem irridebit eum. » Et *Prov. cap. I, 26:* « Ego quoque in interitu vestro ridebo. » Pulchre vero Sapiens, cap. XII, 25, cum dixisset impios Chananæos impie et insipienter instar infantium insensatorum vixisse, subdit: « Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti, » q. d. Velut puerilibus et ridiculis pœnis (puta per vespas et crabrones) eos quasi pueros, graviter tamen et acriter punivisti: ubi in Græco pulchra est paronomasia inter παισιν et ἐμπαιχουσίν, q. d. Ridiculos ridicule irrisisti; pueros pueriliter lusisti et castigasti. Hoc est quod ait Claudio, II in *Eutrop.*: « Subrisit crudele pater. » Sic felis subridet murem quem cepit, id est subridens devorat: nam antequam devorat, cum eo quasi ridens gesticulatur et ludit. Sic est risus sardonicus, risus equinus, risus caninus: equi enim et canes dum ringunt et mordere parant, dentes nudant quasi ridentes. Sic Jupiter, inquit Hesiodus, iratus Prometheus, quod ignem e cœlo furatus in terram detulisset, risit risum subamarulentum. Dioscorides, lib. VI, inter venena prodidit herbam, quæ latine *ranunculus*, græce βατράχων dicitur, et a regione in qua copiosius provenit, Sardoa, vel Sardonia nuncupatur, si potetur, vel comedatur, mentem adimere, labiisque contractis risus speciem præbere. Atque inde proverbium de Sardonio risu. Strabo, lib. XI *Geographia*, scribit in Cambyses, quæ flumen Alazonium accolit, aranearum genus quoddam nasci, quod alios ridendo cogat emori, alios flendo, desiderio suorum. Quin et Aristoteles, lib. III *De Partibus animalium*, ait, ictu etiam trajecta præcordia in præliis, risum attulisse subinde, idque accidere calore quem moveat vulnus. Jam vero: « Ridere de hoste risus est suavissimus, » ait Sophocles in tragedia cui titulus: *Ajax flagellifer*. Ita lætatur non tantum Deus, sed et justus cum videt vindictam peccatorum.

Porro hebræum מַבְלִיג mablig significare qui subridet, patet ex Aquila, qui vertit μελιῶν, id est subridens; et ex S. Hieronymo, dum ait: « Proprie μελίαρα dicitur, quod nos subrisio[n]em possumus appellare, quando quis irascitur, et apertis paullulum labii subridere se simulat, ut ira ostendat magnitudinem. » Idem in caput *Jerem.* VIII, 18; Hebræum ait: מַבְלִיגֵת « mabligit est μελίαρα, quod nos interpretari possumus rictum oris dolore contracti, et habentis risus similitudinem, qualis est risus caninus et sardonicus. » Jam quis non videt magis credendum Aquilæ et S. Hieronymo, quam modernis indoctis et infidelibus Rabbini?

Vers. 10. 10. ODIO HABUERUNT CORRIPIENTEM (Prophetam) IN PORTA. — Prophetæ enim prædicabant in publicis plateis, et magis in portis, tum ob confluum hominum, tum quia in portis sedebant iudices, procuratores et advocati iniqui, pervertentes judicia et causas pauperum, quos redarguebat Amos aliique Prophetæ. Judæi enim sua tribunalia et judicia exercabant in portis, quia ad eos libere et facile convenire et confluere poterant, tam alienigenæ, quam indigenæ, tam coloni quam cives. Ita sanxit Moses *Deuteron.* cap. XXI, 19: « Dacent, inquit, reum ad seniores civitatis et ad portam judicii. » Ita in portis prophetavit et prædicavit Jeremias, cap. XVII, 17, et Esdras, lib. II, cap. VIII, 2. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Lyranus, Vatablus et alii passim. In portis ergo erat quasi forum, tum civile rerum venalium, tum judiciale causarum forensium. Unde Tigurina vertit, *in foro*. Audi S. Gregorium, XXI *Moral.* xv: « Mos apud veteres fuit, ut ad portam sederent seniores, qui certantium iurgia judiciaria examinatione discernerent; quatenus urbem in qua concorditer oportet vivere discordes minime intrarent. Unde et per Prophetam dicitur: Constituite in porta judicium. » Quocirca subdit portam subinde capi pro judicio quod exercebatur in porta, ut cum Job ait: « Cum viderem me in porta superiore: » *in porta*, id est in judicio.

LOQUENTEM PERFECTE ABOMINATI SUNT. — « Perfecte, » id est perfectum et sanctum sermonem, ut vertunt Septuaginta et Symmachus, ac *immaculatum*, ut vertit Theodotion; Tigurina, *loquenter integræ*. Est periphrasis Prophetæ.

Vers. 11. 11. DIRIPIEBATIS PAUPEREM. — Septuaginta: *Pugno percutiebatis pauperem; alii, sprevistis, confundistis et pudore affecistis; Pagninus, onerasti pauperem; proprie Tigurina, conculcastis tenuem*, ut scilicet diriperetis et spoliaretis. Hebræum enim בָּשֶׂש potest deduci a radice בֹּשׁ *bosc*, id est confundere, pudefacere; et a radice בָּסָמֶח, id est spernere, calcare, conculcare, poluerere, inquinare, diripere. Porro *bosc* vicinum est alluditque ad בָּז *baz*, id est spoliare, prædari, diripere.

ET PRÆDAM ELECTAM. — Septuaginta, *munera electa*, q. d. Judices aliquæ potentes extorquebant a pauperibus dona, non vulgaria, sed selecta et

pretiosa. Clarius, Pagninus, Vatablus, Arias et R. David vertunt: *Et onus frumenti ab eo accepistis, puta vi aut dolo extorsistis; onus intellige equi, vel hominis, quantum scilicet equus vel homo bajulus portare potest. Hebraeum enim בָּר bar, et electum et frumentum significat. Hinc justam et congruam ejus poenam subjungit dicens:*

DOMOS QUADRO LAPIDE æDIFICABITIS, ET NON HABITABITIS IN EIS: VINEAS PLANTABITIS AMANTISSIMAS, ET NON BIBETIS VINUM EARUM. — Justa enim vindicta est, ut qui rapuit aliena, perdat sua. *Æquum* est ut qui ex rapina domos et vineas comparat vel acquirit, eas non possideat, iis non gaudeat, earum usu et gustu non fruatur, uti saepe raptori bus et injustis justo Dei judicio accidere videmus.

Vers. 12. 12. QUIA COGNOVI MULTA SCELERA VESTRA, ET FORIA PECCATA VESTRA. — « Fortia, » id est gravia, grandia, crudelia, adeo ut meam clementiam vincant, ligent et quasi obruant, illique justam vindictam et flagellum e manu extorqueant.

HOSTES JUSTI (id est justorum, supple eratis; Tigurina, *constringentes*; Vatablus, *affligerentes justum*) **ACCIPIENTES MUNUS** (ut reum nocentem ob munera absolveretis, et innocentem impotentem ad ea dandum condemnaretis. Pro *munus*, Septuaginta, Symmachus et Theodotion vertunt, ἀλλαγματα, id est *commutationes*. Porro ἀλλαγμα juxta idioma Scripturæ pretium dicitur, ait S. Hieronymus.) **ET PAUPERES DEPRIMENTES** (Septuaginta, *declinantes*; Symmachus, *opprimentes*) **IN PORTA**, — id est in judicio quod fiebat in portis.

Vers. 13. 13. IDEO PRUDENS IN TEMPORE ILLO TACEBIT, QUIA TEMPUS MALUM EST. — Tigurina: *Idcirco prudens hoc tempore silere cogitur; quandoquidem periculum est, q. d.* Propter injustitiam judicum et imprudentiam hominum hujus temporis odientium veritatem, tacent tum ipsi oppressi, feruntque in silentio suas injurias et rapinas; ne si clament aut conquerantur, gravius affligantur, inquit Arias; tum Prophetæ: iridentur enim eorum minæ et monita, nec illa monitio cederet ad emendationem, sed ad incrementum rapinarum et peccatorum (1). Ita Remigius, Albertus, Lyrarus et Vatablus. Ita Venerabilis Beda, lib. III *Hist. Anglic.* cap. XIX, narrat S. Furseum raptum ad tribunal Christi, accusatum a dæmonibus, inter alia dicentibus: « Scriptum est: Nisi annuntiaveris iniquitatem suam, sanguinem ejus

(1) Juxta Hesselbergum, is est sensus: « Qui prudens est more hominum, tacet hisce temporibus, sed Prophetæ debet loqui. » Sed rectius observat Maurer, *tacere* hic non solum est non reprehendere sceleratos; et statutam ab Hesselbergo præterea oppositionem inter hominem e vulgo et Prophetam, temere illatam esse in verbis. Latius patet *tacere*, significatque quietum se tenere, se non immiscere rebus publicis aut aliorum quibuscumque privatis, eas nulla ex parte attingere, quod tum faciunt cives prudentiores, cum inopia est aut neglectio legum. Nihil igitur nisi maxima istius temporis pravitas et summa rerum perturbatio exprimitur hemisticchio priore, quod ipsum nudis verbis declarat hemisticchium posterius.

requiram de manu tua. Hic non annuntiavit digne peccantibus pœnitentiam; » verum angelum sanctum pro eo respondisse: « De hoc tempore scriptum est: Prudens in tempore illo facebit, quia tempus pessimum est; quando enim auditores despiciunt verbum, lingua etiam doctoris præpeditur, dum videt quod audita prædicatio despiciatur. » Subdit Beda: « In omni contradictione dæmonum prævalida nimis exstitit pugna, donec, iudice Domino, triumphantibus ejus angelis, contritis devictisque adversariis, immensa claritate vir sanctus circumfusus est, sanctorum angelorum chorus concinenteribus: Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur. »

Secundo, magisque apposite S. Hieronymus et Theodoreetus, q. d. Idcirco, scilicet ob tot rapinas et scelera quæ jam recensui, prudens in tempore illo captivitatis Assyriacæ, videns Israelitas adeo horrende a Deo puniri, non conqueretur, quia tempus malum est, quo scilicet Deus decrevit impios plectere et perdere; sed facebit, probans et laudans justum Dei iudicium, et impiorum supplicium; de hoc enim agit, ut patet ex præcedentibus. Nam alioqui Amos aliique Prophetæ non tacebant, sed acriter reprehendebant sceleratos, eisque dira quæque minabantur; esto scelesti ea contemnerent et riderent.

Tertio, nove Joannes Alba, *Electorum* cap. xxiii, sic explicat: *In tempore illo prudens facebit*, q. d. Sapientes et principes populi ad silentium redigentur et obmutescerent, ac præ malorum pondere profunda silentia servabunt. Sic dicitur I Reg. cap. ii, 9: « Impii in tenebris conticescent, » hoc est, præ malis obmutescerent. Et de Tyro evertenda ait Ezechiel cap. xxvii, 32: « Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit? » id est obmutescet. Et *Sapient.* cap. x, 21: « Sapientia aperuit os mutorum. » Mutos vocat afflictos Hebræos, et ob Ægyptiam servitatem obmutescentes: vehemens enim dolor loquaciam adimit. Horum Deus ora aperuit, cum dolorem ademit: et illos exhilaravit liberando ex Ægypto; tunc enim eruperunt in hymnos laudesque Dei, ac cecinerunt: « Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem projectit in mare, » Exod. cap. xv.

Vers. 14. 14. *SICUT DIXISTI*, — scilicet apud vos ipsos, id est sicut desiderastis. Nil enim aliud optabant quam Deum manere secum in terra quam eis dederat: eo enim manente, mansuri erant et ipsi: eo abeunte, ipsi quoque abituri erant in captivitatem. Ita Lyranus et Clarius. Secundo, q. d. Præstate quod promisistis, scilicet vos quæsitos bonum, non malum, ad hoc, ut Dominus sit vobiscum: agite quæ dixistis, et facta verbis consentiant, ut mores malos in bonos convertatis, quibus Deum vobis conciliatis. Ita Theodoreetus. Prior sensus simplicior, secundus plenior est.

Vers. 15. 15. *CONSTITUITE IN PORTA JUDICIUM*, — scilicet justum, hoc est justos iudices, qui munera non

accipiant, sed pauperes et innocentes tueantur.

SI FORTE MISERERATUR DOMINUS RELIQUIS JOSEPH, — id est regno Israel, cuius institutor fuit Jeroboam, ortus ex Ephraim filio Joseph.

16. IN OMNIBUS PLATEIS ERIT PLANCTUS, ET IN CUNCTIS QUÆ FORIS SUNT (puta in cunctis vicis, ut vertunt Vatablus et Arias, pagis et villis) DICENTUR: VÆ, VÆ! — Hebraice וְלֹא ho ho, id est heu, heu! quæ vox est gementis et plangentis stragem Samariæ. Ita S. Hieronymus.

Vers. 16.

VOCABUNT AGRICOLAM AD LUCTUM ET AD PLANCTUM EOS QUI SCIUNT PLANGERE, — puta planctores et planctrices, sive præficas, qui ad funus mortui vocabantur, ut eum voce, et gestu, et tibiae sonitu plangerent, de quibus dixi *Jerem. cap. ix, 11, q. d.* Tanta erit clades, ut omnes plangant, et urbani et rusticani: hi naturaliter more rusticano, illi ex arte et usu civili (1).

17. QUA PERTRANSIBO IN MEDIO TUI, — quasi fulgur Vers. 17. momento omnia pervadens, percellens et sternens. Unde Aquila vertit ἀντερθέσιαν, quasi citam et curationis minime capacem calamitatem, ait S. Hieronymus.

18. VÆ DESIDERANTIBUS DIEM DOMINI! — S. Hiero-

Vers. 18.

nymus, Rupertus et Hugo hæc intelligunt de Judæis æque ac Israelitis: Arias de solis Judæis. Nam cap. seq. 1, nominat Sionem, quæ erat urbs et arx Judæorum, ac hic, vers. 22, agit de victimis Deo vero oblatis: hæ autem offerebantur in Judæa, non in Israele. Sensus ergo est, ait S. Hieronymus, q. d. Dicunt impudentes Judæi et Samaritæ: Veniat dies prædicta a Prophetis, veniat intentata captivis, dummodo quod promittitur per Prophetas, etiam restitutionis tempus consequatur. Non est enim tantum mali in captivitatis injuria, quantum boni in his quæ post captivitatem Dominus pollicetur. Quibus Propheta respondet eos falli et falsa præstolari; nam post 70 annos captivitatis graviores clades eis obventuras. Cum enim jugum Chaldæorum evaseritis, inquit, incidentis in ursum, id est Cyrum et Darium, a quo eruti occurretis colubro, id est Alexandro Magno et Antiocho Epiphani. Verum ad Israelitas solos hactenus fuit sermo, hique vocantur, vers. 15, reliquæ Joseph: hi etiam habuerunt sua altaria Deo vero dicata, quæ destruxit Achab et Jezabel, ut plangit Elias III Reg. cap. xix, 10. Loquitur ergo Israelitis, qui irridebant minas captivitatis et excidii, quas eis intentabant Prophetæ, dicentes: « Manda, remanda; exspecta, reexspecta, » Isaïæ cap. xxviii, 10. Sensus ergo est, q. d. Vos, o Israelitæ, irridetis nostra oracula, et irrisorie dicitis: Ubi est dies Domini? ubi est dies et vindictæ et excidii, quam ad ravim inclamant et intentant nobis Prophetæ? veniat, veniat. Nam ad

(1) Maxime est probabile, inquit Maurer, vocari ad planetum agricolas, aut quia vehementius clamare soleant rustici, aut, quod præferendum videtur, ut significet vautes, tam amplam se oblaturam esse lamentandi materiam, ut undequaque accersendi sint præfici et præficere.

hanc diem et vocem jam pridem occalluerunt aures nostræ : dies enim illa semper nobis objicitur, et nunquam venit. Quare minas hasce ut inanes spernimus ; diem illum venturum non credimus, nec timemus. Et si veniat, non adeo horribilis erit, atque abibit uti venit ; nec Deus populum suum derelinquet, sed paulo post restituet et restaurabit, uti vos, o Prophetæ, promittitis. Quibus respondet Propheta diem Domini fore terriblem, foreque diem nubis, caliginis et tenebrarum, id est plenam misericordiarum, tristitiae et ærumnarum, ac omnia infausta et acerba allaturam. Ita Theodoreetus, Lyranus et Vatablus.

19. QUOMODO SI FUGIAT VIR A FACIE LEONIS. —

Vers. 19.
Ursus, coluber qui?
Ursus, coluber qui?

Sensus est : Dies illa periculum ex periculo, clade ex clade feret, perinde ac si quis leonem fugiens incidat in ursum, et ursum fugiens in domum, ibi mordeatur a colubro, q. d. In die illa omnia ubique erunt plena periculis et stragibus : nec foris, nec domi quis tutus erit : foris enim grassantur leones et ursi, domi in parietinis et foraminibus latent angues. Rursum minori periculo et malo succedit majus, sicut sævior est ursus leone : leo enim supplicibus parcit et mortuis, ursus nulli, quin et cadavera invadit et laniat. Addit a Castro per leonem intelligi Teglathphasasar, cui successit ursus sævior, scilicet Salmanasar, excurrens et populans agros Samariæ : ursum exceptit nocentior coluber, id est idem Salmanasar Samariam evertens regnumque Israel exscindens.

Allego-
rice.
Allegorice, Rupertus hæc refert ad duplicum Christi adventum : Leo, inquit, est Christus resurgens ut leo de tribu Juda, a cuius facie fugebunt Judæi : sed in eundem incident quasi in ursum, cum secundo veniet ut judex orbis, quando Judæi conabuntur se tueri et abscondere in maceria et parietinis, hoc est in lege Mosis jam pridem ruente et abolita : sed ibi comprehendet eos coluber, id est Antichristus tyrannorum omnium sævissimus, de quo dixit Jacob Genes. cap. XLIX, 17 : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita. » Sic enim de Deo ait Jeremias Thren. cap. III, 10 : « Ursus insidians factus est mihi leo : in absconditis. »

Tropolo-
gice.
Tropologice. S. Hieronymus : Diabolus, ait, est leo, ursus, coluber : puta leo in hac vita, ursus in morte, coluber in gehenna : ibi enim damnatos mordet et cruciat ut aspis. Rursum Clarius : Væ, ait, illis qui desiderant diem Domini, id est diem mortis, ut præsentis vitæ mala evadant ! nam incident in ursum, id est in terrible Christi iudicium, et in colubrum, id est in gehennam ubi ab uno dæmonie et tortore incident in alium et alium jugiter.

Denique hæc recte Epicuræis, politicis et atheis adaptæ, qui hic voluptuantur, ventrique et veneri indulgent, ideoque sibi persuadere conantur animam hominis esse mortalem, et in morte cum corpore interituram. Hi enim non timent mor-

tem, sed saturi et oppleti eam optant, ut in ea quiescant. Verum in morte incident in ursum et colubrum, id est in dæmones, qui ostendent eis animam esse immortalem, dum eam rapient ad æterna tormenta. Ibi agnoscent suam stoliditatem, cum dæmones eis objiciant testimonium ipsius animæ, dicentque : Si nolebas credere S. Scripturæ, Ecclesiæ, consensui SS. Patrum et sapientum, qui omnes uno ore credunt et docent animam esse immortalem, debebas saltem credere animæ tuæ, quæ testatur se liberam, rationalem, creatam ad imaginem Dei, Deumque fore suum judicem et vindicem, præsertim iis qui omnem hanc vitam in voluptatibus et sceleribus transegerunt. Ubi? nisi in altera vita, eaque æterna. Id clamavit, id jugiter occlamavit tibi conscientia tua. Clamorem ejus surditate tua sopire voluisti, ac extingue non potuisti : semper tibi hæsit scrupulus, semper dubitatio, semper metus. Quid si anima sit immortalis? quid mihi post hanc vitam accidet? quas scelerum pœnas dabo? Stolide, in dubio tanto, ex quo sciebas æternitatem tuam pendere, eamque vel beatissimam, vel miserrimam, cur non tutiorem, cur non securiore partem elegisti? Si dubites an via sit ob sessa latronibus, aliam capessis, licet longiorem et difficiliorem. Cur idem non fecisti in hoc cæco animæ bivio? Hoc dilemma (quo nuper politicus quidam moriens convictus et conversus est) te sapientiam et prudentiam docere debebat : Vel est numen et vindictæ Deus post hanc vitam, vel non est. Si non est, attamen si id credidero, non mihi nocebit, imo proderit : inducit enim me ad vitam honestam et homine dignam; si est, et ego illud non credidero, imo negavero, quas ejus iras, quæ tormenta ab eo ob hanc perfidiam et blasphemiam exspectare me oportet? Potius ergo illud credam et confitebor, cum illud credere nocere nequeat; non credere autem gravissimos cruciatus mihi accersere possit. Rursum, vel sunt præmia bonorum et supplicia malorum, ut ipsa ratio dictat, post hanc vitam, vel non sunt. Si non sunt, ea tamen credere, sperare et timere non Oberit, imo proderit ad omnem virtutem : si sunt, et ego ea non credens turpiter et scelerate vixerim, utique suppliciis hisce æternis mancipabor; longe ergo satius et prudentius est ea credere, quam non credere. Vide Tertullianum, lib. De Testimonio animæ.

20. NUMQUID NON TENEBRAE DIES DOMINI, ET Vers. 20.
NON LUX? — Tenebrae symbolum sunt adversitatis, calamitatis et mœroris : lux vero prosperitatis, felicitatis et gaudii, q. d. Utquid contemnitis, imo irridendo provocatis et desideratis diem vindictæ Domini? Nescitis illam diem vobis fore tenebrosam, id est ærumnosam maxime et luctuosam, in qua bonis, libertate et vita spoliabimini ? In qua occidet vobis sol hujus lucis, omnisque consolationis et boni, ac nox una perpetua vobis erit dormienda, in qua nullus erit splen-

dor, sed umbra mortis et æterna caligo, mœror
et desolatio.

21. ODI, ET PROIECI FESTIVITATES VESTRAS. — Est prolepsis. Occurrit enim tacitæ objectioni, *q. d.* Vos confidentes in templo ejusque sacrificiis, dicitis et ingeminatis: *Templum Domini, templum Domini est apud nos. Deus non sinet suum templum ab hostibus everti, nec populum se tot victimis colentem, ab iisdem capi et trucidari.* Quibus Deus respondet: *Frustra hæc jactatis, frustra in hisce confiditis. Nam ego odi sacrificia et festa vestra; odore et nidore eorum, dum cremantur, æque ac thymiamatis incensique vestri, non capior, imo offendor: quia ab hostibus meis, impiis et sceleratis mihi offeruntur, juxta illud Isaïæ, cap. I, 13: « Incensum abominatio est mihi; calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. » Illa enim sacrificia valebant tantum et placebant Deo ex opere operantis, non ex opere operato, uti placet sacrificium legis novæ. Vide ibi dicta.*

22. ET VOTA. — Septuaginta vertunt, *et salutares*, scilicet hostias, puta pacificas, quæ pro pace et salute domus vel populi offerebantur, vel sponte, vel ex voto; unde Noster vertit: « Vota pinguium vestrorum. » Hoc significat hebræum מְרִיאָנָם meriechem: sed Septuaginta legentes aliis punctis מְרִיאָנָם marechem, vertunt ἐπιφυγεῖας, id est apparitionis, vel præsentia vestræ, q. d. Hostias ad quas offerendas vos Deo præsentes in templo sistitis, non respiciam.

23. AUFER A ME TUMULTUM (Septuaginta, *sonitum*;
S. Justinus *Contra Tryphon.*, *multitudinem*) CARMI-
NUM TUORUM. — Canebant Iudei psalmos Davidis
et cantica in templo in laudem Dei; sed Deus ea
hic fastidit, vocatque *tumultum carminum*: primo,
quia eadem caneabant idolis; secundo, quia non
prodibant ex interna devotione, sed ex usu et
vanitate; tertio, quia erant hominum impiorum:
ita S. Hieronymus; quarto, quia inconditis et con-
fusis vocibus tumultuarie boabant, vel ulula-
bant. Unde Syrus vertit: *Transfer a me vocem ju-
bilationis tuæ.*

CANTICA LYRÆ TUÆ NON AUDIAM. — Septuaginta:
Psalmum organorum tuorum non audiam. Psalmos enim et cantica partim canebant voce, partim instrumentis musicis, puta lyra, psalterio, organo, etc. Putabant crassi Judæi se sua deliria lyrando tegere, se suavi concentu aures Dei irati mulcere eumque quasi incantare, uti incantantur cervi et serpentes. Hinc Ægyptii hominem adulatione deceptum significabant per cervum cum tibicine, ait Horus II *Hierog.* lxxxvii. Hujus enim concentu capitur *cervus*, et facile in venatorum manus incidit. Simili modo Circe voluptuaria incantavit socios Ulyssis, eosque in porcos et bestias convertit, uti fabulantur poete: sed Ulysses iis aures clausit, inde incantari non potuit. Verum errabant: Deus enim canticis cordis, non oris capitur.

Videant hic choraules et cantores christiani ne in psalmodia ex festinatione versus præcipitent, præmordeant, cum altero choro commisceant et confundant, ne audiant a Deo : « Aufer a me tumultum carminum tuorum. » Videant pariter, ne totam psallendi devotionem collocent in voce canora, in subtilitate modulandi, in agilitate tonos minuendi, etc., dum instar avium minuriunt, ut curiosorum aures titillent, ad se rapiant et ab oratione avocent; ne audiant a Deo : « Cantica lyræ tue non audiam. » Pro quo Arabicus vertit : *Ne distinctionem* (varietatem, flexus et gyros) *faciatis mihi in vocibus laudum vestrarum.* Quocirca discant illud Apostoli : « Psallam spiritu, psallam et mente. » Et illud S. Augustini et S. Athanasii, quem citat S. Augustinus lib. X *Confess.* cap. xxxii : « Tutius, ait, mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti. » Et mox : « Commoveor non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce et convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem agnoso, ut per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi accidit ut me amplius cantus quam res quæ canitur, moveat, penitenter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. » Idem in *Psalm.* xxx, concione initio, docet psallenti induendos esse psalmi cujusque affectus. « Si orat psalmus, inquit, orate; et si gemit, gemite: et si gratulatur, gaudete; et si timet, timete. Omnia enim quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. » Idem in *Psal.* xlvi, initio : « Ejus (Christi) vocem in omnibus psalmis, vel psallentem, vel gementem, vel lætantem in spe, vel suspirantem in re, notissimam jam et familiarissimam habere debemus, tanquam nostram. » Idem in *Psalm.* cxix : « Quam multi, inquit, sonant voce, et corde muti sunt! et quam multi tacent labiis, et clamant affectu! quia ad cor hominis aures Dei: sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus et dicere: Multum peregrinata est anima mea; cum his qui oderunt pacem eram pacificus. » Hoc est quod Psaltes ait, *Psalm.* xlvi, 2 et 7 : « Jubilate, ait, Deo in voce exultationis. Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapienter; » S. Augustinus legit : « Psallite intelligenter. » Quod explicans S. Bernardus, serm. 7 in *Cant.* : « Attendite, ait, principes vestros (angelos) cum statis ad orandum vel psallendum, et state cum reverentia et disciplina; et gloriamini, quia angeli vestri quotidie vident faciem Patris. Usurpemus officium, quorum sortimur consortium. Dicamus eis: Psallite Deo nostro, psallite, atque audiamus eos vicissim respon-

dentes : Psallite regi nostro, psallite. Laudem ergo cum cœli cantoribus in commune dicentes, utpote cives sanctorum et domestici Dei, psallite sapienter. Cibus in ore, psalmus in corde sapit, etc. Mel in cera, devotio in littera est; alioquin littera occidit, si absque spiritus condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas et mente, cognosces et tu de illius veritate sermonis quem dixit Jesus : Verba que locutus sum vobis spiritus et vita sunt. » Idem, *De Modo bene vivendi*, ad sororem, cap. LII : « Hoc, ait, tracta in mente, quod cantas in voce. Mens tua cum voce concordet, non aliud cogites, aliud cantes. » Et mox : « Psalmorum decantatio significat perpetuam laudem Dei in æterna gaudia, sicut scriptum est : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Quicumque fideliter et intenta mente psalmos decantat, quodam modo angelis Dei sociatur. Quomodo? Quia homo illum pro modulo suo laudat in terris, quem angeli sine intermissione adorant et glorificant in cœlis. » Et inferius : « Sacrificium laudis honorificabit me, inquit, et illie iter quo ostendam illi salutare Dei. Ac si apertius diceret : In psalmis est iter laudis, quo ad æternam laudem pervenire possis. »

Vers. 21. 24. ET REVELABITUR QUASI AQUA JUDICIUM. — *Et, id est idcirco*, scilicet ob scelera vestra jam reccensita, impiaque vestra sacrificia et carmina, revelabitur et profluet a Deo judicium, id est supplicium, quod ipse ex improviso in vos immittet, sicut revelatur et profluit aqua e fonte ocluso et obturato, si is aperiatur, et multo magis ex torrente in valle aggeribus coarctato, si his increscat et exundet : tunc enim prata et campos obruit et sepelit.

Pro *revelabitur hebraice* est נִגְלָל *iiggal*: quod si a radice נִגְלָה *gala* deducatur, ut sit futurum *niphil* per apocopen, *iiggal* pro נִגְלָה *iigale*, tunc significat *revelabitur*: sin autem deducas a radice נִגְלָל *galal*, et per erasin נַגְלָה *gal*, tunc significat *volvet, convolvet, obruet*. Unde Septuaginta vertunt: *Volvetur sicut aqua judicium, et justitia sicut torrens invius*; Pagninus: *Volvet se sicut aqua judicium, etc.*; R. David: *Judicium ultionis meæ quasi moles aquarum inundantium affluet et revolvetur ad vos*, q. d. Ira et vindicta mea instar torrentis furioso impetu exundantis vos involvet, obruet et auferet. Secundo, Tigurina, Arias et Vatablus vertunt per optativum, vocemque et capiunt adversative pro sed. Unde sic vertunt: *Sed profluat, vel devolvat se, aquæ instar, judicium, et justitia ceu torrens vehemens*, q. d. Corrigite vestra judicia iniqua et oppressiones pauperum, quas paulo ante reprehendi, vers. 7, neque iis amplius indulgete: sed ex adverso colite judicium et justitiam pauperes et innocentes protegendo: quod si feceritis, me vobis reconciliabis, minasque a me intentatas evadetis. Verum priorem sensum exigit Versio nostra, Septuaginta et Chaldaei :

omnia enim hæc pœnam et vindictam inculcant.

25. NUMQUID HOSTIAS ET SACRIFICIUM OBTULISTIS Vers. 25. MIHI IN DESERTO QUADRAGINTA ANNIS? — Quibus peregrinati estis in deserto, q. d. Non.

Quæres, quomodo hoc sit verum? Respondent S. Hieronymus, Albertus, Rupertus, Hugo hic, et S. Chrysostomus et Beda in *Actor. VII*. Judæos primo anno quo in paschate, puta in martio, egressi sunt ex Ægypto, adorasse vitulum aureum 4 mense, puta 24 die junii: et ab illo tempore non sacrificasse Deo vero sponte sua, sed coactos a Deo et Mose. Verum obstat quod mox eos adorationis vituli pœnituerit, Deoque reconciliati sint; unde Deus cum eis fœdus iniit, ac tabernaculum sibi dedicari jussit anno 2 ab exitu ex Ægypto, mense 1, in qua dedicatione Hebræi multas victimas sponte obtulerunt Deo, ut patet *Exod. cap. XL, Levit. cap. IX et X, Num. cap. VII*. Secundo ergo melius respondent alii Hebræos post hanc dedicationem tabernaculi, atque consecrationem Aaronis et filiorum ejus in sacerdotes, nunquam vel raro obtulisse Deo solleme sacrificium in deserto, sicut in eodem non fuerunt circumcisi, ut patet *Josue cap. V, 7*: quia versabantur in continua peregrinatione, nec certi erant de statione ad unum diem; quia mox ut movebatur ab angelo columna nubis incubans tabernaculo, debebant movere castra et proficisci: unde deinceps post cap. X *Levit.*, toto reliquo Levitico, Numeris et Deuteronomio nusquam legimus eos sacrificasse. Ita Lyranus, Vatablus, Arias et alii. Adde Hebræos in deserto proclives fuisse in murmura, ac crebro contra Deum et Mose rebellasse, atque ad idola quæ recenter in Ægypto coluerant rediisse.

Nota: Vocantur hic quadraginta anni, cum fuerint tantum 38 et aliquot menses. Nam 2 anno ab egressu ex Ægypto erectum est tabernaculum, et in eo obtulerunt victimas; deinceps vero nullas, vel raras: hi ergo duo anni ex quadraginta subtrahendi sunt. Solet enim Scriptura integros numeros consignare, etiamsi illis aliquid desit, vel supersit. Sic vocantur septuaginta discipuli Christi, cum fuerint 72. Sic *Judic. cap. IX, 5*, dicitur Abimelech occidisse septuaginta fratres, filios Gedeonis, cum fuerint tantum sexaginta novem; nam unus, puta Joathan, fuga elapsus evasit.

26. ET FORTASTIS TABERNACULUM MOLOCH (*deo, v. 26.* uti aliqui codices legunt) VESTRO. — Hebreum סְכֻנָתֶךָ *nesatem*, id est elevatis, erexitis, sustulistis in humeros vestros. S. Stephanus *Actor. VII*, legit, *suscepistis*. Pro tabernaculum hebraice est סְכֻנָתֶךָ *siccum*, quod Chaldaeus et Vatablus censem esse nomen idoli; unde vertunt: *Portastis Siccum regem vestrum*; Arias vero ex R. Jona: *Portastis, vel sustinuitis auscultationem regis vestri*. Theodotion vertit, *visionem*. Verum *siccum* incognitum est nomen, nec alibi reperitur. Pro *siccum* ergo alio puncto legendum *succot*, id est taberna-

cula : ita Septuaginta, Symmachus, Noster, Tigrina et Aquila, quia vertit συσκιασμόν, id est *umbracula*. Quin et S. Stephanus *Actor. vii*, 43, legit *tabernaculum*. Denique pro *Moloch* hebraice est מַלְכֵךְ *malkeket*, id est regis vestri, vel regi vestro, ut vertunt Symmachus, Theodotion et Tigrina, puta Moloch. *Moloch* enim idem erat qui *Melchom*, ut vertit hic Aquila, et *Melech*, id est rex summus hominumque deumque, puta Jupiter, sive deus Ammonitarum. Quis fuerit Moloch, dixi *Levit. xviii*, 21.

Quæres, quando Israelitæ portarunt tabernaculum Moloch, eumque coluerunt? Lyranus, Vatablus, Arias et a Castro hæc propheticæ accipiunt quasi futura: *Portastis*, inquiunt, id est *portabitis*, q. d. Transferam vos trans Damascum in Assyriam, ibique Assyrii cogent vos captivos humeris portare Moloch, aliaque idola vestra per ludibrium, quod illi dii vani sint, qui vos a clade Assyriorum tutari non potuerint. Aut *portastis*, id est portabitis et luetis supplicium excidii et captivitatis, propter tabernaculum et idolum Moloch quod erexitis. Verum hic sensus durus est: tam enim Hebræa quam Septuaginta, Chaldaeus et alii omnes vertunt, *portastis* in præterito; τὸ enim *portastis*, pertinet ad 40 annos in deserto, qui præcesserunt, q. d. Quadraginta annis in deserto sacrificasti, non mihi, sed Moloch et idolis, Ita explicat S. Stephanus *Actor. vii*, 41: «Et vitulum, inquit, fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, etc. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiae cœli (stellis), sicut scriptum est in libro Prophetarum (in Amos hoc loco): Numquid victimas et hostias obtulisti mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? Et suscepisti tabernaculum Moloch. » Ubi vocula et adversativa est, capiturque pro *sed*, q. d. Non meum, sed Moloch tabernaculum et cultum suscepisti. Alii, ut Lyranus, censem Hebræos coluisse Moloch, non in deserto, sed in terra sancta, ut fecit Salomon II *Reg. xi*, 5. Verum hoc huic loco non convenire patet iisdem rationibus jam allatis. Quare alii passim, ut S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius, Rupertus et alii censem Hebræos in deserto coluisse Moloch; OEcumenius, in *Actor. vii*, putat eos coluisse Moloch tunc, quando Moses cum Deo agebat in monte Sina: tunc enim conflarunt vitulum aureum, *Exod. xxxii*. Verum quia id accidit paulo post egressum ex Ægyptio, cum necdum attigerant fines Ammonitarum, quorum deus et idolum erat Moloch; hinc verius videtur quod ait Ribera, id eos fecisse *Num. xxv*, 4, dum fornicantes cum filiabus Moab coluerunt Beelphegor. Nam Josephus, lib. IV *Antiq. vi*, ait eos tunc non unum, sed multos deos coluisse: et Ammonitæ vicini erant et cognati Moabitæ: quocirca hi ab illis acceperunt idolum et cultum Moloch. Nec Moses id impedire potuit, sicut impedire non valuit cultum Beelphegor in populo furente, et principibus populo

consentientibus, imo illi in scelere præeuntibus, ut habetur *Numer. xxv*, 4. Licet ergo id Moses in Pentateucho non scripserit, tamen id revera contigisse patet ex Amos et ex Stephano, qui vel traditione majorum, vel revelatione Dei id acceperunt.

Sensus ergo est, q. d. Jam inde ab initio synagogæ, vos, o Israelitæ, coluistis idola in deserto, et exinde nunquam ab eorum cultu plane recessistis. Ergo ego Deus detestor sacrificia vestra, etiam mihi oblata: quia me cum Moloch et idolis componitis et colitis. Quare exscindam vos, uti minatus sum vers. 1, traducamque per Damascum in Assyriam. Nota τὸ *portastis*; Judæi enim, more gentium, solemní pompa in tabernaculo secum circumferebant Moloch deum suum, religionis et protectionis ergo, quasi viæ suæ comitem et ducem; sicut per desertum portarunt arcam et propitiatorium, in quo quasi throno residebat Deus. Sic gentes per viam secum duxisse tutelares deos docet Servius in illud *Aeneid. VI*:

Errantesque Deos, agitataque numina Trojæ.

Sic Rachel, furata idola patris sui, ea secum duxit in Chanaan, *Genes. xxxi*, 34. Jacob vero de Deo ait: «Socius fuit itineris mei,» *Genes. cap. xxxv*, 3.

ET IMAGINEM IDOLORUM VESTRORUM. — Pro *imaginem* hebraice est כִּיּוֹן *kiun*, quod retinuerunt in sua versione Aquila, Symmachus et Chaldaeus. Quin et Syrus: *Portastis*, inquit, *tabernaculum Malchum*, et *Keuon similitudinem* (*imaginem*, simulacrum, idolum) *vestram*, *situs quod fecistis vobis deum*; R. David, Pagninus et Vatablus vertunt, *placentam*, quam suis idolis offerebant; Theodotion vertit, ἀμάρωσιν, id est *obscuritatem*; Noster recte vertit, *imaginem*, vel statuam affabre apparatam, concinnatam et erectam ad cultum. Radix enim כִּיּוֹן *kon* significat parare, concinnare, firmare, erigere; Septuaginta vertunt: *Situs dei vestri Rempham*, vel potius, ut Romani codices legunt *Rephan*. Septuaginta sequitur S. Stephanus, *Actor. vii*.

Quæres, unde Septuaginta acceperunt τὸ *Rephan*, quod non est in Hebræo, nec in ullo interprete? Theodoreetus, Ribera et a Castro censem eos τὸ *Rephan* de suo addidisse, ut nomen idoli exprimerent. Verum dico Septuaginta hebraeum *Kiun* vertisse *Rephan*. Id enim expresse asserit S. Hieronymus. «Pro eo, inquit, quod in Septuaginta legitur Π' αὐφάνη, Aquila et Symmachus ipsum Hebraicum transferentes, posuerunt *Kiun*. » Et patet; nam hebræo *Kiun*, apud Septuaginta non est vox alia quæ respondeat, nisi *Rephan*. Ubi adverte Septuaginta et ex eis S. Stephanum legisse hebræas voces inverso ordine, ac nonnullas transposuisse. Sic enim legerunt: *Cocab elohechem Kiun isalmechem ascer ascitum*, id est *situs dei vestri Kiun*

Rempham vel
Rephan quid?

(pro quo ipsi vertunt *Rephan*) figuras eorum quas fecistis. Jam vero in Hebreo legitur: *Kiun tsalmechem cocab elohechem ascer ascitum*, id est *Kiun* (quod Noster verit, imaginem) figurarum, vel *idolorum vestrorum*, *situs deorum vestrorum*, quos, vel quæ fecistis. Sed qua ratione Septuaginta pro *Kiun* verterunt *Rephan*? Respondet primo Christophorus a Castro, id eos fecisse, quia idolum et *situs* quod hebraice vocabatur *Kiun*, græce vocabatur ἡμέραν αἱρετόν, id est pure et caste vivo, eo quod pure luceret; sive a φαρὲ, id est *sutura*, eo quod *situs* hoc positum esset in idoli calvaria, ea parte, qua ipsa suturam habet et commissuram: aut vocari φευφάν a φέμφος, id est rostrum aut os, eo quod *situs* hoc in ore idoli positum esset. Verum obstat quod *Repha*, vel *Rempah* non videatur esse græca vox, sed hebræa, aut arabica, vel persica. Nam S. Stephanus loquens Hebreis hebraice, non græce, *Actor. vii*, vocat illud *Rephan*, aut potius significat ab illis ipsis vocari et invocari *Rephan*. Ait enim: « *Situs Dei vestri Rephan* », q. d. Vos deum vestrum vocatis *Rephan*. Illi autem loquebantur hebraice, non græce, nec cum Græcis ullam adhuc communicationem habuerant.

Secundo, ergo verisimilius nonnulli hebraice periti respondent *Kiun* idem esse quod *Rephan*: Septuaginta enim pro Κίον *Kiun*, aliis punctis legisse Κούν *Keuan*: et deinde mutatione unius litteræ similis in similem, puta κ in Τ pro *Keuan*, legisse *Rephan*: aut certe errore librariorum et descriptorum id factum esse, ut pro κ scripserint r. Ita auctor *Thesauri Hebraici*, Drusus et Forsterus in *Lexico*; et aliqui similes, in fide licet heterodoxi. Favet huic conjecturæ, quod simili modo, *Nahum i, 6*, pro eadem littera Τ Septuaginta legerunt Τ, nimirum pro ΣΑΝΚ kaes. id est sicut ignis, alio puncto legerunt ΣΑΝΤ rosç, id est caput, princeps; unde vertunt ἀρχὰς, id est *principatus*. Sic pro Achan legunt Achar, pro Abimelech, Achimelech, pro Casdin Chaldæi, ubi litteram s in τ transmutant, perinde ac Latini, dum pro ὁδοσεύς, vertunt dicuntque *Ulysses*. Sic alibi crebræ sunt similes litterarum metatheses. Sic hoc loco pro *Rephan*, Arabicus Alexandrinus verlit *Bacham simulacrum quod fecistis vobis*. Verum obstat huic sententiae, quod omnes codices Hebræi habeant *Kiun*, non *Rephan*; ex adverso omnes codices Græci et Latini *Actor. vii*, constanter habeant *Rephan*, non *Keuan* aut *Kiun*. Non ergo est verisimile solos Septuaginta legisse in uno Hebreo codice *Rephan* pro *Keuan*; aut descriptores pro *Keuan*, in Septuaginta descripsisse *Rephan*, præsertim cum tota Ecclesia in Vulgata editione *Actor. vii*, constanter legat *Rephan*, quasi haec vera et genuina sit lectio. Accedit quod in Hebreo apud Amos hoc loco non sit *Keuan*, sed *Kiun*, uii legunt S. Hieronymus, Aquila, Symmachus et alii passim; *Kiun* autem procul abest a *Rephan*.

Dico ergo cum Leone Castrio, *Apologet. lib. VI*,

Kiun et *Keuan* idem esse quod *Rephan*, eo quod hoc idolum primitus nominatum et cultum ab Ismaelitis et Persis (uti passim Interpretes contentur, et Rabbini tradunt) eorum lingua dictum sit *Kiuan*, vel *Keuan*, quam vocem ut barbaram cum non intelligerent Hebræi, levi unius litteræ commutatione, sua lingua vocarunt illud *Rephan*, id est gigantem: quomodo Syri Deum vocant gigantem sæculorum, quia ipse ut gigas omnia mundi, æque ac temporum spatia, sua immensitate et æternitate ambit et complectitur: aut certe *Rephan*, id est sanatorem, q. d. Hic est qui nos sanat et salvat. Unde ab eadem hebræa radice vocatur angelus Raphael, q. d. Medicina vel sanatio Dei. Aliqui codices pro *Rephan* legunt *Rompha*, quod hebraice dicitur רומפה: *rumpe*, idemque est quod *celsitudo oris*. Forte idolum hoc habebat magnum altumque os, uti habent pleraque idola prisca quæ dabant oracula. Talia enim vidi in Vaticano, ac tale est celebre illud quod juxta Ecclesiam S. Mariae in schola Græca, sive in Cosmedin, Romæ visitur, et vulgo vocatur *Bocca della verita*, id est os, vel oraculum veritatis. Porro licet vulgus Hebræorum nomen barbarum *Keuan* verterit vocaritque hebraice *Rephan*, *Rempah* et *Rompha*, doctiores tamen Hebræi retinuerunt originale *Keuan* quoad litteras, et levi punctorum sive vocalium mutatione, hebræa voce vocarunt illud *Kiun*: ita enim habet hic Amos, Aquila et Symmachus. Nam *Kiun* deducitur a radice כון *kun*, quod significat paravit, aptavit, rectus fuit, direxit, verificavit, certificavit, firmavit, perfecit, decrevit. Unde *Kiun* idem est quod paratus, aptatus, erectus, perfectus, dans vera, certa et firma oracula ac decreta.

Quæres secundo, quis fuit hic *Rephan*? Giraldus in *Syntagmat. lib. De Hercule*, censem *Repham* significare gigantem, ab Hebreo *Rapha*, qui fuit pater gigantum. Unde Hebraice gigantes dicti sunt *Raphaim*: *Rephan* ergo esse nomen *Herculis*; qui etiam a Gentilibus dictus sit hebræa voce *Con* vel *Conen*, id est stator, vel erectus, excelsus, ita ut Hercules dictus sit *Kon*, vel *Kiun*, et *Rapha*, sicut Jupiter dictus est stator. Secundo, Hebræi recentiores censem esse *Saturnum*: quia is ab Arabibus et Persis vocatur *Kiuan*, quod idem videtur esse cum *Keuan* et *Rephan*. Tertio, Ribera censem fuisse *Jovem*, qui habuerit stellam in vertice. Quarto, alii volunt fuisse *Martem*. Quinto, verisimilius S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Beda, Lyranus et alii censem esse stellam *Veneris*, quæ mane præiens solem vocatur *Lucifer*, vespere sequens solem vocatur *Hesperus*. Probatur idipsum ex eo quod hanc stellam quasi cœli regnam coluerint olim Syri, teste S. Hieronymo in *Vita S. Hilarionis*, et etiamnum colunt Saraceni: quin et Giraldus, *Syntagm. lib. XIII*, ex *Ælian* et aliis docet Venerem *Uraniam*, id est cœlestem, quæ non videtur alia esse quam *Lucifer*, cultam fuisse ab Ægyptiis, Phœnicibus et Assyriis. Huc

eos pellexit splendor et fulgor Luciferi, quem ita depingit Ovidius :

Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora faces, et plena rosarum
Atria, diffugint stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, et cœli statione novissimus exit.

Porro Lucifer dictus videtur *Kiun*, vel *Keuan* a radice קָוֹן cava, id est ardere, urere, quia habet speciem ignis. Unde Poeta :

Hespere, qui luces cœlo jucundior ignis.

Unde pro *Keuan* Arabicus vertit, *Bacham*, quod est nomen arboris cortice rubeo, quale est lignum quod vulgo Brasilicum dicitur, quasi ex ea fabricarint idolum. Color enim rubeus est ardens et igneus, ideoque refert ardorem stellæ Veneris. Aut dicitur *Kiun*, a radice קָוֹן *kun*, id est dirigere, præparare, quod solem vesperi sequens, mane vero præcedens, illum quasi dirigit, illaque viam præparet. Luciferum ergo videntur coluisse Hebræi peregrinantes in deserto, tanquam ducem itineris, instar columnæ ignis et nubis : quia Lucifer auroræ, solis et diei dux est : solem enim adducit. Theodotion, et ex eo OEcumenius, *Actor. VII*, *Keuan* vel *Rephan* vertit, *obscuritatem*, q. d. Vos, o Hebræi, lucem a stella hac Luciferi, quasi a deo et idolo vestro, petitis, qui non est lux, sed tenebrosus et nocturnus, ipsaque obscuritas ; ac proinde lumine suo ad viam vobis præire nequit, sed vos obscurat et excæcat, et in avia inviaque abducit. Porro verisimile est idololatras hosce Luciferum figurasse quasi hominem excelsum et fulgidum, eique affixisse in fronte aut vertice stellam Luciferi ; sicuti Romani statuæ Julii Cæsaris stellam in vertice appingebant, teste Suetonio in *Vita ejus*, cap. LXXXVIII, et Plinio, lib. II, cap. XXV. Unde Horatius, lib. I, *ode XII* :

Micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Et Virgilius, *eclog. IX* :

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,
Astrum quo segetes gauderent frugibus.

Hinc patet *Rephan* vel *Remphan* alium fuisse a Moloch : nam Lucifer, sive sidus Veneris, aliud fuit a Moloch : uterque ergo fuit deus Gentium et Hebræorum, uti hic dicitur. Quare minus recte censem aliqui, ut Beda, Lyranus et Glossa, *Remphan* fuisse sidus, et stellam quæ affixa fuerit fronti vel vertici Moloch. Non improbabiliter tamen Sanchez hic et *Actor. VII*, censem Moloch esse Sollem, *Rempham* Luciferum. Hinc stella, ait, Luciferi posita erat in fronte Moloch; quia Lucifer solem orientem antecedit ; sol enim est Moloch, id est rex stellarum. Hinc et Judæi cum Moloch filios suos consecrarent, eos per ignem traduce-

bant, quia solis igneam esse naturam putabant. Quocirca reges Persarum, censem solem esse Deum, solis nomen sibi aut imaginem assumebant, quasi dii quidam terrestres. Ita Sapor, ut tradit Marcellinus lib. VII, scripsit ad Constantium Imperatorem : « Rex regum Sapor, particeps siderum et frater Solis et Lunæ, Constantio fratri salutem. » Hac quoque de causa ignem sibi præferri curabant, cujus speciem habet stella Luciferi. Ita Q. Curtius, lib. III, et Rodiginus, lib. VIII, cap. II, tradunt in castris regum Persarum, super tabernaculum regis conspicuam omnibus promicare solis imaginem crystallino inclusam globo, et illi ignem prælucere : quia enim solem Persæ et Chaldaei colebant, hinc et ignem pro Deo coluere, utpote qui viva sit solis imago. Hæc Sanchez (1).

Tropologice *Repham*, id est Luciferum, colunt superbi, qui excellere, suamque lucem, id est doctrinam et sapientiam, ostentare satagunt ; qui ambiunt honores et prælaturas mox perituras. Hi enim Luciferiani ex Lucifero fient Hesperi, ex ortu ibunt in occasum, ex summo in imum, a luce in tenebras, uti facit stella quæ vocatur Lucifer ; atque a cœlo in gehennam, sicuti contigit Lucifero angelo superbo. Hinc Lucifer variae fortunæ et sortis, ac inconstantiae, æque ac calamitatis est symbolum, uti dixi *Isaiæ XIV*, 12, ad illa verba : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? » Omnis ergo mundi honor et gloria, est stella cadens ; splendet enim ad modicum ut Lucifer, sed mox occidit ut Hesperus, idque occasu æterno, et in omne ævum duraturo. Vere S. Augustinus in illud *Psalm. LXXXIX* : « Dies nostri sicut aranea meditabuntur : Aranea, ait, texit tota die, et labor grandis est, sed effectus nullus ; sic et vita hominum : possessiones quærimus, divitias appetimus, procreamus filios, in regna sustollimus, et omnia facimus ; et non intelligimus quod araneæ telam teximus, » et interim æternæ felicitatis, ad quam creati et vocati sumus, obliviscimur. Ita Heliogabalus imperator, ait Lampridius in ejus Vita, jubebat sibi deferri millena pondo aranearum, proposito præmio, diciturque collegisse decem millia pondo, dicens, et hinc conjiciendum, quam magna esset Roma.

(1) Istum versum et potissimum dictiones ejus difficilliores, data opera commentati sunt Thom. Goodwin in *Antiqq. Judaic.* lib. IV, cap. II, § 17, edit. Carpzovii, et Carpzovius in *Annotationibus* sive *Apparatu*, pag. 488, 490; Jo. Braunius in *Selectis S. Script.* lib. IV, cap. ix, x; Petr. Jurieu, *Histoire des dogmes et des cultes*, part. III; *Traité du Veau d'or*, cap. IV; Gottl. Jahn, *Dissert. duve de קָוֹן Kion, Amos*, v. 26.; Meier, *Dissert. de sacello et basi idolorum*, ad *Amos* v. 26; P. E. Jablonskius, *Remphah Ægyptiorum deus ab Israelitis in deserto cultus nunc ex lingua et antiquitate Ægyptiaca erutus et illustratus*; Deylingii *Observatt. S. Script.* tom. II, Observ. XXXVI, pag. 444; Christoph. Gottl. Frid. Wolf, *Disput. de Chiun et Remphan*, ad *Amos* v. 26; Nic. Guil. Schröder, *Dissert. e tabernaculo Molochi et stella Dei Remphan*.

Quam multi hodie sunt Heliogabali, quam multi aranearum venatores, qui non aliud quam opes et honores, id est aranearum telas, aucupantur!

Vers. 27. 27. ET MIGRARE VOS FACIAM TRANS DAMASCUM, — in Assyriam : eo enim ab Assyriis ex Samaria traductæ sunt decem tribus, ut patet IV Reg. xvii, 6. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius, Hugo, Arias et alii.

Dices : Quomodo S. Stephanus, *Acto. vii*, 43, citans hunc locum, ait : « Et transferam vos trans Babylonem ? » alia enim est Babylon, alia Damascus. Respondet ibidem OEcumenius et Cajetanus, Damascus hic sumi non pro urbe, sed pro regione et ditione Damascena, quæ se extendebat usque ad Babylonem. Verum hoc non videtur verum ; quia circum Babylonem quaquaversum late dominabantur Babylonii monarchæ, non Damascus. Rursum S. Stephanus non ait : *Transfe-*

ram vos Babylonem, sed trans Babylonem; Damasceni autem nunquam trans Babylonem dominati sunt. Respondeo ergo S. Stephanum citare Amos non quoad verba, sed quoad sensum et rem. Nam reipsa decem tribus abductæ trans Damascum in Babylonem, etiam trans Babylonem in Mediam, Persiam aliasque regiones traductæ et dispersæ sunt. Salmanasar enim « transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala et in Habor, juxta flumen Gozam in civitatibus Medorum, » IV Reg. xvii, 6. Unde Tobias, cap. i, 16, invicit suos contribules captivos in Rages, civitate Medorum. Idem docet Josephus lib. IX *Antiq.* cap. ult., et lib. XI, cap. v. Ita S. Hieronymus, Beda, Rupertus, Ribera, a Castro et alii. Porro S. Stephanus id ex se, non ex Septuaginta dixit; Septuaginta enim hic habent ut Noster : *Trans Damascum, non trans Babylonem.*

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Carpit Deus optimates, qui ex rapinis pauperum lasciviebant in stratis, bibebant vinum in phialis, etc., et nil patiebantur super contritione Joseph (populi.) Quocirca, vers. 8, jurat per animam suam, quod illos funditus perdet et mactabit (1).

1. Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populum, ingredientes pompatice domum Israel ! 2. Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam : et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum : si latior terminus eorum termino vestro est. 3. Qui separati estis in diem malum : et appropinquatis solio iniquitatis. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. 5. Qui canitis ad vocem psalterii, sicut David putaverunt se habere vasa cantici. 6. Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti : et nihil patiebantur super contritione Joseph. 7. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium : et auferetur factio lascivientium. 8. Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum : Detestor ego superbiam Jacob, et domos ejus odi, et tradam civitatem cum habitatoribus suis. 9. Quod si reliqui fuerint decem viri in domo una, et ipsi morientur. 10. Et tollet eum propinquus suus, et comburet eum ut effera ossa de domo : et dicet ei qui in penetralibus domus est : Numquid adhuc est penes te ? 11. Et respondebit : Finis est. Et dicet ei : Tace, et non recorderis nominis Domini. 12. Quia ecce Dominus mandabit, et percutiet domum majorem ruinis, et domum minorem scissionibus. 13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam

(1) Hæc prophetia non ut præcedentes ad solos Israëlitas, sed ad totam nationem Hebraicam spectat, continetque

PRIMO, præmonitionem qua, *primo*, optimates regnum Judæ et Israëlis perstringit, ut nimium confidentes et securos, 1; *secundo*, eos comparat cum vicinis regnis, ut magis et apertius illorum ingratitudinem ostendat, 2; *tertio*, eos edocet de destinata et propinquante afflictione, 3.

SECUNDO, enumerationem criminum utriusque regno

communium, scilicet *primo*, mollitiei et libidinis, 4; *secundo*, excessus in esu, musica et potu, 5; *tertio*, deficitis misericordiae erga fratres, 6.

TERTIO, denuntiationem afflictionum quæ erunt, *primo*, traditio urbium in manus hostium, 7, 8; *secundo*, evacuatio domorum per frequentes et continuatas mortes, 9-11; *tertio*, destructio regni Israëlitici perpetua, Judæ temporaria, 12; *quarto*, impossibilitas propriis viribus, aut resistentia aut reparatio, 13, 14; *quinto*, vastitas omnium Palæstinæ per Assyrios et Babylonios inferenda, 19.

convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiae in absinthium? 14. Qui lætamini in nihilo: qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? 15. Ecce enim suscitabo super vos, domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti.

Vers. 1.

1. VÆ QUI OPULENTI ESTIS IN SION! — Hinc Arias putat Prophetam hic ab Israele divertere sermonem ad Judam: hic enim erat incola Sionis et Jerusalem. Unde ipse sic vertit: *Væ opulentis in Sion, et (id est sicut) confidentibus in monte Samariæ!* q. d. Sionitis idem vœ imminet, quod hue usque intentavi Samaritis. Vox enim *et*, quando duo similia nectit et jungit, est nota comparationis, idemque valet quod *sicut*, ut patet in *Proverbii*, singulis sœpe versibus.

Ex adverso Theodoretus ex Septuaginta putat hic sermonem esse ad solos Samaritas. Sic enim vertunt Septuaginta: *Væ spernentibus Sion*, id est Samaritis, qui despiciunt templum Dei in Sion, ut extollant sua fana in Dan et Bethel! Verum media hic via incedendum, ut utrumque jungamus. Propheta enim hic directe et primario pergit, uti cœpit, loqui Samaritis; secundario tamen compellat quoque Sionitas et Judæos. Id enim clare significat, cum ait: *Væ qui opulenti estis in Sion, et confidentibus in monte Samariæ!* Et quia vers. 6 et 8, vocat eos Joseph et Jacob, quibus nominaibus proprie significantur Samaritæ. Denique clare vers. 15: «Ecce, inquit, suscitabo super vos, domus Israel,» etc. Proprie ergo Israelem, id est Samaritas, hæc spectant, comitanter tamen ad Judæos quoque qui Israelis erant fratres tam scelere, quam sanguine, ideoque fratres pariter futuri in poena et excidio, minas suas extendit Propheta, ut illos ab idolatria Israelis per ejus cladem et stragem imminentem avertat. Unde Chaldæus, vers. 12, sic habet: *Percutiet regnum magnum Israel percussione fortis, et regnum minus Juda plaga remissiori.* Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus et Vatablus.

Nota: Pro *opulenti* hebraice est **הַשְׁאָנָנִים** *has-qaanannim*, id est fertiles, divites, abundantes, securi. Unde S. Justinus *Contra Tryphon.* vertit: *Væ qui deliciis affluentis in Sion!* Pagninus: *Væ quietis in Sion!* Vatablus: *Væ tranquillis, id est vitam degentibus in summo otio!* Radix enim **חֲשָׂאָן** *shaan* videtur confilata ex **חַנּוֹן** **חַנּוֹן** *chanoon* *en*, id est *qui nihil*, scilicet timent, nihil curant, nihil agunt. Rursum, quibus nihil deest, sed in summa pace et rerum affluentia securam, tranquillam, otiosam et delicatam agunt vitam. Unde R. David vertit. *Væ divitibus qui sunt quieti, qui fidunt quod nihil eis malum contingit!* *Sqaanan* ergo est dives, qui secure et deliciose quiescit in suis opibus. Alii: *Væ insolentibus!* ex divitiis enim et deliciis homines insolescunt, instar vitulorum in pascuis lascivientium. Hoc spectasse videntur Septuaginta, Syrus et Arabicus, qui vertunt: *Væ spernentibus!* insolentes enim fastum induunt, aliosque sper-

nunt. Aut certe hebreum *has-qaanannim* derivarunt a radice **חַנּוֹן** *ain*, et per crasin *en*, id est *non, nihil*, ut littera *scin* non sit radicalis, sed servilis, idem valens quod **שָׁאָר** *asher*, id est *qui*, quasi *has-qaanannim* sint *annihilantes*, id est nihil facientes, qui non aestimant et nihil faciunt suos vicinos et fratres. Hoc enim innuit græcum **εἰσοδιοῦσιν**, quod pariter ab **εὐδήν**, id est *nullus, nihil*, derivatur, q. d. Qui alios annullant, nullos putant, nihil pendunt. Nisi quis suspicetur Septuaginta, pro duplii *nun* legisse litteram *teth*, cuius character est quasi duplex *nun*, puto pro **הַשְׁאָנָנִים** *hass-qaanannim*, legisse **הַשְׁאָנָן** *hass-qaatim*, id est spernentes. Radix enim **חֲשָׂאָן** *shaat* proprie significat, spernere, despicere, contemnere, diripere.

Huc allusit Christus *Lucæ vi, 24*, dicens: «*Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram! vœ vobis, qui saturati estis, quia esurietis!*»

OPTIMATES. — Hebraice **נְקוּבָה** *nekubah*, id est *perforati*, hoc est nominati, famosi, celebres, quos vulgo dicimus currere per linguas et ora hominum, uti sunt optimates et principes.

CAPITA POPULORUM. — Hebreum **נְאָשָׁרִים** *rescht* significat principium, primitiva, primitias, præcipua, id est duces et capita gentium, id est populum, puta decem tribuum Israel, q. d. Ad *vos*, o optimates, qui estis capita Israelis, mihi est sermo. Ita S. Hieronymus. Aut *gentium*, id est gentilium, quia inter eos eminebat Israel, ejusque optimates, tanquam populus a Deo electus, Deique quasi primogenitus. Unde Arias vertit: *Notatissimi primitiæ gentium;* Tigurina: *Celebratissimi primitiarum gentium.* Secundo, alii hæc referunt non ad optimates, sed ad montes Sionis et Samariæ, q. d. *Væ opulentis habitantibus in montibus Sionis et Samariæ!* qui montes nominati et famosi fuerunt ab olim, puta *ab initio gentium*, ut vertit Pagninus, vel, ut Vatablus, *a primitiis gentium*, q. d. Montes isti nominati sunt a gentibus nobilissimis; in Sion enim et in Samaria habitarunt Chananæi, Amorrhæi, Jebusæi, aliæque gentes usque ad septem, antiquitate et robore celebres, q. d. Ego Deus dedi vobis, o Hebrei, montes hosce inclytos, expulique propter vos priores incolas robustos et celebres, cur ergo iis contra me ad luxum, lasciviam et idololatriam superbe et ingrate abusi estis? Huic sensui furent sequentia, ubi Sion et Samariam confert et præfert Chalanne, Emath, Geth, aliisque insignibus gentium urbibus. Tertio, Chaldæus vertit: *Væ opulentis, etc., qui imponunt nomen filiis suis secundum nomen filiorum gentium!* quasi hic taxentur Judæi, quod filii suis imponunt nomina gentilia gentium vicinarum, puta *Ægyptiorum*, Ty-

riorum, Moabitarum, etc., cum quibus commercia et foedera inibant. Quod notent christiani, qui suis filiis malunt gentilium quam christianorum nomina indere. *Quarto*, Syrus vertit : *Seyuncti (designati) sunt in capita gentium*; Arabicus Antiochenus : *Iepasti sunt cum capitibus populorum*; Arabicus Alexandrinus : *Dilexerunt capita populorum; capita*, id est primas dignitates et officia. *Quinto*, nove vertunt Septuaginta in codice Complutensi : *Vindemiavi principatus, vel principes gentium, q. d.* Sustuli principes Chanaeos ex Sion et Samaria, ut vos, o optimates Hebreorum, iis surrogarem. Unde in codice Romano, et apud Justinum *Contra Tryphon*. legitur : *Vindemiarunt Israelite primicias, vel principatus*, id est principes Gentium, et ingressi sunt ipsi, supple in eorum locum et gradum : forte pro נקבי nekube, legerunt נקבות nakabti, id est perforavi, gladio trajeci, occidi; vel נקמתי nakamti, id est vindicavi, punivi; pro quo Septuaginta vertunt, *vindemiavi*, eo quod agatur hic de montibus Sion et Samariae vitiferis, in quorum vendemia hi principes opulent luxuriabantur, q. d. Vindemiarbo vos sicut vos vendemias vineas Samariae, in iisque vino et ventri indulsistis : *Et confiditis in monte Samariae*. Ita Hebraea, Syrus et alii passim. Quare male vertit Arabicus : *Qui confidunt in sideribus caeli*.

INGREDIENTES POMPATICE DOMUM ISRAEL. — Domum vocat cœtum, congregationem, sive populum Israel adunatum. Pro pompatico hebraice est *לְחֵם lachem*, id est sibi, vel ad seipsos. Tanto enim satellitio et pompa incedebant, tanto fastu et ostentatione pedes fīgebant, tanto studio per famulos turbam submovebant, solique cum suis plateas occupabant, ut, reliquis contemptis, videbantur sibi soli ingredi et incedere; ut videamus et hodie nonnullos potentes, et nonnullas matronas etiam vulgares, ita pompatico tanto syrmate incedere, ut ipsæ sole pompæ, imo pavones et pappi esse videantur. Hinc vocavit eos *capita gentium*, quod gentilium principum quibus successerant, fastum, præsertim in incessu, imitarentur et referrent. Ita Remigius, Rupertus et S. Hieronymus, qui et addit: « Ut tumorem animi corpus ostendat, et pomparum ferculis similes esse videantur, » de quibus ita præcipit Cicero, lib. I *Offic.* : « Cavendum est ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur. » Recentiores vertunt : *Et ingressa est ad eos domus Israel*; ita Pagninus, Tigurina, Vatablus. Rursum Chaldæus : *Quibus innititur domus Israel*; aut, et putant quod jungatur ad eos *domus Israel*; Arabicus : *Ingressi sunt cum parte (secta) Israelis*; Syrus : *Captivaverunt sibi filios Israelis*. Verum nostra Versio, uti clarior et simplicior, ita germanior et nervosior est. Nam idem in incessu pompatico vitium apud Israelitas et Israelites taxat Isaias, cap. III, 16 : « Pro eo, ait, quod elevatae sunt filiae Sion : et ambulaverunt

Incessus cura.

extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plau-debant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, » etc. Vide ibi dicta. Praeclare Solon dicebat « magnam curam incessus habendam. » Ex incessu enim colligitur animus : præceps arguit præcipitem, nimium lentus ignavum, pompaticus arrogantem. Ita Laertius lib. I, cap. iv. Imo Sapiens, *Ecclesiasticus* xix, 27, tres indices animi assignat, vestitum, risum et incessum : « Amictus corporis, inquit, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. » Quocirca Maximus Tyrius, *orat.* 4, ita virtutem pingit : « Decora, ait, aspectu, incessu quieta, sermone musica, oculis placidis et clementibus. »

2. TRANSITE (perperam Arias vertit, *transibitis*) Vers. 2.
in CHALANNE, — id est in Babyloniam captivi, et in Antiochiam, et in Geth urbem Palæstinorum. Nusquam enim Judæos Antiochiam, vel Geth abductos legimus. Chalanne autem celebris potensque fuit civitas juxta Babylonem, condita a Nemrod, *Genes.* x, 10 : quæ postea, aucta a Parthis, ad exhaustiæ Babylonem et Seleuciam, dicta est Ctesiphon, factaque regni metropolis. Vide Plinius lib. VI, cap. xxvi. Sensus est, q. d. Transite, o Hebrei, in Chalanne, Emath et Geth, urbes maximas et potentissimas, atque videbitis quod ipsæ non sint majores, fertiliores et meliores terminis et regione vestra, quam ex meo dono possidetis. Advertite ergo quam me sprenendo et idola colendo, ac peccata peccatis cumulando, in me ingrati et inhumani sitis, qui vobis dedi terram hanc, qua nulla est feracior nec præstantior. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, Vatablus et alii (1).

IN EMATH MAGNAM. — *Emath*, quæ et Hemath, Hemath Amath, Hammath, hebraice *Chamath* dicitur, civi- quæ et tas fuit potens, ita dicta, ait Josephus I *Antiq.* cap. quotn-plex? VII, a conditore Amath vel Amathæo, qui hebraice *Chamati* vocatur, fuitque filius Chanaan, filii Cham, Prima senten-
tia. *Genes.* x, 18. Porro duplex erat Emath, ait S. Hieronymus, Ribera et alii : una major, quæ hic vocatur Magna, atque ab Antiocho conditore dicta est Antiochia, fuitque caput Syriæ; altera minor, quæ ab Antiocho Epiphane dicta est Epiphania, et Reblata, juxta Emesam, ubi a Nabuchodonosore excæcatus fuit Sedecias, IV *Reg.* xxv, 6. Unde Epiphaniam inter Apamiam et Palmyram, versus Mesopotamiam ponit Ortelius in *Theatro orbis* : « Hemath magna, ait S. Hieronymus, quæ nunc Antiochia nominatur. Magnum autem vocat ad distinctionem minoris Hemath, quæ appellatur Epiphania. Unde usque hodie pergentibus Meso-

(1) Quem locum, ut intelligas, inquit Paulus de Palacio, notabis hunc prophetam prophetasse tempore Jeroboami filii Joas, regis Israel. Hic restituit Israeli Damascum, et Emath et vastissimam regionem ab introitu Emath usque ad mare Solitudinis (ut infra notat Cornelius); usus enim fuit Dei præsidio, sicut ei prædixerat Jonas propheta, IV *Reg.* XIV.

potamiam prima mansio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinens : cuius regio appellatur Reblata, in qua praesente Nabuchodonosor regis Judææ Sediæ imperfecti sunt filii, et oculi illius excæcati. » Et in *Loci Hebr.* : « Emath, ait, Damasci civitas, quam oppugnavit rex Assyriorum, etc. Diximus de hac et supra, quod nobis videretur hanc esse Epiphaniam juxta Emesam, quæ usque hodie Syro sermone sic dicitur. » Nota quod ait, « nobis videretur; » non ergo certo id asserit, sed dubitanter et conjectando. Favet huic opinioni, quod etiamnum exstet urbs insignis nomine Emath, inter Tripolim et Aleppo, uti Romæ accepi a Reverendissimo D. Archiepiscopo Damasceno Maronita, et aliis qui recenter Syriam perlustraverunt, quæ sane Emath eodem pene sita est loco, quo fuit veterum Epiphania, ut patet ex tabulis cosmographicis.

Secunda. Secundo, alii ex adverso probabilius censem Scripturam tantum unam ponere Emath, scilicet Antiochiam, sitam post Libanum, ad Orontem fluvium in Syria Damasci (unde nunquam nominat Emath minorem), in qua primum S. Petrus cathedralm collocavit, atque discipuli primitus vocati sunt Christiani. Hæc ab Amos, volente ex ejus magnitudine ostendere magnitudinem Hierosolymæ et Samariæ, dicta est magna, non respectu alterius minoris, sed quia amplissima fuit, adeo ut Strabo, lib. XVI, tradat eam fuisse tetrapolim, hoc est suo ambitu complexam quatuor civitates: primam, inquit, Antigonus, filius Philippi, construxerat; alteram multitudo habitatorum; tertiam Seleucus Callinicus; quartam Antiochus Epiphanes, a quo Epiphania, sicut et Antiochia, dicta est. Unde liquet eamdem civitatem nunc vocari Antiochiam, nunc Epiphaniam, nunc Reblata. Hinc Aquila hic vertit, *Epiphaniam*. Sic et Josephus, I *Antiq.* VII, et a Castro hic. Quin et S. Hieronymus in *Loci Hebr.*, videtur dicere Rabbath magnam, id est Antiochiam, esse Epiphaniam, quanquam concise et confuse loquitur. Juxta hanc sententiam, omnia quæ in Scriptura de Emath dicuntur, accipienda sunt de Antiochia. Antiochia igitur fuit terminus Terræ sanctæ ad septentrionem; unde ejus longitudo in Scriptura ab introitu Emath (Antiochiae) usque ad torrentem, seurivum Ægypti censetur. Hinc eo usque pervenerunt exploratores Terræ sanctæ missi a Mose, *Num.* XIII, 22. Insuper Thou rex Emath, missis muneribus, pacem a Davide petiit et impetravit, II *Reg.* VIII, 9; sed Salomon Emath, id est Antiochiam, expugnavit, et ejectis inde Chananæis restauravit valideque communivit, II *Paral.* VIII, 3. Obtinuerunt deinde eam Syri; sed Jeroboam rex Israel tempore Amasiæ regis Juda, Jonæ prophetæ verbis excitatus, eamdem recuperavit, et Israeli restituit. Deinde expugnavit eam Sennacherib, IV *Reg.* XVIII, 24. Hinc ejus mentio crebra fit in Isaia, Jeremia, Ezechiele et Zacharia. Tenuit eam Nabuchodonono-

sor, in eaque resedit, dum castra ejus obsiderent Hierosolymam, IV *Reg.* XXIII, 33, et cap. XXV, 21. Postea ab Alexandro Magno occupata, et ab Antiocho illustrata sedesque regni facta, dicta est Antiochia. Ibidem Jonathas Machabæus contra Demetrium castrametatus fuit, I *Machab.* XII, 25. Demum Romani, ac tandem Sarraceni eamdem sui juris fecerunt, uti etiamnum Turcis subjacet.

Objicit huic sententiae Andreas Masius, exactus locorum Terræ sanctæ in dagator, scribens in *Josue* XIX, 35, quod Emath a Zacharia, cap. IX, 2, et *Jeremia*, cap. XLIX, 23, ponatur intra ditionem et terminos Damasci; Antiochia autem duobus gradibus cum dimidio, Epiphania vero sesquigradu altior Damasco collocetur a Ptolomæo; quousque non videtur se extendisse ditio et regnum Damasci: ergo Emath non videtur esse Antiochia, nec Epiphania, sed tertia aliqua urbs post Sephaniam infra Jordanis ortum. Nam ibi ponitur Rebla (quæ dicitur fuisse in Emath, *Jeremiæ* XXXIX, 5), *Numer.* XXXIV, 11, eaque vicina erat Nephtalitis, quibus in sortem cecidit Emath, *Josue* XIX, 35. Huic opinioni favet Ortelius, qui in prisæ Chananaeæ descriptione ponit Chamath, sive Emath juxta Libanum et Sephaniam, inter Tyrum et Cæsaream Philippi: idem facit Adrichomius in *Descriptione Terræ sanctæ*. Videtur id valde probabile; nam Emath hæc fuit in tribu Nephtalim, cuius sors non videtur se extendisse usque ad Antiochiam. Unde Marinus in *Lexico*, Emath Nephtaliam diversam ponit ab Emath vulgata et communi, ex eaque prognatos dicit Cinæos, ut liquet I *Paral.* II, 55, ubi dicitur: « Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris,» hebraice, *de Chamath vel Emath*. Verum Masi ratio non plane convincit; nam ditio Damasci, æque ac Israelis, primitus longe admodum sese extendit, scilicet usque ad Euphratem, ut patet *Josue* XIV, *Deuter.* XI, 24. Imo non desunt qui censeant Damasci fines se extendisse usque ad Babylonem, ideoque pro eo quod ait Amos, V, 27: « Migrare vos faciam trans Damascum,» S. Stephanum, *Act.* VII, dum citat verba Amos, dicere: « Transferam vos trans Babylonem. » Damascus enim totius Syriæ erat caput et domina. Magis urget ratio Marini, quod sors Nephtalim non videatur se extendisse usque ad Antiochiam. Sic enim longe superasset sortes aliarum tribuum. Rursum, quod ex Stephano, lib. *De Urribus*, constet plures urbes (facile decem) dictas esse Antiochias, quatuor vero Epiphianas, sed in diversis provinciis. Ergo pariter plures videntur fuisse Emath. Denique maxime urget quod *Josue* I, 4, *Deuter.* XII, 24, pro Emath, terminus Terræ sanctæ ponatur Libanus, imo, ut Septuaginta vertunt, Antilibanus, a quo ulterius progrediendo Antiochia distat itinere quinque dierum. Quis credat ultra Libanum tanto spatio se extendisse fines Israelis, imo unius tribus Nephtalim? huic enim Emath attribuitur *Josue* XIX, 35. Quocirca nulli chorographi Terræ sanctæ in ejus

descriptione ponunt Antiochiam quasi ejus terminum, sed Libanum, et juxta eum Emath, ut patet ex tabulis Adrichomii, Orteli et aliorum. Emath ergo, quæ ponitur terminus Terræ sanctæ ad aquilonem, fuit vicina Libano, nec longe a Damasco, cui ex adverso ad meridiem, terminus ejusdem Terræ sanctæ ponitur desertum, scilicet Arabiæ, per quod transierunt Hebræi venientes ex Ægypto in Chanaan, ac præcise torrens Rioncoluræ : sicut ad orientem terminus ejusdem ponitur Euphrates; ad occidentem mare Mediterraneum. Tertia ergo hæc sententia chorographorum valde probabilis est. Sed quidquid de ea sit, consentiunt omnes hic apud Amos per Emath magnam intelligi Antiochiam ad Orontem, illustrem et potentem Syriæ urbem, quæ et Epidaphnis dicta est, a suburbano et vicino fonte Daphnes, lauris et amœnitate inclyto. Hæc dicta est hebraice *Chamath* et *Chamma*, id est sol, quod quasi sol inter urbes Orientis effulgeret, uti postea effulsit in Christianismo, cum S. Petrus in eadem primo cathedralm Pontificiam collocavit.

ET AD OPTIMA QUÆQUE REGNA HORUM. — Septuaginta, et ad optimas, scilicet civitates, *de regnis istis*, q. d. Ite et lustrate optimas urbes Syriæ, et videbitis Samariam et Sion iis præstare. Unde Arias, Pagninus et Vatablus vertunt : *Si meliora sunt regna horum regnis vestris* (1) ?

Moraliter, de finibus piorum et impiorum
Mystice, Israel sunt fideles et sancti; hi præ cæteris gentibus latiores habent terminos, eosque optimos: quia non exigui temporis limitibus, terræque puncto, ut impii et mundani, sed immensis æternitatis cœlique spatiis spes suas finesque felicitatis suæ, metiuntur, ita ut fidenter impi dicere possint: « Si terminus vester latior

(1) Hujus versus difficilior sensus, præsertim si cum præced. et conseq. connectere velis. Juxta Rosenmuller, et hic est fere sensus a Cornelio expositus, ut magis et apertius illorum ingratitudinem ostendat, qui terræ a Deo ipsis concessæ bonis ad luxum et voluptatem abutentur, et secure contemnerent prophetarum monita, invitâ illos, ut vicinas urbes celebratissimas imperii et ubertatis, potentiaeque nomine adeant et perlustrant, considerenque num ab illis superentur... Sunt quidem isti populi non mediocriter felices, et fines eorum satis ampli, non tamen feliciores sunt vobis, nec fines eorum ampliores vestris, quos meo beneficio possidetis, imo et felicitate et terminorum amplitudine vobis utrique cedunt. Maurer e contra hanc rationem a nexu prorsus abhorrentem judicat. Nam, cum vers. 1, et 3 et seqq., vates temerariam principum fiduciam perstringat, eosque falli dicat putantes occasum imperii procul abesse, versus secundi nequaquam eum qui Rosenmuller est probatus, sed illum exspectas quo exempla proponantur regnorum, quæ, licet majora et potentiora fuissent regnis Judæorum atque Israelitarum, tamen resistere hostibus non potuerint, cum jam non sint. Ex quo quam temeraria sit vestra fiducia intelligitis. *Fuisse*, quod negat esse in præsenti, regna illa potentiora regno Judaico atque Israelitico, vates non expressis verbis dicit, sed cogitatione suppressit, potuitque supprimere, quia *Chatane* modo expugnata erat ab Assyriis (cf. *Jesa. x, 9*), *Hamath* a Jeroboamo (*II Reg. XIV, 25*; cf. infra vers. 14 hujus capitisi), *Gatha* ab Usia (*II Chron. xxvi, 8*).

termino nostro est. » Et illud *Zachar. cap. IV, 10*: « Quis » vestrum « despexit dies parves » hujus ævi momentanei? Et illud *Job XXIV, 24*: « Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur. » Et illud *Psalm. XXXVI, 35*: « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat: et quæsivi eum, et non inventus locus ejus. » Impii vero regerant piis et sanctis illud *Baruch III, 24*: « O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus est, et non habet finem; excelsus et immensus. » Ipsi vero gementes suam sortem defleant, eo quod stulte parva magnis, brevia æternis, terrena cœlestibus prætulerint, dicantque illud *Sap. V, 8*: « Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrrens, et tanquam navis, » etc. Quam sapit qui cum Magdalena audit illud Christi: « Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. »

3. **Qui SEPARATI ESTIS IN DIEM MALUM** (2), — scilicet *Vers. 3.* captivitatis et excidii, q. d. A Deo ob scelera vestra, quasi anathemata separati, et dicati estis mactationi et excidio. Secundo, efficacius hebreum **מִנְדָּם** *menaddim*, vertas active, separantes vos ad diem malum, q. d. Ipsimet vos separatis, et devovetis excidio, dum minas Prophetarum contemnitis, et ultiro in scelera ruitis, ob quæ quasi oves a Deo mactabimini; unde Septuaginta vertunt: *venientes, vel qui venitis ad diem malum.* Ita S. Hieronymus, Albertus, Hugo et alii. Tertio, Chaldæus, Clarius, Vatablus et Rabbini vertunt, *separantes diem malum*, id est qui a vobis separatis, et amoliri connamini diem excidii, quem Prophetæ intentant, ut liberius peccetis, dicentes illos falli, vel de futuris et longinquis sæculis loqui. Unde Tigurina vertit: *Qui in longinquum rejicitis diem malum* (3); Pagninus: *Qui longinquum putant diem malum.* Nam, ut ait Aristoteles *II Rhetor. cap. V*, « quæ longinqua sunt, non metuuntur; sciunt enim omnes fore ut moriantur, sed quia id prope esse non putant, ideo nullam curam suscipiunt. »

ET APPROPINQUATIS SOLIO INIQUITATIS. — *Solium iniquitatis*, quod inducit Israelitis diem malum, est regnum, tyrannis et solium imperii Assyriorum, qua Israelitas judicabunt, id est vindicabunt, capient et punient, quasi submissi judices et vindices a Deo, ad ulciscendam idololatriam aliaque scelera in Deum commissa, q. d. Vestris continuis sceleribus accersitis Assyrios, et acce-

(2) Subintelligendum juxta Ackermann, *væ vobis*, et *¶¶* e vers. 1 ad initium vers. 3 repeti debet.

(3) Rosenmuller sic vertit: *O procul removentes diem malum, et facitis appropinquare consessum injustitiae.* Observanda, inquit, antithesis, ac si hoc dicat Deus: Removetis a vobis indictum per prophetas supplicium, quasi aut nunquam futurum, aut certe post multos annos; et tamen non removetis id, unde paratum est vobis id malum.

leratis vestrum excidium. Sic tropologice peccatores qui peccata peccatis cumulant, appropinquant solio Luciferi et inferno. Ita S. Hieronymus, Albertus, Hugo, Lyranus et S. Augustinus, lib. IV *De Doctr. Christ.* cap. vii, ubi ex hoc loco Amos ostendit quanta in S. Scriptura sit eloquentia, nervus et vis dicendi.

Secundo, Chaldaeus, Rabbini, Pagninus, Clarius et Vatablus jam citati sic vertunt et exponunt per antithesin : Separatis et a novetis a vobis diem malum excidii, solium autem violentiae et injustitiae (quo injuste judicatis, pauperesque opprimitis et spoliatis) prope adducitis, q. d. Vultis amovere a vobis pœnam, et interim acceditis ad culpam, cum non possitis a vobis amoliri pœnam, nisi prius amoliamini culpam.

Tertio, alii moraliter sic exponunt : Separatis a vobis diem malum, puta diem laboris, ideoque accersitis solium iniustitiae, q. d. Non vultis laborare, otiosi estis et pigri, ideoque vos ditare vultis ex iniuitate, iniustitia et rapina pauperum, ut eorum bonis otiose lascivialis et luxuriemini, ut sequitur :

Vers. 4. **4. QUI DORMITIS IN LECTIS EBURNEIS, ET LASCIVITIS IN STRATIS VESTRIS.** — Ad lasciviam libidinis hæc referunt S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo, Lyranus et S. Augustinus, lib. IV *De Doctr. Christ.* cap. vii, q. d. Væ vobis, lascivi et libidinosi ! unde pro *lascivitis*, Vatablus et Pagninus vertunt : *Indecore se distendentes in stratis suis*; Chaldaeus : *Qui submergunt se in stratis suis*. **Secondo** et aptius ad tricliniorum et mensarum luxum, puta ad pretiosos tapetes et stragula, quibus vestiebant cubicula et triclinia, et ad pretiosos toros et lectulos, in quibus molliter jacentes more gentis accumbebant mensæ, hæc referunt R. David, Arias, a Castro et Prado in *Ezech.* cap. xxiii, 41. Taxantur enim hic optimates et judices Israelis, quod ex rapinis pauperum luxu diffuerent, ac splendida et opipara instruerent convivia. Unde sequitur : « Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii, etc., bibentes vinum in phialis. » Epulæ enim et cantilenæ triclinio et mensæ adhibentur, non cubili et veneri. Quocirca Septuaginta hic vertunt : *Qui affluitis delicis in stratis vestris*. Ex Hebræo sic vertas : *Qui cubatis in toris eboris, et superfluitis in lectulis vestris*, quasi dicat : Qui superbo et superfluo apparatu et ornatu condecoratis lectulos vestros. Rursum, superfluis ferculis et delicis instruitis mensas, iisque distenditis ventres vestros, quod est peccatum luxus et gulæ, æque ac lasciviæ. Unde Noster vertit, « *lascivitis* ; » sicut enim vituli bene pasti sunt petulci, et lasciviunt saltitando, cornutando, erecta cauda cursitando, ita et convivæ bene saginati petulantes sunt, et quasi asoti lasciviunt indecoris verbis et gestibus. Unde Apostolus, *Ephes.* v, 18 : « Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria, » græce ἀσωτίᾳ, id

est *lascivia*, qualis exercetur in saltationibus, choreis, psalteriis, etc. Item in pretiosis unguentis, coronis, balneis, tum præviis convivio, tum illud comitantibus et sequentibus. Uterque hic sensus huic loco congruit, et posterior priori subordinatur, in eumque desinit : nam ex mensis itur ad cubilia, ex gula in venerem : venter enim mero æstuans despumat in libidinem.

Porro lecti mensales dicti sunt *lecti* a legendis herbis et stramentis, ex quibus olim fiebant, ait Varro. Idem dicti sunt *tori* a tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponebantur, ait Isidorus lib. II *Etymol.*, et Servius in illud lib. V *Eneid.* :

Lectuli
mensales
quales ?

Proximus ut viridante toro consederat herbae.

Inde triclinium dictum a tribus lectis, in quibus veteres epulabantur. Insuper triclinia fieri, interni, et ornari solita ebore, auro et argento, docet illud lib. *Esther.* cap. I, 6, in convivio Assueri : « Lectuli quoque aurei et argentei super pavimentum, smaragdino et pario stratum lapide, dispositi erant. » Idem docent Plinius lib. xxxiii, cap. xi, et Varro, lib. VIII, et Horatius, lib. II, *satyr.* vi, dum ita canit :

Rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

QUI COMEDITIS AGNUM DE GREGE, — de grege selectum, ut pinguiorem et meliorem cæteris.

ET VITULOS DE MEDIO ARMENTI — selectos, pingues et saginatos. Hebraice : *Et vitulum de medio saginarii*, id est de loco saginæ, in quo saginantur et impinguantur. Is locus vitulis grandioribus sunt pascua; unde Noster, l *Reg.* xxviii, 24, vertit, « *vitulum pascualem*. » Vitulis vero tenerioribus est stabulum, in quo, utpote loco obscuro et quieto (tam enim quies quam obscuritas facit ad concoctionem, ruminationem et impinguationem animalium) lacte, præsertim materno, saginantur et incrassantur.

5. QUI CANITIS AD VOCEM PSALTERII. — Septuaginta, ἐπιχρυσάντες, id est *prævalentes* (S. Hieronymus legit ἐπιχρυσάντες, id est *concrepantes*) ad vocem organorum; Hebraice בְּהַפְּרֵת *happoretim*, id est qui particularizant ad os nabli, id est qui propria et particularia cantica concinunt, eaque varia juxta varium concentum nabli : ita Pagninus et Vatablus; vel, ut R. David, a Castro, qui vocem variis incisionibus, minutionibus, tonis, inflexionibus et modulationibus incident, et variant instar philomelæ minurientes. Taxat nimiam molitiem et delicias musices in conviviis optimatum Israelis, qui huic suæ musicæ prætexebant exemplum David. Unde subdit :

Vers. 5.

SICUT DAVID PUTAYERUNT SE HABERE VASA CANTICI, — id est instrumenta musica, quasi dicat : Luxum suæ musices convivalis excusant exemplo Davidis; sed perperam : nam ille eam adhucit ad Dei laudes, eamque gravem; hi vero ea

molli et lasciva abutuntur ad gulam et luxuriam. Ita S. Hieronymus. Mirum est Septuaginta vertere : *Sicut stantia putaverunt, et non sicut fugientia, q. d.* Putarunt has delicias fore stabiles, cum sint fugaces et evanidæ. Aurea est hæc gnome, quam urgens et exaggerans S. Chrysostomus, hom. 1 in Genes. : « Et hæc, ait, cum experientia didicerint, quasi stantia arbitrati sunt et manentia, et non quasi fugientia, hoc est avolantia, et ne ad momentum quidem permanentia. Talia enim sunt humana omnia, et carnalia, nondum recte advenerunt, et avolarunt : tale quiddam sunt delicitæ ; et tale quiddam humana gloria et potentia ; tale quiddam divitiae ; tale quiddam universa hujus vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum; sed magis quam fluminum fluenta prætercurrit, nudosque ac solos relinquit eos qui illis inhiant. Atqui spiritualia sunt firma, immobilia, vicissitudinem non accipientia, ad omne sæculum se extendentia. Quantæ igitur fuerit dementiæ nutantia cum immobilibus commutare, temporaria cum his quæ in sæculum duratura sunt, perpetuo manentia cum his quæ avolant ; et ea quæ nobis illic grave supplicium paritura sunt, cum his quæ in futuro sæculo felicitatem summam afferunt? »

Musica veterum in conviviis. Nota : Veteres Hebræi et Gentiles in conviviis ad recreationem convivarum adhibebant musicam et vocum et instrumentorum, quam, si moderata sit et honesta, laudat Ecclesiasticus cap. xxxii, 5, 7, 8; loquens enim de symposiarcha, sive moderatore convivii : « Non impedias, ait, musicam. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et (sic est, sic ornat convivium) comparatio, » id est concentus, « musicorum in convivio vini. Si eut in fabricatione auri (in aureo annulo, v. g.) signum, » id est sigillum et pala, « est smaragdi : sic numerus, » id est numerosa harmonia, « musicorum in jucundo et moderato vino. » Et cap. xl, 20 : « Vinum et musica lætificant cor : et super utraque dilectio sapientiæ. Tibiæ et psalterium suavem faciunt melodiam, et super utraque lingua suavis. » Idem usus fuit tempore Christi ; unde *Lucæ* xv, 25, senior filius « audivit symphoniam et chorum, » quibus pater celebrabat convivium ob filii junioris redditum. Verum Prophetæ subinde hanc musicam carpunt, vel ob excessum, vel ob intemperantiam, vel quod canerent cantica inhonesta vel irrisoria : aut quod ita iis vacarent, ut negligenter curam reipublicæ et justitiæ, imo ea adornarent et instruerent ex rapinis pauperum. Ita Isaias, cap. v, 11 : « Væ, ait, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, etc. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris; » ut suavius et plenius vos inebrietis. *Psalm. LXVIII*, 13 : « In me psallebant qui bibebant vinum, » id est in me dictabant carmina : ego eram eorum cantilena, risus et fabula. Quocirca Apostolus christianos monet de sua agape et convivio eucharistico :

« Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobis metipsis in hymnis et canticis spiritualibus, » *Ephes.* v, 18. Idem mos apud Gentiles. Unde Athenæus, lib. XIV *De Cœnis Sapientum*, docet lege et more majorum sanctum esse, ut in conviviis canerentur deorum hymni, idque voce communi, omnibus pœana canentibus, ait Clemens lib. II *Pædag.* iv. Quin et convivis tradebatur lyra, quam juxta propinaciones resignabant alternatim et transverse : unde ob obliquam et transversam hanc lyræ circumlationem, carmina illa dicebantur ὥσπλατα, id est *obliqua*, de quibus Athenæus lib. VIII et lib. XV.

6. BIBENTES VINUM IN PHIALIS. — Septuaginta, *Vers. 6.* *vinum defæcatum*. Hoc enim bibitur ab opulentis in phialis aureis, aut vitreis, ut præstans et limpidum ; Tigurina : *Qui bibunt vinum in pateris*; Vatablus, *in vasis amplis et magnis*, q. d. Vini-potentes, qui ingentes pateras et crateres exhausti.

ET OPTIMO UNGUENTO DELIBUTI. — Chaldæus : *Excellentia pretiosorum unguentorum unguntur*; helbraice est, *capite unguentorum*, id est præcipuo aromate et unguento, v. g. balsamo, de quo Juvenalis, *satyræ* II :

Unguentum
in conviviis,
car?

Hirsuto spirant oprobalsama collo.

Ex capite enim defluebant in faciem et collum. Veteres in conviviis adhibebant unguenta, tum ad voluptatem, tum ad sanitatem; eo quod cerebrum natura frigidum et concretum, suo fraganti odore, calore et lenitate resolvant et recreent, inquit ex Aristotele Plutarchus, lib. *De Iside*, et Massarius apud Athenæum : « O felix, inquit, annon nosti sensus nostros qui sunt in cerebro, excitari suavibus odoribus, et puriores suavioresque effici, sicut Alexis ait : Sanitatis maximam partem bonos odores cerebro conciliare. » Hinc illud *Psalm. ciii*, 15 : « Ut exhilareret faciem in oleo. » Et *Psalm. xxii*, 5 : « Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum. » Ita Magdalena effudit unguentum super caput Christi discubentis, *Matth. cap. xxvi*, 7. Et Christus, *Matth. cap. vi*, 17 : « Tu autem, ait, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, » q. d. Ut tuum jejunium dissimules et tegas, adhibe unctionem et lotionem in convivio adhiberi solitam, quasi ex eo prodeas. Denique Ecclesiastes, cap. ix, 8 : « Omni, ait, tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat, » q. d. Indulge balneis et conviviis : nam vestes candidæ et oleum symbola sunt balneorum et compotationum, eo quod a balneis exeuntes, albis vestibus inducebantur, quas coenatorias Romani vocabant, quod cum ipsis in cœna mensæ accumberent. Ita Philo, lib. *De Vita ruretica*, tradit Judæos in festis convivia albatos celebrare

solitos. Idem de Romanis tradit Horatius, lib. II,
satyra II :

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Festos albatus celebret.

Iisdem de causis coronabant capita convivarum coronis rosaceis, myrtleis, aliisque floribus et herbis odoriferis, simul ad hoc, ut cerebrum iis confortatum minus læderetur vino, magisque resisteret ebrietati. Ita Ovidius, *Fastor.* lib. V :

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa.

Rosa enim, odoris sui prodiga, citissime evaportatur : emittit enim odoris fluxum, indeque rosa a Græcis φόδος; vocatur, q. d. Fluens odor, ait Plutarchus lib. III *Sypos.* cap. III, qui et addit : « Quo fit ut etiam celerrime marcescat : naturalem enim habet vim refrigerandi, aspectu igneum aliquid ostentans. Nam in superficie ejus tenuis efflorescit calor, eo a frigore expulsus. » Hic calor profusi odoris est causa. Unde voluptuarii dicunt, *Sapient.* cap. II, 7 : « Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant. » Vide Plutarchum III *Sypos.* prob. I, Athenæum, lib. V, Plinium, lib. XXI, cap. III. Merito nimias in hisce delicias carpit hic Propheta : quia effeminent animos viriles, adiunguntque ad dolos, rapinas aliaque scelera. Quocirca Epaminondas dux Thebanorum, a quodam ad cœnam invitatus, cum belliorum, obsoniorum et unguentorum mirum apparatum invenisset, subito recessit, dicens : « Ego te sacrificare, non lascivire putabam. » Ita Brussonius, lib. II, cap. II. Et Cicero in *Pisonem*, de Gabinio : « Erant compiti capilli, et madentes cincinnorum fimbriæ. » Et Tibullus, lib. III, *eleg.* VI :

Jamdudum Syrio madefactus tempora nardo.

Hinc videtur quod Hebræi, æque ac Romani, incesserint nudo capite ; alioqui enim indecorum illud perfusum fuisse unguento. Ita Sanchez.

ET NIHIL PATIEBANTUR SUPER CONTRITIONE JOSEPH. — Tigurina : *Neque illis dolet quod Joseph,* id est regnum Israel, atteritur, q. d. Non compatiębantur calamitati et paupertati multorum popularium suorum inter decem tribus, quæ hic a suorum regum patre et patriarcha vocantur Joseph : nimirum hi optimates Israel ex rapinis pauperum se ditantes, convivantes et lascivientes, ærumnas populi tum privatas, tum publicas non curabant, ac præsertim instans illi Dei judicium et excidium Assyriorum, per sana consilia, per pœnitentiam et emendationem vitæ, per preces, per leges pias et sanctas non conabantur ab eo avertere et amoliri. Ita S. Hieronymus, Theodoreus, Lyranus, Emmanuel, Mariana et Vatablus. Addit S. Augustinus, lib. IV *De Doctr. Christ.* cap. VII, Joseph pro quovis fratre et proximo

hic ponit : quia in fratribus, inquit, Joseph est celebris, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit.

Moraliter, hic innuitur quod voluptatis filia propria et genuina sit immisericordia, juxta illud Prov. XII, 10 : « Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia. » Ita Sodomitæ ex deliciis crudeles evaserunt, juxta illud Ezech. XVI, 49 : « Ecce hæc fuit iniqitas Sodomæ, etc., superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus : et (unde) manum egeno et pauperi non porrigeant; » quia putabant suo ventri, id est gurgiti voluptatum, decessurum id quod in eos expendissent. Ex adverso piorum et Sanctorum nota et virtus est misericordia. Unde Sanctus hebraice vocatur תְּסִדֵּד chasid, id est misericors, et eleemosyna solet vocari *justitia*, id est sanctitas, ut Psalm. CXI, vers. 9 : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia (id est misericordia, eleemosyna) ejus manet in sæculum sæculi. » Vide S. Chrysostomum, conc. I *De Lazaro.*

Ita videmus id quod deplorat hic Amos etiamnum subinde fieri, nimirum ut optimates et magistratus qui sua querunt, suo genio indulgent, suis commodis student, ærarium in convivia expondunt, dies in epulis transigunt, rem pauperum et populi negligere, jura habere venalia, muneribus justitiam vendere, pauperes opprimere, atque, ut verbo dicam, rempublicam perdere, imo hosti, si is eam emere velit, prodere. Ita olim de Roma luxu diffluente dixit Jugurtha, ait Brussonius lib. I, cap. I : « O urbem venalem, et cito peritoram, si emptorem invenerit ! » Nam, ut ait Pythagoras apud Laertium, lib. VII, cap. I, in civitates primo deliciæ irrepunt, mox saturitas, deinde violentia, denique excidium. Quocirca Sapiens, *Proverb.* cap. XXXI, 4 : « Noli, ait, regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas. Et ne forte bibant, et obliviscantur judiciorum, et mutant causam filiorum pauperis. » Et Eccles. cap. X, 16 : « Væ tibi, terra, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis est, et cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam. » Huic enim dediti, tam temperantium et castitatem quam famam perdunt, vitamque abbreviant, et mortem accelerant.

7. QUAPROPTER NUNC MIGRABUNT IN CAPITE TRANSMIT- Vers. 7.
GRANTIUM, — q. d. Optimates Israel inter primos capientur ab Assyrīis; ipsi, quasi hirci gregis duces, ducent agmen captivorum euntium in Assyriam. Ita S. Hieronymus.

ET AUFERETUR FACTIO LASCIVIENTIUM. — *Factio* vocat cœtum optimatum, qui in scelere, puta in rapinis, conviviis, luxu et lascivia, simul convivantes et complotantes conspirabant, q. d. Ipsi factiones et symposia instituunt : sed ego Deus illas dissolvam et dissipabo. Septuaginta vertunt,

hinnitum : Et auferetur, inquiunt, hinnitus ex Ephraim. Est metaphora ab equis : sicut enim equi avena bene pasti et saginati hinniunt et lasciunt, ita et hi optimates. Hebraice est מִרְצָח mirzach, quod proprio significat convivium funebre in exsequiis mortui, q. d. Vestra convivia sunt funebria : quia ex rapinis pauperum quos emaciatis, itaque occiditis, ea instituitis. Unde Tigurina vertit : *Tunc recedet convivium luxuriosorum;* Syrus : *Auferetur gaudium a principibus eorum;* Arabicus : *Auferetur varietas (ornatus et variegatae vestes) ab equitibus;* Vatablus et Pagninus : *Tunc appropinquabit luctus extensorum,* id est eorum qui se extendere solebant in lectis eburneis, ut dixit vers. 4. Hebræum enim נַד sur significat et recedere, et accedere; Hebræi enim verbum simplex usurpant pro omnibus compositis, eo quod iis careant.

Factio tollenda sublate capite.

Politice hic nota, ut factio et rebellio gentis tollatur, tollendos esse optimates : hi enim factionis sunt capita et duces. Id probe norat Tarquinius Superbus, qui nuntio dubiae fidei ad filium nullas dedit litteras; sed, eo in hortum adducto, summa papaverum capita baculo decussit : quo facto nuntiato, filius intellectus quid pater vellet, nimirum præcipi sibi ut capita et optimates Gabinorum sibi resistantium demeteret, hoc est, vel occideret, vel in exsilium relegaret. Ita refert Livius, *decad.* I, lib. II; Valerius Maximus, lib. VII, cap. IV; Plinius, lib. XLVII, cap. IV et VIII. Idem suasit Trasybulus Milesiorum tyrannus Periandro Corinthiorum tyranno, qui eum per nuntium rogarat quid facto opus esset ut securus regnaret? Respondit enim ipso facto : nam nuntio in messem maturam adducto, summas frumenti aristas baculo decussit : ex quo cognovit Periander principum capita tollenda, si tyrannide potiri vellet. Ita narrant Aristoteles lib. III *Polit.* cap. IX, et lib. V, cap. X, et Laertius in *Periandro.*

Vers. 8. 8. JURAVIT DOMINUS DEUS IN ANIMA SUA, — per animam et vitam suam, dicendo : « Vigo ego, » id est juro per vitam meam.

DETESTOR EGO SUPERBIAM JACOB (Israelis), ET DOMOS EJUS ODI. — « Domos, » scilicet magnificas et superbas, quas ex usuris et rapinis ædificant, cum patres ejus, Abraham, Isaac et Jacob in cassis et tentoriis habitarint, quasi exsules et peregrini in terra, ac cives cœli. Unde hebraice est נְאָרָמֹנּוֹת armanoth, id est palatia. Ita Chaldæus. Ita Deus superbas domos Joakim regis detestatur, *Jerem.* cap. XXII, 13, dicens : « Væ qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in iudicio! Qui diecit : Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiose; qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide. » Hinc ei pœnam intentans, vers. 19 : « Sepultura, ait, asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem. » Et Isaias, cap. V, 8 : « Væ qui conjungitis domum ad domum! numquid vos

soli habitabitis in medio terræ? » Vide ibi dicta.

ET TRADAM CIVITATEM CUM HABITATORIBUS SUIS. — Hebraice : *Tradam urbem et plenitudinem ejus,* hoc est, Assyriis tradam Samariam et incolas ejus. Hi enim vocantur ejus plenitudo, quia eam suo numero et turba implent et replent. Per civitatem enim intelligi Samariam probat Theodoretus ex eo quod agat de decem tribubus : has enim vocat Ephraim, Jacob et Joseph; harum autem caput et metropolis erat Samaria. Ita et S. Hieronymus, Remigius, Hugo, qui tamen secundo, per civitatem accipiunt Jerusalem, quæ erat caput Jacob, id est duodecim, et postea duarum tribuum. Censem ergo excidium Jerusalem per Chaldæos, ac deinde per Titum et Romanos hic denotari. Utramque expositionem conciliabis, si cum Lyrano dicas per civitatem synecdochice hic accipi civitates quaslibet Hebræorum. Porro directe loquitur Propheta de Samaria et decem tribubus, indirecte et comitanter de Jerusalem et Judæis, ut dixi initio capit. 9.

9. QUOD SI RELIQUI FUERINT DECEM VIRI IN DOMO Vers. 9. UNA, ET IPSI MORIENTUR, q. d. Si qui Israelitæ in domo aliqua absconditi manus Assyriorum effugerint, aut ab eis ut pauperes, viles vel ægri derelicti fuerint, hi quoque in eodem domo peste aut fame morientur.

10. ET TOLLET EUM Vers. 10. (id est unumquemque eorum (ita Septuaginta), qui scilicet peste et fame mortui sunt) PROPINQUUS (Pagninus et Vatablus, patruus) SUUS, — ut comburat nepotis vel cognati sui cadaver, ossaque reliqua sepeliat. Hæc enim erant justa funebria, quæ propinqui cognatis defunctis persolvebant, tam apud Hebræos, quam apud Romanos.

ET COMBURET EUM. — Hebraice וְסַרְפֵּה saraph, id est et comburens eum : saraph enim sive per samech, sive per sin scribatur (hæc enim duas litteræ æquipollent), significat comburere. Unde angeli vocantur Seraphini, id est incendentes : quia Dei amore ardentes, aliosque accendunt. Hinc Tigurina vertit, vesillo : hujus enim erat cadaver curare, et more gentis comburere ac tumulare. Et Chaldæus : *Tollet eum ab incendio propinquus ejus ad efferendum.* Imperite ergo Rabbini recentiores, quos sequuntur Pagninus et Vatablus, vertunt, avunculus ejus. Porro combusta fuisse mortuorum Israelitarum cadavera patet ex eo quod subdit : « ut efferat ossa » reliqua ex combustione cadaveris : ex quo patet Israelitas ad vitandum cadaverum fœtorem, putrefactionem, tabem et luem, ne scilicet illa pestem vivis afflarent, ea combussisse. Idem fecisse Romanos norunt qui Romam videbant : Romæ enim in priscis sepulcris passim ingentes urnas testaceas conspicimus, in quibus cadaverum combustorum cineres servabantur. Græcos quoque cremasse defunctorum cadavera docent Thucydides, lib. II, et Lucianus, lib. *De Luctu* : « Græcus, ait, exurit, Persa defodit. » Porro fuerunt hac de re diversæ sapientium sen-

Hebrei
Græci et
Romani
cadavera
comburent.

tentiae. Nam, ut ait Servius in lib. XI *Aeneid.*: « Heraclitus, qui vult omnia igne constare, dicit debere corpora in ignem resolvi : Thales vero, qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora, ut possint humore resolvi. » Rursum Varro, lib. De Sepultura : « Heraclides, ait, Ponticus plus sapit, qui praecepit ut comburent, quam Democritus, qui ut in melle servarent (quasi resurrectura et rursum victura) : quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possemus. » Insuper Servius, in lib. III *Aeneid.*, Romanos crematione funerum usos esse docet : « Romani, ait, contra faciebant comburentes cadavera, ut statim anima in generalitatem, id est in suam rediret naturam. » Et Ovidius lib. I *Trist. eleg. iv* :

Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, et in tepido deseret ossa rogo.

Et Silius Italicus, lib. X *in funere Pauli*, ubi et causam assignat :

Hæc Libys : atque recens crepitantibus undique flammis,
Æthereas anima exsultans evasit in auras.

Causam aliam dat Quintilianus, *declam. x* : « Dixerunt, inquit, animam flammei vigoris impetum perennitatemque non ex nostro igne sumentem, sed quo sidera volant, et quo sacri torquentur axes, inde venire; unde omnium rerum auctorem parentemque spiritum ducimus, nec interire, nec solvi, nec ullo mortalitatis affici fato; sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, et exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit, petere sedes inter astra. » Christiani hanc cremationem sustulerunt, tum ut Dei sententiae in Adam ejusque posteros latæ, *Genes. III*, magis se conformarent : « Pulvis es, et in pulverem reverteris; » tum ut naturam sequerentur, quæ sponte corpora defuncta in elementa sua resolvit; tum maxime ut fidem et spem resurrectionis superstitibus ingererent. Ideo enim cadavera terræ commendabant quasi in depositum, quod in die resurrectionis ea repetitur sit Deus, ut resuscitet et vivificet. Idem fecisse Judæos fideles verique Dei cultores, patet *Genes. L*, 3 et 25; *Josue VIII*, 29; *III Reg. XIII*, 22; *Tobias I*, 22; *Josue*, XXIX, 43. Excipio funera regum, quæ publica pompa cum aromatibus honoris causa cremabantur. Israelitæ vero etiam plebeiorum ossa cremabant, vel quia idololatræ gentium idololatrarum ritus sequebantur : vel quia in communi iude et peste, eamdem reprimere igneque purgare, ne in superstites proasperet, conabantur. Cadavera ergo cum tabe et peste comburebant (1). Post cre-

mationem faciebant ossilegium : cognati enim et amici ossa cremati colligebant, et in æneam, auram, argenteam vel marmoream urnam recondebant magna cura et cæremonia. Docet hoc Virgilius, *Aeneid. VI* :

Ossaque lecta cado jecit Corinæus abeno.

Quin et suorum conjugum, fratrum, filiorum, parentum, si alibi defuncti essent, ossa in patriam revehebant. Unde Ovidius in Scythia moriturus, ita de suis ossibus præcipit, lib. III *Trist.*, eleg. III :

Ossa tamen facito parva referantur in urna :
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Ritum hujus ossilegii describit Tibullus lib. III, eleg. xx. Primo enim docet lecta fuisse ab amicis et propinquis :

Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram, etc.
Mœreat hæc genero, lugeat illa viro.
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa,
Incinctæ nigra candida veste legant.

Ubi secundo, docet collectores ossium fuisse incinctos, id est soluta fluxaque veste more mulie-

rem sensim invaluisse. De Saulc quidem ejusque filiis certum esse, eorum cadavera ex muro Bethsan sublata, a Jabsitis combusta esse et ossa sepulta. Verum singulare hoc fuisse videri, ex metu factum, ne sepulta modo cadavera effoderentur denuo a Philistæis atque ludibriis afficerentur (*I Sam. xxxi*, 12 et seq.; cf. *ibid. vers. 10*). Cætera tria loca quibus probari velint cadavera Hebræis combusta fuisse (*II Chron. XVI*, 14; *xxi*, 19; *Jerem. XXXIV*, 5), plane aliena esse, ut quibus agatur de combustis *aromaticis*, non cadaveribus... Si hoc loco cogitemus de cadaverum crematione, qualis Romanis in usu erat, pergit Rosenmuller, haud unum, opinor, emergit absurdum. Quod si enim in tanta mortuorum frequentia singulis non exhiberi potuerunt sua justa, adeo ut caro demortui interim fuerit putrefacta, et vix ossibus hæserit, quis credat, *domi* carnes illas fuisse combustas, ut ossa saltem condi potuerint sepulcro? Quis, quæso, fætor, si per singulas, aut saltem plerasque sedes, tale quid institutum? quis et quantus hic labor, tantam lignorum struem congerendi, quæ carnibus sufficerit absumendis? qui sumpitus? quot lignorum cæduorum dispendia? quæ et quanta incendiorum illinc pericula? Annon expeditiori labore parari potuisset una uni, vel saltem pluribus capiendis fossa? Perpendat modo quis, quam caute in campum martium, aut extra urbem, intervallo bis mille passuum, aut sexaginta passuum a quavis casula, ob flammæ periculum, remiserint Romani, ne etiam fætor molestiam crearet vicinia (vide ad Guid. Pancirolli *Rerum memor.* lib. III, nott. Salmuthi, pag. 339); quid vero factum putas, si in aedibus privatis et simul quidem pluribus, arsisserint busta?

Non obstantibus his Rosenmuller rationibus, Maurer asserit quemadmodum quod *I Sam. I*, factum narratur, singulari de causa factum est, sic hoc quoque loco statuendum videtur, quo corpora mortuorum commode putantur comburenda dici metu contagionis. De omnibus impedimentis quæ exaggerat Rosenmuller, vates ne ex longinquo quidem cogitavit, inquit Maurer. Acquiescendum est igitur in *combustoris* significatu, eoque confidentius quo incertior est illa *vicini propinquui* significatio.

(1) Rectius Rosenmuller sibi videtur vertisse, *et tollet eum propinquus et vicinus ejus*, ita autem ut statueret, duabus causis se duci passus est. Una est, quod humaverint, non combusserint Hebræi corpora mortuorum. Justo fidentius asseruisse J. D. Michaelem, Hebræos inde a Saulis tempore comburere mortuos cœpisse, eumque mo-

rum; et atratos, hoc est nigra veste indutos. Insuper prius manus abluisse, dum ait:

Perfusæque pias ante liquore manus.

Tertio, in ossa collecta lac et vinum infudisse, ac deinde in linteo ea ventilasse, ut humor vini infusi exsugeretur. Subdit enim:

Et primum annoso spargant collecta Lyæo:
Mox etiam niveo fundere lacte parent

(ut aptentur circulo lacteo, ad quem heroum animas post mortem deduci censemabant Romani, teste Cicerone in *Somn. Scip.*):

Post hæc carbæsis humorem tollere ventis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.

Quarto, in ossa immisisse odores et aromata, ac denique lacrymas:

Illic quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, dives et Assyria.
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.

Quinto, matres et cognatæ ossa prius in sinum colligebant, quam ea in urnam inferrent. Docet id Tibullus, lib. I, eleg. III:

Abstineas, mors atra, precor: non hic mihi mater,
Quæ legat in moestos ossa perusta sinus.

Et Seneca, *Consol. ad Helviam*, cap. XI: « Modo in eumdem sinum ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti. »

Porro Augusti ossa, ait Suetonius in ejus Vita, cap. c, legerunt primores equestris ordinis, tuniciati et discincti, pedibusque nudis. Hoc ultimum reverentiae Augusti datum: nam nudipedes fuisse aliorum ossium collectores non legimus. Hæc Gentiles Gentilibus! quid jam faciant Christiani Christianorum, imo sanctorum et martyrum, osibus et reliquiis? quo honore ea prosequentur?

ET DICET (scilicet propinquus, qui quasi vespillo, sive pollinctor e domo mortuaria sibi cognatorum extulit ossa ad sepulturam: « dicet, » inquam, cum a sepultura redierit) EI QUI IN PENETRALIBUS (id est incolæ) DOMUS (mortuariæ suos defunctos lugenti): NUMQUID ADHUC EST PENES TE (aliquis mortuus, cuius ossa efferam et sepeliam)? ET RESPONDEBIT (incola domus): FINIS EST, — q. d. Omnes mortui elati sunt, nemo restat præter me, qui meam orbitatem et solitudinem lugeo. Unde Syrus vertit, et dicit illi: Non est, quoniam perierunt, pro eo quod recordationem non facerent in nomine Domini.

Stant tamen rationes a Rosenmuller allatae, et ideo retinendo *combustoris* significationem, illam vocem intelligendam esse dicemus de iis qui circa cadaver suffumigationes faciebant adversi odoris pellendi causa.

44. ET DICET EI: TACE, ET NON RECORDERIS NOMEN DOMINI. — Quæres, quis dicet? an incola dominus, an propinquus vespillo? Et cur? Primo, Chaldaeus: Dicet, inquit, propinquus incolæ domus lamentanti suos defunctos: *Tace*, noli flere; defunctus enim tuus juste a Deo morte punitus est, quia Deum non colebat, Deique nominis oblitus, eum non invocabat. Sic enim vertit: *Remove* (lacrymas et lamenta), *quia dum vita fruebatur* (cognatus tuus defunctus), *non fundebat preces in nomine Domini*. Secundo, S. Hieronymus et Vatablus: Solebant, inquit, in lamentis et ærumnis, v. g. in funeribus nominare et invocare nomen Domini; Israelitæ vero adeo erant idolis addicti, ut nec in funere vellent Deum verum nominare et invocare. *Tertio*, Lyranus, Sanchez et Ribera censem esse verba incolæ domus, qui ex impatientia dicat propinquum eum solanti, et ut Dei opem invocet suadenti: *Noli mihi refricare nomen Domini*, ipse enim horum funerum et malorum omnium mihi est auctor. Ita ex impatientia delirant impii, cum, si saperent, in tribulatione ad Deum recurrerent, et omne suum refugium in eo collocarent. Imo Gentiles in afflictione suis diis, quasi ejus auctoribus maledicebant, uti etiamnum faciunt Sincæ et Japones, qui deos suos flagellant. Sic Eneas ob mortuam uxorem, *Eneid.* II:

Quem non incusavi amens, hominumque deumque?

Sapienter enim Seneca, lib. VIII, *declamat*. « *Diligentius*, ait, *dii coluntur irati*. » Ita sapuit Job a Deo tot flagellis exercitus, cum dixit cap. xxiii, 3: « *Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus?* » *Quarto*, alii censem ex desperatione dici, q. d. Ne mihi nomines Deum, eumque invocare suadeas: permisus enim, actum est de nobis, nec ipsa salus si velit, nos servare possit. *Quinto*, Ruffinus censem dici ex omni et terrore. Adeo enim malis a Deo inflictis perculti erant, ut vel Deum nominare non auderent, formidantes ne, si vel eum nominarent, novam ab eo cladem et quasi novum fulmen exciperent. Unde Arabicus vertit: *Tacete, ut non nominetis in nomine (nomen) Domini*. *Sexto*, Arias et a Castro censem esse verba Amos, qui hoc epiphonemate ærumnas hasce extremas concludat, q. d. Dicet propinquus incolæ domus lugenti suorum funera: *Tace, ne fleveris*: « *Et ne recorderis*, » id est, nam tunc recordari non licet, « *nominis Domini*. » Tunc enim tanta omnes obruet calamitas et afflictio, ut non lubeat, nec liceat Deum nominare et invocare. Sic saepe justo Dei judicio accidit peccatoribus, qui vitam in deliciis transigunt, et pœnitentiam in mortem differunt, ut in morte tot curis, doloribus et angoribus opprimantur, ut Dei et salutis suæ obliviscantur. Omnes pene hi sensus probabiles sunt: secundus tamen, tertius et quartus planiores sunt. Porro contrarie vertit Pagninus: *Nos enim sumus assueti commemorare nomen Domini*, q. d. *Vespillo solabi-*

tur incolam domus dicendo : *Noli flere, sed de more invoca nomen Domini* (1).

Vers. 12. **12. QUAEC DOMINUS MANDAVIT** (id est ordinavit, disposuit, decrevit, ac sicut decrevit, sic et exsequetur, atque) **PERCUTIET DOMUM MAJOREM RUI-
NIS, ET DOMUM MINOREM SCISSIONIBUS.** — Tò quia recte cohæret cum sensu tertio Lyrani jam dato. Verum generalius referri potest ad omnia præcedentia, q. d. Tantæ clades et strages imminent tam Sioni quam Samariæ, quas a vers. 1 hucusque recensui, quia Dominus justus injuriarum suarum vindex «percutiet domum majorem, » id est regnum decem tribuum ac Samariam, «ruinis, » id est pleno interitu et perpetua captivitate, ut plane corruat et pereat regnum Israel instar testæ casu diffractæ, quæ reparari et redintegrari nequit. «Domum minorem» vero, id est regnum Sionis et Judæ, «percutiet scissionibus, » id est rupturas et scissuras ex eo auferet; partem ejus scilicet occidendo, partem captivando; sed has scissuras sarciet et restituet per Esdram et Nehemiam, cum, annuente Cyro, captivos ex Babylone in Judæam remittet. Ita S. Hieronymus, Chaldaeus, Remigius, Rupertus, Hugo, Lyranus, Ribera et alii. Unde Chaldaeus vertit : *Et percutiet regnum magnum percussione forti, regnum vero minus plaga remissiori.*

Nota : *Pro ruinis* Pagninus et Vatablus vertunt, *rimis*, vel fissuris, quasi hic Deus minetur Samariæ terræ motum, quo domus tam magnæ quam parvæ findendæ, et rimas acturæ sint. Hebraice est **רִסֵּין resisin**, quod Marinus, Forsterus et a Castro vertunt, *stillis*, vel *distillationibus*, quæ causant rimas et fissuras in domo, juxta illud *Cant. cap. v, 2* : «Caput meum plenum est rore, et cincinni mei resisin, » id est distillationibus, et «guttis noctium.» Sensus est, ait a Castro, q. d. Deus per Assyrios percutiet et subvertet omnes domos Samariæ, tam majores, quæ multis constant habitatoribus, sigillatim illos interimendo, quam minores, quæ minus possunt resistere, simul et semel eas confringendo. Verum primus

(1) Postquam interroganti illi qui foris est, sunt ne etiam cadavera quæ domo efferat, is qui intus est respondit nulla esse, hic ipse subjicere vult formulam grati animi sensa testantem, quod ipsi licuerit esse superstisti, vel, quod eodem reddit, putat ille qui foris est, velle eum qui intus est, talem formulam recitare. Fortasse in morem venerat apud Hebreos, recitare talia, quando efferebatur mortuus. Talia igitur grati in Deum animi verba cum superstes in eo est ut recitet, vel in eo esse putatur ut recitet, ille qui foris est eum interpellans : *Tace*, inquit, *neque enim laudandum est nomen Jovæ*; nam non est quod laudes Jovam, gratias agas Jovæ pro servata vita, nam *tibi* quoque moriendum est, moriendum est omnibus ad unum!... Hic solus sensus, ut aptissimus per se est, sic maxime est conveniens ad ea quæ præcedunt et subsequuntur. Versu 9 enim, si vel decem unius familiæ viri effugerint e manibus hostium, moriendum et ipsis esse dixerat, versu 11 autem, præmissa particula *causaliter*, Jovam constituisse dicit. funditus de le sine discriminé omnes.

sensus jam datus, uti communior, ita verior et certior est. Unde hebræum *resisin* non tantum complutiones et distillationes, sed et fracturas et contritiones validas significat : ita enim vertunt Septuaginta, Chaldaeus et Noster. Alludit enim **רִסֵּין resisin** per samech ad **רַצְסִין retsitsin** per tsade, quod proprie fracturas et contritiones significat, omnium Hebræorum consensu. Adde hic non agi de unius Samariæ et decem tribuum, sed et de duarum, id est omnium duodecim tribuum excidio. Hoc enim significant illa verba vers. 15 : «Et conteret vos ab introitu Emath usque ad torrentem deserti. » Hic enim limes et terminus ponitur non decem, sed duodecim tribuum, adeoque totius terræ promissæ, uti dixi vers. 2. Ita S. Hieronymus. Porro causam tanti utriusque gentis excidii subdit, ejus sceleras, quod scilicet justitiæ, rerumque naturam et ordinem perverserit et subverterit : ideo enim lege talionis mereri, ut et ipsa utraque subvertatur et intereat. Ait ergo :

13. NUMQUID CURRERE QUEUNT IN PETRIS EQUI, AUT ARARI POTEST IN BUBALIS? — Hebraice est : *Num current in petra equi? num arabit (arator) in bobus?* scilicet feris et indomitis, puta bubalis, uris, bisontibus; unde Noster vertit, *in bubalis*. Nam aliis bobus ciciribus et domesticis tam aratur, quam equis. Porro bubali olim tempore Amos, præsertim in Judæa, féri erant et indomiti, ut jugum et aratum excuterent. Unde Martialis, lib. I :

Vers. 13
Illi cessit atrox bubalus atque bison.

Jam vero in Italia videmus eos eatenus cicurari, ut subjugales fiant, jugumque cursus admittant, et aratris serviant. Sensus est, q. d. Sicut impossibile est ut in petris currant equi, et arenæ jugumque suscipiant bubali indomiti : ita impossibile est vos currere in via mandatorum Domini, quæ vobis dura et saxea videtur; aut subire jugum legis Dei : quia vos estis quasi bubali indomiti, jugum omne excutientes. Ita libertas libertate perit. Qui enim renuit servire Deo, cui servire regnare est, serviet suis concupiscentiis, suæque præfractæ voluntati et diabolo, quæ gravissima est servitus. Quocirca Christus, repudiatis Judæis iugis Evangelici impatientibus, quasi bubalis, elegit gentes quasi boves cicures et domitos, dixique illis : «Tollite jugum meum super vos; » qui proinde vomere Evangelicæ doctrinæ et vitæ terram infidelium proscindentes, fructum regno Dei operati sunt, magnamque animarum messem collegerunt. Ita Rupertus, qui putat ab Amos hic prædicti Judæorum, quasi bubalorum reprobationem : gentium vero, quasi cicurum, electio nem.

Secundo, recentiores passim repetunt tò *in petris*, sicque facile ad quosvis boves hæc adaptant, hoc modo : *Numquid current in petra equi? numquid arabit arans bobus in petra?* q. d. Vos, o Is-

raelitæ, perinde agitis, ac si in rupe quis equum ad cursum, aut bubalum vel bovem ad arandum incitaret, hoc est, agitis omnia ordine inverso et præpostero. Sicut enim ista naturæ repugnant, ita vos agitis repugnantia naturæ, rationi et Deo: quia judicium, id est justitiam, quæ naturæ, Deo et rationi consona, dulcis est et placet, vertistis in peccati absinthium et amaritudinem, quæ naturæ, Deo et rationi dissona, amara est et exsecrenda. Ita Pagninus et Vatablus. Rursum, « sicut non solent equi currere in petris, neque agricultoræ arare in petrosis locis, cum nullus inde fructus sit sperandus; sic ex tam impudenti vita vestra, nequaquam felicitas erit speranda, » inquit Clarius. Unde Syrus vertit: *Numquid currunt supra petram equi, aut trahunt in ea aratrum, vel vomerem?*

Insuper contra naturam est equi, inquit Palatius, « currere super rupe, et contra naturam bovis est arare super eadem rupe; itidem contra naturam judicis est currere et arare super injustitia. Si enim velint bos aut equus currere, vel arare super petra, frangent crura, et pectora lacerabunt. » Parcemia hæc ergo tria significat: *primo*, Israelitas in sua injusta et prava vita præpostere laborem; *secundo*, inutilem laborem eumque molestum suscipere, ac rem impossibilem tentare. Sic ait Poeta :

Non profecturis littora bobus aras;

tertio, laborem hunc non tantum fore inutilem eis, sed et noxiū ac exitialem. Hic sensus facilis est et planus, ac valde Hebræo consonat. Simile proverbium est: « Fronti ocream, tibiæ galeam applicas. »

Huc pertinet expositio Sanchez, qui censet esse amplificationem ab impossibili. Cum enim quid inexpectatum aut valde absurdum fieri videamus, dicimus in rerum natura nihil fore jam impossibile factu, quasi dicat: Cum video quod Israel Deum dulcissimum amaricari, et converterit in fel et absinthium, quod videbatur impossibile, dico jam naturam rerum inverti, ut deinceps equi cursuri sint in petris, bubali araturi, quod hactenus credebam esse impossibile. Sic Ovidius videns se proditum ab amico intimo, quod putabat esse impossibile, ait jam nihil impossibile esse iudicandum. Sic enim canit lib. I Trist. eleg. vii:

Terra feret stellas, cœlum findetur aratro,
Unda dabit flamas, et dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præposta legibus ibunt,
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam;
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.

Et pastor ille videns Nisam Nympham speciosam nupsisse Mopso stolido, apud Virgilium, eclog. viii:

Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis, ævoque sequenti
Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.

Porro idem pressius hæc applicat Israeli, q. d. Non est, o Israelitæ, quod putatis civitates vestras esse inexpugnabiles ab hoste, sicut petræ sunt inarabiles ab equis et bubalis: quia cum vos sceleribus vestris rerum naturam immutaveritis, et Deum suavissimum in fel converteritis; pariter ipse soli locique vestri naturam immutabit, facietque ut equi hostiles in petris vestris currere, easque subjugare, ac in iis bubali arare possint. Hæc expositio videtur concinna et plausibilis.

Tertio, S. Hieronymus, quem sequuntur Remigius, Albertus et Hugo, censet Israelem ruinis, Judam scissionibus comparari, quia scissa domus sarciri potest, ruinæ vero debent reædificari, restaurari nequeunt: ruinas Israeli comparari equis, qui nequeunt in petris currere; scissiones Judæ comparari bubalis, qui silvestres boves sunt, et tam indomiti, ut jugum cervicibus non recipiant, et propter feritatem nolint arare, q. d. Vos, o Israelitæ, stolidiores, duiiores et deteriores estis equis et bubalis. « Cum enim hi naturam suam mutare non possint, vos mutastis naturam Dei, ut dulcem amaram faceretis, et fructum justitiae ejus in absinthium verteretis, quæ est herba amarissima. » Hæc expositio mutationem naturæ et repugnantiam non in Israeliis eorumque moribus, sed in Deo constituit, quod scilicet Israeli suis sceleribus irritando Dei naturam, quæ est ipsa clementia, eam quasi commutarint in severitatem et vindictam acerrimam.

Quarto, Ruffinus: Certum est, inquit, quod nec bubalus juga portet, nec per saxa equus sponte incedat; vos autem, qui vos et juga discussisse, et frena rupisse gaudentes, videbamini vobis esse equi in luxuria, in virtute et libertate bubali, rebus probate quod spebus hausistis, id est quod nullis subjaceatis imperiis. Quod cum utique in contrarium cadit, atque ad arbitrium hostium, perque itinera asperima ingredimini, ac graves labores confracta cervice toleratis, confiteamini necesse, nec equos vos esse, nec bubulos, nec quidquam præsidii ac virium ad opes vestras comparasse. Sensus ergo Ruffini hic est: O Israelitæ, jaetabitis vos esse liberos, quasi equos salaces et effrenes, qui non in petris, sed in campis quo volunt, currunt; et bubulos indomitos, qui jugum aratri excutiunt. At ego jugum captivitatis per Assyrios vestro collo imposui, cogoque incedere et currere per petras et rupes, quasi mancipia in Babylonem. Ergo non estis equi effrenes, sed frenati; non bubali indomiti, sed domiti et capistrati. Verum hæc expositio multa subaudit et supplet, quæ in textu non habentur. Quocirca prima et secunda expositio magis planæ sunt et genuinæ.

Quinto, Septuaginta hæc omnia de equis, non de bubalis accipiunt. Vertunt enim: *Si persequentur in petris equi, si tacebunt ad feminas?* Hebræum enim יְהֹוָשׁ iacharos, et arare, ut vertit Noster, et tacere, ut vertunt Septuaginta, significat. Rursum ipsi pro בְּנֵקְרִים babbekarim, id est in bobus,

videntur legisse בְּנֵקְנִיכְתָּם bannekebim, id est in feminis, ad feminas : utrobique enim hebraicæ litteræ sunt similes. Alludunt ad id quod vers. 7 verterunt : *Auferetur hinnitus equorum ex Ephraim*, pro quo Noster vertit : « Auferetur factio lascivientium. » Porro versionis Septuaginta hunc sensum dat Theodoreetus : Sicut equi ad equas quas prospexerunt non tacent, sed adhinniunt ; sic hostes Assyrii in vos, o Israelitæ, expeditissimo impetu et clamore, quasi hinnientes ad prædam, irruent et grassabuntur. Tropologice S. Hieronymus, per equos accipit dæmones, qui formidant viros, insaniunt in feminas, id est homines molles et effeminatos : « Quando, ait, virilem viderint animum et Dei fortitudine roboratum, non audent accedere ; quando vero effeminatam mentem unguentis ac deliciis enervatam, et in muliebrem versam mollitiem, statim insaniunt, et se tenere non possunt, et gestiunt ad libidinem. » Unde Arabicus vertit : *Qui currere nimis faciunt equos in tædio, ut sileant (quiescant) a feminis.*

CONVERTISTIS IN AMARITUDINEM JUDICIUM, ET FRUCTUM JUSTITIAE IN ABSINTHIUM. — *Judicium et justitia primo*, hic proprie accipi possunt, q. d. Pervertitis jura et justitiam in judiciis, absolvendo divites nocentes ob munera, et pauperes innocentibus condemnando : hoc enim taxavit cap. IV, 1; secundo, generatim pro eo quod aequum et justum est, q. d. Pro æquo facitis iniqua, pro justo injusta et impia, pro honesto inhonesta, puta pro virtute vitia et scelera.

Vers. 14. 14. **QUI LÆTAMINI IN NIHIL.** — Hebraice, *in non verbo*, id est in non re, in nihilo, in eo quod non est aliquid, ut vertit Pagninus. Sed Symmachus, ἀλόγως, id est frustu, absque ratione et causa, q. d. Qui exsultatis in vestris idolis, quæ sunt res nihili, aut in vanis fluxisque opibus et voluptatibus, ac præsertim in potentia hujus sæculi vestroque robore ac viribus, dicentes :

NUMQUID NON IN FORTITUDINE NOSTRA ASSUMPSIMUS NOBIS CORNUA? — id est vires, animos et robur, quibus rempublicam tueamur et hostes invadamus. Ita superbi vires, quas a Deo acceperunt, imo quas non habent, sibi arrogant. Humilius et verius Psaltes, *Psalm. XLIII*, 6: « In te, ait, inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis, » in nos. Est metaphora a tauris, quorum audacia et robur sunt in cornibus. Unde tauro rhinocerotem comparans Martialis in *Amphith.*, sic ait :

Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
Jactat ut impositas taurus ad astra pilas.

Sic Horatius ait vinum addere cornua, id est animos viresque timido et pauperi. Nam lib. III, ode XXI, alloquens amphoram :

Tu, ait, spem reducis mentibus anxiis
Viresque, et addis cornua pauperi.

Sic Plautus ait : « Cornutam bestiam petis, » id

est, lacesis animosum et paratum ulcisci. Et Moses, *Deuter. cap. XXXIII*, 17, de Joseph ait : « Cornua rhinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ. » Porro, quia opes dant animos viresque, suntque quasi cornua divitium ; hinc per cornua aliqui cum Chaldæo hic intelligunt substantiam et divitias.

Tropologice, peccator lætatur in nihilo, id est Morali- in rebus frivolis et evanidis. Hinc peccatum vo- ter, peccator læ- catur *nihil* : *primo*, quia ipsum est res nihili, id tatur in est vana et nullius pretii vel momenti ; *secundo*, nihilo ob quia cito voluptas ejus transit et evanescit ; unde septem *Psaltes, Psalm. LXXV*, 6 : « Et nihil invenerunt om- *ratiōnes.* nes viri divitarum in manibus suis ; » *tertio*, quia peccatum peccatorem dicit ad nihil, id est ad interitum et mortem, tum præsentem, tum æternam ; *quarto*, peccatum est nihil in genere moris et virtutis, quod est bonum morale ; peccatum enim non est bonum, sed malum morale ; *quinto*, quia peccatum est privatio boni : privatio autem non est ens positivum, sed negativum, puta ni- hil ; *sesto*, quia peccatum privat Deo, qui est omnia et omnium opifex, sine quo factum est nihil : cum ergo peccatum et peccator sit sine Deo, se- quitur ipsum esse nihil in genere moris. Audi S. Augustinum in *Soliloq. cap. III et IV* : « Nihil est mors : nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formi- damus. Et juste quidem hoc, Domine : nam di- gna factis recipimus, dum ad nihilum devenimus tanquam aqua decurrentis ; quia sine te factum est nihil, et nos faciendo nihil, facti sumus nihil : quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil. Væ mihi misero toties annihilato ! quia tu verbum per quod facta sunt omnia, et ego sine te, sine quo factum est nihil. » Et cap. V : « Miser factus sum, et ad nihilum redactus sum, et nescivi ; quia tu es veritas, et ego non eram tecum. Ad nihilum duxerunt me iniquitates : quia tu es Verbum per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil : et ideo sine te factus sum nihil, quia est nihil, quod ad nihilum dicit. Quæcumque per Verbum facta sunt, valde bona sunt. Quare bona sunt ? quia omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quia nihil bonum sine summo bono est ; sed malum est, ubi non est illud bonum quod ulla nihil est : quia nihil aliud est malum, quam privatio luminis. Malum ergo nihil est, quia factum non est ; sed qualiter malum est, si factum non est ? Quia malum privatio boni est, per quod factum bonum est : esse ergo sine Verbo, malum est ; quod esse non est, quia sine ipso nihil est. Separari ergo a Verbo, est esse sine via, sine veritate, sine vita ; et ideo sine ipso ni- hil, et ideo malum ; quia separatur a Verbo, per quod facta sunt omnia valde bona. Separari au- tem a Verbo per quod omnia facta sunt, nihil aliud est quam deficere, et a facto transire in de-

fectum, quia sine ipso est nihil. Quoties ergo a bono devias, a Verbo te separas, quia ipsum est bonum: et ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil. » Et paulo post: « Si ergo nihil fui, cum sine te fui, quasi nihil fui, et velut idolum quod nihil est, quod quidem aures habet, et non audit; nares habet, et non odooratur, oculos habet, et non videt. » Sic Ezechiel de Tyro peccatrice ait, cap. xxvii: « Ad nihilum deducta es, et non eris usque in perpetuum. » Et de ejus rege superbo, cap. xxviii, 19: « Nihil factus es, et non eris in perpetuum. » Et Apostolus, Galat. vi, 3: « Si quis, ait, existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. » Septimo, proprie et physice peccatum est nihil, quia adhæret et lætatur in creaturis, easque opponit et anteponit Creatori: creaturæ autem, si cum Creatore comparentur, sunt umbræ rerum, non veræ res, ideoque sunt nihil. Dei enim essentia et nomen est: « Ego sum qui sum, » q. d. Ego sum qui solus habeo verum, plenum, solidum, æternum et immensum esse; creaturæ vero a me participant umbram tantum hujus veri esse, quia esse ipsarum tam est exile, diminutum, breve, fugax, instabile et caducum, ut si cum meo esse comparentur, potius dicendæ sint non esse, quam esse. Consequenter creaturæ sicut non habent verum esse, sic nec habent verum bonum, sed umbram tantum boni: ens enim et bonum convertuntur; quale ergo et quantum est esse, tale et tantum est bonum, quod intima entis est proprietas. Hinc Christus: « Quid, inquit, me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus, » Luc. cap. xviii, 19, q. d. Tu censes me esse merum hominem, non Deum; noli ergo me vocare bonum, quia vera bonitas, sicut et vera entitas, non homini, sed soli competit Deo. Hinc et philosophi docent Deum in nullo esse prædicamento; quia prædicamenta sunt series rerum duntaxat creaturum. Deus ergo hæc omnia transcendens, solus unum verumque substantiæ rerumque omnium prædicamentum constituit, cuius respectu nostra prædicamenta, omnesque res eis contentæ, sunt tantum umbræ, imo nihil. Quod dixi de bono, idem dico de veritate, sapientia, potentia, justitia, sanctitate aliisque attributis. Hæc enim in Deo habent verum esse, in creaturis umbram essendi duntaxat. Quocirca Deus in Scriptura vocatur « solus sapiens, » Rom. cap. xvi, 27; « solus potens, » I Timoth. cap. vi, 15; « solus immortalis, » ibidem vers. 16; « solus Dominus, » Isaïæ cap. xxxvii, 20; « solus bonus, solus præstans, solus justus, » II Machab. cap. i, 24; « solus pius, » Apoc. cap. xv, 4; « solus gloriosus, » I Corinth. cap. i, 17, quia ipse solus habet veram, plenam, incretam et immensam sapientiam, potentiam, bonitatem, etc. Peccator ergo, quia in creaturis delectatur, non in Creatore, hinc delectatur in umbra, in nihil, non in ente vero: sed quia hæc umbræ creaturarum in hujus vita caligine ho-

mini cæco magnæ apparent, perinde ut, occidente sole, magnæ altæque cadunt de montibus umbræ; hinc umbras hasce ipse admiratur et sectatur instar canis Æsopici, qui, visa umbra carnis in aqua, eam invasit (ulpote quæ major carne apparebat in aqua), itaque carnem amisit, nec umbram obtinuit. Eia, Domine, aspiret dies tuæ claritatis æternæ, et inclinentur umbræ hujus caliginis, vanitatis et mortalitatis. Eia, Domine, dispelle tenebras nostras, illumina oculos nostros, ut non umbras bonorum, opum et deliciarum, quæ quasi præstigiæ in terra aciem mentis nostræ perstringunt, sed ipsos veros honores, opes et delicias, quas in coelis, diligentibus te, abscondisti et præparasti ab æterno, fixo obtutu intueamur, amemus et ambiamus. Amen.

Nota: Peccatum hebraice vocatur **אָוֶן** aven, quod multa significat, scilicet mendacium, vanitatem, iniuriam, laborem, fatigationem, afflictionem, idolum, nihil et nihilum. Hæc enim omnia in se revera habet, imo reipsa est peccatum. Rursum **אָוֶן** aven per crasin est **אַנְ** on, id est dolor, nimis peccatum in se contrahit parique omnem dolorem. Insuper **אָוֶן** aven per crasin est **אַנְ** vel **אָנְ**, id est en vel ain, hoc est non, sive negatio entis omnisque boni. Hoc enim est peccatum, uti jam ostendi. Aven ergo est *benoni*, hoc est, peccatum est filius, imo et pater doloris.

15. GENTEM.—Assyrios, qui vastent Samariam; et Chaldeos, qui vastent Jerusalem, itaque totam Chananæam; hujus enim terminus aquilonaris est Emath, meridionalis est torrens Ægypti, putrivus ex Nilo derivatus de eremo veniens, qui Judæam dividit ab Ægypto, et inter Rinocoluram et Pelusium in mare influit. Unde alibi sœpe vocatur torrens Ægypti, aliquando torrens deserti, aliquando fluvius turbidus, id est Nilus, quia ex eo oritur et profluit. Ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo, Lyranus et Arias. Alii tamen, ut Theodoretus, Vatablus, a Castro, per gentes solos Assyrios accipiunt; censem enim hic agi tantum de Samariæ et decem tribuum excidio, atque alludi ad robur et potentiam Jeroboam regis Israel, sub quo prophetavit Amos. Hisce enim verbis obterit ejus animos et vires, de quibus dicitur IV Reg. xiv, 28: « Reliqua autem sermonum Jeroboam, et fortitudo ejus qua præliatus est, et quomodo restituit Damascum et Emath Judæ in Israel, nonne hæc scripta sunt, etc.? » Et vers. 25: « Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath usque ad mare solitudinis. » Huic præfidentiæ et robori Jeroboam et Israelis opponit se Deus per Amos, dicens totidem verbis, sed antistrophis: Ecce ego adducam Assyrios qui vastent Israel, ab Emath usque ad mare solitudinis, imo ulterior usque ad rivum Ægypti, et tunc videbunt quam infirma fuerit eorum firmitas, quam inane robur, quam vana et falsa prævidentia, cum eorum virtus in debilitatem,

gloria in contumeliam , jactantia in gemitus et lamenta transibit. Utraque sententia ita concilianda est , ut dicamus Prophetam primario agere contra Samariam et decem tribus , secundario contra Jerusalem et Judæos , uti initio capit is ostendi. Quænam sit Emath, dixi vers 2.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Amos primo , locustam depascentem terram Israel. Secundo , ignem in illam immittit , sed utramque plagam deprecans precibus suis avertit. Videt tertio , Deum deponere trullam suæ curæ et providentiae , qua incrassare et conservare solebat murum Israelis , indeque Israelem ruere in interitum. Bursum , vers. 10 , Amasias accusat Amos apud Jeroboam , quasi seditionem , eique suadet ut in Bethel non prophetet ; sed redeat in Jerusalem. Cui respondet Amos se non esse Prophetam , sed armentarium , a Deo tamen jussum prophetare in Bethel : quod cum impedire velit Amasias , ex Deo intentat illi uxoris stuprum , liberorum necem , expilationem , excilium , totique Israeli captivitatem et excidium (1).

1. Hæc ostendit mihi Dominus Deus : et ecce fector locustæ in principio germinantium serotini imbris , et ecce serotinus post tonsionem regis. 2. Et factum est : cum consummasset comedere herbam terræ , dixi : Domine Deus propitius esto , obsecro : quis suscitabit Jacob , quia parvulus est ? 3. Misertus est Dominus super hoc : Non erit , dixit Dominus. 4. Hæc ostendit mihi Dominus Deus : et ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus : et devorabit abyssum multam , et comedit simul partem. 5. Et dixi : Domine Deus , quiesce , obsecro : quis suscitabit Jacob , quia parvulus est ? 6. Misertus est Dominus super hoc : Sed et istud non erit , dixit Dominus Deus. 7. Hæc ostendit mihi Dominus : et ecce Dominus stans super murum litum , et in manu ejus trulla cæmentarii. 8. Et dixit Dominus ad me : Quid tu vides , Amos ? Et dixi : Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus : Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel : non adjiciam ultra superinducere eum. 9. Et demolientur excelsa idoli , et sanctificationes Israel desolabuntur : et consurgam super domum Jeroboam in gladio. 10. Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Jeroboam regem Israel , dicens : Rebellavit contra te Amos in medio domus Israel : non poterit terra sustinere universos sermones ejus. 11. Hæc enim dicit Amos : In gladio morietur Jeroboam , et Israel captivus migrabit de terra sua. 12. Et dixit Amasias ad Amos : Qui vides , gradere , fuge in terram Juda ; et comedere ibi panem , et prophetabis ibi. 13. Et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes : quia sanctificatio regis est , et domus regni est. 14. Responditque Amos , et dixit ad Amasiam : Non sum Propheta , et non sum filius Prophetae ; sed armentarius ego sum vellicans sycomoros. 15. Et tulit me Dominus cum sequerer gregem ; et dixit Dominus ad me : Vade , propheta ad populum meum Israel. 16. Et nunc audi verbum Domini : Tu dicas : Non prophetabis super Israel , et non stillabis super domum idoli. 17. Propter hoc hæc dicit Dominus : Uxor tua in civitate fornicabitur : et filii tui , et filiæ tuæ in gladio cadent , et humus tua funiculo metietur : et tu in terra polluta morieris , et Israel captivus migrabit de terra sua.

(1) Hoc capite incipit altera pars libri Amos , communiones continens figuratas , sive emblematicas. Et hoc quidem caput duas complectitur partes : *primo* , prophetam ; *secundo* , historicam.

PRIMO , visiones tres in controversiam adductæ propnuntur a Propheta populo : reprobant autem earum , prima , sub imagine famis ex locustis immisis ortæ , vassationem ex Phulis incursione factam , ad Prophetæ tam preces mitigatam , 1-3 ; secunda , sub imagine ignis magnum regionis partem absumentis , deportationem

aliquot tribuum a Teglatphasar factam , ad easdem tamen preces cohabitam , 4-6 ; tertia , sub imagine muri a cæmentario non illiti , et hinc collabentis , ruinam regni ob subtractam Dei tutelam eversi , 7-9.

SECUNDO , impugnantur ab Amasia sacrificulo idoli in Bethel , 10-13 ; sed vindicantur a Propheta , qui primo , legationem sibi a Deo extraordinarie delatam declarat . 14 , 15 ; secundo , prophetiam jam factam repetit , 16 ; tertio , nova malorum familiæ sacrificuli instantium prædictione confirmat , 17.

Vers. 1. **1. ECCE FICTOR LOCUSTÆ.** — « Fictor, » id est filius, plastes et formator locustarum : hoc enim significat hebræum יְצֵר iotser. Alii legerunt aliis punctis יְצֵר ietser, id est figmentum, plasma. Unde Chaldeus vertit : *Ecce creatio locustarum*; Septuaginta : *Ecce factus locustarum*; Tigurina : *Ecce examen locustarum*, q. d. Vidi Deum quasi plasten, fingere et formare ingens examen locustarum, ipsumque examen ab eo jam formatum et productum invadere terram Israel. Solus Arias vertit : *Fingens exactores*.

vulus est? » id est ad paucitatem redactus. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius, Rupertus, Haymo, Dionysius et alii passim.

Moraliter, nota rō *fictor* significare Deum artem et curam suam intendere in locustis efformandis, sicut figulus omnem cogitationem et industriam adhibet in excogitando et effingendo vase figurino. In hisce enim animalculis elucet ars et potentia divina : « Nec in ullo magis quam in his tota natura est, » ait Plinius lib. XI, cap. II. Nimum locusta, apis, musca, etc., si naturam, organa, membraque omnia species, magnum mirumque est Dei opus et artificium : sin usum consideres, multo est majus. Nam Deus quasi mirus artifex, locustas et muscas ita fingit et format, ut per eas domet tyrannos et reges potentissimos (uti Pharaonem) ac gravissima eis inferat supplicia. Hoc est quod ait per Jeremiam cap. XVIII, 11 : « Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem : » *fingo*, id est ex-cogito et formo ita apposite, ut malum et pena

Moraliter, Deus fingit penam commensam culpe.

adamussim culpæ vestræ respondeat, eamque suo modo et modulo adæquet : sicut judex ex-cogitat supplicium sceleri latronis congruum et commensum. Vide Tertullianum, lib. II *Contra Marc.* cap. XXIV. Sciant ergo coloni, sciant cives, cum grando uvas percutit, cum aurugo segetes afflat, cum tonitru et fulmen agros siderant, cum locustæ, erucæ, bruchi, etc., sata depascuntur, ea a Deo immitti : Deus enim horum omnium est factor et fictor. Quocirca ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus, ut ad ejus nutum feriant peccatores. Itaque pro-cellis hisce et creaturis non indignentur mortales, ut faciunt stolidi canes, qui lapidem quo appetiti sunt insectantur et mordent, non hominem jacientem : sed ad creatorem et vindicem, qui eas fingit et format, oculos convertant : ab eo veniam et indulgentiam scelerum humili confessione efflagitent. Qui enim ipsi obstrepit et obmurmurat, majorem in se ejus iram provocat : « Nam cum culpa sua feriri se denegat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? » ait S. Gregorius lib. XXXII *Moral.* cap. v. Cogitet ergo illud S. Pauli, Rom. IX, 20 : « Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic? »

IN PRINCPIO GERMINANTUM SEROTINI IMBRIS, — id est in principio veris, cum omnia germinare solent per imbre serotinum, id est vernum. In Hebreo est : *In principio cum ascenderet serotinus*, scilicet imber vernus, qui prima educit et crescere facit germina. Matutinus enim imber Hebreis est, qui mane, id est tempore sementis depluit in octobri, ut semina riget, solvat et radicet in terra. Serotinus est, qui sero, id est tempore aristarum et messis, depluit in vere, ut aristas granis impleat, fecundet et maturet. Aut potius hunc serotinum explicat, dum subdit : « Et ecce serotinus post tonsionem regis, » q. d. Serotinum imbre intelligo eum qui, postquam prima herba et gra-

Porro hebræum גּוֹבֶן gobe significat locutas, eo quod elevent et exaltent pedes, a radice גּוֹבָה gaba, id est exaltavit : *gobe* ergo, q. d. Gibbosi (et ut Itali dicunt, *gobi*) cruribus. Jam gobim plurale, in regimine habet *gobe*. Est enim hic quasi regimen genitivi, nimirum, « locustæ in principio, » id est locustæ principii, hoc est primi temporis germinantis ; tunc enim locustæ teneram herbam et germen, quo mire delectantur, depascentes, ingens satis campisque damnum inferunt. Nota : Prophetæ non tantum per verba, puta per locutionem internam, excipiebant et audiebant oracula Dei, sed subinde etiam videbant ideas, vel species quasdam oculis, aut potius imaginationi suæ objectas, per quas quasi per symbola edocebantur a Deo de futuris rerum eventis. Hæ enim species significabant et symbolice repræsentabant res futuras vel arcanas. Sic Jeremias, cap. I, 11 et 13, vidit virgam vigilantem, et ollam succensam, per quæ significabatur Nabuchodonosor, qui quasi virga percussurus, et quasi olla accensa combusturus erat Iherosolymam. Sic Ezechiel, cap. I, vidit currum cherubicum, quasi solium gloriosum judicis et vindicis Dei. Sic Isaias, cap. VII, 20, vidit novaculam acutam, quæ repræsentabat Assyrios, qui quasi novacula rasuri erant terram Israel. Pari modo Amos hic vidit fictorem quemdam et plas-tan, qui agmina locustarum fingeret et formaret, uti figulus fingit vasa vel animalia ex luto. Jam fictor hic est Deus, qui omnium animalium rerumque est creator et plasmator : hoc enim significat hebræum יְצֵר iotser. Hic ergo examina locustarum, id est innumerous milites Assyrios, producit, et per turmas educit, ut terram decem tribuum depascantur et devastent. Locusta enim habet speciem militis armati, volentis insilire in hostem. Similes locutas vidit Joel, cap. I, 4 et 5, Joannes, Apocal. cap. IX, 1 et 2, ubi multa de iis dixi, quæ proinde hic non repeatam. Porro Lyranus, Clarius, Vatablus et Arias locutas hic proprie accipiunt, quasi Deus famem et sterilitatem, ex frumenti corrosione futura a locustis, minetur Israeli, hoc non est improbable: sub his tamen potius symbolice intelligit Assyrios, qui populum corroserunt, id est occiderunt vel captivarunt. Unde Propheta, ejus clade ingemiscens, ait vers. 2 : « Domine Deus, propitius esto, obsecro : quis suscitat Jacob, quia par-

mina luxuriantia detonsa essent pro sceno, ad alendos equos regios, depluit, facitque ut detonsa herba repullularet et recresceret, ac in culmos spicasque evaderet. Sensus est, q. d. Deus has locutas, id est Assyrios, fixit et emisit in terram Israel tempore verno, id est illo quo res Israeliteæ a cladibus respirare, vernare, prosperari et in segetem ingentem crescere incipiebant, adeo ut Israelitæ regi Assyriorum monarchæ tam potenti rebellare auderent. Ita S. Hieronymus. Pro serotinus hebraice est שָׁׁקֵל lekesç, quod proprie significat imbre serotinum: hunc enim significat שָׁׁקֵל malcosç, uti omnes Hebræi fatentur, quod ab eadem radice descendit, imo idem est cum lekesç. Pagninus tamen lekesç vertit: *Herba serotina; Tigurina: Herba renascens et repullulans*: per quam Vatablus accipit fænum autumnale, sive cordum, puta herbam quæ in pratis, postquam illa falce demessa sunt, succrescere solet, estque apprime commoda ovibus, sicut vice versa fœnum vernum commodum est equis, q. d. Locusta hæc involavit in fœnum autumnale, quo pasci solent oves, illudque depasta magnam famem et cladem intulit ovibus. Alii, ut Clarius, melius per herbam serotinam accipiunt, non autumnalem, sed vernam: eam nimirum, quæ post primam graminis luxuriem et copiam resecta ad alimentum equorum regiorum mox repullulavit, ac in spicas et culmos succrevit: et sic hæc versio cum nostra in idem reddit. Sensus enim est, q. d. Deus fixit locutas in principio germinationis, quæ post demessionem in pabulum equorum regiorum factam, rursum imbre serotino repullulavit in culmos; ac tune illam invadens locusta radicitus depasta est.

Allegorice S. Cyrillus in *Zachar.* cap. x, et S. Hieronymus in *Job xxviii*, pluvia matutina fuit lex vetus data per Mosen, qua semina jacta per patres legis naturæ germinabant: serotina vero est lex nova data per Christum, qua semina legis veteris germinantia maturuerunt, et ad perfectiōnem perducta sunt.

ET ECCE SEROTINUS POST TONSIONEM REGIS. — Ita legendum cum Romanis; non, post tonsorem gregis, uti legunt nonnulli: sicque explicant, q. d. Locustæ hæc de more eo tempore enatæ sunt, quo depluente imbre serotino segetes (quas depascuntur) succreverunt, et quo pariter tonderi solent oves, scilicet sub æquinoctium vernum, « in quo oves neque frigus, si lanam detraxeris; neque aestum, si nondum detonderis, sentiant, » ait Columella lib. VII, cap. IV. Verum legendum est, post tonsionem regis, non gregis. Hoc enim significat Hebræum גַּדְעֹן אֲחָר גַּד achar ghizzi ammelech. Secundo, Septuaginta pro ἡ legentes affine οἱ, scilicet pro γῆι ghizzi, γῆι gog vertunt: *Et ecce bruchus unus Gog rex, vel, ut Complutensia, in Gog regem;* nam pro גַּדְעֹן achar, id est post, legerunt גַּדְעֹן achad, id est unus, atque lekesç, quod prius verterant serotinus, æque ac Noster et alii hic ver-

tunt, bruchus: forte pro lekesç, legerunt פְּרַל lekeç, id est ligurio, qui omnia lambit et lingit, qualis est bruchus. Videntur ergo Septuaginta bruchi innumerabilem multitudinem Gog genti sævisimæ comparasse, quæ terram Judæam vastatura describitur, ait S. Hieronymus. Septuaginta sequitur Arabicus Antiochenus, qui vertit: *Ostendit mihi Dominus, et (quod) ipse veniens cum pullis (parvulis) locustæ, adveniens, currens. Et hæc est quæ ivit in terram Og regis Basan, ad comedendum herbam ejus.* Et vicinius Arabicus Alexandrinus: *Locusta congregata est, et effervet (ebullit) de valle prima in principio hiemis, et ignis venit in fine aestatis: et ipse est Gog rex.* Tertio, Aquila pro ghizzi parperam legens גַּדְעֹן aza, id est Gaza, vertit: *Ecce serotinus post Gazæ regem.* Quarto, S. Hieronymus in *Comment.* vertit: *Ecce post serotinum tonsor (sive tonsura) regis, sicque explicat: « Ostendit, inquit, Dominus Sennacherib regem Assyriorum cum infinita exercitus multitudine, instar locustæ universa tondentis, esse venturum in principio imbris serotini, quando cuncta virent, et cunctarum rerum abundantiam pollicensur.* Has autem locutas, quæ primo vere volitabant, bruchus innumerabilis sequebatur, qui veniebat post imbre serotinum, et appellabatur tonsor, vel tonsura regis, eo quod universa vastaverit. Hunc tonsorem Isaías, cap. vii, 20, acutam novaculam vocat, et statim explicat vocatque regem Assyriorum: novacula igitur et tonsor regis, exercitus Chaldeorum est, qui in modum bruchi universa populatus est. » Locusta ergo est Sennacherib cum suis agminibus: post quem sequitur bruchus, id est Nabuchodonosor cum suis, qui relicta a Sennacherib vastavit. Ita et Theodoretus, Remigius, Haymo, Albertus et Hugo. Aliter Rupertus et Ribera: Locusta, aiunt, est Salmanasar, qui decem tribus vastavit: bruchus est Sennacherib, qui duas tribus affixit; sed, orante Ezechia rege, per angelum ersa sunt ejus castra.

Verum hæc omnia proprie ad decem, non ad duas tribus spectare, colligitur primo, ex eo quod in Bethel, quæ erat decem tribuum, prophetabat Amos. Unde, vers. 13, ab Amasia inde jubetur egredi, et pergere ad duas tribus. Secundo, quia vers. 9, in tertia plaga comminatur regi Jeroboam et Israeli excidium: ergo prima vel secunda plaga nequeunt referri ad Sennacherib, qui duas tribus post excidium Jeroboam et Israeli afflixit. Tertio, quia duas priores hasce plagas a se intentatas Deus placatus precibus Amos suspendit et remisit. Constat autem cladem a Salmanasar et Nabuchodonosor recipia Judæis fuisse inflictam, non autem suspensam, eamque fuisse integrum et extremum; nam Salmanasar decem tribus, Nabuchodonosor duas evertit et abduxit. Denique in Hebræo et Latinis codicibus non habetur: *Et ecce post serotinum tonsor regis,* ut legit S. Hieronymus, sed vice versa τὸν post transponitur, diciturque: *Et ecce serotinus post tonsionem regis.* Quæ verba

sensus S. Hieronymi non admittunt, sed elidunt: significant enim serotinum imbre non ante, sed post detonsam et demessam a ministris regis, pro ejus equis herbam, eam fecisse repullulare, ac tum in eam involasse locustam, ut eam depasceret, eo sensu quem jam subjungo.

Dico ergo hæc tantum ad decem tribus spectare: illarum enim tres clades ab Assyriis infictas, sibi ordine succedentes, totidem visionibus prævidit ac prædictit hic Propheta. Unde ter repetit: « Hæc ostendit mihi Dominus. » Prima, quam hic describit, inficta fuit a Phul, qui primus e regibus Assyriorum Israelem invasit. Huic ergo singulæ hujus prophetiæ et visionis partes ex æquo respondent. Propheta eas concise enarrat, aut potius convolvit. Accipe eas explicatas et adaptatas. Vedit Amos primo, herbam primo germinantem et luxuriantem: illa significabat res Israelis efflorescentes. Secundo, vedit eam tonderi et demeti a rege: hic est Benadad rex Syriæ, qui valde afflixit Israelem, ejusque opes tolondit, et demessuit. Tertio: « Vedit serolinum post tonsionem regis, » hoc est vedit herbam a rege Benadad demessam, per imbre serotinum, id est subsequentem, repullulare et reflorescere. Id factum tempore Amos per Jeroboam filium Joas regem Israel, qui suo robore et armis res Israelis afflictas restituit, ut patet IV Regum, xiv, 25. Inde quarto, vedit Amos in herbam repullulantem involare locustas a Deo formatas, eamque depasci. Id factum per Phul regem Assyriorum, qui regnum Israelis restauratum et restitutum a Jeroboam, invasit magno exercitu, regnante in Israele Manahem, sub finem regni Oziæ regis Juda. Quinto, Amos prævidens hanc locustarum, id est Assyriorum, irruptionem, precatur Deum ut cladem hanc ab Israele avertat; precatur et impetrat: « Misertus enim Dominus super hoc, dixit: Non erit. » Id ita contigisse patet: nam Manahem ex tributo quinquaginta siclorum singulis capitibus indicto, dedit Phul mille talenta argenti, quibus acceptis, Phul « reversus est, nec moratus in terra, » ut dicitur IV Reg. xv, 20. Ita a Castro quoad rem, licet in modo non tam explicate, nec tam adæquate.

2. ET FACTUM EST: CUM CONSUMMASSET (locusta) **COMEDECERÉ HERBAM TERRÆ.** (« Cum consummasset, » id est cœpisset consummare: significatur enim actus inchoatus, non perfectus. Sic dicitur Luc. cap. ii, 21: « Postquam consummati (id est cœpti sunt consummari) dies octo, » id est die octavo. Sensus est, q. d. Cum in visione vidisset locustarum agmen incipere depascere terram Israël, adeo ut videretur eam omnino depasturum, et intellexisset a Deo per hoc significari, quod exercitus Phul et Assyriorum plane expilaturus et vastaturus esset terram Israël) **DIXI** (ego Amos, tantam Israelis vastitatem futuram prævidens, et ingemiscens): **DOMINE DEUS, PROPITIUS ESTO, OBSERCO** (miserere Israelis tui ita afflendi et atte-

rendi, ejusque expilationem et stragem tantam averte. Causam subdit): **QUIS SUSCITABIT JACOB, QUIA PARVULUS EST?** — « Parvulus, » scilicet primo, numero, id est paucus; secundo, robore, quia infirmus et invalidus; tertio, opibus, quia pauper et miser. Sensus est: Quis eriget Jacob, id est Israelem, si permittas Phul eum atterere, exhaustire et accidere? q. d. Nisi avertas, o Domine, ita hasce strages Phul, populus Israel ab eo ita accidetur et minuetur, ita fiet parvulus, id est paucus et modicus, ut instaurari nequeat, sed intereat et pereat. Ita S. Hieronymus. Dicit, « parvulus est, » non quod jam esset: nam jam Israel per vires et arma Jeroboam recreverat; sed est ponitur pro erit. Dicit tamen est, quia in symbolo locustarum terram depascentium, jam eum parvulum, id est certo expilandum et atterendum volebat Amos.

3. MISERTUS DOMINUS, DIXIT: NON ERIT Vers. 3. — hæc plaga locustarum quam vidisti, q. d. Ego exortatus tuis et aliorum Prophetarum precibus, plagan hanc a me comminatam revoco, faciamque ut non veniat locusta, id est Phul, qui vastet terram Israel. Ita contigit: quia vastationem imminentem avertit et redemit Manahem rex Israel, dando Phul mille talenta argenti, ut superius dixi. Hic verum est illud Themistoclis apud Plutarchum in *Apophtheg.*: « Periissemus, pueri, nisi periissemus. » Perditus enim ad Deum confugiens, ab eo salutem et omne bonum impetrat; uti impetravit Themistocles exsul et profugus a Xerxe rege Persarum, nuper hoste suo, cum ejus opem implorans, ab eo magnis donis ornatus et ditatus est. Ita hic perditio Israelis prævisa a Propheta movit eum ad ardentes preces, quibus illi veniam opemque ac dona Dei conciliavit.

4. HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS. (Hæc est secunda ostensio Dei, et visio Prophetæ, qua vedit Deum judicem mittere ignem in terram Israel, qui prius abyssum, id est molem magnam aquarum, absupsit; deinde partem terræ selectam, ac par modo reliqua omnia combussisset, nisi Amos precibus suis iram ignemque Dei stilisset et repressisset. Hoc est enim quod ait): **ET ECCE VOCABAT JUDICIUM AD IGNEM DOMINUS.** — Arabicus: *Vocavit in justitia ignem*; Syrus: *Vocavit ad judicandum in igne*, per ignem. Sic et Septuaginta. Est prosopopoeia; tribuit enim Deus hic judicio personam quasi judicis, aut lictoris, quasi dicat: Deus judicium, id est sententiam suæ condemnationis et ultiōnis quasi justum vindicem mittet ad ignem, quasi ad tormentum, ut scilicet ignem excitet, eoque consumat terram Israel, et devoret abyssum multam; Tigurina, *abyssum profundam*; Pagninus, *voraginem magnam*, id est populi, domorum et opum immensitatem; *et partem*, id est portionem selectam ethæreditariam. Unde et Chaldaeus vertit, *hæreditatem*, q. d. Deus saepius variis suppliciis corripuit Israelitas; at cum vidi illos non resipiscere, decrevit tandem rem ad ignem

reducere, et obduratos concremare. Ita Emmanuel, Mariana et alii.

Secundo, Hebræum לְרִיכָב larib suo verti potest cum Tigurina et Aria : *Et ecce vocans ad litem*, vel *ad iugum in igne Dominus*, q. d. Deus juridice citavit, et in jus ad suum tribunal vocavit terram Israel, provocans ad ignem ; atque illi litem intendit, ut ageret eam ream ignis, et ad incendium damnaret. *Tertio*, Vatablus vertit : *Et ecce vocabat Dominus ad litigandum cum igne*, q. d. Vocabat Dominus ad sese angelos ministros justitiæ suæ, ut judicio suo damnatos plecterent igne, hoc est incendio magno abyssum multam, id est multam terræ regionem et partem, scilicet regiorum pratorum, absumerent.

Quæres, quodnam fuit hoc judicium ignis ? Respondet Lyranus et Vatablus Deum immisisse in terram Israel ignem proprie dictum , aut , ut alii, ingentem solis ardorem , qui abyssum , id est mare Galilææ siccaret , ac magnam frugum fructuumque partem torreret et perderet. Tale fuit incendium quod sub Phaetonte rege contigit tempore Mosis , uti notat Eusebius in *Chron.*, de quo multa fingunt et fabulantur Poetæ.

Audi Ciceronem , lib. II *Officior.* : « Phaetonti , inquit , filio Sol facturum se esse dixit quidquid optasset ; optavit ut in currum patris tolleretur : sublatus est ; atque is , antequam constitit , ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum ? » Hinc dictus est Phaeton ἀπὸ τοῦ φάους , id est a luce , et αἴθω , id est uro , ait Servius in illud *Aeneid.* V :

Auroram Phaetontis equi jam luce vehebant.

Et Ovidius , II *Metamorph.*, fuse fabulam enarrans ait :

Tunc vero Phaeton cunctis e partibus orbem Aspicit accensum , nec tantos sustinet æstus : Et mox arbitrio volucrum raptatur equorum. Sanguine tum credunt in corpora summa vocato Æthiopum populos nigrum traxisse colorem. Tum facta est Libye raptis humoribus æstu Arida. Arsit et Euphrates , Babylonius arsit Orontes. Æstuat Alpheus , ripæ Sperchiades ardent ; Quodque suo Tagus amne vehit , fluit ignibus aurum.

Et inferius Jovem fulmine afflantem Phaetontem ita pingit :

Intonat , et dextra libratum fulmen ab aure Misit in aurigam , pariterque animaque rotisque Exxit , et saevis compescuit ignibus ignes. At Phaeton rutilos flamma populante capillos Volvit in præcepis , longoque per aera tractu Fertur.

Hoc est quod pater ei prædixerat :

Phaeton, pœnam pro munere poscis.

Secundo, Arias per ignem accipit pestem , quam ait Deum immisisse Israeli , quæ abyssum , id est

magnam populi multitudinem , et partem optimatum et principum absumperit.

Tertio , S. Hieronymus , Remigius , Rupertus , Hugo et Ribera censem post cladem decem tribuum prima visione Amos præsignificatam , ac secunda ejus visione præsignificari cladem duarum tribuum , et excidium ac incendium Hierosolymæ infligendum a Nabuchodonosore et Chaldaeis. Nam cap. præcedenti , vers. 1 et 12, significavit Amos se non tantum contra Samariam et decem tribus , sed etiam contra Sionem et duas tribus prophetare. Hæ enim devoraverunt abyssum , id est ingentem populi multitudinem et opum , quæ erat Hierosolymæ (ipsa enim erat quasi abyssus et oceanus hominum) ac partem , id est templum : hoc enim erat pars et hæreditas Dei , æque ac urbis sanctæ. Sed huic expositioni obstat *primo* , quod hoc capite directe contra decem tribus , non contra duas vaticinetur Amos , ubi ostendi vers. 1. *Secundo* , quod Amos orans hanc cladem precibus suis averterit : constat autem eum non avertisse excidium Hierosolymæ. Hoc enim de facto contigit , urbique reipsa inflictum est. Dices : Amos suis precibus impetravit ut hoc excidium sarciretur , scilicet ut Judæi post 70 annos Babylone redeentes restaurarent Jerusalem. Respondeo : Id non sufficit. Nam Deus , flexus precibus Amos , dixit : « Sed et istud non erit ; » quæ verba significant plagæ non restaurationem , sed omnimodam cessationem et revocationem , q. d. Plaga hæc a me comminata non eveniet , retinebo eam , ignem quem comminatus sum , non immittam.

Quarto ergo et genuine , judicium hoc ignis in Israelem exercuit Deus per Teglathphalasar regem Assyriorum , qui post Phul quasi ignis ingenti ardore et ferocia invasit Israelitas , atque abyssum multam , id est innumeram turbam populi , puta tribus Ruben , et Gad , ac dimidiā tribum Manasse humiliore loco trans Jordanem , quasi in abyso sitas , insuper partem illam insignem Israelis cis Jordanem positam , puta tribus Nephatalim , Aser et Zabulon , abduxit in Assyrios , IV Reg. xv , 29 , qui reliquias omnes pariter abduxisset , ac Samariam cum regno Israel evertisset , nisi Deus flexus precibus Amos ejus ardorem inhibuisset , ac reliquias Israelis conservasset. Ita a Castro.

Mystice , Christus judex vocabit judicium ad ignem , id est ignem ad judicium per hypallagen , ut ignis quasi lictor ipsi in die judicii assistat , et damnatos ab ipso comprehendat et convolvat in tartara , juxta illud Psalm. xcvi , 3 : « Ignis ante ipsum præcedet , et inflammabit in circuitu inimicos ejus. » Et Psalm. xl ix , 3 : « Ignis in conspectu ejus exardescet , et in circuitu ejus tempestas valida . »

Audi S. Gregorium , lib. XXXIII *Moral.* vi : « Judicium , ait , ad ignem vocatur , cum justitiae sententia ad pœnam jam æternæ concremationis os-

tenditur. Et multam abyssum devorat, quia ini-
quas atque incomprehensibiles hominum mentes
concremat, quæ nunc se hominibus etiam sub
signorum miraculis occultant. Pars autem domus
Domini comeditur, quia illos quoque gehenna
devorat, qui nunc quasi in sanctis actibus de-
electorum numero se esse gloriantur. »

Vers. 7. 7. HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS. — Est hec tertia
hujus capitis visio, qua Propheta videt Deum
quasi cæmentarium stare cum trulla in manu,
qua murum Israelis oblinere et incrustare sole-
bat, pertæsum jam scelerum Israelis, deponere
trullam, ut significet se curam et tutelam Israelis,
qua eum suis legibus, fide et cultu quasi muris,
quos sua ope et defensione quasi trulla et calce
oblinere et robore solebat, ob ejusdem idolo-
latriam et crimina deponere et abjicere; itaque
eum resignare et tradere Assyriis, qui eum ferro
flammaque vastent. Ita S. Hieronymus, Remigius,
Haymo, Hugo, Lyranus, Ribera, Fernandius in
visione. cap. xxxii, et alii. Ubi nota maximæ Dei
iræ pœnæque signum esse, cum ipse a republica
vel ab anima cujusque abit, eam deserit et de-
relinquit: hoc enim ipso tradit eam hostibus,
utpote quibus illa sine Dei auxilio resistere ne-
quit.

SUPER MURUM LITUM, — ideoque pulchrum as-
pectu, et firmum robore. Hinc et Aquila, ait
S. Hieronymus, vertit ἀλείφωσιν, id est stagnaturam,
vel inunctionem, aut illitiram, qua murus stag-
natur, id est inungitur, illinitur, incrustatur a
cæmentario per trullam. Theodotion vertit, τηνό-
μενον, id est tabescentem. Hinc et Rupertus putat
Amos hic prædicere excidium Hierosolymæ per
Titum et Romanos. Verum obstat quod sequitur:
« Et demolientur excelsa idoli. » Tempore enim
Titi, Judæi non coluerunt idola. Agit ergo Amos
de excidio Samariæ, post quinquaginta circiter
annos futuro sub Hosee, anno sexto Ezechiae re-
gis Juda.

Nota: Murus litus est qui calce illinitur et in-
crustatur, non tantum ut sit elegantior, sed etiam
idque magis, ut perseveret firmior contra nimbus
et procellas. Muri enim male illiti procellis quas-
santur, finduntur, et tandem in ruinam eunt,
juxta illud Ezech. xiii, 11: « Dic ad eos qui linijunt
absque temperatura, quod casurus sit: erit enim
imber inundans. » Trulla est instrumentum quo
fabri lapides in fabrica componunt, ac calcem e
vase hauriunt, et muro injiciunt illinuntque. Mu-
rus ergo illitus trulla Dei significat Israelem, dum
a Deo oblinebatur et incrustabatur, id est tegeba-
tur, roborabatur et protegebatur, stetisse inte-
grum et invictum contra omnes hostium insultus.
Porro trulla in manu Dei stantis super, id est
juxta, prope (sic enim dicitur Lucae iv, 38: « Stans
super (id est juxta) illam, imperavit febri ») mu-
rum, significat pervigilem jugemque Dei in tuen-
do Israele curam ac providentiam. Sicut enim
cæmentarius cum trulla astat parieti, ex quo plu-

via calcem dejecit, ut damna ruinasque omnes
impacta trulla sarciat: ita pariter Israeli ab olim
hucusque astitit Deus; sed jam offensus, et quasi
desperans de restauratione tam ruinosi muri, id
est Israelis, ponit abjicitque trullam suæ curæ et
protectionis, sinitque eum ruere in interitum.
Unde ait: « Non adjiciam ultra superinducere, »
superlinere trulla et inscrutare. Hebraice: *Non
adjiciam ut pertranseam eum*; scilicet eum oblinen-
do, sarcendo et roborando, q. d. Non pertran-
sibo illum impune, sed puniam et occidam eum.
Sic enim ait cap. viii, 2: « Non adjiciam ultra ut
pertranseam eum. » Deus enim sua clementia,
condonatione et gratia, quasi calce oblinuit tegit-
que peccata, juxta illud Psalm. xxxi, 1: « Beati,
quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta
sunt peccata; » Hebraice: *Beati dimissi prævari-
catione, et tecti, vel operati peccato*. Cum vero Deus
calcem et trullam ponit, sinit peccata cum pec-
catoribus quasi aperta et hiantia, ut pateant plu-
viæ et nimbis, id est divinæ vindictæ ab hostibus,
a quibus dejiciuntur et aguntur in ruinam. Ita
hic Deus ponens trullam Israelis, hoc ipso eum
tradidit Assyriis. Significatur ergo hac deposi-
tione trullæ, ultima Israelis derelictio et strages,
ac extreum excidium illi infligendum a Salma-
nasar anno 6 Ezechiae regis Juda. Unde symbo-
lize Clarius per trullam et calcem accipit flagella
et clades Israeli impactas a Deo, ut resipiceret,
et rectus in fide cultuque Dei consisteret. Has jam
deponit Deus, quia eum obduratum et impoeni-
tentem statuit omnino deserere, et hostili ferro
ignique tradere et resignare.

Secundo, pro *trulla* hebraeum תְּלָאָנָּא, quod
hic tantum reperitur, Rabbini et hebraizantes mo-
derni vertunt, *perpendiculum plumbeum*, vel stan-
neum, aut *normam* et *amussim*, ad quam fabri
ædificare solent, ut recta, æqualis et commensa-
sit fabrica et muri. Ita R. David, Lyranus, Pagni-
nus, Arias, Vatablus. Unde vertunt: *Ecce Dominus
stans super murum perpendiculi, et in manu ejus
perpendiculum*; vel, ut Tigurina: *Ecce Dominus
constitit super murum ad normam exstructum, et ha-
bebat normam in manu sua*. Quod eodem sensu,
quem jam de trulla dedi, accipi potest, q. d. Do-
minus ponit, id est deponit, perpendiculum, ad
quod ædificare et restaurare solebat murum Israe-
lis, hoc est, Dominus deponit reipublicæ et regni
Israelis curam, sinitque illud ruere. Alii tamen,
ut Vatablus et Arias, per perpendiculum, acci-
piunt Dei judicium, et justæ vindictæ mensuram,
quasi dicat: Deus pro circulo et curvatura suæ
misericordiæ, applicuit Israeli perpendiculum
suæ justitiae, ut eum ex æquo pro sceleribus
puniat, ut deinceps non misericorditer ei parcat,
sed juste eum plectat. Unde Chaldaeus vertit:
*Ecce Dominus consistit super murum judicii, et
coram illo erat judicium. Et dixit Dominus: Quid
tu vides, Amos? et respondi: Judicium. Dixit ergo
Dominus ad me: Ecce ego judicium exercebo in*

medio populi mei Israel, non addam ultra ut dimitam eis.

Tertio, Symmachus, Syrus et Septuaginta pro trulla hebræum *anach* vertunt, *adamantem*. Aiunt enim : *Et stabat super murum adamantineum, et in manu ejus adamas.* Et dixit Dominus ad me : Ecce ego impono adamantem in medio populi mei Israel. Hebreum enim *anach* nonnulli deducunt a radice נָכַר *nacha*, id est percussit, ut *anach* sit idem quod *percussor*, qui scilicet alia omnia percutit et confringit, ac a nullo alio percutitur et confringitur, qualis est adamas. Hinc adamas symbolum est duri judicii, ac rigidæ, irrevocabilis et inevitabilis vindictæ; æque ac perpendicularum, de quo jam dixi. Idem significat sartago ferrea, quam vedit Ezechiel cap. IV, 3, scilicet firmum Dei decretum evertendi Jerusalem. Hoc enim opponit hic Israeli in sceleribus suis obfirmato et obdurato. Unde Arabicus Alexandrinus vertit : *Ostendit quasi hominem stantem super arcem de lapide adamantino, et in manu ejus lapis ex eo; et ego projicio hunc lapidem in medio populi mei Israel, et non addam requirere eum, et peribit subsannatio.* Quare mirum est Arabicum Antiochenum pro adamante vertere legem, sensumque dare contrarium. Sic enim vertit : *Et ecce ipse murus stans super respicientes. Et dixit mihi Dominus : Quid est hoc quod vidisti? Et dixi : Est lex. Et dixit Dominus mihi : Ecce ego confirmo legem in medio populi Israel, et non adjiciam declinare ab eo.*

Sensus ergo est, q. d. Etiamsi animus, æque ac murus Israeli et Samariæ, sit durissimus et adamantis, ego tamen ut adamas longe durior et fortior, eum confringam et conteram. Significat ergo adamas cuiilibet potentiae etiam adamantine oppositam esse Dei omnipotentiam, et vindictam quovis adamante fortiorum, juxta illud Zachar. VII, 12 : « Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et verba, etc.: et facta est indignatio magna a Domino exercituum, etc. Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt : et terra desolata est. » Ita Fernandius in *vision.* XXXIII. Simili modo Ezechiel, cap. III, 7, cum audisset a Deo : « Domus Israel attrita fronte est, et duro corde, » audit illico : « Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum : ut adamantem et ut silicem dedifaciem tuam. » Malo enim nodo malus quærendus est cuneus, et mens ac facies adamantine adamantino malleo contundenda est. Ita Theodoreetus. Rursum, adamas significat rigidos, et ad misericordiam infexiles sævosque Assyrios; hos enim imposuit Deus Israeli quasi malleos adamantinos, ut eum contunderent. Sic Ovidius, lib. IV *Metamorph.*, dicit inferni aditus clausos esse adamante, vel, ut Virgilius, VI *Eneid.*, columnis adamantinis, et Statius, lib. VII, regias Martis fores obserat adamante; ac Horatius Marti dat loricam adamantinam, id est invictam et omnia vincentem. Vide quæ de adamantem dixi Ezech. III, 9.

Audi S. Hieronymum hic ex Xenocrate: « Adamas, ait, sui nominis lapis est, quem nos indomitum possumus appellare, eo quod, primo, nulli cedat materiæ, ne ferro quidem. Nam si ponatur super incudem et gravi ictu feriatur mallei, antea incus et malleus vulnus accipiunt, quam adamas conteratur. Secundo, Cum ignis omnia domet, et universa metalla consumat, reddit adamantem duriorem, ut ne parvulum quidem angulum vis nimii ardoris obtundat. Tertio, Vidi et in auro adamantem magnitudine milii, cumque vicinum consumatur aurum longo usu ac nimia vetustate, solus adamas non atteritur. Quarto, Nulla lima imminui potest, sed e contrario limam terit, et quidquid atterit lineis sulcat. Quinto, Hic lapis durissimus et indomabilis solo hircorum cruento dissolvitur, et missus in calidum sanguinem perdit fortitudinem suam (hoc tamen alii negant, ut dixi Ezech. III). Sexto, Est autem parvus et indecorus, ferrugineum habens colorem, et splendorem crystalli. Septimo, Quatuor adamantis genera describuntur : primus est Indicus; secundus, Arabicus; tertius, Macedonicus; quartus, Cyprius, pro qualitate regionum plus vel minus duritiem possidentes. Octavo, Dicitur quoque in electri similitudinem venena deprehendere, et maleficiis resistere artibus. » Deinde hæc symbolice applicans Christo : « Talis, ait, est Dominus et Salvator, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, etc., factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. De quo Isaías scribit cap. LIII : Non est species illi, neque decor; vidimus eum, et non erat pulchritudo : despectum et novissimum hominum, virum dolorum, et scientem ferre infirmitatem. Hic stat super murum adamantineum, id est super Sanctos et Apostolos suos, quibus donavit ut et ipsi adamantes vocarentur, et a nullo superati dicerent : Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an famæ? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Petrus quoque qui erat fortissimus adamas, portæ inferorum non præevaluerunt adversus eum (hac de causa Pontifices romani gestant crucem ex adamantem, ut moneantur crucis Christi et S. Petri, ac utriusque fortitudinis adamantine, eamque imitantur). Hic vir et Dominus qui stat super murum adamantineum, habet in manu sua adamantem, quia nisi Dei teneatur manu, et illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in Evang. Joan. cap. x : Nemo potest rapere de manu Patris mei. Et in tantum robustus est ut dicatur ad eum : Si transieris per ignem flamma non comburet te, Isaiae XLIII. Quant-

S. Petrus
est ad-
mis.

que magis temptationibus cæditur, tanto fortior fit, et pro nomine salvatoris inter flagella lætatur. Cumque a nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissolvitur. Hæc enim sanguinis hircorum et ipsius hirci dicitur esse natura, ut sit ad libidinem calidissimus, et quod ignis edomare nequeat, solus illius dissolvat crux. Ponit ergo Dominus hujusmodi adamantem in medio populi sui Israel, etc., ut omnia hæreticorum mysteria, domumque Jeroboam, qui primus populum Dei separavit, percutiat gladio atque subvertat. »

Hactenus S. Hieronymus, quem secutus est Viegas in cap. xix Apoc. Comment. I, sect. II : Adamas, ait, est Christus in manu Patris; murus adamantis est Ecclesia, super quam est Christus. Pater ergo Christum quasi adamantem in medio gentium ac principum misit, quem tamen nulla potentia frangere unquam potuit; quam invictam fortitudinem ipse muro adamantino, id est Ecclesiae suæ communicavit, dicens S. Petro Ecclesiæ capitii : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, » *Matth. XVI, 18.*

Vers. 9. 9. ET DEMOLIENTUR (passive et active, id est destruent et destruunt, Assyrii) EXCELSA IDOLI. — « Excelsa, » intellige fana et altaria idolis dicata, in quibus iis sacrificabant. Hebr. *excelsa Isaac*; *Isaac*, id est Israelis, sive populi Israel, qui ab Isaac et Jacob prognatus est, ita Vatablus; vel, ut Clarius et R. David, dicuntur *excelsa Isaac*, quod in iis ad similitudinem et memoriam Isaac a patre Abrahamo immolati, filios suos idolis, uti Moloch, immolarent et concremarent. Melius Septuaginta, Arabicus et Syrus, *excelsa Isaac*, vertunt, *altaria risus*, vel derisionis (Isaac enim hebraice risum significat, et a risu nomen accepit: quia nascens risum et gaudium ingens sterilibus parentibus attulit), id est ridicula et deridenda, hoc est *excelsa idoli*, ut vertit Noster; idola enim hebraice vocantur *aven*, id est res vanæ, leviculæ, ludicræ; et *elilim*, id est deiculi, sive dii leviculi et ridiculi. Sic Jeremias, cap. x, 15, idolum vocat « opus risu dignum. » Et cap. LI, 18 : « Vana, ait, sunt opera (sculptilia idolorum) et risu digna. » Quid enim magis ridiculum, quam inanime idolum ex ligno, ære vel auro manu hominis efformatum, æstimare et colere ut deum, ut numen, quod omnia cognoscat, creet et gubernet? Vide Baruch toto cap. VI. Aliter Theodoretus; censet enim *aras risus* dici, quod idololatriæ apud eas conviviis, hilaritati, risibus, cantibus et lusibus vacarent, juxta illud *Exodi XXXII, 6* : « Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. »

ET SANCTIFICATIONES ISRAEL DESOLABUNTUR. — « Sanctificationes, » hebraice שְׁמָרָה *micdesce*, id est *sanctuaria*, puta templa vitulis aureis in Dan et Bethel aliisque urbibus consecrata: quæ enim paulo ante vocavit *excelsa idoli* ab objecto, hic a subiecto vocat *sanctuaria Israel*. Ita Lyranus, Vatablus, Arias et alii; licet Septuaginta vertant, *sacrificia*;

Chaldæus, *sacra*. Remigius, Hugo et a Castro intelligent ipsa idola, puta ipsos vitulos aureos. Verum hebreum *micdesce* proprie significat *sanctuaria*, id est templa. Significat ergo Assyrios combusturos templa vitulorum et idolorum Israelis, in quibus Deum ad iram et æmulationem provocaverat.

ET CONSURGAM SUPER DOMUM JEROBOAM IN GLADIO, — q. d. Trucidabo posteros Jeroboam, ejusque stirpem regiam excindam. Jeroboam hic non est filius Nabat, auctor regni, schismatis et idolatriæ; sed alter eodem nomine, filius Joas, nepos Jehu, pater Zachariæ. Id ita contigisse patet; nam Zacharias, filius Jeroboam, occisus est a Sellum, qui regnum ab ejus familia ad suam transtulit, IV Reg. XV, 13, uti Jehu ejus proavo interminatus erat Deus, IV Reg. X, 30. Ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Lyranus et alii. Quare minus recte, et nimis ample Theodoretus per *domum Jeroboam* accipit totum regnum Israel, q. d. Regnum Israel cum suo rege Hosee excindam per Salmanasar, anno 6 Ezechiae regis Juda. Nam Hosee, ultimus rex Israel, non fuit e domo et stirpe Jeroboam. Hæc enim jam succisa erat in ultimo ex ea, rege Zacharia.

10. ET MISIT AMASIAS SACERDOS BETHEL AD JEROBOAM. — Amasias pontifex idolorum, puta vitulorum aureorum in Bethel, timens ne populus Israel oraculis et minis Amos percussus idola abjiceret, et cultum veri Dei amplecteretur, itaque sibi oblationes et victimæ vitulis offerri solite cederent, ipseque pontificatu, forte etiam vita, privaretur, tanquam pseudopontifex et pseudo-propheta, hac de causa accusat prophetam Amos apud Jeroboam regem, tanquam seditiosum et regni perturbatorem, quasi qui populum a Jeroboam avocare, et ad sceptrum Juda traducere et revocare moliretur. Ita faciunt hodie hæretici et politici in Anglia, Hollandia, Bohemia, etc., qui catholicos et sacerdotes insectantur, eosque apud magistratus accusant et calumniantur, reosque perduellionis agunt, quasi qui prætextu religionis reges et principes solio suo deturbare, aliosque reges et principes catholicos inducere moliantur, et ad id plebem sollicitent. « Rebellavit, inquiunt, contra te » *novus hic Amos*; « et in Septuaginta, συστροφας, id est congregaciones et conjurations facit contra te : omnes enim congregaciones ad verbum Dei, et ad Missæ sacrificium, æstimant esse conjurations contra magistratum et statum politicum. »

11. HÆC ENIM DICIT AMOS : IN GLADIO MORIETUR JEROBOAM. — Mentitur pseudopropheta. Non enim dixerat Amos : « In gladio morietur Jeroboam; » sed, « Consurgam super domum Jeroboam in gladio, » scilicet occidendo, non ipsum Jeroboam, sed ejus filium Zachariam, ut dixi vers. 9.

12. ET DIXIT AMASIAS AD AMOS. — Cum videret Amasias pseudopropheta regem Jeroboam suis criminationibus contra Amos non moveri, eum-

que ut Prophetam habere ac revereri, aggreditur ipsummet Amos, leni oratione et adulacione suadens ei ut, relicta Bethel, transeat in Judam : Noli, ait, mihi hanc facere injuriam, cum ego tibi non sim injurius; noli invadere parochiam et diccesim meam, ego non invado tuam; noli populum meum a me avocare, ego non avoco tuum. Ego pontifex et propheta sum in Israel et Bethel : tu ex Thecua urbe Judæ oriundus Judæus es; vade ergo ad tuos Thecuitas, age prophetam in Juda; nil tibi cum meis Bethelitis. Hoc est quod sequitur :

Qui VIDES (id est o videns, o propheta Amos), **FUGE IN TERRAM JUDA**, — q. d. Ego tanquam amicus tibi amico suadeo fugam, quia in Bethel et Israel, utpote urbe et regione idolorum, rex ipse cæterique omnes idololatæ tibi parant insidias, necemque machinantur. In Juda vero securus eris, ac in pretio et honore habeberis, utpote Propheta Domini.

COMEDE (ergo) **IBI PANEM**,—id est ibi exerce munus prædicandi, ex eoque alimoniam et lucrum capta, uti ego capto in Bethel, q. d. Quietè et laute ibi vive ex tua prophetia, ac sine me pariter in Bethel pacifice et splendide vivere ex meo sacerdotio, oblationibus et victimis idolorum; nec mihi hanc offam tam pinguem e faucibus eripias. Ita S. Hieronymus, Remigius et Lyranus, Addit Arias, q. d. Fuge in terram Juda, ut ibi habeas panem, ac evadas famem quam Israeli obventuram vaticinatus es.

Vers. 13. **13. ET IN BETHEL NON ADJICIES ULTRA UT PROPHETES, QUIA SANCTIFICATIO** (hebraice **מִכְדָּשׁ** *mīdāš*, id est sanctuarium) **REGIS EST, ET DOMUS REGNI EST**, — q. d. Bethel est locus sanctus dicatus vituli aureis, in quo rex habet suum palatium, æque ac templum et basilicam, in quo eosdem colit, quod est quasi domus sacra et fanum totius regni, ad quod orationis et sacrificii causa confluunt omnes Israelitæ ex toto regno decem tribuum. Bethel ergo est locus sacer, quem rex suis idolis sibique segregavit et sanctificavit. Si igitur videat ipse et populus te contra illud illiusque deos vaticinari, plane metuendum est ne capiat et occidat te. Quare consule tibi, et migra ex Bethel in Judam. Ita Remigius, Albertus et Arias. Nota : templa a regibus in palatio, vel juxta palatium, aut alibi, pro toto regno regio sumptu et magnificentia ædificata, dictæ sunt basilicæ, q. d. Regales, scilicet domus et delubra; **βασιλεὺς** enim Græcis est rex. Ita Constantinus Romæ palatium suum Lateranum in templum convertit, indeque vocata est basilica Lateranensis et Constantiniana.

Secundo, Bethel erat sanctuarium regis, quia a Jeroboam filio Nabat, primo rege Israel, in Bethel erecti sunt vituli aurei, eisque templum erectum, III Reg. XII, 32. Ita Lyranus et Arias.

Aliter S. Hieronymus; per regem enim accipit deum, puta Baal, sive Jovem, qui est « rex

hominumque deumque, » q. d. Bethel regi, id est Baal, est sacra et dicata, ne ergo in illam Deum Juda, utpote alienum et contrarium, concionando inducas.

14. RESPONDITQUE Amos, etc. : **NON SUM PROPHETA.** Vers. 44;

— Septuaginta : *Non eram Propheta*, scilicet ex arte, instituto et professione mea, q. d. Officium meum non est prophetare, sed pascare armenta : Dominus tamen ab iis me abripuit, ut hæc vobis prophetem et annuntiem, quo peracto, rursum redditurus sum ad mea armenta. Alii enim prophetæ, sive prædicatores, a puero vel a Deo, vel a parentibus, vel ab aliis prophetis et prædicatoribus instituebantur et docebantur prophetare, id est prædicare. Amos vero a nullo fuerat institutus, nullas ejusmodi scholas frequentarat; sed ab armentis subito raptus est a Deo, factusque Propheta : ita S. Hieronymus, Albertus et Arias. Aliter S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. XL, Remigius et Hugo : putant enim eo tempore quo dixit hæc Amos, recessisse ab eo spiritum prophetæ, ut vere dixerit Amos : « Non sum Propheta, » id est nunc non habeo, non sentio spiritum prophetæ. Hic enim spiritus per intervalla prophetas corripiebat, docebat, movebatque ad prophetandum : non enim erat permanens et stabilis, sed transiens et abiens. Verum de hoc non agitur hic : nec enim Amasia postulabat ab Amos, ne hoc instanti, sed ut deinceps nunquam amplius prophetaret in Bethel contra vitulos aureos. Prior ergo sensus genuinus est, cui addetur secundo : « Non sum Propheta, » q. d. Ex arte prophetandi non vivo, non aucupor lucrum, ut tu facis, Amasia, quia vivo ex meis armentis. Ita Sanchez. *Tertio*, alii, q. d. « Non sum Propheta, » vestitu et habitu, quia vestitum meum rusticum ut rusticus retineo. Prophetæ enim proprium habebant habitum, puta saccum et ciliatum, *Zachar.* cap. XIII, 4 (1).

SED ARMENTARIUS EGO SUM, — puta pastor boum, camelorum, mulorum, equorum et similiūm animalium. Hæc enim vocantur armenta, quia idonea sunt ad opus armorum, ait Festus : vel, ut Valla, ab *arando*, quasi aramenta, indeque per *erasin* armenta. Unde Aquila, Symmachus et Theodotion vertunt *βουκόλος*, id est, ut Arias,

Amos
fuit ar-
menta-
rius et
opilio.

(1) Licet Maurer satis confidenter dicat horum verborum vim veram non perspexisse interpretes, non contemnendam putamus hanc interpretationem ab illo datum : « Sensus hujus et sequentis versus hic est : *Falsus es, sacrificule, quod me vatem dixisti, et munere me fungi putas, ex quo idonea merces mihi redeat* (vers. 12); neque enim ex ordine prophetarum ego sum, prophetarum in scholis institutus, officii publici causa docens et habens unde bene vivam; sed opilio ego sum in retenui natus, qui ne cogitavi quidem de propheticō munere inter vos colendo, donec ad id obeundum vis divina me impulit. » Propulsat igitur atque dissolvit falsissimam et nefandam sacrificuli Bethelensis criminationem colere se mercedis causa munus propheticum (Israeliticorum more prophetarum, vide *Osee* I, 1.)

bubulcus; unde Bucolica vocantur carmina ruralia pastorum apud Virgilium. Hoc enim proprie significat hebræum בָּקָר *boker*, a radice בָּקָר *bacar*, id est bos, q. d. boum custos. Secundo, Septuaginta vertunt αἴπολος, id est *caprarius*, sive pastor caprarum; S. Hieronymus, *opilio*, id est *pastor ovium*, ut vertit Arabicus, qui addit, et *agricola*. Nam mox ait Amos: « Et tulit me Dominus cum sequerer gregem, » hebraice גַּזְעֵן *hatson*, id est oves, vel capras. Grex enim proprie est ovium, caprarum, porcorum, et similiū minorum animalium. Ita S. Cyrillus, Praefat. in Amos: « Amos, ait, fuit opilio, pastoritiis moribus et institutis educatus. » Et Nazianzenus, orat. 25: « Quid ait Amos: nonne *caprarius* erat, morosque carpēbat, cum Prophetæ illi delegatum est munus? » Hinc patet Amos et *bubulcum* fuisse, et *caprarium*, et *opilionem*. Nec id mirum: solent enim bobus et vaccis immisceri capræ et oves, cum iisque ire ad campos pabulatum. Unde Ovidius, IV *Metamorph.*:

Mille greges illic, totidemque armenta per herbas
Pascebant.

Et Virgilius, III *Georg.*:

Hæc satis armentis; superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.

Porro officio Amos apte respondet ejus nomen: radix enim οὐδείς *amas*, significat *onerare*: inde Amos, ait S. Hieronymus, epist. ad *Paulinum*, idem est quod *onustus*, scilicet gregibus; vel *onerans* et *exonerans*, scilicet boves et armenta.

Moraliter, disce hic Deum eligere infirma et stulta mundi, ut in eis ostendat suam sapientiam et potentiam, ac per ea confundat sapientes et potentes mundi. Ita elegit pauperes, rudes et viles Apostolos, per quos fidei sue totum subegit orbem. Ita S. Joannes Baptista secutus humilitatem et verba Amos, negavit se esse prophetam, dicens se meram esse vocem: « Ego, inquit, vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, » *Matth.* III, 3. Quocirca a Christo meruit vocari plusquam Propheta, lucerna ardens et lucens, hominibus major, par angelis, imo angelus, *Matth.* XI, 9, 10, 11.

Pulchre S. Augustinus, serm. 59 *De Verbis Domini*: « Veni, ait, tu pauper, nihil habes, nihil nosti? sequere me, tam largo fonti vas inane admovendum est. » Et S. Hieronymus: Quia, ait, Amos humiliavit se dicens: Non sum propheta, sed armentarius, hinc meruit illico spiritu propheticō donari contra ipsum Amasiam, cui dura ex Deo supplicia libere intentavit. Hic verum est istud *Psalm.* VIII, 3: « Ex ore infantium et lactentium (rusticorum et rudium instar infantium) perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. »

VELLICANS SYCOMOROS. — Sic et Theodotion et Septuaginta. Id tripliciter accipi potest. Primo,

q. d. « Vellicans, » id est vellendo evellens et decerpens folia sycomororum, easque defrondans, ut earum frondibus pascam mea pecora. Ita Remigius, Albertus et Hugo. Tria, inquit Servius in I *Aeneid.*, sunt frondatorum genera: « Frondator, qui arbores amputat, et qui e frondibus manipulos facit hiemis tempore, animalibus ad pastum offerendos; et qui manibus vitium folia avellit, quo ardor solis uvam maturiorem reddit. » Secundo, « vellicans, » id est avellens et colligens ipsos fructus sycomororum, puta ipsa sycomora, ut iis vescar. Ita Pagninus et Tigurina. Unde aliqui hebræum בָּלֶב *boles* vertunt, *comportator*, collector sycomororum, quasi *boles* per metathesin idem sit quod סִבְלָה *sobel*, id est portans, comportans. Hic Aquila vertit, ἔρευνῶν συκομόρους, id est *scrutans sycomoros*; Symmachus, ἔχων συκαμίνους, id est *sycamina*, vel *sycomorus*. Tertio et proprie, « vellicans, » id est unguibus ferreis incidens et scalpens sycomora, et, ut Hesychius ait, *pungens*, ut matura fiant: sycomora enim, quia dura aequa ac amara admodum sunt, incidi scalpique solent, ut a sole penetrantur, maturescant et dulcescant, teste Theophrasto, Athenæo et Dioscoride, lib. I, cap. CXLIV; alioqui a culicibus corrumpuntur, ait S. Hieronymus, id que ad hoc, ut iis vescantur tum boves mei, inquit Vatablus, tum ego ipse, q. d. Ego non prophetō spe panis et lucri, ut tu facis, o Amasia, sed sycomoris agrestibus contentus vicitio. Hæc mihi ad victum sufficient; quocirca mensis et bursis alienis non inhio, ut tu.

SYCOMOROS. — *Sycomorus*, vel inverse *moruscys*, *Sycomorus* aut feminine *sycomorea*, dicta est a σύκη, id est *rhus* quid? *ficus*, et μόρος, id est *morus*, eo quod arbor hæc sicui similis sit fructu, moro vero foliis; aut a μόρος per μέγα, id est fatuns, q. d. *ficus fatua*, quod insipidi et fatui saporis sit. A Plinio lib. XIII, vii, vocatur « *ficus Ægyptia*, » quod in *Ægypto* sola reperiatur, inquit ipse, sed fallitur. Nam, ut alia taceam, frequens erat hæc arbor in Judæa, ut patet ex hoc loco et aliis: crebra enim hujus mentio est in Scriptura. Porro sycomorum ex Galeno, Dioscoride, Theophrasto, Celso, Plinio, ita describit Ruellius lib. I *De Stirpib.* LXXIX: « Est arbor amplissima *ficus* similitudine, largo succo, foliis moro quam proximis. Fructus ex argumento gustus ignavi cognomines, ternos, aut quaternos anno fundit, eosque non ramis ut *ficus*, sed caudice ipso gerit, similes caprificiis; dulcioresque grossulis, hoc est primitivis in fico pomis, sine granis interioribus. Nec maturescunt aliter quam scalpendo ferreis unguibus, magno proventu eorum in Caria et Rhodo, locisque prorsus parum tritici feracibus, populis in annona caritate pro pane frumentoque satisfaciunt. Tam restibilis pomi ejus ubertas et copia est. Pomum ventri quidem amicum, sed minimam præbet alimoniam. Hebraice vocatur מִפְשֵׁת *sekhem*, in plurali *sekamim*: inde Septuaginta et Theodo-

tion vertunt συκάπυρος, et Latini *sycaminus*. Porro S. Hieronymus censet per *sekem* hoc loco Amos non significare sycomorum, sed mora quæ in rubis crescunt: « Nobis, ait (quia solitudo in qua morabatur Amos, Thecue, nullam hujusmodi gignit arborem), magis videtur rubos dicere, qui afferunt mora, ac pastorum famem et penuriam consolantur. » Verum omnes alii, quip et ipse S. Hieronymus alibi passim, hebreum *sekem* verit morum, vel sycomorum. Videtur ergo quod Thecue tempore Amos abundarit sycomoris, sed iis vel excisis, vel arefactis caruerit tempore S. Hieronymi. Sic regionum natura et fera-citas variis temporum mutationibus, aut culturæ defectu perit et immutatur. Olim Libanus cedris abundabat, nunc iis pene caret. Olim Judæa erat terra lacte et melle manans, nunc lapidosa est et sterilis. Asia minor olim paradiſus erat, nunc sub Turca multis in locis inculta squalidus; quin imo vulgare dictum est: Quocumque pedem infert Turca, eodem sterilitatem inducit, utpote agricolis ob ejus tyrannidem diffugientibus.

Porro sycomorum, vel sycaminum Syriæ, ita mihi Romæ descripsit Illustrissimus Dominus Sergius Risius, Archiepiscopus Damascenus, ocu-latus testis: Arbor, inquit, hæc in Syria frequens, magna est et lata, sed moderate altitudinis, in-star nucis non nimis altæ, dissimilis tamen foliis et cortice. Nam folia habet parva et rotunda; corticem planum et pene expolitum, in album colorem vergentem: fructus fert plurimos quidem, sed admodum parvos, qui mespilum forma et magnitudine referunt, verguntque in rubedinem: dulces sunt, sed non adeo ut ficus. Dicitur autem hæc arbor *gemmayz*, indigna quæ in vineis aut hortis inter cæteras habeatur, eo quod ingratis et insuaves fructus producens, inutiliter sua magnitudine terram meliorum feracem occupet: quare in plateis ut plurimum, vel ad viam consistere solet, vulgo subjecta, ut quisque ex ejus fructibus, utpote abjectis, et nullius decoris, saporis aut pretii colligat quantum libuerit. Hinc in proverbium abiit, ut de arbore, æque ac homine inutili, vel non in loco, qui ei convenit, commorante dicitur: « Est ut gemmayz in horto; » rhamnus inter quercus; anser inter olores. Hac de causa qui ejus fructus colligunt, tenues, egeni et viles habentur. Quocirca pauper-tatem suam, humilemque conditionem et statum sponte confitetur hic humili, sanctus et a Deo electus Propheta, dicendo se ex eorum numero et ordine esse, qui sycomoros colligunt, iisque vietitant; ut inde eluceat mira Dei optimi maxi, qui ignobilia et infirma mundi elegit, ut confundat gloria et fortia, bonitas et magnificen-tia, quæ eum ex imo in summum evexit, et ex pastore ac bubulco Prophetam illustrem effecit.

Ex dictis liquet primo, sycomorum aliam esse arborem a caprificio: distinguunt enim eas Dioscorides et Ruellius verbis jam citatis; illa tamen

huic est similis. Unde Theophylactus et Euthymius, *Luc. cap. xix, 1*, pro sycomoro legunt caprif-icu-m. Secundo, sycomorum in penultima scribi tam per μικρον, quam per μεγα, ideoque eam habere in carmine communem, id est brevem et longam: brevem, quia morus arbor a Græcis plerisque scribitur per μικρον; longam, tum quia μωρος, id est fatuus, scribitur per μεγα; tum quia morus arbor græce scribitur quoque per μεγα in Lexicis Hesychii, Henrici Stephani, Joannis Scapulæ, æque ac a S. Luca *xix, 1*; unde Poeta:

Cornaque et in duris hærentia mora rubetis.

Et patet ex etymo; dicta est enim arbor morus per antiphrasin, quasi minime μωρος, id est fatua; nam, ut ait Plinius lib. XVI, xxv, morus arborum est prudentissima, quia lædi se a frigore non si-nit: unde non nisi plane exacto frigore germen emittit; sed cum germinare incipit, in tantum germinatio erumpit, ut una nocte peragat etiam cum strepitu. Alii sycomorum dictam volunt a fico et mora, eo quod si unum pomum ex ea decerpas, illico alterum sine mora protuberet: tantæ enim est fecunditatis, ut uno anno septies fructus ferat. Verum hoc etymon latinum est, nec convenit græco μωρος, vel μωρος.

Symbolice, sycomorus est crux Christi, ejus-
que doctrina, quæ gentibus et terrenis homini-
bus videtur fatua: sycomorus enim respondet
arbori scientie boni et mali Adamo vetitæ: hæc
enim a multis putatur fuisse σύκη, id est ficus.
Ita Theophylactus et Beda in *Luc. cap. xix, 1*.
Porro Amos et viri sancti hanc sycomorum, id
est crucem, crucisque doctrinam vellicare, id est
mente et meditatione scalpere, et profunde ex-
pendere, ruminare et penetrare debent; quo
magis id faciunt, eo magis ejus dulcedinem et
arcana mysteria penetrant et gustant; præsertim
cum simul vellicant affines sycomoros, id est ex-
pendunt et minutim inspiciunt corpora martyrum
a tyrannis vellicata, id est scalpis, pectinibus,
cultris incisa, laniata et lacinata. Hujus rei
symbolo Zachæus, cupiens videre Christum, as-
cendit in arborem sycomorum, *Luc. cap. xix, 1*,
uti ibidem notat Ambrosius.

16. NON STILLABIS SUPER DOMUM IDOLI, — q. d. Vers. 16.
Ne, o Amos, prophetes amplius in et contra Be-thel, que olim fuit Bethel, id est domus Dei, nunc a regibus nostris facta est Bethaven (ut tu, o Amos, eam nuncupas), id est domus idoli, puta vitulorum aureorum. Nota: Vox *stillare* Prophe-tis est frequens, et metaphorice significat effun-dere sensim, sive verba, sive res, easque vel bo-nas et beneficas, vel malas et pœnas. Doctor enim et concionator, quando cum rudibus vel du-ris agit, debet stillare, non profundere suum ser-monem. Si enim profundat, perdet: si stillet, sen-sim eos imbuet et emolliet. Verum est illud vulgi:

Stillat lapidem, non vi, sed sape cadendo:
Sic homo fit doctus, non vi, sed sape studendo.

Sycomo-
rus est
crux,
cur?

Stillare
quid?

Id sciebat Moses, qui docens rudes et duros Hebræos, *Deuter.* cap. xxxii, 2 : « Concrescat, ait, ut pluvia, doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stilæ super gramina. » Id imitantur sapientes ludimistri, qui pueros sensim lenteque docent : sicut enim vasa angusti oris stillando sensim implentur, effundendo vero parum vel nihil liquoris hauriunt, ita et ingenia puerorum.

Huc spectat exemplum memorabile S. Isidori Hispalensis Archiepiscopi, qui floruit tempore S. Gregorii Magni romani Pontificis, fuitque frater S. Leandri (cui S. Gregorius libros *Moralium* dedicavit), ipsique in Archiepiscopatu Hispalensi successit. Hic enim in juventute a parentibus applicitus studiis, cum ingenio tardiore parum in iis proficeret, etsi ingenti labore iis incumberet, cogitavit iis relictis alteri rei se dedere. Cumque hæc cogitans staret juxta puteum, vidiit et consideravit in ejus limbo, licet lapideo, sulcos, quos funes sularum, longo earum attractu, in lapide sensim effecerant. Id ipsum sibi applicans : Si funes, inquit, longo usu possunt excavare lapidem, quidni longo studio potero duritiem ingenii emolire, illique scientiam et doctrinam imprimere? Resumptis ergo ingenti animo libris, continua lectione et meditatione tantum in iis profecit, ut sui sæculi vir doctissimus in sacris æque ac profanis litteris, quin et in linguis, latina, græca et hebraica, evaserit, nec illo ævo haberet sibi parem; cui proinde Hispania et doctrinam, et seminaria, in quibus S. Ildefonsus, S. Braulius, aliquique Prælati sancti æque ac eruditæ, fuerunt et educati et instructi, debet. Ita habet ejus Vita apud P. Ribadeneiram et alios, die 4 aprilis.

Secundo, vox *stilla* significat minas et pœnas præsentes, quas intentant sceleratis Israelitis Prophetæ, esse tantum guttam si comparentur cum pœnis inferni, ubi imber est et torrens, imo oceanus ignis ardantis pice et sulphure, qui jugiter cremat, volvit et revolvit damnatos, juxta illud *Job* cap. xxvi, 14 : « Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? » Hic ergo sunt stilla et sibilus, in inferno erunt mare et tonitru iræ Dei.

Vers. 17. 17. PROPTER HOC HÆC DICIT DOMINUS : UXOR TUA IN CIVITATE FORNICABITUR, — q. d. Quia tu, o Ama-

sia, ob quæstum et lucra tua populum ad fornicationem spiritualem, id est ad idolatriam, impellis, mihiq[ue] eam impugnanti resistis, idecirco congrue et juste punieris hac ignominia et indignatione, ut videoas, licet fremens et frendens, uxorem tuam in civitate te relicto fornicari et adulterari, vel cum amasiis suis, ut vult Arias, vel cum hostibus tuis, puta Assyriis, a quibus capta urbe violabitur. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius et Hugo. Unde S. Hieronymus ex Symmacho vertit πορνεύθησατ, id est sustinebit fornicationem.

Hæc *prima* Amasiæ est pœna, de qua S. Hieronymus : « Grandis, ait, dolor incredibilisque ignominia, quando maritus in media civitate uxoris injuriam prohibere non potest. Non est tantus dolor in filia constuprata, quantus in uxore polluta: maritus enim libentius audit uxorem interfici, quam pollui. » *Secunda* est filiorum strages : « Filii tui, ait, et filiæ tuæ in gladio cadent. » *Tertia* est spoliatio et honorum privatio : « Humus, ait, tua funiculo metietur, » q. d. Assyrii et Cuthæi, invadentes et occupantes Samariam et Bethel, tuos fundos agrosque funiculo inter se dimetientur et divident. Olim enim funiculis pro virgis mensoriis utebantur ad mensurandam et dividendam terram. Hinc funiculus, in Scriptura, significat sortem hæreditariam, sive portionem quæ cuique in hæreditatis divisione sortito obtingit, ut *Psalm.* xv, 6 : « Funes ceciderunt mihi in præclaris, » quod more suo, posteriore hemistichio explicat, dicens : « Etenim hæreditas mea præclara est mihi. » *Deuter.* cap. xxxii, 9 : « Jacob funiculus hæreditatis ejus, » q. d. Jacobæi, sive Israelitæ sunt sors et hæritas Domini. *Josue* cap. xvii, 5 : « Ceciderunt funiculi (id est sortes) Manasse decem. » Et vers. 14 : « Dediti mihi possessionem sortis et funiculi unius. » Et cap. xix, vers. 9 : « In possessione et funiculo Juda. » Et vers. 29 : « De funiculo Achziba. » *Quarta* est : « Tu in terra polluta (idolatria, infidelitate et sceleribus, puta in Assyria, ad quam captivus duceris) morieris. » *Quinta*, non tantum tu, sed et totus « Israel, » quem tu decipis, et in idolatriam sceleraque adigis, « captivus migrabit de terra sua » in Assyriam. Ita S. Hieronymus, Cyrilus, Theodoreetus, Remigius, Rupertus, Haymo, Hugo et alii.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Amos uncinum pomorum, ut significet quod, sicut uncino poma ex arbore carpuntur, ita Israelitas ab Assyriis fore carpendos, et abducendos in Assyriam. Causam dat, vers. 4, quod pauperes oppresserint, eisque nimis care et fraudulenter frumenta vendiderint, utentes mensuris dolosis. Unde, vers. 9, tam atrox eorum fore excidium prædictum, ut sol obtenebrescat, omnesque saccum et calvitium sibi inducant. Denique, vers. 11, famem extremam tum corporalem, tum spiritalem eis intentat (1).

1. Hæc ostendit mihi Dominus Deus: et ecce uncinus pomorum. 2. Et dixit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Uncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel: non adjiciam ultra ut pertranseam eum. 3. Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur, in omni loco projicietur silentium. 4. Audite hoc qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, 5. dicentes: Quando transibit mensis, et venundabimus merces; et sabbatum, et aperiemus frumentum: ut imminuamus mensuram, et augeamus solum, et supponamus stateras dolosas, 6. ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis, et quisquiliis frumenti vendamus? 7. Juravit Dominus in superbiam Jacob: Si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. 8. Numquid super isto non commovebitur terra, et lugebit omnis habitator ejus: et ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet quasi rivus Ægypti? 9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis: 10. et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in plancutum: et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium: et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum. 11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini 12. Et commovebuntur a mari usque ad mare, et ab aquiloni usque ad orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, et non invenient. 13. In die illa deficient virgines pulchrae, et adolescentes in siti. 14. Qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt: Vivit Deus tuus Dan, et vivit via Bersabee: et cadent, et non resurgent ultra.

Vers. I.

1. HÆC OSTENDIT MIHI DOMINUS, — q. d. Post tot visiones et minas, Deus hanc quoque unciuncini pomorum addidit, ut tot comminationibus quasi

(1) Initio hujus capitis objicitur Prophetæ secunda visio, qua populi Israelitici excidium designatur sub unciuncini pomorum symbolo data, 1.

PRIMO, exponitur per instans Israelis excidium extreum et totale, et addit quæ ad hunc finem populi sint consecutura, 2, 3.

SECUNDO, affertur causa tam severi in eos exsequendi judicii, et hoc tanquam debitum violentiæ, injustitiae et superbiæ commissæ supplicium, statuitur et juramento confirmatur a Deo, 4-7.

TERTIO, eidem adjiciuntur alias et prædicuntur, primo, propter gravitatem superiorum facinorum, exsilium, et in exilio interitus Israelitarum, 8; secundo, prosperitatis ac lætitiae conversio in extremam miseriam et tristitiam, 9, 10; tertio, penuria non tantum cibi et potus, sed prophetiæ etiam ac solatiæ divini, 11, 12; quarto, juventutis deliquium, corruptio et impietas, 13; quinto, docetur ad quos pertineat hæc prophetia, 14.

ictibus repetitis dura Hebraeorum corda molliret et flœctaret. Sic de Pharaone et Ægyptiis quos obduratos Deus mersit in mari Rubro, ait Psaltes Psalm. xvii, 15: «Fulgura multiplicavit, et confundebat eos. »

כָּלֹב קִין kelub kaitz, quod Chaldæus, Rabbini, Pagninus et Tigurina vertunt, canistrum, vel corbem æstatis, hoc est fructuum æstivorum, qui scilicet in æstate maturantur et maturi colliguntur. Syrus, ecce signum finis; legit enim יְהֻנֵּה kets, id est finis; Arabicus vertit, vasa venationis, et mox sagittam venationis, vel capturæ.

Melius Noster vertit, «uncinum pomorum.» Primo, quia agitur hic de instrumento quo poma attrahuntur et capiuntur: hoc autem est uncinus, non corbis: per uncinum enim significantur hastæ et arma Assyriorum. Secundo, quia hebreum kelub significat instrumentum venatorium

Uncions
pomo-
rum.
quid?

et attractorium : deducitur enim a **כלב keleb**, id est canis, quia sicut canis venatur et capit leporum aliasque feras, sic **kelub** venatur capitque poma : uterque enim longus est, gracilis, et acuto rostro rictuque. *Tertio*, quia Septuaginta vertunt, *vas*, id est instrumentum, *aucupis*. Et Jeremias, cap. v, 27, tam Septuaginta quam Noster vertunt, *decipulam*, qua decipiuntur et capiuntur aves. *Quarto*, quia uncinus pomorum multis in locis comprehendit et includit corbem, non vero e contra corbis comprehendit uncinum. « Uncinus » enim « pomorum » est uncus, puta fustis ab uno latere incurvus et hamatus, alligatus, vel appensus corbi, quo hortulani attrahunt ramos, ut poma decerpant et injiciant in corbem; aut quo corbem ad ramos suspendunt, ut ex iis lecta poma in illum inferant. Vedit ergo Amos uncinum, eique adjunctum corbem, ad colligendum poma. Per poma intellige quoque ficus, pyra, cerasa, pruna; omnes enim fructus, præsertim qui molliiori sunt cortice, vocantur *poma*. Quin imo Plinius, lib. XV, cap. xxii, etiam nuces pomorum genere comprehendit.

Symb-
olicē. Symbolice, uncinus hic significat Dei iram et vindictam, qua Deus tempus captivitatis populi Israel accelerabat, et quasi attrahebat, ut Israelitæ quasi poma ex sua regione decerperentur et caperentur ab Assyriis; quorum proinde arma bellica, quibus Israelitas in potestatem redegerunt, recte quoque per uncinum intelliguntur. Unde explicans uncinum, subdit: « Venit finis Israel. » Ita S. Hieronymus: « Est, inquit, sensus: Sicut uncino rami arborum detrahuntur ad poma carpenda, ita ego proximum captivitatis tempus attraxi. Unde hebreum **kelub** per metathesin alludit ad **כָּבֵל kebel**, id est compes vel catena ferrea, qua Israelitæ captivi constringendi erant. Poma enim in æstate matura symbolum sunt captivitatis opportunæ et punitionis tempestivæ, q. d. Jam arbor Israelitica maturos dat fructus, scilicet ficus pessimas (quales vidit Jeremias in Juda, cap. xxiv, 1); restat ergo ut colligantur et conterantur. Sic Apoc. cap. XIV, 15, ait angelus unus alteri: « Mitte falcem tuam, quoniam aruit messis terræ, » id est quoniam adest tempus maturorum et opportunum puniendi impios, utpote cum ipsi mensuram peccatorum suorum jam impleverint. Hoc est quod ait Ezechiel cap. VII, 6: « Venit finis, evigilavit adversum te, » id est maturo et opportuno tempore surrexit: quasi fructus æstivi qui in æstate maturi sunt, sic maturavit tuum exitium, sic finis adest tibi: colliges enim fructum arboris quam plantasti, et frugem quam seminasti metes.

Alludit uncinus ad uncum, quo olim vinci trahebantur, vel etiam feriebantur rei, et hostes prælio victi capti. Unde Juvenalis de Sejano a Tiberio imperatore capititis damnato *satyr.* x, ait:

Impactus Sejanus ducitur unco.

Uncus
corum
qualis?

Et Cicero, *Philip.* I: « Uncus impactus est fugitivo illi, qui C. Marii nomen invaserat. » Idem, *Pro C. Rabirio*: « Nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terroribus neque res gestae, neque acta aëtas, neque nostri honores vindicabunt. » Et Horatius, lib. I *Carm.* ode 35, *ad Fortunam*:

Te semper anteit sæva necessitas,
Clavos trabales, et cuneos manu
Gestans ahena, nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbum

Lampridius in *Commodo* scribit ipsi mortuo acclamatum a populo: « Qui senatum occidit, et templo spoliavit, unco trahatur. » Et Suetonius in *Vitellio* scribit eum, post mortem, unco tractum in Tiberim: hoc summum erat probrum. Insuper unco suspendebantur reorum, æque ac martyrum, corpora, uti in *Actis S. Sebastiani* legimus, corpus ejus inventum in cloaca pendens ex unco. Adhæc martyres uncis perinde ac unguis lacabantur, uti legimus in *Actis SS. Platonis et Pontiani martyrum*. Vide Gallonium, *De Cruciatibus Martyrum*. Significat ergo uncinus, quod Israelitæ, quasi captivi et damnavi, unco ab Assyriis trahendi sint vel ad necem, vel in captivitatem. Secundo, uncino solent colligi paucula poma, quæ in arbore post excussionem sunt reliqua in ramis altioribus: uncinus ergo significat hic Israelitas, post varias clades et strages Syrorum et Assyriorum reliquos, ad extremum ultimo plenoque excidio urbis et gentis vastandos, etiam illos qui in locis editis, munitis vel abstrusis, remotis et inaccessis degebant, a Salmanasar anno sexto Ezechiæ. Ita Lyranus, Emmanuel, Mariana et alii. Unde Chaldaeus vertit: *Ecce vas plenum extremis æstatis fructibus*, q. d. Sicut collectis uvis extremisque agri vel vineæ fructibus, deseritur ager, vel vinea, fructusque in vase collecti domum asportantur; ita desolabitur Samaria, civesque ejus universi in Assyriam abducentur.

Idem significant Septuaginta, sed alia metaphora, caveæ scilicet, vel retis et aucupis: vertunt enim, *ecce vas*, id est instrumentum, *aucupis*, puta rete, cavea, vel bacilli visco infecti, ut ei se implicent aves. Auceps est Salmanasar, rete sunt ejus castra et arma, quibus illaqueavit, cepit et abduxit Israelitas. Audi Theodoretum: « Visio, ait, hæc celerem et expeditam venationem Israel significat; sicut enim aves visco facile capiuntur, sic Assyriis populus apprehendetur. »

Tropologice Rupertus: Uncinus, inquit, est avaritia: rami et poma sunt divites, eorumque opes; pomum quippe res levus est, maximeque pueros mulcat: viris autem, et maxime sanis, pro minimo est. Sic nimur bona præsentis sæculi levia sunt, et eos quidem qui sensu parvuli sunt nimis oblectant; sapientibus autem qui cœlestia sapiunt, contemptibilia sunt. Hinc primus homo cupiditatis crimen per quod periit, non per aurum, neque per argentum, sed per exiguum po-

rum commisit. Addit Rupertus : Sicut hortulanus uncino sensim sine strepitu, ramum quo vult crebro motu contorquet, donec poma decerpatur; sic avarus, fur et fraudulentus mille habet capiendi et attrahendi artes, quibus innecit et adunca opes aliorum, adeo occulte et dolose, ut ipsi sua damna nisi depauperati, seroque gementes, non sentiant, juxta illud *Psalm. x, 9* : « Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum. »

Mystice Ribera : Uncinus, inquit, est mors, quæ ramos et poma, id est omnes hominis dotes, virtutes et vitia, quamvis recondita attrahit; ut a Deo carpantur, et suis locis singula collocentur. Distinctius Fernandius, *visione XXIII* : Mors, inquit, variis uncinis, id est variis morborum et casuum generibus, attrahit ramos, in quibus plura sunt poma, id est familias, in quibus plura sunt capita, eaque robusta et valentia, quæ a morte videntur remotissima.

Vita hominis est pomum ob octo analogias. Vita enim humana recte comparatur pomis. Primo, quia, sicut poma cito in gemnas erumpunt, crescunt, maturescant, carpuntur: ita et homines. Secundo, sicut e pomis alia matura, alia immatura sponte decidunt, alia in arbore putrescent, alia rubent; sed si aperias, vermibus plena et corrossa invenies: alia manu carpuntur, alia baculo et vi decutiuntur: ita hominum alii in ætate virili; alii in juvenili naturali morte decidunt, alii in putri senectute, alii exterius rubent ut rosæ, sed intus sordibus et morbis scatent; alii in lecto, alii in bello, pugna, etc., violenta morte occumbunt. Hinc ait S. Job cap. ix, 26: « Dies mei pertransierunt quasi naves poma portantes; » haec enim naves celerius aguntur cæteris, ne poma quæ cito putrescent, corruptantur antequam ad portum, ubi vendenda sunt, appellant. Ita celerrime transit ævum nostrum.

Tertio, Varro lib. I *De Re rustica*, cap. xxxv, pomum dictum esse censet, eo quod potu indigeat: « Poma, inquit, quæ insita erunt siccitatibus, aquam addi quotidie vesperi: a quo, quod indigent potu, poma dicta esse possunt. » Ita vita hominum potu non tantum indiget, sed et abundat, ac deliciatur maxime.

Quarto, pomum Persicum in Perside, ob frigus veneni vim habere dicitur, eaque de causa in Italiam transmissum, ut incolis noceret; verum mutato solo, mutavit naturam, et salubre repertum est, ut ait Columella :

Pomis quæ barbara Persis
Miserat, ut fama est, patriis armata venenis :
At nunc expositi parvo discrimine lethi,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Ita voluptas vitæ humanae in se, et in solo quasi

nativo, venenata est: at si solum mutet, et in campum virtutis transplantetur, vitium ponit, et pro morte vitam et salutem affert.

Quinto, pomum rotundum gerit speciem orbis, qui rotundus est; et vitæ humanæ, quæ gyrat et in orbem semper recurrit. Quocirca anno Domini 1013, cum Henricus imperator recens creatus Romanum ingrederetur, Benedictus Papa cum Clero et Senatu ei obviam processit, eique insigne imperii obtulit: pomum id erat aureum, circum circa pretiosissimis gemmis distinctum, aurea cruce desuper eminente, ut dum illud respiceret, cogitaret, se sic debere imperare in mundo, ut illum crucis Christi vexillo subderet. Accepit pomum Imperator, ac manu tracians: « Nullis, ait, melius hoc pomum cernere et possidere congruit, quam illis qui pomis mundi calcatis crucem Christi sequuntur; » ac proinde illico misit illud ad Cluniacense monasterium in Gallia. Ita Glaber, et Baronius anno Christi 1013. Sic in bulla aurea Caroli IV, cap. xxii, traditur et sancitur ut in processione solemni, postquam creatus est imperator, ante illum deferat ensem dux Saxonie, sceptrum marchio Brandenburgensis, pomum comes Palatinus: pomum, quia sphæricum, repræsentat orbem. Unde *Chronic. Hirsau.*, in inauguratione Comitis Hollandie, tradit imperatori inaugurato globum aureum in manum dari his verbis, quæ profert Palatinus Rheni: « Accipe globum sphæricum, ut omnes nationes Romano imperio subjicias, et Augustus glriosus appellari valeas. » Se ergo, suumque cor in manu Dei statuat Imperator, ut cum mundo gestet, regatque illum Deus: ac simul meminerit orbis imperium parvum esse et exile instar pomi et globi, si cum cœlesti regno comparetur. Ad illud ergo anhelet, seque et suos omnes transferre satagat. Sapienter S. Franciscus Xaverius, lib. II, epist. 5, Joanni III Lusitanie regi (ac in eo cæteris principibus et prælatis) hoc saluberrimum dat consilium, ut quotidie per quadrantem horæ divinam illam sententiam meditando: « Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » germanam ejus intelligentiam a Deo petat, cum sensu animi interiore conjunctam; et simul omnium suarum precationum illam velit esse clausulam: « Quid prodest homini si universum mundum lucretur, » etc., quoniam proprius, inquit, quam ille existimat, adest hora, qua illum Rex regum, et Dominus dominantium ad rationem reddendam evocaturus est, illud intonans: « Redde rationem villicationis tuæ. » Verus fuit vates: nam paulo post rex vita functus est.

Sexto, pomo sœpe venenum homini propinatur, aut alio modo mors affertur. Mirum hac de re exemplum narrat Cardanus, *De Rerum. variet.*, lib. XII, cap. lvi: Cum, inquit, Kemethus, rex Scotorum, Eruthlinthum Fenellæ filium occidisset, tum etiam Malconum Druffum regem et affinem Fenellæ; illa statuam mira arte fabricari jussit,

in cuius manu pomum aureum gemmis refertum erat; quod quicumque tetigisset, statim multis jaculis e pomo prosilientibus confodiebatur: eo regem nihil suspicantem invitatum in Festicarii oppido occidit. Ita voluptas hujus vite blandum est, sed exitiale pomum, quod inani quodam fulgore perstringit et illectat eorum oculos, quos decepturum et necaturum est: « Equo ne credite, Teucri. » Ita Nicolaus Causinus, lib. XI *Parab. Histor.* cap. v. Rursum, si offeras puero pomum et simul aureum, puer pomum eliget præ aureo; quia pomi specie capit, auri pretium non novit. Annon ergo bis pueri senes, qui voluptatem virtuli, id est mala bonis, terrena cœlestibus, caduca æternis, fallacia veris anteponunt? Vere pomum hoc illecebrosum est, diciturque malum. Quamobrem apud Martialem, lib. XIII, nuces pineæ ita viatorem affantur:

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede, viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Præclare S. Bernardus, tract. *De Gradib. humilit.*: « Serpens Evæ, ait, porrigit pomum, et surripit paradisum. Hauris virus peritura, et perituros paritura. Perit salus, non destituit partus. Nascimur, morimur, ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nascituri. Propterea grave jugum super omnes filios tuos usque in hodiernum diem. »

Septimo, est et alia pomi cum homine analogia, consideratione et commiseratione digna. Vides arborem florentem et floribus comptam, imo onustam; adverte ex quinquaginta floribus quibuslibet, vix unus in pomum maturum evadet; antequam enim gemmescant, plurimi vel vento decussi, vel æstu arefacti, vel a vermis arrosi, vel humore deficiente marcescentes decidunt: ex iis vero qui gemmescant, plurimi pariter, antequam in poma maturescant, similibus casibus in terram corruent. Ita prorsus ex quinquaginta infantibus qui nascuntur, vix unus in virum evadit; sed alii in infantia, alii in pueritia, alii in adolescentia moriuntur. Quis non lugeat, quis non gemat miseram hanc hominum sortem? Sapienter philosophus ille: « Brevis, ait, vita prohibet suspicere longas spes, vel ad eas aspirare. »

Octavo, inter arbores « infirmissima est malus, maximeque quæ dulcis est, » ait Plinius lib. XVII, cap. xxiv, qui et addit: « Egrotant aliquando et poena ipsa per se sine arbore, si necessariis temporibus imbres, aut temores, vel afflatus defuere, aut contra abundavere: decidunt enim aut deteriora fiunt. » Idem, lib. XVII, cap. ii: « Si, ait, cum defloruere protinus sequantur imbres, in totum poma depereunt, adeo ut amygdala et pyri, etiam si omnino nubilum fuit austrinusve flatus, amittant fetus. » Pari modo quid inter animalia infirmius homine? qui catarro, id est guttula aquæ, suffocatur, æstu uritur, aura infecta pestem haurit, qui plurimis, imo innume-

rabilibus, et sæpe novis ac medicis ignotis morbis laborat. In solo hominis oculo morbos centum numerat et nominat Galenus lib. qui inscribitur *Introductio*, seu *Medicus*, cap. *De Oculorum affectionibus*. Vere S. Job, haec expertus, hominem describens cap. xiv, i: « Homo, ait, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. » Flos pomi mox ut effloruit, flavescit; pomum si decortices, aut scindas, antequam illud ori admoveas, illico cultrum nigrore inficit, vigorem perdit, marcescere incipit: ita et juvenis æstate florenti et vultu roseo, mox deflorescit, pallescit, senescit. « Quasi uvas in deserto inveni Israel, quasi prima poma ficolneæ in cacumine ejus vidi patres eorum, » ait Deus Osee ix, 10. Annon ergo cœtus hominum est uncinus et corbis pomorum? Quotidie ex arbore aliqua aut cadunt, aut leguntur poma, donec omnia in corbem inferantur: quotidie aliqui hominum vita hac deceidunt, et in cœtum mortuorum transcribuntur, donec omnes ad unum sensim, sed brevi temporis spatio, in eundem transferantur. Quocirca Cæsar a Ripa in *Iconographia*, mortem pingit cum falce, et uncino pomorum, ex hoc loco Amos: quia sicut falce omnia demetit, ita uncino omnia carpit, instar pomilegii et pomicarpii. Ite nunc, juvenes; florete, gaudete, exsultate, dicite: Nos poma natamus, cras mergendi, cras morituri.

Hæc considerans Cicero, gentilis licet, sapienter censem animum ab omni voluptate caduca et terrena avocandum, atque in stabili et cœlesti defigendum: « Alte, inquit ipse in *Somnio Scipionis*, spectare si voles, atque hanc sedem et æternum domum contueri, neque sermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebribus oportet ipsa virtus trahat ad rerum decus. Vestra quæ dicitur vita, mors est. » Idem, *Quæst. IV Academ.*: « Cogitantes superiora atque cœlestia, hæc nostra ut exigua et minima contemnamus. » Et *Tuscul. I*: « Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, et brevissima reperietur; tunc erimus beati, cum corporibus relictis cupiditatum et æmulationum erimus expertes. » Et in *Catone Majore*: « Ex ipsa vita discedimus tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo; commorandi enim nobis natura diversorum, non habitandi, dedit. Quis est, quamvis sit adolescentis, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? O dii boni, quid est in hominis vita diu? Mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extreum. Cum enim id advenit, tum illud quod præterit, effluxit, tantum remanet quod virtute et recte factis sis consecutus. Horæ quidem cedunt, et dies, et menses, et anni, nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest. » Rur-

sum *Tusculan.* I : « Duæ sunt viæ, ut ait Socrates, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminarunt, et se totos libidinibus dediderunt, iis demum quoddam iter est seclusum a concilio Deorum : qui autem se integras castosque servarunt, quibusque fuit minima cum corporibus contagio, suntque in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, a quibus sunt profecti, facilis patet reditus. » Quid jam dicat, quid faciat christianus ?

Vers. 2. 2. VENIT FINIS SUPER POPULUM MEUM ISRAEL. — « Finis, » id est excidium Israeli a me decretum et præfinitum. In Hebræo pulchra est paronomasia inter γιρ kais, id est poma æstatis, et γρ kets, id est finis. Radix enim est γρ kots, quæ significat compungi, angustiari, affligi : inde γρ kots significat spinam pungentem ; et γρ kais significat æstatem, qua sol pungit, urit et maturat fructus, q. d. Uncinus hic kais, id est pomorum æstivorum, uret te, o Israel, ut sol æstivus ; et punget te ut kots, id est spina ; ac denique tibi kets, id est finem et exitium, adducet. Quocirca γρ hekis, id est evigilavit et maturavit, pravum tuum kais, id est pomum æstivum ; et tua kots, id est spina, et tuus kets, id est finis, ut ait Ezechiel. cap. vii, 6 (1).

NON ADJICIAM ULTRA UT PERTRANSEAM EUM, — ut dissimulem peccata ejus, ut eum solum præterream et impunitum relinquam, ut pertransit prætor, cum scelera et sceleratos videns præterit et dissimulat, q. d. Tanta sunt criminis Israelis, ut non possim ulterius connovere, non possim tacere et parcere ; sed illa sui enormitate et multitudine, quasi clamore jugi et valido cogant me ad ea vindicandum. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Rupertus et alii.

Vers. 3. 3. STRIDEBUNT CARDINES TEMPLI IN DIEILLA. — Ita vertunt quoque Tigurina et Pagninus, q. d. Stridebunt cardines templi, cum hostes vi januas ejus perrumpent, ut illud spolient et vastent. Rursum stridebunt ex crepitu postium conflagrantium, cum templum ab hostibus incendetur. Ita Theodoreetus. Arabicus : *Cadent altaria templi in die illa* ; quia scilicet Israelitæ templum idolis et sceleribus contaminarunt. Stridebunt ergo ejus cardines, cum illos illis aries, aut mallei hostiles frangent, aut revellent ; cumque per illos agmina hostium in templum irrumpent. Aliter

(1) Apparet (ut bene notat Cornelius), visionis significationem positam esse in allusione duarum vocum *kais* et *kets*, scilicet quemadmodum sub finem æstatis terminus est fructuum, et tempus ut colligantur, cum jam tota æstate solis calore plane sunt maturati, nec diutius in arbore asservari possunt ; sic instat tempus a Jova definitum, ut puniantur Israelitæ, cum scelerum suorum mensuram impleverint... Cæterum, ejus quæ hic describitur, visionis idem est scopus, eademque significatio, ac superioris illius cap. vii, 7. Neque enim est prophetis insuetum, eamdem rem pluries inculcare, mutatis tantummodo verbis vel signis (Rosenmuller.)

quoque Sanchez : Signum, ait, belli priscis erat, templi portas perstringere, juxta illud *Aeneid.* VII :

Sunt geminæ belli portæ, formidine Martis.
Has ubi certa sedet patribus sententia pugnæ, etc.,
Insignis reserat stridentia limina consul.

Verum hic mos fuit Romanorum, non Hebræorum. Adde agi hic de excidio urbis et templi, non de belli signo. Ad verbum Hebræa vertas : *Ululabunt cantica templi*, id est cantica templi vertentur in ululatus ; Syrus : *Corruent laudationes* (cantica, fama et gloria) *templi*. Secundo, Lyranus vertit : *Stridebunt cardines palatii*, scilicet regis et optimatum, cum hostes illorum palatia irrumperent. Tertio, Chaldaeus vertit : *Ululabunt vice cantorum carmina palatii*, sive palatiorum, in quibus festivæ cantiones et musica instrumenta personare solebant ; et Vatablus : *Ululabunt cantica palatii*. Per cantica lætitiam intelligit, q. d. Cantica principum et potentum vertentur in ululatum et mœrem. Noster cum Septuaginta et aliis jam citatis melius vertit, « cardines templi : » quia hebræum ח'ל hechal, proprie augustum et potens templum, sive basilicam significat, a radice י'ח'ל iachol, id est potuit, prævaluuit, q. d. Basilica potens, cæterisque sua magnificentia prævalens. Quarto, Septuaginta vertunt : *Ululabunt laquearia templi*, q. d. Tantus erit clamor hostium et cæsorum ab iis in templo, ut totum templum ululatu compleatur, ipsaque laquearia vices ululantum instar echo reverberantia, ululare videantur. Sic et nostram versionem explicat, et cum Septuaginta conciliat S. Hieronymus : « Stridebunt, inquit, cardines templi, sive laquearia. Hoc autem παρελαυνως accipiendum est, quod tam grave malorum pondus incumbat, ut ipsi quoque portarum cardines et excelsa laquearia ululent, et incredibilem sentiant vastitatem. Unde patet, licet hebræum שירוזת sciroth passim alibi significet cantica, hic tamen significare cardines et laquearia (ita enim vertunt Septuaginta et S. Hieronymus, qui hebraicæ linguae erant peritissimi), forte per onomatopœiam : vox enim sciroth refert et exprimit sonum cardinum stridentium, qui ipsorum quasi est cantus. Adde, a radice שור scor, quæ recta intendere, extendere, canere, multaque alia significat, deducitur nomen שור scor, id est murus, et ædificium ex quo prospicitur, vel quod procurrit et foras extenditur ; inde sciroth vocantur laquearia, quæ per totum templum superne extenduntur, quæque in totum templum prospiciunt.

Quæres, de quo templo loquatur hic Amos? An de Hierosolymitano Dei, an de Bethelino idolorum? De Hierosolymitano accipiunt S. Hieronymus, Theodoreetus et Rupertus. Alii, et planius, accipiunt de eo quod erat in Bethel dicatum vitulis aureis. In Bethel enim degebat et prophetabat contra vitulos aureos Amos, ut patet cap. vii,

vers. 13; unde hic vers. 2, celerem ei finem comminatur, qui et ei obvenit, cum Jerusalem multo tardius vastata sit. Sicut ergo Judæi suum templum in Jerusalem vocabant *hechal*, id est basilicam; ita eorum æmuli Samaritæ suum fanum in Bethel pariter nuncupabant *hechal*. Id ita esse patet ex vers. 7: « Juravit Dominus in superbiam Jacob. » Jacob enim vocantur decem tribus, non duæ. Et ex vers. 14: « Qui jurant in delicto Samariæ, et dicunt: Vivit Deus tuus Dan. » Unde liquet hæc dici contra Samaritas, eorumque deos collocatos in terminis regni, puta in Dan et Bethel. Ita Ruffinus, Lyranus, Clarius, Arias et a Castro.

MULTI MORIENTUR. — Hebraice: *Multiplicabitur cadaver*, id est multa erunt cadavera, multi occidentur, *in omni loco projiciet tace*, id est silentium, q. d. *Multi morientur, et captis habitatoribus vel occisis, in omni loco projicietur silentium*, ait S. Hieronymus, hoc est summam vastitatem inducam, omniaque plena populo redigam in solitudinem. Est metalepsis: silentium enim ponitur pro strage et desolatione: ex occisione enim et strage sequetur desolatio, ex desolatione solitudo, ex solitudine silentium. Unde Septuaginta vertunt: *In omni loco injiciam silentium*. Sic modo ait S. Hieronymus: « In toto orbe terrarum proiectum est silentium Judeorum: ubicumque fuerint, mussitant potius quam loquuntur; » oppressi licet, mutire et hiscere non audent. Secundo, contrarie vertit et explicat Lyranus, nimirum accipiendo *beth*, id est *in*, pro *min*, id est *a*, *ab*, sic vertit: *Ab omni loco projicietur silentium*; quia in omni loco erit clamor, tam hostium occidentium, quam incolarum occisorum. Tertio, Vatablus sic vertit: *Multiplicabitur cadaver in omni loco (qui) projiciet (dicet) tace*, q. d. Pollinator qui curam habet projiciendi cadavera in sepulcrum, agnoscendo justam Dei vindictam in tanta Israelitarum strage, dicet socio suo: Tace, noli conqueri de Domino Deo, quod tot nobis det funera: quia juste hæc patimur propter idolatriam et peccata nostra. Verum hic multa supplenda sunt, quæ non habentur in textu. Quarto, Tigurina vertit: *Multa cadavera (hostis) prosternet in omni loco, idque silentio*. Quinto, Arias, hæc aliter dispungens, et ad Amasiæ sacerdotem idolorum refrens, sic vertit et explicat: Adeo multa erunt cadavera, ut in omni loco projiciantur inseulta; at tu, o Amasia, quia hisce meis oraculis et minis non credis, tace et tacens exspecta rei eventum: videbis enim hæc omnia compleri, et tunc sero credes vel invitus. Verum primus sensus planus et genuinus est. Simili modo regio umbræ mortis, id est status et locus defunctorum, in quo summa est vastitas et horror, vocatur *terra silentium*, et hebraice *duma*, id est *silentium*. Nam, ut ait Ovidius *V Fastor.*:

Mox etiam lemures animas dixerunt silentum.

Et Virgilius, VI *Aeneid.*:

Di quibus imperium est animarum, umbraque silentes,
Et Chaos, et Phlegeton, loca nocte silentia late.

Et inferius:

Quasitor Minos urnam movet, ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.

Moraliter, disce hic strepitum et tumultum Israelitarum congrue puniri contrario, solitudine et silentio. Sicut enim medicorum in morbis axioma et praxis est, contraria contrariis curari, ita et judex Deus contraria scelera contrariis suppliciis curat, nimirum superbiam depressione, gulam fame, libidinem morbis et doloribus, acediam laboribus et sudoribus, tumultum desolatione. Quia enim Israelitæ magno strepitu, pompa, turba et tumultu celebrabant festa idolorum, puta vitulorum aureorum, eodemque invadabant et vastabant bona pauperum, ut dicitur vers. 4 et 5; hinc pariter Deus congrue multat eos omnium rerum spoliatione, strage et vastitate. Simili modo apud christianos, urbes et provincias in quibus magnus fuit rerum hominumque luxus, merciumque, usurarum et fraudum turba, punit deprædatione et desolatione. Pari ratione et jure monasteria et ordines in quibus abjecto silentio viguit dissolutio, garrulitas, detractio, murmuratio, invidia, etc., punit silentio, sinendo ea ab hæreticis vastari, comburi et redigi in solitudinem. Exempla sunt in Gallia, Germania, Belgio, Anglia, in qua sola sub Henrico VIII, teste Sandero,

Millia dena unus temporum sustulit annus.

In cæteris provinciis similiter plurima monasteria funditus eversa videmus, atque in nonnullis causa publica fuit omnibusque nota, nimirum silentii et disciplinæ religiosæ abjectio, vitaque monachorum licentiosa, et plus quam sæcularis. Dicat ergo talibus Deus: Quia vos projecistis disciplinam et silentium, ego silentio, quod vim a vobis patitur, succurram, illudque in omni loco restituam, imo projiciam, redigendo omnia in cineres camposque silentes.

5. QUANDO TRANSIBIT MENSIS (ita Romana, Hebrewæ et Septuaginta. Male ergo Remigius, Rupertus, Hugo et Lyranus legunt, *messis*): ET VENUNDABIMUS MERCES (Septuaginta, et *negotiabimur*), ET (quando transibit, ita Syrus) SABBATUM, ET APERIEBIMUS FRUMENTUM. — Syrus, *horrea*. Mensis et sabbatum tripliciter accipi possunt: primo, synecdochice pro quolibet tempore generatim. Hebrei enim tempus omne mensurabant et dividebant per menses et sabbata. Secundo, magis particulatim mensis, hebraice *chodes*, vocabatur neomenia, id est prima dies cuiuslibet mensis: et sabbatum proprie erat septima dies hebdomadæ. Tertio, specialissime, mensis sacer erat mensis septimus, puta *september*, quo post collectas

Triplex
mensis et
sabbatum.

fruges totum pene mensem sacrum festumque agebant, uti dixi *Levit.* cap. xxiii, 23 et sequent., ac proinde idem mensis erat sabbatum, non diem, sed mensium : quia erat septimus mensis, isque festus. Juxta primam mensis et sabbati acceptationem, primus hujus loci sensus erit hic : Quolibet mense et sabbato, id est quolibet tempore, quo vos, o avari frumentipolae, videtis frumentum vilis esse pretii, illud reconditis, ut tempus hoc transeat, et succedat post tempus copiae tempus inopie, quo illud carius vendatis. Ita Castro et Vatablus.

Juxta secundam acceptationem sensus secundus erit hic : Ita inhibatis lucro, ut doleatis advenire festum neomeniae et sabbati, ac optetis illa cito transire, ut illis transactis illico ad mercimonia et lucra vestra redeatis, ac de more vestro care vendatis frumentum. Ita S. Hieronymus, Theodoreetus, Ruffinus, Remigius, Lyranus et Ribera. Ubi nota avarorum mercatorum vota, qui nil nisi merces, mercatus et lucra somniant, quibus proinde omnis res divina est longa, adeoque Missa dimidiæ horæ sæpe nimis est prolixa. Addit Sanchez : Calendas, inquit, sive primum mensis diem avide exspectabant avari mercatores; quia tunc pecunias dabant fœnori, et fœnebres exigebant usuras, ut patet ex Plutarcho, lib. *De Non faenerando*, et ex Horatio, lib. I, *satyra III*; unde tunc debitorum, qui fœnus solvere non poterant, pignora vendebant, vel bona invadabant. Huc refertur expositio Chaldæi et Pauli Burgensis, qui per mensem accipiunt non quemvis, sed embolismalem, qui scilicet tertio quoque anno quasi decimus tertius, alis duodecim anni mensibus addebat ab Hebreis ad hoc, ut annum suum lunarem æquarent solari, ut dixi *Exod.* cap. XII, 2, q. d. Quando transierit annus ille tertius longior, post quem ob additum mensem solet citius frumentum deficere, et carius vendi, nos illud care vendemus. Rursum Chaldæus, Burgensis, Albertus et Arias sabbatum accipiunt non dierum, nec mensium, sed annorum, puta annum septimum remissionis, qui totus erat sacer et sabbatum, id est festus, q. d. Quando transierit annus septimus quo serere non licet, unde sequetur frumenti penuria, tunc care illud vendemus; quasi hoc Propheta dixerit instante vel præsente anno septimo et sabbatico, taxans abusus avarorum qui illo abutebantur ad turpia sua lucra.

Juxta tertiam acceptationem tertius sensus erit hic : Quando transierit tempus messis, quo ob copiam vilius solet esse frumentum; pariter et mensis septimus, quo feriantur Iudei, ac liberalliter fruges suas consumunt, mense octavo et sequentibus, cum frumentum jam deficere incipit, nos illud pretio caro ad libitum vendemus. Hunc sensum afferunt quoque Remigius, Albertus, Rupertus, Lyranus et Hugo. Favet huic expositioni articulus hebraicus *he* additus voci *chodes*, qui certum mensem, eumque cæteris illustriorem si-

gnificat, qui sane aliis esse nequit quam mensis septimus. Rursum favet rei natura : post mensem enim septimum carius erat frumentum, idque ordinarie quolibet anno. Non enim videtur loqui Propheta de anno septimo, vel simili extraordi- nario et rarius occurrente. Denique posset quis opinari per mensem hic significari mensem mes- sis, quo scilicet metebant novas fruges, puta maium, vel junium; ac per sabbatum significari festum Pentecostes, quo ex messe primos panes quasi primitias Deo offerebant. Sabbatum enim Hebreis erat quintuplex : *primum* : dierum, puta septima dies hebdomadæ; *secundum*, hebdomadum, puta septem hebdomades numeratae a Paschate, quæ conficiunt quadraginta novem dies, quibus expletis, sequens dies quinquagesima erat Pentecoste; *tertium*, mensium, puta septimus mensis, de quo jam dixi; *quartum*, annorum, puta annus septimus remissionis, qui proinde vocabatur sabbaticus, eratque festus; *quintum*, hebdomadis annorum : septem enim hebdomades, sive septenarii annorum, faciunt quadraginta novem annos, post quos annus sequens quinqua- gesimus erat jubileus, et totus sabbatum, id est festum. Verum quia statim a messe et Pentecoste erat copia frumenti, ac proinde illud vilis erat pretii, hinc aliud tempus hi avari mercatores hic notare videntur, videlicet post septimum men- sem, quando jam illud deficere, ejusque pretium carius effici incipiebat.

ET APERIEMUS FRUMENTUM, — aperiemus grana- ria tempore copiae clausa, ut tempore penuriae promamus, careque pro libito nostro vendamus frumentum. Porro quam hoc Deo sit invisum, docet ipse hoc loco, dum mox multas gravesque talibus pœnas intentat. Deum imitantur principes et magistratus, ut hosce monopolas, quasi mures tritici corrosores, imo corrosores, famem publi- cam afferentes capiant et plectant. Ita fecit B. Car- olus Comes Flandriæ : cum enim Lambertus Stratensis, frater Bertolfi præpositi S. Donatiani, decimas in multis annos redemisset, plenaque horrea haberet, atque ingruente annonæ caritate ea egenis communicare nollet, jussit B. Carolus ejus horrea effringi, triticique vim ingentem egen- tibus gratis admeliri. Qua de causa a monopolis ei in templo oranti sacrilege mors violenta illata est, ipseque justitiae æque ac annonæ publicæ tu- tor pro muneric sui fortiter obiti merito martyrii palmam tulit. Ita habet ejus Vita nuper a Belgis edita, et *Æmil.* lib. V. Celebris et sancta hujus facti memoria etiamnum Brugis Flandrorum per- durat, ubi locus, in quo Comes occisus, mihi olim ostensus est.

Narrat Procopius, lib. III, Joannem præfectum prætorio Belisarii, bello Wandalico nauticum pa- nem, ne bis coctus pondere levior redderetur, adhuc crudum ad publici balnei fornacem assari fecisse, ne quid ponderi decederet : at vix Metho- nem pervenisse, cum panes dissolvi cœpere, et

Morali-
ter, in
monopo-
las fru-
menti.

Exempla
B. Caro-
li.

militibus per modios distributi gravissimos morbos invexere. Ita unius avaritia totum exercitum afflixit, et pene perdidit. Ad hosce avaros Tantali fabulam ingeniose transferit Horatius, lib. I Serm. satyra 1, qui

Congestis undique saccis
Indormit inhians, et tanquam parcere sacris
Cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Porro Deus justo judicio avaros penuria punit, facitque ut frumentum quod avare asservant, a muribus corrodatur, vel tempestate aut naufragio mergatur, vel ab hostibus diripiatur, vel alio casu pereat.

S. Paulini. Memorabile est quod in *Vita Paulini* legimus, eum Christi imitatione et amore opes amplissimas in pauperes erogasse, et ex ditissimo factum pauperrimum. Cum quadam die pauper ab eo stipem peteret, dixit B. Terasiae olim conjugi, nunc sorori suae (cum ea enim vivebat in continentia), ut eam illi daret. Respondit Terasia se non habere nisi unicum panem. Jussit tamen Paulinus illum dari. Terasia, timens ne in prandio non haberet quod apponenteret Paulino, panem non dedit, sed servavit. « Interea, inquit Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Confess.* cap. cvii, advenerunt quidam dicentes se missos a dominis suis, ut illi annonæ ac vini deferrent speciem; sed pro hoc se moratos, quod orta tempestas unam eis cum tritico abstulerit navim. Tunc vir Dei conversus ad mulierem, ait: Intellege te illi pauperi unum panem fuisse furatum, et ideo hanc navim esse mersam. » Ex adverso dum idem Paulinus, jam Nolæ episcopus, adeo liberalis esset, ut cum fruges omnes erogasset in pauperes, tandem seipsum pro filio viduae redimendo servituti manciparet, paulo post Dei nutu a rege Wandalorum agnitus cum suis civibus omnibus, atque onustis frumento navibus Nolam est remissus: « sicque factum est ut qui se in servitium solum tradiderat, cum multis a servitio ad libertatem rediret, illum videlicet imitatus, qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati. Cujus sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntarie servus factus est solus, ut esset postmodum liber cum multis, » ait S. Gregorius, lib. III *Dialog.* I.

S. Joannis Eleemosynaria. Simile est quod narrat Leontius in *Vita S. Joannis Eleemosynaria*, de mercatore quodam opulento, cuius fruges et merces naufragio perierunt, qui cum hoc suum infortunium lamentans narraret S. Joanni, audivit ab eo: « Scias hoc tibi nulla alia de causa accidisse, nisi quod haec navis non juste, non honeste a te esset acquisita. » Jussit ergo ei dari unam ex navibus Ecclesiæ, onus tam viginti millibus modiorum frumenti: cum qua felicissime navigans mercator, appulit in Britanniam fame tunc laborantem, ubi moderato pretio vendens frumentum, Britannorum indigentia dum consultit, ipse ditatus est. Hoc est

quod ait Sapiens *Proverb.* cap. xi, 24: « Alii dividunt propria, et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima quæ benedic impinguabitur, et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. » Et S. Paulus, *Il Cor.* ix, 6: « Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus (benefice, largiter, copiose), de benedictionibus et metet. » Vide ibi dicta.

Quocirca graviter et acriter monopolas insectans S. Ambrosius, lib. III *Offic.* cap. vi: « Cur, ait, ad fraudem convertis naturæ indulgentiam, quæ copiosas dat fruges? Cur invides usibus hominum publicos partus? Cur populis minus abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis a pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia fecunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quam te de fame publica negotiari. » Et mox: « Latrocinium hoc, an fœnus appelle? Captantur tanquam latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Lucrum tuum damnum publicum est. Joseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit. Recte Salomon (*Proverb.* cap. xi): Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non hæredibus: quoniam avaritiæ emolumenntum ad successorum jura non pervenit. Quod non legitime acquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur. »

UT IMMINUAMUS MENSURAM, ET AUGERAMUS SICLUM.— Pro *mensuram* hebraice est *epha*, quæ erat certa, usitata et communis mensura, sub qua omnes alias per synecdochen intelligit. Porro *epha* erat decima pars cori: corus autem continebat 30 modios Italicos: ergo *epha* continebat tres modios Italicos, et sex Hispanicos (modius enim *Italicus* duplus est ad *Hispanicum*). Quocirca *epha* Hebreum idem erat quod medimnus Atticus, teste Josepho lib. X *Antiquit.* cap. xii. Rursum satum erat tertia pars *epha*, puta modius unus *Italicus*. Vide ea quæ dixi de mensuris in fine Pentateuchi. Notat non tantum avaritiam, qua carissime vendebant, sed etiam dolum et fraudem mercatorum, quo in vendendo mensuram minuebant, id est mensura æquo minori rem quam vendebant emptoribus admitebantur; e contrario vero augebant *siclum*, supponendo scilicet stateras dolosas, ut sequitur, quarum videlicet lanx altera, in qua apponendus erat *siclus* (ut videretur an justi esset ponderis), quem ementes pro merce empta solvebant, esset depressior et gravior, ita ut *siclus* alioqui justi ponderis, his dolosis stateris appensus, justo levior videretur, ac per consequens illi drachmas aliquas argenti vel auri, ementes adjicere deberent. Ita Clarius, Ribera, Arias et a Castro. Olim enim omnis pecunia, præsertim cum rudis esset, nec signata, semper ponderabatur, et ad pondus annumerabatur, atque

pro pondere majori vel minori suum habebat pretium majus vel minus, ut patet *Genes. cap. xxiii, 16, Jerem. cap. xxxii, 9, Isaiae cap. lv, 2.*

Secundo, S. Hieronymus et Vatablus per *siculum* accipiunt, non monetam, sed pondus. *Siclus enim hebraice idem est quod pondus*, q. d. « *Augeamus siclum*, » hoc est cum ememus merces, majori æquo siclo, id est pondere, eas ponderemus; cum vero easdem aliis vendemus, minori æque pondere easdem appendamus. Unde Vatablus vertit: *Diminuamus modium, et augeamus pondus, et pervertamus bilancem dolosam*; huncque dat sensum: « *Vendamus triticum nostrum mensura æquo minori, et pervertendo supponamus bilancem dolosam*, » q. d. « *In his quæ mensura vendi solent, ut modio, utemur mensura æquo minori: in his vero quæ accipiemus, majori æquo pondere utemur.* »

Tertio, Remigius et Lyranus sic exponunt: « *Augeamus siclum*, » id est augeamus pretium frumenti, q. d. Conspiremus in pretium justo majus, ut nemo nostrum infra illud minoris vendat, ita ut cogantur emptores omnes pretio illo injusto a nobis taxato merces nostras emere, quod vitium vocatur *monopolium*, de quo vide P. Lessium, *De Justitia et jure*, lib. II, cap. xxi *De Emptione*, dub. 21.

Quarto, Mariana explicat, q. d. Post venditum frumentum et receptam pecuniam augeamus siclum, id est sicli pretium, ut sic crescat pretium pecuniæ, opesque nostræ.

Nota: *Siclus hebraice idem est quod pondus*, a radice *לִבְשׁ šakal*, id est appendit, ponderavit. Sic græce *siclus* dicitur σταθμός, id est *libra, pondus, statera*. *Siclus enim erat nummus vulgaris, communis et usitatus, pondere quatuor drachmarum, sive semunciae, quo non tantum pecunia, sed et metalla, adeoque res quaslibet ponderabant*. Valebat ergo *siclus* quatuor *julios*, sive quatuor regales Hispanicos: *julius enim, æque ac regalis, pendit drachmam argenti*. Erat et *siclus æreus et aureus, ejusdem ponderis, sed pro materia majoris vel minoris pretii*. Vide quæ de *siclo* dixi *Exodi cap. xxx, 13.*

Vers. 6. 6. *UT POSSIDEAMUS IN ARGENTO* (id est argento, pretio argenti). *Hebræum enim beth, id est in, est nota pretii) EGENOS, ET PAUPERES PRO CALCEAMENTIS*, — q. d. Ut hisce nostris artibus et fraudibus redigamus pauperes ad extremam inopiam, qua cogantur se vendere nobis in mancipia, itaque possideamus eos, ut nobis quasi jumenta serviant, idque parvo pretio, imo pro pari calceamentorum.

ET QUISQUILIAS FRUMENTI VENDAMUS — pro puro frumento. Nota hic avarorum mercatorum varias artes et dolos, quibus alios expilant et se ditant. *Primus* est, quod carissime merces suas divendant. *Secundus*, quod minuant mensuras. *Tertius*, quod augeant *siclum*, id est pondus. *Quartus*, quod supponant stateras dolosas. *Quintus*, quod

cogant pauperes non tantum sua, sed et seipsos vendere pro calceamentis. *Sextus*, quod frumentum mixtum paleis, cicere, avena, arena, etc., vendant pro puro frumento. Unde Arabicus vertit: *Vendemus vasorum purgationes*, id est, quod post sublatum frumentum scopis aream purgando, convertitur et congeritur. Hinc ira Dei excita detonat in eos, aitque:

7. JURAVIT DOMINUS IN SUPERBIAM JACOB, — id est Vers. 7. contra superbiam Israelis, qua superbe dominatur pauperibus, eosque deprædatur. Ita Septuaginta, S. Hieronymus, Theodoreetus, Remigius, Hugo, Lyranus et alii. Hebraice pro *superbiā* est גָּבוֹן gheon, id est magnificētia, celsitudo, arrogātia. Unde Chaldæus vertit: *Juravit Dominus qui dedit magnitudinem Jacob*; Pagninus: *Juravit Dominus per celsitudinem suam notam in Jacob*; Arias et Tigurina: *Juravit Dominus per excellentiam ipsius Jacob*, q. d. *Juravit per templum*, quod erat gloria, præstantia, magnificētia, et quasi *superbiā* Jacob. Sic ait Isaias cap. LX, 15: « *Ponam te in superbiam*, » id est in magnificētiam et gloriam, « *seculorum.* » Ita Vatablus et Prado in *Ezech. cap. vii, 24*, explicans illud: « *Et quiescere faciam superbiam potentium: Templum, inquit, vocat superbiam potentium, id est arcem potentiissimam, superbissimam, magnificētissimam et celsissimam*. Prima versio et sensus nostri Interpretis, uti Hebræo congruentior, ita et nervosior est.

SI OBLITUS FUERO. — Vox *si* est nota jurantis, et signum juramenti exsecratorii apud Hebræos, q. d. *Juravit Deus dicens: Juro per me meamque veritatem, quod non obliviscar hæc opera et scelera Israelis, sed ea acriter puniam, adeo ut si eorum oblitus fuero, non habear verax, non habear Deus*. Vox ergo *si* in juramento vel impropterie capitur pro *non*, vel proprio *si* subaudias exsecrationem, v. g. hanc: *Non habear Deus*. Hanc enim Hebræi per euphemismum tam horroris, quam boni ominis causa subtacent, et subaudiendam relinquunt.

USQUE AD FINEM, — in perpetuum.

8. NUMQUID SUPER ISTO NON COMMOVEBITUR TERRA, Vers. 8. — scilicet vastitate, ut diripiatur et vastetur? Unde Chaldæus vertit, *desolabitur terra*. *Secundo*, hebraice est תִּירַגֵּז targaz, id est contremiscet, ut vertit Tigurina; Pagninus, *movebit se*, q. d. Tanta sunt scelera Israelis, tantaque ob ea illi clades imminent, ut merito terra hæc audiens, sustinens et sentiens, quasi terrore et stupore perculta contremiscere, omnesque incolæ plangere et ejulare debeant. Est prosopopœia: ad pathos enim terræ insensili sensum, indignationem, horrorem et tremorem attribuit. Omnes enim creaturæ sensu naturali sentiunt vocem et nutum sui Creatoris, multoque magis ejusdem offensam et iram.

ET ASCENDET QUASI FLUVIUS UNIVERSUS, ET DEFLUET QUASI RIVUS AEGYPTI. — Aliqui, ut a Castro, per rivum accipiunt torrentem deserti, qui Judæam

disterminat a deserto et ab Aegypto, de quo dixi cap. vi, 15, q. d. Sicut hic torrens in mare defluit, et amplius non appetet, aquis ejus a mari haustis : ita Israelitae haurientur ab Assyriis, ab eis que abducentur et dispergentur, ut amplius non appareant. Ita a Castro, qui et citat pro hac expositione S. Hieronymum et alios : sed in S. Hieronymo idipsum non reperi ; atque ille torrens deserti, torrens est et vocatur, non fluvius. Adde, rivus Aegypti non aliud est quam Nilus, vel rivus Nili ; unde Septuaginta pro *rivus* vertunt, *fluvius* Aegypti.

Melius ergo Clarius, Arias, Vatablus et alii passim per *fluvium* intelligent Nilum : hic enim paulo post vocatur rivus Aegypti, præsertim quia Nilus in septem rivos se dividit, quibus per totidem ostia in mare defluit. Apposite autem adducit Nilum, potius quam alios fluvios : quia Nilus quotannis exundans, et restagnans, oblitus fertilemque facit Aegyptum (non enim pluit in Aegypto, sed vice pluviae est Nilus exæstuans). Unde messis Aegypti dicitur esse in Nilo, quasi in causa, juxta illud Isaiae cap. xxiii, 3 : « In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus : et facta est negotiatio gentium. » Adde, Israelitæ mercatores frumentum emebant ex Aegypto ; Aegyptus enim ita fertilis erat, ut esset horreum Romanorum, imo totius Orientis, q. d. Quia vos, o Israelitæ, frumentum Niliacum in Aegypto vili pretio emptum reconditis, ut care vendatis, quin et illud mixtis quisquiliis vitiatis, et injustis mensuris dolose dividitis, hac de causa ego adducam exercitum Assyriorum, qui instar Nili copia sua inundabit Israelem, eumque cum suo frumento et opibus evertet, et transferet in Assyriam. Alludit ergo ad ascensum, id est incrementum Nili intumescentis et exundantis, qui deinde statim detumescit et subsidit, ac partim absorbetur a terra, partim refluit in suum alveum, et ex eo in mare delabitur, q. d. Pari modo ascendentem exercitu Assyrio in terram Israel, vos pariter ascendetis, et ab eis in magnam turbam congregabimini, et congregati turmatim expellemini in Assyrios, ibique dispergemi et absorbebimini, ut inter numerosissimam gentem dispersi, vix ulli esse appareatis. Unde Chaldaeus vertit : *Irruet in eam rex cum exercitu suo maximo sicut aquæ fluvii, et eluet eam omnem, expellentque habitatores ejus ut fluvius Aegypti* ; alii active vertunt : *Et transcendit (Assyrius) sicut fluvius universam illam (terram Israel), et deprimetur tanquam fluvio Aegypti*, q. d. Sicut terra Aegypti obruitur Nilo, sic terra Israel obruetur et opprimetur ab Assyriis. Rursum, sicut Nilus exundans everrit totam Aegyptum, sic Assyrii everrent omnes fruges et opes Israel. Secundo, Vatablus vertit : *Et ascendet tanquam amnis universa ipsa (terra Israel), et pelletur (loco suo), et absorbebitur sicut fluvius Aegypti*, sicque explicat, q. d. Terra Israel tota operietur aquis, et vertetur tota quasi in amnem : per aquam et am-

nem significat omnes clades et calamitates quibus illa quasi aquis obruenda erat ab ira et vindicta divina (1).

Tertio, Clarius explicat, q. d. Sicut Nilus evomit ea quæ ipsi innatant, sic terra Israel evomet ex se Israelitas, projicietque eos in Assyriam.

Nota τὸ ascendet, scilicet non *habitor*, sed *terra*: hebræum enim עלה aletha, cum sit femininum, respicit terram : terra ergo Israel ascendet, ejicitur et defluet : *terra*, id est *incolæ*, fruges et opes terræ ascendent, id est in cumulum redigentur, ut auferantur ab Assyriis hostibus et prædatoribus.

Hinc consequenter τὸ universus, supple non *habitor*, sed *fluvius*, q. d. Sicut fluvius universus, id est totus, in Aegypto collectus ascendit et in altum assurgit : ita pariter totus cumulus Israelis abducendi ab Assyriis ingens erit, et in magnam summam ascendet. Jam in Hebræo legitur כלוּכָּה, id est *omnis illa*, scilicet terra Israel, ascendet : sed noster Interpres aliis punctis legit כלְּכָּלָה, id est *completus*, *perfectus*, *universus*, scilicet fluvius ascendet. Sic etiam legerunt Septuaginta, vertunt enim : *Et ascendet quasi flumen consummatio, et descendet quasi fluvius Aegypti : consummatio*, id est tota et consummata multitudo, & que ac substantia Israelis, quod mystice, vel potius accommodatitie electis et reprobis adaptat S. Hieronymus : « Ut qui egerit, inquit, poenitentiam, ascendat cum fluvio scandente ; qui autem perseveraverit in delictis, descendat sicut fluvius Aegypti, et ingressus mare absorbeat, ac per hoc ostendit superbiam Jacob, contra quam jurat Dominus æternis suppliciis devorandam. »

Denique pro *defluet* hebraice est נִשְׁקַה niskea, id est demergatur in profundum, absorbeatur, eat in abyssum. Ubi nota, pro נִשְׁקָה legendum עַיְנָה, uti legendum docent Masoretæ ; litera ergo *ain* suppressa est vel vitio scriptorum, vel studio ab ipso Propheta, ut omnimodam demissionem innueret, inquit Marinus in Lexico. Radix enim est γράψ per *ain*, id est profundari, demergi, adima trahi ; non πέμψ per *he*, id est irrigari, potari : sic enim dicendum fuisset, נִשְׁקָה nisketa in genere feminino, eo quod עַרְתָּה erets, id est terra, sit nomen femininum. Israel ergo ibit in abyssum perinde ac Babylon, de qua dicit Jeremias, cap. li, 63, et ex eo S. Joannes, Apoc. cap. xviii, 21 : « Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnam, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa

(1) Ex more Hebræorum, ut recte observat Ackermann, נִלְעָד uta, *ascendere*, non solum dicitur de re quæ ascendit, sed etiam de ea in quam quid ascendit, ut Jes. xxxiv, 13; Prov. xxiv, 31. Cæterum ex materia substrata patet, inundationem terræ Israeliticæ quidem cum illa Aegypti per Nilum comparari, ast nullo habito respectu ad effectum, cum hæc Niliaca regionem fœcundet, illa vero regionem destruat.

magna, et ultra jam non invenietur. » Postremo Syrus hoc loco vertit : *Ascendet quasi fluvius finis ejus, et repellat (opprimet), et descendet sicut fluvius Egypti; Arabicus Alexandrinus : Ascendet quasi fluvius, et descendet quasi Nilus Egypti; Arabicus Antiochenus : Et adveniet finis ejus quasi fluvius, et defluet, et ejicietur quasi fluvius Egypti.*

Vers. 9.

9. OCCIDET SOL IN MERIDIE, — non quod revera sol Israelitis occidet et abscondetur; sed quod nimio pavore et mœrore consternatis occidere et abscondi videatur. Pavor enim et mœror caliginem oculis æque ac menti inducunt, ut mœrentes in meridie videantur sibi versari in tenebris, nec lucem solis conspicere. Hoc est enim quod explicans subdit : « Et tenebrescere faciam terram in die luminis. » Ita S. Hieronymus, Theodoreetus et S. Chrysostomus, hom. 2 *ad Populum*, ubi id ipsum Antiochenis suo illo tempore contigisse asseverat, eo quod ipsi ob violatam Theodosii imperatoris imaginem pavidi et anxii, in horas singulas ab ejus ira laqueos, furcas et ignes expectarent.

Secundo, symbolice : « Occidet sol in meridie, » id est, in summa prosperitate et felicitate Israelis maxima ei accidet calamitas et captivitas, ut sit parabolica catachresis : sol enim et lux sunt causa et symbolum lætitiae et prosperitatis, æque ac tenebræ calamitatis et tristitiae. Ita Remigius, Rupertus, Hugo, Lyranus et S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. i. Rursum sol, id est mens et ratio, occidit irato et peccatori : quia tenebræ iræ et perturbationum animam ejus occupant, ut velut in nocte cæca positus, non videat quid agere debat. Ita Cassianus, lib. VIII *De Institutis renunt.* cap. IX.

Allegorice, hæc de occasu et eclipsi solis, quæ per miraculum facta est in passione Christi, qua sol quasi pullatus incessit, et luxit necem sui Creatoris, exponunt S. Hieronymus, Ruffinus, Rupertus hic, et Eusebius lib. X *De Demonstr.* cap. vi; S. Augustinus, lib. *Quæst. ex utroque Testamento*, Quæst. XIII; S. Cyrillus, *Cateches.* 13; Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.* cap. XLII; S. Cyprianus, lib. II *Ad Quirinum* cap. XXIII; Isidorus, lib. *De Passione Domini*, cap. XLV.

Vers. 10.

10. ET INDUCAM SUPER OMNE DORSUM VESTRUM SACCUM, etc. — Efficiam ut omnes Israelitæ induant saccum, et capila radant, eaque decalvent : saccus enim et calvitiū apud Judæos signaverant lugentium, et luctus maximi, ut patet *Jerem.* cap. VI, 26.

ET PONAM EAM QUASI LUCTUM UNIGENITI, — q. d. Affligam terram Israel gravissime, itaque faciam ut acerbissime lugeat; mortuo enim filio unigenito parentes, et maxime mater luget inconsolabiliter.

ET NOVISSIMA EJUS (ponam) QUASI DIEM AMARUM, — q. d. Efficiam ut novissima et ultima Israelis sint luctuosissima et amarissima. Tropologice, cogitet hoc peccator, dum voluptuatur, quod sci-

licet Deus in hora mortis omnes delicias in dolores et angores convertet. Vere Pythagoras : « Omnia, ait, malorum maximum est voluptas, quam tanquam clavo ac fibula anima nectitur. »

11. MITTAM FAMEM IN TERRAM : NON FAMEM PANIS, NEQUE SITIM AQUÆ, SED AUDIENDI VERBUM DOMINI, — Vers. 11.

q. d. Efficiam ut tempore obsidionis et pugnacionis Samariæ, ita affligantur, angantur, inopesque sint mentis et consilii Israelitæ, ut Prophetas, quos jam contemnunt, toto orbe perquirant, ut ex iis sciscientur, et audiant tum oracula de obsidionis exitu, tum consilia ad eam evadendam : an videlicet, quando et quomodo sint liberandi.

Tropologice S. Basilius, homil. *De Laudibus jejuniti*, in fine, citans hæc Amos verba : *Non famem panis, sed famem audiendi verbum Dei*, subdit : « Quam ideo immisit justus judex, quod perspiceret eorum mentem verorum dogmatum penuria macrescere, externum vero hominem supra modum pinguescere, et obesum fieri. » Sæpe enim Deus divites et gulones punit fame et penuria cibi spiritualis, ut qui pinguescant corpore, macrescant et emoriantur in spiritu : sicut ex adverso pauperes et abstinentes ditat et impinguat sua doctrina et gratia. Rursum hinc docet S. Gregorius lib. XXX *Moral.* XXXV : « Sæpe, inquit, doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, et sæpe propter culpam auditoris subtrahitur sermo doctori, » ut Ezechieli, cui ait Deus cap. III, vers. 26 : « Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, etc., quia domus exasperans est. »

12. ET COMMOVEBUNTUR A MARI, etc. — q. d. Ca-

lamitate jam dicta, et fame, id est desiderio audiendi oracula commoti Israelitæ, vel mittent legatos in omnes terræ angulos, ut a mari Galilææ usque ad mare Mediterraneum prophetam aliquem perquirant, qui hæc eis enuntiet; fiet enim eis juxta illud *Psalm. LXXXIII*, 9 : « Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta, et nos non cognoscet amplius. » Ita Chaldeus, Lyranus et alii. Secundo, S. Hieronymus, Remigius, Hugo et Arias hæc sensu, vel litterali, vel allegorico extendunt ad desolationem extremam Judæorum, quam etiamnum ob occisum Christum patiuntur et patientur usque ad finem mundi. Amos enim licet directe prophetet contra decem tribus, indirecte tamen et comitanter prophetat quoque contra duas, puta contra Judam et Benjamin. Sicut enim Judas in scelere, sic et in vastitate similis fuit Israeli fratri suo. Hujus ergo excidium illius fuit typus et præambulum.

Audi S. Hieronymum totum hunc locum Christo et Judæis adaptantem : « Possumus hunc locum et in Domini passione intelligere, quando sol hora sexta retraxit radios suos, et pendentem in cruce Dominum suum spectare non ausus est : quando tenebris cuncta complebitibus, festivitates eorum et cantica, Vespasiano Titoque superantibus, in planctum luctumque mutata sunt : quando lacry-

marum, et pœnitudinis, et ciliciorum repleta sunt omnia; et capita habuere calvitium, quæ prius Nazaræorum decorata cæsarie comam Domino nutriebant. Tunc primogenitus Filius Dei populus Israel, qui in unigenitum et vere Filium Dei misserat manum, æterno luctui traditus est. Nunc ergo illis habentibus tenebras qui repulerunt solem justitiæ, nos qui sedebamus in tenebris et in umbra mortis, vidimus lucem magnam, et illorum universa festivitas ad Ecclesiæ translata est mysteria. » Et post pauca: « Illi dormierunt in meretricis Synagogæ genibus, et diabolo tondente derasi, virtutem capitis perdidérunt, amittentes cum robore oculos, » instar Samsonis. Et inferius: « Ablata est ab eis lex, et Prophetæ æterno conticuere silentio: moventur a mari ad mare, et ab Oceano Britannico usque ad Oceanum Atlanticum, id est ab Occidente ad Meridiem, et ab Aquilone usque ad Orientem toto orbe peregrini (et vagi) verbum Dei non valent invenire. » Et mox famem verbi Dei explicans: « Quibus, inquit, ingerimus famem esse prædictam intelligentiæ spiritualis, in qua Christus cernitur, passio Domini et resurrectio reperitur. Circum-eunt orbem, et querunt verbum Domini, et non inveniunt; quia Verbum Domini negaverunt, quod factum est in manibus omnium Prophetarum, quod in principio apud Patrem erat, quod caro factum est, et habitavit in nobis. »

Vers. 13. 13. IN DIEILLA DEFICIENT VIRGINES PULCHRAE, ET ADOLESCENTES IN SITI, — q. d. Non tantum spiritualis, sed et corporalis fames et sitis eis obvenient: hac enim tabescunt virginès innuptæ, æque ac juvenes, ita ut, iis enectis, nulla posteritatis sit spes, sed tota quasi gens intereat. Unde Chaldaeus vertit: *In illo tempore deliquium patietur cætus Israel*. Ita Theodoreus, Albertus, Lyranus et Clarius.

Mystice S. Hieronymus: « Deficient, ait, virginès, quia verbum Domini non invenient. Ex quo intelligimus, quando doctrina non fuerit in Ecclesia, perire pudicitiam, castitatem mori, abire virtutes; quia non comedérunt verbum Domini, quod qui comedérat, saginatus ejus cibo audiet per Salomonem: *Justus comedens saturat animam suam, animæ autem impiorum esurient,* » Proverb. cap. XIII.

Vers. 14. 14. QUI JURANT IN DELICTO SAMARIAE, q. d. Ideo

virgines, adolescentes et Israelitæ omnes punientur fame, siti et morte, quia adorant, colunt et jurant per vitulum aureum, quem Jeroboam erexit, et collocavit in Dan quasi deum Samariæ eumque opponunt et anteponunt Dei Verbo.

ET VIVIT VIA BERSABEE. — Nota Israelitas non tantum per vitulos suos in Bersabee erectos jrasse, sed etiam per viam qua ad eos ibatur in Bersabee, quasi hæc sancta esset a sancto idolo, q. d. Punientur qui jurant per vitam viæ, qua itur in Bersabee: non quod via hæc viveret, sed vitam vel metaphoricam, vel metonymicam intelligunt. Metaphoricam, q. d. Vivat, id est floreat, teratur et frequentetur jugiter via Bersabee. Sic enim ex adverso viæ dicuntur mortuæ, vel lugere, cum neglectæ et desertæ jacent, juxta illud *Thren.* cap. I, 4: « Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem. » (Metonymicam; q. d. Vivat vitulus aureus deus noster, ad quem ducit via tendens in Bersabee: vivat vitulus, cuius colendi causa tam longam inimus viam, ut a domo nostra eamus ad fines Israelis: ibi enim sita erat Bersabee. Ita Albertus et Lyranus. Jurant per hanc viam, quia in illa multa erant sacella et aræ idolis erecta (eo quod illis in locis diu versatus fuisset Abraham patriarcha) quæ peregrinantes adibant. Id patet IV Reg. cap. xxiii, 8, ubi Josias dicitur contaminasse « excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes de Gabaa usque Bersabee. » Addit Vatablus significari hic idololatrarum studium, qui sanctitatem constituebant in longitudine itineris, ideoque ab uno termino Judææ peregrinabantur usque ad alterum, puta a Dan usque in Bersabee, q. d. Vivit vigetque peregrinatio quæ incipit a Bersabee, et desinit in Dan. In Dan enim et Bersabee quasi in duobus regni sui limitibus vitulos aureos collocavit Jeroboam, quasi tutelares Israelis deos. Arabicus vertit: *Jurant in indulgentia Samariae, et dicunt quod Dan est Deus tuus et Bersabee*. Vide hic insanum idololatriandi studium, quo non tantum idolo, vel templo, sed et viæ bene precantur, imo per illam quasi numen jurant.

CAIDENT (ob hanc idololatriam), ET NON RESURGENT ULTRA, — q. d. Omnino et irreparabiliter corrunt et peribunt. Ita contigit: nam decem tribus, excisa Samaria, abductæ in Assyrios nunquam inde redierunt.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Amos Deum stantem super altare, et jubentem angelo ut, percusso cardine, illud evertat, ob avaritram et scelera populi, quem se perquisiturum et perditurum asserit, etiamsi is se in cœlo, abysso, vel inferno absconderet. Secundo, vers. 7, comparat Israelitas Æthiopibus, Syris et Palæstinis, tam in culpa, quam in pena excidii et dispersionis. Tertio, vers. 11, se eos per Christum restauraturum promittit, daturumque copiam frumenti et vini, adeo ut montes stillent dulcedinem (1).

1. Vidi Dominum stantem super altare, et dixit : Percute cardinem, et commoveantur superlinnaria; avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam : non erit fuga eis. Fugient, et non salvabitur ex eis qui fugerit. 2. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos : et si ascenderint usque in cœlum, inde detrahamb eos. 3. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos : et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, et mordebit eos. 4. Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, et occidet eos : et ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum. 5. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, et tabescet : et lugebunt omnes habitantes in ea; et ascendet sicut rivus omnis, et defluet sicut fluvius Ægypti. 6. Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit : qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen ejus. 7. Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus ? numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti : et Palæstinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene ? 8. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ : verumtamen conterens non conteram domum Jacob, dicit Dominus. 9. Ecce enim mandabo ego, et concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro : et non cadet lapillus super terram. 10. In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt : Non appropinquabit, et non veniet super nos malum. 11. In die illa suscitarabo tabernaculum David, quod cecidit : et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant, instaurabo : et reædificabo illud sicut in diebus antiquis. 12. Ut possideant reliquias Idumææ, et omnes nationes, eo quod invocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc. 13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus : et comprehendet arator messorem, et calcator uvæ mittentem semen : et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt. 14. Et convertam captivitatem populi mei Israel : et ædificabunt civitates desertas, et inhabitabunt : et plantabunt vineas, et bibent vinum earum : et facient hortos, et comedent fructus eorum. 15. Et plantabo eos super humum suam : et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

(1) Ista est tertia et ultima visio qua liber propheta-
rum Amos absolvitur.

PRIMO, sub signo percussionis columnarum templi, refert decretum de Israelitarum ruina et clade, nullo modo declinanda, 1 : primo, ob Dei instantis ubique persecucionem, quod probat enumeratione locorum, ad quæ fugi potest, 2-4 ; secundo, ob ejusdem summam in omnia potentiam, 5, 6.

SECUNDO, cum Israelitæ supra modum sibi placebant, et confidentia et securitate magna prædicti, jactabant se esse populum Deo charum, primo, ne existiment se

apud Deum esse in aliquo pretio ; non pluris eos facere declarat, quam Æthiopas, Palæstinos, Syros, quibus non est concessa æterna possessio terræ illis data, 7 ; secundo, addit tamen promissionem, si ex æquitate justitiae, peccatores et obduratos perdere decreverit, justos aut penitentes salvandi 8.

TERTIO, promittit futuram per Christum religionis et Ecclesiæ, primo, suscitationem ac restorationem, 11 ; secundo, diffusionem in omnem terram, 12 ; tertio, felicitatem et abundantiam donorum spiritualium in hac et altera vita, 13-15.

Vers. 4. **1. VIDI DOMINUM STANTEM SUPER ALTARE.** — S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo, Lyranus, Arias, Vatablus et Ribera censem Amos hic prophetare excidium duarum tribuum et templi Hierosolymitani per Chaldaeos. Probant, quia ejus restitutio, quæ facta est per Esdram et Nehemiam, promittitur vers. 11. Favet Chaldaeus, qui non verbo tenus, sed paraphrastice ita vertit: *Vidi gloriam Domini consendentis a Cherub, qui mansit super altare; nisi populus domus Israel convertatur ad legem, extinguetur candelabrum, occidetur rex Josias, et destruetur domus Dei, puta templum, et dissipabuntur atria, et vasa domus sanctuarii in captivitatem ibunt.*

Probabilius est quod censem Ruffinus, Clarius et a Castro, Prophetam hic pergere prophetare contra decem tribus, ac consequenter hic prædicere excidium altaris et templi idololatrici, quod ipsæ sibi erexerant in Bethel. Probatur primo, quia ad decem tribus proprie missus fuit Amos in Bethel, ut patet cap. VII, 13; secundo, quia cap. VIII, egit contra decem tribus: ergo et hoc cap. IX: nam nihil est quod significet eum divertere sermonem a decem tribibus ad duas, imo eum continuare sermonem ad decem tribus, patet ex vers. 5, qui idem est cum vers. 8 cap. VIII, tertio, quia vers. 8 et 9, ait se loqui de domo Jacob et Israel: sic autem post schisma Jeroboam vocantur decem tribus, non duæ, præsertim quia addit: «Concutiam in omnibus gentibus domum Israel. » Hoc autem verum est de decem tribus, non de duabus. Decem enim traductæ in Assyriam, Mediam et Persidem, inde per omnes gentes sparsæ sunt, teste Josepho: duæ autem traductæ in Babylonem, ibi manserunt, indeque post septuaginta annos sub Cyro reductæ sunt in Judæam. Ad argumentum prioris sententiae respondebitur, vers. 11.

Quæres, quomodo vidit hæc Amos, an oculis corporis, an mentis? Corpoream fuisse visionem censem Albertus, Arias et Eusebius, lib. I *De Demonstrat.* cap. XVIII, ac proinde censem angelum in corpore assumpto reipsa concussisse cardines templi, idque oculis corporeis vidi Prophetam.

Verius est hanc visionem fuisse imaginariam, non corpoream, tum quia tales fuerunt communiter visiones Prophetarum; tum quia si visio hæc spectat templum Hierosolymitanum, ut multi volunt, non potuit hæc oculis corporeis videre Amos, utpote qui longe ab eo aberat, agebatque in Bethel; tum quia non est verisimile Deum hic assumpsisse corpus humanum, in eoque visum ab Amos, præsertim cum id non fecerit Isaïæ cap. VI, 1, ubi visus fuit ab Isaia oculis mentis, non corporis, sedere in throno excelso; nec Ezechiel i, 26, ubi visus fuit ab Ezechiele oculis pariter mentis insidere curru Cherubico. Sane si Deus voluisset videri oculis corporeis, id potius concessisset Isaïæ et Ezechiel, quorum visiones

fuerunt augustissimæ, quam Amos prophetæ rusticano.

SUPER ALTARE, — vel thymiamatis, quod erat in Sancto sanctorum, ubi erant sedes et thronus Dei, ut vult Arias; vel holocaustorum, quod erat in atrio ante Sanctum, ut volunt Lyranus et Vatablus. Samaritæ enim, æmuli Judæorum, tempulum simile Hierosolymitano, ac consequenter simile atrium, Sanctum et Sanctum sanctorum, atque similia altaria thymiamatis et holocaustorum in Samaria, Dan et Bethel erexerunt. Porro de altari Bethel potius quam Dan aut Samariæ hic agi, liquet ex eo quod in Bethel vaticinabatur Amos, utpote loco Samaritis sacratissimo, tum quod Jacob patriarcha in eodem sacrificasset, et vidisset Deum scalæ innixum, ideoque locum vocasset Bethel, id est domus Dei; tum quod Jeroboam primus Israelis rex, schismatis et novæ religionis auctor, in Bethel non tantum altare vitulis aureis dedicasset, sed et ipse sua manu iisdem in eodem sacerdotis officio functus incensum adolevisset, ut patet III Reg. cap. XI, 33; tum quod Jacobi et Jeroboami æmuli et assecæ posteri eorum, reges Israelis, in Bethel sacrificantes, ibi quasi commune regni sui fanum statuissent; unde ab eis Bethel vocabatur, «sanctificatio regis, et domus regni,» uti dixi cap. VII, 18. In Bethel ergo, quasi in publico Israelis idolio, visus est Prophetæ Deus templo et altari ulti insister, ac jubere illud exscindi, una cum idololatria et idololatrico Israelis regno. Unde apposite visus est hic Deus stans, quasi instans operi, scilicet subversioni altaris et templi.

ET DIXIT (Dominus, vel prophetæ Amos, ut opinantur S. Hieronymus et Remigius, vel potius angelo sibi assistenti, quasi voluntatis et operis sui administro, ut censem idem S. Hieronymus, Remigius, Ruffinus, Theodoretus et alii. Per angelos enim solet Deus ulcisci et plectere hostes suos. Angelo ergo dixit): **PERCUTE CARDINEM,** — scilicet templi, ut hac percussione symbolica et imaginaria menti Amos objecta, repræsentes et signifiques quod Assyrii templum a cardine et ab imis fundamentis convulsuri et subversuri sint, una cum impio ejus cultu et cultoribus Israelitæ. Ita S. Hieronymus, Emmanuel, Mariana, et alii jam citati. Unde Septuaginta vertunt: *Percute propitiatorium;* Arabicus Antiochenus: *Percute pavimentum;* Arabicus Alexandrinus: *Percute Rationale pontificis;* Hebraice est: *Percute הַכְפָתָר haccaphtor,* quod Tigurina vertit, *limen;* Pagninus et Vatablus, *superliminare,* scilicet portæ templi. Proprie *caphtor* significat pomum (ut vertit Syrus) et sphærulam: et quia hæc sculpi solebant in liminibus, hinc significat limen. Noster hic vertit, «cardinem,» non limen, vel superliminare, quia ab eo distinguitur. Sequitur enim: «Et commoveantur superliminaria,» hæc enim commoveri nequeunt, nisi commoto cardine æque ac limine, cui superne quasi insistunt. Cardo ergo dicitur *caphtor*, quia

habet figuram spherulæ, et quia sua vertebra tegitur. Radix enim **כַּפֶּר caphar** significat tegere, involvere, operire. Jubet ergo Deus angelo, ut percutiat tam limen portæ templi, quam cardinem liminis in quo ostium volvethatur, id est aperiebatur et claudebatur, ut significet portam templi, ipsumque templum, ac ingredientes in illud percutiendos et subvertendos ab Assyriis. Cardo enim est basis et fulcrum rei quam sustinet: unde cardo dicitur quasi cor januæ, quo scilicet illa movetur, ait Servius in illud *Aeneid.* I:

Foribus cardo stridebat ahenis.

Hinc Romani coluerunt deam Cardineam, quæ cardinibus præcesset. Ita Seneca in *Hippol.*, Jovi ait: « Celerique polum cardine versas. » Verius S. Anna mater Samuelis, I Reg. cap. II, 8: « Domini, ait, sunt cardines terræ. » Et Sapiens, Proverb. cap. VIII, 26: « Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. » Porro in cardine notantur stridor et horror convulsi et ruentis templi, juxta illud Statii, *Thebaid.* I:

Venti transversa frementes
Confligunt axemque emoto a cardine vellunt.

Et Virgilius, *Aeneid.* VI:

Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ.

Ita in passione Christi terram universalis terræ motu concussam, et e cardinibus fuisse convulsam censem Didymus in *Catena Græcorum* in Job, cap. IX, et alii. Pari modo multi censem totum orbem in die judicii concutiendum et e cardinibus convellendum, idque significare illis verbis Christi, Matth. cap. XXIV, 29: « Et virtutes cœlorum commovebuntur. » Et Job, cap. IX, 6: « Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur. » Vide dicta Apoc. cap. VI, in fine.

ET COMMOVEANTUR SUPERLIMINARIA. — Syrus, *limina*; Hebraice **סִפְפִּים sippim**, quod David et ex eo Pagninus vertit: *Et contremiscent postes*; Tigurina: *Et commoveantur postes*, puta laterales, quos architecti vocant *antas*. Sed eodem redit sensus: concusso enim et convulso limine et cardine ab angelo, necesse erat tam postes quam superliminaria, quæ postibus incumbebant, concuti et commoveri, imo ruere. Significatur enim hic ruina portæ et templi. Unde Arabicus vertit: *Commovebuntur portæ extrinsecæ*. Angelus enim tam valide quassavit cardines et portam, ut totus murus, ac consequenter totum templum illi incumbens ruere videretur. Arias et Eusebius, lib. I De Demonstr. cap. XVIII, censem hæc realiter esse peracta, ac realem fuisse hunc terræ motum, esequæ illum cuius meminit Amos cap. I, 1, ubi ex eo numerat et consignat annum suæ propheetiæ. Verum ex dictis liquet aliam fuisse hanc con-

cussionem ab illo terræ motu: ille enim fuit realis; hæc vero fuit imaginaria.

AVARITIA (Syrus, *dolus*) IN CAPITE OMNIUM. — Causam excidii templi, urbis et totius Israelis assignat avaritiam. Pro avaritia hebraice est **בָּצָם betsaam**, id est *avaritia eorum*. Radix **בָּצָם batsa** proprie significat lœdere et vulnerare. Hebræi enim usuram et avaritiam vocant *vulnus*: quia tanquam gladius hominem vulnerat, et ipsius sanguinem exsugit. Pari modo, usuram vocant **נֵסֶךְ nescech**, id est morsum, quia mordet et laedit proximum: sicut Latini *fēnus* vocant quasi funus. Hinc secundo, Septuaginta Hebr. *betsaam* accipientes non ut nomen, sed ut verbum, imperativi *kal*, vertunt: *Disseca in capita omnium. Disseca*, scilicet tum gladio hostili, tum frustis postuum et superliminarium ex percussione angelii dissilientibus; unde alii legunt, *disjice*, q. d. Dissilientia frusta postium disjice in capita eorum, iisque ea disseca. Quocirca Tigurina vertit: *Universorum capitibus vulnus inflige*; Arias accipit ut nomen, sed pari modo vertit: *Concilio eorum in capite omnium*; Tertio, Vatablus *betsaam* accipiens ut verbum præteriti temporis, vertit: *In frusta concidit eos* (nempe qui sunt) *in capite omnium*, id est qui præsunt aliis omnibus. Hoc pertinet ad sacerdotes et magistratus: hos enim concidet Deus, vel angelus vice Dei: loquitur enim Deus, vel angelus de se in tertia persona. Hinc Pagninus pro *betsaam* legens in Benoni **בָּצָם botseam**, vertit in prima persona: *In frusta concidam eos, in capite omnes ipsos*. Hic sensus priori subordinatur hoc modo, q. d. Quia ipsi sua avaritia, putam suis usuris et fraudibus, vulnerarunt et conciderunt pauperes, idcirco pariter ipsi vulnerabuntur et concidentur ab hostibus. Hinc aliqui vertunt: *Avaritia in capite omnium*, scilicet recidet, meritaque ab eis supplicia exiget: quæ versio valde consonat cum verbis præcedentibus et sequentibus. Unde Arabicus vertit: *Percute caput uniuscujusque, et reliqui eorum gladio interficiantur*.

Porro avaritia dicitur esse « in capite omnium, » quia omnibus dominatur, omnes possidet: omnes enim caput, sensus, curasque omnes eo intendunt, ut inquis lucris se ditent, juxta illud *Jerem.* cap. VI, 13: « A minore usque ad majorem omnes avaritiae student. » Avarus enim dicitur quasi avidus, quod immensas opes aveat. Unde P. Nigidius apud Gellium, lib. X, cap. V: « Avarus, inquit, appellatur, qui avidus æris est; sed in ea copula, E, littera detrita est. » Item « locupletem ait dictum, qui pleraque loca, hoc est qui multas possessiones tenet. » Sic *Thren.* I, 5, dicitur: « Facti sunt hostes ejus in capite, » id est hostes dominati sunt Hierosolymæ. Avaritia ergo est « in capite, » non in calce; quia caput, id est phantasiam animumque occupat, itaque illi est infixa ut vix evelli possit; quia tenet arcem mentis, indeque quasi regina, imo quasi dea omnibus cogitationibus, sensibus, potentissimis,

membris et actibus imperat tanquam mancipiis, cogitque ea sibi servire, suum regnum propagare, lucra ubique captare, opes sine termino coacervare. Hinc rursum ipsa est « in capite, » id est, est capitalis, et quasi caput avari, illi per omnia dominans, sicut caput dominatur toti corpori. Quocirca S. Paulus avaritiam nuncupat idolorum servitutem, id est idolatriam, *Ephes.* cap. v, 5. Avarus enim in mente gerit idolum quod adorat, scilicet pecuniam et Plutum. Hoc idolum est ipsi numen et deus, cui se substernit totumque se mancipat. Ita videmus avaros nil somniare, nil cogitare, nil loqui, nil tractare nisi lucra, nisi « affer, affer, » *Proverb.* cap. xxx, 15. Annon ergo avaritia est in capite avari? Secundo, *Lyranus*: Avaritia, ait, est in capite, id est in regibus, ducibus et sacerdotibus populi. Quam enim hī dediti fuerint avaritiæ, patet tum ex Prophetis, tum ex Christo, *Matth.* cap. xv, 5, et cap. xxiii, 14 et 23, qui acriter eorum avaritiam incusant. Sic et modernos Judæos quoslibet tolos usuris et lucris intentos videmus. Porro sacerdotum avaritiam hic proprie taxari patet ex vers. 1: « Vidi Dominum stantem super altare, et dixit: Percute cardinem. »

Notat fontem omnis mali, scilicet avaritiam, indeque manantes fraudes et dolos. Nam, ut ait Apostolus I *Timoth.* cap. vi, 10: « Radix omnium malorum est cupiditas. » Unde Sapiens, *Ecli.* cap. x, 9: « Avaro, inquit, nihil est scelestius. » Porro hæc avaritia a summis manabat ad infimos; perinde ut vitia principum et prælatorum manant ad subditos. Simili modo B. Petrus Damianus lib. II, epist. 2 ad S. R. E. *Cardinales*, et S. Bernardus, *De Consid. ad Eugenium Pontif.*, et in *Declamationibus*, docent omnia mala Ecclesiæ provenire ex avaritia, hancque valde foveri et augeri cupiditate Ecclesiasticorum et Prælatorum. Idque verum esse luce clarius vidi, dum agerem in provinciis transalpinis. Quis enim laicus credat Pastori ex Evangelio concionanti bona terrena esse contemnenda, et cœlestia ambienda, si terrena ab eodem aliisque Prælatis ita appeti, tam studiose congeri et conservari cernat? Qua fronte Prælatus audebit suos hortari ad liberalitatem et eleemosynam, si ipse avare suas opes recondat, et in pauperes sit immitis et immisericors? Quis non inhiet ditiis, prædiis, officiis congerendis; si Ecclesiasticos videat beneficiis, pensionibus, redditibus, domibus, prædiis coacervandis totos intendere? Clericus es, cur sortem non in cœlo, sed in terra quæris? quo ore impudenter et mendaciter quotidie Deo, qui cor tuum avarum et terræ inhians intuetur, dicens: « Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi? » Annon merito objiciet laicus Ecclesiastico: Deus levitis voluit esse sors et hæreditas, terram vero inter laicos, puta inter cæteras undecim tribus, distribuit. Nostra ergo est terra, tu cœlum et Deum quære: nobis laboran-

dum est, ut opes comparemus, quibus nos, uxores, filios, filias, famulos et ancillas alamus; tu qui solus es, cuius Deus est sors, eaque sufficiens et liberalis, cur plura semper appetis? ut quid studies ditandis adeo nepotibus et cognatis ex patrimonio Christi? Itane res sacras Ecclesiæ adimis, easque laicis tibi propinquas, carnalis et infidelis Domini dispensator impendis? Annon hoc furtum, imo sacrilegium? ait S. Bernardus. Sanxit olim S. Urbanus, Pontifex et martyr, anno Domini 233, qui S. Cæciliam pluresque alios docuit, et animavit ad martyrium, ne bona Ecclesiæ in laicorum usus impendantur, idque sub gravi poena: « Quia, inquit, hæc bona sunt oblationes fidelium, pretia peccatorum, et patrimonium pauperum, » ut habetur cap. xvii, *Quæst. IV*, cap. *Attendendum*. Idem sanxerunt alii Pontifices. Unde S. Hieronymus ad *Pammachium*: « Pars, inquit, sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperibus. » Res enim pauperum sunt res et bona Christi crucifixi. Quocirca omnes doctores censem esse peccatum mortale, si quis Ecclesiasticus opes, quas ex beneficio suo percepit, relinquit cognatis laicis, iisque eos locupletet. Cur ergo tu immodice, ait Doctor sapiens, beneficia beneficiis accumulas, pensiones pensionibus, itaque Ecclesiæ ministris suis defraudas, ut paucos, eosque indignos habeat? cur patrimonium pauperum devoras, ut amicos dites? Itane demens es, ut animam tuam propter amicos damnare, et æternis gehennæ incendiis addicere velis? stulte, hac nocte animam tuam dæmones repetent a te, et quæ parasti cuius erunt? Amici quos ditasti, te ex inferno non liberabunt: imo pro gratiis sannas et maledictiones tibi in inferno rependent, quod eis per opes fueris causa luxus, scelerum, indeque damnationis ejusdem. Evigate, Prælati, aperite oculos, Ecclesiastici. Ne vos amor stolidus cognitorum infatuet, ut sero gemitis in æternum, dicatisque: Heu, quam fui fatuus, quam insensatus, qui non pro me, sed pro alio ditando, animam meam vendidi, occidi, perdidì! Heu me! nepotes mei, cognati mei traxerunt me ad tartara. « Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem pro anima sua. » Deo nemo fucum suis ratiunculis efficiet. Quo major es, eo majus das scandalum: quo potentior, eo potentius tormenta patieris: quia hæreditate possedisti sanctuarium Dei; imo fecisti ut gentes, ut laici venirent in hæreditatem Dei, et hæreditate possiderent sanctuarium ejus: ideoque tam catholicos, quam hæreticos, a fide et salute avertisti, eosque sanctum Christi et Ecclesiæ ejus christianæ nomen blasphemare fecisti: Aspice ex alto sponsam tuam, o Christe! maculam hanc e veste ejus, imo tua, emunda. Utinam vel sanguine meo illam eluas! Quam libens occumbam, ut ipsa suo nitori et decori cœlesti restituatur! Mitte e cœlis angelum qui rursum percutiat cardines templi. Mitte novum Jeremiam qui

iterum intonet illud cap. vi, 12: « Extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe usque ad majorem omnes student avaritiae: et a Propheta usque ad sacerdotem, cuncti faciunt dolum. »

Moraliter, disce quantum malum sit avaritia, quae, cum omnibus dominetur, omnes vulnerat, atque tam animae avari, quam corpori proximi lethale sepe vulnus infligit. Narrat Sabellicus, lib. VII, *Enneade* ix, Calipham Mahometanorum pontificem, inter auri acervos volutatum fame interiisse. Cum enim Halao Tartarorum regis frater occupasset Babylonem, omnemque populum trucidasset, Caliphas, qui magnum thesaurum congesserat, comprehensus, cumulo auri sui impositus, et per multos dies asservatus, inedia, vel sane pretiosa fame consumptus est. Sic et C. Caligulam pecuniae avidissimum, inter immenses aureorum thesauros volutari solitum scribit Suetonius in ejus Vita, cap. XLIII, qui iis non diu gavistus, paulo post miserabili nece occubuit. Avaritiae symbolum est serpens grece dictus δέντας, quod inexstinguibilem sitim morsu suo excitet. Dipsas, ait Lucianus lib. *De Dipsade*, est serpens non adeo magnus, viperæ similis, violento ictu, veneno crasso, qui dolores inducit intolerabiles. Ardores enim immittit inexstinguibles, et putredines, ac totum corpus adurit incendio. Insuper qui ab illa icti fuerint, clamant perinde atque illi qui in ignem conjecti sunt: quo plus bibunt, eo plus sitiunt; nec sitim extinxeris, etiamsi totum Nilum aut Danubium epotandum præstiteris. Ita et Ælianus lib. VI *De Animal.* cap. LI. Dipsas est avaritia, quæ inexplicibili opum siti, æque ac curis, doloribus, periculis et cædibus avaros incendit. Nam

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

« Multo concitatio est avaritia in magnarum opum congestu collocata, ut flammæ infinito acrior vis est, quo ex majore incendio emicuit, » ait Seneca, lib. II *De Benefic.* cap. XXVII. Tales fuerunt Aeneanes, qui ex oraculo persuadebant fore ut patriam terram amitterent, si particulam aliquam largirentur, ut ait Plutarchus in *Quæst. Græcan.* cap. XIV. Et illi de quibus Arnobius, lib. II *Contra Gentes*: « Exercent, ait,avidum atque injussimum fœnus, et e miserorum sanguine supputandi se augent insania: millibus possessionum semper producunt fines, et quamvis provincias totas rus faciant unum, pro arbore una, pro sulco forum litibus terunt: cum amicis, fratribus inexpiabiles suscipiunt simultates. » Vere Cyprianus, *epist.* 2: « Nec intelligit miser avarus, inquit, speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, possideri magis, quam possidere divitias atque opes. O detestabilis cæcitas mentium, et cupiditatis insanæ profunda caligo! cum exonerare se possit et levare ponderibus, pergit magis

fortunis augentibus incubare, pergit cumulis pertinaciter adhærere. »

Quocirca Patres omnes acriter avaritiam et avaros insectantur, ac imprimis S. Augustinus, cuius hæc de ea sunt axiomata. *Primum*: Avaritia duriora jubet quam Christus. « Quid vis, inquit, in *Psalm.* XII, 8, ab avaritia possideri? dura jubet, levia jubeo: onus ejus grave, sarcina mea levis est. Jubet avaritia ut mare transeas, et obtemperas. Jubet ut te ventis procellisque committas. Jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, et strenuus es ad transeundum mare; quia avaritia imperat servis; quia Deus jubet, odisti. » *Secundum*, in *Psalm.* XXX, conc. 3: « Dico avaro, quare invocas Deum, ut det tibi lucrum. Lucrum ergo invocas, non Deum. Ministrum lucri tui facis Deum. Viluit tibi Deus. Deus si ad te veniat sine auro et argento, non vis illum. Quid ergo tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit? » *Tertium*, in *Psalm.* XXXVIII: « Vide, o avare, ne forte dum colligis, colligaris; ne forte cum vis esse prædo minoris, sis præda majoris. Non enim sentis te esse in mari, nec cernis minores pisces a majoribus devorari. Dic mihi, thesaurizas, cui congregabis ea? Dicturus es: Filiis meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis. Servas transiturus transitibus, imo vero transiens transeuntibus. Scis eum possessurum cui servas, aut si nondum natus est, scis nasciturum? Servas filiis, incertum est an futuris, an possessuris: nec reponis thesaurum ubi reponendus est: Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo. » *Quartum*, in *Psalm.* CXXXVII: « Avaris etiam ipsa fecunditas (filiorum quæ cæteris felicior est) molesta est. Timent enim ne pauperes relinquantur, qui multi nasci potuerunt. » *Quintum*, Auctor serm. *ad Fratres in eremo*, qui exstat t. X S. Augustini, serm. 48: « O homo, ait, an ignoras quod radix omnium malorum avaritia est, et servitus idololatriæ, mater usuræ, genitrix simoniæ, fomes culpæ, æternæ poenæ via, nutrix gehennæ? O avaritia, abyssus insatiabilis! Omnia in homine senescunt vitia, sola avaritia juvenescit. » Deinde subdit quam fatuum sit filii vel nepotibus thesaurizare, qui eos in morte deserunt: « O admirabilis infidelitas! ecce maritus dilectus ab uxore dilecta relinquitur, filius a matre projicitur, et pater a filiis, et filii a patre sub terra reconduntur. Solus ille dimittitur, et quilibet ad propria revertitur, et cito oblivioni traditus tanquam mortuus a corde. » Et sub finem: « Memorare novissima tua, quia conceptus es in culpa, natus in poena, vivens in miseria, et necessario morieris in angustia. » *Sextum*, lib. *De Conflictu virtutum et vitiorum*, cap. XVI: « Avaritiae morbus nunquam melius compescitur, nisi cum dies mortis sine fine meditatur, cum qualis post modicum in sepulcro futurus sit homo considerat. Hoc certe fixum manebat in illius (S. Job cap. XV) corde qui

S. Augustini septem axiomata de avaritiae.

dicebat : Homo putredo, et filius hominis vermis. Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc. » Et Apostolus : « Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus. » *Septimo*, lib. *De Salutar. document.* xxx : « Avarus vir inferno est similis. Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit : Satis est; sic etsi omnes thesauri confluxerunt in avarum, nunquam satiabitur. »

S. Ambrosii ser. axio. *Primum*, lib. I in *Lucam*, sub finem : « Est ærugo mentis, cum sæcularium sordibus cupiditatum eadem. religiosæ acies intentionis obducitur, aut fidei puritas decoloratur nube perfidiaæ. » *Secundum*, lib. II *Offic. cap. XXI* : « Avaritia est veluti quædam bonorum ariditas officiorum. » *Tertium*, serm. in *Domin. VIII post Pentecost.*, docet avarum esse similem insanienti, eumque semper aurum cogitare, omniaque in aurum convertere, ac gratius aurum intueri quam solem. Unde concludit : « Caveamus exemplum divitis istius, qui dum præsentes divitias concludit, et de futuris sollicitudinem gerit, divitiis pariter abreptus et vita, protrahitur ad tribunal horrificum, in quo accusatrix quidem ejus assistit ipsa illa, quæ et totius ejus vitæ comes exstitit; avaritia; defensor vero et intercessor nusquam ullus appareat. » *Quartum*, serm. 13 : « Qui pecuniam appetit, fidem perdit : qui aurum redigit, gratiam prodigit. Avaritia enim cæcitas est, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis : non videt quæ divinitatis sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt. » *Quintum*, in *Psalm. XXXVIII* : « Fides militat Deo, avaritia tentatori » (diabolo). *Sextum*, lib. I *Offic. cap. XLIX* : « Sæpe quod avarus summa congesserit sollicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus, et diu quæsita turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine. »

S. Isidori Pelusiota. Ut cæteros præteream, S. Isidorus Pelusiota, S. Chrysostomi discipulus, monachorum Pelusiaci montis in Ægypto abbas, doctrina et sanctitate illustris, sub Theodosio Juniore, anno Domini 440, epistola 233, egregie docet quantum vulnus capiti totique homini infligat avaritia, dum eum tantum non mutilat, et truncat oculis, auribus, pedibus, etc. Primo enim graphicè eam comparat hydræ, quæ ventrem habet inexplebilem, et Briareo centum manibus armato, ac Scyllæ, quæ omnia sorbet : « Deinde feminæ, belluina, ait, forma præditæ, ignemque spiranti, ac sexcentas viperas crinium loco in capite habenti, perpetuo sibilantes, ac mortiferum venenum evomentes; sexcentis item manus unguibus abundantes, quarum opera alios lacerat, alios sagittis impedit, ab aliis pecunias extorquet. Ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur duntaxat, aut columnias struit; verum etiam adulatur, ac servilem in modum alloquitur, et pejerat, turpisque quæstus

causa innumeræs occasiones excogitat. » Mox ejus oculos depingit : « Oculos habet, non ut naturæ consentaneum est cernentes, aut quemquam verebentes, non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem; verum asperum quidam et acre, atque crudele et inhumanum, igneumque obtuentes. » Paulo post aures et pedes ita describit : « Aures usque adeo septas et obturatæ habet, ut nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiat. Tantum vero abest ut pennas habeat (quæ saturitatem designant), ut ne pedes quidem ipsi vir ullus cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi, atque ab eo qui captus est, secedere potest; verum manus in omnes immittens, ferro quovis ac plumbō gravior insidet, ut omnia accipiat et omnes expilet, nunquam autem expleatur; verum eorum quæ accipit multitudinem, fomitis et incitamenti materiam habeat, rerumque acceptarum finem accipiendarum initium efficiat. » Unde concludit : « Equis igitur acerrimo hujusmodi et inexplebili furore, atque innumera peccata et maledicta, et dedecora, et intemperantias ac petulantias nobis conflante capiatur? Equis animum inducat, tum in hac vita misere vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur, nec requiem ullam aut somnum sentiat; et in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere. Quid autem initium dico? Hic enim eos quos ceperit, tyranno quovis acerbius torquet et excruciat, imo graviorem eis pœnam infert quam il luant, qui ad metalla damnati sunt; nam illis, confecto opere, somno ac quiete frui licet; his autem ea somni quoque portum velut aggesta terra obstruens, noctu quoque sæva illa et inhumana edicta proponit. Est ergo bellua terra, ignem spirans, oculis auribusque capta, exsecranda, Deo invisa, implacabilis et crudelis.

ET NOVISSIMUM EORUM IN GLADIO INTERFICIAM. — « Novissimum, » id est ultimum, aut abjectissimum et vilissimum, q. d. Omnes Israelitas usque ad ultimum et vilissimum gladio occidam. Loquitur enim de infinita multitudine quæ in Samaria, vel, ut alii volunt, in Jerusalem ob sessa, et paulo post expugnanda, erat trucidanda. Est hyperbole : omnes, id est plerosque omnes; non nullos enim evasisse, et cladi fuisse superstites constat; sed ii respectu cæsorum fuere perpauci.

2. SI DESCENDERINT USQUE AD INFERNUM, INDE MANSUS MEA EDUCET EOS. — Pro descenderint hebraice est יְרַאֲתָה iachteru, quod Septuaginta passive vertunt: Si defodianter in infernum; Pagninus et Vatablus active: Si foderint in inferno, q. d. Si Israelitæ scrobem aut foveam foderint in inferno, ut in ea se abscondant a conspectu meo, inde extraham eos ad supplicium. Similiter: « Si ascenderint usque in cœlum, inde detrahant eos. » Est hyperbole: per foveam enim inferni accipit foveam profundissimam, adeo ut videatur usque ad infernum descendere; per cœlum intelligit

montes altissimos, qui suo vertice cœlum tangere videntur. Ita S. Hieronymus, Chaldæus, Lyranus et Arias. Aut certe proprie accipit cœlum et infernum, q. d. Si fieri posset ut in infernum descenderent, aut in cœlum ascenderent, inde tamen per Assyrios detrahant eos. Ita Vatablus. Simili modo S. Job immensitatem et omnipotentiam Dei, quam nemo evadere potest, describit cap. xi, 8 : « Excelsior, ait, cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari. » Et Psaltes, Psalm. cxxxviii, 8: « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennis meas diluculo, et habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me. » Ita manu sua claudit homines et creaturas omnes, qui tribus digitis appendit molem terræ, et montes palmo ponderat.

Vers. 3.

3. ET SI ABSCONDITI FUERINT IN VERTICE CARMELI.

— Duo erant Carmeli montes, unus in Judæa, ubi versati sunt Nabal et David, I Reg. xxv, 2; alter in Israel, imminens mari Mediterraneo, ubi versatus est, et latuit fugiens a facie Jezabel Elias, Eliseus et filii Prophetarum. De eo videtur hic agi, quia fit hic mentio maris, et quia in Israel et contra Israel vaticinatur Amos.

ET SI CELAVERINT (id est celare conati fuerint; revera enim nemo celari potest) SE AB OCULIS MEIS IN PROFUNDO MARIS) in insulis maris Mediterranei), IBI MANDABO SERPENTI, — id est hominibus feris et serpentinis, ut eos trucident, inquit Chaldaeus et Arias. Sic Attila Hunnorum rege vastante Italiam, direptisque Aquileia, Ticino et Mediolano, cum infestus pergeret Romanum, quam utique cepisset, nisi occurrens S. Leo eum avertisset, multi ex Italia, ut Hunnorum manus evaderent, profugerunt ad mare, puta ad insulas et aestuaria barbaris inaccessa, ibique urbem adventantium, puta Venetorum, condiderunt anno Domini 452, qui fuit Leonis Pontificis primi 13, Valentianiani Imperatoris 28, Marciani 3. Atque haec est nobilis Venetiarum urbis et reipublicæ origo. Ita Baronius, anno Christi 452.

Secundo, simplicius S. Hieronymus, Theodoreus, Albertus et alii proprie accipiunt hic profundum maris pro ipso fundo maris, ut vertit Vatablus. Quamobrem Pagninus transfert: *in pavimento maris*; hoc enim proprie hebraice significat γῆ karka, scilicet pavimentum, fundum, solum: deducitur enim per metathesin a radice γάρ raka, id est firmavit, extendit, solidavit. Unde *raka* vocatur firmamentum. Quocirca Septuaginta vertunt: *Si mersi fuerint ex oculis meis in fundamenta maris*, q. d. Etiamsi se mergant in fundum maris, ut ibi ab oculis et ira mea se abscondant, ibi tamen videbo eos. Est hyperbole.

IBI MANDABO SERPENTI. — Septuaginta draconi, hoc est pisci alicui ingenti et horrido, v. g. ceto, ut mordeat et devoret eum: « mandabo, » id est

dabo illi hunc instinctum, et hanc phantasiam mordendi et devorandi; bruta enim hunc phantasiam instinctum sequuntur quasi legem naturæ sibi a Deo inditam. Sie ceto dedit instinctum ut absorberet Jonam, cap. II, 1, ad quem hic alludi censem S. Hieronymus. Simili modo Deus dicitur mandare pesti, fami, gladio, cum ea exerit et immittit provinciis vel urbibus.

Tropologice S. Gregorius, in *Psalm. vii Pœnitent.*: « Quid est, ait, celari in profundo maris, nisi in altitudine delitescere desperationis? Celat vero se qui non confitetur peccata sua; non confitetur autem qui desperat de misericordia Dei: vel certe ille se ab oculis Dei celat, qui a mandatis ejus avertitur. Oculi enim Domini spiritus Dei, qui legem, id est mandata, dedit. Qui ergo se ab oculis Dei in profundo desperationis celaverint, potestatem accipit diabolus ut eos mordeat, et ut in ventrem eos suæ malitiæ inducat. Ipse est enim serpens cui dictum est: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. »

4. ET SI ABIERINT IN CAPTIVITATEM CORAM INIMICIS Vers. 4.

SUIS, IBI MANDABO GLADIO, ET OCCIDET EOS, — q. d. Quod si non fuerint occisi in Samaria, faciam ut occidantur in Assyria a suis hostibus, puta ab Assyriis. Sic Romani captivos aliarum gentium, quos Romam ducebant in triumphum, post triumphum jugulabant. Secundo, Arias et a Castro gladium per catachresim accipiunt pro misera et ærumnosa vita et servitute, quam acturi erant Israelitæ in Assyria: servitus enim in jure æquiparatur morti, vocaturque « mors civilis: » nam Israelitas in Assyria occisos non legimus. Verum multa a Prophetis prædicta sunt, quæ expleta non dubitamus, etsi in historiis id scriptum non legamus. Prior ergo sensus uti litteralior, ita genuinior et communior est, puta S. Hieronymi, Remigii, Alberti, Lyrani et Vatabli.

ET PONAM OCULOS MEOS SUPER EOS IN MALUM, ET NON IN BONUM, — q. d. Ubique eis malefaciam, ubique affligam et puniam, donec perdam eos. Ita Vatablus. Nota: Negatio illa, « et non in bonum, » magnam auxesim continet, q. d. Nil boni, sed omne malum eis afferam et infligam.

5. ET DOMINUS DEUS EXERCITUUM, QUI TANGIT TER- Vers. 5.

RAM, ET TABESCET. — Arias, et sterilescit, sive fit sterilis; Tigurina, et liquefit; Pagninus, et defluit; Septuaginta, et commovet eam; quia, ut ait S. Hieronymus, concutiet fundamenta terræ. Hebræum תָּמֹג tamog proprie significat resolvi, liquefcere, uti cera ad ignem, nix ad solem in aquam resolutur et liquefit, q. d. Ne vanas Dei minas putetis, scitote eum tam esse terribilem, quam omnipotentem; ipse enim solo attactu virtutis suæ, imo solo nutu facere potest, facitque interdum ut terra tabescat et consumatur, uti dum dedit le gem in Sina, mons Sina fumo et igne tabescere videbatur, Exod. xix et xx, juxta illud: « Qui tangit montes et fumigant; » aut facit ut terra in aquam mergatur, vel vertatur et diffluat, uti fecit

in diluvio tempore Noe, et in mari Rubro, dum per illud sicco alveo traduxit Hebræos, insequentem vero Pharaonem et Ægyptios redeuntibus aquis involvit et obruit. Sic sœpe insulas et continentem mari mergit, et in mare convertit. Simili modo, esto non eodem, Samariam per Assyrios vastabit, consumet, et quasi tabescere faciet. Hoc est quod dicitur *Psalm. xvii*, 8 : « Commota est, et contremuit terra : fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis ; » et vers. 16 : « Et apparuerunt fontes aquarum et revelata sunt fundamenta orbis terrarum ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ ; » et *Isaiæ lxiv*, 1 : « Utinam dirumperes cœlos, et descenderes ! a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni. »

ET ASCENDET SICUT RIVUS. — Hunc versum iterat et repetit ex cap. VIII, 22, ubi eum explicui.

Vers. 6. 6. QUI AEDIFICAT IN COELO ASCENSIONEM SUAM. — Hebraice מַלְוָתָן maalotav, id est *ascensiones* (ita Syrus) suas; Vatablus, *gradus* suos, q. d. Qui fecit cœlum quod multis sphæris constat, quæ certum ordinem habent inter se, ac velut gradus, per quos ascenditur gradatim usque ad cœlum summum et empyreum. Probat omnipotentiam et sapientiam Dei ex rebus creatis, ac præsertim ex cœlis. Unde Pagninus : *Qui aedificat in cœlo sphæras ejus, et elementa tria ejus super terram fundavit;* Arabicus Alexandrinus : *Qui aedificavit cœlum et superiora, qui firmavit pactum suum super terram.* Secundo, ascensio, vel *ascensiones*, vocatur altissimum Dei palatum in cœlo, ad quod multis ascensionibus scandendum est. Unde Chaldæus vertit : *Qui collocavit in excelsis majestatem glorie sue.* Ita Theodoretus, Lyranus, Arias, Mariaña et alii. Hinc et Arabicus Antiochenus vertit : *Qui aedificat cœlum quasi tabernaculum, et præparatione ejus in terra dirigitur.* Est metonymia : ponitur enim ascensio pro sui termino, puta cœlo, in quod ascenditur. Sic sœpe actio capitur pro loco, in quo actio exercetur, ut oratio pro oratorio, in quo oratur; cœnatio pro cœnaculo, in quo cœnatur; deambulatio pro ambulacro, in quo ambulatur. Sic congregatio, quies, Ecclesia, mansio, habitatio locum significant illis actionibus destinatum. Ita Sanchez.

Mystice, R. Haccados apud Galatinum, lib. VII, cap. xv : « Via, ait, aquilæ in cœlis, est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cœlum, sicut dictum est Amos cap. ix : « Qui aedificat in cœlo ascensionem suam. » Unde et Tertullianus, lib. IV *Contra Marc.* cap. xxxiv, sic legit et explicat : « Ad quam (resurrectionis promissionem) ascensum suum Christus aedificat in cœlum, secundum Amos : utique suis : ubi est et locus æternus, de quo Isaías : Quis annuntiabit vobis locum æternum, nisi scilicet Christus incedens in justitia ? » *Isaiæ xxxiii.*

Tropologice S. Hieronymus, Remigius et Hugo

per *ascensiones* accipiunt viros sanctos, quorum conversatio in cœlis est, quiœ eo *ascensiones* in corde suo disponunt, ut ait Psaltes *Psal. lxxxiii*, vers. 6, euntque de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion. « Deus, ait S. Hieronymus, quotidie credentes de terris ad cœlum levat, ut in illis condescendat : Ascendit Dominus in cœlum cum Enoch : ascendit cum Elia : ascendit cum Moyse, cuius sepulturæ locus, quia in cœlum ascenderat, in terra non potuit inveniri ; ascendit cum Paulo in tertium cœlum. »

ET FASCICULUM (Syrus vertit, *promissionem*; Arabicus Alexandrinus, *pactum*; Arabicus Antiochenus, *præparationem*) **SUUM SUPER TERRAM FUNDAVIT.**

— **Primo**, Lyranus, Clarius et Vatablus : « *Fasciculum*, » inquit, vocat colligationem trium elementorum, puta ignis, aeris et aquæ, quæ in terra quasi basi et centro fundata sunt. Unde Pagninus vertit : *Et elementa tria ejus super terram fundavit.* Hæc enim opponit ascensionibus, id est sphæris cœlestibus, q. d. Sicut Deus aedificavit magnas multasque, et tot stellis illustres sphæras in cœlo; ita pariter in terra fundavit tria rerum omnium sublunarium elementa, ex quibus cœtera omnia fabricavit, eaque apta serie, ordine et nexu compaginavit, et quasi in unum fasciculum colligavit. Hic sensus videtur genuinus : celebrat enim Dei magnificentiam ex fabrica cœli et terræ. Unde et sequitur : « Qui vocat aquas maris, et effundit eas (vel per exundationem ex hoc suo alveo, vel per pluviam ex nubium fasciculo) super faciem terræ. » Ipse enim « ligat aquas in nubibus suis, » quasi in fasciculo, « ut non erumpant pariter deorsum, » *Job* cap. xxvi, 8. **Secundo**, Sanchez per *fasciculum* intelligit scabellum; in scabello enim est colligatio, vel lignorum et asserum, vel tomentorum et pannorum, puta cum scabellum est pulvinar, quod pedibus principum substerni solet instar scabelli, q. d. Dei sedes et thronus est cœlum, scabellum vero est terra, et omnia quæ super eam sunt.

Tertio, alii per *fasciculum* intelligunt legem multiplicem, qua Deus homines quasi colligat et coeret; ac, si eam violent, in ergastulo alligat et constringit.

Verum primus sensus est genuinus. Hebreum enim גַּדְעָה aggudda propre significat aggregationem, turbam, turmam, congregationem, colligationem, facem, conglobationem, globum, ut patet *II Reg. II*, 25; quod ultimum huic loco optime congruit. Mundum enim sublunarem vocat conglobationem, vel globum elementarem, sicut a mathematicis idem vocatur globus vel sphæra terrestris. Hic ergo globus vocatur *fasciculus*, **Primo**, ob rerum aggregationem : quia sicut fasciculus ex multis lignis, floribus, vel herbis componitur; ita et globus hic terrestris ex multis elementis, mixtis et compositis conflatur. In eo enim sunt variæ species herbarum, arborum, plantarum, animalium, avium, piscium, lapidum, gem-

Globus
terre est
fascicu-
lus sex-
uplici-
ter.

marum, etc.; mixtorum enim innumeræ sunt species. Simili modo de damnatis ait Isaias cap. **xxiv**, 22: « Congregabuntur in congregazione unius fascis (instar fascis) in lacum. » Secundo, globus hic vocatur *fasciculus*, ob rerum tam variarum, tam disparium, tam inæqualium, tam contrariarum et inter se pugnantium conjunctionem, et amicam consociationem. Deus enim sphæram hanc ex tam variis et contrariis apte colligavit, sicut fascis ex lignis tortuosis, rubis et spinis a perito bajulo apte colligatur. Tertio, fasciculus significat unam esse mundi inferioris congregationem et rempublicam, in qua res diversissimæ et plurimæ quasi in fasciculo alligatae et congregatae sunt a Deo. Unde rursus fasciculus significat Dei providentiam et curam, qua mundum hunc quasi suum fasciculum in hac unione et colligatione tuetur et conservat, ne elementum unum destruat contrarium, ne lupi devorent omnes oves, ne ignis omnia comburat, etc. Quarto, vocatur diminutive *fasciculus*, non fascis: quia in manibus Dei, qui, ut ait Isaias, tribus digitis appendit molem terræ, est instar exigui fasciculi. Quinto, quia ob sui elegantiam, in oculis et naribus Dei est quasi fasciculus aromatum vel florrum. Unde fasciculus subinde idem est quod olfactoriolum. Ita Cicero, *III Tuscul.* « Fasciculum, ait, ad nares admovebis, incendes odores, et seruis redimiri jubebis et rosa. » Et sponsa, *Cant. I*: « Fasciculus myrræ dilectus meus mihi. » Sexto, fasciculus significat singularum rerum et specierum inter se aptum ordinem et collocationem, ut quasi in fasce unaquæque suo loco apposite et congrue ordinata et collocata esse videatur; in hoc enim ordine elucet mira Dei ordinatoris sapientia et providentia. Narrat Gellius lib. V, cap. **iii**, Protagoram ex bajulo per fasciculum factum esse philosophum. Cum enim ipse in agro caudices ligni plurimos valde concinne colligasset in unum fasciculum, eumque humeris portaret, occurrit ei Democritus philosophus: « Videtum cum illo genere oneris tam impedito, ac tam incoibili facile atque expedite incidentem. Et prope accedit, et juncturam posituramque ligni scite periteque factam considerat; petisque ut paulum acquiescat. Quod ubi Protagoras, ut erat petitum fecit; atque itidem Democritus acervum illum et quasi orbem caudicum brevi vinculo compressum ratione quadam quasi geometrica librari continerique animadvertisit, interrogavit quis id lignum ita composuisset. Et cum ille a se compositum dixisset, desideravit uti solveret, ac denuo in modum eundem collocaret. At postquam ille solvit, ac similiter composuit, tum Democritus animi aciem soleriamque hominis non docti demiratus: Mi adolescentis, inquit, cum ingenium bene faciendo habeas, sunt majora melioraque quæ facere tecum possis. Abduxitque eum statim, secumque habuit, et sumptum ministravit, et philosophias docuit, et esse eum fecit, quantus postea

fuit. » Si in Protagoræ fasciculo coordinationem lignorum, concinnitatem et ingenium mirabatur Democritus, quis non miretur in hoc Dei fasciculo et globo sublunari adeo concinnam et sapientem tot generum, tot specierum, tot individuorum diversissimorum, imo inter se pugnantium dispositionem, connexionem et ordinem? Quis non exclamet cum Sapiente, cap. **xI**, 21, et cum Apostolo, *Rom. XI*: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! » quam apposite « omnia in mensura, numero et pondere disposuisti! » imo in uno quasi fasciculo colligasti!

Mystice, *fasciculus* hic est Ecclesia cœtusque fidelium Israelitarum, quos Deus fasciculo legis, ^{lus est} Ecclesia. sequacem ac providentiae suæ fortiter colligatos, in terra Chanaan collocavit et formavit, ut pepigit et promisit. Unde Chaldæus vertit: *Et Ecclesiam suam in terra decoravit.* Ita Ruffinus, Hugo et Dionysius.

Anagogice, *fasciculus* hic est sanctorum et electorum, vinculo charitatis in terra, et vinculo prædestinationis in mente Dei colligatus, de quo in Evangelio: « Ne timeas, grex parvule, quia complacuit Patri meo habitare in te, » inquit S. Hieronymus, qui et de eo ita loqui pergit: « Fasciculus una Domini religione constrictus est; unde et ipsa religio a religando, et in fascem Domini vinciendo nomen accepit. » Septuaginta vertunt: *Repromissionem suam fundat super terram, ut omnes illius repressions, quas (de Christo et Christianis) SS. Prophetæ suo ore cecinerunt, fundentur in terra, etc., ut quotidie peccato mortui, et vitiiorum funibus alligati (instar Lazari a Christo suscitati) de sepulcro scelerum suorum jubeantur exire: quotidie sanguinis opera constringantur, etc.* Sic I Reg. **xxv**, 29, Abigail ait David: « Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium; porro inimicorum tuorum anima rotabitur in impetu et circulo fundæ, » q. d. Diutissime et securissime vives: hostes vero tui ruent in interitum, nam res recondita in ligamine, quo ligantur vitæ, seu vivi, ad hoc reconditur, ut servetur inter vivos; quod vero ponitur in funda, ad hoc ponitur, ut funda illud ejaculetur, ait ibidem Cajetanus. Anagogice id ipsum de electis et reprobis expoununt ibidem Eucherius et Angelomus. Fasciculus, inquit, viventium est numerus prædestinatorum, idque *primo*, quia, ut ait Eucherius, fasciculus astringitur ut conservetur, pari modo electi afflictionibus constringuntur, ut Deo fidem servent: reprobi vero, qui laxius vivunt, quasi lapides fundæ a Deo abjiciuntur. Secundo, quia, ut ait idem Eucherius, sicut fasciculus vinculo colligatur, ita sanctorum cœtus eadem fide et spe, eodemque charitatis nexu constringitur, et uno eodemque Dei presidio undique vallatur. Tertio, quia, sicut fasciculus florum in manu ad oblationem gestatur, ita electos omnes Deus in manu sua gestat, et virtutum odore qui ex illis continuo efflatur, mire delectatur. Quarto, quia sicut

fasciculus non nisi ex certis iisque selectis floribus conficitur ; ita electorum numerus ex certis, iisque selectis, ac charitate omniue virtute præstantibus constituitur.

Qui vocat aquas maris. — Tigurina, qui evocat ad se aquas maris, scilicet resolvendo aquas per calorem solis in vaporem, eumque ad se sursum elevando in medium aeris regionem : ubi facit eum concrescere in nubem, et nubem vi solis resolvit in pluviam, quam effundit super terram. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo, Lyranus et Vatablus. Solus Arias hæc accipit de exundatione maris, qua vicinam terram obruit. Symbolice Chaldaeus per aquas accipit turmas Assyriorum, quasi Deus hic Israeli minetur eorum adventum.

Vers. 7. NUMQUID NON UT FILII AETHIOPUM VOS ESTIS MIHI, FILII ISRAEL ? — Primo, Chaldaeus vertit : *Numquid non ut filii dilecti reputati estis vos coram me?* Videntur enim Aethiopes Judæis ob coloris differentiam et singularitatem, quasi quid rarum et mirabile fuisse in pretio et in deliciis, uti etiamnum principes in suis aulis alunt Aethiopem, vel Pygmæum ad delicias, et ad ostentationem. Unde et *Num. xi, 1*, uxor Mosis Aethiopissa, a Chaldaeo vocatur uxor pulchra : nisi dicas esse antiphrasin, pulchra, id est atra et deformis. Et vice versa, Aethiops, id est minime Aethiops et niger, sed candidus et speciosus. Unde sic ex Hebræo veritas : *Numquid sicut filii Aethiopum vos mihi estis, o filii Israel? q. d.* Minime : nam Aethiopes sunt atri, deformes, invisi ; vos vero mihi estis candidi, formosi, gratiosi et dilecti. Porro hanc dilectionem, æque ac versum sic explicat Arias, q. d. Aethiopes sunt symbolum servitutis : ab olim enim a Noe servituti sunt addicti, cum dixit *Genes. ix, 25* : « Maledictus puer Chanaan, servus servorum erit fratribus suis : » a Cham enim ortus est Chanaam, et frater ejus Chus, qui fuit pater Aethiopum, qui inde hebraice vocantur *Chusim*, *Genes. x, 6*. Vos ergo, o Israelitæ, fuistis quasi Aethiopes, cum ab Egyptiis aliisque gentibus dura servitute premeremini, sed ego vos diligens ea vos liberavi mihi que ascivi. Aequum ergo est ut me redametis, mihi que quasi liberatori et Domino vestro serviatis.

Secundo et aptius, Syrus et Arabicus hæc assertive accipiunt, quasi dicant : Vos, o Israelitæ, similes estis Aethiopibus, quia sicut Aethiopes ex Egypto traduxi in Aethiopiam (hæc enim sita est ultra Egyptum, illique adjacens et quasi subjecta est) : ita et vos ex Egypto traduxi in Chanaan. Unde explicans mox subdit : « Numquid non Israel ascendere feci de terra Egypti ? » Huic etiam consonat quod præcessit : « Et fasciculum suum super terram fundavit, » q. d. Deus Israelem quasi suum fasciculum et peculium ex Egypto traduxit in Chanaan, ibique eum stabilivit et fundavit. Item illud vers. 5 : « Et defluet sicut fluvius Egypti. » Persistit enim in comparatione

Nili et Egypti, q. d. Nolite gloriari quod patrem habeatis Abraham, quia proximiore parentes habetis Agyptios. Ibi enim nati sunt Moses ejusque coœvi patres vestri, quos ex Egypto traduxi in Chanaan, perinde ac Aethiopes ex eadem traduxi in Aethiopiam : vos ergo estis congeneres, et quasi fratres Aethiopum, tum origine et genere, tum moribus. Estis enim atri, deformes, indurati, et immutabiles in sceleribus vestris, ut non tam Abraham, quam Aethiopum fratres et filii esse videamini, ideoque vos a me abjiciam tradamque Assyriis. Simili modo ait Jeremias cap. *xiii, 23* : « Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. » Et *Ezech. xvi, 3* : « Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. » Unde S. Hieronymus : « In omnibus, ait, Scripturis Aethiopes dicuntur qui penitus in vitia demersi sunt. » Ita S. Chrysostomus, homil. *11 in Matth.*, Lyranus, Pagninus, Vatablus et Ribera. Huc spectant vulgata adagia : « Aethiopem lavas, » id est tentas rem frustraneam et impossibilem ; Aethiops enim quantavis lotione, quantovis lixivio non albescit. « Aethiopem ex vultu judico : » Aethiops enim nigrore vultus, intortis capillis, labris tumultibus, dentium candore præ se fert patriam suam ; nam vestem mutare potest Aethiops, faciem non potest. Hinc epigramma Luciani :

Abluis Aethiopem frustra, quin desinis artem?
Haud unquam efficies nox sit ut atra dies.

Monebat Pythagoras ne gustaremus de his quibus nigra est cauda, quo vetabat cum iis versari qui nigri essent morum improbitate. *Thren. cap. iv, 7* : « Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, » nimirum cum pure vivebant, cum caste Deum colebant ; at cum impure et inceste, « de-nigrata est super carbones facies eorum. » Porro licet quævis improbitas vocetur *nigredo*, tamen proprie ita vocatur detractio, qua quis alienam famam, et suam conscientiam denigrat : quo circa niger vocatur invidus, detractor, calumniator. Ita in titulo *Psalm. vii*, Saul Davidis insectator vocatur Chus, id est Aethiops. Et Horatius, *satyra iv, lib. I* :

Absentem qui rodit amicum, etc.
Hic niger est; hunc tu, Romane, caveto.

Hinc vulgare proverbium : « Albus, an ater sis nescio. » Et :

Dat veniam corvis, vexat censura colubras.

Candor enim candidi animi, nigror maligni est symbolum. Addit S. Hieronymus, Remigius, Rupertus et a Castro, Deum hic significare suam potestatem et ultiōnem in gentibus transferendis et evertendis, q. d. Vos, o Israelitæ, non superiores, ut jactatis, sed pares per omnia estis aliis gentibus. Nam æque ac Aethiopes, Palæstini et Syri a me creati, pari jure mihi subditi estis. Unde

pari providentia, qua illas gentes in suis provinciis collocavi, collocavi et vos in Chananæa: atque pari justitia, qua illas ex iisdem ob scelera expuli et contrivi, etiam vos e Samaria expellam et conteram. Unde subdit: « Ecce oculi Dei super regnum peccans, et conteram illud a facie terræ. » Porro quomodo et quando Æthiopes a Deo expulsi aut contriti sint, non liquet. Aliqui referunt hoc ad bellum quod Moses nomine Pharaonis gessit contra Æthiopes, quo eos subegit, uti narrat Josephus lib. II *Antiq.* cap. v. Verum historia hæc dubia est, quæ solo nititur Josepho; atque idem addit, illo bello Mosen non contrivisse Æthiopes, sed ad pacem coegisse, ac ducta regis Æthiopum filia in uxorem, amicum, imo generum ex ea recessisse.

Alii probabilius id referunt ad Asa regem Juda qui millionem Æthiopum cum suo duce Zara cecidit, II *Paralip.* XIV, 9 et 13. Verum hi cæsi sunt extra Æthiopiam, nec Asa Æthiopes coegit mutare sedes, aut ex Æthiopia in aliam regionem traduxit. Hæ ergo historiæ notæ erant tempore Amos: unde ipse de iis quasi tunc publicis loquitur; forte etiam conscriptæ fuerunt in chronicis illius ævi, quæ jam non exstant. Nam multi libri sacri, æque ac profani per tot annorum centurias, totque urbium et bibliothecarum exustiones aut vastationes, perierunt.

ET PALÆSTINOS DE CAPPADOCIA. (Cappadoces, hebraice כְּפָתֹרִים *captorim*, occuparunt Palæstinam, exclusis ab ea Hevæis primis incolis, uti narratur *Deuteron.* cap. II, 19, et *Jerem.* XLVII, 7. Vide ea quæ utrobique dixi.) ET SYROS DE CYRENE, — q. d. Cyrenenses venientes ex Kir, urbe et regione Assyriæ (uti dixi cap. I, 5; male ergo Theodoreetus censet Kir esse Haran, sive Charras urbem Parthorum, in quam ex Ur, urbe Chaldeorum, Deus traduxit Abraham cum Thare, *Genes.* XI, 27), transtuli in Syriam Damasci, quæ prius ab Aram filio Sem, vocabatur Aram, a novis vero hisce incolis venientibus ex Kir, dicta est Kiria, indeque, ut nonnulli putant, euphonie causa Syria, sicut postea vice versa, cum Teglathphaliasar expugnavit Damascum, ex ea rursum transtulit Syros in Mediam et Assyriam, puta in Kir, ex qua olim venerant. Sensus est, q. d. Ne blandiamini vobis, o Israelitæ, de mea in vos cura et providentia, qua vos olim eduxi de Ægypto et collocavi in Chanaæn. Nam pari modo Cappadoces collocavi in Palæstina, Kirens in Syria; et tamen illos ob sua scelera Palæstina per vos expuli, hos Syria per Teglathphaliasar expellam. Scitote ergo me idem vobis facturum, ni scelera vestra castigatis, vitamque et mores emendetis. Nominat Palæstinos et Syros, quia his contermi tam situ quam moribus erant Israelitæ; unde tacite eos taxat: Syri enim male audiebant olim ob morum mollitiem. Unde proverbium: « Cum non sis Syrus, ne syrissa, » id est ne sumas personam parum decoram, aut, cum sis ingenuus, ne mori-

bus agas servum et barbarum. Est acutus jocus ex amphibolia verbi σύριος, quod significat syrisare et fistula canere. Et Cicero, lib. II *ad Quint. fratrem*: « Nos, ait, ita philologi sumus, ut vel cum fabris habitare possimus. Habemus hanc philosophiam non ab Hymetto, sed ab area (aliqui legunt *hara*) Syra, » id est a rusticana simplicitate.

8. VERUMTAMEN CONTERENS NON CONTERAM, — q. d. Vers. 8. Plane et omnino non conteram Israelem, sed reliquias ex eo servabo et salvabo.

9. SICUT CONCUTITUR TRITICUM IN CRIBRO. — Romæ Vers. 9. enim et alibi in Italia cribrant frumentum, cribroque pro vanno utuntur. Idem videntur fecisse Israelitæ, uti hic indicat Amos, q. d. Sicut cum frumenta ventilantur in vanna, ut vertit Tigurina, vel cribrantur in cribro, paleæ vel avolant, vel per foramina cribri decidunt in pavimentum, lapilli vero et grana remanent in cribro; ita electi et probi ex Israel servabuntur, cæteri improbi peribunt. Unde Theodoreetus: « Nec vero secus, ait, quam agricola a quisquiliis et purgamentis frumentum secernit, ego etiam salute dignos servabo, reliquos necando tradam. » Metaphora cribri, ait S. Hieronymus, significatur ipsa terra Israel, cujus margines Deus magnitudine sua utraque manu tenens, quasi cribrum huc illucque concutiet, ut paleis ac sordibus peccatorum concussis, id est labore et calamitate exagitatis, et in terram cadentibus, ac gladio morientibus, purum frumentum remaneat, quod in horrea condatur. Quocirca cum subdit Amos:

ET NON CADET LAPILLUS SUPER TERRAM. — Per lapillum intelligit granum, ut vertunt alii: quia granum est durum instar scrupuli et lapilli. Est catachresis; unde hebreum צַרְרָה *tseror* significat fasciculum et sacculum, ac metonymice res quæ in fasciculum colligi, aut in sacculum colligari solent, qualia sunt grana; item lapilli pretiosi aut pulchri, margaritæ, nummi aurei, argentei, etc. Radix enim צַרְרָה *tsarar* significat stringere, arcatare, premere. Unde *tseror* est res arcta, stricta, pressa, quæ in sacco vel loculo stringi, densari et arctari solet, qualis est triticum. Unde Septuaginta vertunt σύρημα, id est convolutio, globus, coagmentum, compactile, puta granum majuscum conglobatum et compactum, ut vertit interpres Complutensis.

Alii tamen lapillum hic proprie capiunt, idque varie. Primo, Rupertus censet hic agi de cribro, non frumentario, sed murario, quo lapides a pulveribus secernuntur: hoc refellit Ribera. Secundo, Palacius lapillis censet significari improbos, qui per cribri foramina nequeant evadere manum et vindictam Dei, et ideo manu ejusdem sint e cribro ejiciendi, id est ab hostibus occidendi, vel captivandi; ac consequenter per triticum significari probos. Sed hoc recte refellit Delrio *adagio* 981. Nam triticum per foramina cribri descendere et secerni non solet, nisi per triticum

non grana, sed farinam accipias; hec enim a suis folliculis et glumis cribro transmissa secernitur. *Tertio*, Ruffinus censet purgantes triticum illi jungere lapillos in cribro: « Ad hoc, inquit, ut vim concussui addant marginibus illisi, et nihil de quisquiliis remanere patientur. » Symbolice vero, « nomine lapillorum eorum indicat firmitatem, qui malis haud facile corrumpantur exemplis, ut illis temporibus Prophetas et alios justos fuisse legimus, qui cum reliquum vulgus, ut ligna ac stipulae deperirent, illi velut solidi, perque hoc pretiosi lapides, permanebant, super quos merito Ecclesia fundaretur. » Ita et Sanchez. *Quarto*, Ribera putat Prophetam de more hic duas metaphoras jungere, scilicet unam tritici, alteram lapillorum, atque a cribri et frumenti similitudine transire ad rem significatam, puta ad domum Israel, de qua immediate ante dixit: « Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, » ideoque nominare lapillos; lapides enim apti, imo necessarii sunt ad domum Israel reædificandam. Verum primus sensus quem dedi uti simplicior, ita germanior est, eumque exigit versio Septuaginta. Aliter Joannes Alba *Electorum* cap. LXI: Lapilli, inquit, sive lapides parvi sunt infimae sortis homines, pauperes, plebeii, totumque ignobile vulgus, q. d. Universus populus ducetur captivus; ac proinde non in terra sua, sed in captivitate morietur. Sollet enim inter homines loco infelicitatis haberi, quod quis extra patriam moriatur, præsertim in captivitate. Explicat enim id quod præcessit: « Concutiam in omnibus gentibus domum Israel. » Verum hæc phrasis nusquam eo sensu sumitur, præsertim quia Amos non ait, super terram suam, vel super terram Israel, sed absolute « super terram, » quod tam de terra Assyriæ, quam Israelis accipi potest. Constat autem Israelem in terra Assyriæ cecidisse et mortuum esse.

Vers. 11. 11. IN DIE ILLA (Chaldæus, *in tempore illo*) SUSCITABO (Septuaginta, *resuscitabo*; S. Jacobus, *Act. xv, reædificabo*; Syrus, *erigam*, scilicet firmiter et stabiliter) TABERNACULUM DAVID, QUOD CECIDIT. — Aliqui hanc suscitationem factam esse censem ab Ezechia, qui post abductas ab Assyriis decem tribus anno sexto regni sui, earum reliquias profugas excepit, et in veri Dei cultu veraque Ecclesia confirmavit, IV *Reg. xviii et xix*. Alii, ut Ruffinus et Chrysostomus, homil. 33 in *Acta*, eam factam censem esse ab Esdra et Zorobabel, qui, Cyro annuente, Judæos e Babylone reduxerunt in Jerusalem, ibique eorum rempublicam et Ecclesiam restituerunt. Verum hi a vero sensu aberrant, nam exilis fuit utraque hæc suscitatio; ea autem quæ hic promittitur, ampla fuit et augusta. Ait enim: « Reædificabo illud sicut in diebus antiquis, ut possideant reliquias Idumææ et omnes nationes. » Quando, quæso, Ezechias aut Zorobabel possedit omnes nationes? Rursum, quando factum est istud: « Et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt? » Adde Zoro-

babelem tantum reduxisse duas tribus, æque ac Ezechias duabus fere tantum imperavit: hic autem promittitur Israelis, id est decem tribuum, instauratio. Respondeo ergo hanc promissionem ad Christum spectare, per eumque expletam esse. Id ita esse clare patet ex oratione S. Jacobi, qui, *Actor. xv, 16*, in Concilio Hierosolymitano, hæc verba Amos de Christo et gentium ad Christum conversione interpretatur. S. Jacobum sequuntur omnes Interpretes orthodoxi. Quocirca id ipsum sub anathemate definivit Vigilius Papa. Cum enim hæc Amos verba Theodorus Mopsuestenus sic explicaret: « Hoc loco, inquit, redditum e Babylone prædicit, quando Zorobabel ex stirpe David regem habuerunt; Jacobus vero in *Actis Apostolorum* hunc locum ad Christum transtulit, in quo res est ad exitum verum perducta; » hanc ejus explicationem sub anathemate damnavit Vigilius Papa in Concilio Romano, quod habetur in Bibliotheca Vaticana, et ex ea transcripsit P. Turrianus super lib. II *Constit. Apost. cap. v*, eo quod locum, qui primario et in sensu litterali seu historico in *Actis* exponitur de Christo, asserat intelligendum esse in primo et litterali sensu de Zorobabele; in secundo, et per translationem de Christo, ubi, ut alia omittam, manifeste Theodorus errat, cum Zorobabel facit regem, qui tantum dux fuit populi e Babylone redeuntis. Pari modo idem Theodorus censebat oracula omnia, quæ ad litteram de Christo edita sunt, historice ad Davidem, Ezechiam, Zorobabelem et Judæos spectare; sed ex accommodatione, et ex rei eventu ab Apostolis et Evangelistis duntaxat adaptari Christo. Hoc est quod sub anathemate damnat Vigilius, et ante eum damnarat Synodus generalis V, quæ fuit Constantinopolitana II, ut patet ex ejus *actione* V, et ex Leontio, qui vixit tempore Justiniani Imperatoris, et Theodori errores recenset. Vide dicta in *Proœmio*, notat. 5. Propheta ergo hic de more, post expositam Dei ultiōnem, et desolationem Israelis, ejus restorationem et consolationem per Christum afferendam subjugit (1).

Tabernaculum ergo Davidis proprie et formaliter non significat Ecclesiam (nec enim David fuit Ecclesiæ sacerdos, aut pontifex, sed regnum Davidis, puta domum ejus regiam, palatum et

Taberna-
culum
David est
regnum
Christi,
puta Ec-
clesia.

(1) Accedit Prophetam nostrum nullam bellorum in hoc novo regno Davidico mentionem facere, ejusque restorationem jungere redditui ex captivitate, ut alii Prophetæ, qui vaticinia de solvenda captivitate cum iis de Messia venturo componunt. Interim tamen magis indefinite loquitur, et ejus vaticinium ex collatione aliorum vaticiniorum Messianorum explicandum et illustrandum est. Cf. *Jes. ix, 1-7; xi, 1-6; Jerem. xxxii, 5, 4; xxx, 9; Ezech. xxxiv, 23, 24; xxxvii, 24; Mich. v, 2*, etc. Cæterum notatu dignissimum est, Amosum dicere, tabernaculum Davidis fore collapsum, id est, familiam ejus fore humiliatam et sceptro prorsus privatam, quod ab æstate Prophetæ longe temporis intervallo distabat.

(Ackermann.)

thronum regium. Orientales enim olim in tabernaculis ex ramis, corio aut tabulis constructis degebant: inde quævis domus aut palatium vocatur *tabernaculum*, præsertim quia hebræum סְכָה *succa*, ad verbum idem est quod opertorium, velamentum, tegumentum, tectum, a radice סְכַח *sucach*, id est velavit, operuit, texit; quod tam domui et palatio quam tabernaculo congruit. Tabernaculum vero proprie hebraice dicitur סְכָן *ohel*, id est tentorium extensum et expansum, a radice סְקָנָה *ahal*, id est extendit, expandit. Vocat id tabernaculum potius quam palatum, tum quia David in assiduis bellis exercitus communiter in tabernaculis castris degebat; tum ut significet regnum hoc Davidis mobile fuisse et temporaneum: Christi vero regnum ei successorum fore immobile et æternum. Hoc enim promisit angelus B. Virginis, dicens, *Lucæ cap. I, 32*: «Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis; » tum quia alludit ad tabernaculum Mosis in deserto, quod præerat, et quasi dirigebat omnia castra Hebræorum, quæ circa ipsum disposita erant: unde erat typus Ecclesiæ peregrinantis et militantis, q. d. Sicut olim tabernaculum, et cum illo Moses et Hebræi per desertum peregrinati sunt, perrexeruntque in terram promissam; ita Ecclesia Christi per desertum hujus vitæ peregrinatur tenditque in cœlum. Est ergo ipsa tabernaculum Davidis, id est Christi et Christianorum, *Hebr. XIII, 14*.

Quocirca materialiter et reipsa regnum hoc Christi est Ecclesia; quia regnum hoc Christi spirituale est et ecclesiasticum, quo nimurum Christus credentibus per fidem et gratiam dominatur. Itaque cum dicit: « Suscitabo tabernaculum David, » reipsa dicit, suscitabo Ecclesiam, sive cœtum populi fidelis, cui olim dominatus est David. Porro regnum hoc Davidis, æque ac Ecclesia fideium, per varias rupturas cecidit, scilicet primo, cum Jeroboam decem tribus a regno Davidis et ab Ecclesia cultuque Dei ad se et ad vitulos aureos traduxit. Secundo, cum Israelitæ a Syris, Philistinis, Ægyptiis aliisque gentibus multoties fuerunt attriti. Tertio, cum decem tribus in Assyriam, duæ in Babylonem fuerunt abductæ. Quarto, cum Antiochus Epiphanes ejusque posteri, tempore Machabæorum posteros Davidis afflixerunt. Quinto, cum Herodes, sub quo natus est Christus stirpem Davidis regiam quasi exstinxit, totumque regnum ad se, puta ad alienigenam, transtulit. « In die ergo illa, » id est in tempore illo quo per tot ruinas, ac tandem per tyrannidem Herodis, regnum Davidis plane cadet et corruet, Deus, qui in rebus deploratis succurrere solet, mittet Messiam sive Christum, qui in tabernaculum hoc, quasi in propriam domum et in regnum avitum Davidis patris sui, jure hæreditario succedet, illudque restituet, imo augustius reddet, non dominio et dominatione temporali, sed spirituali, quæ sublimior et divinior est. Christus enim tam

Judeos quam Israelitas in suum regnum suamque Ecclesiam ascivit et cooptavit, ac vice incredulorum, qui in illud ascribi noluerunt, surrogavit et adoptavit omnes gentes ex toto mundo, itaque fecit ut hoc regnum amplissimum totum orbem complecteretur, ut a Christo omnes vocentur christiani, et profiteantur se Christi subditos et discipulos. Gentes ergo loco Judæorum huic Davidis tabernaculo, quasi vivi lapides, inædificatae sunt, et, ut ait Apostolus *Rom. XI, 17*, in hanc Davidis Deique oleam insertæ sunt. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus, Vatablus, Arias, Ribera, a Castro et alii passim.

Allegorice, tabernaculum David est corpus Christi a Judeis occisum per varias rupturas, id est vulnera ei inficta, quod Deus tertio die a morte ad vitam gloriosum suscitavit, de quo Christus ait: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud, » *Joan. II, 19*. Christus enim vocatur David, quia Davidis filius et hæres. Ita Theodoreus et Cyrillus, lib. IV in *Joannem*, cap. XXXV. Imo Rabbini apud Galatinum, lib. VIII, cap. XXII, ubi R. Nahaman hunc locum sic legit: *Suscitabo casulam David dejectam*, id est corpus Christi crucifixum resuscitabo, ex eoque probat Messiam moriturum, ideoque eum ab Hebræis vocari *Barnephili*, id est *filium caducum*, asseverat. Hinc consequenter S. Chrysostomus, hom. 16 in *Joannem*, per tabernaculum David accipit naturam humanam peccato Adæ collapsam, quam Christus assumens reparavit et restauravit.

Ex dictis patet perperam Judæos hoc loco et similibus abuti, ut probent Messiam nequum venisse, sed venturum, ut temporale Davidis regnum restituat, ac Judeos in illud quasi primores regni asciscat. Nam, ut alia taceam, primo Amos hic proprie non agit de Judeis, sed de Israelitis, id est decem tribubus (has enim vers. 8, 9 et 14, vocavit domum Jacob et domum Israel), eisque post cladem restitutionem promittit, ut regno Davidis, a quo per schisma exciderunt, rursum inserantur et uniantur. Frustra ergo hæc sibi attribuunt Judæi moderni. Cumque constet Israelem nunquam ex captivitate Assyriaca rediisse, aut redditum, æque ac Judæi e captivitate Titi et Romanorum per 1600 annos nunquam redierunt, nec redibunt; sequitur hæc de mystico Israeli reditu, puta de gentium in Christum credentium, qui sunt Israelitæ secundum spiritum, non secundum carnem, ut ait Apostolus *Rom. IX, 8*, conversione et salute intelligenda esse, uti fusius probavi *Daniel. cap. II, 44*, et *Daniel. IX, 24*. Idem rursus patet ex eo quod Deus similem restorationem promittat Sodomitis, Assyriis, Ægyptiis, Ammon et Moab, qualem promittit hic et alibi Israelitis: atqui illa non fuit temporalis, sed spiritualis per Christum; ergo talis quoque fuit Israelitarum. Major liquet *Ezech. XVI, 55*: « Et soror, ait, tua Sodoma, et filiae ejus revertentur ad antiquitatem suam » id est ad antiquam suam

sedem, opes et gloriam. Constat autem Sodomam et vicinas urbes cœlesti incendio cum omnibus suis incolis conflagrasse. Ergo hæc Sodomæ restitutio mystice accipienda est, non ad litteram ut sonat. Idem de Samaria promittit ibidem Ezechiel; constat autem Samaritas ad litteram ex Assyriaca captivitate non rediisse: ergo Samariæ hæc restitutio spiritualis per Christum, non litteralis et temporalis accipienda est. Idem Assyriis et Ægyptiis, æque ac Israelitis promittit Isaías cap. xix, 24: « In die illa erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio: benedictio in medio terræ. » Hoc ad litteram ut sonat falsum est, nec admittent, aut patientur Judæi sibi associari, et æquari Ægyptios et Assyrios. Ergo mystice id accipi debet. Idem Moabitis promittit Jeremias cap. xlvi, 47: « Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus. » Et Ammonitis, cap. xlxi, 6: « Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Dominus. » Ad litteram autem nec Moabitæ, nec Ammonitee e Babylone redierunt. Ergo reditus hic mysticus est, puta conversio ad Deum per Christum. Ergo pariter talis reditus et restauratio Israelis intelligenda est. Simile est templum quod promittit Ezechiel cap. xl et seq., scilicet magis mysticum quam litterale. Unde cap. xlvi, 1, 8, 9, vident ex eo egredi aquas, et sensim in fluvium ingentem crescere, cuius rivulo sanabantur et dulcorabantur aquæ maris Mortui, quod in Scriptura vocatur salsissimum: quæ omnia mystice accipienda esse manifestum est. Disce hinc canonom moremque Prophetarum, nimirum solent ipsi post tristia lœta subjungere, post desolationem consolationem, post excidia et ruinas gentium, earumdem restitutionem per Christum. Ipse enim est Messias, puta salus, consolatio, gaudium et desiderium cunctarum gentium, Aggæi cap. ix, 8.

Secundo assero hoc Christi regnum non tantum esse spirituale, sed et temporale. Christus enim per imperatores, reges, et principes christianos dominatur, et imperat etiam civiliter toti orbi christiano. Denique in die judicii ipse hoc regnum suum tam spirituale quam corporale perficiet facietque gloriosum, ut toti cœlo et terræ cum suis fidelibus dominetur in æternum, tumque plenissime hæc et similes prophetæ impletibuntur.

ET REÆDIFICABO APERTURAS MURORUM EJUS. — Hebrewice **גָּדַרְתִּי** gadarti, id est sepiam, ut vertit Pagninus; *instaurabo*, ut Vatablus; *sæpe circumdabo*, ut Tigurina, q. d. Sarciam hiatus et aperturas murorum Davidis et Israelis; nimirum Deus instauravit ruinas Israelis: easque sarcivit multitudine gentium credentium Christo, quæ in locum Judæorum et Samaritarum incredulorum successerunt; sicut dæmonibus labentibus e cœlo surrogavit homines, iisque instauravit ruinas cœlestis Jerusalem. De fide enim, vocatione et electione gentium hunc locum explicat S. Jacob, *Actor.* xv,

vers. 16. Censem Ribera hanc prophetiam impletam esse post excidium templi et urbis Hierosolymæ factum a Tito: tunc enim Judæis in sua cœcitate persistentibus, et per totum orbem dispersis, eorum loco gentes in Ecclesiam esse ascitas. Verum S. Jacobus, *Actor.* xv, suo tempore, id est mox a passione Christi, cum Paulus et Barnabas primi evangelizantes gentibus multos ex iis converterunt, impletam, id est impleri cœptam, asserit. Adde non agi hic de Juda et Hierosolyma, templique et urbis excidio et ruina per Titum, præsertim quia Christus templum hoc, jam tum Judaicum, sibique e diametro oppositum et resistentis, non restauravit, sed vetus Davidis regnum et Ecclesiam legitimam. Fateor tamen post excidium Hierosolymæ plenius hanc prophetiam impletam esse: tunc enim S. Joannes, qui unus ex Apostolis superstes vivebat, ac viri Apostolici relicts Judæis, utpote jam eversis et dispersis, converterunt se ad prædicandum gentibus.

SICUT IN DIEBUS ANTIQUIS, — sicut in diebus Davidis et Salomonis. Davidem enim nominavit paulo ante: et tunc maxime floruit, imo cœpit gloria regni Israelis. Ita Remigius. Sic antiqua sæcula vocabantur *aurea*, in quibus cum virtute florebat res publica, de quibus Virgilius, VI *Aeneid.*:

Hic genus antiquum, Teueri pulcherrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis.

12. UT POSSIDEANT RELIQUIAS IDUMÆE, — q. d. Ut, Vers. 12. sicut David subjugavit Idumæos cæterasque vicinas gentes, II Reg. viii, 14; Psalm. lix, 10 et 11, ubi dicitur: « In Idumæam extendam calceamentum meum, » id est possessionem capiam Idumææ; hæc enim olim capiebatur immisione calceamenti in rem possidendam: ita Christus per Apostolos virosque Apostolicos, Episcopos et presbyteros subjuget sibi siveque fidei, et subjugatas possideat easdem gentes, imo totum mundum. Nominat Idumæos, quia sicut Esau internecino odio persecutus est Jacobum fratrem suum, ita et posteri ejus Idumæi persecuti sunt posteros ejus, puta Jacobeos et Israelitas, eorumque fuere hostes jurati et infensissimi, q. d. Idumæi sub Christo et per Christum ponent hæc avita odia, et cum Israelitis conspirabunt in unum Christi jugum et regnum. Rursum nominat « reliquias Idumææ, » tum quia litteraliter David per Joab, cassis plerisque Idumæis, eorum tantum reliquias servavit et subjugavit, ut patet III Reg. xi, 14; ac rursum paulo ante tempora Amos, cum Idumæa Judæis rebellaret, sibique proprium regem constitueret, Amasias rex Juda eamdem rursum subegerat, itaque ceciderat, ut ejus tantum reliquiae remanerent, IV Reg. xiv, 7; tum quia parabolice sicut reliquias Israelis, sic et reliquias Idumææ aliarumque gentium, puta eas quæ crediderunt prædicationi Apostolorum, servavit Christus, cæteris manentibus incredulis, et ob infidelitatem pereuntibus: paucos enim ad Christum conver-

terunt Apostoli, si comparentur cum illis qui non fuerunt conversi, et persistenterunt in infidelitate. Ita S. Hieronymus et alii. Nota: Septuaginta quos sequitur S. Jacobus Actor. xv, hunc locum non verbo tenus, sed paraphrastice vertunt hoc modo: *Ut querant me reliqui hominum.* Per Idumæos enim Propheta synecdochice quaslibet gentes et homines, præsertim a Christo alienissimas intellegit. Unde se explicans addit: *Et omnes gentes;* haec enim in regnum Christi ascitæ sunt, cum illud requisierunt: nemo enim, nisi volens et postulans, in regnum Christi cooptatur. Quare querere regnum Christi, idem est quod illud possidere et ab eo possideri. Unde ex Hebræo verti potest: *Ut possideant, scilicet regnum hoc Davidis, id est Christi, reliquæ Idumææ et omnes gentes.* Qui enim possidetur a Christo, vicissim possidet Christum ejusque regnum. Addunt aliqui hebræum אֶדוֹם Edom significare Idumæam; Septuaginta vero aliis punctis legisse Ἀδάμ Adam, id est homo, ideoque vertere: *Ut querant me reliqui hominum.* Verum Septuaginta utpote quos sequuntur S. Jacobus et S. Lucas, veram et genuinam hic secuti sunt tam lectionem, quam scriptionem. Ea autem habet Edom, id est Idumæa; non Adam, id est homo, præsertim quia exprimitur littera vau, quæ est in voce Edom, non vero in voce Adam. Propheta enim uti concionando pronuntiavit, ita concionem et prophetiam suam exarando, scripsit Edom, non Adam. Aliter Ribera: Judæa, inquit, id est laudans et confitens olim Deum, post occisum a se Christum, facta est Idumæa, id est terrena et cruenta (Edom enim hebraice significat terrenum ac rufum, rubrum, cruentum) sanguine Christi quem occidit; et hanc (Judæam) per cæteros hominum significarunt Septuaginta. Sed hoc uti obscurius, ita et alienius arctiusque videtur, uti fatur ipse Ribera in Abdiam, num. 6. Idumæa ergo hic proprie capitur, ac præ cæteris nominatur, quia uti natura loci (utpote sita in rupe et monte) ac gentis robore erat munitissima; sic ad suscipiendum Christum, utpote e Judæis sibi inimicissimis prognatum, erat difficillima, cujus rei typo David invasurus eam, Psalm. LIX, 11, ait: « Quis deducet me in civitatem munitam? Quis deducet me usque in Idumæam? » Et respondet: « Nonne tu, Deus? » q. d. Non meis, sed Dei viribus id fiet. Id verius fuit in Idumæorum conversione ad Christum. Unde Amos pariter hic subdit: « Dicit Dominus faciens haec; » Syrus, *omnia haec.*

Eo quod INVOCATUM SIT NOMEN MEUM SUPER EOS, — q. d. Eo quod vocemini populus Dei, cœtus et Ecclesia Christi, puta christiani; ac vicissim Christus vocetur vester Deus, Dominus et Pater, quæ ingens est gloria, æque ac tutela et præsidium in omni re, ut merito de hoc nomine tam nobili vobis gratulari, Deo gratias agere, et apud gentes gloriari possitis. Habetis enim nomen Dei, tanquam res propria illius, et cujus ipse proprie est

dominus, quæque est ejus peculium ipsique tota dicata.

Alii active exponunt, q. d. Eo quod invocetis, id est publice colatis, celebretis, et prædicetis nomen Domini. Hic sensus sequitur ex priori: ideo enim vocantur Ecclesia Dei, quia Deum colunt et celebrant. Proprie tamen haec phrasis priorem sensum significat, ut patet Isaïe IV, 1: « Apprehendent septem mulieres virum unum dicentes: Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, » q. d. Non aliud a te petimus, quam ut tu sis et voceris noster maritus, nosque simus et vocemur tuæ uxores, de cætero nos ipse nos alemus et vestiemus. Et Genes. XLVIII, 16, ait Jacob de nepotibus suis Ephraim et Manasse: « Invocetur super eos nomen meum, » id est vocentur filii mei, et constituent duas tribus in Israel, uti constituunt cæteri filii mei, sicut de facto Ephraim et Manasse suam quisque tribum constituit, eamque ex nomine suo vocavit et denominavit, ut patet ex vers. 5, ibid.

13. ET COMPREHENDET ARATOR MESSOREM, — q. d. Vers. 13.

Tanta erit fertilitas frugum, ut duret messis usque ad tempus arandi, et vindemia usque ad semensem sive tempus seminandi, illudque occupet: non sufficies frugibus demetendis, sed novæ sementis tempus urgebit te manum aratro admoveare, et copia uvarum ac vini adiget te uvis colligendis et præolo exprimendis vacare, etiam tunc cum premet te tempus serendi. Audi Ruffinum, qui hic finit suum commentarium in minores Prophetas: « Frugum quoque vos faciam ubertate gaudere, ita ut toto anno colligenda suppeditent, et ad vindemiæ tempus messis nimium opima procedat, vindemiam sementis excipiat; secundum illud Psalm. LXIV, 12: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. » Coronam vocat continuationem illam fructuum toto anno, quæ annum undique quasi cingit et coronat, quæque homines continuo occupat ad eos colligendos et fruendos. Nota haec typice et figurate dici; nam ad litteram vult dicere tantam fore copiam bonorum spiritualium tempore Evangelii, ut ea capere et explicare non possimus; tantam fore animarum conversionem, ut nullum permittant agricolis, id est Apostolis et presbyteris quietis tempus, sed ipsi agrum hunc Domini, puta Ecclesiam, assidue excolere debeant, nunc arando, nunc metendo, nunc vindemiando spiritualiter et mystice, puta nunc docendo et monendo, nunc baptizando, nunc reconciliando, nunc perfectiori statui consecrando, etc. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Hugo, Lyranus, Vatablus, Ribera et alii. Audi S. Hieronymum: « Sic, ait, sibi invicem cuncta succendent, ut nulla dies sit absque frumento, vino et gaudio. In illo tempore plenis torcularibus uva calcabitur, et de Christi ac martyrum sanguine rubentia musta fundentur, et hujuscemodi calcatore erit seminarium sermonis Dei, ut sanguis eorum magis clamet in mundo, quam clamavit san-

guis Abel justi. Quicumque autem merito virtutum suarum ad montana concenderit, melle sudabit, imo stillabit dulcedinem sermonis Dei, de quo scriptum est: Gustate et videte quam suavis est Dominus. Et: Quam dulcia eloquia tua gutturi meo super mel et favum ori meo! Et qui infra montes, imo secundi a montibus fuerint (quos sponsus transilit, *Cantic. II.*, et appellat colles) consiti erunt, et imitabuntur paradisum Dei, ut omnia in illis poma pendeant doctrinarum. »

Idipsum clare cernere fuit, et etiamnum est in Apostolis et viris Apostolicis, ut S. Paulo, S. Vincentio Fererio, S. Antonio de Padua, S. Xaverio et aliis, qui serendo verbum Dei cum sanctitate, miraculis et efficacia concionandi ita commovereunt populos fideles et infideles, ut cum tempus adesset messis, id est eos inserendi Ecclesiæ, puta baptizandi, confirmandi, absolvendi, etc., aliae gentes urbesque vicinæ inaudientes de hisce viris divinis, eorumque virtute et fructu, certatim eos ambirent, cogerentque ut pari modo apud se sererent verbum salutis, illicoque ad se transirent. Perperam ergo Judæi hæc ad litteram, ut sonant, exspectant sub suo Messia. Perperam quoque Theodoreetus hæc plane ad litteram impleta censem in reditu e captivitate Babylonica, cum potius contrarium Judæis tunc acciderit, puta sterilitas frumenti et vini, ut patet *Aggæi I*, 6. Adde de Israelitis hic agi, non de Judæis, uti ostendi initio capit. Denique Judæis non convenit illud vers. 13: « Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua. » Nam Judæi per Titum e Judæa evulsi sunt, manebuntque usque ad finem mundi, uti prædictum Daniel cap. IX, vers. ultimo.

STILLABUNT MONTES DULCEDINEM (succum dulcem, puta mustum: hoc enim significat hebreum *דִבְשׁוּ אֶת-אָסֵי*); ET OMNES COLLES CULTI ERUNT. — Septuaginta, consiti erunt, scilicet, vineis et oleis: nam « Bacchus amat colles. » Hebraice est *תַּתְמֹגָנָה*, liquefiant, id est præ copia diffluent oleo et vino, aut lacte et melle, ex abundantia apum et pecorum, ut videantur, ait Ruffinus, effluere vina de rupibus, mella de montibus. Montes sunt Apostoli et viri Apostolici, qui stillarunt mustum dulcissimum Evangelicæ doctrinæ, gratiae, charitatis, lætitiae omniumque donorum Spiritus Sancti; colles sunt concionatores, qui idem mustum, aut lac, id est suavitatem doctrinæ, effuderunt. Aut montes sunt Ecclesiæ magnæ et generales; colles, parvæ et particulares. Aut montes sunt homines gradu aut virtute eminentes; colles sunt parvi et plebeii, q. d. Omnes tam parvi, quam magni, affluent doctrina et gratia Evangelica. Alludit ad montes vinetiæ et olivetis luxuriantes olim in Judæa, æque ac ad hortos quibus gaudebant et abundabant Syri. Syria, inquit Plinius lib. XX, cap. III, « in hortis operissima; inde quoque Græcis proverbium: Multa Syrorum clara.

14. ET CONVERTAM CAPTIVITATEM, — q. d. Reducam populum meum Israel, id est fidelem credentem Christo, ex captivitate Salmanasar, id est diaboli et peccati, ut ædificant civitates, id est Ecclesiæ, in quibus plantent vineas et hortos, id est cœtus fidelium, ac corda piorum virtutibus et gratiis consita, quæ dabunt fructus et vinum operum suavissimorum et sanctissimorum. Hæc enim mystice debere accipi, non ad litteram, patet ex eo quod Israel, id est decem tribus e captivitate Assyria nunquam redierint, nec redituræ sint. Est ergo continua metaphora, petita ab iis qui e captivitate redeunt in patriam. Hi enim solent ædificare urbes, plantare vineas et hortos.

15. ET PLANTABO EOS SUPER HUMUM, — puta in Ecclesiæ, quæ fundata est super petram, et cui portæ inferi non prævalebunt, *Matth. XVI*, 18. Plenius id fiet in Ecclesia triumphante in celo. Ita S. Hieronymus, Albertus, Ribera, a Castro, et alii. Et hoc fiet, quia Dominus Deus tuus, qui est omnipotens, id « dicit » et promittit, « cujus promissio lex naturæ est, » ait S. Hieronymus, puta firma et inviolabilis est, uti est lex naturæ.

Tropologice, anima fidelis et sancta est tabernaculum Davidis, id est domus et templum Christi, juxta illud *II Cor. VI*, 16: « Vos estis templum Dei vivi, » in quo pavimentum est humilitas, penuarium timor judiciorum Dei, tectum charitas, caminus oratio, parietes quatuor virtutes cardinales, fortitudo, justitia, temperantia et prudenter. Si tectum stillet, id est soluta vel laxata sit charitas; si caminus, id est oratio, corruerit; si pavimentum confractum sit, id est humilitas convulsa; si parietes, id est virtutes cardinales, rimas vel ruinas egerint, illico singula hæc sacerienda et restauranda sunt, ne, sensim crescentibus rupturis et ruinis, tandem tota domus corrut, juxta illud *Eccle. X*, 18: « In pigritiis (in tarda et pigra restaurazione unius tabulæ, unius tegulæ unius clavi) humiliabitur (corruet) contignatio, et in infirmitate manuum perstillabit domus. »

Secundo, anima sancta est vinea Domini, ob multas analogias quas recensui *Ezechiel. XV*. Ita S. Bernardus, serm. 63 in *Cant.*: Viro, ait, sapientia vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe in cultum desertumve in se sapiens derelinquet: stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta et sordida. » Et inferius: « Bona vinea justus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiae, cui lingua torcular expressio- nis. Vides apud sapientem vacare nihil: sermo, cogitatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, et vinea Domini Sabaoth? »

Quod ergo facit vinitor in vinea, hoc faciat cultor animæ in anima. Vinitor vites plantat, aggerat, rigat, ligat, putat, sarrit, ablaqueat, defrondat, vindemiat, torculari premit ut vinum expri-

Domus
spiritua-
lis pa-
rtes.

Quique
sua vi-
nea est
conscien-
tia.

mat. Eadem mystice faciat, qui vineam animæ suæ vel alienæ excusat, quales omnes fideles esse debent. Hinc Christus, *Malh. xx, 4*, singulis horis misit operarios in vineam suam. Et sponsa, *Cant. I, 5*, ait: « Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. » Essentia ergo animæ est quasi vinea plantata in terra hujus corporis, cuius potentiae, puta intellectus, voluntas, memoria, etc., sunt quasi vites, quarum vi-
num sunt opera charitatis misericordiae: vites hæc alligandæ sunt palo crucis, cuius pedi foveam facimus, dum mortem instare cogitamus, et foveam sepulturæ meditamus. Servanda est hæc vinea ab apro exterminatore de sylva, *Psalm. LXXIX, 14*, id est de vitio obscenæ voluptatis, quod omnia bona exterminat: et a singulari fero; id est a vitio superbiæ, quod singularem hominem facit: et a vulpe astutæ adulationis, et a lupo voracitatis, et a cane detractionis. Rursum rogandus est Dominus, ut mittat pluviam doctrinæ suæ, et calorem gratiæ suæ, et stercora, id est memoriam mortis Filii sui et SS. Martyrum, quibus hæc vinea ad fructum ferendum excitetur et impinguetur. Flores et folia sunt sancta desideria, et pia colloquia, ac bene ædificantes sermones, quibus anima quasi vinea revirescit, ac producit lacrymas compunctionis, et suavem virtutis odorem emitit, juxta illud *Cantic. II, 13*: « Vineæ florentes dederunt odorem suum, » ac tandem edit et producit uvas maturissimas et dulcissimas bonorum operum et virtutum omnium. Porro notandum quod scribit S. Bernardus, serm. 60 in *Cantic.*: « Aiunt, inquit, fluorescentibus vineis, omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum. Quod volo attendant novitii nostri, et fiducialiter agant cogitantes qualem spiritum acceperint, cuius primicias dæmones non sustinent. Si sic novitus fervor, quid erit absoluta perfectio? » Et mox: « Cæterum si vineæ animæ flos, opus; odor,

opinio est; fructus quid? martyrium. Et vere fructus vitis, sanguis est martyrum. »

Tertio, anima est hortus, imo paradisus Domini, juxta illud *Cant. IV, 12*: « Hortus conclusus soror mea sponsa. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, etc. Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aroma ta illius. » Et cap. V, 1: « Veniat dilectus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. » Et cap. VI, 1: « Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut passatur in hortis, et lilia colligat. » *Eccli. XXIV, 42*, ait Sapientia: « Rigabo hortum meum plantatum, et ineibriabo prati mei fructum. » *Num. XXIV, 5*, Balaam videns agmina Israelis exclamat: « Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, tentoria tua, Israel! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. » Quod ergo facit hortulanus in horto ut eum excolat, hoc fidelis faciat in anima, ut in ea plantet nardum humilitatis, lilia castitatis, malogranata charitatis, heliotropium resignationis, qua suam voluntatem cum divina conformet, cedrum spei et contemplationis, querum constantiæ, hyacinthum cœlestium cogitationum et desideriorum, amaranthum crucis, thus orationis, myrrham mortificationis, rosas odoratas bonæ ædificationis et exempli, palmam contemptus mundi, humanæ laudis et vittuperii, etc. Quoties ergo elicis vel exerces actum, præsertim heroicum, humilitatis, charitatis, mortificationis, resignationis, etc., toties illustrem nardum, speciosum malogranatum, insignem myrrham, præstans heliotropium, etc., offers Deo, eoque Dei hortum et paradisum quasi nova planta, quasi illustri flore et fructu exornas, ut ei cum sponsa fidenter dicas: « In portis nostris omnia ponam: nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi. » *Cantic. VII, 13*.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUE HIS IN DANIELEM. OSEE. JOELEM ET AMOS COMMENTARIIS EXPLICANTUR VEL OBITER ELUCIDANTUR.

Prior numerus paginam, secundus columnam denotat, ubi unicus tantum occurrit numerus, ad praecedentem referri signum est.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

Cap. iv, vers. 24. Septuplum ultio dabitur de Cain : de La-	
mech vero septuagies septies,	290, 1.
xix, 24. Pluit Dominus a Domino sulphur et ignem su-	
per Sodomam,	572, 2.
xxiv, 1. Erat Abraham senex dierumque multorum,	569, 1.
xxvi, 22. Nunc dilatavit nos Dominus,	236, 2.
— 33. Unde nomen urbi impositum est Bersabee,	ibid.
xli, 52. Crescere me fecit Dominus in terra paupertatis	
meæ,	465, 2.
XLVII, 12. Alebat eos, omnemque domum patris sui, præ-	
bens cibaria singulis,	420, 2.
XLVIII, 16. Invocetur super eos nomen meum,	509, 1.

EX EXODO.

Cap. iii, vers. 14. Ego sum qui sum,	609, 1.
xvi, 16. Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad	
vescendum,	420, 2.
XXXIV, 7. Qui custodis misericordiam in millia,	240, 1.

EX NUMERIS.

Cap. ix, vers. 22. Si vero biduo aut uno mense fuisset su-	
per tabernaculum,	363, 2.

EX DEUTERONOMIO.

Cap. xxxii, vers. 9. Jacob funiculus hæreditatis ejus,	
648, 2.	
xxxiv, 5. Moyses mortuus super os Domini,	225, 2.

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. ix, vers. 8. Ierunt ligna, ut ungerent super se re-	
gem, dixeruntque olivæ, etc.,	243, 2.

EX LIBRO I REGUM.

Cap. ii, vers. 5. Donec sterilis peperit septem,	537, 1.
— 9. Impii in tenebris conticescent,	585, 1.
iii, 2. Oculi ejus caligaverant, nec poterat videre : lu-	
cerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat	
in templo Domini,	252, 2.
xx, 30. Filius mulieris ultiro virum rapientis,	285, 1.

EX LIBRO II REGUM.

Cap. viii, vers. 4. Tulit David frenum tributi de manu	
Philistium,	236, 2.
xxi, 19. Adeodatus filius saltus,	236, 2.

EX LIBRO III REGUM.

Cap. ii, vers. 31. Amovebis sanguinem innocentem, qui	
effusus est a Joab, a me et a domo patris mei,	528, 2.
xi, 31. Scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi	
decem tribus,	392, 1.
— 37. Te autem assumam, et regnabis super omnia quæ	
desiderat anima tua, erisque rex super Israel,	391, 2.
xx, 11. Ne glorietur accinctus æque ut discinctus,	138, 1.
xxii, 15. Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus	
in manus regis,	241, 2.

EX LIBRO IV REGUM.

Cap. viii, vers. 10. Vade, dic ei : Sanaberis : porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur,	241, 2.
xiv, 9. Carduus Libani misit ad cedrum, quæ est in Libano, etc.	244, 1.

EX LIBRO I PARALIPOMENON.

Cap. ii, vers. 55. Cinaei venerunt de Calore patris domus	
Rechab,	237, 1.
iv, 22. Qui stare fecit solem, virique Mendacii, et securus,	
et incendens,	236, 2.

EX LIBRO II PARALIPOMENON.

Cap. xv, vers. 3. Transibunt multi dies in Israel absque	
Deo vero, et absque sacerdote, doctore et absque lege,	
330, 1.	

EX LIBBO JOB.

Cap. ii, vers. 9. Benedic Deo, et morere,	253, 1.
ix, 26. Dies mei pertransierunt quasi naves poma portantes,	621, 1.
xxi, 33. Dulcis fuit glareis Cocytii,	244, 2.
xxiv, 19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium,	517, 1.
xxxi, 21. Cum viderem me in porta superiore,	584, 1.
— 26. Si vidi solem cum fulgeret, etc. et osculatus sum manum meam,	455, 2.
xxxiv, 30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi,	459, 1, 2.
xxxviii, 9. Cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem,	575, 2.
xxxix, 5. Quis dimisit onagrum liberum in solitudinem, et vincula ejus quis solvit ?	315, 1.

XLII, 14. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secundæ Cassiam, et nomen tertię Cornustibii, 236, 2.

EX PSALMIS.

Psalm. VIII, vers. 2. Quam admirabile est nomen tuum in universa terra! 512, 1.

XXI, 15. Effusus sum sicut aqua, 357, 2.

XXXVII, 28. Deus in adjutorium meum intende, 224, 2.

LIX, 11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam? nonne tu Deus, 645, 1.

LX, 8 et 9. Misericordiam et veritatem ejus quis requiret? sic psalmum dicam nomini tuo, 428, 1.

LXI, 10. Mendaces filii hominum in stateris, ut decipient ipsi de vanitate in idipsum, 73, 1; 450, 2.

LXII, 3. In terra deserta, et invia, et in aquosa, sic in sancto apparui tibi, 79, 2.

LXIV, 12. Benedic coronæ anni benignitatis tuæ, 645, 2.

LXVII, 19. Ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus, 468, 1.

LXXVIII, 13. In me psallebant, qui bibebant vinum, 598, 1.

LXXVIII, 29. Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur, 467, 1.

LXX, 15 et 16. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini, 449, 2.

LXXI, 16. Erit firmamentum in terra in summis montium, 472, 1.

LXXXIII, 4. Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus, 439, 2.

CIX, 3. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, 366, 1.

Ibid. Ex utero ante luciferum genui te, *ibid.*

CXI, 9. Justitia ejus manet in sæculum sæculi, 421, 1.

CXIII, 8. Similes illis fiant qui faciunt ea, 405, 1.

CXVIII, 135. Faciem tuam illumina super servum tuum, 366, 4.

CXXVII, 3. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ, 471, 1.

CXXXIX, 12. Vir linguisus non dirigetur in terra, 447, 1.

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

Cap. I, vers. 10. Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis, 311, 2.

XV, 11. Infernus et perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum, 353, 2.

XXIV, 16. Septies in die cadit justus, 537, 1.

XXV, 11. Mala aurea in cancellaturis argenteis, 223, 1, 2.

XXX, 1. Verba congregantis filii Vomentis, 236, 2.

— 15. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, affer, et nunquam satiantur, 379, 1.

Ibid. Tria sunt insaturabilia, et quartum quod nunquam dicit: Sufficit, 537, 1.

XXXI, 24. Cingulum tradidit Chananaeo, 449, 1.

EX ECCLESIASTE.

Cap. IX, vers. 8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat, 598, 2.

x, 18. In pigritiis humiliabitur contignatio, 646, 2.

xi, 2. Da partem septem, necnon et octo, 537, 1.

EX CANTICO CANTICORUM.

Cap. IV, vers. 16. Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius, 502, 1.

v, 2. Ego dormio, et cor meum vigilat, 245, 2.

VIII, 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, 366, 1.

— 12. Vineæ meæ coram me est, 411, 1.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. III, vers. 16. Filii adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur, 340, 2.

IV, 3. Spuria vitulamina non dabunt radices altas, *ibid.*

x, 21. Sapientia aperuit os mutorum, 585, 1.

xi, 27. Quoniam tua sunt Domine, qui amas animas, 437, 1.

xii, 25. Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti, 583, 2.

xix, 17. Sicut in organo omnia suum sonum custodiunt, 323, 2.

EX ECCLESIASTICO.

Cap. XV, vers. 11. Non dixeris: Per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris. Non dicas: Ille me implanavit, 435, 2.

XXXII, 5, 7, 8. Non impedias musicam, etc. Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi: sic numerus musicorum in jucundo et moderato vino. 598, 1.

XLIX, 12. Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis, 219, 2.

EX ISAIA.

Cap. IV, vers. 1. Apprehendent septem mulieres virum unum, in die illa, dicentes: Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, 243, 2.

VI, 13. Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, 579, 1.

IX, 4. Sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian, 302, 1.

X, 26. Levabit Dominus virgam suam in via Ægypti, 571, 2; 572, 1.

XIII, 8. Facies combustæ vultus eorum, 494, 1.

XXIII, 10. Transi terram tuam, filia maris, 437, 2.

XLV, 8. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum, 469, 2.

LVII, 13. Cum clamaveris, liberent te congregati tui, 289, 1.

LX, 15. Ponam te in superbiam sæculorum, 627, 2.

LXV, 4. Qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt, 398, 1.

EX JEREMIA.

Cap. II, vers. 34. In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, 528, 2.

xi, 15. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? 390, 1.

xII, 7. Reliqui domum meam, 389, 2.

XVII, 12. Solium gloriæ altitudinis a principio, locus sanctificationis nostræ, 481, 1.

XVIII, 11. Ecce ego fingo contra vos malum, et cogito contra vos cogitationem, 608, 2.

XLVI, 7. Quis est iste, qui quasi flumen ascendit, etc., 300, 2.

LI, 18. Vana sunt opera et risu digna, 614, 1.

EX THRENIS.

Cap. I, vers. 5. Facti sunt hostes ejus in capite, 634, 1.

— 8. Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est, 409, 2.

— 15. Torcular calcavit Dominus virginis filiæ Juda. Idcirco ego plorans, 225, 2.

EX BARUCH.

Cap. I, vers. 10. Facite manna ad aram Domini pro peccato, 34, 1.

EX EZECHIELE.

Cap. VII, vers. 6. Venit finis, evigilavit adversum te, 620, 1.

— 23. Terra plena est judicio sanguinum, 528, 2.

VIII, 17. Ecce applicant manum ad nares suas, 455, 2.

xvi, 55. Et soror tua Sodoma, et filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam, 643, 2.

xix, 3. Eduxit unum de leunculis suis, et eo factus est,
300, 2.

xxiv, 13. Donec quiescere faciam indignationem meam in
te, 529, 1.

EX DANIELE.

Cap. iv, vers. 27. Nonne hæc est Babylon civitas magna,
quam ego ædificavi? 251, 1.

EX PROPHETIS MINORIBUS, LOCA QUÆ EXTRA ORDINEM LOCO NON SUO EXPONUNTUR.

EX OSSEE.

Cap. i, vers. 4. Visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, 237, 1.

— 6. Voca nomen ejus, Absque misericordia, 236, 1.

— 9. Voca nomen ejus, Non populus meus, *ibid.*

ii, 21. Exaudiam cœlos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet triticum, etc., 237, 2; 265, 2.

v, 1. Laqueus facti estis speculationi, 265, 2.

— 5. Respondebit arrogantia Israel in facie ejus, 269, 1.

vi, 5. Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei, 266, 1.

— 6. Misericordiam volui, et non sacrificium, 269, 1.

vii, 8. Ephraim factus est subcinerius panis, qui non reversatur, 266, 1.

— 11. Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor, 263, 1.

viii, 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes extiterunt, et non cognovi, *ibid.* et 2.

— 7. Ventum semiuabunt, et turbinem metent, 266, 1.

— 9. Israel est onager solitarius sibi, *ibid.* et 2.

ix, 4. Sacrificia eorum quasi panis lugentium, 269, 2.

— 8. Speculator Ephraim cum Deo meo, 266, 2.

— 9. Profunde peccaverunt sicut in diebus Gabaa, 257, 2.

— 13. Ephraim Tyrus erat fundata in pulchritudine, 257, 2,

— 14. Da eis vulvam sine liberis, et ubera arentia, 266, 2.

x, 1. Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei, 257, 1.

— 5. Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ, 236, 1.

— 11. Ephraim vitula docta diligere trituram, 257, 2.

— 13. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, ac comedistis frugem mendacii, 269, 2.

xi, 12. Circumdedit me in negatione Ephraim : Judas autem testis descendit cum Deo, et cum sanctis ejus fidelis, 269, 2.

xii, 1. Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum, 270, 1.

— 7. Chanaan in manu ejus statera dolosa, *ibid.*

— 11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgalibus immolantes, *ibid.*

xiii, 9. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum, 485, 2.

— 11. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea, *ibid.*

EX JOELE.

Cap. i, vers. 4. Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, etc., 258, 1.

ii, 25. Reddam vobis annos, quos comedit locusta, etc., *ibid.* 2.

iii, 18. Stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte, etc. *ibid.*

EX AMOS.

Cap. iii, vers. 12. Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, etc., 259, 1.

iv, 12. Præparare in occursum Dei tui, 238, 2.

v, 5. Bethel erit inutilis, 259, 1.

vi, 13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, 266, 2.

vii, 1. Ecce factor locustæ in principio germinantium serotini imbris, etc., 259, 1.

vii, 4. Vocabat judicium ad ignem Dominus, et devoravit abyssum multam, etc., *ibid.*

viii, 8. Ascendet quasi fluvius universus, et ejicietur, et defluet, etc., 259, 2.

— 11. Et mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini 271, 1.

ix, 11. Suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, etc., 259, 2.

EX ABDIA.

Vers. 18. Erit domus Jacob ignis, et domus Esau stipula, 259, 2.

EX JONA.

Cap. ii, vers. 9. Qui custodiunt vanitates frustra, miserandiam suam derelinquent, 271, 1; 371, 2.

EX MICHAËA.

Cap. i, vers. 7. Quia de mercedibus meretricis congregata sunt, et usque ad mercedem meretricis revertentur, 266, 2.

— 10. In domo Pulveris, pulvere vos conspergite, 236, 1.

— 11. Transite vobis habitatio pulchra, *ibid.*

Ibid. Non est egressa quæ habitat in exitu, *ibid.* 2.

— 12. Infirmata est in bonum, quæ habitat in amaritudinibus, *ibid.*

— 14. Dabit domus mendacii deceptionem regibus Israel, *ibid.*

iii, 6. Nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione, et incumbet sol super Prophetas, etc., 271, 2.

— 10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate, *ibid.*

iv, 1. Erit in novissimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium, 260, 1.

— 8. Tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, usque ad te veniet, etc. *ibid.*

vi, 3. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi : quia eduxi te de terra, etc., 236, 1.

— 10. Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, 267, 1.

vii, 1. Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemias, 271, 1.

— 4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus; et qui recutus, quasi spina de sepe, *ibid.*

EX NAHUM.

Cap. i, vers. 9. Non consurget duplex tribulatio, etc., 272, 1.

— 10. Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potentium, 267, 1.

ii, 11. Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum? 272, 2.

iii, 16. Bruchus expansus est, et avolavit, 267, 1.

— 17. Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, etc., *ibid.*

EX HABACUC.

Cap. i, vers. 10. Tyranni ridiculi ejus erunt, 22, 2.

— 13. Quare respicis super iniqua agentes, et taces vorante impio justiorem se? 272, 2,

- 16. Propterea immolabit sanguinem suæ, et sacrificabit reti suo, 273, 1.
 ii, 1. Figam gradum super munitionem, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, *ibid.*
 — 3. Apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, exspecta illum, etc., *ibid.*
 iii, 4. Cornua in manibus ejus, 260, 2.
 — 16. Ingrediatur putredo in ossibus meis, etc., ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum, 273, 1.

EX SOPHONIA.

- Cap. i, vers. 12.* Scrutabor Jerusalem in lucernis, et visibabo super viros defixos in fæcibus suis, 267, 2.
 iii, 1. Væ provocatrix, et redempta civitas, columba, 260, 2.

EX AGGÆO.

- Cap. i, vers. 6.* Seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati, etc., 273, 2.

EX ZACHARIA.

- Cap. i, vers. 8.* Vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta quæ erant in profundo, 261, 1.
 iii, 2. Numquid non iste torris est eritus de igne? 274, 1.
 — 8. Adducam servum meum Orientem, 236, 2.
 — 9. Super lapidem unum multi oculi, 537, 1.
 — 10. In die illa vocabit vir amicum suum subter vitæ, et subter ficum, 274, 1.
 iv, 2. Ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super, etc., 261, 2.
 — 7. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum, 262, 1.
Ibid. Educat lapidem primarium, et exæquabit gratiam gratiæ ejus, *ibid.*

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

- Cap. ii, vers. 15.* Ex Ægypto vocavi filium meum, 427, 1.
 iii, 11. Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto et igni, 506, 1, 2.
 iv, 6. Si filius Dei es, mitte te deorsum, 500, 1.
 x, 16. Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ, 384, 2.
 xii, 7. Si autem sciretis quid est : misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes, 368, 2.
 xiii, 9. Qui habet aures audiendi, audiat, 236, 2.
 — 33. In farinæ satis tribus, 537, 2.
 xxiv, 28. Ubi cum fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ, 390, 1.
 xxv, 12. Nescio vos, 397, 1.
 xxvi, 39. Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, 241, 2.

EX S. MARCO.

- Cap. xii, 14.* Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, 131, 1.

EX S. LUCA.

- Cap. ii, vers. 21.* Postquam consummati sunt dies octo, 610, 1.
 xiv, 7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, 558, 1.
 xv, 21. Pater, peccavi in cœlum, 181, 1.
 xviii, 19. Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus, 606, 1.

- 10. Videbunt lapidem stanneum in manu, etc., *ibid.* 2.
 ix, 1. Domini est oculus hominis, et omnium tribuum Israel, 274, 1.
 — 16. Lapides sancti elevabuntur super terram ejus, *ibid.*
 — 17. Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? *ibid.* 2.
 xi, 1. Aperi Libane portas tuas, et comedat ignis cedros tuas, 267, 2.
 — 2. Ulula abies, quia cecidit cedrus, 267, 2.
 — 17. O pastor et idolum derelinquens gregem, 268, 1.
 xii, 2. Ponam Jerusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu, *ibid.* et 2.
 — 3. Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis; omnes qui levabunt eum, concisione lacerabuntur, *ibid.*
 xiv, 20. Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari, 264, 2.

EX MALACHIA.

- Cap. i, vers. 2 et 3.* Dilexi Jacob, Esau autem odio habui, 275, 1.
 iii, 2. Ipse quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, 265, 1.
 — 16. Attendit Dominus, et audivit : et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus, 275, 2.
 iv, 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae, et sanitas in pennis ejus, 244, 1.

EX LIBRO I MACHABÆORUM.

- Cap. iii, vers. 18.* Non est differentia in conspectu Dei cœli, 181, 1.
 iv, 10. Clamemus in cœlum, et miserebitur nostri, *ibid.*

- xli, 20. Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, 132, 1.

EX S. JOANNE.

- Cap. i, vers. 1.* In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, 575, 1.
 — 9. Lux quæ in tenebris lucet, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, 243, 1.
 — 14. Verbum caro factum est, 507, 1.
 iv, 6. Jesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, 428, 1.
 — 44. (Diabolus) in veritate non stetit, 377, 2.
 xi, 50. Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat, 241, 1.
 xiv, 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, 507, 1.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

- Cap. vii, vers. 43.* Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempham, figuræ, quas fecistis, adorare eas, 589, 1 et seqq.

EX EPIST. AD ROMANOS.

- Cap. v, vers. 10.* Unius delicto multi mortui sunt, 167, 1.

EX EPIST. II AD CORINTHIOS.

- Cap. ii, vers. 15.* Christi bonus odor sumus, 52, 1.
 v, 21. Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, 388, 2.

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. vi, vers. 16. Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei, 517, 2.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. v, vers. 5. Avarus, quod est idolorum servitus, 634, 1.

EX EPIST. II AD THESSALONICENSES.

Cap. ii, vers. 10. Eo quod charitatem veritatis non recepe-

runt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, 459, 2.

EX EPIST. II AD TIMOTHEUM.

Cap. ii, vers. 15. Recte tractantem verbum veritatis, 226, 1.

EX EPIST. I S. PETRI.

Cap. v, vers. 2. Pascite qui in vobis est gregem Dei, 469, 1.

EX EPIST. I S. JOANNIS.

Cap. ii, vers. 16. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, 519, 2.

INDEX

RERUM MEMORABILIA

QUÆ HIC IN DANIELEM, OSEE, JOEL, AMOS COMMENTARIIS CONTINENTUR.

A.

- A, a, apud Latinos et Europeos est vox et suspirium summe affliti,* 488, 1, 2.
Abdenago hebraice et syro-chaldaice quid sonet, 42, 1.
Abilias quando cœperit prophetare, et quid prophetet, 255, 1. ejus hieroglyphica, 259, 2. ejus adagia, 271, 1.
Abelan a Cain occisus in agro Damasceno, 542, 1, 2.
Abies semper viret, nec bieme folia amittit, 473, 1. ejus descriptio ex Plinio, *ibid.*
Abietum ferax est ager Norimbergensis, 49, 2.
Abjectos et viles Deus evehit et eligit, 533, 1.
Ablativi verbis suis juncti, eorumdem significationem adaugent et actionem complent, 237, 1.
Abominatio desolationis quæ dicatur, 430, 2 et seqq. ea triplex est, 133, 1.
Abraham dictus est dilectus Dei, 42, 2. Abraham patriarcha, quomodo sit et Propheta, 220, 1.
Abramii eremitæ erga neptem suam peccantem charitas et zelus, 329, 1.
Absinthii nomine sæpe vocatur peccatum in Scriptura, 380, 1.
Absterni an fuerit apostolus Paulus, 229, 1, 2.
Abstinencia ad multa utilis est, 12, 2.
Abstinere vino et carne Christianos debere, docuit fanaticus nuper hæreticus, 554, 1.
Abstractio animæ a sensibus et sensilibus magna est ad prophetiam dispositio, 227, 1.
Abusus quorumdam concionatorum, verba S. Scripturæ ad novos suos conceptus torquentium, 224, 2.
Abutentes opibus et potentia adversus illos quorum opera fuerunt ea consecuti, arcus dolosus dici possunt, 388, 1.
Accipiter avis Ægyptiis sacra, dicta ab accipiendo, velocissima est, symbolumque celeritatis : vocatur sacra, 438, 1. cur autem Ægyptiis sacra fuerit variæ sunt rationes, *ibid.* 2. est inter aves fecundissima et vivacissima, jubar solis firmiter intuetur, visum et oculos habet acutissimos, *ibid.* trigesimo quoque die feminæ solet conjungi, æque ac sol lunæ : recto cursu et meatu volare solet, est symbolum sacerdotis et sacerdotii, item gloriæ et victoriæ, *ibid.*
Achab posteriorum sanguis cur in Jezrahel effusus sit, 288, 1.
Achan quomodo perturbarit totum Israel, 318, 1, 2.
Achaz rex Juda pressus a regibus Syriæ et Israelis, misit legatos et munera opis petendæ causa, ad Assyrios, 359, 1.
Acheron fluvius infernalis unde dicatur, 244, 2.
Acies angelorum et demonum sunt plurimæ, 165, 1. acies fidelium testium Dei recensetur, 44, 1.
Aconitum (cur) dicatur pardalianches 88, 1.

- Actio sæpe capit pro loco, in quo actio exercetur,* 638, 1.
Actum patiens, sed non consentiens, minime peccat, 182, 2 et seqq.
Actus virtutum quatenus in Deo sint, 293, 1. hi sunt idem quid cum ejus essentia, *ibid.* actus humani speciem sumunt ex objectis, 405, 1. actus peccati transiens post se relinquit in anima peccantis maculam habitualem peccati, per quam Deo fit exosa, *ibid.* et 2. actus venereus epilepsia mera esse videtur, eamque inducit, 342, 1.
Acuta nimis non sunt solidæ, sed sæpe stolidæ, 226, 1.
Adagia minorum Prophetarum, 268, 1, 2 et seqq.
Adam fuit arbor generis humani, 56, 1. Adam mox ut superbivit contra Deum, sensit stimulum carnis, 354, 1. habitavit haud procul ab Eden, 542, 1. an a Deo creatus in agro Damasceno, ex terra rubra, *ibid.* est velut puer, pomo illectus et deceptus, 622, 1. ei quomodo peccandi viam Deus obstruxerit, 308, 1. Adam et Enoc unde vocetur homo, 321, 1.
Adamas symbolum est duri judicij ac rigidæ et inevitabilis vindictæ, item rigidorum et ad misericordiam inflexibilium, *ibid.* adamantis proprietates, *ibid.* et 2.
Adolescens quidam Lusitanus falso adulterii accusatus, Deo tutante mirabiliter protectus et ab igne servatus est, 188, 1.
Adoptamur in justificatione a Deo in filios, 206, 2; 297, 1, 2.
Adoptio divina quam inæstimabile bonum sit, 296, 2. adoptio animæ perfectissima sequitur ex communicazione ipsiusmet personæ Spiritus Sancti et divinitatis, 297, 1, 2. adoptio nostra virtute duplex est : *prima*, qua in filios Dei per charitatem creatam adoptamur; *altera*, qua per gratiam adipiscimur Spiritum Sanctum, ejusque naturam divinam, *ibid.* utraque hic inchoatur per gratiam, in cœlo perficietur per gloriam æternam, *ibid.*
Adoptivi filii Dei sumus, longe perfectius quam sint adoptivi filii hominum, 297, 1, 2 et seqq.
Adoro idem est quo ad ora applico, 455, 2.
Adrianus imperator Gentium coloniam Jerusalem deduxit, et in ea templum Jovi ædificari curavit, ægre id ferentibus Judæis, 134, 2.
Adulatio principibus quam noxia sit, 61, 2. adulatio deceptum significabant Ægyptii per cervum cum tibicine, 587, 1. adulatio reges et principes magis perdit quam hostis, 384, 1.
Adulteri poena mortis digni sunt, 185, 1. id probatur exemplis, *ibid.* adulteram quare jubeatur Osee domum suam abducere, 325, 1, 2. quæ et qualis hæc fuerit, *ibid.* et seqq.
Adulterium a fornicatione quomodo distinguatur, 305, 2.

- A**dventus Christi triplex est, *primus*, in humilitate, *se-
cundus* in gloria, *tertius* ad judicium, 365, 1.
Adversitates faciunt hominem sapere, 64, 2.
Advocati pauperes oprimentes suggillantur, 582, 2.
Agypti reges omnes post Alexandrum Magnum recensentur, 148, 1.
Agyptiis hircus sacer erat, 101, 2. colebant Jovem tam sub specie hirci, quam arietis, *ibid.* **A**gyptiorum priscorum sacerdotum mira abstinentia, 14, 1. **A**gyptiorum bona quo jure abstulerint Hebræi, 281, 2. eorum dogmata constabant symbolis, 223, 1, 2. coluere bovem, canem, felem, accipitrem, ibin, sepidotum et oxyrinchum, 438, 1. valebant equorum robore et copia, 468, 2. quibus hieroglyphicis Deum exprimerent, 576, 1, 2.
Agyptus erat juge et continuum Israelis refugium et asylum, 398, 1. cur in obeliscis et nummis per ibin designetur, 438, 2. est triquetra, *ibid.* in ea non pluit, sed vice pluviae est Nilus exæstuans, 628, 1. ejus messis est in Nilo, *ibid.* ejus fertilitas, *ibid.* ipsa superstitionis et idololatriæ fuit inventrix et magistra, ideoque Judæis vicinis infesta, et vicinia sua noxia, 527, 2.
AElam regio est Persidis, 100, 1.
AEmulatio (quomodo) regnet in aulis, 78, 2.
Aeneanes ex oraculo persuadebant fore ut patriam terram amitterent, si particulam aliquam largirentur, 635, 1.
Aeneas, Troja excisa, fugiens extulit secum penates suos, 331, 2.
Aenigma de Deo Patre, 92, 1, 2. ænigma de somnio, 18, 2. ænigmatibus cur utanur prophetæ, 232, 1, 2. ænigmata e minoribus Prophetis simul collecta, 265, 1, 2 et seq.
Aequalia peccata, et recte facta sunt, juxta Stoicos; sed errant, 252, 2.
Aequitatis symbolum et hieroglyphicum apud Romanos quod esset, 73, 1.
Areis armis veteres usi sunt, 24, 1, 2.
Aeri cur imperium Græcorum comparetur, *ibid.* 2.
Arugo vitium segetum vocatur, quando ventus culmis colorem quasi æneum afflat, 480, 2; 571, 1.
Aerumnis Deus peccatori peccandi vias obstruit, 308, 1.
Aestas dicitur ab æstu, 49, 1. quantam laudandi Dei homini materiam suggesterat, *ibid.*
Aethiopes Judæis ob coloris differentiam et singularitatem, quasi quid rarum et mirabile, in pretio et deliciis fuere, 648, 1. sunt symbolum servitutis, ab olim a Noe servituti addicti, *ibid.* iis cur assimilentur Israelitæ, *ibid.* 2. **A**ethiopem lavare qui dicantur, *ibid.*
Affectus et motus animi in Deo est, 292, 2.
Afra (S.) bono exemplo S. Narcissi ad Christum a meretricia vita conversa est, 53, 1. ab Hilaria matre lenam agente, in stupris educata: sed ambæ post martyres effectæ, 285, 2.
Afrikanæ Ecclesiæ eversio denotata est per arborem eversam, 56, 1.
Agatha (S.) apparens S. Dignæ virginis Hispanæ cum lilio et rosa, eam ad virginitatem et martyrium invitavit, 171, 2. quid presidi responderit, servilem christianorum vitam ei objicieni, 508, 2.
Agathocles et Agathoclea concubinus et concubina Ptolemaei Philopatoris, et pro ipso effeminato regnum **A**gypti regentes, a populo concurrente suspensi sunt, 150, 2.
Aggæus quando et quid prophetarit, 256, 2. ejus hieroglyphica, 260, 2. ejus adagia, 273, 2.
Agri quando sitire dicantur, 306, 2. agrorum limites olim erant lapis, aut erecta columna, aut titulus, 356, 2.
Agrippina Neronis mater quam fuerit in libidines effusa, 285, 2.
Ahias Silonites an Dei jussu Jeroboam regem constituerit, 391, 1, 2.
Ain solet sæpe verti in G, 443, 1.
Alæ dantur ventis ob velocitatem, 349, 2. alæ duæ jejunio addendæ, ut cœlos facile penetret, sunt oratio et justitia, 499, 1, 2.
Alapæ quas Deus homini infligit, sunt velut planus et manuum collisiones, 430, 2.
Albanus (S.) martyr quo pacto ad fidem Christi sit conversus, 53, 1.
Alectoria gemma dat in certaminibus robur, 442, 1.
Alexander Magnus traditus a patre Philippo Aristoteli eruditus, 10, 2. dominatus est pene universæ terræ nostrati, 24, 1. fuit pugnacissimus, *ibid.* ejus fama omnes perceperunt, *ibid.* æri comparatur, *ibid.* magnitudinis ejus præsagia, *ibid.* 2, et 25, 1. ejus complexio fervida et indoles ignea, 25, 2. constans ejus felicitas, 25, 1. amplitudo ejus imperii, *ibid.* 2. vocari se voluit regem terrarum ac mundi, *ibid.* incredibilis mentis ejus vigor, ingenii solertia, et animi fortitudo, *ibid.* et ejus temperantia, *ibid.* singularis ejus continentia, 26, 1. ejusdem magnanimitas, *ibid.* ejus justitia, aequitas, liberalitas in suos, 26, 1, 2. illius in victos clementia, et in omnes, etiam hostes, fides, *ibid.* ejusdem eruditio, et in doctos amor ac favor, *ibid.* illius cum gymnosophistis decem quos bello ceperat, dissertatio, 27, 1. alia multa in eo admiranda, *ibid.* fuit miraculum naturæ, *ibid.* fuit fidelibus datus in speculum et cotem virtutis, *ibid.* 2. ejus axioma, 27, 2. ejus ebrietas, quia potando se occidit, *ibid.* successorum ejus Ptolemæorum libido, *ibid.* et 28, 1. comparatur pardo sive pantheræ per omnes hujus belluae proprietates, 88, 1, 2. illius ambitio, *ibid.* ejus virtutes et vitia paucis describuntur, *ibid.* pavoni confertur, 89, 1. est hircus ob decem analogias, 101, 1, 2. ejus natales spurii, *ibid.* cur voluerit haberi filius Jovis Ammonii, *ibid.* ejus brevis vita, transversus obtutus, forma, 102, 1. ejus aviditas bibendi et prædandi, *ibid.* venit ab Occidente, quia Macedonia Occidentalis est respectu Asiæ, *ibid.* 2. ejus celeritas in conficiendis bellis et victoriis, *ibid.* quare dictus magnus miseriarum gurges, et Orientis atrocissimus turbo, 102, 2. ejus gloria et casus, 103, 1. quo anno ætatis mortuus, idque morte violenta, *ibid.* vitæ et gestorum ejus breve compendium chronologicum, *ibid.* 2. quomodo Jaddo pontificem Judæorum adoravit: ex eo didicit victoriam de Dario referandam, *ibid.* præsagia mortis ejus, 104, 1. mors ejus describitur, *ibid.* 2. ejus morientis ultima verba, *ibid.* et 2. ejus successores, 105, 1; 148, 2. ejus miseria, 104, 2. veneno creditur extinctus ab Antipatre ejusque filiis, *ibid.* vocatur rex fortis ab Angelo, 148, 2. ejus gloria quanta fuerit, 89, 1. quomodo dicitur Alexandria conditor, cum eam tantum illustrarit, 251, 1. unde se hominem esse perciperet, 342, 2.
Alexander Mediceus, dux Florentiæ, iniquum divitem juste multatavit, 187, 2.
Alexander Severus imperator cur Alexandri nomen accepit, 148, 2. voluit esse Alexander, *ibid.* in larario suo habebat imagines Abrahæ et Christi, 331, 2.
Alexandrini Senatum populumque Romanum rogarunt ut Ptolemæi Epiphanis pueri ab Antiocho Magno oppressi, curam susciperent, 150, 2.
Alexius iconoclasta imperator ausus violare templum S. Michaelis Conis, poenas dedit, 166, 2.
Alfonsus rex Congensis coelesti auxilio et auspicio retulit victoriam de fratre suo infideli, 148, 2.
Alfonsus Aragonius, cum cogitaret bellum, per suos tacite rumorem spargebat, curipse hoc suscipere deberet, 380, 1.
Alicariæ meretrices quæ dicerentur, 318, 2.
Alienatio a sensibus fieri potest vi morbi, opera etiam dæmonis, 246, 1, 2.
Altare, quale Judæi exercent tempore captivitatis Babylonicae, 42, 2. altare holocaustorum symbolum est mortificationis, 500, 2.

- Altaria et sacella in montibus locisque excelsis erigebantur, 416, 1.
- Alternum dare sanguinem quid sit, 335, 2.
- Amalthea Hammonis uxor, nutrix Jovis, fuit capra, 101, 2.
- Amantis anima magis est ubi amat, quam ubi animat, 405, 1, 2. amantes perdite in suo corpore velut mortui sunt, *ibid.*
- Amapha erat sudarium sacerdotum : quis ejus usus et etymon, 500, 2. videtur fuisse manipulus, *ibid.*
- Amaritudinum nomine saepe in Scriptura peccata vocantur, 580, 1, 2.
- Amasias pontifex idolorum in Bethel cur accuset Amos apud Jeroboam regem, quasi regni perturbatorem, 614, 2. suadet Amos ut Bethel relicta transeat in Judam, 615, 1. ejus uxor fornicata est, Deo eum puniente, 618, 2. et aliæ ejus poenæ, *ibid.*
- Amatores et amasii vocantur idola, 307, 2.
- Ambitio præponderat concupiscentiæ carnali, 159, 2. ambitio Alexandri Magni quanta, 89, 1. ambitio est velut statera dolosa, 450, 2.
- Ambitiosi reges non regnant ex Deo, 392, 2. ambitiosi vento pascuntur, 445, 1, 2. illis variis modis viam ad honores obsepit Deus, 308, 1.
- Amburbiales supplicationes in diebus Rogationum, cur apud Christianos institutæ sint, 481, 1.
- Amiantus lapis constantiæ symbolum est, 442, 1.
- Amicus capitur interdum pro marito, 326, 1.
- Ammon eremita quam fuerit in se denudando circumspectus, 46, 2.
- Ammon fuit filius Lot ex ejus incestu cum filia, ejus posteri fuere Ammonitæ, habitarunt in Arabia, 546, 2.
- Ammonitæ et a Chaldæis, et ab Antiocho, et a Machabæis vastati fuere, 547, 2. sunt imago libidinis et libidinosorum, *ibid.* Ammonitis qualem restitutionem promittat Deus, 643, 2.
- Amor cæcus rationem excœcat, 181, 1. amor est telum violentissimum, quod hostes expugnat, eosque ex inimicis amicos facit, 430, 1. amoris magnes est amor, 429, 2. est velut quedam ebrietas, 485, 1. amore trahuntur homines, bestiæ funibus, 429, 2. amor est impulsus et motus, quo amans fertur in rem amatam, eique se unit, 405, 1, 2. quisque talis est, qualis ejus amor est, *ibid.* amor vocatur ignis et clibanus succensus, quia ciet motum cordis vehementem, qui causat calorem et æstum in homine, 381, 2. liquefacit partes corporis, et spiritus vitales eo resolvuntur, *ibid.* ex vehementi amore sequitur deliquium et languor, *ibid.* amor divinus extassit facit, 245, 2. amor fraternus Dei et hominum gratiam conciliat; ex eo quæ bona proveniant, 545, 1, 2. ejus bases quinque sunt, *ibid.* amor turpis res impotens est, alteri emancipata, vilis sibi, 405, 1, 2.
- Amorrhæi inter cæteros Chananæos robore et sævitie eminebant, 583, 2.
- Amos quando prophetarit, et quid prophetet, 255, 1; 530, 1, 2. ejus hieroglyphica, 258, 2. ejus ænigmata, 266, 2. ejus adagia, 270, 2. an idem sit cum patre Isaiae : negatur, 530, 1. fuit Thecuites, *ibid.* fuit rusticus, armentarius, bubulcus, caprarius, hinc crebro sumit similitudines a rure, *ibid.*; 615, 1, 2. fuit Osée coævus, ideoque in nonnullis codicibus secundus inter duodecim minores Prophetas ponitur, 530, 2. directe prophetat ad Israel, obiter quoque ad Judam, 629, 2. utrique captitatem prædictit, scelerata Israelis incusat, sed Israelitas promissione Messiæ consolatur, 530, 2. percussus fuit ab Amasia sacerdote Bethel, 531, 2. vecte per tempora transfixus est in Bethel, sed in Thecue exspiravit, *ibid.* quæ causa martyrii ejus, *ibid.* an per biennium tantum prophetarit, *ibid.* quid nomen ejus sonet, 533, 1. pastorali more loquitur, 536, 1. precibus avertit cladem ab Israel, 609, 2. 610, 1. cur ei Amasias suadeat ut e Bethel in Judam transeat, et quibus argumentis, 615, 1.
2. cur et quomodo se Prophetam esse neget, *ibid.* 2. ab armentis subito raptus est a Deo factusque propheta, 616, 1. ejus nominis quod etymon, *ibid.* quomodo se humiliando, a Deo exaltatus sit, *ibid.* victibat sycomoris, *ibid.* 2. degebat in Bethel, et prophetabat contra vitulos, 623, 2.
- Amphora quot caperet sextarios, 191, 1.
- Anachoretæ qua ratione spiritum propheticum sint adepti, 227, 2.
- Ananias quid sonet hebraice, 12, 1. — *Vide Tres Pueri.*
- Anates paleutriæ alias in retia inducunt, 384, 2.
- Ancillæ etiam Spiritum Sanctum accipiunt, 508, 1, 2.
- Angelicum est alios purgare, illuminare, perficere, 170, 2.
- Angelus attulit S. Cæcilie et Valeriano ejus sponsu coronas e rosis et liliis contextas, 172, 1. angelus vocatur vigil ob quatuor causas, 57, 1. angelus tripliciter ora leonum in lacu conclusit, ne Danieli nocerent, 81, 1. angeli, id est ultimi ultimæ hierarchiæ, sunt custodes singulorum hominum, 142, 1. angeli cur vocentur filii Dei, 50, 2. sanctos in tormentis corroborant, *ibid.* eorum pernicitas et velocitas quanta, 193, 2. suis in bello dant openi et victoriam, 145, 1. sunt castitatis amatores et tutores, 46, 2. in eorum conspectu agimus quidquid agimus, 94, 1. comparantur ventis, 86, 1. eorum natura, beatitudo, numerus describitur, 93, 2. an Angeli alii ministrantes, alii assistentes sint, *ibid.* quomodo invicem concordes sint, et tamen interdum a se mutuo dissentiant, 142, 1. optime depinguntur quasi fulgura, 139, 1, 2. aliæ eorum proprietates notantur, 139, 2; 140, 1, 2. angelorum inferiorum a superioribus illuminationes et allocutiones, 107, 1. angeli boni primo terrent, deinde corroborant, 140, 2. angeli tres, Hebræorum curam habebant, 137, 2.
- Angelorum Gabrielis et angeli Persarum pugna quomodo peracta sit, 142, 1. 2. quid quisque in causæ suæ propugnationem allegarit, *ibid.*
- Angelus fortis Apocalypseos, 5. an ad litteram sit Osee propheta, 277, 1. angelus in punctum loci se contrahit, 219, 1. angelo quomodo prævaluerit Jacob, 447, 1. angeloi loquuntur homini in phantasia per motum humorum et spirituum animalium, 246, 1.
- Angelus Græcorum quid a Deo petierit certantibus Gabriele et Angelo Persarum, 145, 1, 2.
- Angustia temporum, de qua loquitur Daniel, duplex est, 127, 1.
- Anima est tota in qualibet corporis particula, 219, 1. eam divinitatis participem esse censuere veteres philosophi, 247, 1, 2. ejus immortalitas, 581, 2. triplici vinculo Deo colligatur, 305, 2. anima separata a sensibus fit apta ad impressiones Dei, angelorum vel dæmonum recipiendas, ac per eas ad accipiendam notitiam futurorum, 247, 2. anima cuiusque est velut urbs, 579, 1. animæ quæ sit lingua, 246, 1. virgo est conditione naturæ, quomodo fiat meretrix, et quomodo castitatem recuperet, 486, 2. deserto creatore creaturas amans, adultera est, 326, 2. animæ summa cum Deo unio, ac quasi deificatio, unde sequatur, 298, 2. anima quævis fidelis allegorice vinea est, 411, 1, 2 et seqq.; 649, 2. quomodo ea colenda, 646, 2. est tabernaculum Davidis, id est domus et templum Christi : quæ domus hujus partes, *ibid.* est item hortus, imo paradisus Domini, *ibid.* quomodo is colendus, *ibid.* amans Deum, fit spiritualis, angelica, divina, et in Deum quodammodo transit illi inberendo, 405, 1. quomodo fiat sponsa Dei, 314, 2. anima quæ erat domus Dei, peccato fit dominus scelerum et diaboli, 579, 1. ejus tunc miseria et squalor, 486, 2. item cloaca et latrina, 395, 2. anima pœnitens quomodo ad Deum revertatur, 308, 2. et Deo tunc æque grata est, 311, 1. anima arida non parit nisi monstra et venena vitorum, 307, 1. animas Dei oblitas, quomodo Deus deserat et denudet, 306, 2. animas fornicantes et sordidas qui convertunt et depu-

- rant, semper sunt Osee fornicariam ducentis, 287, 1. animæ diversis illusionibus et artibus a dæmone decipiuntur, 384, 1, 2. animarum ad Christum convertendarum tempore Evangelii quanta futura copia, 645, 2. animas quasnam et quates Christus suos ad inferos descensu e Purgatorio liberarit, 464, 2. animæ immortalitatem crediderunt Gentiles, ac resurrectionem corporum, 168, 1. Animalia unicornia habent cornu inter oculos, 102, 2. animalia rapacia sunt timida in venatores, 88, 1, 2. animalia parvum habentia cor magnanima et generosa sunt, quæ vero magnum timida, 218, 1. Animalia quæ ejusdem generis sunt, periculum mortis sentientia, in unum agmen congregantur, 336, 1. eorum naturales obsecrationes quæ, quibus tacite ab auctore naturæ cibum et potum sibi congruum petunt, 499, 2. animalia parva mirum magnumque Dei artificis opus sunt et artificium, 608, 2. Anna mater Samuelis quam erga Deum grata exstiterit, 407, 2. Annulus symbolum est amoris, fidei, auctoritatis, honoris, excellentiæ, 261, 1. Annus tertius Joakim, quo Nabuchodonosor in Jerusalem venit, an sit undecimus ejusdem, 8, 1, 2 et seq. annus 7 Artaxerxis an sit 20 ejusdem regnantis cum patre, 125, 2. annus, quo Nabuchodonosor vidi somnium, et in bestiam mutatus est, 55, 1. annus secundus Nabuchodonosoris monarchiæ fuit regni ejusdem 37, *ibid.* Annum Hebrei vocant *iamim*, id est dies, cur, 328, 2. annus magnus quis mathematicis sit, 300, 2. annus septimus Hebrei erat annus remissionis, et totus sacer, 625, 1. annorum omnium quibus Prophetæ prophetarunt, subductio, 254, 1, 2 et seqq. Anni Græcorum incipiunt ab anno 12 Seleuci regis Syriæ et Asiæ, 105, 1. anni 70 captivitatis Babylonicæ unde et quomodo computandi, 67, 1, 2. Antichristus cur dicatur cornu parvulum, 90, 2. non erit diabolus, sed homo, 91, 1. ejus humana prudentia et sapientia, superbia, virtutis simulatio per oculos hominis denotantur, *ibid.* nondum venit, *ibid.* est cornu undecimum, 96, 2. sanctos conteret, abolebit festa omnia et omnem legem tam Christi quam Mosis, 97, 2. regnabit tres annos cum medio, *ibid.* eum occidet Christus spiritu oris sui, 109, 1. an ipse sit abominatione desolationis in templo futura, 131, 1. templum Judaicum finget initio se in gratiam Judæorum exstruere velle, sed illud sibi ædificabit, 135, 2. erit hypocrita, 154, 1. ejus mores et gesta describuntur, 159, 1, 2. erit mulierosus, se tamen castum simulabit, *ibid.* colet diabolum suum Maozim, *ibid.* cur vocaturus eum sit Maozim in plurali, non Maoz, 160, 1. ipse erit atheus, volet tamen coli ut Deus, *ibid.* et 2. habebit locum aliquem occultum idoli sui, quem ab eo et a munitione vocabit Maozim, *ibid.* 2. ejus regia erit Jerusalem, 161, 1. tres reges initio debellabit, mox reliqui se ei subdent, *ibid.* cur Idumeis, Moabitis et Ammonitis parciturus sit, *ibid.* 2. in Orientem et Aquilonem se conferet audiens ibi bella contra se consurgere, *ibid.* locus solii ejus erit Apadno, 162, 1. erit is locus iuxta Sion, *ibid.* 2. iuxta Jerusalem cædetur, nec aliquis ei poterit auxiliari, 163, 1. non gladio, sed fulmine est occidens, *ibid.* ut probet se Christum, finget se mori, et post mortem ad vitam resurgere, sed a Christo deturbabitur in tartara post fictam resurrectionem, 163, 2; 164, 1, 2. occidetur a Michaeli, *ibid.* tollet iuge sacrificium, Missam scilicet, cur, 175, 1. dicitur abominationis, *ibid.* et 2. ejus desolatio durabit tres annos cum medio, *ibid.* quamdiu regnabit, 175, 1, 2. an in templo Salomonis sit deitatis sibi solium erecturus, *ibid.* post ejus mortem dabuntur 45 dies ad pœnitendum, 176, 1. eo sublati fideles libere fidem profitebuntur, *ibid.* et 2. Antichristus cur sedem regiam in Jerusalem constituturussit, 347, 1. eum in fine mundi dabit Deus Judæis et improbis in furore suo, 459, 2. Antichristus aliquomodo vocari potest ventus urens, 466, 2. Antigonus rex quomodo responderit Pyrrho Epirotæ ad singulare certamen provocanti, 102, 1. Antiochia urbs dicta Emath hebraice, 594, 2. ejus situs, *ibid.* cur ab Amos dicta Magna, *ibid.* in se quatuor urbes complexitur; qui eam condiderint, 595, 1. eadem civitas vocatur nunc Antiochia, nunc Epiphania, nunc Reblata, *ibid.* fuit terminus Terræ sanctæ ad septentrionem, *ibid.* eam Salomon valide communivit: obtinuerunt eam deinde Syri, *ibid.* postea ab Alexandro Magno occupata et ab Antiocho illustrata est, *ibid.* 2. urbes decem sunt dictæ Antiochia nomine, *ibid.* Antiochia quoque dicta Hebræis Chama et Chamma, id est sol, *ibid.* quomodo Emath ponatur aliquando intra fines Damasci, *ibid.* hæc postea Nestorii hæresim amplexa ingenti terræ motu concussa est, 535, 2. Antiochenorum duorum martyrum mira constantia, 43, 1. Antiochus Epiphanes an et quomodo dicatur cornu parvulum, 105, 1. fuit filius minor natu Antiochi Magni, *ibid.* ejus victoriæ, *ibid.* Alexandriæ obsidionem relinquere coactus, omnem iram in Judæos effudit, *ibid.* et 2. in Judeos quomodo sit grassatus, *ibid.*; Deum quomodo ad bellum provocarit, 106, 1. Jovis Olympii simulacrum in templum induxit, *ibid.*; 156, 1; 160, 1. ipse præ fastu deum se esse putabat, 106, 1; 159, 2. sacrificia omnia sustulit, 106, 1. templum Salomonicum quomodo honore privarit, aliaque ejus gesta contra Deum, *ibid.* comparatur dæmoni, *ibid.* ejus persecutio quamdiu durarit, 107, 1, 2. in multis fuit typus Antichristi, 118, 2. ejus feritas, *ibid.* a Dei manu interficitur et cadit, 109, 1. ejus mors unde potissimum ortum habuerit, quam ea tetra fuerit, *ibid.* hircus non immerito dici potest, *ibid.* 2. an ipse induxit abominationem desolationis in templo, 131, 1, 2. fratri Seleuco Philopatori in regno Asiæ et Syriæ succedit, excluso Seleuci filio Demetrio legitimo hærede, fugiens Roma clam ubi obses erat, 105, 1. fuit typus et præcursor Antichristi, 153, 2. unde dictus Epiphanes, *ibid.* ejus scurrilis et mimica indeoles describitur, et mores, *ibid.* et seq. ejus simulata hypocrisia, 154, 1. quomodo Ægyptum subegerit, *ibid.* 2. ejus calliditas, *ibid.* non potuit Philometorem plane subjugare, *ibid.* bis in Ægyptum venit, 155, 1; 161, 1. a Popilio Lenate Ægypto excedere jubetur, 155, 1. per duces urbem Jerusalem affixit, *ibid.* 2. ejus vita describitur, 159, 1, 2. Deum Judæorum sprevit et persecutus est, 159, 2. parvi fecit deos suos patrios, *ibid.* 1. fuit mulierosus, *ibid.* 1, 2. quomodo dicatur colere Deum Maozim in loco suo. 159, 2; 160, 1. cur in urbes Judææ idola invexerit, 160, 1. an in Libyam et Ægyptum prædandi causa excurrerit, 161, 2. rumor de defectione Judæorum quomodo eum terruerit, *ibid.* ejus morbus et mors, 162, 2. quamdiu Jerusalem et arcem Sion occupavit, 174, 2. Antiochus Epiphanes cur accipitræ cognomen assumpserit, 438, 2. dira a Deo morte punitus fuit, 541, 2. quia fratris filium regno paterno exclusit, hinc perpetua bella fuere inter utriusque posteros, 545, 1. Antiochus Magnus vicit a Romanis, pacem cum iis init filio suo Antiocho Epiphanie ipsis obside dato, 105, 1. totam Syriam Ptolemaeo Philopatori adimit proditione Theodoti, 150, 2. in prælio contra Philopatorem infeliciter pugnans pene captus est, *ibid.* quas conditiones cum eo inierit, *ibid.* melius pugnavit contra Ptolemaeum Epiphanem, *ibid.* sed a Romanis vicit est, *ibid.* et 151, 1. Scopam ducem Ægyptiorum obsedit, 151, 1. Judæam invasit, *ibid.* et 2. filiam suam Cleopatram Ptolemaeo Epiphani uxorem dedit, quod speraret ab hac illum occidendum, sed contra accidit, *ibid.* multas cepit insulas, *ibid.* vincitur a L. Scipione, *ibid.* cur non crediderit Hannibali recte consulenti, *ibid.* pacem a Romanis petit,

- 152, 1. quibus conditionibus ea ei data, *ibid.* et 2. iterum ab iis cæditur, *ibid.* 2. occiditur in prælio contra Elymæos, 153, 1. ejus filii, *ibid.*
- Antiochus Theos, unde ita dictus : feliciter contra Ptolemaeum Philadelphum dimicavit, 149, 2.
- Antipas martyr testis fidelis Dei, 441, 1.
- Antiquus dierum est Deus Pater, cur, 91, 2.
- Antoninus Caracalla imperator animum Alexandri Magni in se transmigrasse dicebat, 148, 2.
- Antonini M. philosophi imperatoris in uxoriis adulteriis lenocinium, 289, 1.
- Antonio (S.) morienti occurserunt angeli, 143, 1.
- Antonius (S.) de Padua omnes vita sua ad perfectionem animabat, 230, 2.
- Apadno quæ civitas, ubi sita, et quid proprie significet, 162, 1. id nomen primum indetur loco tempore Antichristi, *ibid.* et 2. erit juxta Sion, *ibid.*
- Apellis hæretici blasphemia de Prophetis priscis, 232, 1.
- Aphraatis eremitæ responsum ad Valentem imperatorem arianum, 561, 2. precibus suis locustas a cuiusdam agro abegit, 481, 2.
- Apim coluerunt Ægypti et Hebræi Ægypto degentes, quin et hi in deserto : renovavit hunc Jeroboam rex, 414, 1, 2; 418, 1, 2. ejus forma, 414, 1, 2. vitulus quem Hebræi in deserto formarunt, est Apis, 393, 1.
- Apocalypses prophetæ multæ adhuc futuræ sunt : eas particularibus eventibus accommodare, error est, 352, 1, 2.
- Apologus tres habet partes, μῦθον, προμύθιον et ἐπιμύθιον, 558, 1, 2. apologis cur frequenter utantur Prophetæ, 243, 2.
- Apostatae a fide vel Ordine sunt onagri solitarii, 390, 2.
- Apostoli stellis comparantur, 172, 2. apostoli an comedent carnes, et biberint vinum, 229, 2. sunt testes Dei fideles, 441, 1. sunt vinitores vineæ Domini, 317, 2. eorum plerique e Nephtalim et Zabulon prognati, 294, 1; 295, 2. eos turbatos et pavidos quomodo Christus resurgens in spem erexerit, 319, 1.
- Apostoli et viri Apostolici Evangelium prædicantes nullam habuere quietem, sed passim a variis gentibus urbibusque vicinis cogebantur, ut pari modo apud se evangelizarent, 645, 2. montibus mustum dulcissimum stillantibus comparantur, 646, 1.
- Apponi ad patres quid sit, 339, 1.
- Appositus est ad patres suos, non de solis justis et beatis dicitur, 189, 2.
- Apum industria in parvo corpore, 218, 1.
- Aqua si effundatur, nihil ejus vasi adhæret, quia tota liquida et fluida est, 356, 2. aquæ pluviae quomodo dicantur in nubibus ligari, 349, 2.
- Aquilarum pili Nabuchodonosori regi in bestiam mutato adnati, 64, 1. aquila biceps est imperii Romani insigne, cur, 28, 1.
- Aquilæ interpretis S. Scripturæ editio ab Hebræis probatur, 10, 1. aquilæ vulturinæ an clangant, 390, 1. eorum vox quam cæteris avibus terribilis, *ibid.* eæ in Scriptura non raro aquilæ vocantur, *ibid.* aquila vera pene muta est, et vix vocalis, idque ex animi magnitudine, qua fame et siti superior animæ affectus regere novit, *ibid.* non cadaver, sed prædam vivam quærerit, *ibid.*
- Aquilo symbolice est diabolus, 512, 1.
- Aquilonares reges dicuntur reges Syriæ, 150, 1.
- Aquilonaris ille tyrannus, quem significat Joel venturum contra Jerusalem, quis sit, 501, 2. ostenditur esse Holofernem, et cur, 502, 1.
- Arabica interpretatio Bibliorum duplex est, quam adornavit Illustrissimus D. Sergius Risius Archiepiscopus Damascenus, 222, 2.
- Aranearium quoddam genus, quod alios ridendo cogit emori, alios flendo, desiderio suorum, 383, 2. aranearium telas sibi texit quilibet peccator, 393, 2.
- Arare Hebræis idem est quod operari et colere, 420, 1.
- Aratio cum incipienda erat, solebant Gentiles sacrificare dæmonibus, petentes fertilitatem, 400, 1.
- Arbel quis locus, vel princeps, et unde urbs illa appellata, 424, 1, 2. verisimilius est idem esse per crasin quod Jerobaal, id est Gedeon, *ibid.* quid significet, *ibid.*
- Arbitrio (in) cujusque est, quamdiu vivit, vel bene agere, itaque mereri gloriam ; vel male, itaque reprobari, 436, 2.
- Arbor nulla vite feracior, si ejus tenuitatem spectes, 410, 1. arbor scientiæ boni et mali putatur fuisse ficus, 617, 2.
- Arbores incisæ in Brasilia dant potum, 307, 2. arbores amissæ cortice exarescent, 485, 2. arbore denotatur Nabuchodonosoris imperium gloriosum, late patens et robustum, 56, 1.
- Arca testamenti Ecclesiæ triumphantis typum gessit, 527, 1.
- Archangeli sunt custodes provinciarum, 142, 1.
- Arcturus quæ sit stella, an Pleiades et Vergiliæ, an Cynosura, an suculæ, an ursa minor : auctor censem esse stellam ingentem in sidere Bootis post caudam ursæ majoris, 580, 2; 581, 1. quando oriatur ; suo ortu et occasu grandines et procellas ciet, 581, 1. ei Ecclesia comparatur, 582, 1.
- Arcus capitul in Scriptura pro viribus et armis, 290, 1. arcus dolosus quis dicatur, et quomodo efformetur, 387, 1.
- Ariani quantopere in orthodoxos sævierint, 158, 1.
- Aries imago est ducis et regis, 100, 1. per arietem representatur rex Persarum, *ibid.* 2. — *Vide* Persæ.
- Arietis machinæ bellicæ descriptio, 100, 1, 2.
- Arioli qui proprie sint, 18, 1.
- Aristippus post naufragium ob geometriam liberaliter a Rhodiis habitus, 11, 1.
- Aristoteles deinde dictus est Plato, cur, 295, 1. est ingeniorum apex, 101, 1. ei traditus est Alexander Macedo a patre erudiendus, 10, 2.
- Armenia Hebræis dicitur Aram vel Harmon ab Aram filio Sem, primo incola ejus, 568, 2. ipsa montosa est, in ejus montibus primum quievit arca Noe, estque provinciis omnibus excelsior, *ibid.*
- Armenta sunt majora animalia, et unde vox ipsa formetur, 615, 2.
- Arnulpho (S.) apparuit S. Michael, pollicens se ei ducem fore ad beatam vitam, 143, 1.
- Arsinoe Ptolemæi Philopatoris soror, quomodo milites ad fortiter pugnandum excitarit, 150, 2.
- Artaba mensura triplicis generis est, 19, 1, 1.
- Artaxerxes dedit Esdræ copiam reædificandi Jerusalem anno regni sui septimo, 125, 2. Artaxerxes idem sonat quod magnus bellator, 76, 2.
- Asa rex Juda millionem Æthiopum cecidit, et an hujus victoriae meminerit Abdias, 641, 1.
- Ascendere cur gentes in vallem Josaphat jubeantur, 521, 2. ascendere Hebræis idem est quod ire, pergere, *ibid.* est verbum militare et forense, *ibid.* ascendere capitul interdum pro crescere, 300, 2.
- Ascensio Dei quæ dicatur, 638, 1. ascensus nomine cur dicatur transitus ab infidelitate, gentilismo et judaismo, 300, 2.
- Asia minor olim paradisus, jam multis in locis inulta squalet, 617, 1.
- Asini ænigma, 86, 2.
- Aspericolensis Deipara prope Lovanium, 523, 1.
- Aspiratio hebræa *H* sæpe per *A* vertitur, 488, 1.
- Assistentes angeli qui dicantur, 93, 2.
- Assuerus quid sit, et quis, 111, 1, 2. fuit proprie agnomen commune multis regibus Persarum et Medorum, *ibid.* Astyages fuit pater Darii Medi, et avus Cyri, per filiam Mandanem, 76, 1. naturaliter obiit, Cyro adhuc existente puerò, *ibid.*; 189, 1. quando regnare cœperit, 188, 2. et in regno Persarum successit Cyrus, *ibid.*
- Assyrii sub specie locustarum, aliquando Prophetis demonstrati, 608, 1. Assyriorum avis cur dicatur columba, 439.

1. cladem et cœlestem vindictam Sennacherib quomodo expresserint, 397, 2.
 Atalantæ virginis celeritas in currendo, 102, 2.
 Athanasius (S.) quasi Atlas Ecclesiæ, unus stetit pro fide contra Arianos, 441, 1. tam modico flexu vocis faciebat sonare lectionem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti, 587, 2.
 Athei putant animam esse mortalem, sed in morte se-
cūs comperient, 586, 1, 2.
 Athenæ eloquentiæ laude semper claruerunt, 24, 2.
 Athenodorus philosophus Augusti Cæsaris magister fuit, 10, 2.
 Atra et mœsta omnia videntur mœstis et pavidis, 523, 1.
 Attacus vel attelabus est locusta alis vestiri incipiens, 479, 1, 2.
 Attributa omnia in Deo habent verum esse, in creaturis umbram essendi tantum, 606, 1. attributa Dei quindecim nobis imitanda sunt, 497, 1, 2 et seq.
 Auctor alicujus rei in Scriptura quis esse dicatur, 251, 1.
 Auctor cur in Prophetas hunc commentarium scripsiterit, 222, 1. ejus brevitas, 224, 1. auctoris in Scripturis volutandis assiduitas, 235, 1, 2. suam in iis intelligendis ob earum obscuritatem fatetur inscitiam, *ibid.* Deo, si quid in eis potest, acceptum refert, *ibid.* auctoris ad SS. Prophetas oratio, et aspiratio ad mortem pro Christo appetendam, 194, 1, 2; 195, 1, 2.
 Audæ episcopi Persæ martyrium, 157, 2.
 Augustinus (S.) laudat parentes, quod se supra vires rei familiaris in studiis aluerint, 11, 1. Augustinus et Pelagius ejus antagonistæ, eodem anno diversis in locis sunt nati, 76, 2. damnat parentes qui bona sua dant monasteriis, cum habeant filios indigentes, 369, 2. quam difficulter se a concubinatu expedierit, 419, 2.
 Augustus Cæsar quid responderit Antonio ad duellum provocanti, 102, 1, 2. quomodo nepotes erudiri curarit, 11, 1. an Christum in visione sibi ostensum adorarit, 32, 2. ejus obitus, 239, 2. noluit vocari Dominus, cur, 320, 1. ejus libidines et sordes imitatæ sunt duæ Juliæ, filia et neptis, 345, 1, 2. ejus ossa legerunt primores equestris ordinis, tunicati et discincti, pedibusque nudis, 602, 1.
 Aula quomodo sit tractanda, 78, 2.
 Aulici (qui vere sapient.) 81, 1. eorum miseriæ quantæ sint, 80, 2.
 Aurea sæcula dicebantur sæcula antiqua et bona, 644, 1.
 Aureola quid sit, 171, 2.
 Auris corporis in Scriptura significat aurem mentis, puta voluntatem, 237, 2.
 Auroræ comparatur Christi ortus tum divinus, tum humānus, 366, 1.
 Aurugo est morbus segetum, cum culmi ex nimio humore marcescunt et pallescunt in mēdum auri, 571, 1. — *Vide* Rubigo.
 Aurum argento est dignius et durabilius, 21, 2. aurum est occultus hominis tyrannus, 450, 2. aurum infectum quid dicatur, quid factum, quid signatum, 309, 1. auro expugnantur omnia, 430, 1, 2.
 Austri reges dicuntur reges Ægypti, 50, 1.
 Avari cujusdam mortui cor in arca nummaria repertum, 385, 2.
 Avaritia a Christo destruenda asseritur, 69, 2. avari-
tia et luxuria sunt duæ filiæ diaboli et insatiables, 379, 1. avaritia idolorum est servitus, 393, 1; 634, 1. per æruginem vel rubiginem designatur, 484, 1; 636, 1. avaritiæ et avarorum typus Gaza urbs Philistium est, 547, 2. item dipsas serpens, 635, 1. avaritia in capite esse quomodo intelligatur, 634, 1. ipsa fons est omissis mali, *ibid.* ex ea manant omnia mala Ecclesiæ, *ibid.* laicorum avaritia fovetur valde Ecclesiasticorum cupiditate, *ibid.* ipsa duriora jubet quam Christus, 635, 2. aliae ejus et avarorum proprietates e SS. Patribus affe-
 runtur, *ibid.* et seqq. est bonorum ariditas officiorum, *ibid.* militat diabolo, 636, 1. hominem oculis, auribus, pedibus truncat, *ibid.* comparatur hydræ, Briareo centimano, et Scyllæ omnia sorbenti, *ibid.* et seqq. omnes vulnerat, et tam anima avari, quam corpori proximi lethale sæpe vulnus infligit, 635, 1.
 Avarus dicitur quasi avidus æris, 633, 2. avaro quomodo viam ad lucra Deus sepiat, 308, 1. quomodo se ad Deum convertet, 467, 2. avarus hypocrita est velut dolosus mercator, 449, 2. avarus et fraudulentus mille habent artes capiendi et attrahendi opes aliorum, et ita quidem occulæ, ut hi sua damna, nisi depauperati, non sentiant, 621, 2. inferno est similis, cur, 636, 1. item insanienti, *ibid.* fidem et gratiam perdit, *ibid.* quod avide concessit, hæres luxuriosus sæpe prodigit, *ibid.* ejus oculi, aures et pedes quales sint, *ibid.* avari in die judicii acerrime punientur, 519, 2. aurum et argentum suum faciunt idolum, 393, 1. justo Dei judicio penuria puniuntur, 626, 1.
 Aves ovis aut pullis sublatis e nidi loco fugiunt, secus columba, 384, 1. avis Ægypti est ibis vel accipiter, cur, 438, 1.
 Azael rex Syriæ Israelitas vicos ferreis plaustris trituravit, 540, 1.
 Azarias quid hebraice significet, 12, 1. — *Vide* Tres Pueri.

B.

- Baal, Baalim, Bel, Bal, Belus, erat Jupiter Belus, pri-
mus deus Chaldæorum, 309, 1; 320, 1, 2.
 Baal Poenæ idem est quod Dominus, 55, 1.
 Baal hebraice quid significet, 310, 2.
 Baal Pharasim quis sit locus, 340, 2.
 Babylon condita a Nemrod, aucta est a Semiramido, post
eversa; sed restituta et magnificentissimis operibus ador-
nata est, 62, 2. ejus amplitudo, murorum spissitas, ha-
bita fuit orbis miraculum, 63, 1; 75, 1. quomodo sit
capta a Persis, 75, 1, 2, et quando, *ibid.* 2. in Babylone
moris fuit, ut satrapa portæ urbis præsidens ne ninem
in urbem ingredi permetteret, nisi prius statuam regis
adorasset, 38, 1, 2.
 Babylon a Nemrod, non a Nabuchodonosor, condita,
251, 1.
 Babylonii ea nocte occisi, qua epulabantur et convivaban-
tur pervigilium agentes cuiquam deorum suorum, 75,
2. quomodo a Cyro oppressi, *ibid.* Babylonios subactos
cur Xerxes jussit voluptatibus indulgere, 341, 2.
 Babylonicum imperium cur vocetur caput aureum, 21,
2. quia fuit cæteris diurnius et antiquius, *ibid.* item quia in Chaldæorum imperio effloruit sapientiæ pretium et
æstimatio, 22, 1. item quia blandius et suavius, *ibid.*
at potius quia fuit felicissimum, gloriostissimum, famo-
sissimum, amplissimum, *ibid.* 2. item quia primum tem-
pore, *ibid.* item quia Babylonii auri erant studiosissimi,
23, 1. item quia crevit ex hostium inertia et luxu, *ibid.*
quamdiu id steterit, 30, 1.
 Baccho cur litaretur caper, quasi vitis vastator, 102, 1.
eum cur enutriisse dicantur Pardales, 88, 1.
 Baculo divinatorio divinabant veteres, 343, 2.
 Balneorum pericula, quamque ea caute adeunda, 182,
1, 2.
 Balsasar rex Babyloniorum convivium instituens, quis fue-
rit, 67, 1, 2. idem fuit qui Evilmerodach, *ibid.* is di-
citur item Merodach, Labonitus, et Nabonitus, 68, 1. quot
annis regnarit, *ibid.* ejus recordia et præsidentia, 68,
1. ejus mater sapientissima fuit femina, 70, 1. sententia
in eum vesperi in convivio lata, eadem nocte executioni
mandata est, 75, 1. interfactus est a Persis, non vero be-
nigne habitus, contra Josephum, *ibid.* ob sacrilegium
est punitus a Deo, *ibid.* 2.
 Baltassar vel Beltsasar quid sonet, 11, 2. erat id nomen

- apud Chaldæos regale ac divinum, 53, 2. ita est dictus Daniel, 11, 2.
- Barbari etiam symbolis in scientiis suis usi, 223, 2.
- Barlaam (S.) martyris in cultu idololatrico recusando constantia, 43, 1.
- Basilicæ dicta sunt templa a regibus vel in palatio, vel juxta palatium, aut alibi pro toto regno, sumptu regio ædificata, 615, 4.
- Basilii (S.) constantia in Dei cultu et honore tuendo, 83, 2. ejus libertas adversus Valentem, *ibid.*
- Basilius (S.) in eremo orationi et sacrarum Litterarum studio vacavit, 318, 2.
- Beatitudo est nosse Deum, 334, 2. beatitudo nostra consistit in visione Dei, 245, 1.
- Beatorum regnum etiam corporale et gloriosum, in cœlo, 98, 2. quando id sit inchoandum, *ibid.* beati perpetuo laudant Deum, 528, 1. in visione Dei summa fruentur pace, 525, 1.
- Beatus quomodo futurus sit qui pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque circa tempora Antichristi, 175, 2; 176, 1.
- Beelphegor colebatur fornicando juxta ejus idolum et altare, 552, 2.
- Beeri pater Osee, an idem cum Beera principe tribus Ruben, 279, 1.
- Bel idem est qui Nemrod, 190, 2. ejus fani magnificentia, *ibid.* ejus statua ærea auro tecta, *ibid.*
- Bella perpetua cur fuerint inter Syros et Israelitas, 540, 1. continua erant inter Moabitæ et Ammonitas, 549, 4. bellorum strages sæpe præeunt et prænuntiant locustæ, bruchi et erucæ, 482, 2. belli descriptio, 520, 2. ejus signum priscis Romanis erat templi Jani portas perfringere, 623, 1. bellum sanctificare quid sit litteraliter et tropologice, 520, 2. bellum sanctum quod dicatur, 402, 1.
- Bellerophon solitudines cur captaret, 58, 2.
- Belligerare verbis et præliari, 144, 2.
- Belomantia utebantur veteres, 543, 2.
- Benadad commune nomen regum Syriæ a primo ejus rege Adad, 541, 2.
- Benedictini monachi ob nimias opes a primæva sanctitate deciderunt, 315, 1.
- Benedictio Abrahæ et Israeli promissa pertinet ad eos qui credunt in Christum, tam ex Gentibus quam ex Israelitis, 296, 1.
- Benedictus monachus a Gothis comburi non potuit, 46, 2.
- Benedictus Papa Henrico imperatori Romam ingresso pomum aureum cruce aurea desuper eminente dono dedit, dicens illum sic mundo imperare debere, ut illum crucis vexillo subderet, qui illud dein monasterio Cluniacensi consignavit, 621, 2.
- Beneficiis devincuntur et trahuntur homines, 386, 1.
- Benignitas Dei in peccatores, 496, 1, 2.
- Berenice Ptolemæi Philadelphi filia nuptui traditur Antiocho Theo, sed a Laodice priore ejus uxore cum filio et conjuge et fautoribus veneno extinguitur, 150, 1.
- Bernardus (S.) orando S. Scripturam intellexit, 233, 2.
- Bersabee ultima urbs erat Terræ sanctæ, et ejus terminus ad meridiem, 579, 2. unde dicta sit, *ibid.* ponitur inter urbes Juda, *ibid.* ejus descriptio, *ibid.*
- Bestiæ symbolum sunt hominum barbarorum et immanium, 321, 1. bestiæ variis assimilantur vitia, et iis dediti, 419, 2. — *Vide Feræ, Bruta.*
- Bestialiter vivens juste Deo permittente fit bestia, 60, 1.
- Bestiam (in) an vere mutatus Nabuchodonosor, an vero phantastice tantum, 57, 2; 58, 1, 2 et seq.
- Beth Hebraicum significans *in*, varie sumitur, 280, 1.
- Bethaven vocantur decem tribus schismaticæ, cur, 220, 2. ignobilis urbs Judeæ fuit, 347, 1. ita vocatur Bethel per antiphrasin, *ibid.*
- Bethel nomine vocantur decem tribus, 220, 2. Bethel fuit urbs celebris primo sanctitate et miraculis, postea idolis et idolatria, 347, 1. in ea Jeroboam posuit vitulos aureos, *ibid.* primo a nucum et amygdalarum copia dicta est Luza; sed a Jacob patriarcha dicta Bethel, *ibid.* a Prophetis per antiphrasin ob cultum vitulorum dicitur Bethaven, id est domus iniquitatis, vel domus nihil, *ibid.* Bethel erat in sorte tribus Benjamin, *ibid.* tropologice Bethel fit Bethaven, cum regnum, populus, urbs a fide et cultu Dei ad hæresin desciscit, aut anima a Dei gratia per peccatum excidit, *ibid.* ibi altare vitulæ erexerat Jeroboam, quin et ipse sua manus iisdem incensum adoleverat, ibi quoque reges posteri commune regni sui fanum erexerant, 632, 2.
- Bethon et Bethaven idem est, 356, 1.
- Bethulia sita erat e regione maris Tiberiadis, 502, 1.
- Biberent (quomodo) satrapæ Babylonii secundum æstatem suam quisque, 68, 1, 2.
- Bibius Gallus unde factus sit stultus, 58, 2.
- Bisarionis monachi misericordia, 371, 1.
- Blancæ Rubeæ Patavinæ generositas, castitas vidualis, mors, 184, 1.
- Bobus in Palæstina trituran, 418, 2. et hi de granis pabulum capiunt, *ibid.* bobus ad pastum exeuntibus solent immisceri oves et capræ, 616, 1.
- Bonosi imperatoris vinositas, 343, 1.
- Bona multa facit Deus in homine, quæ non facit homo; nulla vero facit homo, quæ Deus non facit ut faciat homo, 457, 2. bona Ecclesiarum non sunt in laicorum usus impendenda, 634, 1, 2. e bonis damnatorum olim sacrificabant Gentiles, 552, 2. bona præsentis sæculi levia sunt, et eos qui sensu parvuli sunt, oblectant; sapientibus autem qui cœlestia sapiunt, contemptibilita sunt, 620, 2. bonorum spiritualium quanta futura copia tempore Evangelii, 645, 2. bona spiritualia Ecclesiæ et animæ sanctæ quæ peccando ipsa amittit, sunt præcepta, exercitia, virtutes, charismata, 490, 2.
- Boni viri proprium est opus suum non destruere, sed perficere, 497, 1. est velut lex viva, 397, 2. bona verba, colloquia et sermones sunt velut flores animæ sanctæ, 647, 1.
- Bonum omne omnium creaturarum, in Deo totum collectum est in simplicem unitatem, idque infinite, 293, 1. qui bonum operantur ut inanem gloriam et quæstum sordidum aucupentur, ventum seminant, et turbinem metunt, 394, 2. summum bonum, summe est misericors et beneficium, 369, 2.
- Bonzii sacerdotes Japoniorum suis scelerum omnium immitatem spondent, 339, 1.
- Brachia et crura ænea angeli Danieli apparentis significant fortitudinem et armorum splendorem, 140, 1.
- Brasiliæ quis sit potus, 307, 2.
- Brevitas Minorum Prophetarum quam sit nervosa et prægnans, 217, 2; 218, 1, 2.
- Brixium infans innocentem esse a fornicatione declaravit, 185, 2.
- Broonis episcopi innocentia ab adulterio item declarata per infantem, 186, 1.
- Bruchus hebraice *telec* dicitur, id est ligurio, quod herbas lingat et rodat, 478, 2. interdum vox hæc vertitur *comestor*, 479, 1. quale animal sit bruchus, *ibid.* et 2. variis varia sentientibus, auctor sentit esse parvam locustam sive pullum locustæ, *ibid.* locustis majoribus grandia depascentibus, bruchi, eorum pulli, minima germina quæque usque ad radices stirpites depascuntur, *ibid.* bruchus semper pene jungitur cum locusta, quasi proles cum matre, *ibid.* vox bruchus formatur vel a βρύχῳ, vel a βρύχῳ, vela βρύχῳ, *ibid.* 2. ejus forma, *ibid.* nomen bruchi subinde extenditur ad alias locustarum species, *ibid.* quare vocetur aculeatus, 480, 1. bruchus significat infimam et minimam locustæ speciem, cum cæteræ species omnes enumerantur; cum vero illæ subtî-

centur, pro illis substituitur, ut bruchus pro attaco,
pro ophiomacho, pro locusta ipsa sumatur, *ibid.*
Brunonis (S.) conversionis occasio fuit condemnatio doc-
toris cuiusdam Parisiensis, 446, 2.
Brutis ii similes sunt qui de peccatis non ingemiscunt,
et si quid ventri desit, dolent et anguntur, 490, 2.
bruta phantasiæ instinctum sequuntur quasi legem na-
turæ sibi a Deo inditam, 637, 1.
Bubali in Iudea feni erant et indomiti, 603, 2. in Italia
vero subjugales fiunt, et jugum currus admittunt, et
aratris serviunt, *ibid.*
Buccina erat e cornu cornea, 355, 2.
Bucolica carmina vocantur ruralia pastorum, 616, 1.
Bulla est cordis symbolum, 385, 1. cur eam nobiles in
pectore gestarent, *ibid.* bulla unde dicatur, *ibid.*
Byblus urbs ad Libanum sita fert vinum præstantissimum
dictum Byblinum, 472, 2.

C.

Cabalistæ quomodo sententias, syllabas et litteras singu-
las separatim expendant, 74, 2.
Cadavera comburebant Hebræi, Græci et Romani, 600, 2.
hac de re diversæ sapientum fuere sententiæ, *ibid.*
et 601, 1. Christiani cur ea sepeliant in terra, *ibid.* idem
etiam fecere Judæi, *ibid.* regum vero corpora etiam
cremabant, cur, *ibid.* Israelitæ etiam plebeiorum ossa
cremabant, *ibid.* et 2.
Cæsarianorum militum industria, 28, 1.
Cæsarii (B.) Gregorii Nazianzeni libertas coram Juliano
apostata, 84, 1.
Calcei immisione olim capiebatur possessio, 644, 2.
Caligulae imperatoris crudelitas, 540, 2. Jovem ad duel-
lum provocavit, 573, 1, 2. inter auri acervos subinde
volutabatur, 635, 1.
Calipha Mahometanorum pontifex Babylone inter auri
acervos volutans fame interiit, *ibid.*
Calix aureus Babylonis significat ejus opes, luxum et ido-
lolatriam, 22, 2.
Callisthenes quare ab Alexandro occisus, 88, 2.
Calor quid conferat ad aliquid componendum et conci-
piendum, 247, 1, 2.
Calumnia Hebræis est oppressio a quocumque vim aut in-
juriam faciente, 357, 1.
Calvinus inepite blasphemati dum Danielis ridet abstinen-
tiam, 12, 1. in eum est injurius, 34, 2. Calvini placita
meræ insaniae sunt, 562, 2.
Calvinismus in publicum civitatum ac provinciarum
grassatur incendium, 445, 2.
Calvinistarum barbara crudelitas et sanguinaria immani-
tas, 158, 1.
Calvitium erat Judæis signum maximi luctus et lugen-
tium, 629, 1.
Cambyses Amasis regis Ægypti jam defuncti cadaver ef-
fodi et flagris cædi jussit, 549, 2.
Camillæ virginis velocitas, 102, 2.
Campanæ sunt propriæ christianorum, et hæ initio fuere
minores; pace Ecclesiæ reddita, paulatim grandiores
factæ, 499, 1. unde dictæ campanæ, *ibid.*
Canariis (in) insulis quomodo trituretur, 418, 2.
Candor candidi et sinceri animi est symbolum, nigror ma-
ligni, 640, 2.
Canticum trium puerorum Dei continet laudes, 48, 2 et
seqq.
Canticum Beatorum in cœlo, 320, 1.
Cantores templorum ne nimia festinatione verba in cantu
præmordeant, sed gravitatem in eo servent, nec om-
nem devotionem in voce canora aut subtilitate modu-
landi collocent, 587, 2.
Cantus ecclesiasticus gravis sit, *ibid.* cantui respondeat
affactus, *ibid.* et seqq.

Capilli Dei Patris cur sint candidi, 92, 1.
Capistrum quomodo exaltetur super maxillas boum et
equorum, 431, 1.
Capitalia septem peccata designantur per septem gentes
Judam persequentes, 547, 2.
Capite (nudo) incedebant Romani et Hebrei, 599, 1.
Capitum distributio in novo Testamento, in ultimis Græ-
cis interpretibus invenitur pene similis nostræ, 253, 1.
ea quæ nunc est divisio, quando primum inducta, *ibid.*
capitum S. Scripturæ distinctio non est facta a Prophetis,
nec a priscis Patribus Græcis aut Latinis, sed re-
centior est, *ibid.*
Cappadociæ occuparunt Palæstinam exclusis ab ea Hebreis
primis incolis, 641, 1.
Caprarum natura lubrica et mobilis, 101, 2.
Capri dicuntur quasi carpi, *ibid.*
Caprificus alia est arbor a sycomoro, 617, 1, 2.
Captivi cuiusdam vincula tum solvebantur, cum uxori pro
eo sacrificium offerri curabat, 115, 2. captivi victarum
gentium, qui Romam ducebantur in triumphum, post
triumphum jugulabantur, 637, 2.
Captivitate (e) Babylonica multi Israelitæ cum Judæis mixti
redierunt, 451, 1, 2; 461, 1, 2.
Caracalla imperator Getam fratrem a se occisum in di-
vos retulit, ad mitigandam parricidii invidiam, ipse
dein a Martiali tribuno cæsus est, 545, 1.
Carbunculus in vitibus quid sit, 571, 1.
Cardiognostes dicitur Deus, 353, 2.
Cardineam deam coluerunt Romani, 633, 1.
Cardo dicitur quasi cor januæ, quo scilicet illa movetur,
ibid.
Carioth metropolis fuit Moab, 549, 2. unde sic dicta, *ibid.*
Carmeli montes sunt duo : unus in Iudea, alter in Israel
ad mare Mediterraneum : uterque fuit fertilis, 536, 1.
Carmelus symbolum fertilitatis est, abundantiae et læ-
titiae, 536, 2.
Carmen funebre solebat continere victorias et virtutes de-
functorum, 239, 1, 2. carmina σχολιά, id est obliqua,
quæ dicerentur, 598, 2.
Carmenes lingua punica vel arabica, villæ pulcherimæ
in Bætica dicuntur, 536, 2.
Carnales deliciæ in quo a spiritualibus distent, 423, 1, 2.
carnales homines non habent cor hominis, sed illud in
brutum velut mutatum est, 385, 2.
Carnibus cur abstinerent Sextius et Pythagoras, 141, 2.
Caro capitur per synecdochen pro homine, 507, 1, 2. caro
et spiritus sæpe diversa requirunt, 241, 2. carnibus et
vino abstinuerunt homines ante diluvium, 229, 2. eas
comederunt Apostoli, *ibid.* carnem nostram sibi
Christus velut conjugem copulavit, 286, 2. hæc illius
divinitatem tegebant, 366, 2.
Caroli (S.) Boromæi abstinentia mira, 13, 2. ejusdem de
via perfectionis sententia, 232, 1.
Caroli Magni merita an vere appensa in statera, 73, 2.
Carolus (B.) Flandriæ comes monopolia frumentariorum
inhibens martyr occubuit, 625, 2.
Carolus V imperator abdicato imperio in solitarium locum
se recepit, et in eo ad mortem usque perduravit, 313, 1.
Carpenta ferrata super hostes stratos agebant victores ali-
quando, 540, 1, 2.
Carthaginense imperium non fuit designatum per ventrem
et femora ænea statuæ Nabuchodonosoris, 24, 1. ejus
ideo non meminit Daniel, quia nullum, aut nullius mo-
menti fuit, 86, 1.
Carthaginenses a Baal suos duces denominarunt, 55, 1.
Carthusiensis Ordo ob silentium, solitudinem et visitatio-
nem superiorum in suo vigore permanxit, 315, 1.
Cassia tropologice homo quando fiat, 237, 1.
Cassandra regnandi avidus Alexandrum Magnum, ejusque
filium, matrem, uxorem interfecit, ipse postea ab aliis
regni æmulis est interfectus, 104, 2.

- Castigationes Dei exemplares solent esse repentinæ et subitæ, 75, 1.
 Castiget (Deus antequam) præmonet, 558, 2; 560, 2.
 Castitas est velut martyrium, 443, 1, 2. castitatis vindex et index est Deus, 187, 2. id probatur exemplis, *ibid.* et 188, 1.
 Cataracta vocatur foramen in pariete fabricatum per quod fumus egreditur, 455, 2.
 Catharinæ (S.) Senensis preces quam apud Dominum fuerint efficaces, 414, 1, quam ipsa esset sobria, 13, 2. jussa est a Christo semper ejus recordari, 292, 2. visibiliter, accepto annulo sponsali, a Christo desponsa fuit, 322, 2. ejus inde cum eo familiaritas, *ibid.*
 Catharrus priscis fuit incognitus, cur, 13, 2.
 Cato senior gulosi cur familiaritatem detestaretur, 343, 1. ejus vinea quantum vini quotannis daret, 411, 2.
 Catuli leonum audacieores sunt et ferociores, cur, 360, 1. eorum edendi rabies, *ibid.*; 559, 1, 2.
 Causon quis ventus sit et morbus, 445, 2.
 Cedrus arbor immortalitatis et æternitatis symbolum est, 470, 2.
 Cellæ bona varia, 314, 1, 2.
 Cerebri proprii commenta non sunt populo venditanda, 226, 1.
 Cerevisia fit ex aqua in farina tritici elixa et cocta, 307, 2.
 Chalanne urbs fuit potens juxta Babylonem condita a Nemrod, quæ postea a Parthis aucta, ad hauriendam Babylonem et Seleuciam, dicta est Ctesiphon, 594, 2.
 Chaldæa lingua eadem cum prisca Syriaca, 18, 1.
 Chaldæi deorum nomina sibi indiderunt, 55, 2. litteras liquidas saepe inter se commutant, 17, 1. rarius duali, plerumque vero plurali, etiam pro duali utuntur, *ibid.* Chaldæi vocantur astrologi et genethliaci, 18, 1. cur non potuerint legere scripturam manus in pariete, 69, 2.
 Chaldæorum regnum cur lænæ comparetur, 86, 2.—*Vide* Babylonicum. Chaldæi in vocibus hebraicis S litteram commutant in T, 330, 2. locustis comparantur Judæam depascentes, 485, 2. eorum regibus et castris præferebatur ignis, 493, 1, 2. eorum Jerusalem invadentium descriptio, 493, 1, 2; 494, 1, 2. eorum dexteritas, et exercitatio in pugnando, saltando, etc. et audacia, 494, 1, 2. quomodo vocentur milites et exercitus Dei, 495, 1, 2.
 Chaldaicæ paraphraseos in Biblia quinam auctores, 222, 2.
 Chaldaice quoisque scripserit Daniel, 98, 2.
 Chanaan nomine cur vocentur Israelitæ impii, 449, 1, 2.
 Chananeos omnes, etiam infantes, cur juberet Deus occidi, 553, 2. Chananei terreni et avari ob maris viciniam mercaturæ, et in ea fraudibus et dolis vacabant, 449, 1, 2.
 Charientismus est figura rhetorices, et quis ejus usus, 253, 2. ejus exempla aliquot in sacra Scriptura dantur, *ibid.*
 Charitas per zonam designatur, 138, 1. (Cherubim) super Deus adhuc sedere dicebatur, ablata licet arca et propitiatorio ex templo, 47, 2. charitatis actus nobiliores sunt actibus religionis, 369, 2.
 Cherubim an sint Theraphim, 330, 2. Judeis in veneratione erant, 332, 1.
 Chiliastæ quod regnum sanctorum in terra fingant post diem judicii, 98, 1, 2. chiliastarum deliria et somnia, 524, 1, 2.
 Chomer est onus asinarium, et mensura triginta modios continens, 328, 2.
 Christianorum veterum xerophagia, 36, 2. quando Hierosolymis fugere cœperint, 133, 1, 2. ob peccata traditi sunt Decio et Valeriano tyrannis a Deo, 112, 2.
 Christianus verus est confessor et testis fidelis Dei, 441, 1, 2. Christiani omnes per Christum ducem morti insulant, et eam ac infernum vincunt, 463, 2. patrem suum imitentur Deum, ejusque mores, 296, 2. eorum servitus longe præstat regum opibus et superbia, 508, 2. assimilantur Israelitæ in deserto agentibus, 313, 1. impie vi- ventes acriter a Deo punientur, 291, 1. christianos afflitos ex Diocletiani persecutione quomodo Deus per Constantium imperatorem juverit, 319, 1.
 Christina (S.) dilacerata ferreis uncis, ab angelo in carcere sanitati priori restituta, 51, 1, 2.
 Christi regnum spiritale est et æternum, 31, 1. temporali regno uti noluit, etsi esset regum omnium rex, *ibid.* quomodo ejus regnum Prophetæ dicunt fore potens et abundans auro, argento, vino, oleo, 32, 1. natus est rex, *ibid.* et 2. ejus regnum cur comparetur lapidi, *ibid.* ipse fuit lapis abscissus de monte, id est B. Virgine, *ibid.* est abscissus sine manibus, id est sine opera virili, *ibid.* an dici possit cornu parvulum, 90, 2. regnum ejus est gloriosum, 91, 1. quomodo certet cum Antichristo de regno, quod illi Pater traditurus est, 93, 1. ejus in humanitate assumpta demissio, 95, 2. ejus adventus ad judicium, *ibid.* quomodo in die judicii accipiet potestatem judicandi et regnandi, 96, 1. in eo quomodo peccatum acceperit finem, 117, 1. justitiam sæculorum adduxit tripliciter, *ibid.* 2. ipse nascens et moriens implevit omnium Prophetarum prophetias, *ibid.* ipse est Sanctus sanctorum, *ibid.*; 1; 16, 1. eum in Messiam venisse pluribus ostenditur, 118, 2 et seq. in quota hebdomade Danielis natus sit et occisus, 126, 2. est doctor stellatus, 172, 2. ei in quibus similis fuerit Daniel, 6, 1.
 Christum Jesum veteres Prophetæ sæpe ad litteram repræsentant, 224, 1. an in vita comedenter carnes, 229, 1. pene omnes Prophetæ in eo desinunt, 240, 1, 2. ejus in calice passionis bibendo alacritas et promptitudo, 241, 2. ab ejus parte ad nostram justificationem nihil deest, 251, 1. quomodo omnia peccata aboleverit, et sub eo justitia, pax, sanctitas toto in orbe germinatura sit, *ibid.* ejus in orbe sibi subigendo potentia, 260, 2. est angelus testamenti, 264, 2. est lumen de lumine, 279, 2. duplex init connubium, prius cum carne humana, alterum cum Ecclesia, 286, 1, 2. ejus in hoc dignatio et misericordia, *ibid.* an dici possit allegorice Jezrahel, 289, 2. evangelizavit tam Israelitis quam Judeis, 295, 2. antequam prædicationem inchoaret, in desertum a Spiritu Sancto ductus est, 313, 2. ter, sive tribus diebus Ecclesiam despondit, 322, 2. ipse bonum nostrum est, 332, 1. amarum passionis et tribulationis calicem babit, quo nos ab eo non deterreremur, 362, 1. ejus adventus promittitur Judeis in tribulatione positis, et quidem brevi futurus, 363, 1, 2. quomodo nos tertia die vivificet, *ibid.* 1. in resurrectione sua plene nos vivificavit, *ibid.* cur die tertia resurrexit, 364, 1, 2. tres ejus adventus sunt, *ibid.* 2. ejus ortus et nativitas est instar auroræ, idque ob quinque analogias, 366, 1, 2. noctu ante luciferi ortum natus est, *ibid.* crevit ætate, sapientia et gratia apud Deum et homines, *ibid.* bis nasci debuit, *ibid.* ejus ortus hominibus optatissimus fuit, 367, 1. comparatur imbr serotino et tempestivo, *ibid.* vivum et ardens misericordiæ fuit speculum, 371, 1. in æternum totum se per misericordiam in suos effundit, *ibid.* ex Ægypto revocandus ab Osee prædictur, 427, 1, 2. fuit populi Israelitici pars et propago, eaque nobilissima, *ibid.* quomodo nos traxerit in funiculis Adam, 430, 1. maxime in venerabili Eucharistia, *ibid.* quomodo a nobis jugum peccati, dæmonis et concupiscentiæ auferat, 431, 2. ejus redemptio sufficiens fuit ad omnes salvandos, 436, 1. vult omnes homines salvos fieri, *ibid.* ejus in animas animor, 437, 1. evangelizans tum per se, tum per Apostolos comparatur leoni, *ibid.* 2. est antesignanus martyrum et confessorum Dei, 441, 1. ejus incarnatio et passio variis Prophetarum figuris adumbrata fuit et repræsentata, 451, 2. resurgens patres ex inferno et morte liberavit, secumque resurgere fecit, 461, 1, 2; 463, 2. quomodo fuerit mors mortis, et morsus inferni, 462, 1, 2. suo ad inferos descensu nullos damnatorum liberavit, 464, 1, 2. ad limbum descendens primum dedit jubilæum

- ibid.* ejus descensns in carnem roridescendi comparatur, 367, 1; 469, 2. lilio assimilatur, 469, 2; 470, 1. vocatur radix David et David, *ibid.*; 643, 2. omnis ejus sermo et doctrina, vitæ ejus mysteria, et sacramenta boni odoris sunt, 472, 2. austro calido et fervido comparatur, 466, 1; 502, 1. doctor justitiae, doctor doctorum est, 504, 1. ipse, unus noster magister et rabbi per excellentiam, *ibid.* quæ bona spiritualia nascens nobis attulerit, *ibid.* 2. ejus adventus docuit humilitatem, *ibid.* quæ prodigia in ejus vita et morte acciderint, 509, 2. ejus lux et gloria in die judicii, 510, 2. descendet ad judicium in aerem valli Josaphat incumbentem et vicinum, 516, 1. ejus disceptatio cum impiis in die judicij, *ibid.* et 2. ejus judicantis eosdem furor et indignatio, 523, 2; 555, 1. est stella oriens in cœlo illuminans Beatos, 527, 1, 2. est justus justorum, 550, 2. ejus venditio et occasio, maximum Iudeorum crimen, *ibid.* vili pretio a Juda est venditus, *ibid.* est Dei Patris meditatio, conceptio, dictio et eloquium, 574, 2. est finis et scopus legis et Prophetarum, 240, 1, 2; 363, 1; 575, 1. ejus lictor in die judicij erit ignis, 611, 2. adamanti assimilatur, 614, 1. et phœnici, 268, 2. ejus crux et doctrina sycomoro assimilatur, 617, 2. restituit regnum David patris sui, et augustius id reddet, non dominio temporali, sed spirituali, 643, 1, 2. regnum ejus quoque temporale est: nam per reges christianos dominatur etiam civiliter toti orbi christiano, 644, 1. duplex ejus nativitas, una temporalis ex Virgine, altera æterna ex Deo Patre, 260, 1, 2.
- Christophorus a Castro scripsit exakte in Prophetas Minorres, 222, 1.
- Chronologia vitæ Nabuchodonosoris, 171, 2.
- Chronologica harmonia duodecim Prophetarum, 254, 1, 2.
- Chrysaori horribilis mors, 511, 1.
- Chrysolithi gemmæ natura et color describitur, 138, 2. alias est a chrysolite, *ibid.* quomodo quasi chrysolithus fuerit corpus angeli Gabrielis apparentis Danieli, 139, 1. et quid tali forma is apparens denotet, *ibid.*
- Cibi spiritualis penuriam sæpe patientur gulosi et divites, 629, 2. cibos regios cur repudiarint tres pueri, 12, 1. ciborum delectus in jejunio adhibendus est, 136, 2.
- Cicero senescens in Tusculo philosophatus est, 315, 2. ejus myctermus in Verrem, 239, 1.
- Cilicum erat vestis Prophetarum, 228, 2.
- Circe navigantes suo cantu illectos in bestias mutabat, 587, 1.
- Cistercienses monachi propter negotia nimia ruralia a primæva sanctitate deciderunt, 315, 1.
- Clades omnes quas Deus Israeli immisit, ante denuntiavit, quam infligeret, 558, 2; 560, 2.
- Clangere proprium est aquilarum, 390, 1.
- Clangor tubæ prophetæ comparatur, et clangens Deo, 860, 1.
- Claudius imperator multa deorum sacrificia et festa Romæ sustulit, 32, 1.
- Clementia virtus Deo propria est, 435, 2.
- Cleo adulabatur Alexandro Magno, 88, 2.
- Clerici prælaturas ambientes a S. Bernardo taxantur, 392, 2. eorum cupiditas foveat avaritiam sæcularium, 634, 1, 2. ipsa suggillatur, *ibid.* eorum lautitas quam immerito carpant malevoli, 309, 2.
- Climax figura Prophetis frequens, 251, 2. qualis sit figura, *ibid.*
- Clysteris usum docuit ibis avis, 438, 2.
- Cocytus quis fluvius, et unde dictus, 244, 2.
- Cœlestis gloriæ jucunditas, 525, 1, 2. ejus typus fuit Settim, 527, 1.
- Cœli nomine dicitur Deus, 181, 1. cœli undecim modis laudant Deum, 48, 1, 2. cœli quomodo a Deo exaudiantur, 323, 1. et quomodo id mystice et symbolice fiat, *ibid.* et 2. cœlum quomodo in die judicij commovendum sit, 523, 2. cœlum empyreum cur dicatur Iudea, id est confessio et laus Dei, 527, 2. cur Jerusalem, 528, 1. Cœnabant veteres, non prandebant, 68, 1. Cœnatoriæ vestes quæ dicerentur, 598, 2. cœnatoriæ lectuli quinam essent, 552, 1.
- Cœtus prophetarum quis et qualis esset, 231, 1, 2.
- Cogitationes intimas et secretissimas novit et pervidet Deus, 353, 2.
- Cognitio veritatis primæ et increatæ suavissimus animæ cibus est, 390, 2. cognitio sui est via ad cognitionem Dei, 422, 1. cognitio Dei perfecta, beata vita est, 384, 2.
- Collectæ dies quis esset in veteri Synagoga, 488, 1.
- Colligere vel congregare idem est quod auferre, 336, 1, 2.
- Coloni Hispani tempore siccitatis statim publicas supplicationes et diverberationes instituunt, 571, 1.
- Columba est excors, et esto semper pulli sibi auferantur, semper ad eumdem nidum et columbarium reddit, 383, 2; 384, 1. ob objectam escam sponte in retia incurrit, et a columbis alterius columbarii illecta illuc se infert, *ibid.* pellit patrem a consortio matris, 384, 2. in colorum varietate mire sibi placet, alis inter se collisis strepitum edens excitat accipitres, 385, 1. apud Assyrios sacra erat, 439, 1. hinc magna apud eos copia columbarum erat, *ibid.* natura recte et constanter volat, *ibid.* timida est, et ad accipitris umbram celeriter avolat, *ibid.* unice amat suum columbare, nidum, ac pullos, et abducta alio celeriter eodem revolat; columbis usi prisci ut tabellarii, *ibid.* eas in sinu Romæ gestabant, in theatro aut in circo ludos spectantes, quas cum tabellis emittebant nuntiaturas si quid domi vellent, *ibid.* 2. maxime id verum in columbis Syriæ et Palæstinæ, *ibid.* iis ibi utuntur mercatores, ut merces advectas aliaque domi nuntient, *ibid.*
- Combe puella adinvenit arma ænea, 24, 2.
- Comessationes mentem homini eripiunt, et libidinem inflammant, 342, 2.
- Communicatio gratiæ et donorum Dei provenit a Spiritu Sancto, 507, 1.
- Conceptus mentis juvat calor, 248, 1.
- Concilium Romanum sub Vigilio Papa damnavit errores Theodori Mopsuesteni, 224, 1. uti et Concilium Constantinopolitanum II generale, *ibid.*
- Concionator bene docens, et nihil præstans similis est cùppresso bene frondosæ, sed infrugiferæ, 473, 2. cum rubibus et duris agens sensim eos imbuere debet, 617, 2. concionatores nonnulli abutuntur S. Scriptura, 224, 2. animas a fornicatione peccati conversas Christo despondeant, 286, 2; 287, 1. dum plausum, lucra aut commodity aucupant filios spirituales non gignunt, et, si quos genuerint, eos promovere nequeunt, 408, 1.
- Concordia fratrum quam sit suavis, 545, 2; 546, 1.
- Concupiscentiæ sedes et instrumentum sanguis est, 335, 2. eam peccato meruimus, hæc auferetur in resurrectione, 465, 1. concupiscentia adulterii non extinguitur ipso adulterii actu, 379, 1.
- Conditor rei alicujus quis dicatur, 251, 1.
- Confarreatione olim nuptiæ apud Romanos contrahebantur, 328, 1. hæc denotabat vitæ communionem, *ibid.*
- Confessarii libere principum vitia reprehendant, et sana consilia iis suggerant, 61, 2. confessario omnia animæ vulnera et lepræ defegendæ, 461, 1.
- Congregatio cur vocetur mors, 336, 1.
- Conjuges tempore publicæ calamitatis, pœnitentiæ, supplicationis, quadragesimæ, abstineant copula, suadetur, 499, 2.
- Conjugium Osee cum fornicaria fuit stabile, non temporarium, 282, 1. refutantur argumenta in contrarium, *ibid.* 2. id repræsentat simile, sed mysticum, idque duplex, Christi conjugium, 286, 1, 2.
- Conscientia homini sua peccata describit et oggerit, 71, 2. conscientia cuique sua est colenda ut vinea, 646, 2 et

- seqq. conscientia mala non potest habere lætitiam , 401, 2.
- Consiliarii principum munera oblata contemnunt , 70, 2. monentur ut bene consulant , 78, 1. vere et sincere regum vitia carpant , et sana iis consilia suggerant , 61, 2.
- Consilium malum semper consultori pessimum est , 79, 1.
- Consolatio angelica quo indicio a diabolica illusione seceratur , 227, 2.
- Conspectu (in) Dei vivere quid sit , 365, 2.
- Constantia fidelium in persecutione quanta esse debeat , 516, 2. constantia in Dei cultu felices et gloriosos facit , 83, 1. constantiae symbola sunt alectoria gemma, amiantus lapis, salamandra , 442, 1.
- Constantinus Copronymus imperator quam dire in orthodoxos sit grassatus , 158, 1.
- Constantinus Magnus et Justinianus Imperator S. Michaeli varias construxerunt ecclesias , 170, 2. Constantinus imperator publicum Christi cultum per imperium sanxit , 32, 1, 2. magos morte multavit , 48, 2. privignum suum Crispum falso adulterii accusatum, temere interfici curavit , 188, 1.
- Constantis imperatoris somnium ominosum , 65, 1. item aliud ejusdem parricidium et cædes , ibid.
- Constantium (S.) martyrem quomodo in tormentis consolatus sit angelus et corroborarit , 51, 1.
- Consuetudinis quanta sit vis , est velut altera natura , 419, 2.
- Contemptum sacerorum et sacerdotum punit Deus per tyrannidem principum , 460, 1.
- Contraria contrariis curanda sunt , 624, 1, 2.
- Contus est sudes et hasta longior , 567, 2.
- Conversio plena ad Deum quæ sit , 467, 1. fit per serium et efficax voluntatis propositum de vita mutanda , 495, 2. conversio omnium gentium ad fidem Christi promittitur per Prophetas , 643, 2.
- Converttere captivitatem Hebræis est e captitate liberare , 375, 2.
- Convivæ coronabantur rosis, myrto, et aliis floribus et herbis, cur , 598, 2.
- Convivium a communione victus et cibi dicitur , 349, 1. iis olim adhibebatur musica, cur , 598, 1.
- Convolvulus flos rudimentum naturæ quomodo sit , 219, 1.
- Coquus et pistor priscis idem erat , 379, 1.
- Cor in Scriptura tria significat , 59, 1. cor maximum est signum parvi animi, parvum maximi , 88, 1. significat interiora omnia , 456, 2. cor est bulla pectoris , 385, 1. cor pro sensu et sapientia interdum capit , 384, 1. est quasi focus et arx corporis , 385, 2. cur dicatur simul minimum et maximum , ibid. cordis recens nati in pueri pondus sunt duæ drachmæ , 438, 2. corde qui carere dicantur , 385, 1. ex corde impio et iniquo impietatis et iniquitatis feminæ oriuntur , 423, 1. cor cuiusdam divitis avari in arca nummaria repertum , 185, 2. corda hominum saxea per Christi necem ad pœnitentiam commota sunt , 524, 1.
- Cornelii Musii sacerdotis senis ab hæreticis interficti martyrum describitur , 158, 1.
- Cornibus (in) fortitudo taurorum est , 605, 1. cornu capit pro fortitudine et animositate , ibid. cornutibii quando homo tropologice fiat , 237, 1.
- Cornu est insigne regni , 102, 2. cornu modicum quod dicitur oriri post quartam bestiam variam , 90, 1. cornu undecimum dicitur Antichristus , 96, 1.
- Corpora Sanctorum prorsus integra etiamnum hodie multa existant , 44, 2. corpora Beatorum erunt lucida exterius et interius , 169, 1, 2. et tamen colorata , ibid.
- Corpus mysticum Ecclesiæ figura est corporis naturalis Christi , 427, 1. corpus Christi est tabernaculum David, per varia vulnera occisum, quod Deus tertia die a morte ad vitam gloriosum suscitavit , 643, 2.
- Corruptio est filia voluptatis , 287, 2.
- Corruptor alienarum uxorum frustra ab uxore pudicitiam exigit , 345, 1.
- Corus mensura erat 30 modios Italicos continens , 328, 1; 626, 2.
- Creaturæ omnes sunt Dei exercitus , 576, 1. sensu naturali sentiunt vocem sui creatoris, et ejus offensam et iram , 627, 2. respectu creatoris sunt umbræ rerum, et nihil ; non veræ res , 605, 1. invitæ serviunt impiis hominibus , 309, 2. ad quid illæ creatæ sint , 310, 1. libenter hominibus piis in usum cedunt , ibid. in fine mundi in impios insurgent , 310, 1. earum concentus et conspiratio cum suo creatore , 323, 2.
- Credo Hebræis quid significet , 251, 1.
- Cribri usus, pro vanno, in Italia et alibi est , 641, 2.
- Crudelitas aliena a Deo est , 435, 2. crudelitas et Deo et hominibus exosa est , 540, 2.
- Crura duo et extreum auriculae, quæ pastor de ore leonis eruat , quid symbolice et tropologice significant , 563, 1.
- Crux aurea miraculosa, in qua sine opera aurifabri, insculpta sunt nomina, Emmanuel, Michael, Gabriel , 166, 1.
- Crux Christi firmavit Romanorum imperium , 377, 2. symocomoro assimilatur , 617, 2. crux fidelium brevis est , 364, 2.
- Crystallus alias est a chrysolitho gemma , 438, 2.
- Ctesiphon urbs a Parthis aucta ad exhaustiendam Babylönen , 594, 2.
- Culmus evanidus et germen farinam non habens denotat præsertim hypocritas , 395, 2; 396, 1.
- Culpa per pœnitentiam tollitur, sed non pœna , 498, 2.
- Cultores et curatores sunt qui jugiter Deo assistunt et famulantur , 488, 1.
- Cunegundis (S.) imperatrix super igneas laminas ambulans suam probavit integratatem : ejus mors , 45, 2.
- Cupiditates sunt dii peccantium , 309, 1. sunt velut panis subcinericeus , 392, 2.
- Cupressi pulchræ quidem sunt et sublimes, nullum tamen edunt fructum , 473, 2. cur dicantur æternæ , 470, 2.
- Curatio, curator, curati quid significant , 488, 1.
- Custodia Hebræis vocantur leges per metonymiam , 341, 1.
- Cuthæi sunt Assyri a Salmanasar in Samariam translati loco Israelitarum abductorum , 294, 2. coluerunt Deum verum simul et idola , ibid.
- Cyaxaris imperium quos habuerit fines, et quando florerit , 23, 1, 2.
- Cynus fictitia est arbor, quam fingit Jacobus Constantius , 186, 1.
- Cypriani (S.) martyris resolutio in respondendo animose proconsuli instanti ad idola adoranda , 40, 2. audita mortis sententia , Deo egit gratias , 464, 2. S. Cornelii pontificis auctoritatem tuerit contra schismaticos , 392, 2.
- Cyrene duplex est : una in Libya, altera in Media , 542, 2. 442, 2. unde vox Cyrene formetur , ibid.
- Cyrillus (S.) scripsit in Prophetas Minores , 222, 1.
- Cyrus rex non est Christus , 126, 2. ejus de sobrietate sententia , 12, 2. cepit Babylonem divertendo Euphratem , 75, 1. favet Danieli et Judæis ob ejus de se vaticinia , ibid. 2. cum avunculo Dario et familia Astyagis valde conjunctus fuit , 76, 1. ejus clades a Scythis , 24, 1. est a Tomyride regina cæsus , 87, 2. cur vinum non hauriret , 343, 1.

D.

Dæmon an et quomodo impedierit Judæorum reditum e Babylonica captivitate , 144, 2. utitur forma serpentum, cur , 191, 1, 2. draconis specie in Scriptura pingitur et vocatur , 192, 1. et sære in ea forma apparuit , ibid.

Dæmones etiam inter se dissidentur , cur , 144, 1.

Damasci excidium et strages facta a Teglathphasar , 541, 2. ejus fines , 592, 1; 595, 2. cur vocetur vallis idoli ab

- Amos, 542, 1. an ejus in agro creatus Adam, et Abel occisus, *ibid.* et 2.
 Damnandi ante prævisa demerita non sunt positi in serie damnandorum a Deo, 435, 1. damnati ex inferno nunquam liberabuntur, 464, 2. mortem optant, ut poenas evadant, et mori nequeunt, 417, 1. suæ tribuant malæ voluntati, non Dei prædestinationi, quod damnati sint, 436, 1. damnatis a familiaribus propinabatur vinum forte, 553, 1.
 Damnatio est ex homine peccante, seque in peccatis usque ad finem vitæ obdurante, 457, 2.
 Damocles Siculus metuens ensem sibi imminentem, peccatoribus esse debet stimulus ad bene vivendum, et sibi cavendum, 74, 2.
 Dan terminus Terræ sanctæ erat ad septentrionem, 579, 2.
 Daniel abbas falso insimulatus adulterii a puero innocens esse declaratur, 186, 1.
 Daniel Minorita cum sex sociis suis martyrium Septæ in Africa obiit, 11, 2.
 Daniel Styli fuit assecla Danielis prophetæ, 7, 1, 2. ejus patria, *ibid.* nomen illud qua occasione illi inditum, *ibid.* factus est hæres spiritus Simeonis Stylitæ, *ibid.* ab eo est ad labores et tolerantiam animatus, *ibid.* stetit diu in columna, ejus vaticinia, miracula, *ibid.* libere peccantes corripuit, ejus mors, epitaphium, *ibid.* ejus sepultura prodigiosa, *ibid.* ejus humilitas, *ibid.* Daniel quid vaticinetur, 1, 1. ejus nomen idem sonat quod judicium Dei, *ibid.* quid scribat, *ibid.* coœvus fuit Jeremiæ, Astyagi, Cyro et Phalaridi, *ibid.* fuit ex stirpe regia, *ibid.* ejus patria; *ibid.* quando captus et abductus in Babylonem, *ibid.* natus est anno 15 Josiæ, *ibid.* cœpit prophetare juvenis, *ibid.* 2. Danieles duo non fuere, *ibid.* visiones qua ætate singulæ ei contigerint, *ibid.* quot annis vixerit, *ibid.* vixit centum annis, quo anno Cyri mortuus, *ibid.* et 2. fuit chronologus, et vir omnium sapientissimus, *ibid.* fuit Prophetæ, *ibid.* fuit gubernator imperii Babylonici, *ibid.* fuit virgo, *ibid.* et vir sanctissimus, *ibid.* 2. fuit vir mire zelosus et martyr, an capite plexus, *ibid.* mortuus et sepultus est in Babylonie, *ibid.* qua die occurrat dies ejus natalis, *ibid.* ejus libri auctoritas, obscuritas, præstantia, 3, 1, 2. scriptus ab ipsomet Daniele, 5, 2. in quibus fuerit typus Christi, 6, 1. quorum sit figura et imago, 7, 1, 2. an fuerit eunuchus, 9, 2. videtur non fuisse, *ibid.* unde pingatur imberbis, *ibid.* fuit de stirpe Juda, non Levi, *ibid.* ejus ætas dum in aulam Chaldæorum regis asciceretur, 10, 2. ejus doctrina, *ibid.* unde dictus Baltasar, 11, 2; 13, 1, 2. cur recusarit edere de cibis regiis, 12, 1. an fuerit aridus aspectu, *ibid.* ejus sapientia fuit supernaturalis, 14, 2. in Chaldaea apud reges in gloria fuit usque dum Cyrus regnum invaderet, 13, 1, 2. prophetavit etiam anno tertio Cyri, *ibid.* toto tempore captivitatis in Babylonie egit, *ibid.* cur non sit cum aliis ariolis vocatus ad somnium Nabuchodonosor de statua explicandum, 14, 1. chaldaice scribit a cap. ii usque ad initium cap. viii, *ibid.* 2. cur ad necem quæsusitus sit, 19, 1. quomodo ei revelatum nocte somnii regii mysterium, *ibid.* et 2. Deo prophetæ donum acceptum refert, 20, 1. quoque se ejus sapientia extenderit, *ibid.* quomodo sit a Nabuchodonosore adoratus, 33, 2. non consensit in idolatriam, dum Nabuchodonosor ei offerre voluit victimas, quia eas impedivit et restitit, *ibid.* et 34, 1. fuit a rege proximus, et nemo sine ejus auctoritate ad regem ingrediebatur, *ibid.* 2. cur ipse a satrapis non accusatus quod regis statuam non adoraret, 39, 2. censendus est martyr, etsi e lacu illæsus exiverit, 52, 1. sub Balsasare non ita fuit notus ut Prophetæ, ac sub patre, etsi ab eo in honore habitus, 70, 1, 2. cur se subduxerit ab ultimo ejus convivio, *ibid.* cur et quomodo servatus in clade urbis Babylonis, 75, 2. ductus est a Dario in Medium, sed eo post annum exspirante Babylonem ad Cynam rediit, 78, 1. factus est a Dario Tristates, *ibid.* quomodo esset ex latere regis, *ibid.* patuit satraparum insidiis, *ibid.* et 2. quam integre et fideliter regnum administraret, *ibid.* templum versus se convertens Dominum orabat, 79, 2. tribus per diem temporibus orabat, 80, 1. quomodo ei non nocuerint leones in lacu, 81, 2. id miraculum adscribitur ejus castitati ac jejunio, 82, 1. quo anno ætatis in lacum missus sit, *ibid.* 2. fuit in eo justitia vera, non impunita novantium, *ibid.* quomodo confisus sit Deo, *ibid.* fuit deinde gloriosus quamdiu regnarunt Cyrus et Darius, 83, 1. fuit typus Christi patientis dum in lacum leonum conjectus est, 84, 2. idem redivivus, est typus resurrectionis, *ibid.* quando viderit visionem quatuor bestiarum, 86, 1. an non fuerit revera Susis, sed in Babylone, cum vidi illam visionem, 99, 1. Gabriel angelus ei apparuit, 107, 2. orat ut Deus captivitatem Babyloniam solveret, 112, 1. Jeremiæ prophetiam legit studiose, *ibid.* fuit vir desideriorum dupliciter, 115, 2. cur luxerit tribus hebdomadis, 136, 1. jejunio impetrat visionem angeli, *ibid.* 2. cur solus ipse, non socii, viderit apparentem Gabrielem, 140, 2. quid ei hic revelarit, 141, 1. cur animo deficiat illo viso, 140, 1; 143, 2. quot annis ante predixerit prælia Seleucidarum et Ptolemæorum, 149, 2. ejus prima prophetia est historia Susannæ, 179, 1, 2. quomodo spiritum ejus Dominus suscitarit, 185, 2. erat xxiv annorum cum Susannam liberavit, *ibid.* non erat vere duodenis, ut putant alii, *ibid.* quot esset annorum cum Bellum everlit et in lacum missus est, 190, 1. cur per fenum Beli cineres cribraret, 191, 1. massa picea draconem crepare fecit, 192, 2. bis fuit missus in lacum leonum, *ibid.* unus tantum fuit Daniel, 193, 1. Daniel propheta multa Chaldaica usurpat vocabula, 248, 2. Dardania ob admissam Eutychetis hæresin terræ motu concussa, multa ejus oppida cum habitatoribus demersa, 535, 2.
 Daria (S.) e Iupanari sospes evasit et integra, et a leone propugnata est, 82, 1.
 Darius Medus cum Cyro Balsasari succedens in monarchia Babylonica, quis fuerit, variae sententiae, 761, 1, 2. fuit filius Astyagis, et Cyri avunculus, *ibid.* ejus nomen quid sonet, *ibid.* ipse idem qui Cyaxares et Artaxerxes, *ibid.* et 2. quo anno sit natus, *ibid.* Danielem secum in Medium duxit, 78, 1. voluit adorari ut deus, 79, 2. accusatores Danielis leonibus juste objecit, 83, 1. an vere ad Deum conversus, *ibid.* uno tantum anno regnavit in Babylonie, 111, 2. cur cesserit Cyro nepoti regnum Persarum, 188, 2.
 Darius Codomannus arieti cur assimiletur, 100, 2. ejus clades per Alexandrum Magnum, 24, 1. moriens quid ad eumdem dicaret, 104, 1.
 Darii symbolum fuit accipiter, 438, 2.
 Dativus sæpe apud Hebræos per paragogen redundat, 251, 1, 2.
 Datorem hilarem Deus diligit, 401, 2.
 David rex Salomoni cultum Dei commendavit, 413, 1. Ammonitas ob legatos suos violatos serravit, divisitque cultris, 540, 2. musicam adhibuit ad Dei laudes, eaque gravem, 597, 2. ei peccanti Deus remisit culpam scelerum, sed non poenam, 498, 2. ejus regnum per varias rupturas cecidit, 643, 2. ejus tempore maxime floruit, imo cœpit gloria Israelis, 644, 2. Davidis nomine sæpe in scriptura intelligitur Christus, 332, 1.
 Debelaim fuit socrus Osée, 287, 1, 2. an fuerit quoque fornicaria, *ibid.* nomen ejus quid significet, et quid symbolice, *ibid.*
 Decem reges futuri tempore Antichristi, quinam et quomodo accipientur, 90, 2.
 Decii et Valeriani persecutione, elanguentes christiani

- ad vigorem resuscitati sunt, 112, 2. Decii imperatoris Romani in christianos saevities et misera mors, 541, 1. Decimam quam frugum juberentur Hebrei tribus festis præcipuis ad templum ferre, 569, 1. Defunctis (pro) orandis, 239, 2. Delectare nos debent futura et Deus, non vero præsentia, 448, 2. Delectionibus abstinenſ carnalibus et terrenis, donatur celestibus et mentalibus, 14, 2. Deliciae quam noxiæ, 342, 2. fugaces et evanidæ sunt, 598, 1. eas sequitur saturitas, deinde violentia, mox excidium, 599, 2. effeminent animos viriles, et adiungunt ad omnia scelera, 599, 1. peccatori in hora mortis in dolores et angores vertentur, 629, 1. inter corporales et spirituales quod sit discrimen, 423, 1, 2. Delinquenti suum illico tortorem creat et destinat Deus, 76, 2. Deliquum et languor amoris quod sit, 381, 2. Delubra vox unde derivetur, et quæ dicantur, 398, 1. Demetrii Phalerei ænigma Philippo Macedoni datum, 103, 1. Demetrius Seleuci Philopatoris filius a patruo Antiocho Epiphane regno Asiæ pellitur, 153, 2. ejus posteri diu cum Antiochi successoribus de imperio decertarunt, *ibid.* Demolio activum est, et *demolitor* passivum aliquando, apud veteres, 494, 2. Demosthenes pretii enormitate deterritus, a Thaide recessit, 341, 2. Dentes in fame, contrahentibus se gingivis et nervis, habentur et obstupescunt, 570, 1. dentes leonis cur dentur locustis, id est exercitui dæmonis in fine mundi, 485, 2. dentes leoni grandævo sæpe comminuuntur, vel excidunt, *ibid.* Desolatio Judæorum extrema fuit et gravissima, idque quinque de causis, 128, 2. eaque erit perennis, 134, 2. desolatio Judæorum ob occisum Christum adhuc durat, et durabit, 629, 2. Desperatio extrema tentans sæpe stimulus et causa victoriae est, 319, 1, 2. est spei mater, *ibid.* Detractio proprie vocatur nigredo, 640, 2. Detractor cur vocetur locusta, 485, 2. canum naturam imitatur, 549, 2. Deus Pater est antiquus dierum, 91, 2. cur sedeat in throno, cur capillos habeat candidos et vestes, *ibid.* et 92, 1. ejus thronus flammeus quid designet, 92, 1. ejus judicium contra Antichristum fluvio igneo describitur, 92, 2; 93, 1. Deus Pater puto assimilatur, non cister næ, cur, 270, 1. ipse cum Filio spirat et mittit Spiritum Sanctum, 506, 1. Deus solus tria genera rerum cognoscit, 19, 2. Deus in arctis ab homine invocatus adest, 41, 2; 185, 1. castitatis est judex et vindicta, 187, 1. probatur exemplis, *ibid.* quare templa et res sacras ab hereticis et impiis profanari sinat, 106, 2. est fons lucis et cognitionis angelicæ et humanæ, 19, 2. vocatur cœlum increatum, 181, 1. superbos quoslibet exsecratur, 64, 2. stulta mundi eligens, stultam fecit sapientiam bujus mundi per Evangelium, 60, 2. judicia sua per angelos exercet, 163, 2. omnia ponderat, 73, 1. hebdomades a se præfixas abbreviavit propter suspiria et preces Prophetarum, 116, 2. facilit voluntatem timentium se, 113, 2. quam abunde suorum preces exaudiat, *ibid.* et 114, 1. olim in lege veteri terribilis erat, secus in lege nova, quæ est lex amoris, 140, 2. res humanas sinit agi suis moribus, 149, 2. suos quomodo adversis et temptationibus probet, 158, 2. in Scriptura vocatur et invocatur Maoz, 160, 1. olim in templo Salomonis habitans, erat quasi centrum mundialis sphærae, et omnium animorum, ut lineæ et orationes ab hominibus ducerentur in templum ubicumque ipsi existerent, 79, 2. ei ita nitendum est, ut tamen humana non negligamus media et auxilia, 143, 2. eum quomodo inanima laudent, 49, 1, 2. Deus in minimo eminent maximus, 218, 1; 608, 2. parvos et parva amat, 218, 1, 2. magna gaudet imminuere et contrahere, *ibid.* universum totum in homine collegit, dum eum microcosmum effecit, *ibid.* per Prophetas conatus est Israelem ab idolatria revocare, 219, 1. quomodo et quid animæ devotæ loquatur, 246, 1; 313, 1, 2. quod Dei hieroglyphicum apud Ægyptios, 274, 1. an possit dispensare ut fornicatio sit licita, 281, 1. in nullo præcepto legis naturæ directe et formaliter dispensare potest, *ibid.* 2. sed bene indirecte et materialiter, et in præceptis secundæ tabulæ, non vero primæ, *ibid.* potest dispensare in matrimonii vinculo, ut non sit perpetuum, 282, 1. ejus jussio abstersit a connubio Osee omnem turpitudinem, 284, 1. cur eum talen uxorem ducere jusserit, 285, 2. in eo non est oblivio, quomodo tamen obliisci dicatur, 292, 1. in eo nulla est passio, sed sola virtus, *ibid.* 2. in eo est verus et proprius actus misericordiae et aliarum virtutum, 293, 1. ejus essentia describitur et bonitas, *ibid.* essentia ejus per se præstat sola, quod in creaturis præstant bonitas, sapientia, aliæque plurimæ et diversissimæ virtutes, sed modo eminentissimo et illimitato, *ibid.* eum habere patronum quanta felicitas, 295, 1. Dei filiatio quæ sit, et quantum bonum, 296, 2 et seq. ejus erga nos charitas in justificatione, 297, 1, 2. substantialiter novo modo inest justo, 298, 1. ejus præsentia ubique præ oculis habenda, 299, 1; 448, 1. ejus in Israelitas miseratio, 306, 1, 2; 428, 2. quomodo vias peccandi peccatoribus obstruat, 308, 1. dies Baalim quomodo visitare dicatur, 310, 2. quomodo suos lactet, 311, 1, 2. suos in silentio et a turba secretos alloquitur, 316, 2; 317, 1. quomodo suos consoletur, 317, 1. eos ad extrema redigi permittit, et tunc demum auxiliatur, 319, 2. et quæ hujus rei causa, *ibid.* Judæis est Dominus, Christianis vir et sponsus, 320, 2. quomodo celos exaudiat, 323, 1. eum nosse beatitudo est, 334, 1, 2. parentum et maritorum peccata punit prolium et uxorum peccatis, 345, 1. pervidet intimas et secretissimas mentium cogitationes, propensiones, intentiones, etc., 353, 2. ira ejus comparatur leæne, cur, 359, 2. quid plagis, quas urbis et privatis hominibus immittit, spectet, 360, 2. tribulatione quasi medicamento vitia nostra curat, 361, 1, 2. pios jugiter in oculis et mente habet, 365, 2. ejus oculi soli comparantur, *ibid.* est sine patre et matre, 366, 2. non est causa perditio nis hominum, sed de ea dolet, et eam omnimodis avertere conatur, 367, 1. cur misericordiam præferat sacrificio, 369, 2 et seq. est omne bonum tam suum, quam nostrum, 390, 2. cur Jobum de turbine allocutus sit, 394, 2. hilarem datorem diligit, 401, 1. est radix regnum et rerum publicarum, 408, 2. ejus liberalitas in eleemosynarios, 421, 2. vindictam differens dormire videtur, 426, 1. quomodo se vocet nutritum Israelis, 428, 2. quomodo hominem ad se trahat, 429, 1, 2. peculia riter apud et inter Hebreos habitabat, 434, 1, 2. ejus in peccatores clementia et dignatio, *ibid.* 2; 496, 1, 2. unde hæc in eo oriatur, 497, 1. neminem reprobatur ex se ante prævisa demerita, 435, 1. omnium hominum, etiam peccatorum, salutem cupit, 436, 2. dedit homini liberum arbitrium, *ibid.* electionis alicujus plures habet causas nobis incognitas, 437, 1, 2. bis apparuit Jacobo patriarchæ, 448, 1. omnibus nobis ubique intimus et præsens est, *ibid.* 2. varias formas et personas assumpsit per Prophetas, ut Israelitas ad emendationem permoveret, 451, 2. nullum peccatum impunitum relinquit, 453, 2. ejus amor in fideles et filios, 456, 1. credentibus et pœnitentibus est mater, 457, 1. neminem reprobatur ideo ut peccet, sed omnem reprobum ideo reprobatur quia peccavit, 458, 1, 2. pupilos tuetur, 469, 1. peccatori non raro auferit dulcia et prospera, 484, 2. ejus mi-

lites sunt impii ad castigandos impios, 459, 2; 495, 1, 2. ejus clementia quot numeris justitiae præstet, 496, 2. ejus immutabilitas in quo consistat, 497, 1. omne bonum ei placet, malum omne displicet, *ibid.* 2. prævidet et providet omnia, *ibid.* quam sit patiens, *ibid.* ejus potentia in peccatoribus parcendo elucet, *ibid.* est summe justus, *ibid.* item in omnibus rectus, *ibid.* liberalis est, et communicat ex suo, quidquid communicabile est, *ibid.* pœnitentibus offensas etiam gravissimas ita condonat, ut nunquam earum recordetur, *ibid.* benignus est iis qui ipsum gravissime offendunt, *ibid.* nihil a quoquam supra vires in pœnitentiis exigit, sed paucis lacrymis, gemitu, imo corde dolente contentus est, 498, 1. verax est in dictis et promissis, *ibid.* non est acceptor personarum, 498, 1. nulla re turbatur, sed in omni re et eventu æquanimis est, *ibid.* non querit commodum suum, sed bonum creaturarum, *ibid.* bene et perfecte facit omnia in operibus naturæ æque ac gratiæ, *ibid.* non bis punit idipsum, *ibid.* 2. ejus dona sunt esca, fruges et omnia bona naturalia, 505, 2. est gloriæ sua æzolotes, *ibid.* solus menti illabi potest, 507, 1. realiter est in anima sancta, *ibid.* se suaque oracula attemperat conditioni hominum, et cuique pro suo statu accommode appetit, 508, 1. quam ei grata sit sui invocatio, 512, 1, 2. quomodo sit sanctorum spes et fortitudo, 524, 1. est in cœlo beatis omnia in omnibus, 528, 1. infirma mundi eligit ut confundat fortia, 485, 2; 533, 2; 616, 1. superbos et sacrilegos quam acriter puniat, 534, 2. rugit, tum per se, tum per Prophetas, dum in impios insurgit, 535, 2; 559, 1, 2. cur dicatur *ter maximus, ter felix, ter sanctus*, 538, 1. peccatori cuilibet sufficiens ad conversionem dat auxilium, 434, 2; 539, 2. ei displicet crudelis et crudelitas, 540, 2. animalium ruinam ab aliis causatam quam sentiat, 456, 2; 547, 1, 2. tam Gentium quam Judæorum est Deus, 549, 2. familias honorat, et iis benedicit, dum aliquos ex iis ad religionem vocat, 554, 1. gemitus ei cum datur, non est signum animi imbecillis, sed infensi et excitantis se ad plagam, *ibid.* 2. ejus stridor in peccatores, 555, 2. nullum malum suis immittit, nisi prius de eo eos moneat per Prophetas et prædicatores, 280, 1; 558, 1, 2. ambulare cum peccatore non potest, si ille peccatum defendat, 559, 1. ejus providentia et justitia venatur tyrannos et impios, 560, 1. mala tum publica, tum privata ipse infligit, *ibid.* 2. ejus magnificentiam ostendunt venti, 574, 1, 2. omnes creature sunt ejus exercitus, 576, 1. dicitur mundus exemplaris, *ibid.* est princeps temporum quasi sol, *ibid.* 2. est ipsum esse, tum suum formale, tum causale rerum omnium, 583, 1. sæpe infirmos roborat, ut prævaleant fortibus, *ibid.* omnem humanam potentiam sibi adversam subridendo sternit, *ibid.* et 2. est omnia, hinc omnia amittit qui peccat, 606, 1. in nullo est prædicamento, *ibid.* attributa omnia in eo habent verum esse, *ibid.* quomodo per vilia animalcula potentes domet tyrannos et reges, *ibid.* 2. pœnam fingit adæquatam culpæ, *ibid.* cum rempublicam vel animam aliquam sibi relinquat, se ei irasci ostendit, 612, 1. sua condonatione et gratia quasi calce oblinxit tegitque peccata, cum vero calcem et trullam ponit, permittit peccatorem vindictæ et hostibus, 612, 2. ejus omnipotentia et vindicta quovis adamante fortior est, 613, 1. non est virus Amos prophetæ in forma corporea, cum is se Dominum vidisse ait, 632, 1. ejus immensitatem et omnipotentiam, quam nemo evadere potest, quomodo Job exprimat, 637, 1. quomodo dicatur mandare pesti, gladio, fami, pisci, 637, 2. quam sit terribilis et omnipotens, 637, 2. ejus magnificentia colligitur ex cœli et terræ fabrica, 638, 2. ejus potestas et ultio in gentibus transferendis et evertendis, 640, 2. ignis consumens est, hinc sollicite cum eo ambulemus oportet, 320, 1. in arctis adest se invocantibus, 512, 1, 2. licet peccatori pœnitenti condon-

net culpam, non tamen illico condonat omnem pœnam, 498, 2.

Dii non fiunt ab idoloplastis, sed a cultoribus eos invocantibus, 512, 1, 2. Dii quilibet ab Hebræis vocabantur in plurali *Baalim*, 428, 1, 2. quam hi impotentes essent, 330, 2.

Diabolus peccatores suis vitiis alligat, 349, 2. Dei simia est, 347, 1. sæpe facit ut maniaci divinent, 248, 1. ejus opera potest quis alienari a sensibus, raptique in extasis quasi naturalem, 245, 2. est tyrannus Aquilonaris, cur, 502, 1. est homini leo in hac vita, ursus in morte, coluber in gehenna, 586, 1. est sanguisuga, qui semper sedit sanguinem, 379, 1. abutitur anima peccatoris pro sua libidine ad omnem malitiam et opprobrium, 486, 2. peccando perdidit suas opes et delicias, 488, 2. sanguinis humani avidus homines sibi immolari petebat, 455, 1, 2. diaboli quomodo vires animæ enervent, 383, 2. omnes pietatis fructus in ea evertunt instar locustarum, 486, 2. animas querunt, non aurum, 494, 2. formidant animos viriles, sæviant in molles et effeminatos, 605, 1. animam ad desperationem præcipitant, 319, 2. eorum alii huic, alii illi vitio præsunt, et ad ea homines sollicitant,

344, 1.

Die (in) judicii omnes gentes congregabit Deus in vallem Josaphat, et judicabit, 515, 1, 2. de eo loquuntur Prophetæ quasi de die prælii, 520, 2. cur vocetur dies magnus, *ibid.* 2; 510, 1. ejus horror, *ibid.* 2. semper hic præ oculis habendus, *ibid.* in eo an totus orbis e cardinibus suis convellendus sit, 633, 1. dies quomodo homo tropologice fiat, 237, 1. dies juventutis Synagogæ qui vocentur, 320, 1. dies excidii Hierosolymæ est typus diei mortis et judicii, 492, 2. dies nativitatis Israelis vel synagogæ quæ sit, 306, 1. quem diem quis quotannis solemniter recolere et celebrare debeat, 302, 2. dies qui nam sint magnæ virtutis Dei, 302, 1. dies parvi dicuntur dies humiliationis et angustiæ, 300, 2. dies magnos quos Romani vocarent, *ibid.* dies Baalim tropologice qui dicantur, 310, 2. dies lætiquinam Hebræis fuerint, quos proinde festos habuerunt, 301, 1, 2. dies apud Hebreos sæpe significat annum,

569, 1.

Dies mille trecenti triginta quinque post mortem Antichristi quinam intelligantur, et quomodo computandi sint,

175, 2 et seq.

Dissarratio est dissolutio matrimonii confarreatione contracti,

328, 1.

Digiti inæquales pedum statuæ Nabuchodonosoris quid dent, 30, 2.

Digna virgo Aquileiensis ab Hunnis ad stuprum rapta in flumen se, tuendæ virginitatis ergo, præcipitem dedit, 183, 2.

Digna virgo Hispana fuit a S. Agatha ad virginitatem et martyrium invitata,

171, 2.

Dignatio Christi summa est erga genus humanum, 507, 1, 2.

Dignitates hujus sæculi aureus quidam vapor sunt, 426, 2. Δυχὶς Græcis significat causam forensem, sententiam, jus et pœnam,

463, 1.

Diocletianus imperator quam atrociter christianos sit persecutus,

157, 1.

Diogenes cur simulacra adire, et aliquid ab iis petere solet, 377, 2. ejus de gula et crapula gnomæ,

342, 1.

Dionysius tyrannus quomodo omen adversum in bonam suam partem sit interpretatus,

72, 2.

Dipsas serpens avaritiae symbolum est, qui ab eo percussi sunt, inextinguibili siti enecantur, nec sitire desinunt, eti flumiña epolarent,

635, 1.

Dirigi in sacra Scriptura est prospere agere,

447, 2.

Diron hebraice quid sit,

168, 2.

Disceptatio Christi cum impiis in die judicii qualis futura sit,

516, 1, 2.

Disciplina in Scriptura significat rerum agendarum prudentialiam,

10, 2.

- Disciplinæ monasticæ abjectio quomodo a Deo puniatur, 625, 2.
- Discordia fraternalis graviter a Deo sæpe punita, 544, 2.
- Discriminat Deus interdum agros piorum ab agris impiorum, illos irrigando, hos arescere permittendo; illos a lupis et grandine tuendo, hos ab eisdem infestari sinendo, 571, 1.
- Dispensare an possit Dens ut fornicatio sit licita, et in quibus præceptis dispensare possit, 281, 1, 2.
- Dispositio ad prophetiam prima, est mentis quies, 226, 2. secunda, mentis abstractio, 227, 1. tertia, virtutæ sanctitas, *ibid.* et 2. maxime humilitas, 228, 1.
- Disputatio verborum, capitulum et sententiarum S. Scripturæ, multum valet ad ejus genuinum sensum capendum, 252, 2.
- Dissidia inter sanctos homines et voluntatum dissensiones interdum oriuntur, 142, 2.
- Dissolutionem monasteriorum quomodo puniat Deus, 624, 2.
- Divinare prophetias ahdusc futuras quatenus liceat per accommodationem, omen divinum, et novam prophetiam, 252, 1, 2. divinandi vis non est in anima moribundi vel maniaci, 247, 1, 2.
- Divinatio et prænotio futurorum contingentium propria est divinitatis, 55, 2. divinatio non fit naturaliter, *ibid.*
- Divini quomodo fieri possimus, 497, 1, 2.
- Divinitas Christi semper, etiam in morte, mansit tam corpori quam animæ ejus conjuncta, 364, 1, 2. divinitas omnes dotes et perfectiones in se continet, 293, 1.
- Divitiae vitiorum fomes sunt, 338, 1. sunt divitis idolum, rapina, robur, spes, requies, 450, 2. non extingunt habendi sitim, 379, 1. male partæ non sunt diuturnæ, 394, 2; 395, 1. — *Vide Aurum, Pecunia.*
- Docti fulgebunt ut splendor firmamenti, 169, 1. quales ii docti sint, *ibid.* 2.
- Doctor bene docens, et nihil faciens similis est cupresso, 473, 2. doctor arrogans convertitur in arcum pravum, 387, 2. doctor justitiæ quis a Joele promittatur, an Ezechias, an Josias : utrumque negatur : sed ostenditur fore Messiam, 503, 2. quanquam alludat ad Prophetas Judæorum post-captivitatem Babylonicam futuros, 504, 1.
- Doctores an præ aliis justis fulgebunt, 169, 2. lucebunt ut stellæ, *ibid.* ii intelliguntur per doctos, 470, 1. scilicet practici, *ibid.* 2. doctores optimi, quique ut stellæ lucere dicuntur, sunt qui alias excitant ad constantiam et martyrium, *ibid.*; 171, 1. hinc erit eorum gloria major, tum accidentalis, tum essentialis, *ibid.* eorum aureola qualis futura, 171, 2. doctores Ecclesiæ hyadibus assimilantur, 582, 1.
- Doctrina Christi sycomoro comparatur, 617, 1. ejus paradoxæ, 251, 2. doctrina cur Hebreis vocetur ros vel pluvia, 469, 1, 2; 503, 2. doctrinam suam Christus multis confirmavit tum hominibus in dativo, tum argumentis in ablativo, 129, 1, 2. doctrinæ commendatio, *ibid.*
- Dodæ Comitissæ testamentum, 62, 1, 2.
- Dolare in Prophetis suis cur et quomodo se dicat Deus, 367, 2.
- Dolor vehemens loquaciam adimit, 585, 1.
- Dominicus (S.) quomodo cuidam donum castitatis obtinuerit, 114, 1. visus in fronte gestare stellam, 172, 2. fuit velut angelus terrestris suo avo, 229, 2.
- Domitianus imperator voluit haberi et coli ut deus, 79, 2. quam nec ei minarentur Romani, 102, 1. ejus persecutio in christianos quanta fuerit, 157, 1. Joannem Evangelistam in dolium ferventis olei misit, *ibid.*
- Domus ponitur aliquando pro sobole domum incolente, 181, 2. domus æstiva et hiemalis quid sint mystice, 565, 2. domus eburnea qualis ab Achab exstructa, *ibid.* domus spiritualis partes et membra, 646, 2. domus Dei vocari potest tota terra Israel, 408, 2. domus Domini symholice erat Israel et Juda, 389, 2.
- Dona Dei qua ratione in se agnoscent Sancti, 20, 2.
- Donorum Spiritus Sancti copia et ubertas magna in Apostolos et fideles effunditur, 506, 1, 2. ea ipse indifferenter in omnes effundit, 507, 2. donis sponsi olim apud Hebreos, Romanos et Græcos uxores sibi coemebant, 327, 2. quæ hinc vocantur dona sponsalia vel jugalia, *ibid.*
- Dormire in lectuli plaga quid sit, 563, 2.
- Dorothea (S.) ad martyrium abiens Theophilo promisit rosas tempore brumæ ex horto sponsi sui, 172, 1.
- Dorotheus qui vitas et mortem Prophetarum scripsit, non fuit episcopus ille Tyrius et martyr sub Juliano, 232, 1.
- Dos Dei animam sibi despondentis, quæ, 321, 2.
- Dracones natura sunt monstrosa, fortis et pervigili, 191, 1, 2. illis a priscis assignata custodia ædium, adytorum, oracula, thesaurorum, heroum infantiarum, sunt quoque symbolum prudentiae, sapientiae et vaticinii, *ibid.* aliorum draconum immanitas et magnitudo, *ibid.* et alia mira de draconibus referuntur, *ibid.* sæpe draco pro numine adoratus a Gentilibus, 191, 2. cur draco ad S. Sylvester pedes pingatur, 192, 1. etiam haeretici nonnulli in draconis specie dæmonem coluerunt, *ibid.* angusta habent ora, *ibid.* 2.
- Duella cur non sint ineunda, 102, 1, 2.
- Dympna (S.) martyr et virgo Hiberna obtruncata a patre, quod ipsi nubere nollet, 183, 2.

E.

- Ebrietatis damna octo, 68, 2 et seq. est humani generis opprobrium, et putoeus inferni, *ibid.* ebrietas voluntaria insania est, 343, 2. ebrietas capitur aliquando pro rerum omnium abundantia, 471, 2.
- Ebrios non sunt plerumque luxuriosi, 28, 1.
- Ecclesiæ imago, Susanna est, 183, 1. stellis coronatur in capite, 172, 2. persecutionibus exagitatur sæpe ob peccata fidelium, 112, 2. est thronus Dei, 92, 2.
- Ecclesia catholica cur Origenem damnaret, 235, 1. ejus hieroglyphicum et exordium, 260, 1. eam Christus sibi copulavit ut conjugem, 286, 2. ejus quis sit magnus dies, et fuerit, 302, 1, 2. est una et sola, 312, 2. varias ob causas vocatur solitudo, *ibid.* et seq. eam quando et quomodo Deus sit consolatus, 316, 2. ob scelera impiorum punitur et turbatur, 318, 2. ejus bonis locupletari volentes graviter peccant, 338, 2. vineæ ob varias analogias comparatur, 411, 1, 2. vocatur oliva ob varias analogias, 471, 1. quatuor ejus bona spiritualia, sunt præcepta, exercitia, virtutes et charismata, 490, 2. unde dicatur, et quod ejus etymon, 512, 1. per Sion et Jerusalem intelligitur, *ibid.* 1. Arcturo sideri assimilatur, 582, 1. est velut fasciculus Dei, 639, 2. est tabernaculum Davidis, id est Christi et christianorum, 643, 1. materialiter et reipsa est regnum Christi, 644, 1. fundata est super petram, 646, 2.
- Ecclesiam triumphantem nulli adversarii affligere, nulli immundi polluere poterunt, 525, 1. Ecclesia vetus Iudeorum per multas rupturas cecidit, 643, 1.
- Ecclesiasticus si opes quas ex beneficio percepit, relinquat cognatis laicis, eosque inde locupletet, peccatum mortale esse censem plerique, 634, 2. invectiva in eos qui beneficia beneficiis accumulant, *ibid.* eorum cupiditate sovetur valde avaritia laicorum, *ibid.*
- Eclipsis solis facta in passione Christi, allegorice indicata per Amos, 629, 1.
- Eden regio, in qua situs erat paradisus terrestris, fuit in Mesopotamia et locis viciniis, 542, 1.
- Educat prolium et indoles a matre maxime pendet, 285, 1.
- Effeminati quinam et quales essent, 345, 2. cur ita dicentur, *ibid.* erant Priapo consecrati, *ibid.*
- Effusio donorum Spiritus Sancti vocatur in Scriptura bap-

- tismus, 506, 1. quanta ejus donorum copia sit, *ibid.* 2. quam Spiritus Sancti effusio necessaria mundo fuerit, *ibid.*
- Electores S. R. Imperii in inauguratione imperatoris quæ imperii insignia gestent, 621, 2.
- Electorum cœtus vinculo charitatis in terra, et vinculo prædestinationis in mente Dei colligatus, est velut fasciculus, 639, 2. electi ante opera prævisa non sunt ad gloriam prædestinati, 435, 1.
- Eleemosyna satisfaciendam pro peccatis contra Calvinum, 61, 1. ipsa assimilatur aquæ baptismi, 62, 1. eam crebro suis inculcat concionator, *ibid.* redimit peccata tricliniter, *ibid.* 2. sine ea quidam salvari nequeunt, *ibid.* eleemosynæ præstantia et vis, 369, 2 et seq. quantus sit proventus et redhibitio, 421, 1, 2. solet vocari justitia, 599, 2.
- Eleemosynariorum opes Dominus multiplicat, 626, 1, 2.
- Elementorum trium, puta ignis, aeris et aquæ, colligatio, quæ in terra quasi basi et centro fundata sunt, vocatur fasciculus, 638, 2.
- Elephantem terret porcus grunniens, 81, 2.
- Elesbaan, Æthiopum rex, angeli auxilio retulit victoriam de Homeritis, 145, 1, 2.
- Elisabetha, Angliæ regina, hæresim in Angliam invexit, quo regnum sibi stabile faceret, 377, 1. quomodo catholicam fidem initio regni subverterit, 380, 1.
- Elisæus solus Dei jussu in prophetam ab Elia unctus est, 228, 2.
- Eloquentia semper claruere Græci, 24, 1, 2.
- Emath urbs unde dicta, ubi sita, quotuplex fuerit, 594, 2. an duplex; una magna, altera minor, *ibid.* et 595, 1, 2. ostenditur tantum esse unam, scilicet Antiochiam, *ibid.*
- Emmanuel Sa breviter in Prophetas Minores scripsit, 222, 1.
- Encæniorum diem cur Judæi celebrarint, 302, 2.
- Engaddi vinea fertilissima fuit, 317, 2.
- Epaminondæ obsessi ab hostibus præsidentia, 68, 1. osor et hostis fuit deliciarum, 599, 1.
- Epha continebat tres modios Italicos, eratque decima pars cori, et idem quod medimus Atticus, 626, 2.
- Ephod erat primaria vestis pontificis, 330, 1.
- Ephraim cur dicantur decem tribus, 220, 2. Ephraim significat frugifer, crescens, multiplicans, 466, 1. Ephraim tribus dedit primum regem Israel, et multos ejus successores, 354, 2.
- Epicuræos (ad) cur multi ex aliis sectis deficerent, ex iis ad alias nemo, 342, 2.
- Epicuri sobrietas, 14, 1.
- Epiphania urbs an sit Emath minor, 594, 2 et seq. quatuor Epiphaniae sunt in diversis provinciis, 595, 1.
- Episcopi quando et quomodo subditis fiant rete, 332, 2. advigilant, ne novi Scripturæ sensus proferantur, 226, 2. episcopatu arcendi ii qui carent scientia S. Scripturæ, 337, 2. — *Vide* Prælati.
- Pistolæ Paulinæ non existant eo ordine quo scriptæ, 222, 1.
- Epitaphium orbis universi, et commune omnium Prophetarum, quod sit, 239, 1. epitaphiorum quatuor sunt cause, *ibid.* 2.
- Equitatus et equorum copia Judæis vetita, 468, 2.
- Equitus abbas quomodo ab angelo sit castitatis dono donatus, 47, 1.
- Equos petere solebant Judæi ex Ægypto, 468, 2.
- Eremiticæ vitæ bona, delicie et encomia, 313, 1, 2.
- Ermelindis virginis castitas ab angelo protecta, 47, 1.
- Eruca vermis est, qui post pluviam nascitur, ac per caules, olera, arborumque folia repit, eaque exitiali morsu arrodit, 478, 1. unde nomen eruca derivetur, *ibid.* quomodo colligi, et quando debeat, *ibid.* 2. an vermiculus sit, qui crescens fiat bruchus, ac deinde locusta, 484, 2.
- Esau dum viveret, potentior et ditior fuit Jacobo fratre, 446, 2. est odio habitus propter peccata, 458, 1. dictus querinus, 553, 2.
- Esseni Alexandriæ quotidie jejunabant, 229, 2. essenorum abstinentia et sapientia, 14, 1.
- Essentia Dei infinitæ virtutis est, 293, 1. identificatur cum actibus et potentiis divinis, tum circa se, tum circa creaturas, *ibid.*
- Esurientes justitiam sunt beati, 340, 1.
- Eva a serpente decepta columbæ assimilatur, 384, 2.
- Evangelistarum capita quomodo olim Patres Græci et Latini distinxerint, 253, 1.
- Eucharistia dicitur juge sacrificium, 175, 1. complementum bonorum est, 332, 2. ejus sacrificium in specie panis et vini institutum a Christo, cur, 401, 1. est funiculus amoris, 430, 1. ipsa cur rori comparetur, 469, 2. est memoria et memoriale juge Christi, 272, 2. panem cœlestem nobis manducandum exhibet sub specie panis tritici, 471, 2. ea fideles spiritualiter inebriantur, *ibid.*
- Eunuchi olim regibus familiares erant, et principes gynæci et aulæ, ac præsides provinciarum, 9, 1, 2. an eunuchus fuerit Daniel et socii, *ibid.* eunuchi sunt imberbes, *ibid.* eunuchi vocantur omnes aulici, *ibid.* eunuchi apud Judæos erant infames, et ab Ecclesia arcebantur, *ibid.*
- Euphemismus figura est boni ominis captatio, 253, 1, 2.
- Euphrasia Antiochena virgo quomodo mortem elegerit præ desfloratione sui corporis, 183, 2.
- Euphratis latitudo, 75, 1.
- Eutychiani quanta crudelitate Proterium Alexandrinum Patriarcham interfecerint, 158, 1.
- Excelsa erant fana et altaria diis dicata, 344, 1; 614, 1. excelsa Isaac quæ vocet Amos, *ibid.*
- Excessus mentis aliquando fit sine alienatione a sensibus, 245, 2.
- Excrerationem Hebræi per euphemismum tam horroris, quam boni ominis causa, subllicant, 627, 2.
- Exempla sobrietatis, 13, 1, 2 et seq.
- Exempli boni vis quanta sit, 52, 2.
- Exercitus Romanorum Jerusalem obsidens an esset abominatio desolationis, 132, 1.
- Exhumare mortuos inhumanum est, 549, 2.
- Exossare agros quid sit, 452, 2.
- Exprobratio Christi judicis ad reprobos, 168, 1, 2.
- Extasis differt a prophetia, et quid proprie sit, 245, 2. aliquando contingit sine alienatione mentis a sensibus, *ibid.*
- Extremum judicium aliquo modo repræsentatur in iudicio, quo Deus Pater Christo Filio regnum adjudicabit, 92, 2.
- Ezechiel cur jussus stercore boum vesci, 284, 1.

F.

- Fabiolæ (S.) Romanæ publica pœnitentia, quod marito adultero repudiato, inscia alteri nupsisset, 487, 1.
- Fabius Cunctator quid responderit Hannibali ad pugnam provocanti, 102, 1.
- Fabrica templi Salomonici a Juliano reincepta, est cœlitus disturbata, 134, 2.
- Fabula tres habet partes, fabulam, profabulationem et affabulationem, 558, 1, 2. ad fabulas poeticas subinde alludent Prophetæ, 244, 1, 2. fabularum utilitas, *ibid.*
- Facere veritatem et mendacium in Scriptura quid sit, 377, 2. facere Latinis idem est quod sacrificare, 309, 1. facere aurum et argentum, est illud cœlare, polire, aut efformare, *ibid.*
- Facies fulgorans Gabrielis apparentis Danieli significat gloriam angelorum, et zelum contra impios et hostes fidei, item resurrectionem, 139, 1.
- Actionis tollendæ unica ratio est, caput et ducem tollere, 600, 1.
- Famam mortuorum lœdere, quantum sit nefas, 549, 2.

- Fames in Athenienses unde immissa, 87, 1. famis patientissimi sunt ursi, *ibid.* fames Judæa septem annorum, quam Elisæus sub Joram rege prædictis, an a Joele significata sit, 481, 1, 2. an fames biennalis, quam prædictis Amos, *ibid.* utrumque negatur, *ibid.* famem sæpius Israelitis ob idolatriam Deus immisit, 570, 2. Fasciculus Dei quis dicatur, 638, 2. mundus sublunar et globus terræ septupliciter fasciculus vocatur, *ibid.* mystice est Ecclesia, et anagogice electorum cœtus, 639, 2. fasciculus viventium est numerus prædestinatum, cur, *ibid.* Fauces hiantes signum famis, 372, 2. fauces sunt etiam stricti ingressus vallum aut collum, *ibid.* Faustina M. Antonini philosophi imperatoris uxor infamis fuit stupris, 283, 1. Febris amoris quam noxia, 344, 2. febris tertiana vocatur causon, 445, 2. Felicitas sequentium Deum ac Christum, et fidelium, 474, 2. Feminae omnium pene animalium magis lascivæ sunt quam mares, et quæ bujus rei ratio physica, 348, 1. seminarum oculi, facies, corpora et colloquia sunt vicepere, 480, 2. Fenella Kemethum regem Scotorum occidit porrigens ei pomum aureum, e quo multa tela prosiliebant, 387, 2; 681, 2. Feræ solent corpus captæ prædæ usque ad cor findere, ipsumque cor primo devorare, 456, 2. Fermentatum nihil inferri poterat altari, poterant tamen panes fermentati afferri quasi donaria pro sacerdotibus, 569, 2. Fermentum est symbolum corruptionis et malitiæ, 569, 2. Ferreis plastris triturabant Hebræi, 540, 1, 2. tale plastrum describitur, *ibid.* Ferro denotatur bellica vis Romanorum et eorum duritia in continuis laboribus, 28, 1. Festa varia Judæorum qua de causa instituta, 302, 2. festa futura apud eos publica præconis voce publicantur, 320, 2. Ficus Ægyptia quæ dicatur, 616, 2. ficus geminæ (quas Debelaim significat) quid tropologice et litteraliter denotent, 287, 1, 2. per ficus denotantur apud Prophetas Judæi et Judæa, 486, 1. ficus præcoquæ et primæ, quia avide expetuntur, abierunt in proverbium, significantque rem valde desiderabilem, 404, 2. Fideles primi fuerunt ex Juda et Israel, 304, 1. hi fratres vocabant eos qui ex Samaritis et Gentibus ad fidem convertebantur, *ibid.* eorum sensim quale fuerit incrementum, 300, 2. fideles lunam habent sub pedibus, et omni rerum temporalium mutabilitate superiores sunt, 355, 2. fideles exigitantur persecutionibus ob sua peccata, 112, 2. Fidelis, quem diem magni facere debeat, 302, 2. sit sanctus in verbis et in operibus, 473, 2. est lily ob septem analogias, 469, 2. peccatis inquinatus est vas immunandum, 393, 2. Fidendum Deo : nam suos ad extrema quidem redigi permittet, non tamen deferet, 319, 2. Fidentes Deo semper juvantur, 319, 2. Fides initio Ecclesiæ maxime inculcanda fuit, 322, 1. ejus solitudo in Ecclesia est, cum apud hæreticos et idololatras sit multitudo, 312, 2. fides vera est omne regnum firmamentum, 377, 2. fides in Deo est fidelitas et constantia in promissis, 322, 1. fidem qui Deo non servat, nec homini servabit, 378, 4. Fides (SS.), Spes et Charitas sorores fuere et martyrio et sanguine, 546, 1. Filiatio Dei quanta sit dignitas, 296, 2; 297, 1. quomodo haec fiat, *ibid.* fit per Spiritum Sanctum, qui personaliter datur filiis Dei, 297, 1, 2. Filios ex uxore accipere, Hebræis idem est quod procreare, 284, 2. filii Osee cur vocentur, filii fornicatum, 282, 2; 284, 2. eos non adscivit ab alio procreatos, sed ex legitimo cum fornicaria matrimonio ipse procreavit, 282, 2; 284, 2. filius meretricis quis dicitur, 284, 2. filii maris qui dicantur, 437, 2. qui filii obedientiæ, superbiae, diffidentiæ, 285, 1. qui filii Titan, 244, 2. qui filii Prophetarum, 231, 1, 2. filii Sion sunt omnes filii Ecclesiæ Christi, fideles et christiani, 508, 1, 2. Filio Dei similis in fornace apparet quis esset, 50, 1, 2. Filio Dei appropriatur salus, liberatio et redemptio, 293, 2. — *Vide Christus.* Filium Dei esse majus est, quam cœli terræque dominum aut angelum esse, 299, 1. tales quomodo reddamur, 298, 2. et filii Dei adoptivi, *ibid.* Fines fidelium, et sanctorum latiores et meliores quam impiorum sunt, 596, 1, 2. Firmamenti cœlestis volubilis celeritas, 193, 2. Flere non posse maxima flendi causa, 337, 1. Flores spirituales virtutum quinam sint, 647, 1, 2. Fluvius igneus ex ore Dei egrediens, est sententia summi Judicis efficacissima et celerrima, 92, 2; 93, 1. idem angelis accommodatur, *ibid.* Fluvius turbidus cur vocetur Nilus, 606, 2. Fodere per metalepsim cur significet emere vel compارare, 327, 2. Fœnum cordum quod sit, 609, 1. Fœnus Hebræi vocant vulnus et morsum, 633, 2. est animæ funus, 449, 2. dabatur ad calendas, 625, 1. Fœtor Judæorum nativus, baptismo tollitur, 395, 2. Folia septem mystica vitis, quæ anima est, 412, 1. Fomes peccati vocatur aliquando mors, hic in resurrectione et gloria cœlesti auferetur, 465, 1. Fons de domo Domini sanctos inebrians, quis sit, 526, 1. Formula confessionis, poenitentiæ, et deprecationis, 468, 2. Fornicari Osee a Deo non jubetur, 280, 2; 284, 2. Fornicatio et in novo Testamento est prohibita, et in veteri fuit, jure naturali et divino, 281, 1. ejus congrua poena est ἀτεχνία, 407, 2. fornicatio significat apud Prophetas idolatriam, 280, 2; 283, 1; 287, 1; 306, 1; 417, 2. fornicatione et omni obscenitate colebatur Priapus, et omnia idola, 340, 2. fornicatio tum corporalis, tum spiritualis (id est infidelitas et idolatria), hominem facit vecordem, et cur, 341, 1. Fortitudo actionis angelorum et Machabæorum significatur per brachia ænea angeli Danieli apparentis, 149, 1. fortitudo invicta Christi et S. Petri, 614, 1. Fortuna principum aurea est, sed vitrea : fortuna aurea in Imperatorum cubiculis olim servabatur, 155, 2. fortunam viscatain coluere Romani : fortunæ cultor cur fuerit Servius Tullius, *ibid.* Fovea inferni vocatur fovea profundissima, 636, 2. Franciscæ (S.) Romanæ cum angelo suo familiaritas, 439, 2. Franciscus (S.) erga Michaelem Archangelum mire affectus erat, 143, 1. noctes et dies quid oraret, 50, 1. ejus humilitas, 65, 1. cur suos dici voluerit Minores, 217, 1. noluit eos ad Ecclesiasticas dignitates promoveri, *ibid.* quomodo vita sua omnes ad cœlum vocarit, 230, 1. unde S. Scripturam intellexerit, 233, 2. Franciscus Lucas apologiam scripsit Targum Chaldaici, 223, 1. Franciscus Ribera persecutur minutum sensum moralis XII Prophetarum, 222, 1. Franciscus Vatablus ab hæreticis impressoribus est viiatus, 222, 2. Franciscus Xaverius (S.) fuit velut homo cœlestis, et angelus terrestris, 230, 2 et seq. præfectum Malacensem in vallem Josaphat citavit, 517, 1. quam Joanni Lusitanæ regi, et in eo omnibus principibus meditationis materiam præscripsit, 621, 2.

Frater est fere alter ; fratrum officia : fratres in fratres injurii acriter a Deo puniti, 545, 2; 545, 1. Fraterni amoris bona et suavitas, *ibid.* ejus bases quinque, *ibid.* 2. Frigus urere quomodo dicatur, 571, 1. frigore etiam torquendos damnatos in inferno censem multi, 517, 1. Frondator tripliciter accipi potest, 612, 2. Frondosa vitis quæ dicatur, 410, 1, 2. Fructum mendacii comedit omnis peccator, 423, 1. Frumentum cur carius circa tempus messis, 625, 1, 2. frumenti monopolas quam acriter Deus puniat, *ibid.* 2. sæpe eorum frumentum deperditur, 626, 1. Fuga unicum fornicationis remedium, 341, 2. Fulgor symbolum belli acris et celeris, et bellatorum ardentium, 139, 2. Fumus a vapore quomodo differat, 509, 1. Fundos suos solebant veteres lapide in terram defosso, vel columna erecta, vel titulo limitare, 356, 2. Funiculi Adam quid proprie significant, 420, 1 et seq. funiculi, spatia itinerum Ægyptiis sunt, 526, 1. funiculis pro virginis mensoriis, ad terram dividendam, olim utebantur, 357, 1; 618, 2. hinc funiculus significat sortem hæreditariam quæ cuique sortito obtigit, *ibid.* Furari nunquam licet, 281, 1, 2. Furzeus (S.) accusatus ad tribunal Christi est, quod peccantes non corripuissest, 584, 2. Futura contingentia omnia, omnesque actus voluntatis liberos futuros, vel absolute, vel conditionate, præcognoscit Deus, 353, 2. hæc prænotio est dos propria Deo, et nota divinitatis, 247, 2. Futurum junctum participio vel gerundio ejusdem verbi Hebræis significat actus vehementiam et continuationem, seu consuetudinem, 287, 1. futurum Hebræis sæpe significat consuetudinem actionis, 338, 1.

G.

Gabitarum stuprum in uxorem Levitæ contigit statim post tempora Josue, vivente adhuc Caleb sub Othoniele : quod diversimode probatur, 417, 1. Gabriel Angelus Danieli apparuit, 00, 0; 00, 0. idem est qui missus est ad Danielem nuntiatus de LXX hebreis hebdomadibus, et qui Deiparæ incarnationem nuntiavit, 114, 1, 2. quidnam ejus nomen significet, *ibid.* 2. annes sit de numero Seraphinorum, *ibid.* ejus dignitas, *ibid.* et seq. eum esse inter Seraphinos primum probatur octo rationibus, 413, 1, 2. id tamen auctori displicet, *ibid.* 2. quomodo dicitur Archangelus, *ibid.* ipse confortavit Christum in agonia positum, *ibid.* 2. non est ex ordine Principatum, 115, 1. ipse augusta forma Danieli apparenz notat victorias Machabæorum, Christi et Christianorum, 137, 2 et seq. Gadata et Gobrias transfugæ Babylonii Cyro Babylonem prodidere, et in regiam eum duxere, 75, 2. Galaad mons erat Terræ sanctæ, qui cessit in sortem tribubus Ruben et Gad, in eo ædificata civitas dicta quaque est Galaad, eratque civitas refugii, in eaque multi sacerdotes habitabant, facta deinde metropolis idololatriæ, 372, 1; 462, 1. in ea erant aromata optima et medici, 376, 2. Galgal (in) Israelitæ abjecerunt omne regimen Dei tam politicum quam sacrum, 408, 1. ea urbs ubi sita, et ad quam tribum pertinet, 346, 1, 2; 462, 1. fuit miraculis et religione patrum sancta et illustris, 346, 2. quæ mira in ea contigerint, *ibid.* cur ibi idololatriæ idola statuerint, *ibid.* et 462, 1. Galilæa unde nomen acceperit, 520, 1. Galli et effeminati, probrosa vocabula, 345, 2. Galli per tres, id est ter, significant superlativum, 538, 1. Gaspar Sanchez Societatis Jesu scripsit in Prophetas Minoribus, 222, 1.

Gaza urbs Philistiæ unde dicatur, Pomponii Melæ in ejus etymo error, 543, 1. est et altera Gaza Mediae civitas, *ibid.* Gedeon quare et unde dictus Jerobaal et Jerubaal, 359, 2; 424, 1. dictus est etiam Arbel, 424, 2. Gemmayz quæ sit in Syria arbor, ejus vilitas, 617, 1. Generatio Christi duplex, temporalis et æterna, cum aurora comparatur, 366, 2. Gentes ascitæ per fidem in familiam Abrahæ, benedictionum et promissionum illi a Deo factarum, inter quas prima est effusio Spiritus Sancti, justificatio, et adoptio, factæ sunt participes et hæredes, 295, 2; 507, 2; 603, 2; 643, 1, 2. servi et ancillæ erant ante Christum, sed per Christum in filios cooptatæ sunt, 508, 1, 2. earum conversio per Prophetas promittitur, 295, 2; 296, 1; 300, 1. Gentiles dum baptizantur adulti, christianum nomen assumunt, 11, 2. Gentiles, reges et homines sapientia aut virtute excellentes, quasi deorum filios olim adorabant, 34, 1. ad imitationem Judæorum Seraphim colentium, efformarunt suos Teraphim, 331, 1, 2. in afflictione diis suis, quasi ejus auctoribus, maledicebant, 602, 2. magno ululatu deorum opem exposcebant, 386, 1. Gerardi (S.) mors læta et felix, 464, 1. Germani (S.) Capuani anima ab angelis in cœlum duci visa, 143, 1. quomodo triturent et Galli, 418, 2. Germen erumpit, non radix, quæ sub terra se abscondit, 470, 2. Gerundia suis verbis juncta eorumdem significationem adaugent, et actionem complent, et indicant modum quo ea fieri solet, 237, 2. Gestus et vox Prophetarum qualis fuerit, 228, 2. Getulii (S.) martyris in tormentis constantia, 43, 1, 2. Gigantum (ad) fabulam alludit Scriptura in Judith, 244, 2. Gladius anceps ore Dei egrediens quid significet, 93, 1. Globus aureus cur imperatori in inauguratione in manus detur, 621, 2. globus terræ vocatur fasciculus ob sex causas, 638, 2. Gloria inanis vento comparatur, 394, 2. et culmo evanido, *ibid.* gloriae suæ zelotes est Deus, 505, 2. Gnomæ de sobrietate, 12, 2 et seq. de erudiendis liberis, 10, 2. de aulica vita, 80, 2 et seq. Gomer vocata fuit uxor Oseæ, 287, 2. quid nomen id symbolice significet, *ibid.* an post susceptas ex eo proles adulterata sit, 326, 1; 329, 1, 2. Gorgonis Lacænæ responsum de Lacænarum imperio in viros, 285, 1. Gororanis regis Persarum in christianos immanitas, 157, 2. Gradatio Prophetis frequens, 251, 2. Gradus novem impietatis sunt, 374, 1. peccati et peccantium sunt tres, 293, 1. et alii quatuor peccati, 348, 2. Græci sunt hircus ob decem analogias, 101, 1, 2 et seq. eorum imperium cur comparetur æri, 24, 1, 2. eloquentia eorum et bella, *ibid.* cur regnum hoc ventri comparetur, 27, 2. quamdiu id steterit, 30, 1. eorum regnum, item comparatur pardo ob sex causas, 88, 1, 2. Græci in ordine Prophetarum a Latinis dissentiant, 221, 2. græci dormientes in pelle arietis Jovi immolati captabant ejus responsum, 552, 2. eorum Victoria ad Thermopylas, 372, 1. Græcorum princeps, id est Angelus, quid a Deo postularit, et cur eum Gabriel pro Judæis decertans timeret, 145, 1. Gratia justificans, per quam in filios Dei adoptamur, non est una simplex qualitas, sed multa Spiritus Sancti dona, quin et ipsum Spiritum Sanctum complectitur, 297, 1, 2. gratia Spiritus Sancti, quos in anima effectus pariat, 526, 2; 582, 2. privatio gratiæ, argumentum superbiae et: at ejus copia et affluentia signum humilitatis, 408,

1. gratia plenitudo animæ Christi infusa fuit in primo conceptionis ejus instanti, 366, 2. gratia omnis vigor, qua spiritualiter vivimus et crescimus, a Christo quasi a radice derivatur, 408, 1.
Gratiae agendæ Deo ob datas escas, fruges et omnia dona naturalia, 505, 2.
Gregorius (S.) Nazianzenus quomodo suo ad haereticos convertendos Constantinopoli exemplo profecerit, 53, 1, 2.
Grex proprie est minorum animalium, 616, 1.
Grillus est locusta cinerei coloris, 479, 2.
Gubernator qualis esse debeat, 78, 1.
Gulæ summum fauces vocantur, extremum stomachus, 374, 1. per ventrosum bruchum denotatur, 484, 1.
Gulosi emblema quid sit, 386, 2. in sordibus et vomitu suo computrescit, 489, 2. ei quomodo ad cibam et potum Deus viam obstruat, 308, 1. ejus typus Damascus est, 547, 2. saepe punitur penuria cibi spiritualis, 629, 2.
Gymnosophistarum Indorum abstinentia, 14, 1.

H.

- H**abacuc translatus ad Danielem an fuerit idem qui Propheta minor, 193, 1, 2. an scripserit historiam de Daniel in lacum leonum misso, *ibid.*
Hadrianus imperator privatas injurias ulcisci noluit, 434, 1.
Hæresis est abominatio desolationis, 34, 1. est statua quam haeretici ornant et erigunt, 38, 2. cur in Belgium inducta sit sub initium tumultuum ejus, 161, 1. hæresis affert dolos et fraudes, 378, 1. eam politici principibus suadent, ut statum et principatum suum tueantur, 377, 1. ea quomodo in Hollandiam inventa, *ibid.* hæresis Calvinistica quot mala invexerit in Europam, 445, 2. hæresis est, sacrae Scripturæ alienos ab ejus mente et contrarios sensus affingere, 225, 2.
Hæreticorum descriptio genuina, 308, 2; 309, 1. transgre- diuntur terminos religionis a patribus sancitos, et hæresin assumunt quasi idolum, 357, 1. pacifica omnia pro- mittunt, sed paulatim occulte sua docent, et ut cancer serpit illorum dogma, 380, 1. sunt arcus dolosus et con- vertuntur in arcum pravum, 387, 2. quare ventum dicantur seminare, 394, 2. ut excutiant jugum fidei et catholicorum principum, Turcarum opem implorant, sed ab iisdem opprimuntur, 397, 1. habent verba mor- tifera, quibus iniuriam loquuntur contra Dominum, 401, 1, 2. similes, imo peiores, sunt idololatris, 401, 1, 2. comparantur vaccis Basan, 348, 1; 567, 1; 568, 2. item crucis et brachis representantur, 486, 1. inter hos perpetua sunt schismata et jurgia, quæ parit superbia, 412, 1, 2. pessimo dæmonum spiritu continentur, 446, 1. sunt Chananæi, cur, 450, 1. eorum figmenta insanæ et deliria sunt, 562, 2. catholicos sacerdotes apud reges et magistratus calumniantur quasi reos perduellionis, 614, 2.

- H**ages adulabatur Alexandro Magno, 88, 2.
Halitus foetidus Judæorum in proverbium abiit, 395, 2.
Hannibal quid consuluerit Antiocho Magno ad profligandos Romanos, 151, 2. ejus cum P. Scipione de prestantissimis ducibus colloquium, 152, 4. Hannibal, ejusque uxoris immanis et cruenta vox, 540, 2.
Harmonia inter Prophetas Majores et Minores, 238, 1. har- monia chronologica duodecim Prophetarum, 254, 1, 2 et seq.
Hebdomas aliquando est dierum, aliquando annorum, 116, 1.
Hebdomades LXII cur sint disjunctæ ab aliis vii in hebdomadibus Danielis. — *Vide* Septuaginta.
Hebrei diem dividebant in quatuor partes et horas, 80, 1, 2. Dei nomina sibi indiderunt, 55, 2. cur Deo immola- rent arietes, 100, 1. animalia juvenilia exprimunt per genitivum matris, 101, 1. saepe commutant litteras quies-

centes, 106, 2. ablativum cum præpositione ponunt pro regimine genitivi, 167, 1. summam alicujus numeri per partes enuntiant, et minores numeros præponunt ma- joribus, 126, 1. quem alloquuntur, saepe compellant in tertia persona, 375, 2. solent urbes ob speciem, opes et gloriam vocare virgines, 578, 2. tempus omne divide- bant per menses et sabbata, 624, 2. de se loquuntur in tertia persona, ac si de aliquo alio loquerentur, 293, 2. eorum verba nunc actum perfectum, nunc continuatum, nunc inchoatum, nunc destinatum significant, 251, 1. eorum verba activa saepe non actionem et effectum, sed agendi virtutem, vim et potentiam notant, 243, 1. similitudinem exprimunt nota similitudinis, v. g. *sicut* ap- ponendo utrius rei comparatae vel simili, 339, 2. sumunt verba pro adverbii, 352, 2. infinitivis utuntur pro præterito, 388, 1. carent comparativo, hinc eum exprimunt per negationem ejus quod minus est, 369, 1. casibus carent, 393, 1. suppositum subtilcent, et ex circumstan- tiis subintelligendum relinquunt, 412, 2. commutant or- dines verborum imperfectorum, 418, 1; 487, 2. impe- rativum usurpant pro futuro, cum ejus certitudinem significare volunt, 420, 2. et vice versa, 500, 2. saepe subaudunt voculam *sicut* et similes, 428, 1. repetunt relativum ponuntque cum suo antecedente, 449, 1. per *in* significant pretium, 453, 1. ipsis præpositio *in* saepe significat meritum vel demeritum, idemque valet quod propter, 354, 2. saepe numeros cardinales sumunt pro ordinalibus, 537, 1. in rhythmis et carminibus solent posteriore hemistichio idem aut quasi idem dicere, quod dictum priori, 351, 2. in juramentis comminatoris et execratoriis non exprimunt quænam sibi imprecentur præ timore et detestatione, utpote atrocia, 573, 1. idem habent pronomen reciprocum et absolutum, 575, 1.

HEBRAICARUM VOCUM

EXPOSITARUM SYLLABUS.

- Ahah** interjectio dolentis et desperantis, 488, 1. ejus vis, *ibid.*
Anach amplæ significationis est, 612, 2.
Asçam quid significet, 412, 2.
Aven variæ et multiplicis est significationis, 606, 2.
Berosç et abietem et juniperum et cupressum significat, 473, 1.
Betsa significat diversa, 494, 2.
Caphtor quid proprie sit, 632, 2.
Cara significat fodere et emere, 327, 1.
Charaseç significat operari, arare, fabricare, machinari, 420, 1; 423, 1.
Charuts multiplicem et variam habere significationem po- test, 522, 2 et seq.
Cheç quid sit et **Chaka**, 372, 2.
Chesed proprie significat pietatem tum in Deum, tum in homines, 371, 2.
Deber, id est pestis, per catachresin significat quidquid instar pestis exitiale est, ut famæ, gladius, etc., 571, 2.
Galal, et **Galgala**, et **Gilgal**, et **Golgol** quid significent, 346, 2.
Gazam dicitur eruca, id est tonsor, rosor, excisor, 478, 1.
Gor, vel **Gorer**, vel **Gara**, quid proprie sonet, 386, 2.
Isc, id est vir, derivatur ab **esc**, id est ignis, vel ab **iesç**, id est cur, 320, 2.
Katob significat luem subito evallentem et exscendentem, 463, 1.
Kedesça famosa est meretrix et publica, zona quælibet, 346, 1.
Ketseph est variæ significationis, 416, 1.
Ki conjunctio quam diversa in Scriptura significet, 242, 2. saepe non causam significat, sed enclitica est, et or- natus causa additur, 408, 1; 415, 1. saepe est assertiva

- et admirativa, 300, 2. s^epe ponitur pro igitur, et est initium orationis, 579, 1.
- Labat* quid significet, 946, 1.
- Lacach*, id est accipio, amplissimae significationis est, 284, 2.
- Lets* quid proprie significet, 381, 1.
- Marseba* quam amplam significationem habeat, 330, 1.
- Metc* significatio ample se extendit, 354, 2.
- More* quam habeat significationem, 503, 2.
- Nicka* est mundare, et innocentem et mundum declarare, 528, 2.
- Nocham* significat consolationem, commiserationem, pœnitentiam, 465, 1.
- Noked* est punctator et inustor, id est armentarius qui pecudes suas propriis notis vel punctis inurit, 532, 1, 2.
- Nora* terribile est, mirabile et gloriosum, 510, 2.
- Pissat bar* quid proprie significet, 472, 1.
- Resisin* amplæ significationis est, 603, 2.
- Rosç* varia significat, 413, 2.
- Sarera* significat vaccam lascivia vel cestro agitatam, 348, 1.
- Scadai* est nomen Dei, eumque vel misericordem, vel potentem significat, 489, 1.
- Scelach* diversa Hebræis significat, 494, 2.
- Tirgelet* Hebræis nutrix est, 428, 2.
- Tseror* ambiguæ est significationis, 641, 1.
- Zona* est proprie caupona, quæ prostituit edulia vel merces, vel operas suas, vel etiam corpus, 518, 2.
- H'ðovn Græcis deductum videtur ab hebræo *eden*, id est voluptas, 542, 1.
- Heliodorus expilat templum Hierosolymæ, occidit regem suum Seleucum Philopatorem : regnum invadere parans ab Eumene et Attalo regibus pellitur, 153, 2.
- Heliogabalus imperator a matre hausit suam spurcitiam, 285, 2. quare omnes areanorum telas Roma colligi jussit, 591, 2.
- Helvetiorum robur consistit in montibus, 49, 2.
- Henricus Bavariæ dux didicit divinitus, etsi nescius, se ad imperium evchendum, 72, 2. ejus merita appensa in statera, 73, 2. Henrici VIII Angeliaæ regis palpo quid ei responderit, petenti quantum peccatum esset matrem et filiam cognoscere, 339, 1.
- Herodis Ascalonitæ crudelitas, 540, 2.
- Heroibus hirco cur litarent veteres, 104, 1.
- Hesperus stella culta a variis gentibus ut deus, 590, 2 et seq.
- Hierarchiæ infimæ angeli sunt tutelares gentium et hominum, 142, 1.
- Hieroglyphicum prophetiæ, 223, 1. hieroglyphica tria quibus Deum Ægyptii exprimebant, 576, 1.
- Hieronymus (S.) scripsit in omnes Prophetas Minores, 222, 1. in solitudinem Bethlehem sese abdidit, et eodem alias invitavit, 313, 2. ejus memoria lapsus, 424, 2. cur novam versionem Bibliorum ex Hebræo procuderit, 428, 1. ad Christi tribunal citatus, acriter vapulavit, quod Ciceronem præ Scriptura legeret, 234, 2; 511, 2.
- Hieronymus Savanarola quæ de Florentia et Italia prædixerit; quem exitum habuerit, 252, 1, 2.
- Hilarion (S.) munerum contemptor egregius exstitit, 70, 2. quomodo fuerit Propheta, 220, 1.
- Hilarius mutuatus ex Origene est versuum prope quadranginta millia, 253, 1.
- Hirci pili qui dicantur, 100, 2.
- Hircino sanguine an communiuatur adamas, 613, 2.
- Hircus est Alexander et Græci ob decem analogias, 101, 1, 2. hirci forma et natura describitur, *ibid.* et seq.
- Historia Beli et Danielis in lacum conjecti contigit sub Astyage rege, 188, 2. et sub Balsasare, 190, 1.
- Historia Susannæ est Scriptura canonica, 179, 1. est hæc prima Danielis prophetia, *ibid.* 2. non est scripta a Danielie, sed videtur transcripta a quopiam Hebræo qui in captivitate Babylonica scripsit diaria et chronica regum Medorum, 180, 1.
- Historia Judith contigit post captivitatem Babyloniam, regnante Cambyses, vel Dario Hystaspis, vel Xerxe ejus filio, 502, 1.
- Historia de Osee fornicariam ducente vere contigit, 283, 1, 2.
- Hollandi uno veroque Ecclesie capite relicto, hodie acephali sunt, et inter se variis hæresibus digladiantur, 377, 1.
- Holofernes Judæos e Babylone reversos, missus ab alio quodam Nabuchodonosore rege Assyriorum, invasit, sed cæsus est a Judith, 502, 1. quando hoc configerit, *ibid.*
- Homicidas puniant principes ac judices, quam hæc vindicta pia et salutaris sit, 529, 1, 2.
- Homicidium Scriptura vocat sanguinem, 335, 1.
- Homo est arbor inversa, 56, 1. est umbræ somnium, 30, 2. est somniorum lusus, 17, 2. hominis ænigma, 90, 1. homo et Deus diversimode se gerunt in condonandis offensis, 434, 1. homo post peccatum est merum ludibrium temptationum et calamitatum, 394, 1, 2. vilitatem suam si inspiciat, se dejiciet, 395, 2. ejus vita quam brevis, fragilis et incerta, 621, 1. eorum secundum prudentiam politicam viventium cæcitas, 233, 1. homines cur vitulis aureis immolarentur, 455, 1, 2.
- Honor rebus major ex longinquo est, 231, 2.
- Hora orationis tertia, sexta, nona, 80, 1. quomodo hæ horæ computarentur, *ibid.* 2.
- Hordeum et hordeaceus panis cibus erat servorum et ancillarum, et pauperum, etiam adulterarum apud Hebræos, 328, 2. id antiquissimum est in cibis, *ibid.* 1.
- Horologia an dicantur Theraphim, 330, 2.
- Horreum Romanorum et totius Orientis est Ægyptus, 628, 1.
- Hortus Dei est anima sancta, 647, 2. quomodo is colendus, *ibid.*
- Hosee ultimus Israelis rex ab Assyriis in captivitatem abductus est, 408, 2. fœdus cum Assyriis iniit, deinde contra eos opem imploravit Ægypti, missis eo muneribus, 446, 1.
- Hostem vincendi optima ratio est, eum vincere amore et beneficiis, 430, 1. hosti fugienti aureus pons sternendus, 319, 1. hostes nullam personarum rationem habent, 339, 2. hostium adventum non raro præeunt et prænuntiant locustæ, bruchi et erucæ, 483, 1.
- Hugo de S. Victore scripsit in Prophetas Minores, 222, 1.
- Humana omnia umbra hederæ sunt, 259, 2. reguntur a vicissitudine et mutabilitate, et cito pertransiunt, 355, 2.
- Humilis est agnoscere in se dona Dei, quatenus agnoscat se ea a Deo habere, 20, 1, 2. humiles maxime laudant Deum, 50, 1. humiliatio via est ad humilitatem, 495, 2.
- Humilitas vera sita esse debet in animo, 50, 1. humilitas Filii Dei in carne, 95, 2. humilitas convolvula est rudimentum animæ, 219, 1. ea ad revelationem Dei accipiendam animam maxime disponit, 227, 2. ejus effectus, 228, 1. mater, conciliatrix et conservatrix est donorum et gratiarum cœlestium, 408, 1. est cortex et tegmen virtutum, 486, 1.
- Hunni, Alani, Gothi, Vandali, et modo Turcæ, quasi erucæ, locustæ, bruchi et rubigo sibi ordine succidentes orbem christianum depopulati sunt, et etiamnum depopulantur, 486, 1.
- Hyena Pachonem castum servavit, et circumlinxit, 82, 1.
- Hydrus crocodilum interficiens symbolum est resurrectiois Christi et nostræ, 462, 2.
- Hymnum suum tres pueri media in fornace composuerunt, 47, 1. hymni deorum olim canebantur in conviviis, 598, 1.
- Hypocritæ sunt Belo Babylonio similes, 190, 2. hypocritæ sunt culmus german non habens, 395, 1.

- ptio, *ibid.* triquetram formam habet in rostro et in incessu, *ibid.* erat sacra Mercurio : erat cordis symbolum : cordi mire confert : duas drachmas ponderat, aequa ac cor pueri recens nati, *ibid.* ipsa docuit usum clysteris, hinc sanitatis est symbolum, *ibid.* serpentum inimica est, *ibid.*
 Iconoclasmus est abominatio desolationis, 134, 1.
 Ictericus morbus est morbus regius, 571, 2.
 Idolum positum in templo a Pilato tempore Christi an sit abominatio desolationis, 131, 2. idolum Hebræi cur vocent abominationem, 156, 1. idolum vocatur labor et dolor, quia ejus est causa, 356, 1. est numen et deus mendax, 377, 1. est idea et phantasia artificis, 455, 1. ejus vanitas et fœditas, 331, 1, 2. ea non habent esse verum, sed fictum, 321, 1. ea an coluerint Hebræi in deserlo, 589, 1. a Scriptura vocantur serdes et stercora, 358, 1. vocantur res vanæ, leviculae, ludicrae, deiculi et dii leviculi, 614, 1. cur vocentur amaritudines Dei, 453, 1. ea Judæi non coluerunt post captivitatem Babyloniam, 612, 1. idola dantia oracula, habebant altum et patulum os, 590, 2.
 Idololatræ stupidi et trunci sunt similes suis idolis, 405, 1. in suis sacrificiis et festis epulari et potare, et inter præsentes vinum distribuere solebant, 326, 2.
 Idololatriam arguere Hebræorum, est argumentum Minorum Prophetarum, 219, 1.
 Idumæa perpetuo fuit æmulæ et hostis populi Dei, 527, 2; 644, 2. quomodo ab eodem attrita, 644, 2.
 Idumæi et Israelitæ quomodo sint fratres, 544, 1. et tamen hos exosos habuere illi, et cur, *ibid.* Idumæi designant iracundos, 548, 1.
 Ignatius Azebedus e Societate Jesu a Calvinistis piratis cæsus, testatus est se cum suis pro fide Christi occumbere, 441, 1, 2.
 Ignatii (B.) monitum circa prudentiam in rebus agendis, 143, 2.
 Ignatii (S.) Societatis Jesu fundatoris in mulierculis a turpi quaestu avocandis sedulitas et studium, et quid hanc velut inanem carpentibus responderit, 329, 1.
 Ignis regibus et castris Chaldæorum præferebatur, eumque Chaldae ut deum colebant : eudem a Chaldaeis morem mutuati sunt reges Persarum, 493, 1, 2; 591, 2. ignis conflagrationis mundi a Christo præmittetur, ut omnem mundi concupiscentiam et peccata perdat, 466, 2. igni comparatur amor et ardori, 381, 2. ignis Scripturæ pharsi capit pro suppicio, excidio et strage, 541, 2; 544, 1. ignis zeli quis mystice sit, 260, 2.
 Illusio diabolica unde dignoscatur, 227, 1.
 Illustrationes divinas sæpe sentiunt viri spirituales in oratione, item peccatores, quibus in peccatorum suorum agnitionem veniunt, 247, 1. sunt quædam gratiae prævenientes, *ibid.* sunt identidem a Deo petendæ, *ibid.* illustratio peccatorum in justitia promovens, et ad perfectionem deducens, ac præsertim donum perseverantiae, est velut imber serotinus, 504, 1, 2.
 Imaginations vitiæ exempla, 58, 1.
 Imaginem suam quomodo Deus pinxerit in mente Danielis, 91, 2.
 Imagines sacræ Judæis vitiæ non erant, sed tantum profanæ et idololatriæ, 330, 1. hinc eæ apud ipsos vix fiebant nisi idolis, 331, 1. eas astrologi olim loquentes conficiebant, et quomodo, 330, 2.
 Imber temporaneus in Palæstina in autumno cadit jactis in terra seminibus; serotinus in vere cadit, ut segetes incrasset : dicitur ille temporaneus, quia est sementis, hic serotinus, quia est messis, 367, 1; 504, 1, 2. — *Vide* Matutinus et Serotinus.
 Immisericordia est genuina voluptatis filia, 599, 2.
 Immortalitatem animæ cognovere Gentiles, 18, 2.
 Immundi erant Judæi qui mortuum tangebant, aut funeri intererant, aut ex epulo funebri comedebant, 401, 1.
 Immutabilitatem Dei quomodo sancti viri imitentur, 497, 1.
 Impedire pietatis opera quam sit malum, 373, 2.
 Imperatores Romani quam affectarent Alexandri Magni nomen et gloriam, 148, 2. imperatores Romani prisci recentes creati nova nomina capiebant, 295, 1. impii ob libidines et fastum sobole pene caruerunt, 407, 2.
 Imperia omnia quam imbecilla sint, et quam parvo tempore durarint, 30, 1. cur bestiis assimilentur, 86, 1. cur a Deo concessa subinde dicantur, *ibid.*
 Imperium Romanæ urbis cruce Christi firmatum, 377, 2.
 Impietatis novem sunt gradus, 374, 1.
 Impinguationi animalium conductit quies et obscuritas, 597, 2.
 Impii negant se a Deo videri, 181, 2.
 Impius a lege punitus est lex viva, inclamans cæteris ut impietatem fugiant, 397, 2. impii Deus aliquando dat donum prophetiæ, 227, 2. sunt plectendi et expellendi, 319, 1. sunt plerique illiberes, 407, 2. in oneribus, quibus in vita gravantur, gustare incipiunt æterni exilii instantis et carceris infernalnis supplicia et angustias, 397, 1. eos ante prævisionem operum Deus non reprobavit, 435, 1. quomodo maturi sint, ut a falce divini iudicii demetantur, 521, 2. parva magnis, brevia æternis, terrena cœlestibus præferunt, 596, 1. appropinquant solio Luciferi, 597, 1. si in pios immites, a Deo acriter in die judicii punientur, 519, 1; 522, 2.
 Impossibilitia aliquando fieri videmus possibilia, 604, 1.
 Impunitas gravis Dei punitio est, 540, 1. ipsa maxima peccandi illecebra est, 529, 2.
In Hebræis est nota jurantis, 567, 1.
 Inanima laudant Deum non ore, sed opere, 47, 2.
 Incarnationis Christi tempus est magnus dies Jezrahel, 301, 1, 2.
 Incendium animæ quam noxiun, 445, 2.
 Incessus pompticus suggillatur a Prophetis, 594, 1. incessus magna cura habenda, quia ex eo colligitur animus, *ibid.*
 Incipientes in fide et virtute, quando prophetent moraliter, 508, 1.
 Indorum reguli nonnulli cur sint longævi, 42, 2.
 Indoles prolium a matre potissimum pendet, 285, 1.
 Infamia ex lucro injusto contracta apud viros bonos nunquam eluitur, 449, 2.
 Infantes fuere sæpe judices innocentiae falso accusatorum, 185, 2. infantes nutricum indolem et vitia sugunt, 285, 1, 2.
 Infernus quomodo inter fratres dividat, 465, 1. vocatur terra silentum, 624, 1. comparatur torculari, uvis et botris pleno, 522, 1.
 Infirma mundi eligit Deus ut confundat fortia, 27, 1, 2; 616, 1; 617, 1. infirmi, contra eos quibus Deus irascitur, robusti sunt, 485, 2.
 Ingenia præcoccia raro ad maturitatem perveniunt, 395, 1. ingenium in calore consistit, 248, 1.
 Ingrati in benefactores columbis comparantur, 284, 2.
 Ingratitudo quanta animæ mala afferat, 408, 1.
 Inimicos diligere est cumulus perfectionis, 498, 1.
 Injurias remittere et oblivisci divinum est, 434, 1.
 Innoxios punire ob delicta parentum potest solus Deus, 83, 1.
 Intellectus non tendit extra se, sed res intellectas per species et cogitationem, sibi imprimit, 405, 2.
 Intentio prava est velut statera dolosa, 480, 1. intentiō nem, quam in Deum dirigere debebant, dirigentes ad creaturas, sunt arcus dolosus, 378, 1.
 Interpres Vulgatæ immerito ab hæreticis ut illatinus suggillatur, 490, 1.
 Invocari nomen Dei apud Hebræos significat omnem Dei cultum, publicamque fidei veræ professionem in ejus Ecclesia, 812, 1. Deus semper invocandus, *ibid.* 2. Ira quomodo hominem dementet, 484, 2. rubigini æqui-

- paratur, 484, 1. quædam velut insania est, 496, 2. ira Dei apte comparatur leæna, 350, 2. ejus evidens signum est, cum ipse a republica vel anima cujusque abit, et eam deserit, 612, 1.
- Irato occidit sol mentis et rationis, 629, 1.
- Iris symbolum misericordiae est et vindictæ, 57, 1. an hauriat et bibat aquas e mari, 583, 1.
- Isaac cur vocetur servus Dei, 42, 2.
- Isaiæ visio qua vidit Seraphinos, fuit tantam imaginaria, an in ea auditus terræ motus quem Amos indicat, 534, 1. quare nudus et discalceatus per Jerusalem incesserit, 284, 1.
- Isaiæ (B.) abbatis querimonia de hominum cæcitate, 169, 1.
- Isdegerdes rex Persarum quam dire in christianos sævierit, 157, 2.
- Isidorus (S.) Hispalensis studio et labore longo doctrinam sibi paravit, 618, 1.
- Ismaelis dubia est salus, 189, 2. quare a domo Abrahæ pulsus sit, 545, 1.
- Israel vox unde deducatur, 447, 1. Israel peculiaris populus Dei erat, 557, 1; 427, 1. ex Ægypto vocatus, fuit typus et figura Christi pueri inde redeuntis, 427, 1. erat typus fidelium et sanctorum, 518, 1.
- Israel cur vocentur decem tribus, 220, 2. earum regnum a Deo accisum fuit, 290, 1, 2. nunquam ex Assyria redierunt, nisi per pauci mixti Judæis, 330, 1; 643, 2; 646, 2. quomodo comparentur matulæ, 395, 1, 2. et onagro solitario, 396, 1. quomodo Tyro urbi, 406, 1. et vecordi columbae, 385, 1. a Roboam descendo et Jeroboam creando peccarunt contra jus divinum, 391, 2. cur a Prophetis Chanaan vocentur, 449, 1. cur vocentur non populus Dei, 294, 2. eorum quæ sit nuditas, 306, 1. arbori prius frondosæ, at postea exarescenti comparantur, 410, 1. item viti nullas proferenti uvas, 410, 2; 411, 1. earum excidium denotatur per adulteram quam Osee jubetur diligere, 325, 1, 2. eas cur Deus minetur cædendas in valle Jezrahel, 288, 1, 2. a primo rege Jeroboam ad usque ultimum Hosee continue coluere idola, 292, 2. non tantum per vitulos Bersabee jurabant, sed et per viam qua ad eos ibatur, 630, 2. erexerant templum simile Hierosolymitano, 632, 1. Israel interdum capit pro omnibus Judæis e captivitate Babylonica reversis, 249, 1. Israel et Juda distinguuntur post schisma Jeroboam, usque ad captivitatem Babyloniam, post eam pro eodem sumuntur, *ibid.*
- Israelitæ petentes a Samuele regem, simul ab eo petierunt judices, quasi regis consiliarios, 459, 1, 2. Israelitæ quando salvati, et qui, ut propheta Osee promittit, 295, 1. factum id sub Christo, et ab Apostolis, et in fine mundi fiet, *ibid.* Israelitæ pii non pauci, Jeroboami idolatriam fugientes, et cladem Israeli instantem, ex Samaria fugientes in Judæam, ibi sedem fixerunt, 294, 1. multi quoque Deo vero Israel sacrificabant, sed imperfekte, 401, 1. eorum multi quando ad Deum redierint, relicta idolatria, 437, 2. nullum justum et pauperem vendidisse leguntur, nisi tempore Christi, 550, 1, 2. veri Israelitæ qui sint, 517, 2.
- J.**

- Jacob cur vocetur sanctus, 42, 2. nascens Esau plantas tenens quid denotaret, unde vocatus supplantator, 446, 2. moriens quædam prædictit quæ paulo post, quædam quæ post longum tempus evenerunt, quædam in fine mundi eventura, 509, 2.
- Jacobus (S.) frater Domini vinum non bibit, nec carnes comedit, 229, 2.
- Jacoponus (B.) quomodo tentationem gulæ superarit, 395, 2.
- Japones deos in adversis etiam flagellant, 602, 2.
- Jecur sedes amoris est et concupiscentiae, 456, 2.

- Jehu non coagit populum ad colendos vitulos, sed permisit idololatras sensim virus idolatriæ suæ spargere, 371, 2. eum Deus fussit extirpare idolatriam: qua de causa id ipse non fecerit, 276, 1, 2. ejus dissimulatio, 378, 1. invasit regnum Achab, 288, 1.
- Jejunium gratiam proineretur orandi, 137, 1. jejunium duplice modo sanctificatur, 487, 2.
- Jericho est Hierosolymæ ad Orientem, 373, 1, 2.
- Jeroboam an peculatoris constituerit in Galaad, qui populum averterent a templo, et cogerent adorare vitulos, 351, 2. qua via primum idola et vitulos induxerit, 378, 1. fuit auctor schismatis a Roboam et stirpe David et Deo, 219, 1; 392, 1. an fuerit rex, an tyrannus, an a Deo creatus et populo, an vero a solo populo, *ibid.* ostenditur a solo populo creatum fuisse, *ibid.* 2. populus eum creans peccavit, *ibid.* ut et ipse regnum invadens, 392, 1. vocatur aliquando Ephraim, quia ortus fuit ex tribu Ephraim, 454, 1. eum dedit Deus in ira, quomodo, 459, 1.
- Jeroboam II rex fuit de stirpe Jehu, 288, 1. quando regnare cœperit, ejus anni adaptantur annis Osie regis Juda, 534, 1. sub eo prophetavit Osee, 279, 2.
- Jerusalem cœlestis elogia varia: ejus cives sentient et gustabunt, quod in ea et in ipsis habitat Deus per gratiam et gloriam, illisque ibidem suas opes et magnificientiam communicet, 525, 1, 2. ipsa est mons sanctus, *ibid.* cur dicatur sancta, *ibid.* ejus deliciae et omnium bonorum ubertas, *ibid.* ejus habitatio futura perpetua, *ibid.* 2. cur vocetur cœlum Jerusalem, 528, 1.
- Jerusalem excidium contigit post LXX hebdomades Danielis, 128, 2. an id sit abominatio desolationis, 131, 2.
- Jerusalem non amplius regia Davidis et posterorum ac Judæorum dicitur futura, 134, 2. sita erat loco alto et montoso, 521, 2. in tres vicos seu regiones divisa erat: in secunda regione habitarunt viri litterati et studiosi, 231, 2. censetur esse medium terræ, 515, 2.
- Jezrahel vox quadruplex habet etymon, 287, 2. hoc nomine cur dicantur decem tribus, 220, 2. Jezrahel urbs erat regalis, et metropolis decem tribuum, ejus situs, agri ejus fertilitas, 287, 2. Jezabel fuit primus Osee filius, 288, 1. cur ita vocari puer hic jubeatur, *ibid.* Jezrahel allegorice est populus Dei, sive Ecclesia Christi, 301, 1. dies Jezrahel quis dicatur, *ibid.* et 2. Joachimi abbatis Floriacensis quales sint prophetæ, 252, 1.
- Joachin pro patre suo Joakim constitutus est rex Judææ a Nabuchodonosore, 8, 1, 2.
- Joakim regis nex et sepultura asini, 9, 1.
- Joannes (S.) apostolus cur vocetur martyr, 2, 2. celebravit in Asia Michaelm Archangelum, 170, 2.
- Joannes (S.) Baptista puer secessit in desertum, 313, 2. velut lucifer et aurora prævivit Christum solem justitiae, 361, 2. se humilians, a Christo exaltatus est, 616, 1.
- Joanne (S.) Chrysostomo in exsilium acto Constantinopolis terræ motu contremuit, 535, 2.
- Joannes (S.) Eleemosynarius quo viso ad misericordiam animatus sit, 370, 1, 2. ejus de misericordia axiomata, *ibid.* 8. quam ei misericordia ejus compensata sit, *ibid.*
- Joannes Hyrcanus non est dux, quem promittit Daniel venturum, 126, 2.
- Joannes Mariana in Prophetas Minores scripsit, 222, 1.
- Joannes præfectus prætorio Belisarii panem nauticum, militum depravans, quam acriter ponitus sit, 625, 2.
- Joas usus est apolo contra Sichimitas, 343, 2.
- Job quia arabice scripsit et in Arabia vixit, multas voces et consuetudines Arabicas usurpat, 248, 2.
- Joel quando et quibus prophetarit, 255, 2. ejus hieroglyphica, 258, 1, 2. ænigmata ejus, 266, 2. adagia ejusdem, 270, 1, 2. ubi sit natus, de qua tribu, cuius filius, quo tempore prophetarit, 475, 1. prophetat soli Judæ et Benjamin, *ibid.* eo pene tempore prophetavit quo Osee, sub

- Ozia, Joathan, Achaz et Ezechia regibus, *ibid.* 2. an prophetarit sub Manasse et post excidium Samariæ, *ibid.* comminatur captivitatem Babyloniam, 476, 1. ejus argumentum, *ibid.* ejus et patris ejus etymon quid significet, *ibid.* 2. est relatus inter Sanctos, *ibid.* an sit ad litteram unus de tribus illis angelis, quos S. Joannes in Apocalypsi vidit falcibus demetentes messem, 522, 1.
- Jonas quando prophetarit, et sub quo rege, 255, 1. paucis annis præcessit Amos, *ibid.* ejus hieroglyphica, 259, 2. ejus adagia, 271, 1.
- Josaphat rex an sepultus in Sion, an in valle Josaphat, 515, 2.
- Josaphat rex Indiae quod Barachis sibi in regno succedenti præceptum dederit, 370, 1.
- Joseph cur vocentur decem tribus, 220, 2.
- Josephus multa finxit verosimilia in laudem suæ gentis, 83, 1.
- Josue idem est quod Osee, et Christum suo ducatu repræsentat, 276, 1. est prodromus fidelium testium Dei, 441, 1.
- Jubilæum primum Christus resurgens animabus in Purgatorio dedit, 464, 2.
- Judaici belli initia, 133, 1, 2.
- Judæa cur dicatur terra gloria, 161, 1. inter Syriam et Ægyptum intermedia jacet, et idcirco bellorum inter utriusque reges gestorum fuit particeps, 149, 1.
- Judæa fines, 502, 1; 603, 2; 606, 2. ejus longitudo, 595, 2. olim fertilissima, hodie lapidosa et sterilis est, 452, 1; 617, 1.
- Judæi in captivitate legerunt studiose Jeremiæ prophetiam, 112, 1. usi sunt annis lunaribus, 124, 1, 2. Judæi multi proditores Antiochum contra patriam, cives ac legem accersiverunt suam, sed hos ipse, vel in exsilium egit, vel de medio sustulit, 155, 2. at Judæi sancti et zelosi ei restiterunt, *ibid.* et 156, 1. Judæi soli a Messia non sunt resuscitandi, 167, 2. eorum desolatio futura perennis, 184, 2. judicia Dei disaria, 65, 1. ea sunt vera tripliciter, 41, 2.
- Judæi frumentum trituratum eribabant, non vannabant, 641, 1. in festis convivia albati celebrabant, 598, 2. erant in imaginum adorationem propensissimi, 330, 2. tubis populum convocabant, 498, 2. cur non vescerentur sanguine, 335, 2. solebant in blasphemia, et atroci scelere, et luctu vestimenta scindere a capite usque ad pectus, 496, 1. erant immisericordes in proximos, at misericordes et propensi ad sacrificia et oblationes externas, 368, 2. post dedicationem tabernaculi et consecrationem Aaronis et filiorum ejus in sacerdotes, nunquam vel raro Deo obtulerunt sacrificium solemne in deserto, 588, 1. sed ibi prionores fuere in murmura, et ad idola quæ in Ægypto coluerant, rediere, *ibid.* in lectulis convivaturi jacebant, 252, 1. quomodo sanguinem sanguini miscuerint, 335, 1, 2. Christo quasi victori et regi, in die palmarum, ramos olivæ prætenderunt, 471, 1. in Babylone habuere pontificem, legem, judices, regem, principes, altare, sacerdotes, Prophetas, 329, 1. Christo docenti pauci credidere, 295, 2; 473, 2. post captivitatem Babyloniam ad idola non sunt relapsi, 282, 2; 550, 1. eorum in excidio Jerusalem per Titum pavor et calamitas, 416, 2. eorum pervicacium proprietates adaptantur urbibus Philistium, 543, 1. Idumæis assimilantur, 544, 2. Judæi et Israelitæ post captivitatem in unam gentem coaluere, quia fratres erant, 530, 2. — *Vide* Hebrai et Israel. eorum ruina et excidium per Titum, ob repudiatum, imo occisum ab eis Christum, 291, 1; 488, 2. eorum multi a Christo in Ecclesiam collecti sunt, etiamnum multi colliguntur, in fine mundi vero post cæsum Antichristum omnes salvi fient, 332, 2; 573, 2. ob cæsum Christum, a Romanis ad stercora exportanda damnati, matularii et stabularii facti sunt: eorum fætor, 393, 2.
- Judæi moderni refelluntur, negantes Christum Messiam venisse, 31, 1. eorum multi Romæ a tribus pueris genus se ducere jactitant, et cognomen ab eorum furno et fornace *sforno* assumunt, 52, 2. viso in fine mundi, Antichristum a Christo profligari, ad Christum convertentur, 107, 1. non tamen omnes, 167, 1.
- Judæorum hodiernorum servitus et miseria, 634, 1. toti lucris et usuris inhiant, 329, 2. quod careant jam rege, sacerdotio et altari, id patiuntur ob occidum Christum, et non ob idolatriam, 329, 2. Messiam exspectant qui christianos evertat, ipsos vero opibus augeat, 520, 1; 524, 1. etiamnum existimant Deum tantum apud se habitare, 434, 2. sunt dolosi in stateris et mensuris, 449, 2. eorum in Christum et Christianos odium, 544, 2. eorum permulti in Ægyptum fugerunt, 398, 1.
- Judæ tribus in Dei cultum permansit, apostataente Israele, 440, 1. cur acrius castigari meruerit, quam Israel, 290, 1. ejus cur Deus sit misertus, 292, 2. Israele in captivitatem abducto, ut proximus hæres, ejus terram occupare poterat, 356, 2.
- Judas patriarcha primus post Mosen mare Rubrum ingressus dicitur, 440, 2.
- Judicare, interdum idem est quod accusare, 305, 1.
- Judices pauperes opprimentes suggillantur, 552, 1. judices homicidas puniendo quantum boni præstent, 529, 1, 2. judicis duæ sunt partes, justos defendere, et iniquos condemnare, 322, 1. judici tria necessaria, 186, 1. judicium est sedere, 94, 1. suos judices habebant Judæi in Babylone, 180, 4.
- Judicium vocare ad ignem quid sit, 611, 2. capitul aliquid pro justitia, sanctitate, debito et officio virtutis, 580, 1; 605, 1. judicium senum est et in frigore, 248, 1.
- Judicij dies incerta est, 176, 2. id quam horrendum et timendum sit, 94, 2. judicij diem quæ signa præcessura sint, 509, 1. cur sit dies magnus, 501, 1. ejus descriptio et horror, *ibid.* et seq. dici potest magnus dies Jezrahel, 301, 1.
- Jugum quomodo super maxillas exaltetur, 430, 2.
- Jugurtha fratres suos regno exclusit, et ideo a Romanis bello impetus et victus fuit, 545, 1.
- Julia Augusti filia libidinum paternarum fuit æmula, 285, 2.
- Julianus Apostata credi voluit Alexandrum in se transiisse, 148, 2. reparare voluit templum Salomonicum, sed frustra, 134, 2. illius interitus cœlitus præsignatus, 72, 1. christianis infensissimus, Judæorum vindicem agere voluit, 359, 2.
- Julius Cæsar a Virgilio vocatur Daphnis, 294, 2. ejus statuæ cur stellam in vertice appingerent Romani, 591, 1.
- Juniperus egregiam præstat umbram, 473, 1, 2. ejus umbra suavis vigilanti, sed gravis dormienti, *ibid.*
- Jupiter Ammon cur cum cernibus arietinis, vel hircinis pingeretur, 101, 2.
- Juramentum est actus latræ, 347, 2. juramentum execratorum quomodo Hebrai proferant, 253, 1, 2.
- Juris naturæ est ut quisque Deum invocare possit, 79, 2.
- Justi soli non resurgent, 169, 1, 2. justorum diversi sunt gradus quoad gloriam, 160, 1, 2. justus tribulatione agitur, coquitur, probatur, purgatur, seligitur, abscondit et splendescit, 156, 2. justi soli ambulant in viis Domini rectis, 473, 2. ipsis datur Spiritus Sanctus in propria persona, 297, 1, 2. contrarium dicere, error est, 298, 1. quæ rei hujus moralis sit ratio, *ibid.*
- Justificatione (in)SS. Trinitatem personaliter ac substantia liter recipimus, 297, 2. quid inde boni consequamur, *ibid.*
- Justitia inhærens, per quam justificamur, multa complectitur, 297, 2. justitia aliquando capitul pro misericordia, 420, 2. capitul interdum pro justificatione, 321, 2. justitia et judicium cum junguntur in Scriptura, significant duo officia justi judicis, 322, 1.

Justitiae imago quæ sit, 73, 1. justitiam sæculorum tripliciter adduxit Christus, 417, 2. justitia pro misericordia capitul interdum, item pro fidelitate, 113, 2. Juvenibus cur visiones dandæ dicantur, non senibus, 508, 1. Juventius et Maximianus martyres Julianum Apostatam regem iniquum appellarunt, 42, 1.

K.

Kelub quale instrumentum sit, 620, 1. Kittim Cyprum et quasvis insulas significat, 155, 1, 2. Kiun et kevan quale sit idolum, 589, 2; 590, 1. idem est quod Rephan, eo quod idolum hoc primitus cultum ab Ismaelitis et Persis, eorum lingua dictum sit Kivan vel Kevan, quam deinde vocem Hebræi dixerunt Rephan, 590, 1. sed doctiores retinuere Kevan, vel mutarunt in Kiun, ibid. et 2. Kληματα vitium sunt pampini et palmites, vel fasciculus sarmentorum vitis, 410, 2.

L.

L et N litteræ facile inter se commutantur, 68, 1. Labor labores parit, 421, 2. et hi sunt labores catenati, 482, 2. Laborandum hic, ut postea accipiamus præmium, 422, 2. Lacedæmonii cur essent fortes in bellis, 285, 1. Laconis cuiusdam adolescentis generositas, 395, 2. Lactare quid proprie sit, et unde derivetur, 311, 2. Lacus in quem Daniel a Dario Medo est conjectus, obsignatus fuit sigillo et regis et optimatum, cur, 81, 2. Ladæ cursoris velocitas, 102, 2. Laetitia sanctorum in Domino, 47, 2. Laici conjugati cur præ monachis lectioni S. Scripturæ vacare debeant, 234, 1. Laicorum proprie est opes coacervare pro familiæ sustentatione et liberis, non clericorum, 634, 1, 2. Lana denotantur opes : et opes veterum erant in ovibus, earumque lana, 100, 2. Laodice Antiochi Thei uxor prior, secundam Berenicem una cum filio, marito et fautoribus veneno interficit, et pro eo filium suum ex Antiocho Seleucum Callinicum regem creat, 150, 1. ea postea a Ptolemæo Evergete interficitur, ibid. Lapides 42 a Josue in Galgalis repositi, denotant tribus et Patriarchas, ac Apostolos, 346, 2. Lapis est Christus abscissus de monte, id est B. Virgine, 33, 2. Lapilli cur addantur in cribro, dum frumentum cibratur, 641, 2. lapilli an bene significant plebeios, 642, 1. Lappa est spinosa, flosculum habens aculeis plenum ; est triplex : canaria, humana et personata : velut intra se germinat, 402, 2. Lapsus semper ad majorem gratiam resurgit, 505, 1. Lares domestici erant theraphim, 331, 1, 2. Lararium locus erat in quo lares et deos domesticos colebant et servabant, ibid. 2. Lateranensis basilica constructa a Constantino Magno ex palatio Laterano, 615, 1. Latere (ex) regis esse quid sit, 78, 1. Latronum nomine olim vocabantur milites, et quid latro significet, 378, 1, 2. latrones Syri quales fuerint, a quibus exagitati Israelitæ, ibid. Laurentii (S.) in igne ferendo constantia, 43, 2. Leæna cur comparetur regnum Chaldæorum, 86, 2. ejus natura describitur, ibid. et seq. leæna leone ferocior est, maxime cum peperit alitque catulos, 369, 2; 456, 1. Lectisternia Gentilium quænam essent, 552, 2. Lectus avari est mammona, superbi honor, gulosi mensa, luxuriosi cubile, acedi torpor et somnus, 563, 1. in lectis

cœnabant Hebræi, 552, 1. lecti dicti sunt a legendis herbis et stramentis, e quibus fiebant, 597, 2. lecti plaga quæ dicatur, 563, 2; 564, 1. Legumina cur petant sibi dari tres pueri, 12, 1. Lenones et leones superarunt virginis christianæ olim, 82, 1, 2. lenones omnem animæ ornatum dissipant, 486, 1. Lentiscus quæ sit arbor, 186, 2. Leo naturaliter non nocet homini in sex casibus, et quæ rei hujus sit ratio, 81, 2. quibus rebus terreatur, ibid. ambit prædam vivam, ibid. leo rugit bis, semel cum famet et prædam videt, dein cum eam capit, 539, 1. est gulosus, ita se infarcit, ut ad triduum non esuriat, ejus halitus ex ingluvie gravis est, ibid. et 2. quartana jugiter laborat, et hanc abstinentia superat, 359, 2. leoni comparatur Christus evangelizans per se, et per Apostolos, 437, 2. Leopardi unde nascantur, 86, 2. Leunculorum dentes acuti et firmi sunt, 485, 2. Levitæ in tabernaculo excubabant, 341, 1. Lex talionis justitiae naturali consentanea est, 83, 1; 194, 2. Lege (in) naturæ Deus cur nequeat dispensare, 281, 1, 2. lex scripta est commentarius vitæ sanctorum, 397, 2. lex Mosis est velut pluvia matutina, 609, 1. lex Dei significatur sæpe per judicium, 580, 2. lex gratiæ est ceu imber serotinus, 609, 1. leges debent esse vincula charitatis, 430, 1. leges cur tabulis lapideis inscriptæ a Mose, 397, 1. leges tum veteres, tum christianorum, sunt velut funiculi Adam, 430, 1. Libanus vinum fert prestantissimum, odoratum, et vim suam diu retinens : botri e quibus id exprimitur, ingentes sunt, 472, 1, 2. ipse mons situs in regione calida, frugifera et montosa, ibid. olim cedris abundabat, jam pene iis caret, 617, 1. capitul interdum pro thure, 471, 1. Libatio erat oblatio libaminis, puta vini et olei, quo sacrificia tum farrea, tum carnea condiebantur, 400, 2; 487, 2. Liber Danielis cuius sit auctoritatis, 3, 1. semper habitus fuit canonicus, ibid. ejus obscuritas, 4, 2; 5, 1. illius præstantia, 5, 2. quid contineat, ibid. est historicus, propheticus, dogmaticus, ibid. partim chaldaice, partim hebraice est scriptus, et ubi utrumque, ibid. ipsemet Daniel ejusdem est auctor, ibid. quis illius scopus et divisione, ibid. tres ejus sunt partes, ibid. an Daniel alia scriperit, 6, 1. Liber vitæ est ipse Christus, ejusque vita, 93, 1. liber obsignatus erat symbolum antiquitatis, 173, 2. Libri aperti in judicio Dei quid significant, 94, 2. liber triplex est in judicio Dei, ibid. Libri multi sacri et profani periere, 641, 1. libros veteres aestimabant numero versum, non capitum, versus constabat sex dictionibus, 253, 1. Liberius Pontifex aurum a Cæsare oblatum repudiavit, 71, 1. ejus responsum liberum in repudiando arianismo, 40, 2. Libertas est vita moralis et civilis, 363, 1. Libertinus quidam quo argumento convictus sibi persuaserit Deum esse vindicem malorum, præmiatorem bonorum, 586, 2. Libidinosus quomodo peccandi viam Deus obstruat, 308, 1. eorum typus sunt Ammonitæ, 348, 1. Libido hircorum, 101, 1. libido et libidinosi ursus comparantur, 88, 1. libidinum incentivæ sunt fornax accensa, 46, 2. libido non extinguitur ipso actu venereo, 379, 1. est pena superbiæ, 354, 1. mater est idolatriæ æque ac hæresis, 417, 2. erucæ assimilatur, 484, 1. homini etiam sapienti mentem eripit, 341, 2. Licentiosa vita monasteriorum quomodo a Deo puniatur, 624, 2. Ligna settim erant imputribilia, unde sic dicta, 526, 1. Lilia an futura aureola virginum, 171, 2.

Lilio assimilatur fidelis ob septem analogias, 469, 2. illius proprietates describuntur, *ibid.*
 Limen domus Romæ non tangebant nubentes, 500, 1.
 Linea vestis angeli apparentis Danieli significat ejus puritatem et innocentiam, item Machabæorum sacerdotium et labores, 187, 2.
 Lingua Dei ad animam describitur, 246, 1. lingua assyria et Chaldaica vicinæ sunt, 542, 1.
 Litanias septemplices Romæ in inguinaria lue indixit S. Gregorius Papa, 499, 1. earum usus priscus astruitur, *ibid.* litanias majores sanxit Carolus Magnus celebrandas, item Concilium Moguntinum, *ibid.*
 Litteras liquidas sæpe inter se commutant Chaldæi, 17, 2.
Locuplex vox unde derivetur, 633, 2.
 Locustarum exercitus Ægyptiis erant hieroglyphicum, famis, 408, 2. eas multi sancti precibus suis abegerrunt, *ibid.* sæpe prænuntiant hostium adventum et bellorum stragem; hinc vocantur vates vel divinatrix, 482, 2. id variis exemplis probatur, 483, 1. an nascantur ex eruca, 484, 2. comparantur equis et equitibus, 485, 1; 493, 2. nihil eis invium, 494, 1. arroduct plerunque cortices arborum, 486, 1. earum acies, 494, 1.
 Locutio Dei ad animam quomodo fiat, 256, 1.
 Longævi cur essent homines ante diluvium, 13, 1.
 Longævitatis mater est sobrietas, *ibid.*
 Loqui ad cor quid sit Scripturæ phras, 316, 2.
 Lora est lota acina, 326, 2.
 Lucifer invenit superbiam, 484, 1.
 Luciferum vel stellam Veneris Hebræi vocarunt Rephan, Rempham, Kevan, Kiun: eam ut reginam cœli coluere variae gentes, 590, 2. cur dicatur Arabibus *Bacham*, Hebræis *Kiun*, 591, 1. eam cur coluerint Hebræi in deserto, *ibid.* quomodo hanc efformarint, *ibid.* lucifer est symbolum variae fortunæ et sortis, *ibid.* 2. Lucifer oriens est doctrina Christi, et fulgor Evangelii, 233, 2.
 Lucretiae castitas inferior est quam Susannæ, 183, 1.
 Ludibria aule varia recensentur, 80, 2.
 Lugere quando metaphorice dicantur agri, 536, 1.
 Lumen propheticum quid proprie sit, 246, 2. est necessarium, non liberum menti, *ibid.*
 Luna symbolice quomodo in sanguinem convertatur, 589, 1. quomodo tropologice, 510, 1.
 Lutheranorum dogmata, meræ insanæ sunt, 562, 2.
 Lutherus quo anno hæresin publice professus est, eo B. P. Ignatius ei futurus antagonistæ vulneratus mundo nuntium remisit, 76, 2. ejus inscitia probantis imagines esse vetitas, 330, 1.
 Lux symbolum prosperitatis, felicitatis et gaudii, 586, 2; 629, 1. luce cœlesti est opus ad Prophetas intelligendos, 233, 2.
 Luxum provinciarum deprædatione et desolatione punit Deus, 624, 2.
 Luxuria homini ad senium usque adhærescit, 180, 2. luxuria et avaritia sunt duæ filiæ diaboli semper insatiabiles, 379, 1. luxuria est pœna arrogantiæ, 354, 1. — *Vide Libido.*
 Luxuriosi in stercore et fætoribus libidinis suæ compunctione, 489, 1, 2. ipsi et gulosi in die judicii maxime a Deo judice exagitabuntur, 519, 2.
 Lycantropi describuntur, 58, 1.
 Lyra in conviviis convivis tradebatur olim, quam juxta propinationes resignabant, 598, 2.
 Lysippus quomodo ex ære Alexandri statuam fixerit, 24, 2.

M.

Macedoniani negabant Spiritus Sancti divinitatem, 574, 1.
 Macedonii hæresiarchæ immanitas in christianos, 158, 1.
 Machabæorum sacerdotium, labores, charitas, bella, regnum, gloria, triumphus, zelus, prudentia, vigilantia,

fortitudo, 197, 2, usque ad 140, 1. exercitus ab Angelo apparet Danieli repræsentatur, 137, 2. et seq. eorum regnum an dicatur regnum Sanctorum, 98, 1. illorum symbolum quod esset, 69, 2. sub iis maxime floruit religio et fortitudo Judæorum, et erant legitimi principes, 329, 2.
 Medianitarum, in sequente Gedeone et sociis, quantus fuit pavor et consternatio, 423, 2.
 Magas frater Ptolemæi Philadelphi incitat socerum suum Antiochum Theon contra Ptolemæum Philadelphum, 150, 1.
 Magi propriæ quid sint, 18, 1. magorum Persarum abstinentia, 14, 1.
 Magnanimitas mundana in offensis non condonandis, sed in memoria retinendis, diabolica est, 434, 1.
 Magnates quomodo corripiendi, 253, 2.
 Magni plerumque timidi et pavidi sunt, 218, 1, 2. magni esse qui volunt, sese humiliant, *ibid.* *Magnus dies Jezrahel* quis sit Osee, 300, 2; 394, 1. magnos dies quos vocarint Romani, et quis mathematicis magnus annus, *ibid.*; 510, 1.
 Mala omnia tum publica, tum privata a Deo infliguntur, 560, 2. nihil propriæ malum est nisi peccatum, *ibid.* mala pœnæ bona sunt, non mala, 561, 1. mala tria querilibet peccatorum, ignorantia, concupiscentia et miseria, 488, 2. malum an, Deo dispensante, sit non malum, 281, 1, 2.
 Malachias quando prophetarit, quid vaticinetur, 256, 2. ejus hieroglyphica, 264, 2. ejus ænigmata, 268, 2. ejus adagia, 275, 1, 2.
 Malachias (S.) Hiberniæ pisces restituit, 336, 2.
 Malcho (S.) pepercit leæna, 82, 1.
 Malchus philosophus cur deinde dictus Porphyrius, 295, 1.
 Malchus (S.) monachus herum fugiens intra sepulcrum se abdidit, 416, 2.
 Maledictionem Hebræi contrario nomine vocant benedictionem, 253, 1, 2; 573, 1.
 Malefici ex extis futura divinant, 18, 1.
 Malitia dici potest statera dolosa, 450, 2.
 Malleoli proprie quid sint, 43, 1.
 Malogranatum est symbolum unionis et concordiæ, 29, 2. cur id gestaret pontifex Judaicus in ima veste, *ibid.* ipsum Junoni dicabant veteres, *ibid.*
 Mane, *Thekel*, *Phares*, pluribus exponitur et varie legitur, 74, 1, 2.
 Maniaci quomodo divinent, 248, 1.
 Manichæi cur damnent Osee factum et connubium, 284, 1, 2. matrimonium omne damnabant, 286, 1.
 Manipuli sacerdotalis usus et origo, 500, 2. idem is est cum sudario, *ibid.* hic moneat sacerdotem devotionis priscorum sacerdotum, *ibid.*
 Manna (cum) an depluerit ros qui manna tegeret, 469, 2. ei conferuntur cœlestia eloquia, 223, 1.
 Manus vere scripsit contra parietem in convivio regis Balsasaris, 69, 1. cur apparuerit manus, et non scribens, *ibid.* manus capiuntur interdum pro opere nuptiali, 32, 2. manus integra scripsit sententiam regis Balsasaris, 71, 1. manus symbolum est justitiae et vindictæ Dei, *ibid.* 2. manus organum est organorum, 451, 2. manum osculari solebant idololatræ, si non possent idolum, 435, 2.
 Marcion censuit Christum suo ad inferos descensu omnes animas damnatas liberasse, 464, 2.
 Marcus (S.) fuit velut parens Religiosorum, 231, 2.
 Mare Orientale Judæis est mare Mortuum, id est limes Juðææ ab Oriente, 502, 2. *mare* in Scriptura significat Occidentem, 437, 2.
 Maozim quid Hebræi significet, 166, 1.
 Maria (S.) mater Dei fons est, ex quo manavit fluvius, id est Christus, irrigans torrentem peccatorum nostrorum 526, 2. passa est martyrium cordis, 443, 1.

- Maria (S.) *Ægyptia tot annis passa est tentationes libidinis, quot in ea vixerat,* 344, 1.
 Maria imperatrix, Ottonis III uxor, ob adulterium publice igne crematur. 185, 1.
 Maria (B.) virgo est coronata stellis duodecim, 183, 1.
 Maria Magdalena (S.) confertur cum uxore Osee, 287, 1.
 post peccatorum remissionem, totam vitam in eremo, in lacrymis, gratiarum actione et contemplatione transegit, 313, 1.
 Marinæ (S.) monachæ castitas, patientia, innocentia, 187, 2.
 Mariti, ob uxoris pollutionem, dolor et ignominia grandis est, 618, 2. jus in eam habet succeditque in locum patris, 321, 2. maritos suos Hebrææ vocabant *Baali*, id est Domine mi, 320, 1, 2.
 Mars an sit deus Maozim, 458, 2. ei cur sit aries sacer, 401, 1.
 Martinianus (S.) eremita quomodo ignem concupiscentiae extinxerit, 342, 1.
 Martinus (S.) imunerum contemptor egregius, 71, 1.
 Martyres in tormentis Deum invocantes ab eo confortati sunt, 40, 2; 41, 1. martyrum aureola quæ et qualis sit, 171, 2. in tormentis semper et assidue Deum rogarunt, 43, 1, 2. Deus illos consolatur, *ibid.* publicas clades, quin et martyria sua suis suorumque ascribunt peccatis, 42, 1. eorum constantia et gloria, 40, 2. martyres quinque *Ægyptii* Prophetarum nomine assumpto, quam generose pro Christo mortem oppetierint, 11, 2. martyres olim ex unco suspendebantur, 620, 2. uncis quoque lacerabantur, *ibid.* tormentis et morti per Christi gratiam insultarunt, 464, 1, 2. sunt testes Dei fideles, 441, 1. quomodo a Christo olim lactarentur, 312, 1. eorum dignitas, gloria, bonus odor, 441, 2. illis accensentur, qui ex charitate morbidis ministrantes emoriuntur, 442, 2.
 Martyris Nagranensi, viso duas filias suas necari, generositas, 43, 1.
 Martyrium Christi in cruce fuit sacrificium proprie dictum, non tamen martyrium martyrum, 42, 2.
 Martyrium est fructus vineæ Ecclesiæ, 411, 2. ejus varia elogia e sanctis Patribus, 441, 2; 442, 1, 2. exhortatio ad ipsum, 443, 2.
 Maspha urbs Juda sita fuit in monte, et satis celebris; quæ in ea gesta, 351, 1. an duplex fuerit urbs, una in Juda, altera in Israel sita, puta in monte Galaad, *ibid.* 2.
 Massa picea objecta a Daniele diruptus est draco Babylo-nius, unde, 192, 2.
 Mathathias an per Michaelem apparentem Danieli intelligatur, 165, 1.
 Mathematici quem annum vocent magnum, 300, 2. mathematici planetarii vera si dicant, casu sit, non arte, 247, 2.
 Matres regum cur tam studiose Scriptura in libris Regum nominet, 285, 1. matres cur magis proles ament, quam patres, *ibid.* iis proles corpore et moribus sunt similiores, quam patribus, *ibid.* et 2.
 Matrimonio vinculo (in) quomodo Deus dispensare possit, 282, 1. matrimonium Osee cum meretrice honestavit Dei jussio, 284, 1.
 Matula vocatur homo vilissimus, 293, 2. matulæ dæmonum sunt scorta, *ibid.* matulæ obsequium quam vile, *ibid.*
 Matutinus imber in Judæa quis sit, et quando veniat, 367, 1; 503, 2; 570, 2.
 Mauritus imperator maluit in hac vita a Deo puniri, quam in futura, 511, 1.
 Mauritio imperatori revelatum est eum occidendum et privandum imperio ab eo cuius nomen a PH inciperet, 69, 2.
 Maxelendis virgo ob votum virginitatis interficitur, 183, 2.
 Maxillas (super) boum quomodo jugum exaltetur, 430, 2 et seq.
 Maximianus Herculeus imperator quam atrociter in Christi fideles sævierit, 158, 1.
 Meditatio est clavis veritatis, 60, 2. meditatio est clavis S. Scripturarum, 234, 1.
Μεδία proprie appellatur subrisio, 584, 1.
 Melanaetos aquila invidiæ expers non clangit, nec murmurat, 390, 1.
 Melancholia quomodo imaginationem vitiet, 58, 1.
 Melania Romana in totum orbem benefica fuit, 371, 1.
 Melchom erat idolum Ammonitarum, quid significet vox hæc, 547, 2.
 Memoriam æternam ambiant omnes, 239, 2.
 Memphis captam a suis Selimus Turcarum rex non est ausus ingredi, 75, 2. Memphis urbs *Ægypti* fuit ab alia parte Nili Cairo opposita, 402, 1, 2.
 Mendacium triplex est, mentis, oris et operis, 377, 1. mendacii fructum comedit omnis peccator, 423, 1.
 Mens ordinarie in cognitione utitur phantasmatibus, 245, 2. mens solitudo cum corporis solitudine semper conjungenda, 314, 2. ejus veritas et mendacium quæ sit, 377, 1.
 Mensis apud Hebræos tripliciter accipitur, 623, 1.
 Mentiri nunquam fas est, 281, 2. mentiri quando dicantur fruges et fructus, 423, 1.
 Mercatorum fraudes in vendendo et emendo, 626, 2; 627, 1. vocari possunt Chananæi, 449, 2. an Deo placere possint, *ibid.* lucri studium temperent, 450, 1. quantopere lucro inhinent, 625, 1.
 Meretricem ducere hoc fine, ut turpi vitæ finem imponat, sanctum et honestum est, 284, 1. meretrices indolem suam proli communicant, 285, 4. sunt et vocantur vitulæ lascivientes, 419, 2. earum in turpitudine sua perseverantia, *ibid.* auferunt homini cor, 341, 2. etiam viri dici possunt ob abusum libidinis et naturæ, 345, 2.
 Mesa rex Moab qua occasione immolarit suis manibus proprium filium, non regis Edom, 549, 1.
 Messallina Claudi imperatoris uxor fuit infamis, 283, 1.
 Messias Judeorum refutatur, 643, 2. eum mutationem quamdam miram in frumento facturum agnoscent Rabbinæ, 472, 1. ejus tempus, lex et ætas in Scriptura vocatur novissima, 506, 1. moriturus probatur, ideoque ab Hebræis vocatur *barnephili*, id est filius caducus, 643, 2.
 Metalepsis crebra est apud Prophetas Minores, 237, 2.
 Metamorphosis Nabuchodonosoris in bestiam quomodo contigerit, 59, 1, 2.
 Metaphorice locutiones Prophetarum, 223, 1.
 Methodius martyr an sit auctor libri prophetici, qui ejus nomine circumfertur; videtur suppositius, 252, 2.
 Metonymia crebra Prophetis æque ac Poetis, 237, 2.
 Metus levis pallorem gravis nigrorem inducit, 493, 2.
 Micca maluit mori quam a Leucio duce violari, 183, 2.
 Micha idolum erexit in urbe Dan, 417, 1, 2.
 Michael angelus occidet Antichristum, 164, 2, et 165, 1. fuit tutor et præses Ecclesiæ Judaicæ, *ibid.* ejus elogia varia, 165, 1, 2. illustrissimæ quæque veteris Testamenti apparitiones ei attribuntur, *ibid.* et seq. Turcæ eum venerantur, *ibid.* est Mars christianorum, et templo olim Marti dedicata varia, modo a christianis ab ipso cognominantur, *ibid.* canet tuba novissima: quod pingi soleat cum statera, ea pictura propugnatur, 166, 1. cur vocetur signifer, *ibid.* varia ejus munia, *ibid.* et 2. fuit a S. Joanne in Asia celebratus, *ibid.* quomodo Polonus contra Lithuanos juverit, *ibid.* ejus apparitio in monte Gargano, et templum Colossis celebria sunt, *ibid.* ex quo ordine angelorum sit, 142, 2. an ex Archangelis, an ex Principatibus, *ibid.* verius est esse primum inter Seraphinos, 143, 1. est præses Ecclesiæ totius, *ibid.* cur venerit in adjutorium Gabrielis certantis contra Angelum Persarum, 143, 2. Michaelis duo non sunt,

- unus Seraphinus, alter Angelus Ecclesiae custos, 443, 2.
- Michaelis imperatoris Andronici interitus divinitus prægnificatus, 72, 1.
- Michæas propheta suppar est Isaiae, et ad verbum idem subinde cum eo dicit, 239, 1. quando cœperit prophetae, et quid prophetet, 255, 1. ejus hieroglyphica, 260, 1. ejus ænigmata, 266, 2. ejus adagia, 271, 1, 2.
- Milites olim dicebantur latrones, 378, 1.
- Militum Romanorum in castris durities et disciplina, 28, 1.
- Mille anni in oculis Dei velut dies unus, 363, 2.
- Millenarii putabant post diem judicij sanctos in terra cum Christo victuros in omnibus carnis deliciis per mille annos, et illis exactis in cœlum rapiendos, 524, 1, 2.
- Milo Crotoniates in certaminibus invictus fuisse perhibetur, quod alectoria gemma uteretur, 442, 1.
- Minæ et pœnæ præsentes non nisi stilla sunt, si cum pœnis inferni comparantur, 618, 1. minæ Prophetarum et prædicatorum comparantur rugiti leonis, reti aucupis et clangori tubæ, 539, 1, 2.
- Mincha Hebræum quando jungitur cum incenso et sacrificio, non nisi victimam significat, 33, 2.
- Minerva dea sapientiae fingitur a Poetis et Gentilibus, oleæ inventrix, 530, 2.
- Ministrantes angeli alii an sint ab assistentibus, 93, 2.
- Ministrantes morbidis, et in eo ministerio emorientes, Ecclesia martyribus annumerat, 443, 2.
- Minores Fratres unde sic nominati, 217, 1.
- Misach quid sonet syro-chaldaice, 12, 1.
- Misael hebraice quid sonet, *ibid.*
- Misericordia cur dicatur somni Nabuchodonosoris interpretatio, 19, 1. misericordia significat opera liberalia charitatis, aliarumque virtutum indebita, 369, 2. est virtus divina, et propria Deo, 369, 2. pluris est eam facere, quam tempa condere, *ibid.* cur præstet sacrificio, 369, 1. ea cessante, cessat opum proventus, et agrorum, 334, 1. in Scriptura sæpe capitur pro sanctitate et justitia, 420, 2. ipsa propria Sanctorum virtus, *ibid.* 599, 2. misericordia in Deo est, non qua passio, sed in hominibus virtus et passio est, 292, 2. ejus quanta sit excellentia, 369, 2. misericordiam Deus post relapsus negat Israelitis, 291, 2; 292, 2.
- Misericors Deo sœnerat, 369, 2. misericors est Deus in peccatores, 496, 1, 2.
- Mithridatis in Romanos crudelitas et mors, 541, 1.
- Moabitæ figura sunt invidiæ et invidorum, 548, 1. eorum restauracionem quomodo promittat Deus, 644, 1. cur regis Idumæorum mortui et sepulti ossa effoderint, 549, 1. quando id factum sit non constat, *ibid.*
- Modios 48 hordei ad annum victimum Romani assignabant servis et aliis, 328, 1. modius Italicus duplus est ad Hispanicum, 626, 2.
- Mæchari nunquam licet, 281, 2.
- Mæror caliginem oculis æque ac menti inducit, 629, 1.
- Moloch erat deus Ammonitarum, summus deorum, 547, 2; 589, 1, 2. eum an coluerint Hebrei in deserto, *ibid.* coluerunt eum una cum Beelphegor, *ibid.* et eum in tabernaculo secum circumferebant, *ibid.* non idem est cum Reinpham, sed cum sole, 591, 1.
- Monachi cujusdam Eleemonis misericordia, 371, 1. alterius de voluptatibus responsio, 343, 2. alias quomodo libidinis temptationem vicerit, 395, 2.
- Monachi solitudinem colant, 345, 1, 2.
- Monarchæ qui vocentur, 20, 2.
- Monarchiæ olim erant magna latrocinia, 86, 1.
- Monarchiæ quatuor an designatæ per erucas, locustas, bruchos et rubiginem, 483, 1. depingi eæ solent per quatuor bestias et quadrigas, *ibid.*
- Monasteriis maxime dæmon insidiatur, 347, 1.
- Monetam veteres in statera appendebant, 72, 1.
- Monopolas frumenti acriter insectatur S. Ambrosius, 626, 2.
- eos principes et magistratus plectant, 625, 2. eorum merces sæpe Deo permittente depereunt, 626, 1.
- Monstra peccatorum parit anima, cum relicto Deo vagatur per deserta cupiditatum, 307, 1.
- Monstrosæ bestiæ variæ, 90, 1.
- Montanus episcopus Toletanus quomodo suam probarit continentiam, 45, 2.
- Montes decem dant commoda, 49, 1, 2.
- Morborum vi potest quis alienari a sensibus et rapi in exstasis quasi naturalem, 245, 2.
- Moribundis sanctis Deus vel angeli sæpe multa revelant, 247, 2.
- Mors Antiochi Magni varie narratur, 153, 1.
- Mors regum misera, 104, 2. mors cur vocetur congregatio, 336, 1. ei vicinos divinare censebant prisci philosophi, 247, 2. mors tyranorum plerumque cruenta est, 540, 2. quare vocetur nihil, 605, 2. per Adæ peccatum in orbem inducta, omnibus ejus posteris dominabatur, usque ad Christi adventum, 462, 2. sed Christus dum a morte et inferno resureret, de utrisque triumphavit, *ibid.* omnes expugnat, etiam validissimos, 464, 1. velut uncinus pomorum est, que omnes hominis dotes, virtutes et vitia attrahit, 621, 1. ei insultant christiani per Christum, 468, 2. ejus hieroglyphicum et figura, 622, 2. in ea sapit quislibet insipiens, 393, 2.
- Mors æterna vocatur opprobrium, 168, 1.
- Mortem post Antichristi quot restabunt dies usque ad diem judicij, 176, 1.
- Mortificatio continuum martyrium est, 443, 1, 2. ea præmittenda ad orationem accedenti, 500, 2. ejus symbolum erat altare holocaustorum, *ibid.*
- Mortui omnes qui sunt, a morte resurrecti in die judicij, 167, 1, 2.
- Mortuum tangentes, aut funeri præsentes Judæis immundi erant, 401, 1. mortuos exhumare inhumanum, 549, 2.
- Morum imago vivacior quam verborum, 227, 2.
- Morus arbor scribitur Græcis per omicron et per omega, 616, 2. est arborum omnium prudentissima, 617, 2.
- Mosis et Eliæ jejunium, 19, 1. Moyses sæpe Deum populo irascentem reconciliavit, 113, 2. fuit doctor stellatus, 172, 2. Moses est tribunus fidelium testium Dei, 441, 1. in Æthiopas castra moturus, quomodo a serpentibus illæsus fuerit, 438, 2. Æthiopes an ad pacem coegerit, 640, 1. Æthiopissam ducens figura fuit Christi carnem nostram assumentis, 286, 2.
- Môros, id est terunda, medicis quadruplex est, 362, 1.
- Moyses abbas quomodo viderit magnam dæmonum oppugnantium multitudinem in Occidente, sed majorern angelorum propugnantium in Oriente, 145, 2.
- Mula pariens fuit Zopyro Medo omen capienda Babylonis a Dario Hystaspis, 72, 1.
- Muli, nec equi sunt, nec asini, sed tertia species: erant frequentes apud Judæos, 489, 2.
- Mulier quædam adulterii falso accusata septies icta occidi non potuit, 187, 2. mulieris cuiusdam insignis pudicitia in expugnatione Romanæ urbis per Gothos, 183, 2. mulierum oculi quam intoxicent, 180, 2. mulierum quanta potentia et fortitudo, 341, 2.
- Mundana felicitas in statua aurea Nabuchodonosoris representatur, 38, 2.
- Mundana omnia vana, 30, 2.
- Mundani in rebus divinis parci sunt, sed in iis quæ spectant pompam aut ventrem, profusi sunt, 569, 2. eorum injusta judicia, 497, 2.
- Mundare sanguinem significat vindicare sanguinem, cur, 528, 1, 2.
- Mundus est mare, cur, 86, 1. mundi gloriæ optime representat pavo et pardus variegati, 89, 1. mundi omnis honor et gloria est stella cadens, 591, 2. est carmen et canticum Dei, 576, 2. mundus sublunaris vocatur conglobatio vel globus elementaris, item fasciculus, 638, 2.

mundus exemplaris vocatur a Timæo , Deus, 576, 1.
Murmurandum non est contra Deum punientem, 608, 2.
Murorum Babyloniorum crassilis et altitudo, 63, 1.
Murus calce illinitur ut sit elegantior, et contra nimbos et
procellas firmior, 612, 1.
Musicam veteres tum Hebræi, tum Gentiles conviviis adhi-
buerunt ad recreationem convivarum, 398, 1.
Mustum cur statim hominis cerebrum occupet, et homi-
nem ebrium faciat, 342, 1, 2; 411, 2.
Mutationes cordis perversi in melius miraculis potiores
sunt, 582, 2.
Mycterismus creber apud Prophetas est, 238, 2.

N.

Nabonitus an fuerit Darius Medus ex sententia Scaligeri,
76, 1.
Nabopolassar nomen unde componatur, 17, 2.
Nabuchodonosor quo anno Joakim venerit in Jerusa-
lem, 8, 1, 2. ter cepit et vastavit eam, 9, 1. quo anno
regni viderit somnum de statua, 17, 1. quo anno vas-
tarit Ægyptum, et factus sit mouarcha, *ibid.* chronolo-
gia vitæ ejus, *ibid.* 2. ejus nōmen compositum ex tribus,
ibid. 2. an juste ariolis mortem intentarit, nisi verita-
tem sui somnii exponerent, 18, 2. ejus et Babyloniorum
gloria et felicitas, 22, 2. Danielem cur et quomodo ado-
rarit, 33, 2. quo anno regni statuam auream erigi juss-
erit, 38, 1. ejus inconstans et volubile ingenium, *ibid.*
cur statuam suam auream erigi jusserit, *ibid.* non vide-
tur plane prodigo trium puerorum ad Deum conversus,
sed tantum velut, ne quis eum blasphemaret, 52, 2.
quo anno regni sui viderit visionem de arbore magna,
54, 2; 55, 1. quo anno regni mutatus sit in bestiam,
ibid. quare Danielem vocet collegam suum, 55, 1. cum
primum in amentiam versus est, a suis est vincu-
lis adstrictus et inclusus, sed monitu Danielis solutus
et dimissus ivit in silvas, 57, 1, 2. historia hæc non fuit
parabolica, sed vere contigit, *ibid.* an vere in bestiam
sit mutatus, 57, 2 et seq. factus est instauri vel bisonis,
ibid. an per melancholiam, 58, 2. tamen mansit
vere homo, 59, 1. mutatus in bestiam fuit, quia ipse
hoc imaginabatur, quia complexio ejus fuit efferata, quia
fuit amens, *ibid.* quia habitu erat ferino, reptabat ut
sera, cum seris herbas comedebat, mugiebat ut bos,
ibid. et 2. an habuerit cornua, *ibid.* ejus mutationis vix
meminere Gentiles, *ibid.* an per eleemosynam dilata sit
ad annum Dei contra eum sententia, 62, 2. eo ejecto
quinam regnum ejus administrarint, 63, 1. quomodo ca-
pilli ejus excreverint in similitudinem aquilarum, 63, 2.
et cur, *ibid.* apte pilos habuit aquilæ, et unguis avium
rapacium, 64, 1. ejus fastus et Dei oblivio, contemptus,
ibid. septem annos integros cum bestiis vixit, *ibid.* 1, 2.
postea ad se rediens videtur conversus et salvatus, 65, 2.
etsi auctor de eo dubitet, *ibid.* cur dicatur leo et
leæna, 86, 2 et seq. cur alas aquilæ, et evulsas quidem
habere dicatur, *ibid.* quatuor ejus in Judeam expedi-
tiones significantur per crucas, locutas, bruchos, rubi-
ginem, 483, 1, 2. tredecim annis Tyrum obsedit, 544,
1. bricho comparatur, 609, 2. post captam Jerusalem
invasit Ammon, Moab, Edom, Tyrum, 547, 2.
Nahum propheta quando et quid prophetarit, 255, 1. ejus
ænigmata, 267, 1. ejus adagia, 272, 1, 2.
Naphta est ignis pabulum, simile bitumini, 43, 2.
Nares latas habentes, tarde irascuntur, et cito placantur,
496, 1.
Narses erat eunuchus imperatoris Justiniani victoriis cele-
bris, 9, 2.
Naso suspendere quid sit, 238, 2. nasus index iræ et irri-
sionis, *ibid.*
Nasutus dicitur qui alios irridet, 239, 1.

Nathan propheta fabricam templi Davidi ex seipso prædi-
cens erravit, 259, 2.
Natura humana peccato Adæ collapsa vocatur tabernacu-
lum David, 643, 2. naturæ legis vis et ortus, 281, 1, 2.
Nazarei quia abstinentes, sapientes erant, 13, 1. erant
Religiosi veteris legis, abstinebant vino, gestabant cæ-
sariem intonsam, 553, 2.
Nebula matutina magnam Dei potentiam et sapientiam
ostendit, cur : nebulae mirabilia, 573, 2.
Neomenia erat Hebreis prima dies mensis et Kalendæ,
355, 1. et ita dicebatur ipse mensis, 624, 2.
Neronis imperatoris quanta fuerit persecutio, 157, 1. ejus
interitus unde cognitus, 72, 1, 2. ejus typus fuit Nabu-
chodonosor rex, 38, 2. ejus credulitas, 540, 2.
S. Nicolaus Tolentinas vidit stellam, quæ quotidie ipsum
recto motu anteibat usque ad altare, 172, 2.
Nicomedenses martyres quam læte Deo se in sacrificium
obtulerint, 43, 1.
Niger vocatur invidus, detractor, calumniator, 640, 2. qui-
bus nigra est cauda, de his gustari vetabat Pythagoras,
640, 2.
Nibili (in) lætatur peccator, 605, 2. nihil sine Deo factum
est, *ibid.*
Nilus in septem rivos se dividit, quibus per totidem ostia
influit in mare, 628, 1. quotannis exundans, oblitus
fertilemque reddit Ægyptum vice pluvias, *ibid.* ejus incre-
menta, *ibid.* totam Ægyptum everrit, *ibid.*
Niobe Latonæ se ob proles præferens, in lapidem mutata
est ob interfectos ab Apolline filios septem et totidem
filias, 407, 2.
Nobilitas vera est virtus et eruditio, 10, 2.
Nocturnæ preces et vigiliæ cur olim indictæ fuerint, 512, 1.
Noe cur centum annis arcam fabricarit, 561, 1.
Nolæ in Campania primum majores factæ campanæ, et
inde nomen acceperunt : minores quoque campanulae
dictæ Nolæ, 499, 1.
Nomen in Confirmatione vel ingressu Religionis mutare
fas est, 295, 1. et cur id fiat, *ibid.* nomina christiana
danda pueris, non Gentilium, 593, 2. nomine Christi
vocari, quam sit gloriosum, 645, 2. nomen Domini est
ipse Dominus, qui per nomen invocatur, 512, 1. et sym-
bolice ejus virtus, gloria, potentia, et omnis perfectio,
ibid. in funeribus nominare et invocare solebant Judæi
nomen Domini, 602, 2. nomina Hebreæ, præsertim ani-
malium, gemmarum, arborum, lapidum, sunt amplæ
significationis, 480, 2. nomina parentum apud Hebreos
sæpe patronymice sumuntur pro filiis et posteris, 332,
1. nomina patrum aliquando juvant ad Prophetæ in-
telligentiam, 221, 1. in nominibus propriis Prophetæ
alludent ad eorum significata, 236, 1.
Nomina cur mutata tribus pueris, 11, 2.
Non ultra, non amplius in Scriptura non significant æter-
nitatem, 250, 2; 561, 2.
Nona hora cur orarent Judæi, 80, 1.
Nonni abbatis super caput stella fulgere visa, 173, 1.
Nosse Deum beata vita est, 334, 2.
Nova in aliquo genere et prima ob sui novitatem rapiunt
omnes in admirationem, 22, 2.
Novacula acuta quam vidit Isaías, quid denotaret, 609, 2.
Novale, est novus ager, cum is excisis herbis noxiis primo
colitur, 422, 1.
Novam terram et novum mundum fidelium Christus insti-
tuit, 524, 1.
Novembri (in) magna cœli inconstantia est et intemperies,
quam inducit Orion oriens, 581, 2.
Novitiis in Religione nihil dicendum quo ad sæculum re-
petendum moveantur, 380, 1.
Nubes lucida symbolum est divinitatis, 96, 1. nubes sunt
pluvias vehiculum, 349, 2.
Nuces, quæ duro cortice sunt, an pomorum nomine com-
prehendantur, 620, 1.

- Nudipedes erant qui aliorum ossa legebant, 602, 1.
 Nuditas Israelis quæ vocetur, 306, 1.
 Nugæ vocantur nugaces, 260, 2.
 Numa populum Romanum ferum religionis institutione et utilibus legibus domuit, 413, 1.
 Numerat Deus regna quomodo, 72, 1.
 Numerus angelorum est maximus, 93, 1, 2. numerum cardinalalem Hebrei ponunt pro ordinali, 111, 2. numerus CCCCXC Hebræis erat celebris et quasi sacer, 116, 2.
 Numinis metus et reverentia homines a peccato avocat, et ad bonum impellit, 332, 2.
 Nutricium Ephraim cur se vocet Deus, 428, 2.
 Nutricum indolem et mores sugunt infantes, 286, 2.

O.

- Obedientiae symbolum et deditio nis oliva est, 471, 1. ipsa martyrium est, 443, 1, 2.
 Oblatio tristi animo oblata Deo displicet, 401, 2.
 Oblivio rei nullius proprie in Deo est, 292, 1. oblivio Dei quantum malum sit, *ibid.*
 Obscuritas libri Danielis unde patet, 4, 2; 5, 10. obscuritas conducit ad impinguationem animalium, 597, 2. obscuritas Osee prophetæ et aliorum, 277, 4, 2; 235, 1.
 Occasiones peccatorum non vitantes quam stolidi sint, 384, 2.
 Oculi hominis quid, 1, 1.
 Oculi flammantes ut lampas, angeli apparentis Danieli, significant prudentiam et vigilantiam, 139, 2. oculi sunt in amore dices, 180, 2. oculorum anguli cur dicantur hirci vel hirqui, 162, 1.
 Oculus corporis in Scriptura significat oculum mentis, puta intellectum, 237, 2. oculus hominis centum morborum genera habet, 622, 2. oculus baculo insistens hieroglyphicum Dei est, 274, 1.
 Odia fraterna cur sint acerrima, 544, 2. odium Dei nullatenus potest esse bonum aut licitum, 281, 1, 2.
 Odor ignis capitur interdum pro afflau, vestigio, indicio incendii, 52, 1.
 OEconomia vitæ Christi plena est paradoxis, 251, 2.
 OEniandi episcopi in fide catholica tuenda constantia adversus Anastasium imperatorem, 83, 2.
 Offensem prævenire, quam decorum sit, 434, 1.
 Oleis abundantes regiones an præ aliis viros sapientes gignant, 530, 1, oleum Samariæ excellebat, ut hodie Tiburtinum : eo carebat Ægyptus, 446, 1. oleum symbolum est fecunditatis, charitatis, misericordiæ, lenitatis, et splendoris virtutum, item pacis, deditio nis obediencie, 471, 1.
 Oliva symbolice Ecclesiam et sanctum quemlibet designat, 471, 1.
 Olla succensa a Jeremia visa quid denotaret, 608, 1.
 Olympias neptis Ablavii omnia sua in pauperes erogavit, 371, 1.
 Olympiades cœperunt anno XL Ozia regis, 254, 2. ab olympiadibus cœpit apud Græcos scriptores historiæ fides constare, *ibid.*
 Omen ex Scriptura captare quatenus liceat, 252, 1, 2.
 Omnia in omnibus est Deus, . 448, 2.
 Onager mas ita zolotypus est, ut pullos suos dentibus exsecet, ut ipse solus onagra sua fruatur, 396, 1. cur vocetur solitarius, cum agmine seminarum stipatus incedat, *ibid.*
 Onias Judeus templum Heliopoli in Ægypto a rege Ptolemaeo Philometore impetravit, 151, 1.
 Onus Prophetis quid significet, 243, 1. onus visionis, vel onus verbi Domini cum prophetiis præponitur, ipse partim lætæ, partim tristes sunt, *ibid.*
 Opes Persarum quales et quantæ fuerint, 24, 1.

- Opes avaro sunt idolum, rapina, robur, spes et requies, 450, 2. — *Vide Aurum.*
 Ophiomachus locusta fit, dum mole corporis et alis perficitur, 479, 1.
 Optationes extremorum malorum in viris sanctis accipiuntur pro prophetiis eorumdem, 467, 1.
 Optimates capita sunt urbium, 593, 2. dicuntur montes et excelsa terræ, *ibid.*
 Opus primum Dei Patris fuit æterna generatio Filii, 366, 1. primum opus redemptionis nostræ fuit ejus generatio humana, sive incarnatio, *ibid.* 2. opus bonum, semen est melioris, 421, 2. operis veritas in quo consistat, 377, 1. quod sit operis mendacium, *ibid.* opera bona amissa per lapsum, post pœnitentiam redeunt, 505, 1, 2. opera nostra omnia in Deum tendant, 232, 1. opera omnia hominum in libro scribuntur, qui in die judicii, aperietur, 94, 2. opera Dei sunt vera tripliciter 41, 2. opera bona sunt semina beatæ æternitatis, 421, 2. ea impedit quantum sit scelus, 373, 2.
 Oracula Prophetarum sunt velut litteræ e cœlo delatae, 233, 2. multa eorum cur perierint et non extant, 217, 2. oracula sua seque attemperat conditioni hominum, et cuique pro suo statu et gradu accommode appetet Deus, 508, 1. deorum oracula in somnis captabantur per necromantiam in delubris juxta sepulera magnatum erectis, 398, 1. item dormiendo super stragula, 552, 2. Orandum subditis maxime tam pro regibus quam pro tolo populi cœtu, 459, 2.
 Oratio a Dei laude incipienda, 41, 2. est unicum remedium in tribulatione et persecutione, 44, 1. oratio ad Deum pro principibus, est optima, 378, 2. oratione magis in intelligenda S. Scriptura nitendum et utendum, quam studio, 233, 2.
 Oratio Christi ad impios in die judicii, 516, 1, 2 et seq.
 Orbis (an totus) Christo justice in valle Josaphat sedente concutiendus et convellendus sit, uti in ejus passione concussus fuit, 523, 2.
 Orbitas filiorum congrua poena est fornicationis, 405, 2.
 Ordo duplex sæculorum : prior a diluvio ad primam olympiadem, et is est fabulosus ; posterior, historicus, 254, 2. ordines verborum imperfectorum saepè apud Hebreos inter se commutantur, 360, 2; 510, 2.
 Ordines tres dentium in ore ursi quem vidit Daniel, quid significant, 87, 2. ordines variii quibus de causis a prima sanctitate deciderint, 315, 1.
 Orientales olim in tabernaculis degebant, inde quævis domus aut palatum vocatur tabernaculum, 643, 1. orientalis ventus urens est et noxius, 445, 2.
 Origenes scripsit in Cantica versus fere viginti millia, 253, 1. putabat damnatos omnes aliquando salvandos, 464, 2. quod litterales sensus fugiens semper ad mysticos fingerit, hinc in hæresindelapsus est, 228, 2. ejus in Scripturis volutandis assiduitas, 235, 1. nimis fisis ingenio est, *ibid.*
 Orion sidus est meridionale ante Taurum : unde dicatur ; eo oriente oritur hiems, oriens aerem nimbis turbat, 581, 2. oritur in novembri : hunc quare poetae Neptuni filium fingant : cur vocetur Jugula et Ensifer, cur devexus et comes Noti, *ibid.* ei martyres comparantur, 582, 1.
 Orpheus diu in solitudine vixit, ut supernis intenderet, 227, 1.
 Ortus supra naturam cur vocetur lapidis excisio, 32, 2.
 Os Hebreis saepè significat capacitatem, proportionem, mensuram, 420, 2. subinde voluntatem, *ibid.* os symbolum est capacitatis, 269, 2. oris veritas et mendacium quæ sint, 377, 1.
 Osculari solebant idololatræ idolum in signum veneracionis et adorationis ; aut, si id non possent, manum, loco idoli, 455, 2.
 Oseas usque ad annum ætatis nonagesimum prophetavit

217, 4; 279, 2. dictus est commaticus, et quasi per sententias loquens, 217, 2; 277, 1; 374, 2. fuit primus Prophetarum, 221, 2; 254, 275, 1, 2; 279, 2. in nonnullis cum Isaia convenit, 238, 2. quando cœperit prophetare, 254, 2. et sub quibus regibus, et quid, 255, 1; 279, 2. ejus hieroglyphica, 257, 1. ænigmata, 265, 1, 2. adagia, 268, 1, 2. oraculis, factis, moribus et nomine Christum præfigurat, 278, 1. unde id nomen deriveratur, et quid significet, *ibid.* prophetat Judæ et Israeli, *ibid.* fuit synchronus Isaiae, 276, 1, 2. an ipse angelus, de quo *Apocal.* v, ad litteram, 277, 1. cur dicatur ipse angelus fortis, *ibid.* querum in duodecim partes an vi verborum divisorum, *ibid.* ejus obscuritas, *ibid.* et 2. Sanctorum catalogo ab Ecclesia adscriptus est, *ibid.* an fuerit Issacharita, *ibid.* vidit excidium tribuum a se prædictum, 279, 2. cur solam Jeroboam nominet e regibus Israel sub quibus prophetavit, *ibid.* anni regum, sub quibus prophetavit, *ibid.* cœpit 90 annis ante excidium Samariæ, et 224 ante excidium Jerusalem, 280, 1. cur jubeatur a Deo fornicariam uxorem ducere, 280, 2 et seq. non jubetur fornicari, sed mere tricem in uxorem accipere, 280, 2. an cum ea sit fornicatus, Deo dispensante, sine peccato, 281, 1, 2. vera ejus uxor fuit, *ibid.* ac stabile et perpetuum hoc ejus conjugium fuit, *ibid.* refelluntur contrarium asserentes, *ibid.* non adscivit sibi filios adulterinos, sed suos procreavit, 282, 2; 283, 1. non duxit idololatriam, *ibid.* vere eam duxit, non vero per visionem imaginariam, *ibid.* 2. cur ejus filii vocentur filii fornicationum, 284, 2. ejus charitas in fornicaria ducenda, 285, 2. et obedientia, 286, 1. hanc cum duxit, juvenis fuerit oportet, *ibid.* ejus connubium cum Christi connubio comparatur, *ibid.* ejus prima proles dicta est Jezrahel, 287, 1. secunda Lo rachuma, 291, 1, 2. tertia Lo ammi, 294, 2. jubetur quoque a Deo adulteram domum suam abducere, et cur, 325, 1, 2. habuit eam ut ancillam, ad hoc ut adulteriis abstineret, 325, 2; 328, 4; 329, 4. ejus charitas et zelus, 329, 1. quas adulteræ huic conditiones, dum eam conduceret, proposuerit, 328, 2; 329, 1. Osee idem est quod Josue, Jesus et Isaia, 277, 1. Ossa Prophetarum quomodo pullulare dicantur, 219, 2. ossium dispersionem insigniter impius minatur Deus, 549, 2. ossa crematorum quomodo colligerentur, 601, 1, 2. qui colligebant erant de propinquis, erant incincti, atrati; prius abluebant manus; in ossa vinum et lac infundebant, ac deinde in linteo ea ventilabant, in ea immittebant odores, aromata ac lacrymas, 602, 1. Ostentatio multis causa est interitus, 385, 1. ostentatio scientiæ, virtutis, virium et ingenii non perveniet ad felicem exitum, 395, 1. Otto Comes adulter capite plexus, et sepultura asini se-pultus, 185, 1. Oves prægrandes sunt in Perside, 100, 2. oves tondentur sub æquinoctium vernum, 609, 1, 2. Ozias rex quo anno mundi regnare cœperit, qui sub eo prophetarint Prophetæ, 255, 1. dictus est et Azarias, cur, 533, 2. ejus regni anni, *ibid.* ejus fastus quomodo a Deo punitus, 534, 2. quando ejus lepra contigerit, *ibid.*

P.

Pachomius gentilis visa christianorum charitate ad Christum est conversus, 52, 2. Pacificæ hostiæ offerebantur pro pace et salute domus, vel populi, vel sponte, vel ex voto, 587, 1. Palæstinæ quanta sit ariditas, 570, 2. Palatia superba et ampla detestatur Deus, 600, 1. Paleutria columba et anas que dicatur, 384, 2. Palladium fatale e cœlo decidit in Trojam, ejus miracula, eo sublatu Troja capta, 331, 2.

Pallium cilicio suo superinjiciebant Prophetæ, 229, 1. id olim assumebant conversi a gentilismo, *ibid.* Palma martyrum insigne est, 171, 2. Palmæ duæ jugiter fumantes an sint in valle Josaphat, 515, 2. Pan erat hirci specie, 101, 2. Panætius fuit præceptor Scipionis, 10, 2. Panis subcinericus cur vocetur Israel, 382, 2. talis panis describitur, *ibid.* Panis desiderabilis proprie quis sit, 136, 2. Panem pollutum pro pane sancto edere apud Judæos probrum erat, pœna et peccatum, 401, 1. per panem Hebrew intelligunt quemlibet cibum, 307, 2. panis lugentium vocantur sacrificia Deo displicentia, 401, 2. Panthera et pardus est idem animal, 88, 1. Paphnutio cur non parceret ignis externus, cum tamen dæmones ei parerent, 45, 2. Parabolæ tres sunt partes: puta parabola ipsa, preparabola, et postparabola; et quid sint singulæ, 558, 1, 2. parabolis cur minores Prophetæ utantur, 223, 1. Paradisus Domini est anima sancta, 647, 2. quomodo is homini excolendus sit, *ibid.* Paradoxa crebra sunt apud Prophetas, 251, 2. maxime cum de Christi incarnatione, vita, passione, resurrectione vaticinantur, *ibid.* Paraphraseos Chaldaicæ in Biblia quis auctor: hæc multis in locis corrupta est, 282, 2. in nonnullis favet religioni christianæ, 223, 1. Parasiti sunt tineæ palatii, 81, 1. Pardo comparatur regnum Græcorum et Alexandri, 88, 1. 2. pardi natura describitur, *ibid.* Parentalia dicuntur sacrificia pro mortuis parentibus, 401, 1. Parentes non impediunt proles ad Religionem adspirantes, 554, 1. eorum vitia in filios transfunduntur, 284, 1. filiorum orbitate puniuntur, dum ipsi matrimonio turpiter abutuntur, vel prolibus superbe et impie abutuntur ad Dei offensam, 407, 2. Paria aliquot fratrum et sororum, et sodalium sanctorum enumerantur, 546, 1. Partorientis dolores quando et quomodo peccatori accidentant, 460, 2. Parva non parvam gloriam includunt et artem, 218, 1, 2. magnam habent industriam, *ibid.* parvi dies qui dicuntur in Scriptura, 301, 1. Parvuli et sugentes etiam vagitu suo Deum ad misericordiam flectunt, 499, 2. Pascor verbum commune est, hinc tam accusativum quam ablativum regit, 445, 1. Pascuum, et substantivum est, et adjectivum: vox pascua, subaudiendo terra, in substantivum transiit, 490, 1. Passiones quatuor animi, gaudium, tristitia, spes et metus, quatuor plagiæ Joelis repræsentantur, 484, 1. hæ continuo jactant animam hominis, maxime peccatoris, *ibid.* hæ homini edomandæ, *ibid.* 2. hominem demendant, *ibid.* Passionis Christi pauci participes sunt, 241, 2. ejus tempus est magnus dies Jezrahel, 301, 2. Pastores quando subditis fiant rete, 352, 2. velut vinitores sunt, 317, 2. Pater apud homines quis proprie dicatur, 298, 2. pater justorum quomodo sit Deus, *ibid.* patres Prophetarum qui ab ipsis in titulo nominantur, an Prophetæ etiam fuerint, 221, 1. Patres citant S. Scripturam per citationem non capitum, sed historiarum, vel materiarum, 253, 1. Patientia propria sanctorum virtus est, 497, 2. Patria cur in nonnullis Prophetis recenseatur, 221, 1. extra patriam, in captivitate mori, solet loco infelicitatis baberi, 642, 1.

- Patriarchæ vocari possunt radix Israel, 408, 2. maxime prophetarunt morti vicini, 227, 1. hinc et Prophetæ fuerunt, 220, 1.
- Pauci ad Christum ab Apostolis virisque apostolicis conversi sunt, respectu non conversorum, 644, 2.
- Paula Romana quando adiret balnea, 182, 1. continua fuit martyr, 443, 1. quomodo vitæ prioris delicias jejuniis, lacrymis aliisque pœnis castigarit et planxerit, 487, 1.
- Paulinus (S.) Nolæ episcopus ex humilitate in S. Scripturam commentari noluit, sed aliis minus sublimibus operibus calatum admovit, 217, 1. ei quam miraculose frumentum a Domino multiplicatum, 626, 1. quain in pauperes et egenos effusus fuerit, *ibid.*
- Paulus (S.) corpore pusillus fuit, sed spiritu et sapientia gigas et celsus, 218, 1. fuit Prophetæ, 220, 1. fuit perfectionis magister, 229, 1, 2. an fuerit abstemius, *ibid.* 2. fuit angelus terrestris, 230, 2. in raptu non vidit divinam essentiam, 245, 2. sæpe phrasin usurpat Cilissam, quia ipse Cilix, 248, 2. mysterium vocationis Gentium semper et ubique valde stupet, 302, 1. in omnibus tribulationibus et laboribus exsultat, 316, 2. est signifer testium fidelium Dei, 441, 1. gladium persecutionis vertit in vomerem Evangelii, jam conversus, 521, 1.
- Pauperes opprimere solent qui sua querunt commoda, et genio indulgent, 599, 2. eorum oppressio enorme crimen, 551, 1, 2 et seq.
- Paupertas voluntaria martyrii genus est, 443, 1.
- Pavor, cum Deo et rebus divinis tribuitur, in Scriptura significat summam reverentiam, 332, 1, 2. pavor caliginem oculis æque ac menti inducit, 629, 1. — *Vide* Metus.
- Pax mater opum, et rerum abundantiae, 23, 1. pax Iudeis omnem prosperitatem et rerum copiam significat, 108, 2. Pax Hebræis significat bonorum omnium affluentiam, 525, 1. ejus symbolum est oliva, 477, 1.
- Peccanti nemini, ne sancto quidem, parcit Deus, 453, 2. peccantibus non est connivendum, ant adulandum, 338, 2.
- Peccator non homo est, sed bestia, 419, 2. quam inania consecetur, 327, 1. edit fructum mendacii, 423, 1. videntur non babere cor, 385, 1. comedit panem lugentium, 401, 2. per usuras et fraudes parans sibi opes, præbendas, et dignitates, telas aranearum sibi texit, 392, 2. lætatur in rebus nihili ob septem rationes, 605, 2. concipit peccatum cum brevissima voluptate, sed parit cum magno et longo dolore, præsenti et æterno, 460, 2. an aliquando, ob gravitatem et frequentiam scelerum, ne queat poenitere et converti, 540, 1. carni, ventri et veneri indulgens colit vitulos Bethaven, fitque quasi vitulus, et quare, 414, 2. ejus cum Deus obliscitur, ingens id ejus est pœna, 292, 1, 2. causa hujus oblivionis est, quia ipse prius Dei obliscitur, *ibid.* ejus stultitia quanta sit, 310, 1. ei quomodo viam peccandi Deus obstruat, 308, 1. cum eo sua peccata defendantem non potest ambulare, 559, 1. cupiditates suas facit suos deos, 309, 1. sæpe, justo Dei judicio, in morte tot curis et doloribus opprimitur, ut Dei et salutis obliscatur, maxime si pœnitentiam differat in mortem, 602, 2. eum Deus assidue ad pœnitentiam invitat, 367, 1. non foventur peccata dissimulando, 338, 2. peccatores metuant mortem instantem, judicium paratum et infernum, 74, 1.
- Peccata sacerdotum vetera an sint abominatio desolationis futura, 131, 2. peccatum quomodo in Christo accepert finem, 117, 1. est infinitæ fugibilitatis, cur, 182, 1.
- Peccata fœno et stipulae comparantur, 554, 2. sunt instar panis subcinericii, 383, 1. cur vocentur amaritudines Dei, 453, 1. ipsis assueti quam ægre ab iis avellantur, 419, 2. eorum tres sunt gradus, 295, 1. creant turbinem, qui peccatores ignominiose dispergat, et tandem deturbet in tartara, 350, 2. peccata patrum et maritorum punit Deus peccatis filiorum et uxorum, 345, 1.
- peccata populi sacerdotes tripliciter comedunt, 398, 1, 2.
- Peccati voluptas quam sit vana et insipida, 327, 1. sæpe desolationis est causa, 467, 1. ejus acerbitas, *ibid.* vocatur in Scriptura sæpe amaritudo, fel, toxicum et absinthium, 580, 1. item nihil, et peccatorem dicit ad nihil, 605, 2. est privatio boni, *ibid.* cur appelletur sanguis, 335, 2. in Scriptura tripliciter sumitur, pro peccato proprio dicto, pro pœna peccati, pro hostia pro peccato, 338, 2. ejus actus transiens post se in anima peccantis relinquit maculam habitualem peccati, per quam abominabilis fit Deo, 405, 1, 2. peccatum unum mortale quanta Dei sit injuria, 329, 1. peccatum omne punit Deus, 453, 2. peccatum quo diutius superiori vel confessario tegitur, eo difficilius expellitur, 460, 1, 2.
- Pecunia est occultus hominis tyrannus, 450, 2. evincit justitiam, 551, 2. avari idolum et numen est, 634, 1. olim omnis, præsertim cum rudis et non signata esset, semper ad pondus annumerabatur, 626, 2.
- S. Pelagia cum matre et sororibus in flumen se dedit præcipitem, ne a perseciente se milite violaretur, 183, 2. in monte Oliveti tugurio erecto pœnitentiam egit, 517, 1.
- Pelagius hæresiarcha in senio hæresin suam detexit, 383, 2.
- Penates domestici erant theraphim, 331, 1, 2. eos etiam post excidium, domo et urbe fugientes, secum peregre asportabant, *ibid.* unde Penates dicti, *ibid.*
- Pennæ aquilinæ rapaces et voraces sunt, 64, 1.
- Pentateuchus olim unus continuus fuit tractatus sine incisione vel divisione, 253, 1.
- Percussio cardinis templi Belhelini, Amos menti objecta quid significaret, 633, 1.
- Perditio sui ipsius quisque est, 457, 1, 2. perditio est ex homine peccante, seque in peccatis usque ad finem vitæ obdurante, *ibid.*
- Peregrini apud exterios et incognitos timidi sunt, 415, 1.
- Perfecti in fide et virtute quomodo mystice somnia videant, 508, 1. perfecti quomodo imperfectos regere debeant, 317, 1.
- Perpendiculum Israelis quando Deus deponere dicatur, 613, 1.
- Persarum rex cur dicatur aries, 100, 1, 2. regum Persiæ bella in variis orbis partibus, *ibid.* Persarum reges universim fuere quatuordecim, iisque recensentur, et tempus regni uniuscujusque, 148, 1. Persarum custos et præses angelus cur restiterit Gabrieli pro Judæorum reditu agenti, 142, 1. Persarum et Medorum imperium cur in statua Nabuchodonosoris brachiis repræsentetur, 23, 2; 24, 1. id argento comparatur, quia Persæ fuere opulentii, *ibid.* fuit felicitate et gloria inferius imperio Chaldaeorum, *ibid.* eorum regum infortunia, *ibid.* quamdiu id steterit, 30, 1. id ursu comparatur ob quatuor causas, 87, 1, 2. eorum crudelitas in christianos, *ibid.* 1. eorum regnum hodie aliquatenus stat, *ibid.* 2. Persarum veterum sobrietas, 13, 2. reges solis nomen sibi aut imaginem assumebant 591, 2. hinc et ignem sibi præferri curabant, *ibid.*; 493, 1. in castris super tabernaculum eorum conspicuæ promicabat solis imago crystallino globo inclusa, cui ignis præluebat, 591, 2. Persæ et Medi Judæos non afflixerunt, sed potius iis propitiis fuere, 483, 1.
- Persecutio Antichristi cur futura brevis sit, 175, 2. quam ea futura atrox, *ibid.* persecutio variae fidelium recensentur, 157, 1, 2 et seq. persecutio Decii et Valeriani repræsentata per leonem, Diocletiani et Maximiani per ursum, 87, 2.
- Persicum pomum ob frigus veneni vim habere dicitur, in Italianum transmissum naturam mutavit, 621, 1.
- Persona in tertia loquitur de seipso Deus honoris causa, 572, 2. personarum acceptio non est apud Deum, 407, 2; 508, 1, 2. personæ tres divinæ sunt velut montes re-

- bus omnibus creatis eminentes; ex his omnigena suavitas in beatos effluit, 525, 2. tres dies mystice sunt, 364, 2.
- Pestis Israelitarum quam memorat Amos, quando acciderit, 571, 2. quanta fuerit pestis Ægypti tempore Mosis, *ibid.*
- Petri Sorani testamentum, 62, 1, 2.
- Petri Telonarii actus appendi in statera visi ei fuere causa vitæ in melius commutandæ, 73, 2. vidi se ob immisericordiam in pauperes judici Christo sisti, quo viso vitam mutavit, 511, 1.
- Petrus (S.) vixit herbis et oleribus, 229, 2. adamanti comparatur, 613, 2.
- Petrus Damianus, cardinalis et episcopus Ostiensis, cardinalatu et episcopatu relicto intra monasterium suum se recepit, 314, 2.
- Petrus (B.) Faber maluit obedire quam vitæ consulere, 442, 2.
- Petrus (S.) martyr quomodo populos ad poenitentiam animaret, 230, 2.
- Phaetonis incendium contigit sub Mose; quale ipsum fuerit, an solum terræ siccitas, 611, 1. Phaeton unde dictus, *ibid.*
- Phantasia (in) loquitur Deus per angelos, in mente per se, 245, 2; 246, 1.
- Phatuel pater Joel quid hebraice significet, 476, 1, 2.
- Phenennæ contra Annam protervia ob proles, et quomodo illa repressa, 407, 2.
- Philanthropia Dei in homines summa, 95, 2.
- Philippi III Hispaniarum regis pietas in vita, et in morte timor de Dei judicio, 313, 2.
- Philippus Macedo quomodo detractorem et adversarium sibi beneficiis devinxerit, 430, 1.
- Philistæa quinque habuit urbes et satrapias, 542, 2. hæ fuerunt Judæis infeusissimæ, et perenne cum eis bellum gessere, *ibid.*
- Philistini fuere jurati, et pene perpetui hostes Judæorum, 519, 1. quando Judeos captivos Idumæis vendiderint hostibus infensissimis, 543, 2.
- Philosophi multi veteres sua dogmata per ænigmata et symbola tradiderunt, 223, 1.
- Phocas imperator Mauritium occidit una cum uxore et filiis, 69, 2. Deo permittente ad imperium evectus, ut improbos castigaret, 459, 2.
- Phœdo adolescens prodigus a Socrate est ad philosophiam traductus, 284, 2.
- Phœnix resurrectionis nostræ et Christi symbolum est, 462, 2.
- Phrasis duodecim Prophetarum est symbolica, 223, 1.
- Pignerare sibi aliquem, est eum sibi mancipare, 552, 2.
- Pignora judicialia, quænam a jurisperitis dicantur, *ibid.*
- Pii semper sibi fingunt Deum præsentem, 182, 2. parentes sæpe donantur egregia multaque sobole, 407, 2.
- Pii IV Pontificis emblema, fuit virga et laurus cum hoc lemmate *pæna et præmium*, 529, 2.
- Pili aquilæ rapaces et voraces sunt, 64, 1.
- Pisces solent agminatim et congregatim natare, 336, 1, 2.
- Pistor et coquus priscis idem erat, 379, 1.
- Pithomena virgo vitam amittere maluit quam pudicitiam, 483, 1.
- Plaga aliquando capit pro latere, angulo, extremitate, 563, 2. vox hæc desumpta est a Græcis, *ibid.* item pro assumpto et commissura tapetis aut vestis, *ibid.*
- Plagis, quas immittit Deus, hominum et familiarum superbiam sternet satagit, 360, 2. illis peccata punit, et his illas adæquat, 608, 2. plagæ quatuor, quas describit Joel, erucæ, locustæ, bruchi, et æruginis, quid significant, et an litteraliter, an symbolice accipiendæ sint, 481, 1. significant Judææ sterilitatem, *ibid.* vel hostes Judæam vastaturos, et clades cladibus successuras, *ibid.* 2. qui nam hi quatuor hostes et vastatores fuerint, 483, 1. an
- quatuor monarchiæ; negatur, *ibid.* an soli Assyrri et Babylonii, et hoc negatur, *ibid.* verius per eos denotatur Nabuchodonosor, aut quatuor ejus in Judæam expeditiones, *ibid.* 2. quatuor hæ plagæ adaptantur quatuor Josiæ filiis, Joachas, Joakim, Joachin et Sedecia, *ibid.* allegorice per eas accipiuntur quatuor persecutions Ecclesiæ, gentilium imperatorum hæreticorum, malorum Christianorum, Saracenorum et Antichristi, *ibid.* symbolice vero quatuor passiones et ægritudines animæ, 484, 1.
- Plagium est crimen, quo liber homo rapitur venditurque in mancipium, 551, 1. vetitum id lege divina et humana, *ibid.*
- Plato philosophus primo dictus est Aristoteles, 395, 1. historia de Platone christiano cuidam apparente fabulosa est, 464, 2.
- Plantaria proprie quid sint, 29, 2.
- Plaustrum magis stridet onustum re levi, quam gravi, 555, 1.
- Plebeii assimilantur collibus, 646, 1.
- Plenitudo urbis sunt cives, 600, 2.
- Pluviæ tempus duplex in Judæa, primum post æstatem cum jacintur semina, posterius ante æstatem ante segetes maturas, 504, 1, 2. — *Vide Matutinus.*
- Pœna plerumque respondet culpæ, 187, 1.
- Pœna respondere et commensurari debet culpæ ac peccanti, 354, 1. talem eam irrogat Deus, 608, 2. pœna et præmio stant respubliæ, 591, 1, 2.
- Poenitentia lapsi pœnitenti omnes priores virtutes et merita restituit, 505, 1, 2. et addit ei novam gratiam, *ibid.* aperit ostium spei et salutis, 318, 1. ejus actus et gestus in prisco Ecclesiæ more qui sint, 495, 2. ejus et contritionis fructus, 501, 1.
- Pœnitentes intra soliditudinem se abdant, 343, 1.
- Polemo juvenis lubricus est a Xenocrate ad bonam frugem revocatus, 284, 1.
- Politici principibus hæresin suadent ut statum suum stabiliant, 377, 1.
- Polycarpus (S.) martyr in igne mansit illæsus, 45, 1. quam ferax Deo fuerit vitis, 411, 2.
- Pomo comparatur vita hominis, 621, 1, 2 et seq. pomum rotundum speciem gerit orbis, *ibid.* pomi vox generalis significat omnem fructum qui molliori cortice est, 404, 2; 620, 1. vox pomum dicitur a potu, 621, 1. poma in estate matura et apta quæ decerpantur, symbolum sunt captivitatis opportunitæ et punitionis tempestivæ, 620, 1.
- Pomponii Melæ error de denominatione urbis Gazæ, 543, 1.
- Ponere messem est metere, non demeti, 374, 2.
- S. Pontianus quomodo leones cicuraverit, 82, 2.
- Pontifex Romanus an sit cornu parvulum, 90, 2. non est Antichristus, 160, 2. cur dicatur sanctissimus Dominus, 118, 1. Pontifices dum creantur, nomen mutant, 11, 1, 2. quis primus Pontificum nomen mutarit, *ibid.* nullus eorum post S. Petrum dictus est Petrus, *ibid.* Pontifex Romanus cur gestet crucem ex adamantibus, 613, 2. etiam tyrannice regens, non potest a populo et clero deponi, 392, 1. Pontifices jam inde a B. Damaso, se servos servorum Dei nominarunt, 508, 2. eorum auctoritatem egregie contra schismaticos tuerit S. Cyprianus, 392, 2.
- Popilius Lænas legatus Romanorum Antiochum Epiphænum virga circumscrispsit, jussitque Ægypto excedere, 105, 1; 155, 1. quam generose Antiochum Epiphænum bello in Ptolemaeos abstinere jusserit, 410, 2.
- Populus unus unum hominem repræsentare potest, 427, 2. populus Dei promittuntur futuri ii qui in Christum credunt, tam ex Gentibus quam ex Israelitis, 295, 2; 296, 1, 2.
- Porci grunniunt terret elephantes, 81, 2.
- Porphyria quomodo suam probarit continentiam, 46, 1.

- Porphyrius philosophus unde nomen traxerit, 295, 1.
 Portis (in) Hebræi judicia exercabant, quia eo libere convenire poterant tam indigenæ, quam alienigenæ, 584, 1.
 ibi quoque erat forum, tum civile rerum venalium, tum judiciale causarum forensium, *ibid.* porta hinc subinde capitul pro judicio quod in porta exercebatur, *ibid.*
 Porticus cur addita templo Salomonis, 500, 1.
 Possidetur (qui) a Deo, vicissim Deum possidet, 645, 1.
 Potentatus vita brevis, 104, 2.
 Potentia regum et regnorum imbellis est, nisi Dei ope et cultu fulciatur, 413, 1.
 Prædestinatio non est ex præviis prædestinati meritis, sed ex Deo prædestinante, 457, 2.
 Prædestinatis (licet in) non sit causa cur prædestinentur, tamen in non prædestinatis est causa cur non prædestinentur, 457, 2. prædestinatorum numerus cur dicatur fasciculus viventium, 639, 2.
 Præelectio Jacobi præ Esau magis ad posteros ejus spectabat, quam ad ipsum Jacob, 446, 2.
 Præficæ voce, gestu et tibiæ sonitu planetum in funeribus ciebant, 585, 2.
 Prægnantes sæpe ab hostibus discinduntur, et parvuli ad parietem eliduntur, 467, 1, 2. est hoc enorme scelus, quod quia Ammonitæ in Israelitas commisere, excidio a Deo destinantur, 547, 1. prægnantes Galaad secare mystice quid sit, *ibid.* et 2.
 Prælati animas e puro zelo dum querunt, proles multas pariunt spirituales; at, cum plausum et lucta aucupantur, nullas amplius gignunt, et quas genuerunt, alere non valent, 408, 1. velut vinitores sunt, 317, 2.
 Præmonstratenses monachi quam ob causam a primæva sanctitate deciderint, 315, 1.
 Prænotio futurorum contingentium est dos propria Deo, et index divinitatis, 247, 2.
 Præsentia Dei ubique nobis efformanda, 448, 2.
 Præsides et rectores quales esse debeant, 79, 1.
 Prestabilis est Deus super peccatores, 496, 2. quam verbum hoc sit elegans, ejus vis et etymon, *ibid.* hæc præstabilis misericordia in Deo oritur ex magnitudine ejus animi, et ex infinita ejus bonitate, 497, 1.
 Prævaricationem consummari quid sit, 117, 1.
 Pretio vili quinque aureorum a Juda venditus est Christus, 551, 1.
 Preto-Joannes imperator Abyssinorum utriusque Sabææ dominum se scribit, 520, 1.
 Priapus per obscenas libidines et fornicationes colebatur, 404, 2.
 Prima doctrina et prædicatio, qua peccator convertitur et justificatur, est velut imber matutinus, 504, 2.
 Primogenitus Dei filius fuit populus Israel, 427, 1, 2.
 Principatus sunt custodes regum et regnorum, 142, 1.
 Princeps Persarum quis restiterit Gabrieli quo minus cito ad Danieliem orantem veniret, 141, 2. non fuit Cambyses rex, non dæmon, sed angelus præses Persarum, *ibid.* quomodo rem suam apud Deum egerit, *ibid.*
 Principis symbola et descriptions, 267, 2. ab eorum bona vita et fide bona vita subditorum dependet, 379, 1. principes impii et sævi a Deo dantur quasi carnifices, ad sumendum de impio populo pœnas, 459, 1, 2. legitimi a Deo dantur, 393, 1. — *Vide Rex.*
 Principes quomodo tractandi, 79, 1.
 Principium pro principatu sumitur interdum, 161, 2.
 Prinus arbor species est ilicis, 187, 1.
 Processionum usus fuit etiam in veteri Testamento, contra hæreticos Magdeburgenses, 499, 1. ipse quoque Christus Dominus eas sanxit, *ibid.*
 Proclus episcopus Constantinopolitanus Theodosio juniori contra Scythas pugnanti accommodavit ea quæ in Scriptura dicuntur de Gog et Magog, 252, 1. in terra motu populo litaniam cum indixisset, terræ motu urbs concuti desit, 499, 1.
 Prodigium dicitur quod porro dicit, id est futura prædictum, 508, 2. prodigia quæ acciderint in vita et morte, et post mortem Christi, *ibid.* quæ in excidio urbis per Titum, 509, 1. quæ in fine mundi eventura sint, *ibid.* quæ prodigia eventura prophetet Joel, 508, 2.
 Prodigiosa fuit Christi nativitas et mors, 261, 1.
 Profanatio templi a seditiosis Zelotis facta an dici queat abominatio desolationis, 132, 1, 2.
 Proficientes in fide et virtute quando moraliter visiones videant, 508, 1.
 Profunditas capitul interdum pro calliditate et versutis, 352, 2.
 Proles sequuntur amorem et affectum, quem in matre magis quam in patre experiuntur, 285, 1. et matribus sunt quam patribus corpore et moribus similiores, *ibid.* a matre vitia sugunt, *ibid.* justo Dei judicio parentum scelera imitantur, 345, 1. proles Osee prima cur filius, et secunda filia sit, 291, 1, 2. quid tres ejus proles designent, *ibid.* tertia proles quos significet, 294, 2.
 Promissiones ultimæ hominis canæ sunt, 383, 1.
 Prophetare in Scriptura ample capitul pro docere, exhortari, orare, canere Dei laudes, miracula facere, 508, 1. prophetarunt multi in novo Testamento proprie futura prædicendo, tum ex Spiritu Sancti afflato loquendo, et celebrando variis linguis Deum, *ibid.*
 Prophetarum preces et suspiria meruere de congruo incarnationis Filii Dei accelerationem, et quod e David nasceretur, 416, 2. Prophetæ oracula a Deo accipientes hoc ipso simul ab eo certi reddebantur, hæc esse oracula Dei, non vero somnia, 19, 1.
 Prophetæ appellari possunt vere religiosi, 219, 2; 220, 1. Patriarchæ veteres, *ibid.* et 2. Prophetarum interna dispositio ad prophetiam fuit animæ serenitas, 226, 2. sunt pictores æternitatis, 227, 2. quis eorum habitus exterior fuerit, 228, 2. omnes sacro oleo uncti non fuere, nec consecrati, *ibid.* eorum vestis erat saccus vel cilicium, *ibid.* eorum victus et gestus, *ibid.* et 229, 1. erant angeli terrestres, 229, 2. cur a populo secederent, 231, 2. sunt os et oracula Dei, 232, 1, 2. sunt velut mundi soles, 233, 1, 2. eorum qualis scientia fuerit, 232, 2. sunt paronymphi Christi, 234, 1. in iis quærenda est sapientia, non eloquentia, *ibid.* 2. eorum quanta sit obscuritas, 235, 1. in nominibus propriis cur alludent ad eorum significata, 236, 1, 2. metonymia crebro utuntur, 237, 2. item metalepsi, *ibid.* cur soleant post oracula excidii et cædium subjungere carmen funebre, 239, 1, 2. pro fine et scopo habent Christum, 240, 1, 2. eorum verba diversos, imo contrarios subinde habent sensus, 241, 1. sæpe utuntur apologis, 243, 2. subinde alludent ad fabulas Gentilium et poetarum, 244, 1. mentis intuitum dum figerent in contemplatione unius simplicis veritatis, prægustum quemdam habuere beatitudinis, 245, 1. sæpe viderunt futura sine exsasi, subinde fuerunt alienati a sensibus, et in exstasis rapti, *ibid.* 2. excipientes Dei visionem et revelationem, fide divina tenebantur credere sua oracula esse a Deo, 246, 2. cum ad certas provincias et gentes prophetant, cur consuetudines, ritus, mores, quin et voces illis proprias usurpent, 248, 2. sæpe alludent ad historias sui temporis, quæ tunc omnibus notæ erant, jam autem incognitæ sunt, 248, 2. aliquando quædam ex suo spiritu proferunt, et in iis aliquando errant, 250, 2. in quo veri Prophetæ a falsis differant, *ibid.* in ipsis sæpe est gradatio, 251, 2. abundant paradoxis, *ibid.* antecesserunt omnem historiam et sapientiam Gentilium, 254, 2. cur prophetis suis titulos præfigant, 278, 1, 2. an Prophetæ, qui nomen patriæ non præferunt, sint Hierosolymitæ, 279, 1. sunt vintores vineæ Domini, 317, 2. ad Christum plerumque assurgere, et subito velut avolare solent, 363, 1; 504, 1; 560, 1, 2. cur vocentur viri spiritus, 403, 1. suas visiones et prophetias solebant confirmare juramento, 413, 2.

repräsentant personam Dei, ut ejus legati, 451, 2. solent tristibus læta subjungere, ut populum ad spem meliorum erigant, 461, 2; 644, 1. multa comminatur, quæ etsi reipsa accidisse certum sit, quando tamen illa acciderint, incertum est, 481, 1. multa prædicunt, quæ tamen facta non leguntur, facta tamen fuisse non est dubitandum, 619, 1; 637, 2. taxant scelera sui sæculi primo, deinde sub iis carpunt similia posterorum criminia, maxime committenda tempore Christi contra ipsum Christum, 550, 2. oracula sua omnibus temporibus scripserunt, *ibid.* invite prophetant mala, 561, 2. Deo per eos loquente tacere non audent, nec possunt, *ibid.* in publicis plateis, et magis in portis, sua oracula prædicabant, 584, 1. non tantum per internam locutionem excipiebant oracula Dei, sed etiam subinde videbant ideas vel species objectas oculis aut potius imaginationi, 608, 1. prophetæ spiritum non habebant perpetuo, sed erat is transiens, 250, 2; 615, 2. eorum visiones communiter erant imaginariæ, 632, 1. per plurimos annos prophetarunt, 572, 1. omnium captivitatum et miseriarum finem et liberatorem statuunt Christum, 575, 1. Prophetæ qui Judæ prophetarunt directe, indirecte quoque respexerunt Israel, et vice versa, 572, 2.

Prophetæ Minores, cur vocentur Minores, 216, 1. multa prophetarunt quæ scripto non tradiderunt, *ibid.* cur pauca scripsérunt, *ibid.* 2. argumentum eorum idem est quod Majorum, 219, 1, 2. eos sæpe in novo Testamento Christus citat, *ibid.* etiam christianis eorum oracula adaptari possunt, *ibid.* sunt xii numero, sicut xii Patriarchæ ac xii tribus, *ibid.* 2. sunt prodromi et antitypi xii Apostolorum, *ibid.* horum alii prophetarunt duabus tribus tantum, Judæ et Benjamin, alii decem, alii utrisque: quomodo id ipsi in suis prophetis indicent, 220, 2. minantur Israelitis captivitatem Assyriacam, Judæis Babyloniam, et sub utraque extremam Romanorum, *ibid.* cur aliqui horum patres suos nominent, alii taceant, 221, 1. duplii de causa quidam eos nominant, *ibid.* cur in aliquibus nomen patriæ recenseatur, *ibid.* an ii, quibus patria non additur, Hierosolymitani fuerint, *ibid.* aliqui eorum non notant tempus prophetæ, alii e contra id exprimunt: cur id nounulli omittant, *ibid.* et 2. medii Prophetæ qui tempus non præferunt in titulis, an prophetarint sub illis regibus, sub quibus prophetavit præcedens, qui temporis titulum præfert, *ibid.* probabile est eos pene omnes in Bibliis ordine temporis quo prophetarunt, esse collocatos, *ibid.* quis eorum sit ordo, *ibid.* unus confirmat oracula alterius, *ibid.* et 222, 2. in Minores Prophetas qui scripserint, 222, 1, 2. abundant parabolis, symbolis, ænigmatibus, et cur, 223, 1. aliquando ad litteram loquuntur de antiquis populi Judaici liberatoribus, allegorice de Christo; aliquando ad litteram de Christo, etsi cum allusione ad illos, 224, 1, 2. an aliqui horum fuerint ex cœtu Prophetarum, 231, 2. certas sedes non habuerunt et domos, *ibid.* nominum eorum etymologia, *ibid.* quis eorum fuerit in prophetando finis, 232, 1. eorum obscuritas, 235, 1. mira harmonia Majoribus concinunt, 238, 1. apud eos creber est sarcasmus, *ibid.* 2. affectibus abundant, 240, 1. eorum harmonia chronologica, 254, 1, 2 et seq. cur prophetare incepérunt circa exordia urbis Romæ, *ibid.* qui prophetarint ante captivitatem Babyloniam, qui post redditum ex ea, 286, 1. prophetarunt omnes per 300 annos, *ibid.* 2. loquuntur concise, ænigmatice et parabolice, ideo obscuri sunt, 357, 1. Prophetiam, cum remota est, cur signari jubeat Deus, 109, 2. an in sola imaginum visione in mente sit, 19, 2. prophetæ actus sunt septem, 20, 1. Prophetæ hieroglyphicum quod sit, 223, 1. vera a falsa quatuor indicis dignoscitur, 228, 2. certior visione est, 233, 1, 2. ejus donum aliquando etiam impiis datur, 227, 1, 2. continua prophetia non datur nisi sanctis,

ob tres causas, *ibid.* eam assequendi modus, *ibid.* qua via eam anachoretæ acceperint, 228, 1. exposcit lumen supernaturale, 246, 1. proprie donum Dei est, 247, 2. ejus definitio, 248, 1. per catachresin ad præteritum et præsens tempus se etiam extendit, 248, 2. et exempla utriusque, *ibid.* et 249, 1. aliquando tamen dum præterita prædicuntur, ventura quædam permiscentur, *ibid.* 1. octo prophetæ modi et species sunt, *ibid.* 2 et seq. unde dígnoscantur, quod lætæ vel tristes, vel mixtæ sint, 245, 1. pleræque veteris Testamenti adimplæ sunt vel ante Christum, vel per Christum, 252, 1. prophetia de vocatione Gentium ad Ecclesiam quando impleta sit, vel quando impleri cœpta, 644, 2. Propheticum lumen quid sit, 246, 2. est necessarium, non liberum menti, *ibid.* Proportio partium quæ sit in corpore humano, 39, 1. Propositum deliberatum peccandi est velut statera dolosa, 450, 2. proposita bona sæpe faciunt peccatores, sed occurrente tentatione illico ad vitia relabuntur, quia cor non mutant, 495, 2. Prostibulum latine et lupanar, et meretricem sonat, 518, 1, 2. eadem etiam prostibula feminine dicebatur, *ibid.* Protagoras ex bajulo lignorum factus est philosophus, 639, 1. Providentia divinæ symbolum, 261, 2; 576, 2. protegit suos, 470, 2. ejus laqueos nemo potest evadere, 560, 1. Prudentia dogma, 143, 2. Psalmi cujusque affectus psallens induere debet, 587, 2. psalmi, singuli seorsum dictati et scripti sunt, 253, 1. eos Judæi et cantica in templo in laudem Dei canebant, 587, 1. idque partim voce, partim instrumentis musicis, *ibid.* mentem excitant, elevantque ad sublimia, 227, 1. Pseudoprophetæ a veris quibus signis dígnoscantur, 228, 2. Ptolemaei Ægypti reges, sorores suas in uxores ducere solebant, 28, 1. Ptolemaeus Evergetes Philadelphi successor et frater Syriam invasit, et Laodicem neptis suæ interfecit in iterum, et regnum diripiens in Ægyptum revertitur, 150, 1. unde dictus sit Evergetes, *ibid.* Ptolemaeus Lagi fuit vir fortissimus: varia ejus gesta, 149, 1. infeliciter cum Antiocho Theo dimicans fœdus cum eo iniit, *ibid.* Ptolemaeus Philometor natus ex Ptolemaeo Epiphane et Cleopatra Antiochi Epiphanis sorore, est ab hoc Antiocho contritus, 154, 2. cur vocetur dux fœderis, *ibid.* Ptolemaeus Philopator filius fuit Evergetis: unde ita dictus, bellum gerit cum Antiocho Magno et Seleuco Ceraunio feliciter, 150, 1. ejus cædes et libido, *ibid.* 2. Ptolemeus Mathematicus quid censeret de regum familiaritate, 79, 1. Publiae Monialium prefectæ, matris S. Joannis Chrysostomi, constantia contra Julianum Apostatam, 84, 1. Puellæ nubentes limen domus Romæ olim non tangebant, 500, 1. Pueri plerumque patrissant, et parentum vitia imitantur, 345, 1. Pugna angelorum in celo quomodo peracta sit, 142, 1. cur ea pugna tribus septimanis durarit, *ibid.* Pulcheritæ Augustæ elogium, 546, 1. Puniantur severe qui Dei judicia, et castigationes impiorum non aestimant, 289, 2. punire est actus justitiae vindicativæ, hinc præsupponit culpam et peccatum puniendi, 436, 1. Pupillorum ingens consolatio est, quod in Deo Deique protectione vivant et habitent, 469, 1. Purgatorio (e) verisimile est a Christo liberatas fuisse animas in ejus ad inferos descensu, 464, 2. Puteos sibi quisque in Mesopotamia locisque vicinis ob terræ ariditatem fodiebat, et hos tum sibi fodiendo comparabat, 327, 2. Pyreæ quid sint Persis, 157, 2.

- Pyrrhus quia haberet voluit filius Jovis Hammonis, cornua arietina gestabat in galea, 102, 1.
Pythagorici cur esu carnium abstinerent, 14, 1. per symbola sua dogmata tradebant, 223, 1.

Q.

- Quærere regnum Christi est idem quod illud possidere, et ab eo possideri, 645, 1.
Quatuor Alexandri successores præcipui, 149, 1.
Quatuor capitul in Scriptura aliquando pro quartum, 537, 1. idque ad auxesin, *ibid.* quatuor scelera Damasci an definite, an indefinite, accipienda sint; si definite ea capienda, quænam sint ea, *ibid.* 2. auctor censet indefinite sumi, *ibid.*
Quercus fortitudinis symbolum est, 553, 2.
Quies mentis est prima dispositio ad prophetiam, 226, 2. ejus vis et effectus, *ibid.* quies eorum qui ad Dominum converti incipiunt, 318, 2.
Quietum nemo lacescit impune, 79, 1.
Quinquagesimus annus Judæis erat jubileus, 625, 2.

R.

- Rabba metropolis fuit Ammonitarum, quæ postea dicta Philadelphia, 546, 2.
Rabbini censem Messiam suum mutationem quamdam miram in frumento facturum, 472, 1.
Rabbinorum in hebdomadibus Danielis intelligendis stupor et pervicacia, 118, 2 et seq.
Radices jacere vel mittere quid sit, 470, 2. radix Israel significat vel secunditatem illi a Deo inditam, vel reges et principes ejus, 408, 2.
Ramoth Galaad, vel Ramatha, quæ urbs esset, 372, 1.
Rapha fuit pater gigantum, 590, 2.
Raptus mentis an fiat naturaliter, 243, 2. fit aliquando sine alienatione mentis a sensibus, *ibid.*
Rasin Syriæ rex a Teglatphalasar rege Assyriorum occisus fuit, et Damascus eversa, 541, 2.
Rationale pontificis Hebræi an haberet duo simulacra dantia oraculum et responsa consulentibus; negat auctor, et cur, 330, 2.
Reblata urbs an sit Emath minor, et Epiphania, 594, 2.
Reboatus cur dicatur aquilarum vox, ejusque vis, 390, 1.
Recedere quando dicatur vinum, 349, 1.
Redemptio Christi fuit sufficiens ad homines omnes salvandos, 436, 1.
Redditus bonorum operum post pœnitentiam adstruitur, 505, 1, 2. redditus qualis et restauratio Israeli promittatur per Prophetas, 643, 2.
Regas Chaldæum quid significet, 79, 1.
Regimen duplex Dei erga Judeos, 268, 1.
Regiones piscose post admissam bæresin piscibus alio commigrantibus, vel emorientibus, sterilitate et paupertate puniuntur, 336, 2. regionum natura et feracitas, variis temporum mutationibus, aut culturæ defectu perit vel immutatur, 617, 1.
Regius morbus quis sit et unde dicatur, 571, 1.
Regna omnia mera sunt somnia et terrena, 17, 1; 30, 2; 426, 2. cur bestiis assimilentur, 86, 1. cur a Deo subinde dicantur concessa, *ibid.* regna singula et gentes assignatae angelis singulis ad custodiam, 141, 2. regna varia et mutabilia sunt, 155, 2. comparantur ventis, cur, 148, 2. regna quatuor tantum per statuam magnam, quam vidit, Nabuchodonosor representantur, 20, 2. cur alia regna præterierit Daniel, 21, 1. regnum Christi spiritale est et æternum, 30, 2; 31, 1. quando id regnum coepit, 31, 1. alia omnia imperia supererat duratione, amplitudine, efficacia, fructu, modo, sanctis legibus, fine, rege Christo, 33, 1, 2. eorum fundamentum, fulcrum, et radix est vera religio et verus Dei cultus, 377, 2; 413, 1.

- regnum Christi est Ecclesia, sed spirituale et Ecclesiasticum, 643, 1, 2. quam id amplum sit, *ibid.* in die judicii id perficietur, 644, 1. regnum Davidis mobile fuit et temporaneum, Christi immobile est et æternum, 642, 1, 2. illius rupturæ variae, *ibid.* regnum Israel Deus non instituit, sed regnum Juda, 392, 1, 2. utrumque idolis deditum fuit, 287, 2. regnum Hebræorum non tantum humanum erat, sed et spirituale et divinum, 391, 2. Regnum et monarchia Persarum quot annis steterit, 148, 1. Regnum beatum sanctorum in cœlo quod erit, 96, 2. Religio vera est regni firmamentum, 377, 2; 413, 1. Religionis status et vita in ea, et vocatio ad eam opus Dei est, 554, 2.
Religiosi non se immisceant rebus sæcularibus, 380, 1. in exteriora se diffundentes robur spirituale paulatim amittunt, 383, 1. suum ament Ordinem ut columba suum columbare, 439, 2. superiori suo omnem conscientiæ statum aperire debent, 460, 1. tepidi non omnes suas gratias simul, sed modo hanc, modo illam amittunt, 358, 2. in morte exultant, 464, 1. mystice Prophetæ sunt, 219, 2. eos satius est carni non parcere et velut perdere, quam mundanos et carnales in stercore suo computrescere, 489, 2. dici possunt filii Prophetarum, 231, 2. vocari possunt Nazaræi, 553, 2. eorum lautias quam injuste suggillent malevoli, 310, 1.
Reliquæ Idumæorum cur dicantur a Prophetæ, 644, 2. Remigius Altisodorensis scripsit in omnes Prophetas Minores, 222, 1.
Remphan vel Rephan quid sit, 589, 2; 590, 1, 2. unde vox illa græce derivetur, *ibid.* an vox sit hebræa vel arabica, *ibid.* quale sit idolum, *ibid.* an sit Hercules vel lucifer, 591, 1.
Repletio stomachi distillationes parit, 12, 2.
Reprobatio (an in Deo sit) vel positiva, vel negativa, damnatorum, non ob eorum demerita, sed ex mero Dei beneplacito, 435, 1, 2 et seqq. sententia affirmans multos in desperationem adegit, 436, 2. reprobatio est ex homine peccante, seque in peccatis ad finem usque vitæ obdurante, 457, 2. ipsa non est causa peccati, sed potius ejus effectus, 458, 1. ipsa est actus justitiae vindicativa, quæ necessario peccatum vindicandum quasi objectum proprium præsupponit, *ibid.*
Reptilia denotant symbolice homines vafros et ventri deditos, 321, 1.
Repudii libellus, Deo dispensante, Judæis fuit licitus, 282, 1.
Respublicæ hæreticæ sacerdotes et sacerdotium christianum exterminantes, illis, Christo, sibi injuriæ sunt, 338, 1.
Restauratio qualis gentium captivarum per Prophetas promittatur, 643, 2.
Resurrectionis Christi tempus est magnus dies Jezrabel, 301, 2. in ea Christus plene nos vivificavit, 363, 2. certam ex ea nos fidem et spem resurrectionis nostræ habemus, *ibid.* ejus symbolum est phœnix et hydrus, 462, 2. ante eam qui ibant in mortem, ibant pariter in infernum, 461, 1, 2; 463, 2. in universalis resurrectione omnes ad vitam revocabimur, 461, 1; 463, 2; 464, 1. resurrectio mortuorum fuit Judæis a Deo et angelis revelata, 168, 1. eam etiam Gentes credidere, *ibid.* ejus typus est Daniel redivivus e lacu leonum, 84, 2.
Reti Salmanasar velut auceps, Israelitas illaqueavit et abduxerat, 620, 2. rete divinæ providentiae nemo evadere potest, 560, 1.
Rex est arbor habens sua folia, fructus, volucres, etc., 56, 2; 57, 1. reges dicti olim tyranni a fortitudine et potentia, 9, 2. reges non semper credant consiliis et suggestionibus suorum, 79, 1. eorum potentia mera vanitas, 80, 2. reges variis se coli jussere tanquam deos, 38, 1. reges tres ab Antichristo debellandi erunt, rex Libyæ, Ægypti

et *Æthiopiæ*, 161, 1. reges Persarum enumerantur, et simul tempus regni, 148, 1. reges Asiae et *Ægypti* curclare non exprimat Daniel, *ibid.* et 2. regum matres regnantibus filiis, etiam reginæ vocantur, 70, 1. Reges legitimi a Deo dantur, 393, 1. ab Homero dicuntur Jovis alumni, *ibid.* eorum vis et potentia sine Deo invalida et imbellis est, 413, 1. auroræ comparantur quæ aurea videtur, sed mox evanescit, 426, 1, 2. eorum lapsus poena populorum est, 459, 1, 2. pro iis ac principibus Deum qui orat, optime orat, 378, 2. impii et haeretici non regnant ex Deo, 392, 2. hi sunt pistores et furnarii dæmonis, 382, 1. — *Vide Princeps.* Reges Israel quomodo dederit Deus in ira sua, 459, 1, 2. hi Assyriis munera et tributa solverunt, 396, 2. idololatriæ fuerunt, 408, 1. regum Israel alii regnum tyrannice invaserunt, alii licet a Deo electi viderentur, tamen non tam ex Dei voluntate, quam ex propria cupiditate regnum inivere, 392, 1, 2. quomodo reguarint hi, non ex Deo, *ibid.* reges Juda sibi continuo succedentes sub quibus prophetarunt Prophetæ, 254, 2; 255, 1. Rhabdomantia priscis erat in usu, 343, 2. quis ejus ritus, *ibid.*

Ridere et lugere quomodo dicantur agri, 536, 1. Risus (altaria) quæ dicantur, 614, 1. Risus sardonius quid sit, 238, 2; 583, 2. Rivus *Ægypti* quis dicatur, 606, 2. est Nilus, vel rivus Nili, et cur, 628, 1. Robur unde dictum, 553, 2. Roma quando condita, 255, 1. Romana Ecclesia ob montes vicinos videtur inexpugnabilis, 49, 2. Romani coluere fortunam viscitatam, 155, 2. quomodo coiuerint Maozim, id est virtutem, prudentiam et fortunam bellicam, 160, 1. Antiochum Magnum, Syriae et Asiæ regem profligant, 151, 2. ei quem civitate donabant, nomen mutabant, 11, 1. Romani in Judeos atrociores et nocentiores fuere quam Chaldae, 493, 1. omnium gentium deos colebant, ut eos haberent proprios et faventes, 412, 2. in vexillis præferebant aquilas, 390, 2. Romani cives non virgis cœdebantur, sed sarmentis vitium, 410, 2. Romanorum regnum cur comparetur bestiæ incognitæ, 89, 1, 2. eorum regimen novum et varium, 90, 1. eorum respublica monstrosa fuit, *ibid.* eorum epitheta septem, *ibid.* ipsorum monarchia cur tibiis ferreis comparetur, 28, 1. et quare duabus, *ibid.* eorum in bellis et laboribus campestribus durities, *ibid.* quomodo omnia armis suis contriverint, *ibid.* 2. multas in provinciis externis alebant legiones militum ad eas edomandas, et unde eas alerent, *ibid.* eorum elogia, *ibid.* quomodo regnum eorum dicatur fore divisum, *ibid.* et 29, 1. in fine mundi in decem reges dividetur, *ibid.* sicut id initio ferreum et validum, deinde fictile et contritu facile, *ibid.* unde ejus divisio nata, *ibid.* connubia potentium id stabilire non potuerunt, *ibid.* et 30, 1. quamdiu id steterit, 30, 1. Romulus an conditor urbis Romæ, 251, 1. est fratricida, 545, 1. vetuit regnum adiri, nisi annuente Deo, 393, 1. Ros symbolum est doctrinæ, 469, 1, 2. rori assimilatur Christi ortus, 366, 1, 2. roris descriptio et proprietas, *ibid.*

Rosa odoris est prodiga, et citissime evaporatur: cur Græcis pœdœ dicatur, 599, 2. calor in rosa profusi odoris est causa, *ibid.* Rota imago angelorum, 92, 2. rotæ ignæ throni Dei, *ibid.* Rubeus color refert ardorem stellæ Veneris, 591, 1. Rubiginalia festi dies Romæ erant ad amoliendam rubiginem, instituti a Gentilibus, 481, 1. Rubigo pestis et plaga segetum et germinum, an sit animal, 480, 1, 2. quale id vitium segetum sit, et unde oriatur, *ibid.* 571, 1. dicitur a rubidine, 480, 2.

Ruffinus quidam, non Aquileiensis ille, commentatus est in duodecim Prophetas, 222, 1. Rigitui leunculorum comparatur in Scriptura ira Dei et hostium insultus, 559, 2. Ruinas Israel quomodo Deus resarciverit, 644, 1, 2. Ruminare quid sit: est proprie animalium, 886, 1, 2.

S.

Sabbatum Hebræis erat quintuplex, 625, 2. Sabæi dæmonibus moribus et nomine sunt similes, 519, 2. duplices Sabæi sunt, vel *Æthiopes*, vel Arabes Arabiæ Felicis, *ibid.* 520, 1. Sacer capitul aliquando pro *exsecrando*, 553, 1. Saccus erat vestis communis Prophetarum, 228, 2. erat vestis aspera et lugubris lugentium et pœnitentium, qua utebantur in funere suorum, luctus ergo, vel in publica calamitate, ad Deum placandum, 487, 2; 629, 1. Sacerdotes orando sancteque vivendo se hostiam Deo pro peccatis populi offerre debent, 339, 1. indigne sacrificantes abominabiles sunt Deo, 401, 2. tripliciter peccata populi comedunt, 338, 2; 339, 1, 2. sacerdotes cur dicantur sancti, 339, 1, 2. eos custodire decet cultum ritusque sacros Dei, 341, 1. eorum est flere et plorare peccata populi, 500, 2. olim pii sacerdotes fluebant lacrymis in sacrificio, hac de causa sudario utebantur, *ibid.* sacerdotes Baal ad eum placandum et demulcendum cultris se concidebant, 386, 2. sacerdotes per Israelsparsi, etiam ad cultum idolorum deflexerunt, 351, 1. eos cur Joel plorare velit inter templi vestibulum et altare, 500, 2. sacerdotum Bethelinorum avaritia, 633, 2 et seq. sacerdotes an vitulos aureos Jeroboam furati, deauratos eorum loco reposuerint, qui dein Assyriæ regi a rege Israel in munus dati sint; sed fraude illa patente, inmittentis caput reciderit confusio, 415, 2. Sacerdotissæ Priapi eum sua prostitutione colebant, 345, 1. Sacerdotio (ex) pendet totius populi fides, cultus et religio, 337, 1. ejus ablatio ingens Dei castigatio est, *ibid.* Sacra tractanda a sacris, 75, 2. Sacramentarii haeretici sunt prodromi Antichristi, 175, 1. Sacrificari quomodo Danieli jussit Nabuchodonosor, 33, 2. Sacrificium soli Deo offertur, non sanctis, 33, 2. sacrifici nomine intelligitur omnis cultus Dei externus, 369, 2. actus sacrificii ut manat a religione et devotione interna, melior est actu misericordia; non tamen sacrificium externum, quia hoc non placebat Deo nisi ex opere operantis, non ex opere operato (ut placet sacrificium legis novæ); misericordia autem per se Deo placet, 369, 1; 587, 1. sacrificium erat quasi convivium Dei, 400, 2. erat actus religionis et latræ Dei, 369, 1. in sacrificio laudis offerri fermentum non poterat, contra alios secus sentientes, 569, 2. sacrificia Hebræorum erant azyma, non fermentata, *ibid.* sacrificia quorundam cur Deo displicerent, 401, 1, 2. ea offerebant Gentiles cum arandum esset, cum metendum, cum vindemia calcanda, 400, 1. sacrificia omnia vetera et cæremoniae in Christi morte finem acceperunt, 130, 1, 2. sacrificia Aaronica an sint abominatio desolationis, 131, 2. sacrificia quomodo dicantur martyria, 42, 2. Sacrilegium quomodo puniat Deus, 75, 2. Sæculis sæpe singulis videmus singula regna in aliam familiam aut gentem transferri, 86, 1. Sæculum aureum, argenteum, æneum et ferreum Gentilium describitur, 21, 2. sæculum hoc æstuans et tempestuosum est velut mare, 438, 1. Sagittas (per) quomodo veteres divinarent, et ita per eas Nabuchodonosor sortes quæsivit, 344, 2. Salamandra constantiæ symbolum est, eamque pro insigni assumpsit Franciscus I Galliæ rex, 442, 1. Salmana Madianitarum princeps a Gedeone cæsus, 423, 2. Salmanasar rex Assyriæ defectionem Israelitarum tam a

- Deo quam a se ultus est, et vitulos et populum in Asyriam abduxit, 416, 1.
- Salomon rex quod mulierum amoribus fuerit implicatus, fortasse a matre adultera hausit, 285, 1.
- Salus tantummodo ex Deo quomodo sit, 457, 1 et seq.
- Salvatur nemo nisi per Evangelium, 512, 2.
- Samaria urbs in monte Somer ædificata erat, indeque et urbs, et ab ea, utpote metropoli, tota regio dicta est Samaria: hanc Herodes Ascalonita in Augusti honorem vocavit Sebasten, qui eam a fundamentis instauravit, et muro firmissimo circumdedit, 386, 1; 562, 1. Samaria cur vocetur plaga vel angulus lectuli, 563, 2. cur vocetur virgo Israel ab Amos, 578, 2. Samariæ nomine cur vocentur decem tribus, 220, 2. ejus restitutionem quomodo promittat Deus, 644, 1. quando fidem Christi acceperit, 295, 2. ejus incolæ cum idolis colebant quoque Deum verum, eique subinde sacrificabant, cur, 397, 2. postea multi eorum post urbis excidium, ut se salvarent, in Ægyptum fugerunt et ibidem mortui sunt, 398, 1.
- Sambuca quod genus instrumenti esset, 39, 2.
- Samech et sin litteræ æquipollent, 600, 2.
- Samuel populi fuit apud Deum mediator, 114, 1. est propheta fidelium testimoni Dei, 441, f.
- Sancta cur dicatur cœlestis Jerusalem, 525, 1.
- Sancti, precibus, jejunio et corporis maceratione impertrarunt a Deo intelligentiam et prophetiam, 141, 1. publicas clades et privatam mortem suis suorumque adscribunt peccatis, 42, 1. munera contempserunt, 70, 2. quomodo ob dona Dei sese commendent, 20, 1, 2. habent et confitentur peccata tum sua, tum populi, 112, 2. sancti singuli sunt thronus Dei, 92, 2. sancti docti lumen ut cœlum, 169, 1. 2. sancti omnes in cœlo futuri sunt reges cœlestes et æterni, 98, 1. qua ratione id meruerint, *ibid.* 2. judicabunt cum Christo, *ibid.* sanctis viris omne bonum placet, malum omne fugiunt, tentationes et novissima prævident, 497, 1. inimicos non tantum tolerant, sed et amant et beneficiis obruere student: summe justi sunt, *ibid.* 2. quidquid possunt, aliis communicant: injuriarum facile obliviscuntur, *ibid.* neminem gravant supra vires; veraces et fideles sunt tum Deo in fide, cultu, obedientia et votis; tum proximo in dictis et factis, 498, 1. tam amant pauperes quam divites, imo magis afflictos quam felices, *ibid.* omnem vitant turbationem, maledicta et malefacta proximorum dissimulant: non querunt quæ sua sunt, sed pure Dei gloriam et proximorum utilitatem in omnibus actibus procurant, *ibid.* omnibus in operibus student esse perfecti, *ibid.* non puniunt bis idipsum, *ibid.* 2. crucem et doctrinam Christi meditari et expendere debent, 617, 2. in cœlo omni benedictione cœlesti benedicuntur, 526, 2; 527, 1, 2. eorum corpora imputribilia sunt, 527, 1. in die judicii, cæteris palpitantibus securi et confidentes stabunt, 524, 1. Sanctorum quorum ad cor Deus loquatur, 317, 1. Sancti nonnulli illustres in bestias acceperunt potestatem, 321, 1, 2. Sanctus qui libet per olivam designatur, 471, 1.
- Sanctificare idem est quod indicere et proclamare, 520, 2. Hebreis proprie est segregare ab usibus profanis, et addicere sacris, 487, 2. quomodo sanctificetur jejunium, *ibid.*
- Sanctitas animi non amittitur, si per vim corpus violetur, sed corporis totiusque hominis sanctitas amittitur, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto, 184, 1, 2. sanctitas vera in quo consistat, 118, 1. sanctitas virtutis magna est dispositio ad divina oracula accipienda, et cur, 227, 1.
- Sanguis Jezrahel quomodo visitari dicatur super domum Jehu, 288, 1, 2. sanguis humanus parce effundendus, 540, 2. sanguis innocens effusus clamat vindictam, et per vindictam expiatum, 529, 1. sanguis in Scriptura significat homicidium, omnem contaminationem et pollu-
- tionem, et per synecdochen omne scelus, 288, 1; 335, 1, 2; 453, 1, 2; 528, 1, 2. sanguis sanguinem quomodo tangat, 335, 1, 2. peccatum vocatur sanguis ob quatuor analogias, *ibid.*
- Sanguine hircino emolliiri adamantes fabulosum est, 101, 1.
- Sanitatis tuendæ dogma aureum, 14, 1. sanitatis mater est sobrietas, 12, 2.
- Sapientia quomodo sit gloriatus Daniel, 20, 1. sapientia practica quæ sit, 170, 2.
- Sapores Persarum rex Aureliano imperatori pro scabello utebatur equum consensurus, 420, 1.
- Saporis regis gestamen, arietinum caput aureum, 100, 1, 2.
- Saraballa sunt braccæ et femorum tegumenta, 51, 2.
- Sarcasmus Prophetis minoribus frequens, 238, 2.
- Sardoa herba si comedatur vel potetur mentem adimit, labiisque contractis risus speciem præbet, atque inde dicitur sardonius risus, 238, 2; 583, 2.
- Sarsur est animal in Syria, parvulum ut locusta; quomodo ab ea differat; est duplex, ejus forma, color, strepitus, 480, 2.
- Sartago ferrea quam vidit Ezechiel, significat firmum Dei decretum de evertendo Juda, 613, 1.
- Satisfactio pro peccatis per eleemosynas contra Calvinum adstruitur, 61, 1, 2.
- Satrapa unde dicatur, 39, 2.
- Satum erat tertia pars epha, id est unus modius Italicus, 626, 2.
- Saturnus cur senex pingatur, 92, 1. unde dicatur Cronos, *ibid.*
- Saul cur vocetur Æthiops, 640, 2.
- Saxa sunt in agris, quod ossa in homine, 452, 2.
- Scandalizantes pusillos homicidæ sunt animarum, 547, 1, 2.
- Scelerata quatuor Israëlis, quæ innuit Amos, quæ sint ex sententia Rabbinorum, 550, 1.
- Schinus quæ sit arbor, 186, 2.
- Schismatis regni Judaici auctor fuit rex Jeroboam, 220, 2.
- Scientia revelata ac supernaturalis requiritur præter naturales, in Propheta, 232, 2. scientia Dei quæ sit, *ibid.* ejus splendor, 233, 1. scientia Dei practica quid sit, et quomodo ea in terra non sit, 334, 2; 337, 2.
- Scin et tsade litteræ vicinæ et commutabiles sunt; utraque namque sigma includit, 424, 1.
- Scipio (L.) profligat Antiochum Magnum, ac Romanis tributarium fecit, 152, 1.
- Scipione Africano (de P.) quid censeret Hannibal, 152, 1. pacis leges Antiocho Magno dedit, *ibid.* cur a populo sit accusatus, *ibid.* 2. quomodo se cum Antiocho Magno gesserit, *ibid.* rure demortuus est, *ibid.* ejus epitaphium, *ibid.* militem gulosum equo et ordine privavit, 343, 1. solitudinis mire amans fuit, 345, 2.
- Scopas Ptolemæi Epiphanis dux ab Antiocho Magno in Sidone obsidetur, et ditionem facere compellitur, 151, 1.
- Scorpiones sunt flagella e spinis et aculeis, 568, 1.
- Scorta regum sunt reginæ, 341, 2. ea similia sunt vino lethalibus venenis temperato, *ibid.* sunt hominum, imo diaboli matulæ, 395, 2.
- Scortantes plerisque parentibus, aut, si habeant, sunt miseræ, et brevis ævi, 340, 2.
- Scriptura veritatis vocari potest Dei decretum, 144, 1. Scriptura paternum, non maternum genus consignare solet, 9, 2.
- Scripturam manus in pariete cur Chaldæi non potuerint legere, 69, 2.
- Scripturam (S.) quomodo concionatores quidam ad suos conceptus torqueant, 224, 2. ejus sensus genuinus secundus, 225, 2. ejus sensus sunt concentus ipsius Spiritus Sancti, 226, 1. est Dei epistola ad nos missa, 233, 2. est clavis cœli, 234, 1. ejus obscuritas, 235, 1. cum enarrat opera Dei, magis significat ea quæ facere potest, quam quæ reipsa facit, 248, 1. cur fabulis Gentilium aliquando utatur, 244, 1. solet tempus adventus Messiae, etsi alio-

- qui sat longum, ut breve reputare, 363, 2. solet integros numeros ponere, etiam si illis aliquid desit vel supersit, 588, 2.
- Scythæ pro patriis sepulcris acriter dimicarunt, 549, 2.
- Sear Jasub filius Isaiæ cur ita dicatur, 294, 2.
- Secessum nonnunquam captent, qui ad vitam activam vocati sunt, 315, 2.
- Sedere judicum est, 92, 1.
- Segetes suum quasi habent diem, cuius aurora est germinatio, vespera seges et messis, 504, 2.
- Seleucidæ sunt reges Asiæ et Syriæ, 149, 1, 2. eorum catalogus ponitur, *ibid.*
- Seleucus Callinicus Syriæ creator rex, 150, 1. infeliciter pugnat cum Ptolemæo Everete, *ibid.* ejus mors, *ibid.*
- Seleucus Ceraunius Syriae rex dolo a suis interfactus, frater Antiochus Magnus ei succedit, 150, 2.
- Seleucus Philopator Antiochi Magni filius mortuus est inglorius et sacrilegiis infamis, 153, 1. per Heliodorum expiat templum Hierosolymæ, et ab eodem post occiditur, *ibid.* 2.
- Semen locustæ vocatur bruchus, 479, 1. semen Dei quomodo vocetur Spiritus Sanctus, 286, 1.
- Seminare ventum, in Scriptura quid sit, 394, 1.
- Semiramis Ninum filium ad stuprum invitavit, 285, 2. eam coluerunt Assyrii in specie columbae, quod in hanc illam mutatam crederent, 439, 1.
- Senes accusatores Susannæ qui fuerint, 180, 1, 2. senes libidinosi assimmilantur pappo carduorum, *ibid.* 2. senes cur prionores ad preces et vota, 499, 2. ipsis ætate fessis cur Propheta somnia immittenda dicat, 508, 1.
- Sennacherib cladem quomodo posteris expressam tradiderint Assyrii, 397, 2. comparatur locustæ, cur, 609, 2.
- Sensus (ad) genuinum S. Scripturae capiendum multum valet capitum, sententiarum et vocum ejus conjunctio vel dispunctio, systole vel diastole, 253, 1. is maxime sectandus, 225, 2. sensus litteralis primarius est, et ei allegoricus superstruendus, *ibid.* in eo omnia et singula congruere debent rei de qua agitur, secus est in allegorico, 427, 1. litteralis non est typicus, sed typici figura, *ibid.* ii ex cerebro confingendi non sunt, 226, 2. novi non sunt quærendi, 226, 1, 2. sensus multiplicipes suppeditant multa hebræa verba, 523, 1. sensus omnes velut oculati exhiberi possunt, 245, 1.
- Sententiæ infidelium in Scriptura solerter secernendæ sunt a sententiis dictisque fidelium, 242, 1.
- Septenario numero gaudent Hebræi, 126, 1.
- Septenarius numerus in Scriptura symbolum est multitudinis : quod si addatur octonarius, magnam et ingenitum multitudinem significat, 537, 1.
- Septimus numerus Judæis erat solemnis, 625, 1. septimus mensis, id est september, totus pene ipsis sacer erat, 624, 2.
- Septuaginta interpretes gutturalem *chet* emollire solent, eamque in *a* vel in *e* convertere, 33, 2. septuaginta interpretum (in versione) quædam non habentur, quæ habentur in hebræo, 428, 1. ipsi interdum litteras hebræas alias legerunt, ac sunt in textu hebræo, 590, 1.
- Septuaginta anni captivitatis Babylonicæ unde inchoandi, 254, 1.
- Septuaginta hebdomades revelat Deus Danieli, 115, 2. eæ totidem sunt septem anni, 116, 1. dicuntur eæ abbreviatæ, id est breves et paucæ decretæ, *ibid.* 2. post eas expletas venturum Christum Messiam ostenditur contra Judæos, 118, 2 et seq. ubi et unde sint inchoandaæ, 123, 2. eæ sunt impletæ tempore Christi, *ibid.* 124, 1. inchoandaæ sunt ab anno 20. Artaxerxis Longimani, *ibid.* aut potius ab anno 7, ejusdem, *ibid.* 2. non sunt LXXI, sed LXX hebdomades, 130, 2.
- Sepulcra veterum fuere apud flumina, cur, 244, 2. intra sepulcra se abdebat, qui calamitatem declinabant, 416, 2. sepulcra mortuorum et ossa violanda non sunt, 549, 2.
- Seraphim an idem sint cum Theraphim, 330, 2. unde dicantur, 600, 2.
- Serapion monachus panem furari solitus, mox ut peccatum confessus est, a tentatione omni et fame liberatus est, 460, 2.
- Serapis erat vitulus corpore nigro, candida fronte, habens in tergo albam notam vel maculam, 414, 1, 2. — *Vide Apis, Vacca, Vitulus.*
- Sereno abbati quomodo angeli donum castitatis contulerint, 46, 2.
- Sergius III Pontifex primus suum nomen mutavit, 11, 1, 2.
- Sergius Ritus Maronita, archiepiscopus Damascenus vertit Biblia Arabica in Latinum, 222, 2.
- Sericis induiti et immundæ conscientiæ, sunt Belo Babylonio similes, 190, 2.
- Series damnandorum et eligendorum an sit infallibilis et certa, 437, 1.
- Serotinus imber in Palæstina est qui in vere cadit ad segetes incrassandas, 367, 1; 504, 1, 2; 570, 2; 608, 2.
- Serpentes esse naturæ immortalis et divinæ censebant veteres, 192, 1.
- Servire nemo potest regi et Deo, et placere utrique, 80, 2.
- Servitus in jure æquiparatur morti, et vocatur mors civilis, 637, 2.
- Servus Dei honorificus titulus est, 508, 2. qui servi Dei vocati sint, et se sic vocarint, *ibid.* curvi et depresso incedunt, 300, 2. servis perpetuis olim solebant aures perforari, 327, 2. servi et ancillæ etiam Spiritum Sanctum accipiunt, 508, 1, 2.
- Settim quis locus, et ejus situs, 526, 1, 2. arbores in eo nascentes dictæ sunt ligna settim, 526, 1. settim fuit typus cœli ob septem analogias, 527, 1, 2.
- Severus Afer imperator cur dictus sit Pertinax, 295, 1.
- Sexta hora cur orient Judæi et Christiani, 80, 1.
- Sextius philosophus cur esu carnium abstineret, 14, 1.
- Si, nota est apud Hebræos jurantis et signum juramenti execratorii, 627, 2. capitul vel proprie, vel improprie, *ibid.*
- Sicera unde fieret, 307, 2.
- Sichem urbs unde dicta, tempore Christi dicebatur Sichar, deinde Neapolis, hodie Napolosa, ejus situs, 373, 1. ejus celebritas, *ibid.* 2.
- Siclus valebat florenum Belgicum, 328, 2. siclus hebraice idem est quod pondus, 626, 2.
- Sidonii fuere acres et fere perpetui Judæorum hostes, 519, 1.
- Sidrach quid sonet hebraice, 12, 1. — *Vide Tres pueri.*
- Signa quæ dicantur, 508, 2. signa veri prophetæ quæ sint, quæ falsi, 228, 2.
- Signabatur prophetia notis arcannis et characteribus hieroglyphicis, 409, 2.
- Signare visionem, id est implere et sistere et sigillare, 117, 2.
- Signatio libri prophetici significat ejus longinquitatem, obscuritatem, certitudinem, 173, 2.
- Silentio punxit Deus strepitum et turbam, 624, 2. silentium vocatur infernus, *ibid.* 1, 2. silentium ponitur per metalepsin pro strage et desolatione, *ibid.* silentium quantum conducat religioni, 315, 1, 2.
- Simile per omnia non est simile, 282, 2. simile est relativum æquiparantiae, 339, 2.
- Simon Gerasenus Jerusalem obsidens et in urbem admisus in cives sæviit, 193, 2.
- Simon Onias filius pontifex refusis ut stella, 172, 2.
- Simplicii episcopi uxor quomodo suam probarit integratatem, 46, 1.
- Sirenibus similes sunt mulieres, 342, 1.
- Sisinando episcopo Compostellano moriente auditæ vox angelorum, 143, 1.
- Sobrietas est longæva, cur, 12, 2. est mater sapientiæ ob tres causas, *ibid.*; 12, 2. gnomæ de eadem, 13, 1.

- Socratis de abstinentia gnomæ, 14, 1. ejus de idolis et idololatriis dictum, 377, 1. item de gula et ebrietate, 342, 2.
- Sodomæ restitutio quomodo promittatur, 643, 2.
- Sodomite ex deliciis crudeles evasere, 599, 2.
- Sol quomodo in tenebras symbolice convertatur, 509, 1. quomodo tropologice, *ibid.* 2. quomodo tropologice in meridie occidat, 629, 1. solem obtegunt agmina locutarum, 495, 1. sol, luna et stellæ an revera in die judicii obscurandæ, 523, 1. et unde illa obscuritas ventura sit, *ibid.* allegorice id de Christo, B. Virgine et Sanctis exponitur, *ibid.* et tropologice, *ibid.* sol est Moloch et rex stellarum, 591, 1, 2.
- Solia regum habebant olim rotas, erantque versatilia, 92, 2.
- Solitudo cur vocetur Ecclesia, 312, 2 et seqq. solitudo quantopere proposit ad bonum religionis, 316, 1. mentem disponit ad percipienda divina oracula, 226, 2. spiritualis magis sectanda, quam corporalis, 314, 2. vere pœnitentibus necessaria, 313, 1. ejus bona, *ibid.* ejus elogia, *ibid.* et seqq. in quam solitudinem sit ductus Israel a Deo, 312, 1.
- Solum iniquitatis quod dicatur ab Amos, 596, 2.
- Sollicitudo ambulandi cum Deo quos effectus pariat, 232, 1.
- Somnia secreta nemo hominum nosse potest, ea an angeli nosse queant, 18, 2. somnium Nabuchodonosoris de statua fuit divinum, 17, 2. an ipsum videns rex, an Daniel id exponens, fuerit Propheta, 19, 1, 2. somnia aliqua divina a Deo immissa sunt, 508, 1. senibus cur somnia tribuantur, *ibid.* quando somnium visione sit perfectius, *ibid.*
- Somnus ab extasi quomodo differat, 245, 2.
- Sophonias quando et quibus prophetarit, 256, 1. ejus hieroglyphica, 260, 2. ejus ænigmata, 267, 1, 2. ejus adagia, 273, 2.
- Sophronia seipsam interficere maluit, quam a Maxentio imperatore violari, 183, 2.
- Sors cur dicatur patria cœlestis, 177, 1, 2.
- Species, quas Prophetarum imaginationi objiciebat Deus, significabant et symbolice repræsentabant res futuras vel arcana, 608, 1. species panis velant Christi corpus in Eucharistia, 469, 2.
- Spes mortalium sunt somnia vigilantium, 17, 2.
- Spes est velut linea, 318, 1. non confundit, 307, 1. per rubiginem vitium frumenti scite repræsentatur, 484, 2. saepè ex desperatione oritur, 319, 1. nunquam ea depoñenda, *ibid.* ejus symbolum est lumen, 470, 1.
- Sphingis descriptio, 90, 1. sphinx ænigma est silentii rerum sacrarum, 173, 1. erat hæc Octavii Augusti symbolum, *ibid.* ipsa describitur, *ibid.*
- Spinis electorum viae quomodo sepiantur, 308, 1 et seqq. spina Arabicæ acuta et densa est, 307, 2.
- Spiritualem partum impedientes homicidæ sunt animarum, 547, 1. spirituales hostes quinam sint, et quæ damna inferant, 505, 1.
- Spiritus deorum sanctorum est spiritus prophetæ, 55, 2.
- Spiritus Domini sunt venti, quomodo ii Deum laudent, 48, 2.
- Spiritus Sanctus non est semen Dei, 286, 1. sponte sua se annexuit suis donis, gratiæ et charitatib; hinc in justificatione animæ ei dat se ipsum personaliter et substantialiter, 297, 1, 2; 507, 1. quæ rei hujus moralis sit ratio, 297, 2. fideles per desertum hujus vitæ deducit, 313, 1, 2. est primum et increatum bonum, 332, 2. inopes, ignorantes et miseros ad summam scientiam, dignitatem et gradum evehere potest, 532, 2; 533, 1. ejus effusio in Pentecoste in Apostolos, et deinde in alios futura a Joele propheta prædictur, 506, 1. in baptismo omnes eum accipiunt, *ibid.* primo fusus est, deinde infusus, tertio effusus in Apostolos, *ibid.* quam necessario is in homines effundi debuerit, *ibid.* partitur inter fideles sua dona, *ibid.* est vere Deus, non minus quam Pater et Filius, *ibid.* mittitur a Filio de propria ipsius substantialia, 507, 1. quomodo super omnem carnem effusus sit, *ibid.* etiam in Gentes, *ibid.* in omnes indifferenter beneficus et liberalis est, *ibid.* in nobis inhabitans causa est adoptionis qua in filios Dei adoptamur, 297, 1, 2. ejus quanta sit efficacia, 441, 2.
- Spiritus Dei, quem effundendum prædicit Joel super omnes, quis sit, 506, 1, 2. spiritus propheticus Prophetis non erat habitus permanens, sed aliquando ab eis receperat, ut se eum a Deo habere crederent, 259, 2; 615, 2. spiritus singulis vitiis præsunt, 344, 1.
- Sponsa quales adolescentibus querendæ, 285, 1.
- Sponsalia Christi et S. Catharinæ Senensis mediante annulo peracta sunt, 322, 2.
- Sponsi olim sponsas emebant muneribus, 327, 1.
- Spuriæ proles impudicarum matrum bene et laudabiliter per magistratum ab iis avelluntur, 285, 2. jure canonico arcentur a sacerdotio, suntque irregulares, *ibid.*
- Spurii quomodo olim notarentur, 101, 2.
- Spuriotrophia Romæ multa sunt, *ibid.*
- Στατὴρ græce est siclus hebræus, 627, 1. ejus pondus et valor, *ibid.* erat et siclus æreus et aureus ejusdem ponderis, sed pro materia diversi pretii, *ibid.*
- Statera est symbolum hieroglyphicum æquitatis, 73, 1.
- Statua Nabuchodonosori ostensa fuit statura sublimis, eaque quadriformis quatuor monarchias repræsentabat, 20, 2. cur una apparuerit, non quatuor, 21, 1. ejus pedes erant simiferri et semiterrei, 21, 2.
- Statua aurea quo anno a Nabuchodonosore erecta, 38, 1. erat hæc statua sui ipsius, non Beli, *ibid.* erexit eam suggestu Chaldæorum invidentium Danieli, *ibid.* 2. num fuerit aurea, *ibid.* fuit cava, *ibid.*
- Status tres generis humani, 237, 1. status Religionis est opus Dei, 553, 2. de statu vitæ deliberanti secessus et solidudo querenda sunt, 314, 2.
- Stella S. Thomæ Aquinatis obitum ostendit dum eo expirante illa in cœlos ascendit, 173, 1. stellæ cur vocentur Judæi, 106, 1. stellæ significant doctores et pastores esse oculos Ecclesiæ, 173, 1. stella Lucifer habita a Syris ut regina cœli, et ut deus culta, 590, 2 et seq. stella Lucifer habita a Syris ut regina cœli, et ut deus culta, 590, 2 et seq.
- Stephanus (S.) est primicerius fidelium testium Dei, 441, 1.
- Stercorum nomine vocantur idola a S. Scriptura, 358, 1.
- Sterilitas et famæ naturale et ordinarium Dei flagellum est, 481, 1. sterilitate puniuntur scorta sectantes, 340, 1.
- Stillare metaphorice significat sensim effundere, sive res, sive verba; eaque vel mala, vel bona, 617, 2.
- Stoicorum paradoxæ quæ, 252, 1.
- Stragula vocari possunt plagæ et plagulæ, id est anguli, quia angulata sunt, 563, 2.
- Strepitus poena est silentium, 624, 2.
- Studia intemperata non sunt perpetua, 395, 1.
- Stulta mundi eligit Deus, ut confundat per ea sapientes, 616, 4.
- Stultitia Israelis, quam suggillant Prophetæ, qua in re sita fuerit, 310, 1.
- Stupor est alienatio quædam vel mentis, vel sensuum, 570, 1.
- Stylus Prophetarum Minorum qualis sit, 223, 1, 2.
- Subcinericus panis cur vocetur Israel, 382, 2.
- Sublimia patent ruinae, 60, 1.
- Sublevare animam est eam erigere in spem, 339, 1.
- Subrisus subinde signum iræ despicientis adversarium, 583, 1, 2.
- Successores Alexandri fuere præcipui quatuor, 104, 2.
- Sudarium cur adhibetur in sacrificio Missæ, 500, 2. ipsum vocatur mappula vel amapha, *ibid.*
- Sufficiens auxilium ad conversionem quilibet peccator, quantumlibet magnus, a Deo accipit, 539, 2.
- Suilla vesci apud Judeos nefas erat, 400, 2.

Superbiæ pœna est luxuria, 354, 1, 2. ruina est omnium
 virtutum, 407, 2.
 Superbiens ob Dei dona et gratias, deseritur a Deo, donis-
 que privatur, 407, 2.
 Superbi colunt Luciferum stellam, cur, 591, 2. potissi-
 mum in die judicij exagitabuntur, 519, 2.
 Supernaturales rationes nobis sectandæ sunt in vita agenda,
 233, 1.
 Superstitiosum est ex Scriptura omen divinum de aliqua
 re futura capere, 252, 1, 2.
 Supplicium quod dicatur, et supplicationes, 553, 1.
 Supra doctrinam, vires et ingenium quæ sunt et fiunt,
 non perveniunt ad maturitatem, nec felicem exitum
 sortiuntur, 395, 1.
 Susæ est vox hebræa, chaldæa et persica : unde dicta,
 99, 1. urbs fuit maxima, unde dicatur castrum, *ibid.*
 postea fuit metropolis Persiæ, 100, 1.
 Susanna historia est Scriptura canonica, 179, 1. est hæc pri-
 ma Danielis prophætia, *ibid.* 2. Susanna se lavans quantum
 periculum adierit, 182, 1. hebraice significat lilium, *ibid.*
 2. ejus castitas major est quam sit *Lucretiae Romanæ*,
 183, 1. ejus castitas expenditur, 184, 1, 2. hæc historia
 sub quo Persidis rege contigerit, 188, 1, 2.
 Susanna martyr, neptis Diocletiani imperatoris et Caii Pon-
 tificis, maluit mori quam violari, 182, 2.
 Suscitatio tabernaculi Davidis quod cecidit, ab Amos præ-
 dicta, de tempore Christi intelligenda est, 642, 1, 2.
 Sycaminus arbor : ipsa vox unde formetur, 616, 2. ejus
 descriptio, *ibid.*
 Sycomori fructus duri et amari sunt : hinc ut matures-
 cant et dulcescant, incidi solent, *ibid.* sycomorus vel
 sycomorea arbor sicui similis est fructu, moro vero fo-
 liis : dicitur et ficus fatua, vel ficus Ægyptia : non in
 sola Ægypto reperitur, in Judæa etiam frequens erat :
 ejus descriptio, *ibid.* ejus vilitas, 617, 1, 2. est alia
 a caprificio, *ibid.* alia vocis hujus derivatio inconcinna,
ibid. 2. uno anno septies fert fructus, *ibid.* sycomorus
 symbolice est crux et doctrina Christi, *ibid.* respondet
 ipsa arbori scientiæ boni et mali, *ibid.*
 Syllæ (L.) crudelitas, 540, 2; 549, 2.
 Symbolis cur utantur minores Prophetæ, 223, 1, 2.
 Symmachus Urbis præfector laudatur a nervosa styli bre-
 vitate, 218, 1.
 Symphonia quod genus sit instrumenti, 40, 1.
 Synagogæ ortus et initia, 306, 1.
 Synaxim (post sacram) statim balnea adeentes carpuntur,
 182, 1.
 Synopsis Dorothei de Vitis Prophetarum plena fabulis est,
 232, 1.
 Syri quam graviter Israelem sub Joachaz attriverint,
 572, 1, 2. eos inter et Israelitas cur perpetua fuere
 bella, 540, 1. Deum vocant gigantem sacerdotum, 590, 2.
 olim male audiebant ob morum mollitem, 641, 1. columbis pro veredariis utuntur, et cur, 384, 1.
 Syria prius ab Aram filio Sem vocata est Aram, deinde a
 Cyrenensis ex Kir urbe et regione Assyriæ, eo trans-
 lati et venientibus, Kiria, indeque euphoniacæ causa Sy-
 ria. Syri quoque postea expugnata Damasco, a Teglat-
 phalasar translati in Assyriam, 641, 1, 2. olim hortis
 abundabat, 646, 1. columbas habebat, quæ etiam per
 centum milliaria a nido suo abductæ, eodem redeunt,
 384, 1.
 Syria reges aliquando templum Hierosolymitanum donis
 venerati sunt, et sumptus ad sacrificia suppeditarunt,
 159, 1. Syria reges ab Alexandro Magno mortuo recen-
 sentur, et anni regni uniuscujusque, 149, 1.

T.

Tabellarii vicem præbent columbas : quod exemplis pro-
 batur. 439, 1, 2.

Tabernaculum in urbe aliqua ponere est eam bello ca-
 pere, 162, 1. tabernaculum Mosis in deserto erat typus
 Ecclesiæ militantis, 643, 1. tabernaculum Davidis, quod
 suscitandum promittit Amos, proprie non significat Ec-
 clesiam, sed regnum Davidis, id est, domum ejus regiam
 et thronum regium, 642, 2. cur vocetur tabernaculum,
 643, 1.
 Talionis lex æquissima est in omni jure, 83, 1; 104, 2.
 Tamberlanes Bajazete Turcarum imperatore pro scabello
 utebatur, dum equum concenderet, 420, 1.
 Targum in Prophetas auctor fuit R. Jonatham, at Targum
 Pentateuchi auctor fertur R. Aquila, cæterorum R. Jo-
 seph cæcus, 222, 2.
 Tarquinius Superbus capita Gabinorum de medio tollenda,
 quo facto ostenderit, 600, 1.
 Teglatphalasar igni comparatur omnia invadenti, 611, 2.
 quas tribus in Assyriam captivas abduxerit, *ibid.* quando
 Syros exciderit, 542, 2.
 Telas aranearum sibi texit quilibet per fraudes ditescere
 cupiens, 394, 1.
 Temperantia ad quid prosit, 42, 2.
 Tempestivus imber quis in Palestina sit, 367, 1; 504, 1.
 Templum Salomonicum erat quasi centrum orbis, 79,
 2. non reparabitur, nisi in finem mundi ab Antichristo,
 134, 1, 2. cur dicatur ala, 130, 2. templi profanatio, et
 simul exercitus Romanorum eodem tempore urbem obsi-
 dens fuit vere abominatio desolationis, 132, 1. templum
 proprie tantum duas continuit partes, Sanctum et Sanctum
 sanctorum, sed ante se habebat porticum, et cur
 hæc porticus ei addita, 500, 1. ejus partes explanantur,
ibid. et 2. cur vocetur superbia potentium, 627, 2.
 Templum Heliopolitanum, cuius Pontifex fuit Onias,
 151, 1. id eversum est a Vespasiano, *ibid.*
 Tempus capitul pro anno, 97, 2. tempus sacrum Deus
 respicit sollicite, 415, 2.
 Tempus legis gratiæ et novi Testamenti cur Osee vocet
 diem tertiam, 363, 1, 2. tempore gratiæ et salutis uten-
 dum est dum datur, 422, 2. tempus totum christianismi,
 vocatur magnus dies Jezrabel in Scriptura, 301, 1.
 tempora septem, quibus mutatus in bestiam fuit Nabu-
 chodonosor, sunt septem anni, 60, 1, 2. temporum prin-
 ceps est Deus quasi sol, 576, 2.
 Temulenti et luxuriosi dormiunt verius quam vivant,
 343, 1.
 Tenebræ sunt symbolum tristitiae, adversitatis, carceris et
 captivitatis, 492, 1, 2; 586, 1; 629, 1.
 Tenuitas victus ad jucunde vivendum confert plurimum
 ex Epicuri sententia, 14, 1.
 Tép̄ta sunt quæ præter opinionem sunt, et humanam
 consuetudinem excedunt, 508, 2.
 Terminus erat limes agrorum, et Romæ Deus hoc nomine,
 cuius festa dicebantur Terminalia, 356, 2.
 Ternarius numerus familiaris est S. Scripturæ, et primus
 numerus multitudinis, 537, 2. quando vero ternario
 additur unitas, ut fiat quaternarius, tunc maxima mul-
 titudo significatur, 538, 1. ternario Gentiles utebantur
 in arcanis, velut sacrato, *ibid.* ejus mysteria varia, *ibid.*
 et seqq. rei cuique Deus ternarium inseruit, *ibid.* 2.
 Terra in passione Domini universali terræ motu concussa,
 et e cardinibus convulsa fuit, 639, 1. terra arida cur
 plura generet monstra, 306, 2. terra sancta tota erat
 quasi una domus et familia Dei, 408, 2. typus est cœli,
 527, 1. terra recipiens sanguinem injuste effusum cen-
 setur pollui et fieri immunda ; a qua pollutione munda-
 tur, dum a judice homicidæ puniuntur, 529, 1, 2. quo-
 modo in die judicij commovenda sit, 523, 2.
 Terram non tangere symbolum est velocitatis, 102, 2.
 Terræ motus Constantinopolitanus publica supplicatione et
 litania indicta cessavit, 499, 1. terræ motus Amos quis,
 quando et qua de causa fuerit, 534, 1, 2. contigit is
 anno 27 Ozia, *ibid.* contigit ob fastum Ozia, quo is vic-

- toris inflatus arrogavit sibi munus sacerdotale, *ibid.* terrae motus sunt pœnæ schismatis, hoc enim punit terræ scissio, 535, 2. Terribilis in alios caveat multos, 540, 2. Tertia hora cur orarent Judæi et Ecclesia christiana, 80, 1. Tertullianus improprie Sanctum Spiritum vocavit Dei semen, 286, 1. Testamentum vetus velut imber matutinus est; novum est serotinus, 504, 2. vetus novo, et novum veteri per omnia concordat, 238, 1. veteris prophetæ pleræque omnes impletæ vel ante Christum, vel per Christum, paucæ excipiuntur, 252, 1. Testamentum Petri Domini Soræ et Arpini, ejusque conjugis Dedæ, 62, 1, 2. Testes olim reo manus cur imponebant, 184, 2. testes fideles Dei sunt apostoli, doctores et martyres, 440, 2. testium Dei acies, 441, 1. Thabor mons est in medio Galilææ campo omni ex parte mira æqualitate rotundus; ejus descriptio, 352, 1. Thecla (S.) a tauris, serpentibus, et aliis feris, quibus objecta fuit, illæsa permansit, 82, 1. Thecue oppidum an irriguum et compascuum fuerit, 530, 1, 2. an terra Thecue ob olearum copiam viros sapientes gignat, *ibid.* eo loco postea multi sancti monachi egerunt, *ibid.* ejus situs et descriptio, 533, 1. quid mystice sonet, *ibid.* aliquando sycomoris abundavit, postea iisdem caruit, 617, 1. Theman urbs Idumææ, ejus situs, in ea viguit studium sapientæ, ejus rex fuit Eliphaz amicus Job, 546, 2. Theodebertus atque Theodoricus reges angeli ducta victoriæ de Clothario filio Chilperici retulerunt, 145, 2. Theodoreetus scripsit in omnes Prophetas Minores, 222, 1. Theodorum adolescentem martyrem Deus in tormentis est consolatus, 44, 2. ei adsitit angelus, confortans eum, 50, 2. Theodorus (S.) prece sua locustas agros populantes encavat, 482, 2. Theodorus Mopsuestenus, judaizans, et Christum nonnisi purum esse hominem contendens, omnia augusta de Christo oracula ad litteram referri volebat ad priscos duces, ab Apostolis vero et Evangelistis accommodari ea Christo sensu tantum allegorico vel accommodatitio, 224, 1, 2. damnatur ut hæreticus, *ibid.*; 642, 2. Theodosius imperator magos multcavat morte, 18, 2. Theodotionis versione usa est Ecclesia in Daniel, cur, 4, 1. Theognia in signum illibatae virginitatis illæsa carbones ardentes sinu gestavit, 45, 2. Theologia μυθικὴ celebris fuit apud veteres, 244, 1. Theophrastus ab eloquentia ita dictus, 294, 2. Theophylactus scripsit in omnes Prophetas Minores, 222, 1. Theotimus maluit oculos amittere, quam ab uxore abstinerre, 341, 2. Θεραπεία et Θεραπευτæ, quid Græcis significet, 488, 1. Theraphim significant imagines sive simulacra, 330, 2. sumuntur pro idolis, *ibid.*; 331, 1. unde vox derivetur, 330, 2. videntur vocati a Gentilibus a Cherubim et Seraphim, quos videbant Judeos in magna veneratione habere, *ibid.* Thomas (S.) a socero ejus nuptias ambiente dissecta est, quod martyr esse mallet quam adultera et incesta, 183, 2. Thomas (S.) Aquinas ob castitatem ab angelis cingulo castitatis succinctus, 46, 2. Thomas a Kempis quantus solitudinis cultor esset, 316, 1. Thrasybulus Periandro Corinthio quid ad regnum stabilendum suaserit, 600, 1. Thrips vermiculus est lignis innascens, 482, 2. Thronus denotat Dei majestatem, regnum, potestatem iudicariam, immutabilitatem, 92, 2. thronus flammeus Dei Patris quid denotet, *ibid.* rotæ ignæ throni Dei, *ibid.* throni multi cur ponantur sedente Deo Patre, *ibid.* throni olim erant versatiles, et rotas habebant, *ibid.* Throni nomen angelorum unde dicatur, *ibid.* Thura offerri possunt sanctis et eorum imaginibus, 33, 2. Thymiana etiam pro thure capitul et ambra, 344, 1. Tiara est genus pilei, 41, 2. Tibiis ferreis cur comparetur Romanorum monarchia, 28, 1. Tiburtinum oleum præstantissimum, 446, 1. Tigris idem est quod sagitta, ita dicitur fluvius ille a celeritate, 137, 1. Tigurina versio Leonis Hebræi et Zwinglianorum, lima et censura in multis locis indiget, 222, 2. Timon Atheniensis osor hominum unde dictus, 58, 2. ejus epitaphium, *ibid.* ejus sepulcrum a mari expulsum longius, *ibid.* Timor Dei in Scriptura significat venerationem et cultum Dei, 415, 1. timor Dei, judicii et gehennæ peccatori exordi restituit cor, 341, 1. timor sanguinem reducit ad cor, unde extremæ partes velut exanimis pallescunt, et metu ingravescente nigrescunt, 493, 2. Tineæ ex pulvere, situ et putredine enascuntur, 358, 1, 2. tineæ voluptas assimilatur ob quatuor analogias, *ibid.* 2. instar tineæ familias, urbes et provincias sceleratas Deus sensim consumit et depauperat, *ibid.* Titulo (ex) prophetæ sæpe colligere est, qualis ipsa sit futura, an tristis, an læta, an mixta, 245, 1. Titi imperatoris benignitas in conjuratos, 393, 1. Tomyris regina insultat Cyro, 87, 2. Tonitrua et fulgura aerem et terram totam commovent et quatint, 495, 1. Torcularia mystice sunt gymnasia, monasteria, collegia et asceteria, persecutions, tribulationes, 505, 1, 5. item corda inter spem et timorem posita, *ibid.* Torcular calcare in Scriptura significat ulcisci, et acres de reo pœnas sumere, 522, 1. Tori dicti sunt a tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponebantur, 597, 2. Torrens spinarum quis sit, 526, 1. torrens Ægypti quis sit, 608, 2. torrens voluptatis cœlestis inebriat beatos, 526, 2. Tractus et funiculi significant copiam et suavitatem amoris, qua Deus homines ad se trahit, 429, 2. Τρόχος unde dicitur græce caper, 102, 2. Trabis ferratis nonnullis in locis grana excutiuntur ex aristis, 522, 2. — *Vide* Triturare. Trajanus a Plutarcho præceptore virtute fuit imbutus, 10, 2. Trajani (de) anima ex inferno precibus S. Gregorii liberata, historia apocrypha est, 464, 2. Transire in Scriptura significat punire, 420, 1. Transsubstantiationem futuram sub Messia agnoscent Rabbinæ, 472, 1. Tres dies, varii sensu mystico, 364, 2. tria sunt omnia ex mente Aristotelis, 537, 1, 2. tria et quatuor scelera Damasci quæ et quot sint, *ibid.* tria parva, sed efficacia, *ibid.* Tres pueri erant de stirpe regum Juda, 9, 2. quomodo erudi omni sapientia, 10, 1. erant facile viginti annorum dum in aulam adsciserentur, *ibid.* 2. eorum doctrina, *ibid.* 1. cur eorum nomina mutata sint, 11, 1, 2. cur cibos regios recusent, et petant legumina, 12, 1. eorum sanitas, pinguedo, decor fuit supernaturalis, *ibid.* 2. sapientia eorum quoque supernaturalis fuit, 14, 2. fuerunt primitiæ ac typus martyrum, quos tyranni occiderunt, 38, 2. in eorum odium erecta statua aurea a Chaldæis, *ibid.* 1, 2. non fuere Ezechiae filii, sed nepotes, 39, 1. cur vocentur pueri cum nollent statuam adorare, cum essent LVII annorum, *ibid.* cur dicant non debere se regi respondere, quod statuam non adorent, 40, 2. eorum prudentia et resignatio, 41, 1, 2. manserunt in igne illæsi, *ibid.* quomodo iis adstiterit in igne angelus, *ibid.* missi sunt in ignem ligati, sed angelus eorum vincula dissolvit, 44, 1. modis tribus igne servati sunt illæsi,

ibid. comparantur salamandræ et amianto, 45, 1. illæsi fuere, quia erant virgines, *ibid.* et 2. octo in his contigerunt miracula, 46, 1. composuerunt in fornace hymnum ex afflato Spiritus Sancti, 47, 1. etsi illæsi, vere fuere martyres, 52, 1. eorum corpora Romæ coluntur, *ibid.* Trias a Pythagoræis dicitur justitia et virtus, 538, 1. Tribulatione (in) unicum remedium est ad Deum recurrere, 44, 1. ipsa est animæ dealbatio, purgatio et electio, 156, 2. docet orare efficaciter, *ibid.* tribulatio est telum Dei, quo fugientes ad se retrahit, 362, 1, 2. ipsa velut aratrum quæ malarum herbas cogitationum evellit, *ibid.* sancti omnes tribulationem salutarem esse censuerunt, *ibid.* ipsa dat exercitium, probationem et præmium, 363, 1. non enecat hominem, sed vivificat, 472, 1.

Tribus decem cur vocentur Ephraim et Joseph, cur Samaria, Jezrahel, Israel, Jacob, Bethel, 220, 2. ex Assyriaca captivitate non rediere, 294, 1. quando tamen apud Prophetas dicuntur ex ea rediisse, intelligendum est de libertate spirituali, *ibid.* et seq. litteraliter tamen non pauci cum Judeis in Jerusalem verum Deum coluere, illuc excisa Ninive confugentes, 294, 1. alii etiam antea illuc confugerunt, alii etiam in Israele relictæ sunt, *ibid.* an licite fecerint schisma a domo David, 391, 2. abductæ sunt a Salamanasar trans Damascum in Babylonem, etiam trans Babylonem in Medium, Persiam et alias regiones traductæ, 592, 1, 2.

Tribuum aliarum permulti quomodo in Judæam commigrarint, et cum Judæis coaluerint, 294, 1. tribus Juda post captivitatem Babyloniam pro omnibus capiebatur tribibus, 243, 1.

Triclinium dictum a tribus lectis: ea insterni et ornari solebant ebore, auro et argento, 597, 2.

Triduum resurrectionis Christi in Scriptura expressum est, 364, 1. quomodo ipsum computetur, *ibid.* cur Christus die tertia resurrexerit, sex cause assignantur, *ibid.* et 2.

Trinitas (SS.) est sanctissima ac maxima, omnia, imo infinita in se bona complectitur, eaque ternariis a se creatis communicat, 538, 1. tota personaliter et substantialiter venit in animam que justificatur et adoptatur, in eaque quasi in templo et throno suo inhabitat, 297, 1, 2; 507, 1. quantum inde boni nobis accedit, *ibid.* Trisagio hymno cantato cessavit terræ motus Constantionpoli, 499, 1.

Tristatarum quæ esset dignitas apud Medos, Babylonios et Ægyptios, 78, 1.

Tristitia per erucam scite adumbratur, 484, 1. tristitia vicina luctui est, et gaudio carens sine dubio tristis est, 244, 2. tristitia spirituum omnium pessimus est, 401, 2.

Triticum bibitur in cerevisia, 471, 2.

Triturandi modus apud varios varius, 418, 2; 522, 1; 540, 1, 2.

Trulla est instrumentum cæmentiariorum, 612, 1. trulla in manu Dei stantis super murum litum mystice quid sit, *ibid.* quid trullam deponere, *ibid.* 2.

Tryphonis imago cornuta, 103, 1.

Tsade et sein litteræ vicinæ sunt et commutabiles, 424, 1. Tsebi hebraice quid significet, 105, 2. est epitheton Iudeæ et Jerusalem, *ibid.*

Tubis Judæi utebantur ad populum convocandum, 498, 2.

Tulpinus, vel Turpinus auctor fabulosus, 73, 2.

Turba quantopere honestæ vitæ noceat, 315, 2.

Turbo pulverem dissipans, est tribulatio hominem exigitans, qui noanisi pulvis est, 394, 1.

Turca an dicatur cornu parvulum, 90, 2. Turcæ non consti-tuent quintum imperium, ut volunt Rabbini, 28, 2. Turca quocumque pedem infert, sterilitatem infert, 617, 1. Turcarum amici et socii sunt haeretici, 397, 1. eorum adventum in Italiam præsignificarunt agmina locustarum, 483, 1.

Turpe videtur derivari a voce Chaldæa, 331, 1. Tutelares deos Gentes secum per vias duxerunt, 589, 2. Tydei statura pusilla, at animus magnus, 218, 1. Tyranni vocantur principes a fortitudine, 9, 2. tyranni non regnant ex Deo, 392, 2. eorum mors plerumque cruenta, 541, 1. a Deo dantur quasi carnifices ad sumendum de impio populo penas, 459, 1, 2. Tyrii a Baal multa nomina efformarunt, 55, 2. Tyrtamus primo Euphrastes, ac postea Theophrastus a divinitate loquendi dictus est, 294, 2. Tyrus quando a Nabuchodonosore vastata sit, 544, 1. typus superborum et superbiæ est, 548, 1.

U.

Ubera illicia amoris, ea solent meretrices ornare ut amasios illificant, 306, 1.

Udonis antistitis Magdeburgensis judicium et condemnatio, 510, 2.

Ulai porta Susarum unde dicta, 100, 1.

Uncinus pomorum quid propriæ sit, 649, 1; 650, 1, 2. quid hic prophetæ Amos visus, symbolice designet, 620, 1. alludit ad uncum reorum, *ibid.* 2. quid uncinus pomorum tropologice designet, *ibid.*

Unco olim vincti trahebantur, vel etiam seriebantur rei, et hostes prælio capti, 620, 1, 2. id exemplis martyrum probatur, *ibid.*

Unguentia in conviviis adhibebantur olim ad voluptatem et ad sanitatem, 598, 2. unguentis Orientales utebantur jejunantes et pœnitentes, cibis abstinebant, 137, 1.

Ungues avium rapacium habuit Nabuchodonosor dum esset bestia, 64, 1.

Unio Dei cum anima sancta quanta sit, 507, 1.

Unitas a Pythagoreis nominatur Apollo, cur, 538, 1.

Unus homo potest repræsentare totum populum ex se generandum, vel sibi subditum, 487, 2.

Upupa canens ante tempus vitium, magnam vini bonitatem et copiam prenuntiat, 472, 1.

Urbani IV Pontificis symbolum erat cor palpitans in spetino, 96, 2.

Uredo morbus segetum interdum vocatur aurugo, ærugo, rubigo, 571, 1.

Urim et tummim in rationali pontificis an dici possint Theraphim, 330, 2.

Ursæ mira est sævitia raptis catulis, quia mirus illius in eos amor, et cur, 456, 2.

Urso comparatur regnum Persarum ob quatuor causas, 87, 1, 2. ejus natura describitur, *ibid.*

Urus vel bisons factus videtur Nabuchodonosor, 57, 2.

Usuræ mala et damna, 451, 1. eam Hebræi vocant vulnus et morsum, 633, 2.

Usurarii plerique nullos conscientiæ remorsus sentiunt, 451, 1.

Usus æris antiquior est quam ferri, 24, 1.

Uxor Osee fuit famosa meretrix, 280, 2. fuit figura idololatrantis Synagogæ, *ibid.* et 281, 1.

Uxorem non ducere quomodo Pacuvius Ario amico suo suaserit, 253, 2. uxores maritos in scelere imitantur, idque justa Dei vindicta, 345, 1. uxores Hebreæ maritos suos vocabant Baali, id est Domine mi, 320, 1, 2. apud priscos, etiam Hebræos, per munera a sponsis emebantur, et ipsæ dando dotem vicissim maritos ea coemebant, 327, 2.

V.

Vacca, petulantiae et muliebris ingenii symbolum est vacca magnam cum Venere affinitatem habet, quin ea Veneri in Ægypto immolabatur, ejus libido, 566, 1. vaccæ cur potius Israelem Prophetæ comparent, quam cani vel asino, 348, 1.

- Vaccæ Basan significant mulieres Samariæ lascivas et imperiosas, 566, 1, 2. etiam viros opulentos, *ibid.* etiam sacerdotes vitulorum, *ibid.*
- Vaccæ Bethaven sunt vituli, quos erexit Jeroboam in Be-thel et Dan, 414, 1. fuerintne hi vituli mares, an vaccæ: verisimile est fuisse vaccas, quia Ægyptiis vacca sacra erat, *ibid.* 2. contraria sententia non est improbabilis, *ibid.*
- Valens occidit omnes quorum nomen inciperet a litteris T H E O D, cur, 69, 2.
- Valeriani imperatoris immanitas et misera sors, 541, 1, 2.
- Vallis Achor quis locus, 318, 1. ejus situs, unde dicta, *ibid.* 2.
- Vallis Gethsemani facta est credentibus spes et janua vitæ æternæ, 320, 1.
- Vallis Jezrahel quænam diceretur, 287, 2; 290, 1, 2.
- Vallis Josaphat, ad quam congregabuntur in die judicii omnes homines, an sit incertus aliquis locus, sed indefinite significet locum judicii, 515, 1, 2. an certa sit vallis, sed adhuc innominata, quæ ab eventu, puta a judicio Christi, nominanda sit vallis Josaphat, id est judicii Domini, *ibid.* auctor censet esse nomen vallis certe sitæ inter Jerusalem et montem Oliveti, *ibid.* ejus descriptio, *ibid.* in ea est hortus in quo Christus captus est a Judæis, in eadem sepulta B. Virgo est, *ibid.* unde dicta sit vallis Josaphat, *ibid.* in hac quoque valle idololatræ et idola a piis regibus combusti sunt, fuit coemeterium Jerusalem; ibi quoque erat gehenna, in qua Moloch infantes cremabantur, *ibid.* an in ea sint fauces inferni, *ibid.* cur vocetur vallis concisionis, 522, 1, 2. in quam vallem Josaphat, et quas gentes deducendas a Deo dicat Joel, ibique judicandas, variæ affleruntur sententiæ, 515, 1, 2 et seq. — *Vide Josaphat.*
- Vallis Settim significat anagogice locum beatorum in cœlo, 527, 1, 2.
- Vana gloria per locustam designatur, 486, 1. bona opera decorticat et vastat, *ibid.*
- Vapor a fumo quomodo distinguatur, 509, 1, 2.
- Vasa sacra solum a sacratis hominibus tractanda sunt, 75, 2.
- Vaticanus mons Rœmæ cur dicatur aurens, 522, 2.
- Ve particula in compositis significat vel intensionem, vel minutionem, 500, 1.
- Vectis capit pro porta et robore, 542, 1.
- Vellicare arbores tripliciter accipitur, 616, 1, 2.
- Venenata omnia ab anima effuganda, 647, 1.
- Venetiarum respublica qua occasione coaluerit, 637, 1.
- Venter gulosi et luxuriosi aliud non est quam matula, latrina, cloaca, 395, 1. æstuans mero despumat in libidinem, 597, 1, 2.
- Venti sunt tumultus commotiones et perturbationes regnum, 86, 1. venti ostendunt Dei potentiam et magnificenciam, 574, 1. eorum mirabilia, *ibid.* et 2. angeli ventis comparantur, *ibid.* item Deus, cur, 576, 2. ipsis alæ dantur per metaphoram, 349, 2. ventus urens vel uredo, est Eurus vel Boreas, 571, 1. ventum seminare est inanem operam sumere, 394, 2. venti nomine in Scriptura denotatur opus inane et sterile, 394, 1.
- Ventorum utilitas sextuplex, 48, 2.
- Venus cur Vulcano nupta dicatur, 381, 2. sicut incesta, quia incestuosissimi Jovis sicut filia, 285, 2.
- Verbi Dei filiation, exemplar est filiationis nostre cum Deo, 296, 2. Verbum abbreviatum est Deus infans, 218, 2. Verbum cur dicatur factum caro, non anima aut animatus homo, 507, 1, 2.
- Verbum idem est quod oraculum et missio, 278, 2. verba activa Hebræorum sæpe non actionem et effectum, sed agendi virtutem, vim et potentiam notant, 243, 1. nunc actum perfectum, nunc continuatum, nunc inchoatum, nunc destinatum, 251, 1. verba contactus Hebræi construunt cum in, 335, 1. verborum imperfecto- rum ordines apud eos sæpe commutantur, 487, 2. verba Scripturæ diversos, imo contrarios, subinde habent sensus, 244, 4.
- Veritas triplex in Scriptura est, mentis, oris et operis, 377, 1.
- Versio Arabicorum Bibliorum duplex est, 222, 2. versiorum antiquarum varietas servit ad S. Scripturæ claritatem et copiam, *ibid.* versione Septuaginta in Bibliis usa est Ecclesia usque ad tempora B. Hieronymi, Prolegom., 3, 2.
- Verticis nomine appellari possunt reges et regum palatia, item imperium et potentia, 536, 1, 2.
- Vestes Dei Patris cur dicantur esse candidæ, 92, 1.
- Vestes candidæ symbola sunt balneariorum et compotacionis, 598, 2. vestes Prophetarum olim erant saccus et pallium, 228, 2. vestes scindebant Judæi in blasphemia, aut simili atroci scelere, aut in gravi luctu, 496, 1.
- Vestibulum cur additum templo Salomonis, 500, 1. ejus altitudo, *ibid.* erat templo connexum, 500, 1. unde dicitur et formetur vox vestibulum, *ibid.*
- Via in Scriptura rem, negotium, jus et causam sæpe significat, 551, 1. item actum, modum vivendi, vitæ tenorem, 340, 1. via Samaritarum in Ægyptum publica et communis olim erat, 571, 2. viæ quomodo dicantur vivere, florere, mortuæ, lugere, 630, 2. via Bersabee multis repleta erat aris et sacellis idolorum, *ibid.* vias Domini et vias in cœlum, pauci norunt, 474, 1.
- Victimæ in Scriptura vocantur cibus et panis Dei, 400, 2. tristi animo Deo oblatæ ei displicant, 401, 1.
- Victor (S.) martyr quomodo in tormentis Deum rogarit et manserit illæsus, 44, 2.
- Victoria regni quæ sit, 60, 2. victoria et bella Machabæorum erant typus et figura victoriarum et bellorum quæ gesturi erant christiani cum infidelibus, 137, 1, 2.
- Victus Prophetarum fuit sobrius et vilis, 229, 1, 2.
- Vinacea sunt folliculi uvarum, 326, 2. sunt symbolum rerum vanarum et futilium, 327, 1.
- Vincentius (S.) precibus suis locustas fugavit, 481, 2.
- Vincula charitatis sunt leges tum Judæorum, tum Christianorum, 430, 1. vinculo triplici anima Deo colligatur, 305, 2.
- Vindemia et vinum cur jungatur messi tam apud Joelem loquentem de messoribus, quam apud S. Joannem in Apocalysi, 522, 1.
- Vindicare apud veteres significabat defendere, 359, 1.
- Vindicta Dei quomodo vocetur solemnitas Domini, 402, 1. vindicta expiatur terra et sanguis innocens effusus, 529, 1, 2. vindicta justa est, ut qui aliena rapuit, perdat sua, 584, 2.
- Vinea jucundissima est, 411, 1. potissimum erat præmium antiquis, præsertim patriarchis, *ibid.* eam solebant in atrio domus plantare ad umbram et ad amenitatem: est quid medium inter hortum et agrum: est quæstiosa et deliciosa, maxime fructifera est, *ibid.* vinea Engaddi fertilissima est, 317, 2. vinea Domini olim erat Synagoga, jam est Ecclesia, 411, 1. vineæ Naboth situs, 288, 1.
- Vini potio nimia cur ad Venerem ineptos reddat, 101, 1.
- Vinum fugiens quod dicatur, 349, 1. vinum forte cur propinaretur damnatis, 553, 1. addit cornua et animos pauperi et timido, 605, 1, 2. est animi speculum, 343, 1. lac serum, et lignum vitæ, imo vita hominis dici potest, 411, 2. id non bibebant Nazaræi, 553, 2. ejus usum interdixit Tatianus Encratitarum princeps, 554, 1. id in sacrificio in Dei honorem vel in terram effundebatur, vel a sacerdotibus bibeatur, 400, 2. quomodo homini mentem eripiat, et in omnia vitia præcipitet: ipsum mox ut a Noe inventum, ab omnibus avide arreptum est, 342, 1, 2. ejus nomen in omnes prope linguas transiit, *ibid.* vinum Libani erat præstantissimum, 472, 2. vinum Libani vario sensu accipitur, *ibid.* vinum aromaticum, quod dicatur, *ibid.* vinum nardinum, myrrha-

- tum, foliatum quid : vinum cur condiatur : viuum croceum olim Romæ in theatris spargebatur, 473, 1.
 Violatur nulla invita et obductans, 182, 2.
Vir dicitur a virtute, 321, 1. *vir dolorum, misericordiae, etc.*, quomodo ab Hebræis sumatur, 280, 2. *vir sanguinum* est latro et homicida, 335, 2. *vir*, cur vocari velit Deus a Synagoga, non dominus, 321, 2.
 Virga vigilans, quam vedit Jeremias, quid designaret, 608, 1. *virgæ centurionales*, quibus centuriones cædebat delinquentes milites, e sarmentis vitium fiebant, 410, 2.
 Virgilii versus quam elaborati sint, 223, 2. *is* quomodo Ennium legerit, 225, 1.
 Virgines fuere tres pueri in fornacem Babylonicam conjecti, 52, 2.
 Virginum ad balnea adventu sæpe a dæmone correptæ sunt, 182, 1. virgines christiane olim et leones et lenones superarunt, 182, 1. virginum aureola quæ et qualis, 171, 2. virginum malentium mori quam violari exempla, *ibid.*; 172, 1. virginitas Danielis et sociorum, 183, 2.
 Virgo quæ virginitatem amist, illam nullo modo recuperare potest, 578, 2. virgo vivido roseoque colore florens, juventæ nunquam senescentis, et vitæ immortalis est symbolum, 411, 2. virginum nomine vocant Hebræi urbes et regna ob speciem, opes et gloriam, 578, 2.
 Viriati Lusitani obsessi a Romanis præsidentia, 68, 1.
 Virtus in Dei statera sola habet pondus, 73, 1. virtute prædictus per arborem repræsentatur Nabuchodonosoris, 56, 1, 2. virtus est animæ sobrietas et sapientia, 485, 1. difficultatibus obsidetur, 470, 1. compressa fit fortior, 218, 1. tria ad proficiendum in ea media, 232, 2. virtutes variae floribus accommodantur, 647, 2. virtutes et bona opera sunt velut uvæ in animæ vinea crescentes, 647, 1.
 Virtutes Domini quæ vocentur, 48, 2.
 Viscera misericordiæ Dei quæ sint, 322, 1; 434, 2.
 Visio Danielis et Joannis in Apocalypsi, qua viderunt Christum in multis fuit similis, 137, 1, 2.
 Visio pacis est Jerusalem, 525, 1. ad visionem propheticam requiritur res futura quæ prævidetur, lumen propheticum mentem Prophetæ elevans, et visio et cognitio rei futuræ, 246, 2. visio, quæ fit vigilanti, in se perfectior est somno quod fit dormienti : quando vero somnium visione perfectius sit, 508, 1. *visio vel verbum Domini* cum præponitur prophetis, ipsæ lœtas sunt ordinarie, 245, 1.
 Visiones Danielis singulæ qua ætate contigerint, 1, 2.
 Visitare in Scriptura quid proprie significet, 288, 1. capitul subinde pro condemnare, punire, excindere, 446, 1.
 Visus, forma reliquorum sensuum cur dicatur, 245, 1.
 Vita angelorum et hominum est vigilia, 57, 1.
 Vita triplex, naturæ et culpæ, gratiæ et gloriæ statuitur, 364, 2. vita bona magis prodest ad peccatores convertendos quam verba, 227, 2. vita Apostolorum similis fuit vitæ Prophetarum, 229, 1, 2. vita christianorum debet esse coelestis, 299, 2; 300, 1. vita fidelis tota martyrium est, 443, 1, 2. vita capitular pro gloria, fortitudine, sanitate, 366, 1. vita brevitas suadet ut æternis inhiemus, 622, 2. eam quisque habet velut stadium in quo usque ad mortem decurrat, 436, 2. est velut pomum ob varias analogias, 621, 1, 2. vita solitaria bona et elogia, 313, 1, 2 et seq. de vita statu liberanti recessus necessarius est, 314, 2.
 Vitellius imperator unco tractus in Tiberim a populo, 620, 2. ejus crudelitas et mors, 541, 1.
 Viti (S.) pueri et martyris in tormentis animositas et constantia, 43, 2.
 Vitia qui sanat noctem in diem convertit, 582, 2. vicia Superiorum et principum manant ad subditos, 634, 1, 2. vicio uno abeunte alterum nos oppugnat, ut residuum quod prius reliquit, posterius depascatur, 484, 1. vitium quodlibet est animæ ebrietas et insanias, quam causat vinum malitiæ expressum ex uva cupiditatibus, ei a dæmone propinatum, 485, 2.
 Vitis centurionalis quæ dicatur, 410, 2.
 Vituli aurei quos efformavit Jeroboam, fuit Apis Ægypti, 393, 2. eos cur in Israelem invexerit, *ibid.* erecti erant in Dan et Bersabee, quasi in duobus regni limitibus, ceu tutelares Israelis dili, 630, 2. duo erecti erant, non unus, 414, 1. cur vocentur hi modo vituli, modo vitulæ vel vaccæ, *ibid.* — *Vide* Vacca. Per vitulos labiorum quid intelligatur, 468, 2.
 Vocatio non est ex præviis predestinorum meritis, sed ex Deo vocante, 457, 2. — *Vide* Prædestinatio.
 Volucres symbolum sunt hominum timidorum et ambitionis, 321, 1.
 Voluntas nostra natura sua omnium rerum speciem quasi induit, quibus se per amorem applicat, 405, 1.
 Voluptas pomum aureum est, et illecebrosa, 621, 2. tinea assimilatur, 358, 2. est insatiabilis, 340, 1. voluptas peccati insipida et inanis est, 327, 1. voluptates cito transiunt ut scenum, 555, 1; 606, 2. mentem inebriant ac dementant, 484, 2. earum fuga disponit ad prophetiam, 227, 2. voluptatibus licitis abstinenſ ex Epicteti sententia, divinæ naturæ consors est, 423, 2.
 Votorum suorum (ad) violationem clerici et religiosi non sunt pelliciendi, 534, 2.
 Vox multitudinis quam audiit ex angelo Daniel, significat exercitum et phalanges tam angelorum quam Machabæorum, 140, 1, 2. vox Dei est tonitru, 495, 1.
 Vulgus mobile, ad regum libitum, mutat fidem et religionem, 378, 2.
 Vulpis et pardi de variegatura certamen et lis, 88, 1.
 Wilfrido (S.) S. Michael sanitatem restituit, 143, 1. suorum precibus a morte est eruptus, 114, 1.

X.

- Xerophagia veterum christianorum, 136, 2. ad quid eam adhiberent, *ibid.*
 Xerxes et Artaxerxes nomina interdum a scriptoribus confunduntur, 125, 1. vox quid sonet, 76, 2. regis Persarum I clades in Græcia fuit præsignificata equa leporem pariente, 72, 2. illius e prelio fuga, 24 1. ejus opes et copiæ quantæ fuerint, *ibid.*

Z.

- Zacharias filius Jeroboam rex Israel occisus est a Sellum, qui regnum ab ejus familia ad suam transtulit, 614, 2.
 Zacharias propheta quando prophetarit, et quid, 236, 1. ejus mors, *ibid.* 2. ejus hieroglyphica, 261, 1. ejus ænigmata, 267, 2. ejus adagia, 273, 2.
 Zacharias et Malachias fuere ultimi Prophetarum, 221, 2.
 Zacharias martyr occisus est inter templum et altare, id est inter vestibulum et altare, 500, 2.
 Zelotæ Judei quomodo in templum et urbem sint grassati, 133, 1, 2. eorum impietas, *ibid.*
 Zeletes gloriæ suæ Deus est, 505, 2.
 Zelus sponsi Dei in sponsam Synagogam, 321, 2. zelus ingens tum salutis animarum, tum gloriæ divinæ requiritur in concionatoribus ut peccatores convertant, 227, 2.
 Zenonis imperatoris vicissitudines in imperio, 7, 2. per eleemosynam Dei punitionem evasit, 62, 1.
 Zona aurea angeli apparentis Danieli significat charitatem, bella et regnum Machabæorum et fidelium aliorum, 138, 1. zonæ unius milites dicuntur excellentes bello, 378, 1.
 Zoroastres diu in solitudine vixit, ut divinis intenderet, 227, 1.

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

AD EVANGELIA DOMINICARUM AC FESTORUM ALIQUOT ET FERIARUM PER ANNUM ACCOMMODATARUM, IN GRATIAM CONCIONANTUM.

DOMINICA I ADVENTUS.

ERUNT SIGNA IN SOLE ET LUNA ET STELLIS. — Signa Deus solet præmittere, et feriendos præmonere, antequam feriat, 561, 2. quæ signa diem judicii præcessura sint, 509, 1, 2; 523, 1. cur dies hic vocetur magnus, 520, 2. quis diei hujus futurus horror, *ibid.* is homini christiano semper præ oculis habendus, 511, 2.

Ignis fatus Christi velut lictor in die judicii, 611, 2.

ET VIRTUTES COELORUM MOVEBUNTUR. — Virtutes cœlorum et terra quomodo tunc commovendæ sint, 523, 2. quia vero paulo post tunc judicium fiet, agi poterit de eo, et quomodo in die judicii Deus fidelium suorum ab iniquis oppressorum sanguinem mundaturus sit, 528, 2. — *Vide notata Dominica ultima post Pentecost.*

DOMINICA II ADVENTUS.

ARUNDINEM VENTO AGITATAM. — Constantia in Dei cultu quam gloria sit, 83, 1, 2.

PAUPERES EVANGELIZANTUR. — Quia pauperes Deo ita curæ sunt, ut eis ante quam dixitibus Evangelium annuntiari velit, graviter peccant advocati et judices qui eos opprimunt, 582, 2. pauperes, abjectos et infirmos Deus eligit et evehit, cur, 533, 2.

TU ES QUI VENTURUS ES, AN ALIUM EXSPECTAMUS? Judæi post Christum, suum Messiam frustra exspectant, 643, 2.

DOMINICA III ADVENTUS.

AN ALIUM EXSPECTAMUS. — Messiam promissum venisse contra Judæos ostenditur, 119, 1, 2.

PROPHETA ES TU? — Prophetæ omnes in Christo desinunt, et ad eum avolant, ut qui eorum scopus est, 240, 1, 2. Prophetæ veteres fuere velut angeli terrestres, 229, 2.

Joannes in deserto locustis victitans fuit imago veterum Prophetarum, quorum virtus sobrius fuit, asper et vilis, ut et omnis illorum gestus gravis, 229, 1.

TU QVIS ES? — Ita seipsum quilibet interrogare potest; nam ita ad Dei cognitionem perveniet: nam cognitio sui via est ad cognitionem Dei, 422, 1.

FERIA IV QUATUOR TEMPOR. ADVENT.

Septuaginta hebdomades Danieli declaratæ describuntur; earum initium et finis, 116, 1, 2 et seq. cur bæ sint abbreviatæ, *ibid.*

DOMINICA IV ADVENTUS.

PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ. — Saccus ac cilicium vestis fuit veterum Prophetarum, velut qui præcones erant poenitentia, 229, 2. poenitentia animæ pristinum suum decorum restituit, 486, 1; 505, 1, 2. poenitentia elogia, 501, 1. ejusdem vis et effectus, 505, 1, 2.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

Christus ortus et generatus est quasi aurora ante diem exoriens, idque ob quinque analogias, 366, 1, 2.

DEDIT EIS POTESTATEM FILIOS DEI FIERI. — Filiatio Dei in quo consistat, et quanta bona secum trahat, 296, 2; 297, 1, 2.

IN FESTO S. STEPHANI.

OMNIS SANGUIS JUSTUS QUI EFFUSUS EST. — Sanguis innocens effusus terram polluit, qui simul et terra expiantur, dum vindicta de homicidis sumitur, 529, 1, 2.

IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

Quia magna Herodis Infanticidæ hoc in facto fuit crudelitas, agi poterit de crudelitate, quamque ea Deo et hominibus exosa sit, 540, 2.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

ANNA VIDUA NON DISCEDEBAT DE TEMPLO DIE AC NOCTE. — Ut sancta bæc vidua identidem Dei in oratione memor erat, sic nos Deum ubique et semper in memoria præsentem habere oportet, 292, 1, 2; 299, 1, 2; 448, 1, 2.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

QUOD VOCATUM EST AB ANGELO. — Nomina olim ab eventu vel præsenti vel futuro accipiebantur, 294, 2.

Nomina christiana pueris danda, non Gentilium, 593, 2. nomen in confirmatione vel ingressu religionis cur immutari aliquando soleat, 295, 1.

IN VIGILIA EPIPHANIAE.

APPARUIT ANGELUS IN SOMNIS JOSEPH IN AEGYPTO. — Christum ex Aegypto revocandum esse, prædixit jam ante Oseas propheta, 427, 1, 2.

IN FESTO EPIPHANIAE.

De stella. — *Vide in Indice. rerum, verbo Bethlehem, OBTULERUNT MYRRHAM.* — Myrrha typus mortificationis est, et bæc species martyrii, 443, 1, 2.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

INTER DOCTORES. — Doctrina est vera nobilitas, 10, 2.

ET ERAT SUBDITUS ILLIS. — Omnis obedientia tam parentibus quam alienis præstata, species martyrii est, 443, 2, 1.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

NUPTIÆ FACTÆ SUNT. — Maritus succedit in jus patris, quem sponsa reliquit, ut totum amorem et studium in maritum transferat, 321, 2. sponsæ quales quærendæ et eligendæ adolescentibus, 295, 1.

Deus christianis velut sponsus est et vir, 320, 2.
 Parentum vitia, præsertim matrum, in proles transfunduntur, 285, 1. peccata maritorum punit Deus peccatis uxorum et filiorum, 345, 1.
 Scortorum quanta sit turpitudo et infamia, 395, 2. scortantes et impii plerumque illiberes sunt, et sterilitate a Deo puniuntur, 340, 2. fornicatio homini mentem simul et opes eripit, 341, 1. spiritus fornicationis an sit dæmon aliquis specialis ad libidinem incitans, 344, 1. superbiæ poena libido est, 354, 1, 2.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

DICO HUIC, VADE, ET VADIT. — Punitio suæ et jussa Deus timeri vult, 289, 2.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

VENTI ET MARE OBEDIUNT EI. — Ventorum multiplex utilitas, 48, 2. venti ostendunt Dei magnificientiam et majestatem, 374, 1, 2. venti et reliquæ res creatæ sunt Dei exercitus, et ad ejus nutum militant, 576, 1.

ET FACTA EST TRANQUILLITAS MAGNA. — Potentiam omnem adversam statim Deus infringit, et subridendo velut despicit, 583, 1, 2.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM.

UNDE ERGO HABET ZIZANIA? Nulla mala homini nisi per Deum infliguntur, 560, 2.

ALLIGATE EA IN FASCICULOS. — Elementorum conglobatio et globus elementaris, quomodo sit velut fasciculus in manibus Dei, 638, 2.

DOMINICA VI POST EPIPHANIAM.

REGNUM COELORUM SIMILE EST FERMENTO, QUOD. — Sicut fermentum totam pastam sapidam reddit, quamvis ipsum insipidum sit; sic voluntas omnium rerum speciem et faciem quasi induit, quibus se per amorem jungit, 405, 1.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

CONDUCERE OPERARIOS. — Omne quod operamur, in Dei conspectu agimus, 94, 1.

ITE ET VOS IN VINEAM MEAM. — Ecclesia vinea est, ut et anima, ob varias analogias, 411, 1, 2. anima sancta est vinea, hujusque proprietates illi adaptantur, 411, 1, 2. est quoque hortus et paradisus Dei, 646, 2.

MULTI SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI. — Quam pauci viam ad celum ducentem agnoscant, 474, 1. Deus neminem reprobat ex se ante prævisa demerita, 435, 1. vult omnes homines salvos fieri, ac neminem reprobari, 436, 2. reprobatio, obduratio, perditio, damnatio non est per se ex Deo reprobante, obdurante, perdente et damnante, sed ex homine peccante, seque in peccatis ad finem usque vitæ obdurante, 458, 1, 2.

Prædestinatio, vocatio et gratia non est ex præviis prædestinatorum meritis, sed ex Deo prædestinante, vocante, et gratia sua prædestinatos præveniente, 457, 2.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

EXIIT QUI SEMINAT SEMINARE SEMEN SUUM. — Opera bona semina sunt æternæ vitæ, 421, 2.

ET HI RADICES NON HABENT. — Peccator omnis edit fructum mendacii, id est inanem et evanidum, 423, 1. quæ supra vires et ingenium tentantur, non sunt durabilia, 395, 1.

A VOLUNTATIBUS VITÆ SUFFOCANTUR. — Consuetudinis malæ, et præsertim fornicariæ, quanta sit vis et arctæ compedes, 419, 2.

UT VIDENTES NON VIDEANT. — Peccator quam sibi male consulat dum Dei obliviscitur, 292, 1, 2.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

FILIUS HOMINIS TRADETUR. — Venditio et traditio Christi

triginta argenteis a Prophetis prædicta fuit, 550, 2.

QUI PRÆBANT INCREPABANT EUM UT TACERET. — Impedire opera pietatis, et tendentes ad salutem remorari, quantum sit scelus, 373, 2.

Quia autem hisce diebus multi, proh dolor! ob Bacchanalia ventri et gulæ indulgent, invehi in libidinem et crapulam concionator potest. Ebrietas quam saluti animæ et corporis noceat, 68, 2. libido ergo poena superbiae est, 354, 1, 2. voluptas est tinea ob varias analogias, 358, 2. deliciæ corporales merum sunt mendacium, 423, 1, 2. voluptuosus et omnis peccans non videtur habere cor intra se, sed insanire, 385, 1. gulosorum sordes et probrum, 395, 2. comessationes mentem et judicium rectæ rationis homini eripiunt, ac libidinem inflammant, 342, 2. peccator omnis cum peccatis et idolis suis, quasi cum vitulis vitulatur et bacchatur, 414, 2.

FERIA IV POST CINERES.

CUM JEJUNATIS. — Jejunium includit et delectum ciborum, et abstinentiam a carne, 136, 2. sobrietas cur longæva sit: est item mater sapientiæ, 12, 2. jejunio impetrarunt sancti a Deo intelligentiam et prophetiam, 141, 1.

FERIA VI POST CINERES.

CUM FACIES ELEEMOSTYNAM. — Eleemosyna pro peccatis satisfacit, 61, 1, 2. eaque redimit tripliciter, 62, 2. sine ea quidam salvari nequeunt, 2 4.

DOMINICA I QUADRAGESIMÆ.

DUCTUS EST JESUS IN DESERTUM. — Solitaria vita quanta bona afferat, quam multiplicibus eam colentes a Deo donis compleantur, 313, 1. collectio sui intra solitudinem exercenda de vitæ statu eligendo deliberanti, 314, 2.

ACCEDENS TENTATOR. — Diabolus est aquilo omnia virtutum germina adurens, Christus autem austus, ea crescere faciens, 512, 4.

CUM JEJUNASSET QUADRAGINTA DIEBUS. — Jejunium duplíciter sanctificatur, 487, 2.

SUSTULIT ILLUM IN PINNACULUM TEMPLI. — Pinnaculum templi quod fuerit, et quod ejus vestibulum, 500, 1

SI CADENS ADORAVERIS ME. — Diabolus in omnibus rebus et ritibus Dei est simius, 347, 1.

Diabolus mendax est, et omne mendacium eum parentem habet: mendacium triplex est, mentis, oris, operis, 377, 1.

OSTENDIT EI OMNIA REGNA. — Quam ea imbecilla sint et parvo tempore durent, 30, 1; 104, 2. honores, opes, dignitates mera sunt vanitas, ita ut homini duntaxat ceu in speculos ostendantur, 327, 1.

FERIA III.

QUIA EX ORE INFANTUM. — Infantes sæpe fuerunt judices innocentie, 185, 2.

FERIA IV.

AUDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS. — Vera nobilitas est doctrina, 10, 2.

DOMINICA III QUADRAGESIMÆ.

OMNE REGNUM IN SE DIVISUM DESOLABITUR. — Monarchia optimum regimen est, nec regnum fert duos, 29, 2. discordia tum civium, tum fratrum, lites et bella, quanto-pere Deo displiceant, et acriter ab eo puniantur, 544, 2.

ASSUMIT SECUM SEPTEM ALIOS SPIRITUS NEQUIORES. — Vito uno abeunte succedit aliud, ut hominem oppugnet, 484, 1.

SABBATO.

MULIEREM DEPREHENSAM IN ADULTERIO. — Adulteri non resciunt Deum, 181, 2. — Vide in Indice rerum, verbo Adulter.

DOMINICA IV QUADRAGESIMÆ.

Ut panes in manibus Apostolorum multiplicati fuere, ita eleemosynariorum opes, per benedictionem divinam, quo plus in pauperes effunduntur, co magis adaugentur, 626, 1, 2. eleemosynæ et misericordiaæ quanta sit dignitas, 626, 4, 2. eleemosynæ defectus sæpe causa est paupertatis, sterilitatis agrorum, et luis pestiferæ, 334, 1. eleemosyna et oblatio e tetrico corde profecta di plicet Deo, 401, 2.

DOMINICA PALMARUM.

HOSANNA FILIO DAVID.—Qua hebdomadi Danielis Christus sit mortuus, 127, 1, 2.

IN FESTO PASCHATIS.

SURREXIT, NON EST HIC. — Resurrectio universalis adstruitur in fine mundi futura, 461, 1, 2. resurrectionis tum Christi, tum nostræ futura symbolum est phœnix et hydrus serpens, 462, 2. Christus ad inferos descendens fuit inferno velut morsus, et moriens morti mors, 462, 1. aliquot eum animas tunc e purgatorio liberasse verisimile est, 464, 2. morti insultant christiani, sicut et Christus mortem occidit, et ei mors fuit resurgentio, 463, 2. Christus tertia die resurgens quomodo nos vivificari, 363, 2. ipse ob sex causas tertia die resurrexit, 364, 1, 2.

FERIA II POST PASCHA

NOS AUTEM SPERABAMUS. — Ex desperatione oritur spes, 319, 1, 2. christianus semper sperare debet, nunquam desperare, ibid.

FERIA IV POST PASCHA.

TOTA NOCTE LABORANTES NIHIL PRENDIDERUNT. — Uti Apolsti post continuatam tota nocte piscationem, tandem ad vocem Domini pisces plurimos cepere, ita labor continuus et intensus tandem pervincit quod intendebat, 618, 1.

DOMINICA II POST PASCHA.

MERCENARIUS FUGIT, QUA MERCENARIUS. — Prælati et pastores quomodo fiant subditis rete et laqueus, 352, 2.

DOMINICA III POST PASCHA.

MUNDUS AUTEM GAUDEBIT. — Fideles in persecutione sint constantes, 156, 2.

DOMINICA IV POST PASCHA.

DE PECCATO QUIDEM. — Peccatum ob quatuor analogias vocatur sanguis, 335, 2. peccatum nullum relinquit Deus impunitum, 453, 2. peccati amaritudo et absinthium, 467, 1. peccata aliena et propria tollens et sanans noctem convertit in diem, 582, 2. peccatum quomodo in Christo finem acceperit, 117, 1.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

Quia Litaniæ hæ institutæ sunt ad sterilitatem et plaga agrorum avertendas, hinc agi poterit de locustis, bruchis, æruginæ et eruca, quæ segetes et germina depascuntur, 483, 1, 2 et seq. hisce plagiæ passiones hominis designantur, quæ eum depascunt, 484, 1. hæ ipsæ mentem hominis inebriant et dementant, ibid. 2. sterilitas agrorum Dei invocatione avertenda est, 481, 1; 571, 1. Litaniæ publicæ quam antiquæ fuerint et solemnies, earum recitatio quæ commoda attulerit, 499, 1.

OMNIS QUI PETIT ACCIPIT. — Semper opem Dei in arctis petere debemus, 512, 1, 2. oratione quoque opus est ad sacras Scripturas intelligendas, 233, 2. oratio clavis regni cœlorum est, 234, 1.

QUANTO MAGIS PATER VESTER DE COELO DABIT SPIRITUM BONUM. — Bona omnia naturalia, fruges, escæ et superna-

turalia, dona Dei sunt, et cum accipiuntur, Deo ascribenda, 505, 2.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

UT COGNOSCANT TE SOLUM DEUM. — Beatitudo summa in hac vita est nosse Deum, 334, 2.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Dies ascensionis, missionis Spiritus Sancti, et resurrectionis Christi, etc., sunt magni dies Domini, 301, 2.

Occasione montis Oliveti, ex quo Christus ascendit in cœlum, agi poterit de commodis montium, 49, 1, 2.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

ET VOS TESTIMONIUM PERHIBEBITIS. — Testes fideles Dei sunt apostoli, doctores, martyres, 441, 1. eorum acies ordinatim instruitur, ibid.

IN DOMINICA PENTECOSTES.

AD EUM VENIEMUS. — Justo et justificato Deus et SS. Trinitas inest substantialiter novo quodam modo, 298, 1; 507, 1.

MANSIONEM APUD EUM FACIEMUS. — Anima cum in Deo manet, et Deus in illa, serenata est, et quanta huic mansio illa pariat bona, 226, 2.

PARACLITUS AUTEM SPIRITUS, QUEM MITTET PATER IN NOME MEO. — Spiritus Sancti divinitas adstruitur, 506, 1. mittitur a Filio de propria ejus substantia, 507, 1. quæ prodigia facta sint Spiritu Sancto super Apostolos descendente, 507, 2. per Spiritum Sancti gratiam plene ad Deum convertimur: vera et plena ad Deum conversio quæ sit, et quomodo fiat, 467, 1. Spiritus Sanctus in animam, cum justificatur, illabitur realiter, personaliter, substantialiter, et simul tota SS. Trinitas, 298, 1; 507, 1. inter Spiritus Sancti dona est lumen et gratia prophetandi, 246, 1, 2. per Spiritum Sancti gratiam in filios Dei adoptamur, quas hæc adoptio gratias menti infundat, 298, 1, 2. simus quoque sponsæ Dei, 322, 1, 2.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

DOCETE OMNES GENTES.—Doctores fidelium plausum non captent e novorum sensuum S. Scripturæ productione, 224, 2. sensus verus S. Scripturæ pro concione afferendus, 225, 2. sanctitas vitæ quantum conducat ad alios convertendos, et veram S. Scripturæ intelligentiam acquirendam, 227, 1, 2. occasione conversionis ad Evangelium Christi, poterit agi de conversione a vitiis ad virtutes, quæ optima conversio est: conversio vera fit per solidum, serium et efficax voluntatis propositum de vita mutanda, 493, 2.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. — Ternarius numerus schema est SS. Trinitatis, ejus elogia et mysteria, 538, 1, 2. eum cuique rei Deus inseruit, ut imaginem sui ipsius, qui trinus in personis, et unus in essentia, ibid.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

ESTOTE MISERICORDES SICUT PATER VESTER MISERICORS EST.—Quomodo sit Deus misericors et præstabilis super peccatores, 497, 1, 2. quomodo Deum tum in misericordia, tum in aliis quatuordecim attributis imitari possimus, et sancti viri imitentur, ibid.; 498, 1, 2 et seq.

IN FESTO VENER. SACRAMENTI.

Venerabilis Eucharistia est complementum honorum, 333, 2. ejus sacrificium in pane et vino est a Christo institutum, cur, 401, 1. est funiculus amoris, 430, 1. cur rori comparetur, 469, 2. est memoriale jugè Christi, 472, 2. ipsa fideles spiritualiter inebriat, 471, 2.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

VILLAM EM. — Bona præsentis sæculi, quæ tanto labore

mortales congerunt, quam levia et fugacia sint, 620, 2.
avaritia quomodo sit in capite omnium, 634, 1, 2 et seq.
eius mala et damna varia recensentur, *ibid.* lucri nimia
 aviditas saepe hominem extra juris et justitiae metas rapit,
 449, 2.

HABE ME EXCUSATUM. — Ut illi invitati ob res frivolas
 excusari se petiere, quominus ad cœnam paratam veni-
 rent : sic peccator detinetur rebus nihili et frivolis, quo
 minus ad Deum redeat, 605, 2. creatureæ que illum deti-
 nent, sunt tantum umbræ rerum ; solus Deus est ipsa es-
 sentia in se, 606, 1.

JUGA BOUM. — Divitiae sunt fructus mendax, 423, 1.

UXOREM DUXI. — Lascivia seminarum unde naturaliter
 proveniat, 348, 1. libidinosi et mulierosi in fœtore et sor-
 dibus suæ libidinis computrescunt, 489, 2.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

IN NAVIM QUÆ ERAT SIMONIS. — Navis hæc typus est Ec-
 clesiæ, cujus caput est S. Petrus. Ecclesiasticus cantus qua
 gravitate peragi debeat, 587, 2. Ecclesia christiana et ca-
 tholica vocatur solitudo, quia colit unum Deum, qui solus
 verus Deus est, et quia in ea solitudo religionis est, apud
 sectarios pluralitas, 311, 2 et seq. ipsa est regnum Christi,
 cuius imago est regnum et tabernaculum David, quod
 Christus restituturus dicitur, 643, 1.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

VADE PRIUS RECONCILIARI FRATRI TUO. — Offensum pree-
 venire, quam decorum et meritorium sit, 434, 1. quo-
 modo in eo Dei et hominum sit dispar sensus, *ibid.*

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. — Quia hæretici falsi sunt
 prophetæ, agi poterit de eorum deliriis : eorum dogmata
 meræ sunt insaniae et deliria, 562, 2. — *Vide Indicem
 rerum, verb.* Hæreticus et Hæresis. Hæretici nasum cereum
 S. Scripturæ affigunt, eamque detorquent in alienos sen-
 sus, 225, 2. hæreticorum fraudes, 450, 1. hæretici Chan-
 nanæis fraudulentis similes sunt, 450, 2.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. — Hæresis est abominationis
 desolationis, 134, 1.

INTUS SUNT LUPI BAPACES. — Bestialiter viventes, fiunt
 bestia, 60, 1.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

QUASI DISSIPASSET BONA. — Bona Dei sunt creatureæ,
 quarum usum hominibus concedit, quæ impiis invitæ ser-
 viunt, piis libenter, 309, 2.

SCRIBÆ. — Advocati, scribæ, judices pauperem oppri-
 mentes suggillantur, 582, 2.

FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQUITATIS. — Ele-
 mosynariorum opes a Deo adaugentur, 626, 1, 2. — *Vide
 notata in Dominica IV Quadragesimæ.*

VILLICUM INIQUITATIS. — Peccatores quomodo sint arcus
 dolosus, 387, 2.

FILII HUJUS SÆCULI PRUDENTIORES, etc. — Columbæ, cui
 filii lucis simplices assimilantur, simplicitas pluribus de-
 ducitur, 383, 2; 384, 1. cor est bulla pectoris : qui cor
 habeant, et qui eo carere dicantur, 385, 1.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

VIDENS CIVITATEM. — Anima cujusque est velut urbs,
 ejus fabrica et ruina, 579, 1.

CIRCUMDABUNT TE INIMICI TUI VALLO. — Quia Judæi hanc
 urbis obsessionem sua culpa promeruere, agi poterit quo-
 modo Deus mala infligat et pœnam commensam culpæ,
 608, 2.

Eo quod non cognoveris TEMPUS VISITATIONIS TUÆ. —
 Quando Jerusalem a Tito sit excisa, 128, 2. Dei gemi-

tus et stridor ex fastidio, et ex offensione suspirium quo
 se excitat ad anhelatam plagam in impios, 554, 2.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

NON SUM SICUT CÆTERI. — Quomodo quis dona Dei ag-
 noscere in se debeat et possit, 20, 1.

Occasione arrogantis Pharisæi, ostendetur quam termini
 et fines impiorum angustiores sint, quam piorum, eorum-
 que stultitia, 596, 1, 2.

JEJUNO BIS IN SABBATO. — Bonum operantes ob inanem
 gloriam vel quæstum, ventum seminant, et turbinem va-
 nitatis metunt, 394, 2. anima Dei donis superbiens a Deo
 deseritur, 407, 2.

QUI SE EXALTAT HUMILIABITUR. — Superbi colunt Lucife-
 rum, 591, 2. incessus non sit pompticus nec fastuosus,
 sed modestus, 594, 1, 2.

OMNIS QUI SE HUMILLAT EXALTABITUR. — Humilitas condu-
 cit ad divinas illustrationes accipiendas, 228, 1.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

MULTI PROPHETÆ VOLUERUNT VIDERE QUÆ VOS VIDETIS. —
 Prophetæ quomodo omnes sint et fieri possint, 219, 2.

IN LEGE QUID SCRIPTUM EST ? — Leges sunt velut vincula
 charitatis, 430, 1. in decalogi lege an possit Deus dispen-
 sare, et in præceptis legis naturæ, 281, 2 et seq.

DILIGES PROXIMUM SICUT TEIPSUM. — Amor fraternalis quan-
 tum sit bonum, 545, 1, 2. paria fratrum et sororum mu-
 tuuo se secundum carnem et spiritum diligentium, 546, 1.
 amor telum est violentissimum, 430, 1.

SACERDOS QUIDAM DESCENDERET. — Sacerdotis hujus im-
 mitis occasione, agi poterit quomodo sacerdotum sit ele-
 mosynas largiri, non avaritiæ studere, 634, 1, 2 et seq.
 amicos suos ditare non debent, aut iis facultates ex Eccle-
 siæ proventibus partas relinquere, *ibid.* immisericordia
 quanta sit divitum in pauperes, 599, 1, 2. sacerdotum
 est flere et plorare peccata populi, 500, 2. sacerdotes qua-
 ratione comedant peccata populi, dum in iis connivent,
 338, 2; 339, 1, 2. eorum vita licentiosa reprehenditur, cum
 se a populo vitæ sanctitate discriminare deberent, *ibid.*

INFUNDENS OLEUM. — Oliva quilibet sancti sint, et cur,
 471, 1.

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN.

OSTENDITE VOS SACERDOTI. — Quia peccatum instar lepræ
 animam inficit, hinc Evangelium hoc non inepte peccato-
 ribus adaptari poterit. — *Vide Indicem rerum, verb.* Pecc-
 ator et Peccatum. Conscientia penitus confessario a laicis
 detegenda, et a religioso superiori suo : quæ commoda et
 quies conscientiæ hinc sequatur, 460, 1.

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN.

NEMO POTEST DUOBUS DOMINIS SERVIRE. — Aulæ cœlesti
 et terrestri servire perdifficile, 80, 2. — *Vide Indicem
 rerum, verbo Servus, Servitus*

NE SOLliciti SITIS QUID MANDUCETIS. — Frumenti mono-
 polæ penuriam et sterilitatem sperantes, suggillantur, 625,
 1, 2.

Quis VestrUM POTEST ADJICERE AD STATUAM. — Homo est
 arbor inversa, 56, 1.

CONSIDERATE LILIA AGRI. — Fideles ob septem analogias,
 illio comparantur, 409, 2.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN.

DEFUNCTUS EFFEREBATUR. — Cadavera olim alia combure-
 bantur, alia terræ mandabantur : ossilegii quis esset ritus,
 600, 2; 601, 1. concupiscentia nobis inhærens velut mors
 est, 465, 1.

FILIUS UNICUS MATRI. — Quia adolescens hic in flore æta-
 ris extinctus est, agi poterit de vitæ brevitate, et quomodo
 vita hominis instar pomi sit ob varias analogias, 621, 1, 2
 et seq. vita ipsa quam saepe parva re lædatur et violetur,

ibid. epitaphiorum erigendorum quæ sit ratio, 239, 2.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN.

TOLLE LECTUM TUUM. — Lectus superbi, avari, gulosi et libidinosi quis sit, 365, 1.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

QUOSCUMQUE INVENERITIS. — Judæis ad fidem venire reuentibus, Gentes in magna copia venerunt; hinc in illis adimplentur prophetæ et promissiones veteribus Patriarchis factæ, 295, 2; 507, 2; 603, 2; 643, 1.

DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN.

VIAM DEI IN VERITATE DOCES. — Veritas triplex est, mentis, oris, operis, 377, 1.

COGNITA JESUS NEQUITIA EORUM. — Cogitationes et propensiones intimas pervidet et prævidet Deus, 353, 2.

DATE CESARI QUÆ SUNT CÆSARIS. — Regum et regnum vis sine Dei cultu et ope invalida est, 413, 1. principes exemplo suis præeant: quantum eorum exemplum subditis prosit, 379, 1. ambitiosi reges ex Deo non regnant, 392, 1, 2. at boni et legitimi reges a solo Deo dantur, 393, 1. impios plectit Deus, dando eis reges scelestos, 459, 1, 2.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

MULIER QUÆ SANGUINIS FLUXUM PATIEBATUR ANNIS DUODECIM, ACCESIT. — Tribulatione trahit Deus homines ad se refugientes a se, 361, 1, 2.

ET TURBAM TUMULTUANTEM. — Tumultus et strepitus poena est altum silentium et solitudo, 624, 2.

NON EST MORTUA. — Mortuorum fama non est laedenda, 549, 2.

DOMINICA ULT. POST PENTECOSTEN.

SURGENT PSEUDOCHRISTI. — Antichristo cæso multi anni dabuntur lapsis ad pœnitendum, 176, 1. quando Antichristus regnaturus sit, 97, 2. ejus mores, vita, regia, superbia, bella describuntur, 159, 1, 2. eo cæso multi Iudei ad Christum convertentur, 167, 1. quamdiu ejus desolatio durabit, 175, 1, 2.

CUM VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS. — Quænam sit abominatio desolationis, 130, 2. Judeorum desolata est, quia Messiam suum non agnoverunt, sed occidunt, 329, 2.

SOL OBSCURABITUR. — Sol et luna, et stellæ quomodo in die judicii obscuranda sint, 523, 1, 2 et seq.

VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBIBUS. — Homines omnes judicandi in valle Josaphat convenient, ubi judicem Christum videbunt: vallis hæc ubi sita, ejus descriptio, 514, 1, 2. cur judicium futurum prope Jerusalem, 515, 2. Christi disceptatio cum impiis in die judicii quænam futura, 516, 1, 2. ejusdem tunc stridor contra illos, 555, 2.

CONGREGABUNTUR ET AQUILÆ. — In statera Dei judicis sola virtus pondus habet, 72, 2. libri vitæ nostræ in die judicii pandentur, 94, 2. dies illius horror, 96, 1. exhortatio Christi judicis ad peccatores, 148, 1. — *Vide Indicem rerum, verbo Jesus, Judicium.*

COELUM ET TERRA TRANSIBUNT. — Terræ motus ob schismata contingere Deo permittente solent, 535, 2. quia beati post judicium in celum assumentur, agi poterit de cœlo, unde varia ejus nomina et elogia, 526, 1, 2 et seq. ejus typus fuit settim locus ob varias analogias, 527, 1. cur vocetur typice Jerusalem, id est visio pacis, 528, 1. coeleste præmium manet justos, atque animæ immortalitas colligitur, 586, 2.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

ASCENDIT IN ARBOREM SYCOMORUM. — Sycomorus quæ sit arbor, et ubi inveniatur, 616, 2 et seq.

QUI STATORA PUSILLUS ERAT. — Parvos et parva quomodo Deus assumat et elevat, et in parvis magnificentiam suam et artem patefaciat, 218, 1, 2. magnitudinem suam ad parva contrahit, *ibid.*

Quia templo Salomonico perfecto, nebula implevit illud, agi hic poterit de commodis nebulae matutinæ, 575, 2. anima fidelis est templum et domus Dei, ejus partes et fabrica, 646, 2.

IN FESTO CATHEDRÆ S PETRI.

SUPER HANC PETRAM. — S. Petri Apostoli fides et constans in fide, invicta fuit ut adamus, 614, 1.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. MARIAE.

MISSUS EST ANGELUS GABRIEL. — Gabrielis angelus dignitas et elogium, et an fuerit Seraphinus, 114, 1, 2 et seq.

ECCE QUOD NASCETUR EX TE, SANCTUM VOCABITUR. — Christus cum carne humana hac die connubium initit, velut cum muliere fornicaria, 286, 1, 2. incarnatio ejus quomodo peracta, *ibid.* Christi Jesu incarnati divinitas et æternitas diversimode contra haereticos adstruitur, 224, 1, 2.

REGNI EJUS NON ERIT FINIS. — Regnum Christi est spirituale, non temporale, ut Judæi exspectant, 31, 1. quomodo et quare alia omnia regna supereret, 33, 1, 2.

IN FESTO S. MARIAE MAGDALENÆ.

OLEO CAPUT MEUM NON UNXISTI. — Olim in conviviis flores et unguenta nardina adhibebantur, 598, 2. adhibitus quoque fuit cantus et musica, *ibid.* 1.

IN FESTO S. JACOBI.

DIC UT SEDEANT. — Æmulatio quomodo regnet in annis, 78, 2. perstringuntur mali regum consiliarii, 79, 1.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

NON LICET TIBI HABERE UXOREM. — Principum vitia libere carpere debent prælati, confessarii et concionatores, 61, 3.

IN FESTO S. MATTHÆI.

MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIUM. — Multis de causis misericordia præstat sacrificio, 369, 1.

IN FESTO DEDICAT. S. MICHAELIS ARCHANG.

S. Michaelis elogium, 142, 2; 143, 1, 2. an sit de numero Seraphim, *ibid.* occidet Antichristum, 164, 1, 2. ejus encomia plurima, 165, 1, 2. canet tuba novissima, ejusque pictura cum bilance defenditur, 166, 1.

NISI EFFICIAMINI SICUT PARVULI. — Parva et parvos quomodo Deus assumat et extollat, quomodo in parvis suam magnificentiam et artem patefaciat, 218, 1, 2. quomodo magnitudinem suam ad parva contrahat, *ibid.*

QUI SCANDELIZAVERIT UNUM DE PUSILLIS. — Scandalizantes pusillos sunt veri homicidæ animarum, 547, 1, 2.

ANGELI EORUM VIDENT. — Angeli quomodo semper sint vigiles, 57, 1. suos in tormentis corroborant, 50, 2. eorum maxima est multitudo, 93, 2. suis in bello auxiliantur, 144, 2. angeli quomodo aliquando inter se certent, 142, 1

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Sancti publicas clades suis peccatis ascribunt, 42, 1. sunt reges, 96, 2. eorum corpora lucida erunt, 169, 1, 2. sancti indocti lucent ut cœlum, docti ut splendor firmamenti, doctores ut stellæ, 169, 2.

BEATI ERITIS CUM MALEDIXERINT VOBIS HOMINES. — Peccatoribus per odia, persecutions impiorum, ærumnas, morbos, damna, vias ad peccandum obstruit Deus, et a peccatis eos revocat, 308, 1.

IN FESTO FIDELIUM DEFUNCT.

Christus ad inferos descendens, haud dubie animas ali-

quot jam pene aut plene purgatas secum assumpsit, et e
Purgatorio liberavit, 464, 1, 2.

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Quod Apostoli infirmi et indocti potentissimos tyrannos,
et philosophos doctissimos in suas partes traxerint, et
confutarint; ostendi poterit quomodo Deus infirma et ab-
jecta mundi velut apta instrumenta eligat, ut confundat
fortia, 616, 1. Apostoli et Christus Dominus an comedere-
rint carnes, 229, 2.

IN COMMUNI PONTIFICUM.

Libere peccantes corripiant, 61, 2. quia Pontifices Ro-
mani vulgo sese vocant servos servorum Dei, tractari po-
test, quam sit honorificum nomen Servus Dei, et qui-
nam hoc nomine vocati sint, 508, 2.

Doctores præ aliis sanctis in cœlo lucebunt, 169, 2. ii
maxime qui alias ad constantiam et martyrium excitarunt,
170, 2. eorum aureola, 171, 2. stellatorum doctorum exem-
pla, 172, 2.

IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyrum quæ sit futura aureola, 171, 2. sœpe appa-
ruere cum rosis, *ibid.* fuere Dei sacrificia, 42, 2. Deus eos
in tormentis consolatur, 44, 1, 2.

Martyrii et martyrum pro fide elogia, 441, 2; 442, 1.

martyres quomodo omnes quotquot vivimus esse possimus,
442, 2. morbo lethali laborantibus ministrantes, et ex eo
obsequio morbum contrahentes et emorientes, ab Ecclesia
inter martyres recensentur, 443, 1, 2.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Quia confessores et viri religiosi, perfecti in hac vita
esse studuerunt; hinc de perfectionis studio et mediis hic
agi poterit. quomodo Deus viros perfectos per internas
locutiones dirigat, 316, 2; 317, 1. quot etiam modis Deus
ad animam perfectam loquatur, 246, 1. in perfectione
proficiendi tria media, 232, 2. Religiosorum typus erant
Nazarei, 553, 2.

IN COMMUNI ABBATUM.

Cœtus et filii Prophetarum, qui fuerint, 231, 1, 2.

IN COMMUNI VIRGINUM.

Amorem carnalem virgines superarunt, ejusque ardo-
rem extinxerunt: amoris passio quam sit vehemens,
quantusque ejus ardor, 381, 2. quæ sit aureola virginum
futura, 171, 2. sœpe apparuere cum liliis, *ibid.* castitatis
vindex est Deus, 187, 2. reddit corpora incorrupta et
illæsa in tormentis, 45, 1. ejus custodes et tutores sunt
angeli, 46, 2.

FINIS INDICIS.

Les 20 premières pages de ce PDF donnent un aperçu de la qualité, *bonne ou mauvaise*, de l'édition papier. La qualité dépend du livre original dont nous nous sommes servi pour produire le fac-similé (*texte numérisé*).

Il est possible de commander l'édition papier à prix abordable en visitant le site :

canadienfrancais.org

Plusieurs autres livres sont également disponibles sur le même site, toujours à prix abordable.

***Ô Marie conçue sans péché,
priez pour nous qui avons recours à vous!***

Cet ouvrage est dans le domaine public.

Année 2020
canadienfrancais.org